

http://www.numelyo.bm-lyon.fr

Acta Ecclesiae Mediolanensis, sive sancti Caroli Borromaei instructiones, et decreta. Inquibus, De Ecclesiarum fabrica, suppellectile & ornatu ; de Virorum Ecclesiasticorum dignitate, Vita & officio ; de politia Ecclesiastica, cultu divino, animarum regim

Auteur :Charles Borromée, saint, 1538-1584


Date :1645

Cote : 20433

Permalien : http://numelyo.bm-lyon.fr/BML:BML_00GOO0100137001100066823

Droit d'utilisation : © Creative Commons - Paternité. Pas d'utilisation commerciale. Pas de modification.





623

Ms. 21 p. 321

#

Acta

20433

ACTA ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS, SIVE SANCTI CAROLI BORROMÆI INSTRVCTIONES, ET DECRETA.

In quibus, De Ecclesiarum fabrica, suppellectile & ornatu; de Virorum Ecclesiasticorum dignitate, Vita & officio; de politia Ecclesiastica, cultu diuino, animarum regimine, & omnium hominum salute procuranda, piè, sanctè ac cumulatè præcipitur.

PRÆTEREA EIVSDEM SANCTI APPENDICES SEPTEM.

I. *De Curâ pestilentiæ.*

II. *Sacramentale: siue Sacramentorum administrandi ritus.*

III. *Instructio Prædicationis Verbi Dei.*


IV. *De nitore & munditia Ecclesiæ.*

V. *Institutio Seminarij: seu Clericorum instruendorum ratio.*

VI. *De disciplina familiæ Episcopalis, déque eius regimine.*


VII. *Selecta quædam Edicta, & monita Christiana.*

Verba sapientium sicut stimuli & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à Pastore Vno. His amplius, fili mi, ne requiras. ECCLES. 12.





PARISIIS,
Apud IOANNEM IOST, viâ Iacobæâ, sub signo Spiritus Sancti.
M. DC. XLV.
Cum Priuilegio Regis, & Approbatione Doctorum.



DOCTRINA, SAPIENTIA ET PIETATE CELEBERRIMIS THEOLOGIS

PRIORI, DOCTORIBUS, ET SOCIIS COLLEGII SORBONICI PARISIENSIS.

Ioannes Iost Bibliopola.

S.

NEQVE mortale præsidium, Viro Immortali, neque hominum æui nostri sanctißimo profanum patrocinium quærendum fuit. Vestrum in sinum se recipit Sanctus Carolus Borromæus, Patres Sorbonici, & ea facta quibus æternitatem meruit, cœlitúmque consors factus est, vobis non probanda solùm, sed etiam, quod sperat, tuenda ac vindicanda proponit. Vbinam securior esset, qui per se positus extra ictum omnem, hostes etiamnunc in terris eosdem habet, quos laboriosâ, dum viueret, ac felici dimicatione contriuit. Neque enim vbique terrarum, vel omne ad tempus extinxit scelus & ignorantiam, quia peragrare non potuit suâ solicitudine totum orbem, quem famâ impleuit, & istæ, quamuis sæpius excisæ pestes, de humanâ infirmitate repullulant. Sorbonam igitur ingreditur æternam Domum, firmitate doctrinæ, agendique constantiâ semper eandem; sicuti spatiosi amnes mutari numquam creduntur, quòd pleno semper alueo fluunt, vnámque aquarum speciem ac majestatem ostentant. Sorbonam ingreditur, cuius simplex integritas, incorrupti mores, syncera pietas, vita omnis tanto charior omnibus, quòd fucum non amat, quòd per humanam laudem suæ virtuti lucrum non quærit, quòd nemini placere studet nisi vel docendo, vel agendo, quod Superis acceptum futurum sit. Hac fautrice & vindice, nonne adhuc in sæculi corruptelam pugnabit Vir

ſanctißimus? Nonne Sacerdotes duceſque populi imbuet ſcientiâ aduerſus errorum tenebras? Nonne ſacro-ſanctam Chriſti familiam, quæ eſt acie ordinatâ pulchrior, omni ex parte reducet in ordinem, nemo vt meritò poſthac queratur; compoſitio eius ablata eſt, pulchritudo noſtra & claritas noſtra deſolata eſt! Magnum apud omnes momentum habebit, cum ſe ad diſponendam regendámque domum Domini, Doctorem, hortatorémque dabit Archipræſul incorruptißimus; At quoniam beatarum mẽtium ex hominum commendatione creſcit reuerentia, audientur multò cupidius tanti viri monita, religioſius inſtituta perlegentur, cum Sorbonicorum Patrum, quos cæterorum monumenta iudices habent, ſuffragijs atque votis Eccleſia Gallicana lucem aſpicient. Cum autem manifeſtum erit eo vos lubentius Sanctißimi Cardinalis acta complexos eſſe omni gratiâ, quòd ſapientiæ veſtræ ac moribus accommodata ſunt, eáque palam euulgant, quæ verbo iampridem atque exemplo docetis, facilius omnes, quibus ignota non erit Sorbonæ gloria, ſuis Decretis ac Legibus informabunt. Ea ſpe atque expectatione, Sorbonici Patres, veſter eſſe cupit, qualis è typis noſtris expreſſus eſt, non iam multum ſolicitus veſtrum vt fauorem impetret, cui ſingularem venerationem & cultum impenditis. Illius eſt oſtendere ſolùm quid per vos poßit; meum eſt precari, vt æqui bonique conſulatis, quod in hoc labore meum eſt, cætera verò ex ipſo, quod facitis, autore æſtimetis.



MONITVM

AD VIROS ECCLESIASTICOS.



VEstrum tandem omnium votis satisfactum est, viri Ecclesiastici, & quod ob excellentiam rarum, ob raritatem diutiùs à vobis expetitum, & exquisitum est, proferimus. Acta sunt Ecclesiæ Mediolanensis, Diuinum illud opus, quæ iuxta ordinem à nobis hîc obseruatum, Acta vniuersalis Ecclesiæ meritò possunt nuncupari. In hoc siquidem volumine ea solùm apposuimus, quæ vbique seruari, & ad praxim reuocari debent. Nec vobis imminutum mancumuè quid exhiberi arbitremini: Nulla enim profectò omisimus, nisi quæ vel vni Ecclesiæ Mediolanensi, vel priuatæ cuidam Religiosorum Congregationi, aut etiam Confraternitati ita congruunt, vt alibi obseruari difficile sit, ne dicam impossibile. Cæterum reliquimus ordinem Editionis Mediolanensis, in qua quęlibet materia sparsim agitatur, nec vno vnquam in loco, sed sexcentis, prout videlicet malis quibusdam hoc aut illo tempore occurrentibus medendi necessitas incubuit. Brixiensis verò editionis omnibus quibus scatebat mendis prius expurgatæ dispositionem per Dominicum Zucchinettum Presbyterum Nouariensem contextam sequuti sumus, & quidem eò lubentius, quòd in ea velut in locis communibus sub quolibet titulo reperire est quicquid de vna & eadem materia potest desiderari; vt cuiuis Ecclesiastico totius operis vsus apertior sit & facilior. Quòd si quem fortè fugeret, quid Ecclesiæ à Sancto Carolo Borromæo in his actis collatum fuerit, vt huius voluminis & dignitas & necessitas innotesceret, paucis dicerem, in eo singulari prorsus ac mirabili modo quæcumque tum ad structuram, tum ad supellectilem, tum etiam ad ornatum & nitorem Ecclesiarum necessaria sunt pertractari: quæcumque ad dignitatem, munus, officiumvè cuiusuis Ecclesiastici viri spectant exponi; quæcumque tandem ad forum Ecclesiasticum, cultum diuinum, animarum regimen, vniuersorúmque hominum salutem procurandam pertinent edoceri. Quàm sit igitur hoc opus necessarium perpendite, & valete.

PRIVILEGE DV ROY.



OVYS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE. A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, leurs Lieutenans & tous autres Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre bien amé Iean Iost, Libraire de nostre bonne ville de Paris; nous a fait remonstrer, qu'ayant veu depuis long-temps desirer les *Oeuures de Sainct Charles Borromée*, & sçachant d'ailleurs comme elles sont tres-necessaires à tous les Ecclesiastiques; il s'est employé auec soin & dépense pour les recouurer, mesmes s'en est pourueu de deux editions; l'vne de Bresse, & l'autre de Milan, qu'il a fait collationner l'vne sur l'autre, celle de Bresse s'estant trouuée si pleine de fautes, qu'en mille endroits le sens estoit corrompu: De plus, il a fait traduire en Latin ce qui ne se trouuoit qu'en Italien, pour estre le tout vtile à ceux qui n'entendent pas la langue Italienne; Mais pour ce qu'il ne seroit raisonnable qu'il fust frustré de son trauail & despense par l'entreprise d'autres particuliers à son preiudice, requerroit humblement luy estre pourueu de nos lettres sur ce necessaires: A CES CAVSES, ne voulant que le public soit priué desdites Oeuures, dont plusieurs pourront tirer profit; NOVS luy auons permis & octroyé de nostre grace, pleine puissance & authorité Royale, par ces presentes, permettons & octroyons audit Iost, de faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de nostre obeïssance lesdites *Oeuures de Sainct Charles*, en telles marges & caracteres, d'vn ou plusieurs volumes, & autant de fois que bon luy semblera, durant l'espace de dix ans entiers & accomplis, à compter du iour que lesdites Oeuures seront acheuées d'imprimer: Faisant tres-expresses inhibitions & deffenses à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny debiter en aucun endroit de ce Royaume, lesdites Oeuures, ou partie d'icelles, durant ledit temps, sous pretexte d'augmentation, traduction, changement de tiltres, ensemblément ou separément, en quelque sorte & maniere que ce soit, autres que de celles imprimées par ledit Exposant, à peine de trois mil liures d'amende, payables sans deport par chacun des contreuenans, applicables vn tiers à NOVS, vn tiers à l'Hostel-Dieu de Paris, & l'autre tiers à l'exposant, ou à ceux ayans charge & droict de luy; auec confiscation des Exemplaires contrefaits, & de tous despens, dommages & interests: A la charge qu'il en sera mis deux Exemplaires en nostre Bibliotheque publique, & vn en celle de nostre tres-cher & feal, le sieur SEGVIER, Cheualier, Chancelier de France, auant que de les exposer en vente, à peine de nullité desdites presentes; du contenu desquelles NOVS vous mandons que vous faciez ioüyr plainement & paisiblement ledit Iost, & ceux qui auront droict de luy, sans qu'il leur soit donné aucun trouble ou empeschement. Voulons aussi que mettant vn Extraict du present Priuilege au commencement ou à la fin desdites Oeuures, il soit tenu pour deuëment signifié, & que foy y soit adjoustée, & aux coppies d'icelles deuëment collationnées par vn de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires comme à l'Original. Mandons en outre, au premier Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution des presentes tous exploits necessaires, sans demander aucune permission. CAR tel est nostre plaisir. Donné à Paris, le sixiesme iour de Feurier, mil six cens quarante-trois. Et de nostre regne le trente-troisiesme.

Par le Roy en son Conseil.

DE GYVES.

Et seellé du grand seau de cire jaune.

Acheué d'imprimer le 27. May 1643.
Et les Exemplaires ont esté fournis.

PRIVILEGE DV ROY.



OVYS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE. A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, leurs Lieutenans & tous autres Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre bien amé Iean Iost, Libraire de nostre bonne ville de Paris; nous a fait remonstrer, qu'ayant veu depuis long-temps desirer les *Oeuures de Sainct Charles Borromée*, & sçachant d'ailleurs comme elles sont tres-necessaires à tous les Ecclesiastiques; il s'est employé auec soin & dépense pour les recouurer, mesmes s'en est pourueu de deux editions; l'vne de Bresse, & l'autre de Milan, qu'il a fait collationner l'vne sur l'autre, celle de Bresse s'estant trouuée si pleine de fautes, qu'en mille endroits le sens estoit corrompu: De plus, il a fait traduire en Latin ce qui ne se trouuoit qu'en Italien, pour estre le tout vtile à ceux qui n'entendent pas la langue Italienne; Mais pour ce qu'il ne seroit raisonnable qu'il fust frustré de son trauail & despense par l'entreprise d'autres particuliers à son preiudice, requerroit humblement luy estre pourueu de nos lettres sur ce necessaires: A CES CAVSES, ne voulant que le public soit priué desdites Oeuures, dont plusieurs pourront tirer profit; NOVS luy auons permis & octroyé de nostre grace, pleine puissance & authorité Royale, par ces presentes, permettons & octroyons audit Iost, de faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de nostre obeïssance lesdites *Oeuures de Sainct Charles*, en telles marges & caracteres, d'vn ou plusieurs volumes, & autant de fois que bon luy semblera, durant l'espace de dix ans entiers & accomplis, à compter du iour que lesdites Oeuures seront acheuées d'imprimer: Faisant tres-expresses inhibitions & deffenses à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny debiter en aucun endroit de ce Royaume, lesdites Oeuures, ou partie d'icelles, durant ledit temps, sous pretexte d'augmentation, traduction, changement de tiltres, ensemblément ou separément, en quelque sorte & maniere que ce soit, autres que de celles imprimées par ledit Exposant, à peine de trois mil liures d'amende, payables sans deport par chacun des contreuenans, applicables vn tiers à NOVS, vn tiers à l'Hostel-Dieu de Paris, & l'autre tiers à l'exposant, ou à ceux ayans charge & droict de luy; auec confiscation des Exemplaires contrefaits, & de tous despens, dommages & interests: A la charge qu'il en sera mis deux Exemplaires en nostre Bibliotheque publique, & vn en celle de nostre tres-cher & feal, le sieur SEGVIER, Cheualier, Chancelier de France, auant que de les exposer en vente, à peine de nullité desdites presentes; du contenu desquelles NOVS vous mandons que vous faciez ioüyr plainement & paisiblement ledit Iost, & ceux qui auront droict de luy, sans qu'il leur soit donné aucun trouble ou empeschement. Voulons aussi que mettant vn Extraict du present Priuilege au commencement ou à la fin desdites Oeuures, il soit tenu pour deuëment signifié, & que foy y soit adjoustée, & aux coppies d'icelles deuëment collationnées par vn de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires comme à l'Original. Mandons en outre, au premier Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution des presentes tous exploits necessaires, sans demander aucune permission. CAR tel est nostre plaisir. Donné à Paris, le sixiesme iour de Feurier, mil six cens quarante-trois. Et de nostre regne le trente-troisiesme.

Par le Roy en son Conseil.

DE GVYES.

Et seellé du grand seau de cire jaune.

Acheué d'imprimer le 27. May 1643.
Et les Exemplaires ont esté fournis.

INDEX TITVLORVM QVI HOC VOLVMINE, Sex libris diſtincto, continentur.

Tituli Libri Primi.

Tituli Libri Secundi.

Tituli Libri Tertij.

Tituli Libri Quinti.

Tituli Libri Sexti.

Appendix altera.

De sacramento Confirmationis. 390

De sacramento sanctissimæ Eucharistiæ. 394

De sacramento Pœnitentiæ. 401

De sacramento Extremæ vnctionis. 422

Appendix tertia.

Appendix quarta.

Pars prima.

Pars secunda.



SANCTI

SANCTI CAROLI BORROMÆI CARDINALIS TIT. SANCTÆ PRAXEDIS, ARCHIEPISCOPI MEDIOL.

Orationes sex, in Concilijs Prouincialibus habitæ, & in proœmium huius operis appositæ.



Oratio in Concilio Prouinciali Primo habita.



DEI summo erga nos beneficio factum est, Patres Reuerendissimi, vt Tridentinum œcumenicum concilium, triginta ante annis inchoatũ, sed variè intermissum, singulari Pij Quarti, Pont. Max. pietate, ac prudentia reuocatum, insigni frequentissimorum patrum virtute, atque doctrina, superiore anno mirabiliter absolueretur. Quo in concilio cùm omnia præclarè constituta sint, quæ ad explicandam fidei veritatem, & ad restituẽdam ecclesiasticæ disciplinæ integritatem pertinebant; diuinitùs profectò, Patres, illud decreuistis, vt Concil. Prouinc. quæ iamdiu haberi desierãt, vsus aliquando renouaretur, ex quo certissimum est, Christianam rempub. vberrimos salutis fructus esse percepturã. Et quidem natura, & ratione ipsa ducimur, vt in grauioribus rebus deliberandis aliorum consilia exquiramus; vel quòd cautior deliberatio est, si ad nostrum iudicium multorum sentẽtia accesserit; vel quia apud illos, quibus consulere maximè cupimus, maiorem auctoritatem, & pondus habet consultatio, in quam plures consenserint. Est huius in ecclesia instituti auctor Christus Dominus, magistriq; Apostoli. nã eius certa quidem sanè est illa promissio, cùm suam opem suumq; auxilium, se deniq; ipsum, eiusmodi patrum conuentibus, ritè celebratis, pollicetur, & defert. *Vbi fuerint*, inquit, *duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum:* itemq; *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à patre meo.* Apostoli autem & si doctore Spiritu sãcto vberem omnium rerum cognitionem singuli acceperant: tamen si quid grauius, publicè præsertim, agendum esset, ac consultandi ratone vti consueuerunt, quam vt cæteri etiam conseruarent, lege sanxerunt, vt bis in annos singulos concilia ab Episcopis haberentur. Innumerabiles deinceps sanctiones sunt constitutæ, decretaq; promulgata & ab summis Pontificibus, & à Concilijs tum œcumenicis, tum prouincialibus de retinenda, aut certè repetẽda hac synodorũ consuetudine, quẽadmodũ temporũ ratio postulabat. Atq; vtinam quæ à sanctissimis illis viris culta, & posteritati ad salutem ecclesiæ tradita ratio est, Prouin. Concil. eam nos ad hanc diem piè constanterq; retinuissemus; & quantum illi consilii, & voluntatis ad prodendũ posteris optimũ institutum, tantũ nos pietatis & diligentiæ ad tuendum adhibuissemus. Huius enim consuetudinis intermissio, difficile est dictu, quantas calamitates in christianam rempublicam inuexerit. nam iudicii metu sublato, cùm præter summũ Romanum Pontificem nemo esset, qui à Dominici gregis pastoribus Depositi custodiam, tritici dispensationem, vineæ cultum, & villicationis suæ functionem recognosceret, sortem cum fœnore exigeret, & à singulis grauissimi, multiplicisque officii, more

 maiorum,

maiorum, rationem exposceret: tum miserabiliter prolapsa est institutio ecclesiasticæ disciplinæ; tum qui alios in officio continere debebant, maximè ipsi ab officii semita declinauerunt. Hic nota sunt vobis, Patres, ecclesiæ Dei vulnera, quæ libenter prætereo, quia sine acerbissimo doloris sensu nec à me commemorari, neque à vobis audiri posse existimo. Ergo singulari virtute, ac prudentia vestra grauissimis malis remedium inuentum est hac renouatione prouincialium conciliorum: reliquum modò erat, vt sapienter excogitata medicina, ægrotis prouinciis salutariter adhiberetur. Cui nos officio pro nostri Metropolitani muneris ratione, proque amore in hanc vrbem, quam apud nos, & pietatem parentis, & charitatem filiæ obtinere libentissimè profitemur, si per debitam obedientiam licuisset, primo quoque tempore satisfacere studuissemus. Cùm primùm igitur huius rei data est facultas, eam illam summo studio amplexi sumus, eo animo, atque consilio, vt Deo auctore, vobis adiutoribus, obeundi muneris tarditatem, actionum grauitate, & diligentia compensemus. Itaque huc omnes conuenimus, vt ex hac quasi specula singulis prouinciæ nostræ partibus circumspectis, Ezechielis Prophetæ voce diuina admoniti, *Quod perijt requiramus? quod abiectum est, reducamus; quod confractum est, alligemus; quod infirmum est, consolidemus; quod pingue & forte, custodiamus.* Id omne vt præstare possimus, petendum à Deo in primis est summis precibus, summaque vitæ integritate & innocentia, atque in proximos charitate, vt nobis suo lumine præluceat, consilia & actiones nostras sua gratia prosequatur. Quemadmodum autem neminem nostrum, vt cuiusque conditio tulit, aut ætas aut labor, aut valetudo, aut itineris longitudo retardauit, quo minùs in hunc locum frequentes ante statutum diem conueniremus, qua in re priuata commoda communi officio posthabuimus: sic ad ipsam consultandi, & decernendi rationem curandum est, vt integram optimamque mentem, ac voluntatem afferamus, vim publici muneris priuatis commodis anteponamus, eorum vtilitati, quibus præsumus, non nostris rationibus seruiamus. Hoc sanè enim est, non quæ nostra, sed quæ Dei sunt, quærere. Hoc munus pastoris, hoc ducis officium, hæ gubernatoris partes sunt, vt gregi, militibus, naui potissimum prospiciant: nam subditorum salute, præfecti incolumitas continetur. Et quia tria præcipuè sunt, quæ ex Tridentini Concilii auctoritate in prouincialibus conciliis agi, & confici oportet, vt delicta corrigantur, mores ad optimam disciplinam reuocentur, & tollantur, dirimanturque controuersiæ: primum illud erit iaciendum tamquam firmissimum totius ædificii fundamentum, vt omnibus, & singulis, quæ à Sacro Tridentino Concilio definita, ac statuta sunt, palàm receptis, detestantes hæreses omnes, quæ à sacris Canonibus, conciliisque œcumenicis, præsertim verò Tridentino, damnatæ sunt, veram obedientiam summo Romano Pontifici spondeamus, fidemque *Sine qua impossibile est placere Deo,* ex præscripto eiusdem concilii, ac sanctiss. D. N. rõne & formula profiteamur: & ad eius in prouincia nostra tuenda integritatem, id quod ad hanc diem nobis præstitisse videtur Dei benignitas, oportuna præsidia, summamque diligentiam & vigilantiã, pro locorum & temporum periculo adhibeamus. Deinde in delictis corrigendis illa nobis ineunda ratio est, vt pro vi & modo morborum, ægrorumque natura, medicinam accomodemus; nunc leuibus admonitionis & obiurgationis remediis errata castigantes, nunc acriori curatione vtentes, denique exulceratis partibus ferrum & ignem admouentes, quemadmodum mali ratio, & contagionis periculum postulabit, memores semper nos esse patres, non dominos. Morum autem disciplinam facilè restituemus, si, qua ratione, quibusuè factis primùm constituta, diuq; conseruata est, eandem nos in restituenda adhibebimus, illorum vestigia persequentes, qui hanc bonorum amplitudinem nobis Deo auctore, sua virtute pepererunt. Proponamus nobis quæso, Patres, illorum vitæ sanctitatẽ, & in administratione sui officii sapientiam. Erant integri, casti, simplices, modesti, humiles, bene morati, in oratione, & lectione assidui, sui despicientes, in alienæ salutis cura & cogitatione defixi, cõsilio, & opera benigni, hospitales, in domestico cultu

& victu

& victu parci, in alios benefici & liberales. *Erant vigilantes super gregibus suis*, vineam Domini summa diligentia, & labore colentes, & custodientes. Pascebant assiduè oues sibi commissas, triplici salutis cibo; verbo, exemplo, & sacramentis: memores quoque, & imitatores summi pastoris Christi, qui pro vniuerso grege suo sanguinem, & vitam profudit, ipsi pro suarum ouium incolumitate quemuis excipere laborem, subire omnes casus, omnem vim, atque iniuriam perferre, denique vt bonus ille pastor euangelicus, animam suam pro ouibus ponere non dubitabant, nullum inde huius vitæ fructum exspectantes, vt maximos cœlestis retributionis fructus consequerentur. Hæc, si vt debemus, Patres, ante oculos habebimus, facilè intelligemus, quid in restitutione ecclesiasticæ disciplinæ nobis sit hoc tempore agendum. In quo illud etiam animaduertendum erit, vt, quemadmodum in conformanda, & constituenda ecclesiastica ratione, Christus Dominus ab ipsis Apostolis, quos christianæ vitæ magistros esse voluerat, initium fecit: sic nos à nobis ipsis pastoribus, quos viuendi exempla & præcepta aliis tradere oportet, in conformanda restituendaque morum disciplina exordiamur. Hæc officia, si quo debemus studio præstiterimus, parui profectò negotii erit sedare controuersias, id quod nobis Trid. Syn. faciendum proposuit. Nam sublata cupiditate, *quæ est omnium radix*. & semen dissensionum, facile præsentis temporis discordias componemus; nullumque in posterum diffidendi locum cuiquam in prouincia nostra relinquemus. Quare ad piam hanc, necessariamque muneris nostri curam, ac diligentiam, Patres, toto pectore incumbamus: hoc acceptabili tempore, hac die salutis, quam fecit Dominus, enitamur, vt quantum consilio, opera, actionibusque Spiritu Sancto duce, & moderatore possumus, tantum ad constituendam communis prouinciæ incolumitatem afferamus. Amplissima hæc, & nobilissima ciuitas Mediolanensis, charitatem & sapientiam vestram implorat; hanc singuli vniuscuiusque vestrum greges incredibiliter requirunt; tota prouincia re magis, quàm voce deposcit. Hoc optimus & maximus rex Philippus, in cuius regia dignitate, vt verbo complectar, sacerdotalem animum licet agnoscere; hoc cæteri huius prouinciæ principes, de populorum salute solliciti, à nobis desiderant; quorum studia, atque officia non vereor ne nobis sanctisque huius synodi decretis semper adsint, eamque potestatem, quam à Deo acceperunt, ad Dei & cultum, & voluntatem libentissimè conferant. Postulat sacrosancta Tridentina synodus, vt ne tot, tantique labores, à sanctissimis patribus in ea suscepti, breui tempore intereant. Hoc vehementer exspectat Pius Pontifex Maximus, ex illo præsertim die, quo nos ab administratione consiliorum suorum, & procuratione ecclesiæ, ad vos dimisit. Cui date quæso, vt & perfectionis nostræ, & vestrorum laborum vberes fructus deferre possim; præclaras scilicet salutaresque huius concilii actiones. Hoc ipsum exigit vestra virtus, quam in publico orbis terrarum conuentu spectatam & cognitam, nunc in vestrorum populorum vita, ac salute tuenda debetis exprimere. Hoc denique flagitat à nobis Christus Iesus, vt constet sibi ratio officii nostri erga oues, quas, precio sanguinis sui redemptas, nostræ fidei prudentiæque commendauit, & credidit: ne quando sanguinem illatum de manu nostra requirat, si (quod Dei benignitas prohibeat) culpa, aut negligentia nostra eas diripi, aut dispelli patiemur.

Oratio habita in Prouinciali Concilio II.

ET si, quod duce Spiritu sancto, à Tridentinis patribus decretum est vt tertio quoque anno prouinciales synodi habeantur; hæc causa, Patres Reuerendissimi, satis explorata est, & ea quidem iustissima, quamobrem iam tribus post primum nostrum congressum annis, huc iterum conueniremus; tamen si quis rem ipsam attentè intuetur, facilè animaduertet, hoc iterati concilii officium, non solùm Tridentino iussui debitum, verùm etiam & temporum conditioni, & pastorali nostro muneri, & initiis quæ proximo superiori concilio

fecimus, consequens, ac planè necessariũ. Iam cognoscitis, iam scitis, qua in perturbatione Reipub. christianæ status versetur; quàm funestæ hæresum faces in finitimis prouinciis iam diu excitatæ, quàm turbulenti inde in Gallia motus, quàm multæ strages, quot pugnæ editæ sint. quid? quod templa vel augustissima diruta, delubra religiosissimis imaginibus, & signis, & ornamentis spoliata, vasa sacra erepta, reliquiæ sanctorum dissipatæ, sacerdotes & religiosi viri interfecti, sacræ virgines iniuriosius tractatæ, diuina polluta, omnia denique prostrata iacent Quousque tandem irasceris Domine? quousque tandem *vineam, quam plantauit dextera tua*, & populum Christi Iesu filii tui sanguine expiatum, videbimus ita crudeliter, ita fœdè diripi, vastari, dissipari? quousque *cibabis nos pane lacrymarum, potum dabis nobis in lacrymis, & in mensura?* Hæc autem mala, quæ pestifera sunt, quæ perniciosa, & si à nobis interiecto quodam spatio abesse videntur, ita tamen vndique nos circumstant, & in foribus ipsis propè adsunt; vt in singulas horas, vel momenta potiùs timendum sit, ne hæc aquarum vis in hanc prouinciam erumpat, totamque fluctibus suis euertat, nisi Dei ope, & pastorum summa vigilantia occurratur. Verùm alia incommoda sunt, & ea quidem non leuia; quæ, cùm visceribus prouinciæ nostræ hæreant, nos valde admodùm commouere debent. nam & si superiori nostro conuentu, multa auctore Deo decreuimus, multaque post pastoralibus nostris vigiliis egimus, vt benè constituendæ huius prouinciæ signum aliquod sustulisse videamur: tamen multi adhuc sunt inueterati morum errores, & alia item, quæ à nobis cùm emendationem planè desiderent; in iis corrigendis nostræ curæ, ac sollicitudines hoc tempore euigilare debent. ea est enim horum temporum conditio. vt homines, alij mundi potiùs, quàm Dei amatores, animum iis rebus adiungant, quæ ad diuitiarum in primis, & carnis sollicitudinem curamque spectant; alios verò alijs illecebris, alijs fallacijs, quasi vinculis quibusdam irretitos teneat perpetuus ille humani generis hostis, qui *tanquam leo rugiens, mortales circumit, quærens quem deuoret.* Si denique prouinciam vniuersam lustramus, omnia *ad carnis occasionem*, reclamante Apostolo, traducta, in eo statu esse cernimus, vt adumbrata quædam, non solida illa, veraque pietatis christianæ species retineri videatur. Hæc mala quidem intestina cùm sint, & si illis, quibus finitimas prouincias afflictas diximus, genere inferiora; eiusmodi tamen sunt, ex quibus cum argumenti cuiusdam species, vulgi iudicio, hæreticis subministrari videtur ad suos tuendos errores; tum etiam (id quod Deus auertat) fieri facilè posset, vt hominibus nostris, si in conscientiæ prauo habitu eos obsordescere patiemur, quasi fores aperirentur, aditusque patefieret ad nefariam hæresum labem. idque cum ex multis aliis, peneque innumerabilibus exemplis, tum vel ex hoc vno potissimùm cognosci licet, quòd populus Israeliticus cùm in conuiuiis, & comessationibus, viuendique licentia versaretur, impura conscientia inquinatus, procliuiùs quidem delapsus est ad perniciosissimum idolorum morbum. hoc ipsum Apostolus Paulus cùm animaduertisset, Timotheum discipulum propterea illis verbis admonuit: *Conscientiam bonam habe, quam multi repellentes, in fide naufragauerunt.* Vnde tandem, Patres, tot veteres hæreses, quæ olim restinctæ in hæc tempora inciderunt, nisi ex deprauatis, contaminatisque gentium moribus? vt enim vetus aliquis morbus recrudescit, si recenti vel leuissimo malo corpus afficitur: sic hæresum pestem, quibus iam ecclesia variis temporibus vexata est, antiquorum patrum virtutibus, tanquàm salutaribus remediis olim compressam, nostrorum temporum corruptela, quasi veterem morbum iterum ingrauescere videmus. In hoc igitur rerum discrimine videte, quanta nobis, qui christiani exercitus antesignani, & animarum medici sumus, necessitas imposita esset, vt concilium iniremus; quò plures, & ad propulsanda pericula, & ad sananda vulnera, in vnum Spiritu sancto duce conuenientes, à *Deo misericordiarum, & patre consolationis*, auxilium facilius imploraremus; tum etiã quò cautiùs res multorũ

iudicio

iudicio, & consensu constitutæ essent, eò promptiori animo, propensiorique ad obediendum voluntate ab iis susciperentur, quorum saluti maximè consulere debemus. Hoc nostrum munus est, hoc nostrum officium, Patres. etenim si in episcopalis dignitatis excelsa sede collocati sumus; tanquàm è specula quadam pericula prospicere, eaq; propellere nos oportet, si quæ iis imminent, qui in nostra fide, nostraq; cura conquiescunt; si parentes item, filiorum incolumitati paternam curam adhibere; si pastores, ab ouibus, quas sacrosancta sua morte Iesus Christus ex inferi faucibus atque ore eripuit, nunquàm oculos deiicere; & si quæ impura vitiorum labe extabescunt, salis acrimonia sanare; si quæ demum in morum tenebris aberrantes sunt, iis prælucere debemus. nam vt summus ille rerum opifex, principio cùm cœlum quod intuemur, effecit, stellarum multitudine ornauit, quæ solis splendore illustratæ, in nocte super terram lucerent: sic in spirituali huius sæculi renouatione, prout in ecclesia, tanquàm in quodam cœli firmamento, Prophetas, & Apostolos, Pastores, & Doctores, qui quasi stellæ, sempiterni illius solis Christi Domini lumine illustrati, huic tenebricosi sæculi caligini præessent, & ab humanis mentibus tenebras depellerent, quodam illustris, sanctæque disciplinæ splendore. Hos igitur, quos cœlestis sapientia pastores esse, & in Apostolorum tanquàm in parentum locum succedere voluit; *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*, inquit Propheta; quid est, cur eos parentes, eos duces, eos magistros non imitemur? illi in constituenda nascente tunc christiana Repub. in maximisque rerũ difficultatibus, hac conciliorum ratione vsi, cùm confusam illam, errorumq; tenebris implicitam mundi faciem, euangelicæ disciplinæ lumine illustrarint; tum ad eam restituendam exemplum nobis præbuerunt, vt in tanta scilicet rerum perturbatione, & in hac tetra peccatorum caligine, nos qui eorum locum tenemus, *osque Domini sumus, & à quorum labijs; tanquam ab Angelis Domini exercituum, populi legem requirunt*, à fonte lucis spiritu sancto, in cuius nomine hodierno die congressi sumus, salutares vitæ leges haurientes, doceamus prouinciæ nostræ homines, *ambulare vt filios lucis, & afferre fructus lucis in omni iustitia, & bonitate, & veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo, nec communicantes operibus infructuosis tenebrarum*. Nec verò existimemus, Patres, muneris nostri partes omnino expletas à nobis esse in iis, quæ tribus antè annis hoc ipso in loco multa constituimus. quoniam si rem omnem ita spectamus, quemadmodum sanè debemus; opus ministerii nostri inchoasse quidem, sed perfecisse certè non videbimur: at verò est cur expleamus; ita rerum status postulat, ita sæpè multis locis vnumquemque nostrum Apostolus monet: *Vide* inquit, *vt ministerium quod in Domino accepisti, expleas. dedit enim Pastores, & Doctores in consummationem sanctorum, in opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi*, Ergo si ad consummationem, & ad perfectam quandam sanctitatis disciplinam tota ministerii nostri ratio spectat; inanes profectò conatus nostri, frustraque suscepti essent labores, iactis primùm illis fundamentis; nisi reliqua, quæ ad ædificii exstructionem, & consummationem desunt, perfici contendamus omni summo studio. Nam quo tempore huc primò in concilium conuenimus; populis nostris, *tanquam paruulis, aut certè infirmioribus, si præter lac escam dedimus*, at solidiorem cibum tum præbere vix potuimus; idque Christo Domino magistro, qui multa cùm haberet quæ Apostolis diceret, non omnia tamen vno tempore eos docuit; proptereà quod ad ea portanda tunc sanè essent minus idonei. Et quemadmodum is longo temporis progressu, tum excitatis sanctorum Patrum mentibus; tum sacrosanctis habitis conciliis; ecclesiam suam doctrinæ splendore in dies magis atque magis illustrare voluit; cùm vel momento temporis idipsum præstare potuisset: sic nobis qui matrem ecclesiam colimus atque obseruamus, illud ab eius benignitate sperandum est, vt & nunc, & in posterum, prout temporum ratio requiret; ea patefaciat, atque aperiat, quæcunque superioris nostri concilii temporibus non opportuna, ipsius Dei spiritus nobis non suggessit, vt illa fidelibus nostris tunc traderemus. Illud præterea accedit, quòd quemadmodum agricolis vsu sæpè venit, vt postquam

quam semel agrũ benè coluerint, eumque à rubis, inutilibusque herbis purgarint, vites putarint, & arbores interlucarint, nisi crebrò eandem culturam adhibuerint, ager qui illorum studio enituit, horridus incultusque fiat; sic fideles qui *agricultura Dei sunt*, vbi nostris vigiliis, ac studiis, quæ superiori concilio adhibuimus, ad aliquem nitorem adducti sunt, nisi sæpius ad ea quæ post succreuerunt, amputanda redeamus, facilè ille pristinus cultus temporis progressu horrescit: tum si quę etiam deprauata consuetudo diuturnitate fulcitur, ita altè radices egit, vt velut hedera latè sese diffundens, sæpe vix, aut ne vix quidem euelli queat, itaque cùm in perpetua quadam agri dominici colendi ratione, nostrũ munus penè totum positum esse debeat, diligentes agricolas vnicuique nostrum imitandos Deus apud Hieremiam proponit his verbis: *Ecce constitui te super gentes, super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Quòd si fortasse pauca erunt, quæ nostris aliis constitutionibus addi oportere videbũtur, vtilitas tamẽ nõ parua, neque exiguus fructus ex hoc ipso concilio existet; si nos superiora decreta in conspectu, quasi in speculo quodã habentes, contemplabimur; si quę, vel nostra qui iussimus, vel aliorũ quibus iussũ est, culpa contracta est in illis exequendis; aut si quæ sunt, quæ certis quibusdam causis nec per nos, nec verò per illos prẹstari adhuc licuit: hocque pacto, tum si quid culpæ admissum est, quoniam officio nostro ante defuimus, id sedulò emendemus, tum difficultatum ratione hoc ipso in loco agitata, & diligenter explicata, adhibeamus quæ opportuna erunt remedia. Habetis igitur, Patres Reuerendissimi, causas, quare huc iterum conuenimus; tum etiam intelligitis, quàm grauis rerum tractatio nobis proposita sit; quæ tota ad sananda huius prouinciæ vulnera, ad pericula animarum propulsanda, ad discutiendas morum tenebras, ad agri denique dominici cultum pertinet: idque planè omne quantum in nobis est, ita præstare debemus, vt primùm quæ semel per nos decreta sunt, ea nos quo maximo possumus, & quo certè debemus studio exequi contendamus: deinde si omni pietate, certaque animi deliberatione in hoc ipso cõuentu supplete studeamus, quęcunque superioris concilii decretis desunt, ad restituendum illum propè deflorescẽtis christianæ pietatis cultum: post si quæ vitiorum zizania tribus ab hinc annis subdolus ille operarius Satanas in hac Prouincia cõseuit, operã demus, vt eorum stirpes studiis nostris omnino conuellamus. Iam hic duce Spiritu sancto adsumus, Reuerendissimi PP. vt prouinciale nostrũ Concilium iterũ celebremus: in qua muneris tractatione, nos pro rei grauitate, animo menteque reputemus, quę nobis potissimùm proposita esse debeant. Ac primùm quidem perspicuum est, quàm turpe, quàm detestabile sit, in eo quod *Christi legatione fungimur*, Deique ministri sumus, si nõ Christum ipsum, *non quæ Dei sunt, sed quæ nostra quæramus*, oportet igitur nos, depositis cupiditatũ nostrarũ perturbationibus, oculisque mentis in cœlum cõiectis, nõ vtilitates nostras, non cõmoda, non hominũ honores spectemus, nõ rebus nostris, non popularibus studiis, non laudi, non gloriæ nostræ, sed Christo seruiamus, cui omnẽ gloriam, omnem laudem, omnẽ honorẽ debemus. Neque enim est, cur aut nobis ipsis, aut hominibus placeamus; siquidem quis inde fructus, si nos ipsos amantes, animæ nostræ iacturã faciamus? ecquæ vtilitas nobis existet, si iram Dei in nos concitantes, hominum beneuolentiam populari quadam indulgentia conciliemus? Audiamus Paulum clamantem: *si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Dissipat autem Deus ossa eorum, qui hominibus placent.* inquit Propheta. Ergo ad Dei voluntatem, tanquàm certam normam, consilia, cogitationes, studia, & actiones nostras dirigamus. Deinde hîc eo animo, eaque mente adesse debemus; vt non coacti, sed spontè, liberaque voluntate; non vt in plerisque actionibus fieri solet, aut cõsuetudine, aut quadam officii specie, nec fictè, nec simulatè; sed vera, solidaque rerum agendarum deliberatione rem omnem tractemus: ita vt non adumbratam quandam, sed expressam illam disciplinæ christianæ formam, afflante Spiritusancto, decretis nostris restituere curemus, quam nascente Ecclesia instituit *viuus sermo Dei, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus*, compagum quoque, ac medullarũ, & discre-

tot cogitationum, & intentionum cordis: nam si vitiorum semina non funditùs tollere studemus, sed satis id esse putamus, vt externa quædam tantùm, quæ oculis offensionem in vulgus præbent, quasi leui manu emendemus; id nobis eueniet quod agricolis: qui dum herbas inutiles radicitùs euellere negligunt, quæque solùm è terra extant, amputant, ne agrum quidem à stirpibus noxiis purgant; sed etiam, quod planè nolunt, id sanè efficiunt, vt vberiores paucis post diebus emanent. Nec verò est, cur à muneris nostri ratione deterreamur; vel quia his pastoralibus nostris studijs, actionibusq; animos eorum exulcerari videamus, qui filij sunt perditionis; vel quia populares illæ, quibus quasi ficus foliis deformes, prauiq; mores contegi solent, voces audiantur. Non ferunt hæc tempora veterum canonum seueritatem; sic iamdiu viximus, sic vixerunt, ita egerunt qui ætate antecesserunt; vitæ institutum nihil est quòd mutemus. At nos hæc, atque adeò alia eiusmodi contemnamus, proponamusq; nobis ob oculos libertatem illam spiritus & virtutem, qua armati Patres nostri Apostoli, qua muniti Martyres, qua instructi nostri ordinis sanctissimi homines, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius huius Ecclesiæ antistes, qua affecti alii religiosi viri, apostolico quodam animorum ardore flagrantes, nullis non minis, non hominum clamoribus, non furoribus quasi tribunitiis fracti nec debilitati, pro Dei gloria, pro gregis commissi salute, forti, constantiq; animo adhibuerunt, illam quasi censoriam virtutem, acerrimam peccatorum vindicem Eorum ferè exemplo adducti nos quoque apostolica illa constantia, & euangelica virtute, qua vna nihil est in ecclesiasticis pastoribus illustriùs, nihil magis necessarium, sine metu, & constanter certè agamus, atque adeò perficiamus quod Euangelium docet, quod Christus iubet, quod ratio præcipit, quod gregis salus, quod Ecclesiæ auctoritas, dignitasq; postular. Nam si contra à nobis fiet, in formidoloso illo Dei iudicio, cum animarum, quæ in fidem & curationem nobis traditæ sunt, rationem reddemus, tum aliorum nos accusantium vociferationes, & irati iudicis, nos item acerbè obiurgantis, eas voces audiemus: si speculatores eratis; cur cæci? si pastores; cur gregem vobis commissum errare permisistis? si sal terræ; quonam modò euanuistis? si lux eratis; cur *sedentibus in tenebris, & vmbra mortis* non illuxistis? si Apostoli; cur apostolica virtute non vsi, cuncta egistis ad hominum oculos? si os Domini; cur muti? si vos huic oneri impares esse sentiebatis; cur tam ambitiosi? si pares; cur ita desides, ita negligentes? nihil vos Prophetarum voces, nihil Euangelij leges, nihil Apostolorum exempla, nihil pietas, nihil religio, nihil Ecclesiæ labentis status, nihil hic formidolosus iudicij dies, nihil præmia, nihil supplicia, æterniq; cruciatus mouerunt? Has horribiles irati Iudicis voces nobiscum, Patres, animo menteq; reputemus; vt ijs, atque adeò alijs excitati, in hac sacrosancta tam grauium rerum tractatione, non remissè, non leniter, non timidè, non negligenter, non dissimulanter; sed syncerè, & constanti sanctaq; sollicitudine, Deum solum spectantes, quod in nostro officio, nostroq; munere positum est agamus, & perficiamus duce Spiritu sancto, omnium actionum, & consiliorum moderatore. Cui gloria sit & honos sempiternis ætatum sæculis. Amen.

Oratio habita in Prouinciali Concilio III.

TERTIO iam adsumus, Patres sanctissimi, hoc ipso loco, vbi superioribus annis semel atque iterum Spiritu sancto duce congressi, in eam curam incubuimus, vt in hac prouincia, pastoralibus nostris studijs succurreremus animarum saluti, & opitularemur pietatis cultui, iam penè deflorescenti. Quo in genere & si à nobis vel plurimum elaboratum esse videtur; tamen si animaduertimus, prouinciæ huius status, quem vos etiam optimè nostis, is est, vt multa adhuc desint ad operis à nobis inchoati consummationem & perfectionem. Primùm enim superioribus nostris decretis non omnis erepta est morum corruptela; neq; planè omnis instituta christianæ disciplinæ ratio; quæ vobis, qui adestis, vnà mecum expetenda est. Deinde, vt est hominum genus ad carnis sensum procliue; sæpeq; præceps fertur ad peccandi licentiam, alij post priores illos congressus nostros sensim in dies irrepserunt morum errores. Præterea

quæ olim à nobis sancita sunt; ita se habent, vt vel nostra, vel aliorum culpa, illa executi simus non planè omnia. Si quæ autem executionem habuerint, vel pauca, vel multa illa sint, vereor, vt libere dicam, ne ea externa potius quadam specie attigerimus, quàm intimi animi sensibus, vereque amplexi simus. Atque hic quidem est rerum nostrarum status. Videte igitur quæ illa sint, quibus auctore spiritu sancto, qui spiritus est veritatis & consilii, hoc ipso conuentu nos tum mente optima, tum salutaribus deliberationibus consulamus oportet; vt aliqua ex parte exsoluamus, quod & Christo domino, & nobis, & clero, & populo nostro debemus. Propositum igitur nobis sit, Patres optimi, magnum quiddam esse, ac perfectum, quod præstare debemus: idque nos vix, aut ne vix quidem inchoauimus, ne dum absoluimus; cùm certè non licuerit. nam quemadmodum reliquis in rebus nihil potest statim esse perfectum, sed necesse est, vt initium fiat ab aliquo rudimento, atque paulatim ad summum perueniatur; ita opus, quod superioribus annis aggressi sumus, non potuit eo tempore statim peruenire ad eam, quã quærimus, & debemus, necessariam perfectionem. Quòd si quis nostrum secùs fortasè existimat; quoniam in hac prouincia aliquod maius pietatis christianæ studium elucere videt, quàm antea solebat, quàmque in aliis fortasè quibusdam locis apparet: næ iste planè quidem fallitur, non est enim cur nos vel cum iis quæ proximè antecesserunt, temporibus, vel cum aliorum, siue mali illi sint, siue aliquo christianæ virtutis gradu præditi, factis, actiones nostras expendamus: sed comparemus oportet cum ea sanctè agendi formula, nobis diuinitùs præscripta; quæ si ob oculos versabitur, facilè cernemus, quàm longè ab ea distemus. Procul certè absumus, Patres. Est igitur cur properemus; & ita properemus, vt quod semel aggressi sumus, perficiamus, *aspicientes, in auctorem & consummatorem operis, nobis commissi, Christum Iesum.* Is, quid non attigit, quid non egit, quid non perpessus est, vt quod ei pater cœlestis dedit, opus consummaret? quid illa crucis ara, in qua redemptionis mysterium peractum est, loquitur? quæ mens, qui sensus Christi laborum? quorsum illa verba, *Consummatum est?* an non operis, quod susceperat, perfectionem? an non consummationem indicant? Num Christi magistri exempla, num voces nos commonent? an commouent potius? certe quidem. Ergo pergamus ad consummationem: & quod operi nostro deest, perficiamus; ac ita quidem, vt cùm nos *Episcopos Deus dederit ad opus ministerij in consummationem Sanctorum, tamquam angeli eius. & missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, non modò purgemus, & illuminemus, sed perfectos reddamus eos, qui in custodiæ nostræ fidem traditi sunt. Altera præterea causa est, Patres, quamobrem huc tertiò nos conuenire oportuit, nam ea est satanæ fraus, ea deprauata hominum natura, eæ mundi illecebræ, vt si quid superioribus nostris sanctionibus communiuimus, in altera eiusdem rei parte violari soleat ecclesiæ disciplinæ institutio; ita vt alio rursus opus sit præsidio. quemadmodum enim fluuius, ab vna parte aggeribus munitus, in alteram sæpe erumpit; itidem vsu venit in sanciendis morum legibus. Si qua igitur parte, vel clero, vel populo, superioribus rerum sanctionibus obstructus aditus est ad peccandum, alia tamen inuenitur via, quã præcludamus oportet hoc nostro synodali studio; quod cum in hoc genere multum esse debet, tum plurimum etiam in eo, quod tertio loco à me propositum, iam breui exponam. Scitis, Patres, quæ superioribus conciliis præscripsimus nobis de frequenti sacrificii oblatione, de dignitate ab Episcopo retinenda, de suppellectili, frugalitateque Episcopali, de pastoralibus officiis, de familiæ nostræ institutione, de cleri disciplina, de gregis commissi gubernatione: illa omnia vt acta sunt à nobis fortasse diligenter; sic certè nostrũ fuit, & est, eadem exequi vel diligentissimè. parum est enim optimo consilio decernere; nisi quod decretum est, sedulò præstetur. nam vt scientia debet esse cum virtute copulata; sic decretorum constitutio, cum executione in primis coniuncta: alioquin paruam affert vtilitatem, vel certè nullam. itaque cùm operis nostri suscepti ratio conficiatur & quasi constetur duabus his partibus; legum scilicet optimarum, & sanctione, & executione; in

hac nos fideles esse oportet, in illa prudentes: si prudentiam in sanciendo præstitimus, fidem exequendo præstemus necesse est; vt & prudentes, & fideles serui inueniamur. Executio autem nostra omnis sit oportet, Patres, tum perfecta, tum vera; perfecta quidem, vt decreta omnia, vel ad nos, vel ad alios pertinentia, exequamur: exequamur autem verè, non externa sola specie, sed ea fixa animi deliberatione, vt in veritate nos ambulantes, & ad Dei gloriam, & ad animarum salutem vberrimum fructum afferamus ex iis rebus, quas solido agendi studio exequimur. Alioqui si contra quidquàm agimus, id quoniam non vlla quasi radice fixum hæret, statim diffluit, statim euanescit. Quare agite, Patres sanctissimi, munus nostrum expleamus, vt quam debemus sanctam sollicitudinem, quantum in nobis est, præstemus, tum ad operis nostri inchoati perfectionem, tum ad omnem ecclesiæ disciplinæ rationem in hac prouincia communiendam, tum ad superiorum nostrorum decretorum leges, easque verè, atque omninò exequendas. *Spiritus autem Dei habitet in nobis*, is *spiritus veritatis*, quem in Euangelio, quod modò recitatum est, se Dominus missurum esse promisit, mentibusque nostris lumen præferat, quo omnes muneris nostri pastoralis partes dirigamus in perfectionem & finem, quò spectamus, Christum Iesum. Cui laus & gloria sempiternis ætatum sæculis. Amen.

Oratio habita in Prouinciali Concilio IIII.

QVOVSQVE tandem Concilia prouincialia toties conuocata? quorsum & tot constitutiones, & tot decretorum vincula? Vulgaris vox, Patres sanctissimi, ac sicut ne tacita quidem cogitatione religiosæ mentis digna, longeque à sensu Episcopalis vestri animi aliena: ita hominum vel impiorum est, ecclesiam Dei oppugnantium; vel christianorum, christianam disciplinam abhorrentium: vel imperitorum, planeque nescientium, quantas vires habeat frequens synodorum actio atque vsus; vel illorum sanè, qui angusto paruoque animo omnia metiuntur. Porrò nobis, Patres, est illud certum atque exploratum, hominem diuina lege, quasi sepimento vallatum, vt est is tum summa naturæ imbecillitate, tum immensa cupiditate, sæpè labi, sæpeque ab officii semita deflectere; proinde plurimis & conciliis, & institutis, & decretis opus esse; quibus quasi sanctissimis vinculis ille adstrictus, à recto cursu non declinet; aut aliquando digressus, iisdem adiutus in viam salutis redeat. Et quod caput est, vt salutaris huius conciliorum instituti auctor est cœlestis magister Christus Dominus; sic Apostoli eo sæpissimè vsi, lege etiam sanxerunt, vt bis in annos singulos concilia ab Episcopis haberentur. Quod deinceps & innumerabilibus summorum Pontificum sanctionibus, & conciliorum tum œcumenicorum, tum prouincialium decretis communitum, & frequenti ecclesiæ vsu consuetudineq; diu retentum, eiusmodi fuit; quo aditus patefactus est, non modò ad tradendam, verùm etiam ad perpetuò colendam, perpetuisq; progressionibus augendam omnem ecclesiasticæ disciplinæ rationem. At verò vbi id aliquando intermissum, aut planè omissum est, vix dici potest, quot, quàmque graues calamitates rei christianæ publicæ importatæ sint. Propè perierat Christianæ vitæ institutio, conciderat penè rerum salutarium vsus, nulla ferè cleri disciplina, quasiq; nullum populi in charitatis officiis studium, prolapsus denique miserabilem in modum erat totus ille ab euangelii luce dimanans christianarum virtutum ornatus. Quid? ii, qui alios in officio continere debebant, maximè ipsi à muneris debiti cura deflexerant. Atqui hæc vel vna solùm recordatio satis nos commonet, atque adeò commouet, vt in tuendo synodalium Episcopaliumq; conuentuum vsu, tantum pietatis, constantisque diligentiæ ponamus, quantum sanè voluntatis & consilii ad prodendum posteris optimum institutum sanctissimi illi viri adhibuerunt. Sacra præterea œcumenica Tridentina synodus salutare illud institutū salutariter ita renouauit, vt si minus bis, aut semel saltem singulis annis, quemadmodum illi censuerunt; at certè tertio quoque anno prouinciales synodos & conuocari, & celebrari decreuerit. Id sanè verò nos benè iuuante Deo, cùm semel, iterum, ac tertiò executi simus, est etiam cur idem perpetuò præstemus. Multa, Patres, nostris superioribus conciliis desunt, ad perfectam illam, quam

quam magnoperè expetere debemus, populi christiani disciplinam: alia item in eisdem decreta sunt, quæ communiri oportet; alioquin operis à nobis inchoati iacta fundamenta breui corruerent: alia item abhinc triennio suborta esse possunt corruptelarum semina, quæ nostra cultura conuellenda sunt, tum vitiorū spinæ succrescentes amputandæ. Hæc tria proposita quidem nobis esse debent: sed illud etiam profectò est, ad quod cum semper, tum maximè in hac quarta prouinciali synodo omnes cogitationes, consilia, studia, conatusque nostros dirigi admodum cupimus, & à vobis totis in Christo visceribus expetimus; vt decretis iam sancitis, quæ adhuc executionis operam à nobis postulant, omnino exequendis, certam explicatamque rationem ineamus. Quarè cum Tridentinas sanctiones, tum superiorum conciliorum constitutiones, in conspectu, tanquam in speculo quodam habentes, diligenter videamus, quæ in executionis munere officia nostra prætermissa, quæ ita non præstita sint, vt sanè debebamus pro gloria Dei, proque populi nobis commissi salute. Iam modò est, Patres, vt hoc ipso loco, tanquam in augustissimo theatro, spectemus illas muneris nostri partes, quas clero, quas populo, quas ecclesiis fidei nostræ commissis religiosa sollicitudine debemus. Hoc autem cum semper nobis ob oculos versari debet, tum certa illa, in nostris, & cleri, & populi moribus sanctè conformandis deliberatio, quam salutaris conciliorum actio deposcit, perpetuò à nobis afferenda est; maximeque hoc ipso tempore; tempore autem iubilæi, *acceptabili, & hac die salutis, quam fecit Dominus.* Iam populi cœlesti eo dono excitati, in officiis atque exercitationibus pietatis religiosiùs versantur; certatimque christianis virtutibus operam dant: quinimmo, qui in inueterata quadam peccandi consuetudine obduruerant, suscepta aliqua vitæ emendatione, animum penè in malè agendo obfirmatum ad christianarum virtutum studium flexerunt. Ergo quid nobis, qui populorum patres, qui medici, animarum saluti prospicere debemus, in hac ardentissima, piaque omnium voluntate agendum erit? an non in omnes episcopalis officij partes nos excitabimus? an diligentiam nostram acuemus? an in spiritualis vitæ disciplina in dies augenda inuigilabimus? certè quidem. Hoc ipsum sanè non modò postulare, sed flagitare videtur exspectatio populorum: qui in fide curaque nostra conquiescentes, ex nostris his Episcopalibus conuentibus salutare adiumentum se consecuturos esse sperant, & confidunt quidem certè. quid eorum preces? quid oratio? quid frequentior concursus loquitur? quæ mens? qui sensus? quæ cogitatio illorum? Hic, patres sanctissimi, antè oculos ponite ingentem huius prouinciæ hominum multitudinem, suæ salutis studio flagrantem, nostrisque monitis vehementiùs excitatam, tum superioribus diebus, tum hoc potissimum tempore, quo in hac salutari conciliarium rerum tractatione nos causa sua versamur, vbique & in vrbibus, & in oppidis, & in ipsis vicis frequentissimam, pietatis exercitationibus deditam. Videte sacerdotes pro nobis ad altaria supplices: videte vniuersum penè populum piè deprecantem: videte virgines & viduas, demissè ac religiosè orantes: videte innumerabiles homines sacram communionem sumentes; & alios profusis lacrymis, pio gemitu, iteratisque vocibus, Dei misericordiam, sanctorumque patrocinia implorantes, Considerate animo hanc vnam omnium obsecrationem atque orationem, summa tacitæ mentis contentione ad cœlos vsque emissam. Quousque tandem, Pater cœlestis, parturimus, neque adhuc tamen parimus? cogitata optima concipimus? at factis non exprimimus. Tu Domine ad rectè agendum nos vocas, atque excitas; at languescimus: præclarè aliquando inchoamus; at non perficimus: cœlestes illas coronas, gloriamque sempiternam expetimus; at labores, crucemque refugimus. Quo tandem tempore seriò agemus? quando verè adiuti, cursum vitæ rectæ tenebimus? Respice summe pater, *nos oues pascuæ tuæ; non auro, & argento, sed pretioso sanguine filij tui redemptas.* Tu nos tanquam pretiosum depositum, horum curæ fideique commisisti; tu hos nobis duces, magistros, medicos, pastores, patres constituisti; ác proinde illis, eorumque dictis audientes nos esse iussisti: tu rursus illos, vt pote *de animabus nostris rationem aliquando*

quando reddituros pro nobis inuigilare voluisti? da quæsumus illis, iam causa nostra in Concilio congressis, de salute nostra sollicitis, remque nostram agentibus, vt te vnum spectent; *non sua, sed quæ IESV CHRISTI sunt, quærant*; ac suæ & nostræ saluti seruiant: præfer lumen mentibus eorum; ac dirige voluntates & ad salutaria consilia suscipienda, & *ad dandam nobis, plebi tuæ, scientiam salutis, & ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Sicque illi sanctè agendo, & nos eisdem obediendo, omnes ad cœlestem patriam ad quam vocati sumus, adiutrice tua gratia perueniamus. Hæc, Patres, populi fidei nostræ commissi à Deo supplices petunt: hæc eadem rursus nobis proponamus; hæc assidua, paternaque sollicitudine meditemur, atque procuremus. Hæ sunt animæ, quarum salutem Deus vt procuraret, non angelum, non archangelum; sed vnicum filium CHRISTVM IESVM misit: qui hinc in cœlum abiens, quam diligentissimè earum curam beato Petro commendauit, his tertiò repetitis verbis: *Simon Ioannis, diligis me plus his? pasce oues meas.* Qua verborum formula etiam vnicuique nostrum, qui in sollicitudinis partem vocati sumus, optimam pascendi rationem præscripsit; & charitatem maximè muneris nostri magistram docuit: quam populis in curam nostram traditis, & frequenti verbi Dei prædicatione, & salutari sacramentorum administratione, & vitæ sanctissimæ exemplis, & episcopali eleemosynarum liberalitate, & sollicita oratione, & Missæ sacri crebra oblatione, & diuinorum officiorum cultu, & precibus assiduis, & paternis monitis, & pastoralibus correctionibus, & conciliaribus sanctionibus, & omni denique officio, curaque perenni, per nos præstari voluit. Videte igitur, Patres, curam, sollicitudinem, & vigilantiam nostram; quæ in grege tanta adhibenda est, quantam sanè maximam charitatem CHRISTO deberi omnes profitemur. *Si diligis me*, inquit, *pasce oues meas.* Hoc sanè illustrius veræ erga illum dilectionis testimonium datur, quò maius in omni gregis pascendi ratione studium operaque collocatur. Certè si CHRISTVM, vt debemus, diligimus; si CHRISTI gloriæ seruimus; si CHRISTI regni propagationem cupimus; si CHRISTO gratificari volumus, id præstantissima erga gregem nobis commissum charitate, non verbis declarare solùm, sed factis comprobare nos oportet. Id sanè præstabimus, Patres, si non laboribus deterriti, non difficultatibus labefactati, non satanæ aduersarii colluctatione fracti, ab instituti operis cursu nunquã desistemus: sed diuini amoris igne accensi, omni virtutum episcopalium studio, eò cum semper, tum in conciliaribus actionibus progredi contendemus, vt populum nobis commissum, & purgemus, & illustremus, & perficiamus; hisque perpetuis progressionum laboribus introducamus in tabernacula cœlestia: idque munere & gratia CHRISTI Domini: cui gloria sempiternis ætatum sæculis. Amen.

Oratio habita in Prouinciali Concilio V.

IAM ex euangelio quod modo audistis, Patres Reuerẽdissimi, optimè intelligitis, Apostolos à Christo Domino conuocatos, & ad prædicationem regni cœlestis missos esse cum potestate sanandi morbos, depellendique dæmones. Sunt etiam vobis ex euangelica illa commemoratione perspectæ eius apostolicæ legationis, apostoliciq; officij leges ore diuinæ sapientiæ prę̃scriptæ, rursusque cognitum studium, quod summũ in illis exequendis Apostoli magna cum omnium admiratione præstiterunt. Cùm autem hoc ipso tẽpore Clerus, populusque hic Mediolanensis, vos qui Apostolorum successores estis, ex legibus Christi Domini spiritu in sacro Tridentino concilio decretis conuocatos, vnà mecum ad Concilium prouinciale quintum concelebrandum conuenisse cernit: is modò illius apostolicæ conuocationis, & legationis, quæ Euangelicis verbis commemorata est, quasi speciem quãdam ob oculos propositam intuetur. Christus enim Dominus cùm videret eo tempore turbas, tanquam oues sine pastore huc atque illuc vagantes, varieque disiectas, ac multiplici morborum genere affectas; earum statum pietatis visceribus miseratus, non satis habuit, se vicos, oppida, omniaque loca finitima, & prędicando, & sanando peragrasse: sed in tanta hominum vndique confluentium multitudine, voluit etiam alios euangelicæ prædicationis,

tionis, ac morborum curationis socios adhibere. Discipulos igitur orare iussit: duodecim apostolos conuocauit, eosdemque misit ad illa munera exequenda. Nunc itidem is, qui ab ecclesiæ suæ cura & custodia oculos numquam deiicit. *Erunt*, inquit *oculi mei ibi semper*, cùm è summo cœlo, tanquam ex altissima specula, prouinciam nostram Mediolanensem, præsertim superiorum annorum pestilentia multis partibus vexatam, misereque afflictam cerneret, non tam hominum interitu, quàm spiritualium rerum detrimentis atque damnis, quæ multa inde consecuta sunt, in tanta iactura illam misericordiæ oculis respexit, ac nos euangelii sui ministros excitauit, & ad sanctas orationes precesque concelebrandas, & ad procuranda synodalibus episcopalibusque laboribus remedia. Adfuistis, patres sanctissimi, religiosæ orationi, quam sine intermissione hoc sacro loco in conspectu sacrosancti Claui Iesu Christi Domini habuimus; vt spiritus sancti lumen imploraremus, quo adiuti, prouinciæ nostræ benè gerendæ rationem iniremus, spiritualiaq; damna instauraremus: ob eam ipsam caussam nullus vicus, nullum oppidum, nulla vrbs in prouincia est, quæ ad preces, & ad pœnitentiæ, sacræque Eucharistiæ Sacramentum, & ad alia pietatis christianæ studia atque officia excitata non sit vehementer. Iam verò, Patres, hodie eodem Domini spiritu duce conuocati, hoc loco adsumus, vt & eidem precationum officio, & aliis synodalibus actionibus operam ministeriumque nostrum præstemus. Sperandumque est, Christum Dominum tū preces nostras exauditurum (dixit enim, *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis*) tum etiam nobis in salutari hac tractatione versantibus adfuturum. *Vbi*, inquit, *fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorū.* Omnis porrò hæc concilii prouincialis actio formam illam, vt diximus, exhibet apostolicæ missionis & legationis. Dum enim nostras, nostrarumque ecclesiarum res inter nos mutua charitate conferimus, dum de castissimo diuinorum officiorum cultu disquirimus, dum de cleri populique disciplina inuestigamus, dum & nostrorum, & apostolicæ visitationis in primis decretorum executionem inspicimus, dum rerum multarum collapsam penè institutionem ob oculos ponimus, dum de instaurationis modo consultamus, dū constitutiones alias ad damna resarciēda rectè accōmodatas Spiritu sāctō auctore conficere studemus; vniuersa hæc via & ratio eò spectat, vt istis adiumentis quæ à Deo existunt, mens nostra illustretur, charitas in nobis inflammetur, animarum zelus in cordibus nostris exardescat, animorum nostrorum episcopalis illa vis & ardor magis atque magis incendatur, & quasi nouus quidam spiritus in nobis, qui decretorum prouincialium virtute & auctoritate munimur, excitetur vehementiùs ad improbos omnes spiritus depellendos, ad vitiorum pestem propulsandam, ad sanandas spiritales ægritudines, ad afferendum denique populis curæ nostræ commissis omnē curationem. O salutares episcopalium conciliorum labores! Adest vobis Christus Dominus: actionum vestrarum dux est Spiritus sanctus: vos morum magistri, vos populorum moderatores, vos sanctarum legum auctores. Sapientia vestra Christianæ disciplinæ ratio omnis instauratur; prudētia controuersiæ sedantur; charitate dissidia tolluntur; studio eriguntur manus remissæ; virtute genua dissoluta roborantur; animisque vires adduntur. Quid multis? hæc conciliorum actio, nos ipsos qui Doctoris officio fungimur, qui ecclesiæ medici sumus, docet, instruit, reficit, recreat, exsuscitat. Quam misera igitur superiora tempora, quibus tamdiu intermissa sunt multis partibus, peneque antiquata concilia prouincialia, & synodi diœcesanæ neglectæ! Quo factum est, vt multiplex malorum quasi sylua extiterit: basilicæ incultæ, ornamenta supellectilis ecclesiasticæ penè nulla, cæremoniarum ritus & vsus vix cognitus, diuinorum officiorum ratio penè perturbata, chori disciplina rescissa, functionum ecclesiasticarum munera contempta & spreta, stationes sacerdotales clericalesque desertæ, omnia demum disciplinæ officia abiecta, ac penè deposita: populi præterea institutio deprauata, morum corruptelæ vndique obortæ, festorum dierum veneratio multis peccatis violata, sacrorum locorum cultus multis

partibus læsus, sacerdotalis ordinis dignitas pro nihilo habita, & cuncta denique ad eum statum deducta, vt lacrymis, luctu, commiserationeque digna essent. Vidimus nos, vidimus prouinciæ nostræ faciem deformatã, nec planè à collacrymabili illo templi Ierosolymitani aspectu dissimilẽ: cùm scilicet vastatis & dirutis ab Antiocho rebus omnibus, fortissimus dux Iudas Machabæus templi illius cultum euersum, altare violatum, ianuas exustas, & omnia perculsa ac prostrata aspexit: scissisq; vestimentis, capite cineribus asperso, suspiriis, gemitu, luctuosissimisque vocibus, incredibilem vim lacrymarũ in tãtis augustissimi templi ruinis profudit. Gratias tibi agimus, optime Deus cuius diuino munere Tridentinũ Conciliũ miseris his tẽporibus celebratum est: vnde præter alia quæ reipublicæ christianæ adiumẽta subministrata sunt, restitutus est tandem salutaris ille vsus synodi & diœcesanæ & prouincialis: cuius institutũ auxiliante tua diuina gratia ita suscepimus, vt hodierno die ex Tridentinæ sanctionis præscripto iã quinti prouincialis concilii initiũ faciamus. Non est igitur Patres, cur nostra hac concione concilii prouincialis necessariũ vsum, dignitatẽ, fructus vberrimos explicemus. Vos ipsi intelligitis sacrosanctam œcumenici illius concilii auctoritatem, qua nobis iussum est prouinciale conciliũ tertio saltẽ quoq; ãno conuocare: vos ipsi optimè meministis, per nos de vestro cõsilio & assensu iã certã diẽ cõcilii nostri prouincialis prẹstitutã, perpetuãq; illius indictionẽ deinceps decreto prouinciali esse cõmunitã. Est verò cur vnde digressi sum⁹, ad euangelicã cõmemorationem redeamus; quæ tota nõ solùm huius nostri episcopalis cõgressus cõuentusq; rationẽ, sed etiã munera & officia quæ in eo præstare, aut certè spectare debemus, significare & declarare videtur. Primũ igitur videamus, Patres, cur Christus Dominus, cùm singulos Apostolos ad Apostolicæ legationis munera instruere ac mittere posset, oẽs simul eam ob causã cõuocauit. Qua ex re perspicuũ nobis fiet, quare iã ab initio ferè nascẽtis ecclesiæ institutũ sit, episcopos prouinciæ ad Metropolitanum cõuenire, prouinciales leges sancire, sancitas, ab omnibus qui eiusdẽ prouinciæ sũt, suscipi ac seruari. Vna verò præter cæteras causa est, vt qui in varias diuersasq; mũdi partes ad Euãgelii propagationẽ mittebãtur, eorũ omnium & vna esset doctrina, & vnum apostolicũ munus, & vna apostolicæ vitæ ratio. Quæ sanè res docet, eiusdẽ prouinciæ Episcopos, quãuis distinctis diuersisq; diœcesibus præsint, eodem tamen vnius prouinciæ quasi vinculo deuinctos, vna etiã eademq; disciplinæ ecclesiasticæ ratione, eisdẽ præscriptis legibus, ac morũ regulis, fideles sibi cõmissos ad viã salutis dirigere debere. Id sanè ostendunt, atq; adeò iubent sanctissimorũ patrũ sãctiones, & conciliorũ canones, quibus hoc de genere præter alia illud cautũ est, vt ecclesiasticis institutis Metropolitanæ ecclesiæ se se reliquæ prouinciales diœceses conformẽt. Ex hac porrò cõiunctione, cõcordiq; sollicitudine, & cõiunctissimo studio maxima cõmoda maximaq; adiumenta proficiscuntur, non solùm ad facilem ecclesiæ commissæ gubernationem, sed etiam ad omnem populorum in via Domini progressionem. Hinc enim firmissimũ vniuscuiusq; instituti præsidium, hinc rituum ecclesiasticorum, sanctarumq; consuetudinum perennis conseruatio, hinc disciplinæ omnis robur perpetuũ, hinc rerum salutarium sanctissimum firmamentum, hinc prompta omnium paratissimaque ad obediendum voluntas, hinc præclara illa benè agendi, rectèque exequendi contentio, & religiosa æmulatio. At verò vbi contra res agitur; vix dici potest, quanta inde incommoda, quàm multæ difficultates emanent. Vos conscii estis, patres, quàm vera sint, quæ narramus: sed aliqua ex parte ob oculos ea proponamus. Si quis vestrum est, qui in oratione frequens sit, cœlestium contemplationum studiosus, in episcopali ecclesiæ statione assiduus, episcopalibus item officiis, studiis, & laboribus totus addictus, abstinentiæ ac ieiunio deditus, hospitalis, pauperum, viduarum, pupillorum verè pater & pastor, piorumq; locorum patronus, & sanctorum institutorum sollicitus auctor: rursusque si alius eiusdem prouinciæ Episcopus hæc omnia vel remissè agit, vel negligit, vel quod grauius est, contra facit, vel ab alio Episcopo diligẽter acta minus cõmendat; certè omnia inde incõmodè accidunt non sine grauissimo detrimento. Sed locus hic est, Patres, vt

accendamus nos ipsos, si attentiùs rem ipsam spectamus. Ille, qui optimi pastoris regulas sibi proposuit; prædicationis munus ad Tridentini Concilii præscriptum perpetuò exequitur, Iste, qui dignitatis episcopalis amplitudinē, nō labores; censum, nō onus; vitæ otium, nō perpetuā illā sollicitudinem multis curis implicitā in animo sibi constituit, vel rarò, vel fortassè nunquā verbi Dei pabulum populo ministrat. Ille synodū diœcesanā anniuersariā de more celebrat: hic ne statas quidem clericorum & sacerdotū cōgregationes habet, ne dum synodum conuocat: ille visitationem diœcesanā perenni studio obire cōtendit; hic gregis sui vultum neque agnoscit, nec verò vt ab ouibus agnoscatur, paterna id charitate studet: ille nihil nō agit, nihil nō attingit, vt morū corruptelas eripiat, vt vitia & peccata corrigat atq; emendet, & quoscunque aberrātes ad viā salutis reuocet; hic populari opinione cùm omnia metiatur, hominibus placere vult, peccata hominū dissimulat, sæpeq; causā præbet, quāobrem cōplures à recta deflectāt. At vigilātis episcopi sollicitudo in eo etiam versatur, vt ecclesiarum cultus splendescat; basilicæ sartæ, tectæ sint, omni apparatu instructæ, omni ornatu & pretioso opere illustres, in omnes partes eluceant; diuinorum officiorum pietas florescat; ceremoniarum ritus excolatur; chori instructio omnis nō modò retineatur, sed planè augeatur; clerus ad sacras doctrinas erudiatur; in clericalis vitæ officiis contineatur; sanctissimis legibus, edictis, institutionib⁹ deuinctus, nō modò à flagitiis alienus, sed ab omni suspicione integer purusq; cōseruetur. Quàm dissimilis verò remissi negligentisq; pastoris, ac sibi indulgentis ratio ac forma sit, vos ipsi videtis. Nulla in eius clero ferè disciplina, nulla populi institutio, nulla ecclesiarū instauratio, omnia dèniq;, quæ vndiq; præclara episcopali cura splendescere deberent, in situ & squallore propè iacent. His tam diuersis studiis, Patres, tantum abest, vt qui accenso studio ad optima quæq; ferebatur, eius industria & sollicitudò vehemētiùs inflāmetur, vt aliquando pene restinguatur: sicq; sancta illa æmulatio, quæ tantoperè nobis episcopis expetēda est, & valet plurimū ad omnem disciplinæ propagationem, nulla sit. Accedit etiam aliud incōmodū, idq; maximum; quod perspecta hac dissimili pastorum cura, populi episcopi vigilātis diœcesi subiecti, in obediendo cōtumaciores & difficiliores fiunt; pastori & patri suo detrahunt; eius benefacta sæpè iniquiùs insectantur: monita nō audiunt; & vt est hominum genus procliue *ad quærendas excusationes in peccatis*, alterius remissione & nimia indulgentia abutuntur ad cōtumaciæ suæ & culpæ omnis patrocinium. Tāta igitur dāna ac detrimenta rei christianæ importari perspicimus ex illo dissimili spiritu, quem in pastoribus vnū, vno charitatis vinculo coniunctum, vnoq; sollicitudinis studio incitatū Christus Dominus esse voluit. Ad hoc nos Episcopos is instruit, cùm apostolis in vnum conuocatis, legationem prædicationis Euangelicæ, & ægritudinum curationē hodierno euangelio committit, & certas eis vniuersis regulas apostolici illius muneris præscribit. Quamobrem persuasum iam habeamus, Reuerendissimi Patres, non mediocrem vtilitatem huius prouincialis Concilii Quinti tractatione nos prouinciæ nostræ Deo in primis iuuante allaturos esse, si certam rationem, exploratamque viam planè iam nunc tandem inierimus vt coniunctissimis animis, concordissima voluntate, pari studio, æquali zelo, tanquam vno pastorali episcopaliq; spiritu omnes in eam perpetuam curam incumbamus, vt præscriptas & nobis, & clero, & populo, prouinciæq; nostræ leges, instituta, disciplinamq; omnem exequamur. At tu Domine Deus omnipotens, qui iussisti seniores septuaginta de populo à Moyse conuocari ad ostiū tabernaculi fœderis, illisq; eodem loco commorantibus adesse, atque vnum eundemq; spiritum largiri dignatus es; quiq; apostolis tuis in vno loco cōgregatis Spiritum sanctum tuum misisti, eorum mentes illuminasti, corda vsq; adeò accendisti, vt incredibili ardore inflammati, cùm se diuinæ prædicationis legatos agnoscerent, vno ardentissimo studio, iisdē apostolicæ disciplinæ institutis, toto terrarum orbe illa legatione tā admirabiliter perfuncti sint: nobis hodie nomine tuo in vnum cōuocatis adesto quæsum⁹: mētes nostras diuini tui luminis splendore illustra; bonitate foue, sapiētia rege, moderare; atq; effice, vt nos vno consilio, iisdem vigilantiæ officiis, iisdem monitis, iisdē exemplis,

exemplis, legationis nostræ etiā munera atq; officia exequamur, & ita salutariter exequamur, vt tandem nos, & fideles prouinciæ nostræ, vnū in te effecti, sempiterna illa gloria in te vno Deo perfruamur. Amen.

Oratio habita in Prouinciali Concilio VI.

DIVINÆ erga nos Misericordiæ munere singularique dono, iam Concilium prouinciale sextum, Patres sanctissimi, concelebramus. Hæc ipsa Concilii prouincialis vox, nobis qui ob eam causam duce Spiritu sancto hic adsumus, rem magnam, grauem, in oēs partes maximè vtilem, salutarem prouinciæ rationibus, atq; adeò omnis ecclesiasticæ disciplinæ vsui instaurationibusq; necessariam significat & planè ostendit.

Hæc quidem actio prouincialis, ab apostolicis vsq; temporib⁹ diuinitus instituta, & diuturna ecclesiæ consuetudine in omnes terrarū partes deriuata, sanctionibus Pontificiis corroborata, œcumenicis conciliis cōmunita, olim florentissima fuit. Quo factū est, vt ea iam pridē in omni prouincia fructus tulerit & vberrimos & maximos. At verò vbi intermissa vel neglecta fuit, quanta & quàm grauia damna inde importata sint rei vniuersæ Christianæ, non est cur plurib⁹ explicemus; res ipsa loquitur. Ijs autem detrimentis sacra Tridentina synodus vt tandem occurreret, salutare conciliorū prouincialium institutū renouauit: quod nos ex illius præscripto cùm sæpenumero operante Domino adhibuerimus, aliquos illius fructus experiundo cognouimus. Et verò quorsū sanè refertur omnis prouincialium Episcoporum conuentus? an nō ad res quæ non modò sunt vtiles; sed quæ longè omniū grauissimæ? Agitur in eo gloria Dei, agitur salus animarum, agitur institutio cleri, agitur disciplina populi, agitur deniq; spiritualium ægritudinū curatio, nobis qui in Apostolorum locum successimus cōmissa, vt ex Euāgelio iā modò audiuim⁹.

Est porrò curatio hæc multiplex, & latè prætereà patet. magnū sanè negotium ac graue, in vnius tantùm animæ (pro cuius salute Christus Dominus sanguinē profudit) curam incumbere: multò grauius, plurimos variè languētes sanare; longè grauissimū, prouinciæ vniuersæ amplissimæ & ægrotanti medicamēta opportuna apponere: sed infinitis partibus difficillimū est, morbis qui vnius episcopi studio vix aut ne vix quidē aliquando curari possunt (cùm pænè insanabiles sint) remedia adhibere: quæ cura maximè ad Prouincialium Episcoporū cōuentum, tanquam ad aliquod sapientū medicorū collegiū pertinet. At cùm *omnis Pontifex ex hominibus assumptus, & ipse circumdatus sit infirmitate;* ægritudinū quoq; nostrarū episcopalium curatio, cuius magna ex parte in synodis Prouincialibus ratio habenda est, explicari non omnino potest quàm grauis quàm salutaris item.

Sed est cur iam hoc initio orationis nostræ paucis rem cōplectamur. In cōuentu episcopali propositum est nobis studium curationis & nostræ & nostri gregis. Cùm igitur concilii hujus prouincialis sexti causa hoc sacro loco sumus, vocē illam apostolicā & diuinam, non modò omnes muneris nostri partes significantem, sed nos magnoperè mouentem audiamus: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.*

Quare & vnā & alterā item curationē pro officii nostri munere præstem⁹. Res duæ sunt, quæ nobis in solemni hac actione proponuntur; vna prouinciæ ægrotantis status; altera diligentissima disquisitio salutariū medicamētorum. Atq; de his quidē rebus duab⁹ in præsenti aliquid & breui sanè dicemus.

Primùm igitur, Patres Reuerendissimi, spectate quæso vnà mecū prouinciā vniuersā, quasi publicā hospitalem quandā domum amplam, in qua multitudo ingens sit hominum grauiter periculoseq ægrotantium. Proponamus hic nobis ob oculos tam infinitos homines ægrè affectos; quos Christus Dominus ab Apostolis sanari iussit; At eos in prouincia frequentissimos cōspiciemus; cùm præsertim his temporib⁹ tāta malorum lues in mortalium viscera sese infuderit. En hydropi laborantes; en febri & phrenesi æstuantes; en dæmonum impetu agitati; en lepra fœda affecti; en paralytici, & permulti claudi; en alii aridi debilesque; en gibbosi plurimi; en muti complures; en lippientium genus; en & cæcorum & surdorum quàm infinitus numerus: quàm multos alios letargię morbus occupauit. O cōmiserantium & languentium

spectaculum? An hic, Patres, dolor noster supra dolorem? an in nobis cor nostrum mœrens? Quæ (malum) ista hydropisis quasi intus in omnium prouinciæ partium cute inhærescens? superbiæ vitio quàm multi turgescunt? quanta inde morborum pestis? quàm profusus vestium luxus? quàm nouus & inauditus pomparum apparatus? quàm varius barbarico opere ornatus? quàm innumerabilis seruorum grex? quàm effusa denique omnium rerum profluuies: quæ tanquàm morbus intercus in omnem prouinciæ partem sese longè lateq; diffudit. At verò quàm latè patet alia hydropisis, inexhausta illa pecuniæ sitis, & *idolorum seruitus auaritia*, & illa *malorum omnium radix cupiditas*? Ex hoc morbo nefaria quæque existunt. Hinc fœneraticii contractus; hinc mendacia periuriaque commerciis contrahendis; hinc falsa quæque; hinc adulterinæ & corruptæ merces; hinc doli, fallaciæ, fraudes, & subdola quæque artificia; hinc alienorum bonorum quasi aucupia; hinc iudiciorum iniquitas, iudicum corruptelæ, pupillorum oppressiones, viduarum desolatio, & iniuria denique omnis. Quàm perniciosa sitis, quã effrænata istorum cupiditas: qui nullos sibi fines concupiscendi præscribunt; vsque adeò vt alios possessionibus suis, etiam sæpè per iniuriam pellere manibus pedibusque enixè operam dent. Horreant isti iudicia Dei omnipotentis, voce Isaiæ conquerentis & comminantis: *Væ vobis*, inquit, *qui coniungitis domum domui, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? in auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum, nisi domus multæ deserta fuerint grandes & pulchræ, absque habitatore.* Horribilis certè est hæc Dei comminatio: at istorum quàm ardens, Patres, quã effusa cupiditas? En rursus circũfusa vndique alia hominum multitudo febris multiplici & graui ardore æstuãtium. Iuuenes, quibus cupiditatum flammis, quasi summis febrium caloribus, & concupiscentiæ igni non exardescunt? deliciis affluunt, oculos habent plenos adulterii; & flagranti isto ardore concitati, *bibunt quasi aquam iniquitatem* omnem; nihilque non agunt, nihilque non attingunt, nihilque non elaborant, vt malè agant: immò malè agendo gloriantur; & quæ malefacta non patrarint, illa ipsa quasi à se commissa insolenter vbique iactitant: vsque adeò turpiter agere, sibi gloriosum opinantur. Atque præ isto ardore, furore eò etiam præcipites feruntur, vt cum ne sacrorum quidem locorum rationem aliquando habeant; tùm verò sanctum matrimonium, sicut gentes quæ ignorant Deum, ineunt atque suscipiunt, suæque libidini ita vacant, *sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus*. O rem commiseratione dignam! Febrilis hic furor non modò iuuenes, & adolescentes, sed pueros, & penè infantes his temporibus aliquo modo inuasit. Quàm isti petulantes? quàm contumaces? quàm effrenati? quàm proiecta audacia præcipites? quàm turbulenti, & domi, & foris? quàm impudenti licentia ad nefaria quæque concitati? nolumus plura præ dolore. Sunt pleriq; alii, qui tanquam fanatici homines, ethnico more, & ioculari quadam licentia Satanæ astu introducta, laruis induti furiantur & bacchantur, choreas ducunt, tripudia agunt, spectacula profana edunt; atque in aliis istiusmodi actionibus vsque adeò insaniunt, vt in tanta peccatorum quæ inde existunt colluuione, ne culpam quidem agnoscant. Alii porrò non tam phrenesis furore quàm dæmonis æstu agitati, eò præcipites ruunt, vt non modò medicamenta aspernentur; sed medicos & curatores salutis suæ insanabili quodam odio insectentur: & verò (quod detestabile nefandumque facinus est) violentas manus eorum parentibus sacerdotibus, quos venerari & colere totis in Christo visceribus debent, afferant & iniiciant, eosque aliquando truculenter, impiè sceleratque contrucident. At lepra quàm plurimi laborant? isti, & malefactis, & flagitiorum impuritate, & vitiorum exemplis, prouinciam fœdissimè inficiunt. At vos Patres, quos huic prouinciæ speculatores Dominus dedit, rectè cernitis quàm exitiosa sit istorum perditissimorum hominum contagio, & quàm in omnes partes diffusa. Paralyticorũ prætereà numerus magnus est: qui præ quadam virtutum torpedine, tanquam in mollitie carnis iacentes, ne desideria, quidem rectè agẽdi concipiunt, ne dum sanctarum actionum officia exequantur, Sed en claudi alii. isti optimè vident, quàm valde in Christianarum

Christianarũ virtutum disciplina progrediendum sit, non longè tamen vti oportet, progrediuntur; immo à recta via quam semel ingressi sunt, ad vitiorum diuerticula profluunt. Alii aridi sunt: qui manu cùm debiles sint, in operibus charitatis desunt, nomineq; tantùm christiano gaudent. At gibbosi quàm plurimi: qui ad terram proni, humi repentes, non cœlestia sed terrena tantùm spectant; & tanquam filii terræ, animo demisso vt pecudes, ad pastum, ad crapulas & comessationes abiecti, gulæ, ventri, & ganeis de d ti, *planè statuerunt oculos declinare in terrã: horum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt. Vsquequo graui corde?* Ista hominum lues prouinciam nostram latè inquinat. Est etiam infinitus numerus mutorum, sunt, qui in diuinis laudibus muti: at in maledictis, blasphemiis, diris, imprecationibus, conuitiis, detractionibus, contumeliis, lingua celeri & exercitata sunt. O detestabilem hominũ pestẽ! Copulandis dissidentiũ voluntatibus silentio vtuntur: sed lingua tanquàm seditionum flabello abutuntur ad discordias disseminandas. Certè lingua eorum ignis, vniuersitas iniquitatis, & *sepulchrum patens est guttur eorum: quorum os maledictione & amaritudine plenum est.* Sed quousque ista hominum lues processit? *Attendi*, inquit Dominus, *auscultaui nemo est qui loquatur bonum.* Lippos alios scitis, immo & cæcos quamplurimos. En spectaculum tenebricosum & horribile. Est quædã huius sæculi cæcitas, qua vt tetra nocte circumfusi homines, oculis fidei cùm & sempiternam illam cœlestem gloriã, & perpetuos inferni cruciatus, & mortem, & horribilia Dei iudicia proposita habeant, nolunt tamen videre vt benè agant. Permulti item rerum diuinarũ atq; adeò rudimentorum fidei ignari, veri cæci sunt: qui planè abiecta suæ salutis cura, viam cùm ignorent quæ ducit ad vitam, illa imperita cæcitate prolabuntur ad sempiternum interitum. Verùm pleriq; alii cæci sunt, qui rerum futurarum quæ sempiternæ sunt, nihil prospiciunt; res autem præsentes, quæ caducæ, quæ fluxæ, quæ vix ad punctũ temporis permanẽt, cæca quadam auiditate rapiunt. Ecquæ tandem est ista hominum cæcitas, qui res procreatas creatori, res viles & abiectas summo Deo præferunt? At surdi quàm infiniti? quàm miseranda eorum conditio! Isti in malè agendo sunt pertinaci animo, voluntateq; obfirmata, Dei vocibus obsurdescũt, pietate non molliuntur; minis non cedunt, precibus non commouentur; mentis sensu hebescẽtes, pericula salutis non timent; homines non metuunt; & quod grauissimũ est, Deum non verentur. Iam cernitis, Patres Reuerendissimi, aliquã prouinciæ partem ægrotã: aliam verò quæ ad clericales ægritudines pertinet, vos etiam optimè perspicere potestis. Iam pridem clericali ordini remedia apposuimus, quæ pro temporũ ratione opportuna iudicauimus: sed alii morbi sunt, quibus iã clericalis disciplina languescit. Vitæ honestati & morũ castitati cõsuluimus, eiusq; generis vitiosas aliquas partes sanauimus: ecce alia labes, quæ valdè illius ordinis dignitatẽ infecit: in eo inhærescit auaritia; quam ob causã (vt alia silentio prætereã, quæ pastoralis animi nostri sensũ excruciãt) deserta sępè statione, in fori sollicitudinibus illius ordinis homines excubias agunt, lites appetunt, lites intendunt, & frequẽtes pleriq; in iudiciis sũt. Clericis studia præscripsim⁹. alii negligunt, alii clericaliũ studiorũ fines transiliunt, alii studiorũ prætextu ab ecclesia absũt, à functionibus ecclesiasticis se se abducunt, & à clericali disciplina refugiunt. alii sciẽtia inflati, præ se alios etiã seniores quos vereri debent, superbè contẽnunt, beneficia ecclesiastica tenuia cõtumaciter respuunt, ampla præposterè ambiunt. Quàm alii clericales morbi, Patres, quàm alia vulnera recruduerũt, quibus potius medeamur oportet, quàm enumerando refricemus.

Nihil verò attinet, cur hoc ipso loco ægritudines nostras enarremus. non enim dubitamus, quin vos, quos Dominus constituit sanare infirmos, pro cõscientiæ vestræ religione, non modò diligẽter etiam atq; etiã ipsi spirituales nostros omnium morbos videritis; sed medicamẽta exquisieritis, quib⁹ appositè curẽtur. Verùm etiam quò rectiùs omnia nobiscũ iterũ atq; iterum reputemus; illud vnum nobis omnibus persuasum esse volumus, ad ordinis nostri dignitatẽ auctoritatẽ muneris non satis esse, si certis quibusdã virtutibus, quib⁹ cæteri homines prędití esse solent, nos exculti sumus: sed harũ ipsarum virtutum ornamentis nos longè excellere

oportet. In gradu enim episcopali collocati sumus: qui vt aurum cæteris metallis præstat, sic aliis vel amplissimis dignitatibus cùm præcellentior sit, tātò perfectioribus virtutibus vsq; adeò perlucere debet, vt inde ad alios splendor singularis dimanet. Vitæ innocentia, morum integritas, religionis pietas, iustitiæ cultus, & aliæ eius generis virtutes, sunt quidem nobis communes cum reliquis: sed cum multò præstantiores eæ ipsæ in nobis singularis vitæ officiis splendescere debent; tum verò aliæ sūt, quæ propriè præcipuæq; episcoporū sunt, & cum præstantissima Dei charitate, & ardenti eius zelo in primis coniunctæ: quibus virtutibus *exhibeam⁹ nos sicut Dei ministros*; iisdemq; *existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Si igitur episcopali perfectione nostras actiones & officia metimur; certè diligentiùs aliquas etiam ægritudines nostras speculabimur.

Quamobrem cùm omnes prouinciæ partes, siue populum, siue clerum, siue nos etiam spectemus, si diligentiori speculatione quàm nos dicendo cōmonstrauimus, intuebimur, qualē eam aspiciemus? ægrotantem scilicet, & multis adhuc morbi offensionibus perculsā; & ita perculsam, vt reliqua cura opus sit, non mediocri sed magna. Proh dolor, quid hoccine est? *Nunquid resina non est in Galaad?* nunquid nulla medicinæ ratio in prouincia, & in prouincia amplissima? *nunquid medicus non ibi?* nunquid tot & tam sapientes episcopi; optimi animarū curatores, & præcellentes animarū medici? *quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei*: quam ob causam prouincia sanata non est? *Transiit messis, finita est æstas: & nos saluati non sumus*, inquit mœrens & deplorans Ieremias. Iā diu abiit tempus, quo sacra Tridentina synodus salutares sanādis morbis leges tulit; iam pridē etiam tam sæpenumero nos, tanquā medici qui collegiatim de curandis corporibus consultationē ineunt, huc ad concilium conuenimus: at prouincia nobis in curam tradita nondū salutariter curata est? immò adhuc penè attrita penè perculsa iacet? *super contritione filiæ populi mei contritus sum & contristatus, stupor obtinuit me*. exagitate vnà mecū quæso Patres, dolorem vestrum; intimeq; accensi, afferte remedia & opportuna & salutaria, quæ prouinciæ ægrotæ adhibeamus. *tempus est medelæ*, inquit Propheta: vos statū prouinciæ ægrotantis videtis: tempus medendi est, tēpus concilii. non est igitur cur à proposito, illis quæ vulgò disseminari solent vocib⁹ dimoueamur. Quorsum tot synodalia remedia? quousque tandē tam multæ medicamentorū synodalium leges? næ istæ planè vulgares voces sunt, & dignæ planè quib⁹ nos episcopi constantissimo mētis episcopalis studio obsurdescamus. Aliud enim nos Spiritus sācti doctrina docet, aliud Apostolorū instituta monēt, aliud Patrum exēpla declarant, aliud canonum leges iubēt, aliud vetus ecclesiæ vsus in omnes partes vtilis postulat, aliud Tridentinæ sanctiones nuper instituunt, aliud nos in hac prouincia iamdiu ad cōsuetudinem reuocauimus. Quid? aliter muneris nostri episcopalis religio deposcit. Quàm inanes & penè nefariæ? eamq; ob causam summa animi nostri episcopalis consensione, vna conspiratione, vno spiritu explodantur illæ voces hominū, qui populum nostrū decipiunt; *dicentes pax, & non est pax*. quam imperitè hoc iactitant? quàm iniquo etiam animo sunt isti, *qui curant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, pax pax & non est pax*! An vbi malorum lues; pacis, concordiæ, & bonorum status? an vbi varia morborum species, recta valetudo? an vbi adhuc morum corruptelæ, disciplinæ christianæ perfectio? Attēdite quæso, qui isti homines sunt. cùm talia dictitent, *liniunt parietē luto absq; paleis, absq; temperatura: & vident visionem pacis, & non est pax*. cernunt isti in superiorib⁹ nostris conciliis vmbrā quandā disciplinæ, qua populū informare studuimus; at eius imago nondum omnibus partibus absoluta; immò cum imperfecta est, tū neq; vndiq; etiā cōmunita. eamq; ob causā verendū nobis est, ne illa tanquā paries malè materiatus, luto tātùm absq; paleis illit⁹ corruat. longè absint à nobis voces istorū, *qui cōsuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas*. Næ isti his adulationū vocib⁹ vocumq; blanditiis, cū nos fallere studēt, tum istis etiam illecebris populos nostros decipiunt: *dicunt enim bonum malum, & malum bonum*. O popule meus, quis poterit omnia mala quæ te vndiq; premūt, enumerādo percēsere? audēt tamē isti à salutis via te adulationib⁹ lōgiùs abducere. *Popule meus, qui te*

in tanta

in tanta malorũ colluuione *beatũ dicũt, ipsi te decipiunt & viã gressuũ tuorũ dissipãt.*

Proposuimus iam vobis ante oculos, Patres, quandã penè necessitatẽ sanãdę prouinciæ. Disquiramus igitur oportet in hoc ipso concilio sexto salutares curationes, salutaria medicamenta, & præsentia remedia. Quo in officio disquisitionis, Euãgelium quod nuper audiuimus, nos valdè instituit, cùm curationis munus Apostolis Christus Dominus commisit his verbis. *Nihil tuleritis in via, neq; virgam, neq; peram, neq; panem, neq; pecuniam, neq; duas tunicas habeatis.* Quorsum hæ leges? quid ostendunt? quid loquuntur? quid præscribunt? rerum certè humanarum despicientiã, terrenarum curarum abiectionem, vitæ huius contẽptum, animi abalienationem ab iis quæ nostra sunt, & illã à nostris, quos cognationis vinculo natura coniunxit, quandã quasi seiunctionem, atq; alias istiusmodi virtutes, quæ in Apostolis eluxerunt. atq; iis quidem hoc etiã vnum adiungendum est, quod in curatione spirituali plurimum valet, vt ne Mundi prudentiæ neq; nostræ innitamur. *Prudentia carnis mors est,* prudentia Mundi cæca & fallax: *at prudentia spiritus, vita, & pax.* Quæ Christi sunt, Christi spiritu agamus: ab illo pẽdeamus: non vulgi iudicio, non populari plausu, non priuatis rationibus curæ nostræ partes commetiamur. Hoc sanè est Apostolos, quos misit Deus infirmos sanare, salutariter imitari, hoc planè Euãgelii leges seruare, hoc ipsum gerere, est salutares curationes adhibere. Illis virtutibus cõmuniti, voluntatẽ etiam instaurandæ prouinciæ ardore quodã inflammatã & paratam adhibeamus. *Parauit cor suum vt inuestigaret legẽ,* sacris literis proditum est: alio loco; *elegit sacerdotes habentes voluntatem in lege:* eo animo cordisq; desiderio ad prouinciæ curationẽ accensi, imitemur duos grauissimos viros Iosuam & Esdrã: hic instaurandæ disciplinæ studio exardescens, librum legis quem manu sumpsit, aliquot dieb⁹ distinctè legit, quater diu & totidem noctu, populumq; ad illius executionem mirabiliter excitauit. Iosuas itidẽ quò posset accuratiùs omnia legis instituta vitæ suæ moribus exprimere, librũ legis perpetuò in manu habere, & singula expendere iubetur. *Non recedat,* inquit Deus *volumen legis huius.* & quoniã lectionis studium parum vtile est, nisi animi cõmendatio accedat, ea verba adiunguntur: *& meditaberis in eo diebus & noctibus;* nempe tãta assiduitate, quæ omnẽ prorsus negligentiã excludat. cùm autẽ hæc ipsa animi volũtas & meditationis studiũ parum quoq; possit, nisi quæ legibus instituta sunt, ad executionis vsum inducantur; sequuntur illa verba: *vt custodias & facias omnia.* Hoc præclaro exemplo nos optimo iure eã rationẽ nobis ineundã censemus, vt decretorũ quæ superioribus primis conciliis confecimus libros, in hac sexti prouincialis concilii actione nunquàm de manibus deponamus: ad quorũ prędscriptũ ordinem (id quod in omni synodo moris olim fuit) officii nostri partes diligentissimè perscrutemur; quas executi sumus, quæcunq; illæ sint, vel de nobis ipsis, vel de clero, vel de populo, vel de ecclesiis, vel alia quauis de re constitutæ. Hic recrudescit vulnus doloris nostri: hic morbus grauis letargia laborantiũ: hic desidia penè omniũ: hic dormitatione quadam hebescimus & tabescimus: hic nos etiã pastores & medici congelascimus: hic nos, qui alios è somno excitare debemus, sopore quodã torpescim⁹. Vbinã decretorum quæ cõfecimus cumulata executio? vbi morum corruptelæ ereptæ? vbi peccatorũ publicorũ semina conuulsa? vbi vitiorũ publica exempla sublata? vbi disciplina publica introducta? vbi iuuenum petulantia emendata? vbi tabernis meritoriis, & malorum quasi officinis finis præscriptus? vbi ludis publicis, ac lenociniis remedia adhibita? vbi prostibula amota? vbi popularis concursus ad spectacula publicè abrogatus? vbi antiquata spectacula? vbi bacchantium Christianorum hominum fœda illa licentia repressa? vbi peccatorum colluuioni modus præfinitus? Quid multis? letargiæ morbus vbiq; in prouincia est, letargia omnes languescim⁹, rebusq; exequendis oẽs dormitamus.

At dicet quis, huiusce executionis atq; adeò curationis opus multis partibus difficile esse. fatemur omnes, & agnoscimus. Nec verò est, cur hoc loco difficultates, multas illas quidem ac sũmas, summisq; angustiis implicitas proponamus, in quas curæ nostræ munus incurrit. At nos contra quærimus; num viribus nostris, an ope Dei tam graue onus sustineamus? si virib⁹ nostris; profitemur planè impar omnino esse humeris

meris nostris: si Dei ope nitimur, nō est cur illius magnitudine frangamur ac debilitemur. *Qui sperant in Domino*, inquit Isaias, *mutabunt fortitudinē; assumēt pennas sicut aquilæ; current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* At qui ad omnem in curanda prouincia dimicationem vocamur, fortitudinē Episcopalem induamur; & confortati manu Dei excelsi, ministerium nostrū impleamus. Quàm præclarè Timotheum discipulum & Episcopum Paulus Apostolus ad omnem episcopalem constātiam instituit his verbis? *Erit tēpus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros pruriētes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Quid hic Apostolus Episcopo iubet? an vt taceat? an vt dissimulet? an vt ne resistat? an vt ab episcopali contentione desistat? an vt ab opere suscepto cesset? an vt dormitet? immo in omnes partes eum etiam atq; etiam excitat. *Tu verò*, inquit, *vigila: in omnibus labora: opus fac Euangelistæ: ministerium tuum imple.* An verò fortassè accuratione nostra deterremur, quia hoc nostro frequenti prouinciæ sanandæ studio exulcerantur animi quorundā passim dictitantium: nō ferūt hæc tempora veterum canonū & antiquæ disciplinæ medicamenta. Immo ardentiùs progrediamur; quoniam hæc vna medicina præstantissima est, maximeq; opportunum id remedium: vt quib⁹ olim rationib⁹ disciplina christiana sata & propagata fuit, iisdem ipsis & instauretur & conseruetur Iam verò demum, Patres sāctissimi, vos optimè nostis, quàm præstanti erga Deū charitate nos accensi, quàm cœlestibus penè virtutibus nos instructi, quàm inflāmato voluntatis desiderio nos flagrātes, quàm constanti episcopali fortitudine nos muniti ad prouinciā variè languescentem nō modò accedamus, sed ita progrediamur oportet, vt aditum omnem nobis aperiamus, cū ad ea quæ decreta sunt accuratè præstanda; tū ad illa si quæ desunt, quam rectissimè supplenda. Sed instat, vrget, & magnoperè nos etiam impellit graue periculum animarum nostrarum. Huius prouinciæ salus nobis commissa est: si culpa nostra aliquis morbo languescēs perit, veh nobis. *vos estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis anima illorum* requiretur, inquit Spirit⁹ Sanct⁹. Quæ nos spopōderim⁹, & quā sanctè & quā religiosè spoponderimus, pro grege nobis commisso, pro eius curatione, pro eius salute, vos rectè nostis. religiosè adstricti sumus conceptis verbis, multas curæ pastoralis partes earumque executionem promisimus: spopondimus pro grege, deuincti sumus verbis oris nostri, *capti propriis sermonibus* curationis promissæ & susceptæ: fidem præstemus. *fili spopondisti*, vt digito Dei scriptum est, *illaqueatus es verbis oris tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis: nec dormitent palpebræ tuæ.* Sed vos ipsi videtis summam vigilantiam, quam sanctis sponsionibus debemus. Ad accensæ autem voluntatis nostræ studium atque officium, nos etiam inflammet desiderium gregis. Proponamus nobis hic ob oculos Probaticam illam piscinam, amplam, porticus quinque habentem; & in iis iterum ex hac prouinciali specula prospiciamus *multitudinem magnam languentium, cæcorum, claudorum, exspectantium aquæ motum.* Hi omnes (intuemini quæso prouinciam omnem ægrotam) exspectant motum aquæ, agitationem consolationum nostrarum, actionemque salutarem nostrarum deliberationum: ac iam denique exardescentem pastorali studio animum nostrum etiam atque etiam excitet filiorum nostrorum clamor, quem audire videor in ea verba prorumpentem, quibus olim populus Hebræus Esdræ opem implorans: *Confortare & fac, tuum est discernere.* Nos, inquit, salutaribus curationibus opus habemus: vestrum est ægritudines nostras disquirere, appositeque curare: curate quæsumus, animoque magno sanare pergite. Vos ô filii carissimi, *consolamini, consolamini*: Erige spem tuam Prouincia Mediolanensis. *Patres isti venerunt tibi*, vt morbos & vulnera tua sanent. *Leua popule meus in circuitu oculos tuos & vide: isti congregati venerunt tibi.* Quorsum enim tot tantique labores, quos & sæpenumero anteà, & hoc tempore causa tua susceperunt, spectant, nisi vt salutis fructum ipse reportes vberrimum. Tu exurge igitur, exurge, excita te ad orationis studium, ad pietatis opera; quibus implorata diuina ope, parentum tuorum perennis hæc sollicitudo adiuuetur in perpetuum. Amen.



CONSTITVTIONVM, ET DECRETORVM SYNODALIVM PROVINCIÆ Mediolanensis

LIBER PRIMVS.

De Professione Fidei, & eius tuendæ cura.

SVMMARIVM.

1 *Pastorum cura quibus in rebus potissimum versetur.*
2 *Fidei professionem beneficiati, quique Synodo interesse debent, emittant.*
3 *Qui illam non emiserint, in proxima sequenti Synodo emittant.*
4 *Illi in certum librum à Cancellario Episcopali referendi.*
5 *Constitutio Pij IIII. de professione Fidei facienda, ab Episcopo publicanda.*
Ludimagistri. Pædagogi. } Artes alias liberales docentes eandem fidem profiteantur: & infra quod tempus. Hique etiam in librum referendi.
7 *Fidei professionem impedientes, puniendi.*
8 *Parochorum cura in iis, qui in sua Parochia docent, inquirendis.*
9 *Parochi non patiantur id munus à quoquam suscipi, exerceriue qui eandem Fidei professionem non emiserint.*
10 *Arithmeticam. Musicamque & liberales alias artes profitentes.*
11 *Concionatores, etiam regulares.*
12 *Confessarij.*
13 *Medici. Chyrurgi.*
14 *Aduocati, & Procuratores causarum Sanctæ Inquisitionis.* } *Idē profiteantur.*
15 *Canonici, dignitatemque in Cathedrali Ecclesia obtinentes, ac Parochi, si in tempore non emiserint, quid amittant.*
16 *Bibliopolæ. Impressores* } *idem præstent.*
Qui alij fidem ipsam profiteri teneantur. De Constitutionibus numero 21.
17 *Formula professionis fidei.*

1 PRIMA, & maxima pastorum cura versari debet in ijs, quæ ad fidem Catholicam, quam Sancta Romana Ecclesia colit, & docet, & sine qua impossibile est placere Deo, integrè, inuiolatéque conseruandam pertinent. Ideò nos hinc potissimum exordiendum esse duximus, vt quæ ex eodem spiritu est fides, eandem vna oris confessione profiteamur. Primum de prof. fid. &c. §. eod.

2 Sacri igitur Tridentini Concilii authoritate innixi, mandamus, vt omnes ij, qui beneficia Ecclesiastica obtinent, vel in posterum obtinebunt, & qui in Synodum Diœcesanam conuenire debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, omnia, & singula à Sancto Concilio Tridentino definita, & statuta, palàm recipiant: veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeant: simúlque hæreses omnes publicè detestentur, & anathematizent: fidem profitentes eisdem verbis, quibus ex formula à Sanctissimo Domino Nostro Pio IIII Pont. Max. præscripta, Nos, & Coëpiscopi nostri, initio huius sanctæ Synodi, iurati præstitimus, & professi sumus: etiam si anteà in Diœcesana Synodo id officium, ad exequendum iussa Tridentini Concilij, quacumque ratione, & modo obierint. Ibid. §. Sacri. Sess. 25. c. 2 de Ref. Sess. 24. c. 12. de Ref.

3 Quos oportet, Sacri Tridentini, Prouincialisque nostri Concilij primi iusso in Diœcesana Synodo, Canones & Decreta Tridentina recipere: fideique professionem præstare: nisi illos id præstitisse Episcopus perspexerit, in ea, quæ proximè futura est, Synodo, ab illis præstari iubeat. Tertiū quę ad fidei tuen. stud. pert. §. eod.

4 In aliquem verò certum librum, qui in Episcopali Archiuio asseruetur, eos omnes, ac Ibid. §. eod.

singulos Cancellarius Episcopalis, ordine referat, tum qui anteà præstiterunt, tùm qui in posterum præstabunt in singulis Synodis deinceps sequentibus.

Primũ Ib. Bulla Pij IIII. edi. an. 1564. Ibid. Nou. 5 Episcopi omnes Prouinciæ nostræ Constitutionem Sanctissimi Domini nostri Pij IIII. Pontificis Maximi de professione fidei facienda ab iis, qui de beneficiis Curatis, & Canonicatibus prouisi sint, & à docentibus litteras, & à promouendis ad Doctorales, vel alios gradus, publicent in suis Ciuitatibus, & Diœcesibus intrà mensem; & ab omnibus inuiolatè seruandam curent: præsertim verò ab iis, qui cuiuscunque status, conditionis, & dignitatis sint, quouis modo, vel nomine, publicè, aut priuatim, domi suæ, vel alienæ, etiam si pædagogi sint, pueros, adolescentes, aliosuè cuiusuis sexus, & ætatis, quascunque artes litterarias, vel alias liberales, etiam si ipsa prima Grammaticæ rudimenta, legendo, interpretando, vel repetendo, vel alia quauis ratione, etiam si gratis doceant: quorum etiam omnium mores, ante quàm ad docendum accedant, probare debebunt; alioquin de iis pœnas, in eadem Constitutione propositas sumant.

5. Quæ ad fidei tuen. stud. pert. § Quicũque. Sess. 25. c. 2. de refor. 6 Quicumque litteras, & liberales artes quouis nomine, vel publicè, vel priuatim docent, ii, quales quales sint, & reliqui prætereà, quibus Pij IV. Pontificis Maximi Constitutione, vel eiusdem prouincialis Concilii Decreto fidei professionem facere iussum est, trium mensium spatio illud ad formulam ab eodem Pontifice præscriptam, aut iam præstitisse ostendant, aut re ipsa præstent. Qui verò in posterum illud legendi, interpretandi, docendique munus suscepturi sunt, fidei professionem ad idem præscriptum ante præstent, quam id suscipiant, exerceantve. Hique, & illi omnes libro notentur.

1. de prof. fidei ver. Qui vero. 7 Qui verò, ne prædicto huic Decreto obtemperent, impedierint; aut huius temeritatis quacunque ratione illis auctores aut adiutores fuerint, seuerè puniantur.

Ibid. ver. vt autem. 8 Vt autem id facilius, ac melius effici possit, studiosè inquirant parochi, quinam in suis parochiis eo docendi munere fungantur, & eorum nomina ad Episcopum ad mensem à die publicationis Constitutionis eiusdem numerandum deferant. Quos verò deinceps eiusmodi cognouerint, primo quoque tempore Episcopo indicent.

5. Quæ ad fi. tuen. &c. § parochus 9 Parochus nè vllo modo patiatur in suæ parochiæ finibus id, vt supra, munus à quoquam deinceps suscipi, aut iam nunc susceptum exerceri, si is scripto Episcopi testimonio non ostenderit, se fidei professionem præstitisse: immò verò, si ita testatum non fecerit; ei illo munere interdicat: si non paruerit, ad Episcopum deferat, qui in eum, prout iuris est, animaduertat.

Quibus autem id ludimagistris munus committatur: Quæ de eorũ vita informationes sumendæ antequam docere incipiant: quæque obseruanda sint postquam docere inceperint: & quos ij adhibere debeant libros, videatur suprà de ludimagistris.

4. de fidei profess. §. Quod. 10 Quòd ex Pii IV. Pont. Max. sanctione in primo, & tertio Concilio prouinciali nostro, de iis, qui fidei professionem facere debent, deque illorum ipsorum vita, & moribus, ante inquirendis, & probandis decretum est: id Episcopus omnino efficiat, vt præstetur: tum compellat prætereà ad idem omnes ac singulos, sicut etiam à Sancta sede Apostolica declaratum est, quicunque Arithmeticam, & Musicam, vel artes cuiusuis generis liberales profitentur.

11 Quoniam in iis, quæ & ad fidem, & ad pietatem tuendam attinent, omni vigilantissima cura, summaque diligentia pastoribus maximè elaborandum est: nos veterem Sanctorum patrum, Sacrorúmque Conciliorum consuetudinem, & authoritatem in primis Oecumenicæ Synodi Tridentinæ secuti, de iis ipsis multa superioribus nostris Conciliis Prouincialibus constituimus. Sed in eo genere, cum nullum tantum studium, quantum certè maximè requiritur, adhiberi possit, illis superiorũ Conciliorũ Decretis, adiungenda hæc etiam censuimus. 5. Quæ ad fi. tuen. stud. pr. § Quoniam.

Nemini etiam regulari, ne in sui quidem ordinis Ecclesia concionari permittat Episcopus, ante quam sibi, suoque Vicario, ille, quicunque concionaturus est, fidei professionem ad sanctionis Pontificiæ, quam Pius IV. edidit, præscriptam formam præstiterit. Vbi vero semel præstiterit, non opus erit iterum ob eam caussam eidẽ Episcopo præstare: Sed satis sit, professionis, ei semel illo nomine præstitæ, testimoniũ scriptum, atq; obsignatum afferre, & exhibere.

12 Id omne de confessariis Sacerdotibus, sancimus, & decernimus.

13 Hoc ipsum de Medicis, & Chyrurgis item cautum sit, qui nisi trium mensium spatio apud Episcopum, aut eius Vicariũ, ex illius Pontificiæ formulæ præscripta ratione fidem profiteantur, medendi arte ab eodem Episcopo interdicantur, quoad eam professionem præstiterint.

At verò in posterum quisquam Medicus, vel Physicus, vel Chirurgus medicinam exercere ne aggrediatur, nisi præstita primum vt supra fidei professione.

14 Aduocati prætereà, & procuratores, in caussis Sanctæ Inquisitionis suscipiendis, agendisve, nullum ante aditum, locũmve habeant, quàm fidei professionem Episcopo præstiterint.

15 Qui Ecclesiam parochialem, aliudve beneficium curam animarum habens, aut canonicatum, aut dignitatem in Ecclesia Cathedrali quouis modo obtinuit, nisi is tempore, & loco sanctione Tridentina præstituto, fidei professionem præstiterit, nec ei Episcopus beneficii Ecclesiastici fructus, quos ex eod. Trid. Decreto, suos non fecit, aliquo pacto remittat, neque ab eodem exigi patiatur, sed si quos exegerit, illum restituere cogat. Sess. 24. c. 12. de ref.

16 Bibliopolæ, quique impressoria faciunt, nequam aggredi volunt artem prius exerceant, quàm iurati, fidei professionem Episcopo, conceptis formulæ statutæ Pontificiæ verbis, præstiterint. 6. Quæ ad fidei tuen. pert. §. ca.

17 Formula verò, ad cuius præscriptum fidei professionem præstari oportet, pontificia illa sanctione cõceptis verbis tradita hæc sanè est. 4. de fi. prof. §. ca.

Ego N. firma fide credo, & profiteor, omnia, & singula, quæ cõtinentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet.

Conc. trid. sess. 3. dec. de Symb. fidei.

Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, visibilium omniũ & inuisibilium: & in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum: Et ex patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: Genitum, non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est: Et resurrexit tertia die secundum scripturas: Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris: Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis: Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex patre filioque procedit: Qui cum patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per prophetas: Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum: Et exspecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

Conc. trid. multis in locis.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

Sed. 4. Decr. de Canonicis scripturis Dec. de edit. & vsu Sacr. lib.

Item sacram Scripturam iuxtà eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum scripturarum, admitto: nec eam vnquam nisi iuxtà vnanimem consensum Patrum, accipiam, & interpretabor.

Sess. 7. de Sacramentis.

Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta nouæ legis à Iesu Christo, Domino nostro, instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria: scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre: ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse.

Sess. 22. ca. 5. & Can. 6.

Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solenni administratione recipio, & admitto.

Sess. 5. decr. de pecc. orig.

Omnia, & singula, quæ de peccato Originali, & de Iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Sess. 22. c. 2 & Can. 1.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis: atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini, in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat.

Sess. 13. c. 3. & sess. 21. c. 31. & Cã. 3. Conc. trid. Sess. 21. ca. 1. & Can. 3.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi.

Sess. 22. decret. de purg.

Constanter teneo purgatorium esse, animásque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter, & sanctos vnà cum Christo regnantes, venerandos, atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Ead. sess. 25 c. de inuocatio. ven. & reliq.

Firmissimè assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum sanctorum, habendas, & retinendas esse: atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Ead. sess. Decret. de Indulgentiis. Sess. 21. ca. 8. sess. 25. de de lectu ciborum.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maximè salutarem esse, affirmo.

Sess. 25. ca. 2. de refor. Ead. sess. de re cep. & obser.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco: Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro.

Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam, vsque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè, Deo iuuante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem. N. spondeo, voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia.

Cætera, quæ huic titulo desunt, ex ordine Conciliorum Prouincialium, videantur in titulis: De Hæreticis. De officio Sanctæ Inquisitionis. De Iudeis. De Cingaris. De editione, & vsu sacrorum librorum. De ludimagistris; quos titulos, & multos alios partiri visum fuit, vt facilius Conciliares materiæ reperirentur.

De Hæreticis, Hæresisve nomine suspectis.

SVMMARIVM.

1 *Parochorum cura in hæreticis inquirendis.*
2 *Inquirendoque de dictis, & factis eorum, qui ex hæreticorum finibus veniunt.*
3 *Edicti contra hæreticos promulgatio quotannis.*
4 *Principum studium in tollenda hæreticorum consuetudine.*
5 *In hæreticorum locis catholici non instituendi.*
6 *Nisi vigesimumquintum annum agant.*
7 *Ad hæreticorum loca accedat nullus absque licentia.*
8 *Licentia ipsa ab Episcopo, vel Inquisitore concedenda, & quomodo.*
9 *Hæreticorum prope fines habitantibus possit parochus talem facultatem impartiri, & qualiter.*
10 *In hæreticorum loca migrandi gratia, ibique do-*

mitilium constituendi nemo bona sua alienare possit.

11 *Contra suspectum huius rei, vt procedatur.*

12 *Principes non permittant milites hæreticos ad suas ditiones venire.*

13 *Episcopi officium, vbi illi diuerterint.*

14 *Hæreticis cibos vetitos subministrans diebus prohibitis, excommunicatus.*

15 *Hæresis labe infecti proficiscentes ex finibus hæreticorum, eoue nomine suspectorum, an, & quomodo recipiendi.* 16.

17 *Recipiens, Episcopo, vel Inquisitori, aut parocho, si in diœcesim venerint, denunciet.*

18 *Ab ecclesiasticis non excipiendi.*

19 *Neque admittendi in Ecclesiam, tempore concionis excepto.*

20 *Episcopi quale studium in hæresi profliganda.*

Primum de prof. fidei &c. §. eo.

1 PAROCHI diligenter animaduertant an in suis parochiis vllus sit, quod ad fidem attinet, prauis opinionibus imbutus, vel eo nomine suspectus: eumque ad Episcopum, vel Inquisitorem deferant. Moneant prætereà populum debere omnes, si quos nouerint aliquid fecisse, vel dixisse, quamobrem de huiusmodi peccato in probabilem suspicionem venerint, statim deferre.

2. Quæ ad fid. tuē. &c. §. eo.

2 Obseruent etiam eos, qui ex finibus hæreticorum, vel hæresis nomine suspectorum veniunt, singulorumque dicta, & facta odorentur: ac de eorum vitæ consuetudine, & ratione cognoscant. Et si qua de iis suspicio fuerit, Episcopum, vel Inquisitorem admoneant.

3 Episcopus edicto quotannis publicè proposito, omnes, & singulos suæ Diœcesis homines, etiam quauis dignitate, gradu, honoreue præditos, moneat, eisdémque in virtute sanctæ obedientiæ, ac pœna excommunicationis latæ sententiæ proposita, id iubeat, vt si eorum quispiam iam scit cuiusuis sectæ hæreticos homines, eoue nomine suspectos, aut infames, aut quouis modo à fide catholica aberrantes: aut qui verba hæreticalia protulerint, aut qui hæreticorum libros, scriptaue, quæ quouis modo auctoritate sedis Apostolicæ prohibita sunt, legunt, vel apud se habent, decem ad summum diebus post edicti promulgationem: Si verò in posterum sciet, decem diebus postquam id norit, illos omnes, & singulos, vel ipsi Episcopo, vel hæreticæ prauitatis Inquisitori denunciet.

Parochis autem suis iubeat, vt edictum eiusmodi in singulos annos semel Quadragesimæ initio, iterum ineunte Domini Aduentu, publicè in sua quisque parochia, cùm in Missa frequentior populus adest, de scripto ipsi pronuntient, & promulgent.

Primum de prof. fid. &c. §. eo.

4 Principes verò, & Ciuitatum Magistratus hortamur, ac per viscera misericordiæ Christi Domini obtestamur, vt cœleste lucrum terrenis commodis præferentes, commercium, & consuetudinem hæreticorum, quam fidelibus perniciosam, ac pestiferam esse constat, pro sua pietate, ac studio religionis è suis vrbibus, atque oppidis amouendam, ac tollendam curent.

5 Prohibeantque nè suæ ditionis homines percipiendæ etiam linguæ causa, aut mercaturæ, alioue nomine, in hæreticorum locis instituantur, aut commorentur. Quod sequitur, vide infrà de Inquisitoris Officio, numero decimo quinto, & decimo sexto.

6 Nemini ad hæreticorum fines, locaue, nè discendæ etiam mercaturæ causa, mittere filios liceat, qui annum saltem vigesimumquintum non agant. 3. Quæ ad fi. tuē. pert. §. eo.

7 Profecturus aliquis ad ea loca, vbi etsi catholico etiam more à multis viuitur, impunè tamen, & publicè ab alijs prædicatur, aut creditur, quod à Romanæ Ecclesiæ doctrina, & fide alienum est, profectionis scriptam facultatem ab suo parocho, vel ab eo, quem Episcopus constituerit, antè impetret, quàm abeat. Quibus facultatis litteris caueatur, vt & reuersionis tempore, etsi diutius illis in locis fuerit, singulis annis testatum faciat, se catholico more, & vixisse, & viuere, vtque id testimonium scriptum sit ab illius loci, vbi fuerit, Episcopo, aut parocho, si ibi parochus est, aut à catholicis viris, probatis hominibus, illorum locorum incolis. Hócque is, cui eò proficisci concessum erit, præstet omnino. 3. Quæ ad fi. tuen. stud. pert. §. eo.

8 Ne cuiquam item, vt alio Concilio cautum est, ad hæreticorum loca proficisci liceat; nisi primùm ab Episcopo, aut Inquisitore eius rei facultatem impetrarit. Atque hæc quidem facultas ne cuiquàm permittatur, deturue, nisi à parocho testimonium scriptum attulerit, se more catholico vixisse, sanctáque sacramenta frequentasse: hac prætereà adiecta conditione, vt si cui facultas permittitur diutius illic commorandi, is quotannis semel saltem inde redeat, vt, & confiteatur, & sanctissimam Eucharistiam sumat: aut testimonij litteras mittat, quibus legitimè testatum fiat, se confessum, constituto tempore sacram Eucharistiam sumpsisse, catholicæque fidei congruenter vixisse. 6. Quæ ad fi. tu. u. pert. §. eo.

9 Qui verò propè hæreticorum loca habitant, ijs à parocho eam facultatem dari licebit ad breue sanè tempus: ita tamen, vt cùm is exiguum illud breuis moræ spatium certum proficiscenti præscribat, tùm illam prætereà conditionem, ne die festo illic opus faciat; nec verò mercaturam vllo modo exerceat, aliaue agat, quæ sacro festo die agi, fieri, exerceriue prohibitum est. Immò festo eo saltem die, domum omninò redeat, & Missæ, Vesperis, Doctrinæque Christianæ scholis intersit.

10 Nec verò cuiquam fas sit, patrimonium, bonáque sua vendere, alienareue, vt in hæreticorum loca migret, ibique domicilium constituat.

11 Si quis in huius rei suspicionem venerit, contrà eum agatur ad Canonum, Pontificiarumque sanctionum præscriptum.

12 Huius Prouinciæ, Principes, & Magistratus, pro fidei Catholicæ tuendæ officio, próque pietatis suæ studio sperandum est, id numquam permissuros esse, vt in has regiones, eorum ditioni subiectas, nè ad diuersandum quidē itineris gratia, milites, à Catholicæ Romanæ Ecclesiæ fide dissidentes, veniant, cùm certum, atque planè exploratum sit, nulla alia rē Deum grauiùs offendi, nulláque ad vehementiorem iram, quam hæresum labe prouocari; nihílque rursus ad Prouinciarum, Regnorúmque interitum 5. Quæ ad fi. tuen. stud. pert. §. eo.

maiores vires habere, quàm teterrimam illam pestem. Verùm, si quando acciderit, quòd Deus prohibeat, in eam curam toto animo, omníque studij pastoralis contentione Episcopus incumbat, atque adeò elaboret omni ope, vt nè eius morbi contagione oues, Christi sanguine redemptæ, suæque fidei commissæ vllo modo inficiantur.

13 Itaque ad Diœcesis suæ loca, vbi pestiferos illos homines diuersari contigerit, se in primis ipse conferat; populum fidelem, etiam atque etiam diligenter moneat, vt ne eorum mores vsquàm attendat; nè verbis mentem, aures've adhibeat; nè cum eisdem vllo modo versetur: ne carnis licentiam, & liberam, & falsam viuendi securitatem exemplo illorum consectetur: sed in orthodoxa fide, & charitate Christi Domini cum timore, & tremore perseuerans, in Sanctæ Romanæ Catholicæ Ecclesiæ vnitate, & obedientiæ studio, in catholicæque pietatis officiis sese contineat.

Parochis verò leges prætereà præscribat, quas in tanto discrimine omnino sequantur.

Atque iis quidem hæ sint:

Ne eos mortuos sacris locis in sepulturam tradant.

Vt animaduertant prætereà, si fieri potest, non modo singulis horis, sed singulis etiam momentis, quid ab illis agatur, quid cogitetur, quid struatur in ijs, quæ ad fidem pertinent; longè prospiciant Sathanæ insidias, & conatum omnem, quantum in se est, sedulò reprimant.

Vt videant, nè quicquam vel minimum, vnde labes aliqua existere possit, sensim latius dimanet. Quamobrem de quotidiano huius rei statu Episcopum certiorem faciant quàm diligentissimè.

Nec verò ea omni diligentia contentus Episcopus, desistat alia subsidia ad tuendum gregem comparare. Proinde cùm alios religiosos, prudentésque viros, ad rem omnem inquirendam mittat, tùm acres etiam, piósque Concionatores ad causam communem adiuuandam.

A Magistratibus etiam, & Principibus, in re, quæ non religioni solum, sed vniuerso Prouinciæ Statui periculum certissimum afferre potest, omnem opem, atque auxilium imploret, vt expedire censuerit.

14 Excommunicationis verò pœnam, præter alias, quæ summorum Pontificum, Canonumve sanctionibus expressæ sunt, ipso facto subeundam proponat, atque edicat iis, qui istiusmodi impiis hominibus cibos vetitos vendiderint, aliove modo subministrauerint, quibus diebus minimè liceat illis vesci. Agat verò contrà illos, qui non paruerint, ad iuris, edictique promulgati præscriptum. Omnem denique aliam rationem, quæ potissima sibi videbitur, opportunè ineat ad eam pestem propulsandam. Et verò id, quod caput est, in tanto salutis periculo, assiduis precibus, omníque supplicatione ad Deum confugiat, vt gregem sibi in curam traditum, ab omni hæresum fœditate integrum inuiolatúmque custodiat, & conseruet perpetuò.

4. Quæ ad fidei tuen. pert. paragrapho eo.

15 De commercio hæreticorum, quàm diligentissimè cauendo, nos pro nostri officij munere, superioribus Concilliis Decreta aliqua confecimus, atque edidimus: quibus etiam ex Sanctissimi D.N. Gregorij Papæ XIII. iussione, & præscripto, hæc quò diligentior porrò cautio in eo genere adhibeatur, adiungenda censuimus.

16 Optandum est, omníque pastorali studio, atque officio id valdè curandum, vt quem hæresis labe infectum esse constet, nemini vmquam quicumque sit, impunè permittatur ex hæreticorum, eoue nomine suspectorum finibus, ac regionibus finitimis, ad Prouinciæ huius loca venire: Verùm si quandoque aliter accidit, vbi ei rei alia ratione occurri non possit, hæc saltem caueantur, atque planè seruentur.

Ne cuiquam, quem ex ijs locis proficiscentem hæreticum esse certum sit, hospitium, diuersoriumue præberi liceat, præterquàm in caupona publica, vel in domicilio sui procuratoris, si quem fortasse ipse habet.

17 Is verò, qui præbuerit, illius aduentum, habitationémque, Episcopo, Inquisitorive, aut parocho, si in Diœcesim venerit, confestim denuntiet.

18 At Ecclesiasticus homo, quicunque sit, ne eum vllo modo excipiat.

19 Neque rursus, illum in Ecclesiam ingredi permissum sit, nisi sacræ concionis tempore.

20 Quam summum in hæresis crimine profligando studium, & cura, quàm longè omnium diligentissima, Episcopi esse debeat, cùm aliorum multorum Pontificum sanctiones iubent, tùm verò & Innocentij Tertij rescriptum, & Martini Quinti Constitutio, iampridem edita, ostendunt. Quibus Constitutionibus tùm in virtute obedientiæ districtè præcipitur, vt quæ eo de genere in illis sancita sunt, ad ea efficaciter exequenda Episcopi per Diœceses suas diligenter inuigilent, si canonicam velint effugere vltionem: tùm etiam deponi iubetur ab Episcopali officio, si quis eorum super expurgando de sua Diœcesi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, vel remissus. Proinde in ea perenni sollicitudine, perpetuáque vigilia Episcopus versari in primis debet; vt non modo pestilentissimus ille hæresis morbus nusquam in gregem sibi commissum irrepat: sed omnis planè suspicio ab eo quàm longissimè absit. Si verò fortasse, quod pro sua pietate, & misericordia Christus Dominus auertat, irrepserit: in eo maximè elaboret, omni ope, vt quàm celerrimè depellatur: quique ea labe infecti erunt, vel suspecti, cum illis agatur; ad Canonum, sanctionúmque Pontificiarum præscriptum.

5. Quæ ad fi. tuen. stu. pert. paragrapho eo.

De Sanctæ Inquisitionis Officio.

SVMMARIVM.

1 *Sanctæ Inquisitionis Officij congregatio constituenda.*
2 *Quando conuocanda.*
3 *In ea, quid agendum.*
4 *Ministris secretum indicendum.*
5 *Formula iuramenti eisdem præstandi.*
6 *Excommunicatio in reuelantes Congregationis secreta. Eius Congregationis initio, oratio de Spiritusancto recitanda, & quæ.*
De foro Episcop. num. 2.

Quintum, quæ ad fi. tuen. stud. pert. paragrapho Idē.

1 IDEM (Episcopus) præterea vnà cum Inquisitore Congregationem, quæ certo numero constet, Theologorum, & Iurisperitorum hominum instituat, qui ad causarum Sanctæ Inquisitionis consultationem adhibeantur.

2 Ea porrò Congregatio, vt opus erit, conuocetur, semélque in singulos menses, atque adeò crebrius, cum occasio tulerit.

3 Nec verò quicquam aliud in ea agatur, geraturve, nisi quod ad eiusdem Sanctæ Inquisitionis officium pertinet.

4 Et quoniam sæpè contingit, causarum Inquisitionis acta, processusve, de quibus deliberandum est, iis patefieri, explicari, atque communicari oportere, quorum consilio, vel damnationis, vel absolutionis sententia ferenda est: quò & accusatorum, denunciantium, testiúmque periculis efficacius occurratur: & in iis ipsis Inquisitionis actis, causisque, cautius agatur: id propterea omnibus singulisque consultoribus, & cæteris item, qui in ea Congregatione adscribentur, admittenturve, Episcopus, vt Bonifacii VIII. Constitutione cautum est, secretum, reticentiámque indicat.

cap. statuta. paragrapho iubemus, de hæret. in 6.

5 Atque ij ipsi porrò statim certa præscripta formula iurati eidem Episcopo sanctè spondeant, se, neque verbis, neque litteris, nec nutu, neque alia cuiuscumque generis significatione, vllove modo cuiquam patefacturos, aut euulgaturos esse Congregationis, in quam admittuntur, adscribunturve, arcana: nec verò alia quæcumque sint, quæ vllis Inquisitionis, vel causis, vel hominibus, vel ipsi Congregationi, officiove præiudicium afferre aliquo modo possint.

6 Pœnam verò excommunicationis latæ sententiæ proponat, atque edicat, etiam in Congregatione ipsa, ex ea Bonifacij Constitutione in omnes & singulos, qui contra indictum secretum, aut iusiurandum quicquam patefecerint sine licentia eiusdem Episcopi.

Clemen. 1. paragrapho porrò, de hæret.

7 At præterea Notarij Sancti Officij hoc iurent, quòd nec causarum acta, nec testium nomina, neque testificationes, aliudve quicquam eius generis patefacient, aut euulgabunt, anteaquàm iudex patefecerit, euulgaritve, aut euulgari iusserit. De sententiis itidem eorum, qui consultores adhibentur, consultationibus, deliberationibus, actionibúsque Congregationis huius, idipsum præstabunt omninò; ac de suo officio in omnibus fideliter exercendo.

8 Si quis eorum quicquàm contrà vllo pacto fecerit, excommunicationem latæ sententiæ ipse subeat; ac prætereà aliis pœnis, pro modo culpæ, arbitrio Episcopi, plectatur.

9 Custodes etiam carceris, priusquam suum exerceant officium, iusiurandum, ad præscriptam formam in Concilio Viennensi præstent: Idemque etiam alii ministri ad id officium exequendum necessarii. Ead. Clē. & paragrapho porro,

10 Nè Inquisitionis causarum acta, breuiter, summatimque descripta, quæ summaria processuum dicunt, nec verò actorum relationes, nec facti narratio, neque alia quæcumque tam iuris, quàm facti itidem explicatio, instructiove cuiusuis generis, ad eas causas pertinens, nec denique vllæ scripturæ eiusmodi, quæ vel pro reo, vel contra eum conficientur, vllo vnquam modo in posterum typis edantur, imprimanturve: sed quæcumque acta sint, quæ eas causas attingant, manu scripta iis solum, vel iudicibus, vel consultoribus, aliisve ministris dentur, quibus dari oportet.

11 Aduocati & Procuratores in causis Sanctæ Inquisitionis suscipiendis, agendisve nullum ante ad tum locum ne habeant, quam fidei professionem Episcopo præstiterint.

Quintum, quę ad fide. tuen. stud. pert. paragrapho aduocati. 5. De eo. paragrapho in causis,

12 In causis fidei Episcopus, Iudexue, cùm Aduocatus, Procuratorue reo dandus est, eum det, qui probus sit, de legalitate non suspectus, & procurator quidem vtriusque Iurisperitus, vterque verò fidei zelator, quique hæresis nomine numquàm, neque suspectus, neque accusatus, neque ea infamia notatus fuerit: id verò, nisi planè ostenderit, se ex Iudicis sententia innocentem esse, & ab omni hæresis labe, suspicioneue purum, atque integrum.

Patrocinij autem in ijs causis suscipiendis facultas cum datur, litteris exarata detur: nec verò aliter quisquam suscipiat.

13 Qui porrò datur, is, antequàm patrocinium suscipiat, iuret, se benè, ac fideliter defensurum, legitimisque defensionibus vsurum esse, nec dilationibus captiosis, cauillationibusque causam prorogaturum.

Vbi verò patrocinium susceperit, sciat suas partes esse, admonere reum, vt veritatem confiteatur, pœnitentiamque petat pro culpa, si quam habet: eiusque responsionem Curiæ notificare, intimareue.

14 Meminerit verò Aduocatus, & Procurator, item nullum vnquam patrocinium, neque hæreticis, nec suspectis, neque credentibus, neque fautoribus præstandum esse: ne, prout Innocentii III. sanctio est, ab officio suspensi, perpetuæ infamiæ subiaceant.

Itaque vbi primum ex causarum actis, aliave vlla ratione animaduerterit, reum, qui delatus est, hæreticum esse, aut eo nomine suspectum, id cùm ipsi reo, iudicique denuntiet, tùm statim illius defensionem deserat. Nec vero, si quid erit, quod ad Sanctum Officium pertinens, in eiusdem causa reticeri oportet, cuiquam patefaciat, quod eiusdē officio præiudicium ferat.

15 Sacro denique Inquisitionis Officio, in omnibus ex animo (Principes, scilicet, & Magistratus) faueant & opitulentur: & vt eius edicta seruentur, auctoritatem etiam suam rogati interponant.

16 Cumque eis à Sancta sede Apostolica concessum fuerit, vt causis fidei ad patrocinium Catholicæ veritatis adsisterent, nihil sibi in illis vsurpare, neque quidquàm, quòd contra sacros Canones sit, attentare velint.

3. Quæ ad fid. tuen. stu. pert. paragrapho eo. 17 Quicumque autem Sanctæ Inquisitionis Officium, statum, res, & ministros aliquo modo læserit, violaritue, contra eum, vt Pij V. Constitutione sancitum est, Episcopus agat ad illius sanctionis præscriptum.

18 Quam grauissimam sanctionem, aliquando, cùm expedire censuerit, promulgari iubeat.

De Iudæis.

SVMMARIVM.

1 *Iudæi morum Christianorum corruptores.*
2 *Pileo, seu birreto crocei coloris vtantur. 20.*
3 *Cum eis Christiani cibum non capiant, & 5. Neque ad eorum dies festos, & Synagogas accedant. & 23. Ne item cum eis ludant, & choreas ducant.*
4 *Ne in eorum famulatu quoque esse possint.*
6 *Christianæ mulieres Iudæorum non sint nutrices. Neque illarum opera vtantur ad fucum, & ornatum. 9.*
7 *Christiani, Iudæis medicis non vtantur.*
8 *Neque eorum opera in matrimonijs cõtrahendis.*
10 *Iudæis Ecclesiæ agri non locandi.*
11 *In ædibus Ecclesiæ vicinis Iudæi non habitent: & proprias vendant.*
12 *Festis diebus non emant, aut vendant, secumque Christiani contrahant. 22.*
13 *Tribus ante Pascha diebus domi suæ se contineant.*
14 *Christianorum dignitates, & officia obtinere non possint.*
15 *In vnum habitationis locum compellendi. 19.*
16 *In quibusuis rebus, cum Christiano contrahendis, sermone vulgari in suis libris vtantur.*
17 *Fraudulenta cum Christianis contrahendi ratio coercenda.*
18 *Constitutio Pij V. qua alia Pauli III. contra Iudæos edita continetur, promulganda. Synagoga vnica illis concedenda.*
20 *Mares, & fœminæ, signum patens ferant: sublata dispensatione contraria. 21.*
24 *Constitutio Gregorij XIII. de blasphemijs, & flagitijs Iudæorum sæpè promulganda.*
25 *Eis doctrina Christiana prædicanda, & à quibus.*
26 *Ad conciones conueniant, seorsum tamen à parentibus, & natu maioribus.*
27 *Conuersionis signum dantes separandi, & in Cathecumenorum domo retinendi.*
28 *Cathecumeni, quomodo ad baptismum admittendi.*
29 *Baptizati cuius curæ committendi. Eorumque institutio, quæ & qualis. 32.*
30 *Quorum consuetudine non vtantur. Diebus festis, quæ munera obeant. 29. & 32.*
31 *Domus ad Neophytorum vsum paranda. 27.*
33 *Episcopus in his exequendis negligens, rationem cui redditurus.*
34 *Iudæis ad fidem cõuersis, bona sua non adimenda.*

Constitutio Pauli III. de Iudæis, & insidelibus conuersis, Neophytisque.
De Constit. num. 36.

Primum de Iudæis paragrapho eo. 1 VT quantum possumus, Iudæis corrumpendi Christianorum mores, & eis bona per fraudem auferendi occasionem adimamus: ipsosque ad viam salutis traducere studentes, ex sacrorum etiam Canonum Decretis, edicimus.

2 Vt Iudæi semper, & quocumque iter faciant: viri pileum, seu birretum crocei coloris: mulieres impositum reliquo capitis integumento, pannum eiusdem coloris ferant.

3 Ne Christiani ad conuiuia, nuptias, vel dies festos, & Synagogas Iudæorum accedant: aut cum eis ludant, vel quod detestabilius est, choreas cum Iudæis agant.

4 Ne Iudæis Christiani in famulatu esse possint.

5 Ne Christiani, si in diem, vel horam, Iudæis operas suas locauerint, apud illos cibum capiant.

6 Ne Christianæ mulieres, Iudæorum nutrices in eorum domibus esse vllo pacto possint. Nec verò extrà eorum domos, nisi cùm necessitas, ordinario probanda, postularit.

7 Ne Christiani Iudæos medendi causa, ad se accersant.

8 Ne coniungendis inter se matrimoniis eorum opera vtantur.

9 Ne Christianæ mulieres Iudæas fuci, pigmentorum, aut ornandi se causa adhibeant.

10 Agros, prædia Ecclesiastica, Iudæis locari, vasa, vestes, aliáue sacra, vel ad vsum Ecclesiæ destinata, vendi, aut pignori dari ne liceat.

11 Ne in ædibus, quæ Ecclesijs vicinæ sint, Iudæi habitent: & si qui in eis nunc habitant, intra certum tempus omninò migrare cogantur.

12 Ne Christiani cum Iudæis in diebus festis, emptionis, venditionis, vel alio nomine contrahere audeant.

13 Ne tribus ante Pascha diebus Iudæi in publicum prodeant: neque quidquam palam, vel secretò, in contemptum Christianæ religionis facere audeant.

14 Ne dignitatem, vel publicum officium, quod ad Christianos pertinere aliquo modo possit, Iudæi obtineant.

Hæc & reliqua, quæ de Christianorum cum Iudæis consuetudine sacris Canonibus constituuntur, curent Episcopi, & Principes ac Magistratus, pro suæ quisque auctoritatis munere, pœnis contra Christianos, & Iudæos acrioribus constitutis, vt inuiolatè seruentur.

15 Vehementer etiam à Principibus petimus, vt in singulis Ciuitatibus certum locum constituant, vt Iudæi separatim à Christianis habitatum conueniant. Et si quas proprias ædes Iudæi in Ciuitate habent, intra sex menses eas verè, non autem simulato contractu, Christianis vendi iubeant.

16 Illud prætereà pro sua pietate Principes statuere debebunt, vt Iudæi in quibusuis contractibus, & negotijs, quæ cum Christianis ha-

buerint, in libris suis conscribendis, litteris, & lingua vulgari nostra, non autem sermone, aut characteribus Hebræis vtantur: si secùs fecerint, seuerè puniantur. Nullumque inde Ius eis esse possit agendi, vel excipiendi.

17 Omni denique diligentia illos in eo eniti æquum erit, vt fraudulentam, & insidiosam Iudæorum cum Christianis contrahendi rationem, & eorum facultatibus inhiantem auaritiam comprimant, & coerceant.

5. Quæ ad fi. tuen. stu. pert. parag. eo.

De Iudæis Concilio Prouinciali primo multa cauimus, quibus hæc addenda statuimus, quo diligentius etiam perniciosæ eorum consuetudini, atque diuini cultus offensionibus occurratur.

18 Quod olim Summorum Pontificum Constitutionibus, & præsertim Pauli IV. & Pij V. qui eiusdem Pauli sanctionem litteris xiij. Calend. Maij M. D. LXVI. editis, renouauit, & auxit, sancitum fuit de vita, & habitatione Iudæorum, cùm ad Christianorum hominum fidei integritatem, & morum puritatem tuendam valdè pertineat, Episcopus, in cuius Diœcesi illi, vel habitant, vel aliquando diuersantur, singulis annis stata die eam Constitutionem Pij V. qua etiam illa, quæ ab eodem Paulo IV. iam anteà edita erat, continetur, promulget: curetque omni diligentia, vt in primis, tum ex earum Constitutionum, tum etiam ex Concilij Lateranensis præscripto, in Ciuitate, oppido, pago, locove, vbi Iudæi habitant, si complures Synagogas habent, seu domos ad Synagogæ officium iam adhibent, tollantur omninò, cessentque omnes, vna tantum excepta, quæ tamen ab ecclesijs fidelium distet. At verò nouas construere, constituereve, aut penitus dirutas reficere ne patiatur: nec rursus veteres altius extolli, aut amplificari, aut magnificentius aliquo modo exædificari.

19 Agat etiam cum Principibus, si opus erit, vt quemadmodum olim à nobis decreto Prouinciali, & eisdem Pontificijs Constitutionibus cauetur, sublatis impedimentis, verè tandem Iudæi omnes in vno, & eodem loco Vrbis, locive, ac si ille capax non erit, in duobus, aut tribus, qui inter se continentes sint, & à Christianorum habitationibus seiuncti, ad præscriptum illarum Constitutionum habitent, domicilium verò non solum proximum: sed ne in conspectu quidem Ecclesiæ, oratorijve, quo populus conuenire soleat, constituere, habitareue vllo modo patiatur.

20 Vt mares, & fœminæ signum semper patens ferant, quò in vrbibus, municipijs, locisve omnibus, atque adeò in itinere dignoscantur ad earum Constitutionum præscriptum.

21 Qua in re quicquam à nemine concedi, permittive vllo quouis, etiam dispensationis nomine posse, illis sanctionibus cautum est.

22 Ne Dominicis, vel alijs festis diebus, quos coli, & sanctificari præcepti, consuetudinisve est, Iudæi opus quicquam seruile, mundanumve publicè per seipsos, seu alios faciant.

23 Nec verò fidelis quisquam in eorum Synagogis vllo modo, vt eo primo Concilio vetitum est, sed neque vllo vsquam loco eorundem cæremonijs, ritibusue intersit.

24 Grauis illa sanctio, qua summus Pontifex Gregorius. XIII. Iudæorum blasphemijs, & flagitijs obuiam ire voluit, in omni nostra Prouincia, præsertim vbi Iudæos habitare permissum est, quotannis non semel, atque iterum, sed etiam sæpenumero, prout Episcopus opus esse censuerit, de more promulgetur. Atque ob eam causam Concilio huic sexto in fine illam adiungi statuimus.

9. Quæ ad fi. tuen. pert. parag. eo Constit. Grego. xiij infrà de Constit. &c. 18.

25 Monemus verò Episcopos, vt ab hominibus pijs, ac peritis linguæ Hebraicæ, & rituum Iudæorum: vel si huiusmodi non reperiantur, ab alijs doctis, ac bonis viris curent fidem, ac doctrinam Christianam Iudæis prædicandam.

Primum de Iudæis. parag. eo.

26 Ad eas conciones Iudæi omnes iussi conueniant: sed pueri, ac puellæ seorsum à parentibus, atque alijs maioribus natu, concionatorem audiant: qui ipsos familiariter instituat, & interrogantibus benignè satisfaciat.

27 In quo signum aliquod conuersionis cognitum fuerit, is ab alijs separetur: & in domum aliquam Cathecumenorum, ad id paratam deducatur: vbi diligentius omnia, quæ scire Christianum oportet, doceatur.

28 Catechumeni ne baptizentur, nisi prius diligenter instructi, & examinati fuerint, præsertim si grandiores sint.

29 Baptizati curæ alicuius probi viri, saltem per annum committantur, qui vitam illorum ijs rationibus regat, ac moderetur.

Vt diebus festis Missam, Conciones, ac Vesperas obeant. Alijs diebus aliquo artificio, quo victum quærere possint, vtantur.

30 Ne cum Iudæis vllam omninò consuetudinem habeant: Neve cum Christianis, quorum vita flagitiosa sit.

De Iudæis nuper baptizatis, in Concilio Prouinciali primo aliqua constituimus, quibus hæc de illis ipsis, & de alijs etiam Neophytis adiungenda decernimus.

5. Quæ ad fi. tuen. stud. pert. parag. eod.

31 Episcopus igitur, in cuius Diœcesi Iudæi habitant, cum fieri possit, vt Deo volente, eorum multi è tenebris ad fidei lumen accedant, illud aliqua ratione curet, vt certa domus, locusve pius, si commodè potest, eo potissimum nomine constituatur, vbi illi nuper baptizati, Neophytive alantur, ad vitæque Christianæ vsum instituantur. At verò, si id fieri nullo modo potest: eos, si quos in vrbe, Diœcesique habuerit, certè alterius loci pij Congregationi in curam tradat, aut aliquem certum sacerdotem, spectata probitate virum, spiritualisque vitæ studiosum, deligat, qui illorum vitam instituat, ac moderetur.

32 Quo in genere eius, qui ab ipso Episcopo delectus, eorum curæ quouis modo præerit, studio, hæc ratio, quemadmodum infrà ineatur.

Vt non solum diebus festis, vt alio Concilio cautum est, sed in ferijs etiam singulis, Missæ sacrificio intersint, Et conciones prætereà, sacras lectiones, supplicationes, officiaque diuina, vesperas, præsertim festis diebus obeant: charitatisq; Christianæ opera præstent, ægrorũ publicas hospitales domos præcipuè visitando.

Vt singulis diebus bis, mane, & vesperi, certo breui temporis spatio sanctè orent.

Vt cum signum salutationis Angelicæ ter in

die datur, genua flectant, & attentè precentur.

Vt stationes, ecclesiasve indulgentiarum frequentent.

Vt octauo quoque die peccata confiteantur, & decimoquinto quoque die rursus confessi, sacram communionem sumant.

Vt quo die sumunt, in sancta oratione, sanctisque exercitationibus, & charitatis operibus illum totum consumant.

Vt feria sexta, & sabbato, qui per ætatem, & valetudinem possunt, ieiunent.

Vt sacra anni tempora, vt potè Aduentus, Quadragesima, aliæque statæ anniuersariæ celebritates, cùm appropinquant: ad eorum, earumve mysteria instruantur, quò sanctioris vitæ disciplina, & operibus, Christiana pietate dignis, sacrorum eorum temporum, dierumve cursum religiosius conficiant.

Abstineant à lautioris, & delicatioris vitæ vsu, longeque diligentius ab improborum hominum consuetudine.

Aliquam quoque cautionem adhibere curet Episcopus, vt hi homines, cum matrimonium ineunt, non inter se contrahant, sed cum ijs, qui à Christianis antiquam, perpetuamque originem ducunt.

Ne inter se item multam consuetudinem habeant, vt Pauli III. Pont. sanctione cauetur.

Constitut. Pauli III. videatur, titu. de Const. num. 36.

Ne vlla in re Mosaycæ legis ritus retineant, aut sectentur.

33 Hoc in genere si Episcopus negligens erit: sciat se in Concilio Prouinciali, re omni diligenter perquisita, rationem redditurum ex eadem Pontificia Constitutione: quæ quotannis semel, vbi aliquis Neophytorum numerus est, in Ecclesia Cathedrali, Collegiatisque, de more promulgetur, certo die, quem idem Episcopus præstituerit.

34 Curet Episcopus, vt Iudæus, qui ad fidem se conuerterit, omnia bona sua habeat, ac si filius familiàs sit, legitima, & quæcumque alia bonorum pars, ei iure debita, à patre, etiam viuente, detur. Vel, si mulier fuerit, ei dos à marito restituatur, vel à patre constituatur, vnde ali possit, ex præscripto Constitutionis Pauli III. Summi Pont. præsertim in ijs, quæ ille statuit de iis facultatibus, quæ ex vsuris comparatæ sunt.

De Cingaris.

SVMMARIVM,

Primum de Histrio. Cingaris, &c. §. eo.

1 DE his etiam Principes, & Magistratus commonendos esse duximus.

Vt vagum, & fallax Cingarorum genus arceant: nisi certis sedibus collocati, vitam honestis artibus, & in reliquis omnibus, vt Christianos homines decet, agere velint.

§. Quo ad fi. tuen. stud. pert. §. eo.

Quibus Prouinciæ locis vagum, & fallax Cingarorum genus adhuc versatur, & nondum ex decreto Concilij Prouincialis primi, Magistratus opera, atque officio à Prouinciæ finibus arceantur, hæc diligentia adhibeatur.

3 Primò, Episcopus, in cuius Diœcesi eos morari, aut vagari contigerit, diligenter inquirat, an, vt Christianos decet, in omni vita se gerant, atque sanctæ Ecclesiæ institutis, & præceptis pareant.

Rursus an quicquam contra agant, quod Schismaticorum morem, vsumque præ se ferat.

An Quadragesimæ tempore, ieiunijque diebus, carne, & cibis vetitis vescantur: an nouis ritibus vtantur. Quod si contra Ecclesiæ instituta, ritusque ab illis aliquid agi, geri, fierive compertum erit, quodque præsertim eiusmodi sit, quamobrem hæresis nomine suspecti esse possint, in eos Episcopus grauiter agat, & animaduertat, etiam pro culpæ ratione ad sacrorum Canonum, Pontificiarumque sanctionum præscriptum.

4 Si verò eos vllo alio modo publicè offendere cognitum erit, ab Ecclesia diuinorum officiorum tempore eijci iubeat, quò ad emendatæ vitæ explorata testimonia, & exempla viderit.

De editione, & vsu sacrorum librorum, ac Indice librorum prohibitorum, déque Impressoribus, & Bibliopolis.

SVMMARIVM.

Tertium, quæ ad fi. tuen. stu. pert. Cõc. Trid. ses. 4 De edi. & vsu. sacr. libr.

1 PErniciosorum, & falsorum librorum, cum perpetua quodammodo pestis sit, cui remedium semper afferre oporteat, de ijs sæpè, & summorum Pontificum Constitutionibus, & sacrorum Canonum iure, cautum est. Postremò autem multa, tum Concilij Lateranen. vltimi Decreto, tùm nuper Tridentino Concilio, & Indice vtiliter constituta sunt. Quæ vt Episcopi studio à Bibliopolis, Impressoribus, & reliquis item omnibus, quorum interest, diligentius, quàm hactenus factum sit, vbique præstentur: illa ferè omnia, aliaque nonnulla eodem spectantia, quæ addenda censuimus, simul complexi, Prouinciali hac Constitutione toto eo de genere sic edicimus, propositis, eodem Lateranensi, & Tridentino tum Concilio, tum Indice, & Pij IIII. Constitutione de eo Indice lata, pœnis sancitis, & prætereà Episcopi arbitratu.

Trid. sess. 4 de edit. & c. ver. sed & impressor. Sess. 16. ses. 4.

2 Vt quicumque artem librariam exercet, ab eo ne patiatur Episcopus libros venales proponi: nisi confecto librorum suorum Indice, cui ab se, aut ab eo, à quo eam curam in recognoscendis libris geri is voluerit, & ab Inquisitore, etiam subscriptum sit: neque facultate sibi ab eisdem non permissa vllos alios cuiusuis generis libros ille habeat, aut vendat, aut quauis ratione tradat, illo Indice non notatos.

4 sess. & decreto. ver. neque eos.

3 Ne loco publico, portorijs, mercibusve importandis constituto, libros ministri publici eius loci exportari patiantur: nisi, qui illos importarent, aut Bibliopolæ, aut alij, quorum sunt, scriptum, eorundem manu signatum, attulerint, quò exportandi potestas fiat.

4 Libri non publico mercium loco expositi, sed alio in Vrbem inuecti, ab eo, qui inuexerit, vel inuehi iusserit, eisdem denuncientur: nec libri à quouis inuecti, vel in Vrbem introducti, alijs commodentur, aut quauis alia ratione tradantur, antequàm is, qui introduxerit, illis, ad quos recognitio pertinet, Indicem eorum ostenderit: ab eisdemque item facultatem obtinuerit, idque, nisi libri id generis sint, vt eos omnibus permissos esse perspicuè constet.

Trid. sess. 4 de edit. & c. ver. sed &.

5 Ne quis opuscula, libros, commentarios, aliaque id generis, quouis titulo, & nomine, quæ manu scripta sunt, euulget: nisi ab Episcopo, aut ab alio eius iussu, & ab Inquisitore recognita sint, atque approbata subscriptionibus.

Conc. trid. ibid.

6 Ne prætereà quis librum, scriptumve cuiusuis generis imprimat, imprimive curet: nisi ab eisdem, Episcopo, & Inquisitore recognitum, & scripto comprobatum.

Ead. ses. 4.

7 Quod recognitionis, & comprobationis scriptum, libri imprimendi principio, recognitorum manu notatum, principio item libri imprimatur. de edi. ver. ipsa. Ibid.

8 Libri exemplum, auctoris manu, & nomine notatum, vbi primum impressum est, recognitoribus tradatur asseruandum.

Hoc decretum per seq. abrogatum. 5. quę ad fi. tuen. stu. pert. §. eo.

Vt fraudi occurratur, quæ plerumque in opere impressorio fit, ea præter cæteras cautio adhibeatur, vt liber, vbi primùm impressus est, per recognitionis præfectos ante conferatur, quàm venalis officinis, tabernisve librarijs proponatur. Qui liber, ita accuratè collatus, auctoris subscriptione signatus, non recognitoribus, vt alio Concilio decretum est: sed quò rectius custodiatur, Episcopo tradatur, qui eundem certo loco in Archiuio asseruari perpetuò iubeat.

6. quę ad fi. tuen. pert. §. eo.

9 Moris olim fuit vitandæ gloriæ, ostentationi ve causa, libros aliquando alterius nomine, etiam assimulato, euulgari: sed quoniam hæc tempora, quib. impressoria editione aditus esse potest, ad nefaria quæque proseminanda, diligentiorem cautionem requirunt: interdictum esse volumus, mentito, fictove alterius auctoris nomine libros, volumina, litteras, scriptave cuiusuis generis, argumentive, de quib. in Indice, seu Concil. Trident. cauetur, euulgari, edi, typisve imprimi, sine consensu illius, cuius nomine edentur, ac Episcopi permissu. Sess. 4. decre. de edi. & vsu sacr. libr.

Alioquin in delinquentem animaduertatur pro grauitate criminis, arbitrio eiusdem Episcopi.

10 Ne litteras grandiusculas, quas initio, vel librorum, vel capitum imprimi moris est, aliquam obscœnæ, turpisque imaginis speciẽ exprimentes, ad librorum impressionẽ adhibeant, qui artem impressoriam quouis modo faciunt: cùm eiusmodi sint, quæ hominum mentes aliquando, fœdè, turpitérque afficiant, & bonos itidem offendant, vt obscœnè scripta. 5. quę ad fi. tuen. stu. pert. §. eod.

11 Ad libros verò, qui de rebus Ecclesiasticis, aut spiritualibus conscripti sunt imprimendos, ne characteribus grandioribus vtantur, in quibus expressa appareat alicuius rei prophanæ, nedum turpis, obscœnæve species.

12 Libris impressis, apposito imprimentis nomine, adscribatur itẽ annus, quo impressi sunt. 5. quę ad fi. tuen. stu. pert. §. eod.

13 Libri, quos typis mandari concessum, in Codicem à recognitorib. referantur, notato concessæ facultatis anno, & die, descriptis etiam nominibus eorum, quibus eos imprimendi potestas facta est.

14 Ne liber, vel exiguus, quamuis superiorum concessu, aliàs sæpè editus, sine facultate iterum impetrata, typis in vulgus emittatur, imprimaturve. 6. quę ad fi. tuen. pert. §. eo.

15 Ne hæredes, vltimarumve voluntatum exequutores, libris à defuncto relictis, vtantur, aut aliis vtendos dent, vel vendant, aliave quauis ratione tradant, antequam illos, aut eorum Indicem ipsis Episcopo, & Inquisitori attulerint, facultatemque obtinuerint. 5. eq. tit. & §.

16 De Bibliis autem vulgariter redditis, & de Testamento Nouo, in vulgarem etiam sermonem conuerso, de libris prætereà qui de rebus inter Catholicos, & hæreticos controuersis cõmuni item lingua conscripti sunt, ea diligens

cautio adhibeatur, vt illorum vsus iis tantum concedatur, quibus Episcopus, aut Inquisitor, de consilio parochi, aut confessarij permittendum iudicarit.

17 Libri de officio, & precibus horarijs B. Mariæ Virginis vulgariter, vel Italicè, vel Hispanicè, vel Gallicè, vel Germanicè: vel partim Latino, partim vulgari sermone expressi, venales ne proponantur, neque vendantur. Si qui verò eos adhuc habent, ad sacræ Inquisitionis officium statim deferre cõpellantur, vt edita à Pio V. Constitutione sancitum est.

18 Caueat Episcopus, ne libri illi paruuli, quibus preces variæ continentur, falsisque titulis aspersi, habeantur, aut vendantur; nisi suo, aut Inquisitoris, aliorum ve Theologorũ quos huic muneri præfecerit, diligenti studio primum recogniti, & purgati sint.

19 Adhibeat idem aliquando aliquot suæ Ciuitatis peritissimos homines, quorum opera, & studio acutè cognoscat, si qui pestiferi libri sint, Indice Tridentino non notati, quorum vsu, & lectione interdicendum sit, eiusdem Indicis auctoritate. Quos libros id generis cognouerit; ne in Vrbem, aut in Diœcesim illi inuehantur, caueat quàm diligentissimè, eorumque nomina, cum ad sacræ Romanæ Inquisitionis Patres deferenda curet, tum alijs Prouinciæ Episcopis significet, quò diligentius pesti obstruatur aditus.

20 Qui per Vrbes præterea, vicos, oppida, aliave loca, libros venales circumferuntur; eorum etiam Indicem habeant, cui ab Episcopo, & ab Inquisitore, aut ab ijs, quibus librorum recognitio ab illis delegata est, subscriptum sit.

21 Hos parochus, in cuius parochiæ finibus illi venales libros exponunt, circumferuntve, de improuiso aliquando visitet. Ac si, aut illorum Indicem non habere, aut alios præterea, eo Indice non descriptos, vendere, habere ve compererit; tum eos Episcopo, aut Inquisitori denunciet, tum libros omnes sequestri nomine inhibeat, donec aliter ab eo, cui denunciarit, iussum erit.

22 Si libros, Indice Tridentino damnatos, improbatosve, apud eos deprehenderit; illos etiam comprehendi, aut sponsione saltem facta sibi ab illis caueri curet, vt ad certum diem se sistant in iudicio Episcopi, aut Inquisitoris.

1. de prof. fidei §. eo. Sessio. 18. in princ. & sess. 25. c. fi.

23 Episcopi regulas Indicis de libris vetitis, ab ijs, qui illi negotio à Sacrosancta Tridentina Synodo præfecti fuerunt, ex authoritate Sanctissimi D. N. Pij IIII. editas, ab omnibus librorum impressoribus, ac Bibliopolis, cæterisque omnibus laicis, & Ecclesiasticis personis seruari iubeant.

Quorum librorum purgatio, eiusdem Indicis iussu facienda est, eos legi, vendi, aut emi haberive omnino vetamus, donec ab ijs, ad quos pertinet, purgati, & probati fuerint.

§. quæ ad fidei tuen. stud. pert. §. eo. Sess. 25. de Indice librorum, &c.

24 Librorum prohibitorum indicem, iussu Tridentini Concilij confectum, iam pridem promulgatum, omnes, singulique apud se habere curent, siue Theologi, siue Iurisconsulti, siue medici, siue aliarum litterarum professores, disciplinarumq. studiosi, & alij item, quicumque librorum numerosam supellectilem possident. Si quis verò eorum, qualis, qualis sit, eum non habuerit, tantum ab sit, vt excusationi legitimæ locus relinquatur, quòd nescierit, illos id generis esse, vt contra eum pro librorum, quos vetitos, retinuerit, ratione seuerius agatur ad præscriptum regulæ eiusdem Concilij.

25 Quæ de quauis scientia problemata, vel axiomata, vel alia quæuis eius generis publicè exercendi ingenij causa, aliave ratione proponi solent, curet Episcopus ne in posterum anteà proponantur, quàm ab ipso, aut ab ijs, quos huic rei præfecerit, cognitum sit, nihil in ijs subesse quod doctrinæ fidei, & pietati Christianæ repugnet.

1. Quæ ad fidei tuen. &c. Decreto. 4.

26. 27 Libellorum famosorum graue facinus, vnde alia præterea peccata, & scelera, & mala exoriuntur, vt quantum in nobis est, è prouincia nostra profligetur, statuimus, sancimusque, eos, qui cunque sint, qui illos scripserint, ediderint, diuulgarint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam statim subire. Si clericus verò sit, qui tale crimen admiserit, beneficiorum etiam, si quæ habet, amissione mulctetur, præter alias pœnas, eo de genere Canonum legibus sancitas.

C. de fam. libell. l. vnic. §. Quæ ad fidei tuen. stud. pert. §. eo.

A qua excommunicationis pœna nemo quisquam, huius criminis reus, absolui possit, nisi fama, & honore, cui iniuriosè detractum est, restituto, pro arbitratu Episcopi. Id verò ipsum, quanto difficilius est præstari, tanto diligentius, studiosiusq. pro suæ quisque conscientiæ religione ab eo flagitio, sceleréve cauere debet.

De abutentibus Sacra scriptura.

S V M M A R I V M.

1 *Sacra scriptura abutentes ab Episcopo coercendi.*

2 { *Cõcionatores* / *Parochi* / *Confessarij* } *de huius peccati grauitate populum admoneant.*

NEfaria est eorum temeritas, qui Sacræ scripturæ verbis, vel sententijs ad iocum, assentationem, contumeliam, superstitionem, impietatem, aut ad quosuis profanos sensus abutuntur. Quamobrẽ Episcopi in eos, qui in hoc genere deliquerint, ex Sacrorum Canonum, & Tridentini Concilij Decretis grauiter animaduertant.

1. de abu Sacræ scripturæ. §. eo.

2 Et vt detestabilis hæc licentia prorsus tollatur, fidelem populum per concionatores, parochos, confessores de huius peccati grauitate frequenter admonendum curabunt.

Trid. Cõc. sess. 4. de edit. & vsu Sac. li. vet. post. &c.

De Ludimagistris.

S V M M A R I V M.

1 *Ludimagistri quales deligendi.*
2 *Episcopi iudicio comprobandi.*
3 *Probatio eorum.*
4 *Probationis facultas quamdiu duret.*
{ *Fidei professionem ijdem emittant. De profess. fid. nu. 5. & 6.*
{ *Ea nondum emissa, quid à parocho agendum. Ibid. num. 9.*
5 *Fidei professione ab illis facta, eorum mores, vita, & puerorum institutio obseruandi.*

6 *Quos libros interpretentur: quosque interpretari prohibeantur.*
7 *Profana ad Christianam institutionem conuertant.*
8 *Fidei rudimenta doceant.*
9 *Concilij Lateranensis iussa vt obseruent, quid ab illis agendum.*
10 *Pueros ad Missam, Concionem, Vesperas, Sacras lectiones doctrinæq. Christianæ scholas conducãt.*
11 *Quotidianas ludi exercitationes pia prece inchoent, & concludant.*
12 *Tabellam Sacræ imaginis in ludo affixam publicè habeant.*
13 *An Ludimagistri superius dicta exequantur, visitationis tempore inquirendum.*
Anque libros habeant improbatos, vel suspectos, & an pueri honestè educentur.
14 *Episcopi, quæ cura cum magistris ipsis.*

1. de Ludimagistris.

PRincipes & Magistratus in Domino vehementer hortamur, vt nulla sumptus sui habita ratione, publicos Ludimagistros in vrbes, & suæ ditionis loca conducant, non minus fidei, & vitæ, quàm doctrinæ, & scientiæ laude commendatos.

1. de prof. fidei §. Episc. ver. Quorum

2 Quorum etiam omnium mores, antequàm ad docendum accedant, probare debebũt: alioquin de ijs pœnas in eadem constitutione propositas, sumant.

5. Quæ ad fidei tuen. stud. pert. § eo.

3 Et quoniam ad Christianam pietatem hoc valde interest, vt instituendæ pueritiæ, atque adolescentiæ munus committatur viris, non scientia solum, sed fide, ac moribus, vitaque probatis: eam ob causam, à quo fidei professionem Episcopus recepturus est, ante ab eo, cùm vitæ suæ rationes perquirat, tum si quod testimonium fidei, morumque à probatis viris habet, afferri iubeat. Quod si ea vel nõ afferuntur, vel eiusmodi sunt, quibus ipsius Episcopi conscientiæ ac iudicio non satisfiat, idipsum aliundè Episcopus quærat, ab ijs præsertim apud quos ille diu fuerat: hocque diligentius inuestiget, si vel è longinquis, vel hæresis nomine suspectis, vel morum corruptela inquinatis locis illum esse, aut venire animaduerterit.

5. Quæ ad prædicatio. nem, &c. §. eo.

4 Quo autem exploratiores vitæ, disciplinæq. Christianæ mores magistrorum, præceptorumve sint, eam Episcopus cautionem adhibeat; vt cùm illos moribus probat, huius probationis facultas, litteris exarata, nè diutius cuiquam eorum suffragetur, quam per annum, vel biennium, trienniumve ad summum. Quo tempore confecto, cum Episcopum adierint, qui illam proroget, confirmet ve, tunc maximè is de illorum moribus, vita, ac etiam de docendi, instituendique rationibus item diligenter perquirat, sique eos nec præstare quæ debent, vel in re aliqua offendere animaduerterit, facultatem nè proroget, neve confirmet, antequam illorum, vel negligentiam, vel aliam culpam, emendatam cernat.

5. Quæ ad fidei tuen. stud. pert. §. eo.

5 Hoc prætereà diligentiæ adhibeat Episcopus, vt posteaquam aliquis, fidei professione, ad præscriptum facta, docendi curam susceperit, eius etiam vitæ, morumque ratio, & puerorum, institutio aliquando obseruetur, idque in ijs potissimum Ludimagistris, qui certa pacta mercede, in disciplinam suam traditos pueros domi educant.

1. de Ludimagistris. §. eo.

6 Qui verò litteras docebunt, non solum libros, Indice Sanctissimi Domini Nostri Pij IIII. authoritate edito nominatim vetitos, pueris non interpretentur, aut ab illis legi patiantur: Sed neque etiam alios, quibus obscœna, vel turpia contineantur.

5. Quæ ad fidei. tuen. pert.

Quorum librorum lectione, explicatione, puerorum, aut adolescentium animi deprauantur, & mores facilè corrumpuntur; quo in genere ij sunt, qui res obscœnas, & turpes continent: eos, vt Indice Tridentino sancitum est, à Ludimagistris prælegi, explicari ve, Episcopus, non patiatur, ac planè vetet, ac illis quicquam exponi, quod bonis moribus repugnet, quodque impietatem inducat, vt Lateranensi vltimo Concilio decretum est.

5. Quæ ad fi. tuen. stud. pert. §. eo.

Episcopi cura sit, tum pueros, adolescentesue, tum Doctores, ac Magistros prohibere vsu eorum librorum, quos ex Decreto Concilij Tertij prouincialis, quoniam obscœna contineant, aut bonis moribus repugnent, aut ad impietatem inducant, certo Indice nos complectemur.

5. Quæ ad prædicat. verbi Dei, &c. §. eo.

7 Si quæ profana magis aliquando exponent, omnia ad rectam disciplinam, egregiamque morum indolem præclaris interpretationibus traducere studeant, quod facilè assequentur, si quid perpetuò in suis explicationibus interponant, quod ad institutionem Christianæ pietatis studijs dignam, pertineat.

1. de Ludimagistris. §. eo. Sess. 9

8 Præcipimus etiam vt bonis moribus, & salutaribus præceptis eos erudiant, in primisque in aliqua pia, & Christiana institutione, si Episcopo videbitur, exerceant; cæteraque omnia officia, quæ Leo X. in Lateranensi Concilio statuit, præstent. In ijs si deliquerint, pro delicti genere plectantur.

5. Quæ ad fidei tuen. stud. pert. § eo.

Iubeat Episcopus pueros, adolescentesue à Ludimagistris Christianæ religionis præcepta, atque fidei rudimenta doceri, adhibitis ijs solũ libris, quos Episcopus ipse præscripserit, prout ad illud instituendi munus eos idoneos esse iudicauerit. Dominicis verò, & festis diebus nullo alio prætereà doctrinæ genere illos instrui liceat, quod omne eo ipso Concilio Lateranensi præscriptum est.

5. Quæ ad prædicatio. &c. §. eod.

9 Ludimagistri, quo commodius præstent, quod ex Concilio Lateranensi in Synodo nostra prouinciali tertia eis ad pueros in doctrina, pietateque Christiana rectè instituendos præscriptum est, decernimus, tum hanc ipsam Decreti partem, tùm conscriptũ de eadem doctrina libellum, cum libris rudimentorum Grammaticæ coniungi, eisdemque agglutinari. Nec vero id generis libros, quos Episcopus intra suæ Diœcesis fines, in frequentiori puerorum vsu esse animaduerterit, talesque notarit, ac declarauerit, decreuerit ue, deinceps sine eo doctrinæ Christianæ libello imprimi, vendi, in vsum ve puerorum adhiberi liceat.

5. Quæ ad fidei tuen. stud. pert. §. eo.

10 Illud etiam eisdem præscribat Episcopus, vt diebus festis, scholæ suæ adolescentes, puerosue, aut ipsi conducant aut frequentes illos conuenire iubeant ad solenne Missæ conuentualis sacrum, ad verbi Dei conciones, ad diuina Vesperarum officia, ad sacrarum litterarum interpretationes; ad doctrinæ Christianæ scholas; & ad alia denique vitæ Spiritualis studia, atque exercitationes.

11 Quotidianas

5. Quæ ad prædicat. §. eo.

11 Quotidianas Ludi exercitationes, ac studia inchoent, & concludant item pia aliqua oratione, & prece, quæ antequam absoluatur, pueri è Ludo sine vrgenti causa nè missi fiant.

Ibid.

12 Proinde in gymnasio, loco decenti, & perspicuo tabella alicuius Sacræ imaginis appendatur, ad quam diebus singulis discipuli statas preces faciant.

3. Quæ ad fidei tuen. stud. pert. §. eo.

13 Hæc omnia, an ab iis præstentur, Episcopus visitando aut ipse, aut alius eius nomine inuestiget diligenter, tũ maximè, an libros isti apud se habeant, vel ob fidei doctrinam, vel ob morum institutionẽ damnatos, improbatosve: tum præterea, an qui in eorum disciplinam traditi sunt, honestè educentur.

5. Quæ ad Matrimonium pert. §. eo.

14 His temporibus tanta puerorum licentia est, atque adeò effrænata, vt cum peccandi materiam afferat; tum disciplinæ Christianæ detrimenta importet nõ leuia: hinc in Scholis nimia petulantia, in Ecclesijs irreuerentia, turbulenta foris cõcitatio, atque in omni loco sese efferens impudentia, & penè proiecta audacia.

Quare Episcopi, qui omni morum speculationi sanctè inuigilare debent, videant, ne grauiores offensiones inde existant: proinde, & cũ Magistratibus, Decurionibusvẽ agant, vt aliqua inita ratione ei rei occurrant: & præterea Sacerdotes aliquot vitæ probitate, castissimisque moribus præstantes, aliosque pios viros, & salutis animarum zelo accensos deligant, qui puerorum scholas sæpè inuisant, mores, & vitam eorum perquirant, in Dei timore, officijsque Christianæ institutionis illos contineant: idque omne cum parentibus, magistris, præceptoribusque agant.

Curéntque, vt pius aliquis Ciuitatis locus, piave Confraternitas id oneris suscipiat, quemadmodum alicubi fit, vt huius generis vagantes pueri colligantur, eorumque effrænatis moribus opportunè consulatur.

Quod si hæc non successerit, aliam omnem, quæ sibi potior videatur, rationem ineant, vt puerorum effrænatæ libertati, quæ multa spiritalia incommoda parit, rectissimè occurratur.

Nullo verò modo patiantur, vt huiusmodi pueri Ecclesiam perturbent: quod ea maximè ratione præstabitur, si parentes, vel ij, ad quos id pertinet, liberos suos teneræ ætatis, apud se teneant, secum ducant, eisque ostendant, piè, suppliciterque orare, & sacris interesse.

De fidei initijs à Parocho tradendis, & Scholis Doctrinæ Christianæ.

SVMMARIVM.

1 *Parochi fidei initia quibus diebus pueros doceant: etiam si regulares sint. De parochijs, &c. num. 48.*

2 *Doctrinæ Christianæ sodalitas instituenda, vbi illa adhuc instituta non sit 4.*

3 *Quibus locis ipsa sodalitas institui non poterit, quid agendum.*

5 *Institutæ, instituendæq; quibus regulis vtantur.*

6 *In pagis, & villis à parochiali distantibus, cuius cura, & auxilio constituendæ.*

In Hospitalibus erigendæ. De piorum locorum adm. num. 32.

7 *Clerici Parochum adiuuent in tradenda Doctrina Christiana, & num. 6.*

8 *Doctrinæ Christianæ tradendæ, & percipiendæ ratio præscripta.*

9 *Vt illius ignorationi occurratur, quid præstãdum.*

10 *Parentũ, & dominorũ negligentiæ vt cõsulitur.*

11 *Quibus Confessarij remittere possint recitationem quatuor capitum Doctrinæ Christianæ.*

Doctrinæ Christianæ rudis in nulla Cõfratria adscribendus. Quæ ad sodalit. pert. num. 9.

Mendici vagantes ad scholas Doctrinæ Christianæ ducendi, vt illam edisçant. De piorum locorum administr. 57.

12 *Indulgentiæ eisdẽ sodalitatib. concessæ, à quib. & quando promulgandæ.*

13. *Scholæ ipsæ sæpissimè visitandæ.*

14 *Visitatorum quod officium.*

15 *Confessarij, & Concionatores* } *plures eisdẽ scholis cõstituẽdi.*

16 *Ob concionem à prandio habendam scholæ ipsæ non impediendæ.*

1 Parochi singulis Dominicis, & alijs festis diebus, qui Ecclesiæ præcepto agi soleant, pueris singuli in suis parochiis initia fidei tradant; eosque ad obedientiam, primum Deo, deinde parentibus præstandam, erudiant, ac propterea à prandio stata hora, proprio campanæ sono, ad id munus assignato, ad Ecclesiam conuocandos curabunt. 1. de fid. init. &c. §. eo. Sess. 24. ca. 4. Vt quisque de Vit. & honest. cler.

2 Quo studiosius parochi in eã curam, quæ constitutione de fidei initijs, à parocho tradendis superiori Concilio, præscripta est, incumbant: id etiam curet Episcopus, vt in singulis diœcesis suæ oppidis, & vicis Doctrinæ Christianæ sodalitas instituatur, quæ in eo munere ipsos parochos adiuuet. Cuius rei causa libellus, quem vnusquisque Episcopus in suæ Diœcesis scholis, eo nomine institutis, adhibere poterit, iussu nostro edetur. 2. tit. 1. dec. 2.

3 Quibus autem locis sodalitas eiusmodi institui non poterit, in iis duo, tresve homines saltem deligantur, authoritate grauiores, qui pro Christiana pietate, id sollicitudinis suscipiant; vt pueros, adolescentesve ad parochum inducant, à quo in Ecclesia illi fidei rudimentis imbuantur. Ibid.

4 Quibus in oppidis, vicis, ac locis, quæ ad suam diœcesim pertinent, Episcopus has necessarias doctrinæ Christianæ scholas, & sodalitates, vt altera prouinciali Synodo iussum est, non adhuc instituit, illas, quàmprimum, & quàm diligentissimè institui curet; studeat verò quàmplurimos cuiusuis conditionis, status, & ætatis homines probatos, tum mares, tum fœminas, ijs scholis iam institutis, vel instituendis, adscribi, adscriptosque operam illis nauare, vt concessi indulgentiarum muneris participes sint. 3. De scholis doct. Christ. §. eo.

7 Eas verò iam institutas, vel in posterum instituendas, scholas, & sodalitates, ad illas præscriptas regulas, dirigi curet, quæ iussu nostro, ad communem earum vsum edentur in lucem.

6 Vbicumque in Diœcesis pagis, aut vicis præsertim frequentioribus, quoniam ab Ecclesia parochiali aliquantulum ea loca distent, aliamve ob causam Episcopus expedire censuerit scholas doctrinæ Christianæ institui, erigivè; 4. de doctri. Christ. §. eo.

præter eas, quæ parochialis Ecclesiæ loco institutæ sunt, Vicarij Foranei diligentia, & parochi cura quàmprimum illæ instituantur, in Ecclesia, Capella, oratoriove illis propinquiori, aut commodiori; tùm maximè opera, & adiumento Sacerdotum, & Clericorum quorumcunque illius pagi, vici, locive,

Si quādo prætereà in diœcesi per pluuiæ vim, niues, aliamve temporis grauitatem, viæ, aut itineris difficultati adiunctam, ad eiusmodi scholas in parochiali Ecclesia, qui debent, conuenire difficilius possunt: eiusmodi Vicarij, & parochi cura sit, vt tunc in oratoriis, vel Capellis propinquioribus, aut saltē, si id nō potest, alio honesto loco, per Clericū idoneū, seu per alios scholæ sodales, & vitæ, & doctrinæ Christianæ studio instructiores, aliqua tū tradendæ, tū percipiēdæ, eiusmodi doctrinæ exercitatio fiat; ne ob vllam causam statis diebus hoc institutum, atque pabuli spiritalis vsus illis desit.

7 Clerici quicumque Dominicis, festisque diebus, qua hora in Choro diuinis officiis concelebrandis obstricti non sunt, parochum, intra cuius parochiæ fines habitant, in Doctrinæ Christianæ scholis, vbicumque loci intra fines illius parochiæ cōstitutis adiuuent, idque in vrbe, & Diœcesi ad præscriptum eorum, quibus id curæ ab Episcopo datum erit.

§. Quę ad prędicat. ver. Dei & doct. Chr. pert. §. eo.

8 Ad salutem cum omnibus fidelibus admodū necessarium sit, Christianæ fidei rudimenta scire, tum certè huius in primis prouinciæ populis, qui hæreticis finitimi, nisi in fidei fundamentis firmi fuerint, ac stabiles, summopere verendum esset, ne fortè ab eis in aliquam impietatis, ac nefariæ doctrinæ fraudem facilius adducerentur.

Quamobrem nos multam hactenus diligentiam adhibuimus, vt omnes, ac singuli Christi fideles, in fidei Christianæ rudimentorum, institutione erudirentur: sed cum parum nos hucusque profecisse tanta in re cognouerimus; negotii, periculique magnitudine adducti: hæc præterea decernimus.

Primò omnibus, singulisque animarum curatoribus, & cæteris Confessariis siue Sæcularibus siue Regularibus, in virtute sanctæ obedientiæ id præcipimus, vt faciant, antequā cōfessiones audiant, orationem Dominicam, Angelicam salutationem, Symbolum fidei, & Decē præcepta Dei, quæ Decalogo continentur, vt pœnitentes recitent, aut ipsis audientibus referant. Quarum rerum si quos ignaros, rudesque offenderint, hanc eorum spiritualem socordiam acriter reprehendant, ostendantque quàm grauis esse debeat illarum conscientiæ ignoratio rerum, quæ ad salutem tantoperè necessariæ sunt. Cum autem eos absoluunt, præter alias pœnitentias, & actiones satisfactorias, id etiam imponant, vt quatuor hæc saltem potissima Doctrinæ Christianæ capita in posterum accuratè edisċant, certo illis, pro arbitratu suo præfinito congruo tempore, quod tamen ob necessariam aliquam causam semel, aut ad summum iterum prorogari liceat. Eo autem temporis spatio confecto, si eadem adhuc illos ignorare viderint, tunc nè illorum confessionem audiant; nisi Consilio, & assensu, aut Vicarii Foranei, si Diœcesani sunt, aut illorum, quos huic curæ in Ciuitate Episcopus præfecerit, si in Ciuitate viuunt. Si qui verò semel ita admissi ad Sacramentum pœnitentiæ, eos postea in rudi hac, crassaque ignorantia persistere compertum erit, de ijs ad Episcopum ipsum referatur, antequam amplius admittantur, qui illorum saluti diligentius, & efficacius cōsulat, vt viderit in Domino expedire.

9 Quo facilius porrò perniciosæ huius ignorationis incommodo occurratur, neque aliqua fideles excusatione suam negligentiam prætexant, illud eisdem animarum curatoribus mandamus, vt die festo, vel intra Missarum solennia, vel in Vesperis, aut paulò ante, si frequentior tunc fidelium multitudo præsens in Ecclesia aderit, clara voce, cum disertis, distinctisque verbis, quæ ab omnibus exaudiantur, modo vnum, modo alterum, aliquando plura ex ijs præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus, prout opportunius sibi videbitur, recitent; simulque vniuersos, qui aderunt, hortētur, vt eadem verba, quibus ipsi præibant, illi simul referant.

Et verò, quo populus doctrinæ Christianæ præceptis atque institutis in dies instructior fiat, iidem parochi illo tempore, nunc vnam, nunc alteram eorundem quatuor illius doctrinæ capitum partem studiosè explicent. Qua in re Catechismi Romani, aliorumque probatorum authorum, qui in hoc genere, piè, diligentérque versati sunt, doctrinam potissimum sequantur.

Nec verò propterea, quæ nunc decernimus, quicquam detractum, derogatumve sit, quominus tum qui pro captu suo apti sunt maiori eruditioni, aut pro ratione status sui explicatius, & plenius vniuersam doctrinam Christianam discere debent, præstent, quod debent; tum parochi, alijque ad quos illam docere spectat, cumulatè præstent quæcumque in hoc genere olim decretum est ab illis præstari debere, & reliquas prætereà omnes sui muneris pares.

10 Porro confessarij grauissimam pœnitentiam imponant, itémque concionatores diuinam vltionem denuncient, & patribus familias, & dominis, qui nulla, aut saltem parua diligentia adhibita, omnem rationem non ineunt, vt sui liberi, ac famuli Christianam doctrinam addiscant; neque eis, quos in famulatu habent, tantum diebus saltem festis vacui temporis concedunt, quo in Ecclesias, aliauè loca pia, vbi ea doctrina traditur, ad illam percipiendam conuenire possint.

11 Quo faciliorem executionem habeat decretum in Concilio Prouinciali Quinto editum, de quatuor præcipuis illis doctrinæ Christianæ capitibus confessario, ante confessionem à pœnitente recitandis, nos decernimus, & declaramus Episcopi iudicio, & prudentiæ hoc permissum esse, vt certis confessarijs, quibus concedendum esse ipse censuerit, concedat, detque facultatem, qua illam fidei rudimentorum recitationem eo Prouinciali Concilio decretam, ac præscriptam possint pœnitentibus aliquando remittere; quos certo sciunt illa capita rectè nosse; & iis maximè, quibus pœnitentiæ sacramentum frequentius §. Quæ ad pœnit. sacr. pert.

ministrabunt. At verò illud confessarius caueat, nè eius recitationis munus illis condonet, quos certo non scierit fidei rudimenta memoriter tenere, ac rectè nosse. Verum cum illis, qui ea ignorant, agat ad præscriptum eiusdem Concilij Quinti.

3. de Schol. doc. Chr. §. eo. 12 Quo maior in dies concursus, & progressio fiat ad doctrinæ Christianæ scholas, ad earumque studium vehementius excitentur iam institutæ, & in posterum Deo iuuante, instituendæ eius rei nomine sodalitates: Indulgentiarum, quæ & à Pio V. & nuper à Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. earum sodalitatum hominibus concessæ sunt, donum quotannis per parochos duobus ante Calendas Maij diebus Dominicis proximis promulgetur, cum frequens populus adest. Illis autem constitutis Calendis, earum sodalitatum homines, vt Indulgentias consequantur, confessi, Sacram Eucharistiam sumant; ac processionem præterea agant solenni ritu. Si verò sæpius id promulgari, vel alijs potius certis diebus hæc ab illis agi, Episcopus censuerit, id constituat arbitratu suo.

3. Ibid. 13 Scholas prætereà quàm sæpissimè visitari, tum ab earum præfectis, tum ab alijs etiam iubeat, quibus id negotij dederit. Ijque diligenter ei referant, cum de omni instituta earum ratione frequentiáque illorum qui conueniunt, tùm de reliqua earundem sodalitatum spirituali progressione.

Ibid. 14 Eisdem, quo plures poterit, constituat Confessarios Sacerdotes, & in Concionibus habendis exercitatos, quorum & ministerio adiuuentur, & salutaribus monitis, crebrisque cohortationibus inflammentur in dies magis, ad illud scholarum, & piarum exercitationum institutum, atque studium.

16. Si quam aliquando concionem sacram à prandio populo haberi contigerit, ei certa hora ab Episcopo statuatur: ita vt neque concionator à doctrinæ Christianæ scholis, neque hæ ab illo impediantur.

De Præbenda Theologali, & lectione Sacræ scripturæ.

SVMMARIVM.

1 *Præbenda Theologalis quibus in Ecclesiis constituenda, cuique illa conferenda, 2.*
Theologalis, pœnitentialique præbenda vacante, à quo proponendum edictum: & cui conferenda. De edicto proponen. num. 5.
3 *Theologalem præbendam obtinens, quæ legat, & vbi doceat.*
4 *Consultus de Theologiæ quæstionibus, gratis respondeat.*

1. de præb. Theo. §. eo. Sess. 5. c. 1. de Ref. 1 QVæ Ecclesiæ Cathedrales, aut Collegiatæ in oppidis insignibus præbendam, aut stipendium quouis nomine Theologiæ interpreti assignatum non habent, cum in illis Sacrum Concilium Tridentinum præbendam primò vacaturam, ad hunc vsum constituerit, quam ei tantummodo, qui ad hoc munus per se præstandum idoneus sit, deferri voluit; id si adhuc re ipsa effectum non sit, curent Episcopi, vt quamprimum decreto Concilii satisfiat.

3 Quicunque præbendam Theologalem, vel Tridentino decreto, vel alia authoritate, rationeve institutam, in Cathedrali, Collegiatisue Ecclesiis obtinet, is, & quæ Sacrarum lectionum genera, & quibus diebus Episcopus præscripserit, vt interpretationis suæ munere fungatur, accuratè ad illius præscriptum præstet; ita vt etiam si expedire censuerit, & in Seminario, & in aliis Clericalibus, Sacerdotalibusue Collegiis doceat: in Basilica verò Cathedrali saltem die festo semper sacram scripturam publicè interpretetur & exponat; nisi aliquando aliud iusserit Episcopus. 5. Quæ ad benef. col. lat. attinet.

4 Idem ab Episcopo, aut ab alio consultus, Theologiæ quæstionibus aliisve eius generis gratis respondeat: cæteraque denique omnia præstet, quæ pro suscepti muneris ratione ab eo præstari debere idem Episcopus censuerit.

De Prædicatione verbi Dei sacrisve concionibus.

SVMMARIVM.

1 *Prædicatio præcipuum Episcopi munus, & quando illud exercendum.*
De Missa, & Vesp. Pontif. num. 2.
2 *Impeditus per quos alios id præstet.*
3 *Ipseque tunc concionibus intersit.*
Quo tempore habendæ conciones. 4.
4 *Parochi quo tempore omnino prædicent; etiam si Regulares sint, & de parochijs, &c. num. 48.*
5 *Si rudes qua ratione prædicandi munus expleant.*
6 *Doctrina, & progressus eorum vt probanda.*
7 *Negligentium, & contumacium pœna.*
8 *Inhabilibus quando coadiutores dandi:*
9 *Parochi quid præstent, vt officio concionandi satisfaciant.*
10 *Vltra parochi officium, quando ab Episcopo per Diœcesim mittendi prædicatores, & à quibus excipiendi.*
Prædicandi ratio concionatoribus proposita.
Episcopus, Parochus, & Alij — quo ritu, & ratione vtantur in habendis concionib.
11 *Concio noctu non habenda.*
12 *Ea intra Missarum solemnia, Euangelio scilicet recitato habenda.*
13 *Concionis tempore Missa non celebranda, horæ Canonicæ non recitandæ, neque eleemosyna quærenda, & de Concionatoribus, num. 26.*
14 *Episcopo concionante ab alio nemine concionandum.*
15 *Parocho sermonem habente, à populo non discedendum.*
16 *Conciones sacræ à Canonicis, & clericis, ac laicis in sua parochia parocho monente audiendæ. 17. & 18.*
Concionib. quo vestitu Clerici intersint. 17.
19 *Iis audiendis loca mulierum sint distincta.*
20 *Ad eam audiendam, quæ præparatio.*
21 *Vt ex ea salutares fructus capiantur, quid docendum à parocho.*
22 *Eius rectè audiendæ modus traditur, eaque absoluta quid agendum.*

In Missa Conuentuali congregationum Foranearum habenda. De Vicarijs Foraneis. 8.
Indulgentiæ celebrantibus, & conuenientibus ad ipsam Missam congregationum Foranearum euulgandæ. De Indulgentijs. 17.
In funere qualis habenda concio. De funerib. 35.
Ad Iudæos, vt etiã habeatur. De Iudæis nũ. 25.
Vt conciones in vrbe, vel oppidis à rusticantibus audiantur certis temporibus, & festis solennibus, parochi cura. De Sanctæ Eucharistiæ in Eccle. administr. num. 4.

1. de prędic. ver. Dei. §. eo. 1 APostoli, in quorum locum Episcopi successerunt, satis nobis aperiunt, verbi Dei prædicationem esse præcipuum illorum munus, qui in Episcopali sede collocantur.

Sess. 5. c. 2. sess. 24. c. 4. de Ref. Quamobrem nos authoritatem sacrosancti Tridentini Concilij, & veterum patrum sequuti, in Domino Episcopos hortamur, vt toto pectore in hanc curam incumbentes, greges sibi commissos ipsimet, præsertim in Ecclesia sua, verbo Dei pascant.

1. Ibid. Quòd si leui de causa, aut quodam animi languore impediti non fecerint, sciant sibi prætermissi necessarij officij Iudici Deo præcipuè rationem esse reddendam.

Sess. 5. cap. 2. Cõc. Later. sub Inn. 3. c. 10. 2 Sin autem se interdum verè impeditos cognouerint, per viros idoneos, ex præscripto eiusdem Concilii Lateranen. deligendos, hoc munus studiosissimè populo præstent.

§. Quæ ad prædic. verbi Dei, &c. §. eo. Episcopus si verè, legitiméque aliquando impeditus, in Cathedrali Ecclesia prædicationis munus per se ipse præstare non potest, vt certè Concilij Tridentini sanctione decretisque prouincialibus debet, id per alios, qui idonei sint, ex eorum decretorum præscripto præstet impensis scilicet suis, nisi immemorabilis consuetudinis est, eas ipsas impensas ab aliis illo prædicationis nomine fieri.

1. Ibid. §. eo. 3 Episcopi iis diebus quibus legitimè impediti prædicandi munus in suis Ecclesiis per alios præstabunt, eisdem sacris concionibus, quantum poterunt, interesse studebunt.

Sess. 5. c. 2. Sess. 25. c. 4. Conc. Maguntiacum, c. 25. Cõc. Later. sub Inn. 3. c. 10. c. inter cætera, de offic. ord. 4 In aliis verò Ecclesijs parochialibus, vel alias curam animarum habentibus, saltem omnibus Dominicis, & solẽnibus diebus festis, ieiuniorum autem Quadragesimæ, & Aduentûs tempore, quotidie, vel ijs saltem diebus, quibus Episcopus iusserit, proprio parocho, & curato, oues sibi commissas, pro earum sensu, & intelligentia, salutarib. verbis pascendas mandamus.

5 Si qui autem propter inscitiam id præstare non poterunt, ad peritos confugiant, quorum auxilium implorantes, vel homilias sibi præscriptas, vel latinos sermones authoris ab Ecclesia recepti, in linguam vulgarem conuersos, approbatos tamen ab ordinario, aut memoriter, aut de scripto pronuncient.

Id autem tamdiu fiet, quoad liber Homiliarius ad hunc Curatorum vsum Metropolitani cura prodibit in lucem

6 Sed vt norint Episcopi, & eorum industriam, qui doctrina sunt præditi, & illorum diligentiam, qui aliorum verbis diuinam legem enũciãt, iubeant, si eis ita videbitur, ab vnoquoque parocho, & Curato, vnũ singulis mensibus, ab eo habitum in Ecclesia sermonẽ ad se mitti. Eorum autem in pascendo populo verbi Dei prædicatione, industria, & doctrina, & in eo genere salutaris progressus ab Episcopo cognoscatur, vel illis in Episcopales ædes, alioue, aliquando coram se ad concionandum, euocatis, vel etiam ex sermonibus, quos habuerint, aliquando ad ipsum Episcopum missis, vt prouinciali Decreto olim sancitum est, vel alia omni ratione, quam inierit idem Episcopus. 4. de ver. Dei præd. §. eod.

7 Qui negligentes, aut contumaces fuerint, eos Ordinarii arbitrio suo puniant; & præterea alios deligant, qui eorundem impensa opus illud explere possint; donec ipsi resipiscentes munus suum expleant. 1. Ibidem. Sess. 5. c. 2.

8 Quo etiam modo illis occurrere poterunt, quos etiam, vel peritorum industria, vel homiliarum libris, vel alia quacunque ratione adiutos, parum proficere; quosve ei muneri minus aptos esse, vel prædicatione destruere potius, quàm ædificare iudicarint.

Parochis non idoneis ad munus suum obeũdum in pascendo sibi commissum populum verbo Dei, coadiutor eo in onere sustinendo, tum toto temporis anno, vt est à Tridentino Concilio sancitum, & primo etiam Prouinciali nostro, decretum, tùm maximè in Quadragesima detur ab Episcopo: cum ea mercede, aut eleemosyna, ad eius sustentationem à parocho persoluenda, quæ eidem Episcopo videbitur congrua. Vide tamen de concionatoribus, §. Populus. 4. de ver. Dei præd. §. eo. Sess. 5. c. 2.

9 Parochi præterea, vt & concionando, & docendo fideles sibi commissos, salutaribus institutis, sanctaque disciplina instituere possint; eos sibi libros, cum per facultates possunt, comparare studeant, quæ à probatis authoribus piè, & doctè conscripti viam, & rationes aperiunt, partim ad sanctissimam sacrarum litterarum explicationem, optimamque concionandi normam; partim ad spiritualis vitæ institutionem, virtutumque Christianarum exercitationes; tum denique ad parochialis Ecclesiæ curam, sanctè, & religiosè gerendam. 4 Ibid. §. eo.

10 Extra vrbem verò in vniuersa Diœcesi, præter officium, quod Curati præstabunt, tam multos distribuant Episcopi concionatores, vt in Curatis Ecclesiis, quæ in frequentioribus vicis sitæ sunt, cæterisque omnibus etiam non Curatis, in quibus ipsi opportunum iudicauerint, intra cuiusque mensis spatium, saltem semel in aliquo die festo Dei verbum prædicetur; Eos autem ab illis, in quorum Ecclesijs prædicabunt hospitio recipi volumus, suppeditatis omnibus rebus, ad eorum victum necessariis, data etiam eleemosyna aliqua ex fructibus beneficiorum, vel etiam largitione laïcorum, si beneficia tenuiora iudicauerint Episcopi, quam vt id onus ferre possint; nisi sint, qui iure debeant, vel dare consueuerint. De hoc vide etiam in titulo de Concionatoribus. 1. de prædic. verb. Dei. §. eo. Sess. 24. c. 4.

11. Curent Episcopi, quod veteris Ecclesiæ instituti est, sermonem, sacramve concionem vbique intra Missarum solennia potissimum haberi, siue ab illo eodem Sacerdote, qui Missam tunc celebrat, canitve, siue ab alio habeatur: idque præterea, etiam si Missæ sacrificium pro mortuis fiat: nisi sermo aliquando Episco- Sacra concio noctu nũquã, sed opportuno tempore Episcopi præscripto ha-

beatur. 4. de ver. Dei præd. §. eo. pi concessu de mortui laudatione in Ecclesia habeatur, qui nullo modo in Missa, sed ea peracta, pronuncietur.

Cum vero concionis, sermonisve munus in Missæ Sacrificio præstatur, id fiat semper statim, postquam Euangelium recitatum est, vt Ecclesiastici ritus ratio postulat, non in alia Missæ parte, aliove tempore.

13. Dum concio habetur, nec Missæ, aut horæ Canonicæ, clara, aut submissa voce in ea Ecclesia dicantur.

Dum vel Episcopus, vel parochus, vel alius sermonem concionemve habet, ne eo ipso tempore, in Ecclesia, vbi habetur, in eiusve aliquo sacello, aut in alia eiusdem parte, ac ne in ea quidem, quæ subterranea, Scuroli nomine vocatur, Missæ Sacrificium ab vllo quouis Sacerdote fiat.

Clem. Dudum de sepult. Ibid. 14 Quod à Clemente V. Pontifice Maximo in Concilio Viennensi de prædicatione verbi Dei constitutum est, id omnis Ecclesiastica ratio suadet ad vsum, vel reuocari, vel introduci. Qua igitur hora Episcopus, cuius præcipuum munus est prædicationis, id officium præstat, ne quis alius cuiuscunque ordinis est, illa ipsa hora, in ea vrbe, oppido, vico, locoue, vbi ille prædicat, etiam in Ecclesia regularium, aut aliàs exempta; sermonem, concionève habeat, nisi facultate ab illo impetrata.

1. Quæ ad Conc. pert. §. eo. 15 Quoniam parocho concionante nonnulli, parum salutis suæ memores, cum ad illius concionem conueniunt, sæpè discedunt ea non absoluta, ideò debiti in hoc genere officii sui eos crebro Parochus admoneat, prout necessarium esse viderit. Quod si quos aliquando monitos ex verbi Dei, vel parochi concionantis contemptu in contumacia perseuerare animaduerterit, illos ad Episcopum deferat, qui pro culpæ grauitate eosdem afficiat, tum aliis pœnis, tum si opus est, Sacramentorum communione priuet, ad Carthaginensis Concilij præscriptum.

C. Sacerdotes de cons. dist. 1. 1. de Prædic. verbi Dei, §. Episcopi ver. Qui vero. 16 Qui verò dignitates, personatus, vel Canonicatus in Cathedrali Ecclesia obtinent, & alii eiusdem Ecclesiæ Clerici, Dominicis, ac festis solennibus diebus semper; Quadragesimæ autem, & Aduentus tempore quam sæpissimè verbi Dei conciones in eadem Ecclesia audiant. Quod officium à cæteris quoque ciuitatis clericis præstari diligenter curabunt Episcopi, vt ipsorum exemplo laici etiam ad audiendum verbum Dei studiosius confluant.

2. Quæ ad Missę, &c. decr. 27. 10 Superiori Concilio iussum est, Canonicos, & alios clericos sacris concionibus interesse, quod cum ab eisdem non ita præstetur, vt debet, pœnis propositis, id efficiendum censuimus, quod iussu & cohortationibus non potuimus. Quare Canonici Cathedralium, tum Collegiatarum etiam Ecclesiarum, & reliqui prætereà clerici, si tempore Concilij superioris constitutione præscripto, non interfuerint sacris concionibus, aut ad eas sacrarum litterarum interpretationes lectionesve non accesserint, quas ipsis Episcopus præscripserit, mulctentur eiusdem Episcopi arbitratu.

17 Canonici, & alii item dignitate præditi, ac reliqui prætereà quicunque sint, cuiusuis ecclesiæ Clerici, cum in sua Ecclesia concionibus, lectionibusve sacris intersunt, superpelliceis, eoque clericali, Canonicaliue habitu, quem in Choro Canonicarumque horarum officii obeundis vestiunt, induti omnino sint. 4. de ver. Dei præd. §. fi.

18 Moneantque eum diligenter, debere vnumquemque, vt à Sacra Tridentina Synodo traditum est, in parochiam suam, vbi id fieri commodè potest, conuenire ad audiendum verbum Dei. 1. Quæ pert. ad celeb. Missæ. Sess. 24. c. 4. de Refor.

19 Concionis audiendæ causa, loca virorum, & mulierum si fieri potest Episcopi cura distinguantur, qui ad id exequendum idoneos aliquot viros adhibeat, & à secularibus magistratibus, si opus erit auxilium petat. 1. de præ. dic. verbi Dei. 5. Quæ ad præd. ver. Dei. &c. §. eo.

20. 21 Magna in verbo Dei vis inest ad commouendos animos, si qui audiunt; ita se instituant, atque adeo parent, vt vtiliter audiant. Parochi igitur sæpè moneant, ac doceant, quo scilicet modo fideles salutares vtilitates, spiritualiaque emolumenta, & fructus vberrimos è Sacra Concione capiant.

22 Doceant igitur hæc in primis.

Vt cum quis ad verbi Dei concionem accedit, non concionem profanam, sed sacram, religiosam, sanctæ disciplinæ institutis excultam, atque charitatis studio elaboratam, se auditurum putet; proindéque persuadeat, se à Deo, qui concionatoris ore tunc sanè loquitur, salutaribus præceptis, consilijsque erudiri ad optimè agendum.

Vt in Ecclesiam ingressus, hæc à Deo precetur, primum sibi peccata remitti, tum etiam sibi aperiri aures cordis, vt audiat, oculosque mentis, vt videat, agatque adeò ad instituendæ vitæ rationem, & vsum accommodet quæ concionator enunciarit.

Vt firma, fixaque animi deliberatione statuat, se velle perficere, atque exequi, quæcumque in ea concione sibi dicta putauit.

Vt quæ è concione audierit, ne planè ad alium quemquã, sed ad seipsum omnino referat.

Vt animo nõ vanè distracto, sed collecto, atque attentissimo concionatorem, tamquam eum, qui Dei verba, non sua pronunciet.

Vt neque eloquentiam, neque actionem, artemve concionantis spectet, aut admiretur; eiusque sermone, tanquam carmine musico, inquit Propheta, quod suaui, dulcique sono canitur, tantum oblectetur, ita vt verba audiat, & non faciat ea: sed totus in eo sit, vt diuini verbi spiritum hauriat, quo incensus, quæ audierit, studiosè efficiat, atque exequatur.

Vt Dei verba, quæ è concionantis ore exeunt, non solum aurium sensu, sed intelligentia, menteque ita religiosè percipiat, vt animi voluntatem, ardentemque affectum simul accendat ad omne sanctè agendi officium.

Vt concione absoluta, si modo ibi moraturus non sit, quò ad Missæ solennis sacrificium peragatur; ne tamen statim de Ecclesia abeat, sed in oratione paululùm consistat; tùm verbi Dei, quod audierit præcipua capita, quæ præsertim sibi conueniant, tacita cogitatione secum repetat, rationemque certam concipiat, atque ineat, qua res tam salutares rectè exequi possit.

Vt de templo à concione, orationéque egressus, ne de concionante intemperanter loquatur, ne temerè iudicet. Ne rursus ad inanes cõ-

fabulationes, profanáque colloquia se conferat, vt ne effluat, quod & audiendo, & meditando castè, sanctéque concepit.

Immò verò amicis obuiam factus, cum illis salutaria instituta, quæ concionator explicauit, studiosè, & opportunè communicet.

Domum reuersus, familiam item sæpè commonefaciat, quæ de sanctæ vitæ institutione ab eo accepit.

Quæ in hoc Titulo desiderantur, vide in Titulo sequenti de Concionatoribus.

De Concionatoribus, siue Episcopi, siue Parochi, siue alij quicumque sint, etiam regulares.

SVMMARIVM.

1 *Concionatores fidei professionem faciant. De profess. fid. num. 11.*
Illis prædicandi ratio proposita.
Vt sacram Scripturam Catholicè interpretentur.
2 *Vt allegoriis tantum approbatis vtantur.*
3 *Vt Antichristi, extremique iudicis certum aduentum non prædicent.*
4 *Vt historias ex apocryphis scripturis non narrēt.*
5 *Vt miracula falsa non referant.*
6 *Vt fabulas non recenseant.*
7 *Vt hæreticorum argumenta omittant.*
8 *Quando, & qua ratione referant.*
9 *Vt res dubias, & obscuras vitent, &c.*
10 *Vt inanes quæstiones fugiant.*
11 *Vt Euangelium, Symbolum, Orationem Dominicam, Angelicam salutationem, Decem præcepta, Ecclesiæ Sacramenta, & sacros Ritus explicent.*
12 *In reprehendendis vitiis, vt se gerant.*
13 *Prauas consuetudines reprehendant.*
14 *Cum Prælatis, & Magistratibus, quales se ostendant.*
15 *Populum, vt doceant, & moneant.*
16 *Vniuscuiusque munera ostendant.*
17 *Virtutúmque officia demonstrent.*
18 *Quæ vitia euellenda, quæque virtutes disseminandæ, certificentur.*
19 *Concionatoribus, ab Episcopo, loci Parocho, Vicarioque foraneo, morum corruptelæ loci, quo mittuntur, significanda, &c.*
20 *Concilii Tridentini decreta, populo inculcent.*
21 *Ecclesiæ præcepta seruandi modum doceant.*
22 *Consilia amplexanda commoneant.*
23 *Bonis, vt vtendum sit, doceant.*
24 *Ipsorum Concionatorum vita, qualis.*
Quales item concionatores Monialium. De Concionibus Monialium. num. 1. Cum Monialibus colloqui non licet. ibidem numero 2.
25 *Indulgentias populo non publicent.*
26 *Neminem paupertatis nomine commendent: neque permittant, vt à quoquam illa petatur; & quid seruandum, vbi licentia pauperi concedatur.*
27 *Pecuniā collectam quando faciant pro se, aut aliis.*
Qui doctrinam Christianam Iudæis prædicent. De Iudæis. num. 25.
Quæ forma vtantur in Saluatoris passione exponenda. De actionibus & repræsent. num 2.
28 *Episcopus, quo ritu, & ratione vtatur in prædicando: quique illi assistant.*
29 *Parochus item, & alii quem modum obseruent.*
30 *Suggestum, quando concionaturus ascendat: in eoque vt stet.*
31 *Episcopus / Parochus } sacrum Euangelium tractaturus librum ante se habere potest.*
32 *Si Episcopus fuerit, quem ministrum adhibeat.*
33 *Episcopus / Parochus / Aliique Concionatores. { anniuersaria mysteria, cultū, cæremoniarūq; significationes dierum solēniū populū statis iisdē diebus doceant.*
34 *Supplicationum Iubilæorum agendorum causas explicent.*
35 *Festis, Dominicisque diebus proximè antecedentibus idem præstent.*
36 *Ieiuniis. Aduentu, & Septuagesima, instantibus idem faciant.*
37 *Pentecostes diebus, de Sacramento Chrismatis, populum instruant.*
38 *Instructio ipsa, qualis.*
Indulgentiam concessam accusantibus blasphemos, sæpè denuncient. De blasphemia, num. 7.
Quas Constitutiones cohortationibus adiunct. De iurisdictione Episcopali, num. 10.
Feria sexta hebdomadæ Sanctæ Crucis effigiē de suggestu proponant. De ratione diui. off. 61.
Concionemque habeant post recitatam Domini passionem. Ibidem.
39 *Concionatores regulares in Ecclesiis suorum ordinum prædicare non possunt absque licentia suorū Superiorū, & Episcopi benedictione. 42.*
Contra facientes puniantur. 43.
40 *Neque in Ecclesiis aliis absque Episcopi licentia, idque Parochi cura.*
41 *Concionandi facultas, etiam in loco exempto ab Episcopo impetranda.*
42 *Benedictio Episcopalis petenda.*
43 *Concionatorem deligendi Episcopi cura.*
44 *Concionator examinandus & à quo.*
45 *Concionandi facultatis, susceptæue benedictionis litteris Concionatorū instructiones describēda.*
Concionatorem quis excipiat. De prædicatione verbi Dei, nu. 10.
46 *Ad eius sustentationem qui compellendi.*
Concionandi causa examinati, in libros à Cancellario referendi an probati, improbatiue sint. De Cancellario, & Notariis, num. 30.

1 IIs autem, qui prædicandi officio, aut quacumque ratione fidelibus Christianam doctrinam tradendi, munere funguntur, hanc viam, & rationem ineundam proponimus. Primum; de prædica. ver. Dei, §. eod.

Vt sacram Scripturam interpretentur eo sensu, quem Catholica Ecclesia, & consentiens Sanctorum Patrum auctoritas comprobauit; neque quidquam ab Ecclesia, aut à Doctoribus Ecclesiæ probatis alienum proferant.

2 Vt, si quando ad auditorum vtilitatem vtendum erit allegoriis, eas ex receptis ab Ecclesia scriptis seligant.

3 Ne certum tempus Antichristi aduentus, & extremi iudicii diem prædicent: cùm illud Christi Domini ore testatum sit: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta. Neve quidquam præterea futurum ex sacris litteris diuinare, eique euentui certam diem præfinire audeant. Neque temerè, id sibi diuinitus reuelatum esse, affirment.

4 Ne historias, ex apocryphis scriptoribus populo narrent.
5 Neve miracula, quæ probata Scriptoris fide nō commendentur; si quæ tamen auditoribus salutaria iudicarint; ita commemorent, vt à certa eorum affirmatione abstineant.
6 Ne ineptas, & ridiculas fabulas recenseant: Neve superuacanea & parum fructuosa.
7 Ne hæreticorum opiniones, & argumenta referant apud imperitam multitudinem.
8 Quod si alicubi necessitas postularit, vt eorum falsa dogmata accuratius, ac liberius confutentur, id non longa disputatione, sed graui redargutione faciant, quod facilè assequentur, si Catholicam veritatem expromentes, sanctæ Ecclesiæ, Conciliorum, & probatæ veteris consuetudinis auctoritate, ac Sanctorū Doctorum, quos probat Ecclesia, testimoniis roborarint; & sacræ Scripturæ locos, quorum sensus ab illis ad corrumpendas simplicium hominum mentes deprauantur, & ex aliis eiusdem Scripturæ locis, & ex Sanctorum Patrum sententia fideliter interpretentur. Sic enim fiet, vt dogmatum peruersitas, quæ falsa interpretatione nitebatur, Catholicæ veritatis vi, & rectæ interpretationis pondere corruat.
9 Ne quid ambiguum, ancepsve loquantur, quod auditoribus variè intelligendi occasionem præbere possit. Neve concisè, & obscurè quidquam exponant; qua ex re auditorum animi expectatione incerti, & suspensi relinquantur.
10 Ne ostentandæ doctrinæ, & eloquentiæ causa, difficiles, atque inanes quæstiones, fucumve orationis, & pigmenta conquirant, vnde sui ipsius potius, quàm Iesu Christi prædicatores esse videantur.
11. Sed præcipuè in Euangelij, Symboli, Orationis Dominicæ, Angelicæ salutationis, Decē præceptorum, Sacramentorum Ecclesiæ, & sacrorū Rituū dilucida explicatione versetur.
12 In reprehendendis vitiis ita se gerant, vt pietatis, & caritatis studio eos adductos, non hominum, sed peccatorum odio id facere omnes intelligant.

Diligentes, ac vehementes sint in ijs vitijs, & peccatis exagitandis, in quibus magis volutatum populum, aut ad ea procliuiorem vident.
13 In prauas etiam Consuetudines inuehantur. Et in eas, quæ, etsi malæ non videntur, tamen facilè peccandi causam afferunt.

Ne quemquam nominatim, aut tacitè illum designantes, insectentur.

Ne in ordinem vllum, statum, aut vitæ genus ab Ecclesia receptum, inuehantur.
14 Ne Episcopos, aliosve Prælatos, neve Ciuiles Magistratus cum auditorum offensione asperius obiurgent; sed piè potius admoneant.
15. Populumque doceant, præpositis suis; etiam discolis obedire.

1. Tim. 2. Quem etiam sæpissimè moneant ex Apostoli sententia, vt faciat obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, qui in sublimitate constituti sunt; præsertim verò pro iis, qui peruigilant, quasi rationem pro animabus eorum reddituri; vt quietam, & tranquillam vitam gerant in omni pietate, & castitate.

Ita afficere studeant auditores, vt sua peccata dolenter defleant: quos interdum propositis suppliciis æterni ignis, à flagitiis, & facinoribus deterreant; interdum commemoratis cœlestis vitæ præmiis, ad virtutes, in primis verò ad Dei, & proximi amorem accendant.
16 Omnes hortatu, & præceptis ad pietatem erudiant; & quæ cuiusque sit propria virtus, quod officium patris, filii, viri, vxoris, domini, serui, laici, clerici, priuati, Magistratus, omnium denique ætatum, generum, ordinum, partes, & munera, assiduè commemorent.
17 Verbi Dei prædicatio, tractatiove multiplex illa quidem, & magna, nos hoc admonet, vt præter illa, quæ superioribus Conciliis nostris Prouincialibus eo de genere constituta sunt; hæc etiam pro dignitate rei, proque vtiliori, ac faciliori illius muneris præstandi ratione decernamus. 4. De Herb. Dei præd. §. co.

Illud proprium, ac peculiare sit, non solum Episcopi, sed etiam parochi, genus docendi, vt beati Pauli Apostoli exemplo sigillatim cuiuscumque status homines, vterque instruat, & præcipua virtutum officia demonstret; modò filios, modo parentes, nunc seruos, nunc Dominos, nunc viros, nunc vxores, nunc senes, nunc iuuenes erudiens, ac diligenter, quæ cuique propria sunt, præscribens, paterna charitate, & sollicitudine, fideles sibi commissos, à vitiis deterreat: tùm ad virtutes accendat, & testimoniis diuinarum litterarum, & Sāctorum Patrum doctrina, atque exemplis, & sacris Ecclesiæ traditionibus, & similitudinibus, & sanctioribus etiam figuris. Quod sanè officium, si graui oratione, & ab omni, vel artificii, vel hominis sua spectantis, suspicione aliena, tractabitur; maiorem inde fructum, iuuante Domino, fore sperandum est. Nec verò minus in publicis sermonibus, quàm in priuatis etiam colloquiis, & secretis confessionibus Apostoli præceptum vterque implere studeat, arguendo, obsecrando, increpando, in omni patientia, & doctrina.
18 Id planè sibi proponat, optimè nosse, quæ in populo vitia peccatave potissimum euellenda; quæ rursus virtutes in primis disseminandæ sint; eoque intendat maximè omnem vim prædicationis suæ. Nec verò semel, atque iterum; sed sæpè, prout vsu venerit, in eodem vnius, vel virtutis suadendæ, vel vitii detestandi studio versetur; quò ad, quantum in se est, perenni quadam doctrinæ perseuerantia, & perpetua quasi pugna, & contentione, id quod olim Sanctissimos Episcopos, Ambrosium, Augustinum, & Chrysostomum fecisse constat, fidelium animos, etiam in malè agendo penè obfirmatos, expugnet, deprauatosque viuendi mores; iam inueteratos, radicitus iuuante Deo, euellat.
19 Quod ipsum, vt Concionator omnis præstet, atque exequatur cùm ad aliquem locum mittitur; tunc, & Episcopus, & loci parochus, & Vicarius Foraneus, si ad locum Diœcesis mittitur, conquisitas, collectasque paulò antè diligenter morū corruptelas, nūc frequentiores eo loci, vbi concio habenda erit, verbi Dei cōcionatori, tempestiuè significabit: rursúsque eundem admonebit; si quod pietatis opus est, quod in illa parochia, locove, eo tempore, vel institui, vel vehementius excitari velit.

Primum, ibid. 20 Decreta Concilij Tridentini, præsertim, quæ ad mores, & disciplinam Christianam restituendam pertinent, & has nostras Constitutiones populo studiosius inculcent.

21 Hanc præterea rationem habeant, vt non solum Dei, & Ecclesiæ præcepta seruanda esse doceant; sed modum illis tradant, quò ea ex Dei voluntate seruare oporteat.

22 Commoneant, vt non solum præceptis seruandis, sed etiam consilijs amplectendis, ad perfectiorē vitā in dies magis cōtēdere studeāt.

23 Doceant, quo modo vtendum sit bonis animi, corporis, & externis: Quove modo secundis, & aduersis rebus, vt ea sint illis tamquam instrumenta, ad consequēdam vitam cœlestem.

24 Maximè verò caueant, ne quod præceptis, & hortatu ædificant, id vita, & moribus destruant; ne cum aliis prædicauerint, ipsi reprobi efficiantur.

25 Indulgentias populo nè publicent, nisi de consensu Episcopi.

26 Neminem populo paupertatis nomine commendent: nisi is testimonium ab Episcopo scriptum attulerit.

Neque ei inter concionem permittatur, vt eleemosynam à quoquam petat in Ecclesia: sed aut ad fores Ecclesiæ stet; aut per eos, qui eam curam susceperint, id negotium ita cōmodè, ac celeriter agatur, vt minimè cōcionē impediāt.

27 Concionator in Vrbe ne sine scripta Episcopi facultate pecuniæ collectā inter concionandū proponat, faciatve: neq; itidē in Diœcesi, sine Vicarii Foranei licentia. Liceat tamē concionatoribus Regularibus in eorum ecclesijs, absque facultate illis tradita ab Episcopo, siue eius Vicario; sua Monasteria populo cōmēdare.

4. De verb. Dei prædic. §. eod. Nec verò eleemosynæ causa concionatori seipsum commendare liceat: ab aliis tamen piis, honestisque hominibus, eius causa de Episcopi licentia conquiri, & colligi vetitū nō sit.

28 Episcopus, cùm in Missæ solennis sacrificio sermonem, aut concionem habet, Mitra, Episcopalique sacro omni vestitu, quem in Missa adhibet, indutus sit.

Cui Concionanti, ministri Ecclesiastici, sacris vestibus ritè induti, septem, vt antiquo Canone iussum est, vbi potest, sin minus, pauciores, ab vtroque eius latere assistant.

Adsit etiam, vel dignitate præditus, vel Canonicus, vel alius denique ad quem ex probato instituto spectat baculi pastoralis sustentatio, pluuiali indutus; qui ante ipsum à latere sinistro baculum manu sustineat.

Si verò sermonem in Missæ sacrificio non solenni habet, sacris item vestibus, Missæ sacrificio dicatis, vtatur, & mitra, & cum baculo item adsit minister. Eique assistant præterea ministri duo ad minimum, superpelliceo, aut si Canonici, vel dignitate præditi sint, suo in chori officiis stato habitu quotidiano induti; nisi pro alicuius celebritatis, solennisve actionis, ac populi concursus ratione, aliis sacris vestibus eos amictos esse aliquando iusserit.

Id porrò muneris obeat, sedens in medio altari, in faldistorio, aut in sede, loco eminentiori collocata, aut in cathedra Episcopali, aut etiam, suggestū, ambonēve ascendat: vbi itidē sedēs, & mitra itē ornatus, cæterisque vt suprà adhibitis, commodius à populo conspiciatur, & audiatur.

In alia verò actione, quàm in Missæ sacrificio, aliove tempore, prout actio solennis, populive frequentia est, sermonem ijsdem, vt suprà locis, arbitratu suo, habeat, pluuiali, & mitra etiā indutus; adhibitis quoque, vel pluribus, vel duobus saltem, qui digniores aliis in Ecclesia sint, vbi de more illius Ecclesiæ Episcopo in sacris actionibus ij assistere solēt, vel Archidiacono, & altero diacono, qui digniori loco sedet, aut demū duobus, vt Episcopo videbitur, canonicis diaconis, sacro diaconali amictu vestitis.

Quod si cappa Episcopali, & stola potius, quā pluuiali, & mitra vti maluerit, illi duo assistentes, non sacro diaconali amictu; sed & ipsi, & alij ministri, superpelliceo, aliove sui canonicatus, dignitatisve in chori officijs insigni induantur: adhibeaturque præterea, non solùm, qui pastoralem baculum, sed alter etiam, qui mitram à dextero latere teneat.

Cùm verò sermonem, aut concionem minus frequenti populo, aut in actione minus solenni, vel in Ecclesia non insigni habebit; poterit roccheto, & mozzeta indutus id præstare, stola etiam adiuncta.

Nec verò propterea omittet; quo minus, si per temporis, & loci opportunitatem liceat, & assistentes, & alios ministros, vt suprà adhibeat, cum insignibus Episcopalibus. Si quando autem tunc duo illi canonici, cum superpelliceo, vel cum indumento, habituve canonicali non assistēt, ecclesiastici tamē ordinis homines aliquot grauiores, præsentes adesse, cōuenies erit.

Triplex porrò hæc ratio, vel pluuiali, vel cappa Episcopali, vel roccheto, mozzetáque cū stola vtendi, cum sermonem non in Missæ sacrificio, sed in alia functione, aliove tempore Episcopus habet, non ita ei præscripta est; quin modo vnam, modo alteram, modo tertiā, prout maluerit, & temporis, loci, personarumve ratio tulerit, adhibere possit. Nec præterea prohibetur ex tempore, vt aliquando vsu venerit, vbique etiam sine stola gregem suum verbo Dei, & salutaribus monitis pascere pro munere suo pastorali; cùm eius & dicta, & facta, quasi perpetuam quandam prædicationem ministrare, præbereve debeant.

29 Parochi verò, Præpositi, & alii, Episcopo inferiores, cùm in altari id munus obibunt, tunc capite aperto stare debebunt, ad sacerdotalis libri præscriptum.

30 Quò autē facilius à frequēti populo audiātur, suggestū eos ascēdere opportunius erit; tūcque casulā deponere; si maluerint, licebit: quā statim, sermone habito, ad altare reuersi, induāt.

In suggestu concionem, aut sermonem, cùm habent, operto sint capite, & sedeant, aut stent, prout maluerint.

Cùm non is Sacerdos, qui sacrificium Missæ facit, sed alius intra Missæ celebrationem, sermonem, concionemve habiturus est, is suggestum ascendat: interea verò sacerdos celebrans, loco à laicis segregato, & ab altari paululum remoto, non extrà tamen capellæ fines, in qua Missa celebratur, sacris vestibus indutus, cum duobus ministris, scilicet diacono & subdiacono, si illi in Missa tunc adhibiti sunt, ab vtroque latere considentibus, sedebit.

31 Episcopus,parochusve,sacrum Euangelium, aut etiam Scripturæ sacræ partem,coram populo, etiam è loco superiori tractans, collocatum ante se aliquando,cùm viderit expedire,habeat euangelij, aut sacræ scripturæ librum, de quo ipse, aut etiam minister,cùm Episcopus est, per membra, clausulas, & sententias distinctè eiusdem Euangelij; sacræue Scripturæ verba: quæ ipse scilicet, vel Episcopus, vel parochus concionando, quo ordine leguntur, sigillatim populo explicet.

32 Minister verò, in hoc munere legendi, Episcopo Archidiaconus sit, vel diaconus canonicus, aliusve denique, quem Episcopus elegerit; isque ante illum capite aperto stans, de libro verba distinctè pronunciet.

3. Quæ ad Conci. pert. §. eo.

33 Anniuersaria festorum, solenniumq; dierum quadam quasi vicissitudine, & statis pro solennitatum, temporumq; ratione sacris cæremoniarum Ritibus, Dei Ecclesia à Spiritu sãcto instructa redemptionis nostræ mysteria, & sacras alias actiones in anno, tamquàm vno libro descriptas, fidelibus proponit: qui si minus ad ea instructi sunt, nec quæ sanctè, religiosèque aguntur, intelligunt, non eum fructũ, quem alioqui perciperent, capiunt. Quò igitur diligentius illi instruatur, in diesque magis accendãtur ad publicas sacras actiones, & mysteria colenda, quæ statis anni solennitatibus, & tẽporibus Ecclesia Dei celebrat; Episcopus tum ipse aliquando, tum Concionatores, & parochi, certis iis diebus, quibus illa agi, celebrariuè contigerit, populum doceant, cum sacrosancta ea mysteria, tum religiosum eorum anniuersarium cultum, tum sanctiores statarum iis colendis sacrarum cæremoniarum, ac rituum rationes, & significationes.

34 Itidem, cum solennes aliquæ statæ processiones, vel aliæ supplicationes, aliqua publica causa indictæ, aguntur, vel iubilæum in vniuersa Ecclesia indictum, celebratur; conciones ab eisdem habeantur, quibus præter cætera, explicentur causæ, quãobrẽ aut Iubilæũ celebretur, aut illæ supplicationes fiant; tum excitentur, atque admoneantur fideles, quàm religiosè incumbendum sit ei sanctæ actioni, quidque ab illis præstandum, vt illius Iubilæi spirituales diuitias ipsi consequantur.

35 Vt autem religiosa animi præparatione sic solennes dies à fidelibus colantur; non satis illi id esse putent, mysteria illa à se sermonibus, cõcionibusve iis ipsis diebus, quibus celebrantur, explicari, sed festis etiam, aut Dominicis diebus eas sacras, vel solennitates, vel actiones proximè præcedentibus eosdem concionibus instruant, & eorum animos, mentésque præparare, atque inflammare studeant, cùm ad omnẽ religiosum mysteriorum, quæ sanctè agẽtur, cultum; tum maximè pro solennitatum ratione, ad pœnitentiæ Sacramentum, & ad sacram Eucharistiam sumendam.

36 Id verò etiam seruetur, cum stata ieiuniorum tempora, Aduentus Domini, Septuagesima, & eiusmodi instant.

37 De Sacramento, etiam Chrismatis populum instruant in illis Pentecostes diebus, quibus potissimùm ab Episcopo id Sacramentum solemniter ministrari solet.

38 Parochi autem id omne instruendi populi officium præstent ad præscriptum instructionis, quæ eo nomine cura nostra conficietur ad communem Prouinciæ vsum.

39. 40 Ne patiatur parochus, cuiusuis ordinis Regulares in ordinis sui ecclesijs, intra fines parochiæ suæ sitis, cõcionẽ habere; nisi ex scripto testimonio perspexerit, eos muneris eiusmodi in illis ecclesiis obeundi causa, se ad Episcopum cum concionandi facultate, quam à Superioribus suis ipsi obtinuerint, contulisse; & benedictionem, vt Tridentino Concilio cautũ est, ab eodem petiisse, neque itidem in alienis eiusdem parochiæ Ecclesiis; nisi, ibi concionandi facultatem sibi ab Episcopo litteris concessam, illi ostendant.

3. quæ ad Concion. perti. §. eo. Sess. 5. c. 2. de Refor. & sess. 25. c. 4. de. Regu. & Mon. sess. 24. c. 4. de Refor.

41 Ne in Monasteriis quidem, & locis, vbi Regulares spiritualem, temporalémque iurisdictionem habẽt, quisquã Ecclesiasticus homo, etiam Regularis exẽptus, prædicationis munus obeat; nisi primũ ab Episcopo probatus, intra cuius Diœcesis fines ea monasteria, locave sunt.

6. Quæ ad concionat. pert. §. eo.

42. Regulares verò à suis Superioribus approbati, ac de eorum licentia in Ecclesijs suorum ordinum prædicaturi, antequàm prædicare incipiant, coram Episcopo personaliter cum ipsa licentia se præsentent, ab eo benedictionem accepturi: sine qua benedictione, aut Episcopo contradicente, prædicare non præsumant.

43 Si quis contra fecerit, ei pœnæ, & censuræ constitutæ sint, contrà alios sancitæ.

5. Quæ ad prędi. &c. §. eo.

Episcopi solùm sit, abrogatis quibuscumque contrariis consuetudinibus, & priuilegiis, & in Ecclesia Cathedrali, & in aliis non modo iurisdictioni suæ subiectis; sed etiam in exemptis, quæ curatæ sunt, concionatorem liberè deligere, atque constituere. Idemque ad eum spectet in Regularium etiam Ecclesijs, vbi, pro maiore commoditate, consuetudinis, morisque est, populi, Vniuersitatisve, aut pij loci, Scholæ, aut Confratriæ, etiam laicalis sũptibus, vel eleemosynis, collectis, vel legato pio, aliave huiusmodi ratione quotannis certo stato tempore permissu Episcopi concionem haberi.

Nec verò illius deligendi, custodiendive ius vlla ratione competat, neque ipsis Regularibus, etiam per turnũ, neque Vniuersitati, neque Magistratui, neque loci pii administratoribus, Confratriæ, Scholæve etiam laicali, nec alij cuiquam laico; etiam si ei eleemosyna, alimentave è publico, aut è Confratria, aliove modo, vt suprà suppeditentur, subministrenturve. Quæ, vt nihilominus subministrẽtur, atque adeò persoluantur ab iis, qui solent, aut alia quacumque ratione debent, omni appellatione postposita, Episcopus cogat, vt Concilio Prouinciali quarto cautum est. vt inf. nu. 60.

44 Nemini autem concionandi facultatẽ concedat Episcopus; nisi præter alia, vel examine, vel alia ratione, pro arbitrio suo illius scientiam, & peritiam in eo munere probarit.

vt inf. de Concion. examine. 3. quæ ad Concion. perti. §. eo.

45 Quæ in Concilio Prouinciali primo, De prædicatione verbi Dei, & quæcũmque item alia Concionatoribus à nobis præscripta sũt, ea, quò diligentius seruentur, illam cautionẽ adhibeat vnusquisque Episcopus, vt cum eorũ cuiquam in sua Diœcesi concionandi potestatem faciat, vel benedictionem impartiet, illa omnia,

& alia eo de genere in nostram Concionatorum instructionem, ad communem Prouinciæ vsum simul redacta; & quæ item Episcopus Ecclesiæ suæ rationibus accommodata ab illis seruanda censuerit, illis litteris describi iubeat; quibus, vel concionandi facultas permittetur, vel præsentationis, postulatæque benedictionis testimonium fiet.

4. De verb. Dei præd. §. eo. 46 Populus, & Vniuersitas detrectans subministrare victum, vt anteà consueuit, Concionatori; solitamve eleemosynam ad eiusdem vitæ tanquam sustentationem, omni iuris ratione, etiam interdicti, pœna ab Episcopo ad id compellatur. Vide etiam supra, num. 47.

Quæ hic desunt, videantur in Titulo. De prædicat; verbi Dei.

De examine Concionatorum, & sacræ Scripturæ interpretum.

SVMMARIVM.

Examinatorum officium in Concionatoribus approbandis, quale, Quæ ad Sacr. ord. pert. 46.

1 *Concionatores, & sacræ Scripturæ interpretes, de quibus interrogandi.*

Sacræ lectionis interpretandæ causa examinati, in librum à Cancellario notandi, an probati, reprobatiuè fuerint. De Cancellario. 30.

5. Ibidem. 1 IAm est locus examinis Concionatorum, & sacræ scripturæ interpretum, à quibus hæc quærantur.

Primo de doctrinæ articulis, dogmatibusve Concilio Tridentino explicatis, vt potè de Canone Scripturæ; de peccato originali, de iustificatione, de Sacramentis, & generatim de sacrificio Missæ, de Purgatorio, de Inuocatione, & veneratione Sanctorum, de Sacris reliquiis, de Imaginibus Sanctorum, de Indulgentiis; de potestate, & auctoritate Papæ; de Ieiunijs, de diebus festis, & reliquis multis.

An præterea habeat reliquos Theologiæ notos, & tractatos locos.

Quem in Scholasticis præsertim auctorem familiarem habeat.

An sæpius Sacrorum Bibliorum volumina, cum glossa, aliove commentario studiosè euoluerit: anque in iis ipsis ita diligenter versatus, vt inde locos facilè, aptéque promere possit ad omne sacræ tractationis genus.

An Sanctarum interpretationum vsu litteratè peritus.

An ex antecedentib. & consequẽtibus verũ Scripturæ sensũ elicere norit, anque itẽ ex Euãgelistis in codẽ narrationis genere versãtib⁹.

An rursus temerè, pro suóque libito sacram Scripturam à vero sensu detorqueat.

An tropologicos, moralesve sensus, cum litterali sensu non cohærentes, commentetur.

An explicandis parabolis rectũ, præcipuũq; rerum sensum spectet, prætermissis explicationibus, quæ nihil ad propositum faciunt.

An traditionum Apostolicarum, Ecclesiasticarumque notitiam teneat.

An in Sanctorum Patrum scriptis, atque sermonibus peritè versatus sit.

Quem item è Patribus, maximè in concionando sequatur, atque imitetur.

An sacrorum temporum mysteria norit, anve sacrorum Rituum significationes habeat.

An rerũ in Ecclesia Sãcta gestarũ, & Conciliorũ præsertim vniuersaliũ cognitionẽ teneat.

An Sanctorum vitas, historiamq; verã norit.

An congruam Canonum scientiam teneat,

An Summorum Pontificum iura, atque instituta sciat.

An Conciliorũ, Prouincialium præsertim, & Diœcesanorum decreta in promptu habeat, vt in parochorum examine præscriptum est.

An casuũ consciẽtiæ doctrina instructus sit.

An Theologiæ illius mysticæ, quæ tota in spiritualis vitæ institutis tradendis; quæque in purgandis affectibus, in reformationeque interiori versatur, præcepta, atque exercitationes benè norit.

An denique sanctarum meditationum, orationisque mentalis vsum habeat.

An morum doctrinæ, Christianæque disciplinæ locos, non solum ordine collectos, sed rectè notos habeat.

Quos locos teneat, quibus auditorum animi excitantur, vel ad Dei amorem, vel ad cœlestis patriæ desiderium, vel ad virtutum studiũ; vel ad detestationem scelerum, vel ad misericordiã, vel ad certas prætereà affectiones, quæ ad cœlum excitatæ Christianas virtutes pariũt,

An apti denique sint, atque idonei ad cõcionẽ concipiendã, & explicandã, nõ solũ Theologiæ locorum tractatione, sed similitudinibus, quæ ab agricultura, vinea, semente, aliisque rebus ducuntur, quæ sub sensum cadunt, atque intelligentiam, præsertim eorum etiam rudium, ad quos concio habetur.

An ad concionis ingressum recta ratione, & ab ijs vitiis refugiat, quæ plerique eo in genere admittunt.

An totã concionẽ rectè, ordinéq; disponat.

An dilucidè distinctéque narret.

An bene pronunciet.

An illius verba pondus habeant, eámque vim item, vt non solùm audientium aures attingant, sed animos intimè penetrent.

An in tota concione, pro cuiusque rei, de qua agit, ratione, rectè, aptè, decorè, & congruenter agat.

Quo in genere omni, & perquirendo, atque explorando, tum in aliis diligẽtius indagandis, examinatores, prout occasio tulerit, quàm diligentissimè instructiones adhibebunt, quæ de Concionatoribus ad Prouinciæ vniuersæ vsum ex Concilij Prouincialis auctoritate iussu nostro editæ sunt.

De cultu Sanctorum.

SVMMARIVM.

1 *Sancti Ambrosij festum celebrandum, commemoratioque agenda.*

2 *Sancti Barnabæ festum in Prouincia colendum.*

1 DEuotione congrua, & debitis honoribus beatus Christi Confessor Ambrosius Episcopus, Sanctæ Ecclesiæ Metropolitanæ Mediolanensis pater pariter, ac patronus, cuius doctrina etiam tota illustratur Ecclesia, vt à Prouinciæ nostræ fidelibus colatur; eius & diem festum, qui septimo Quartum, de S. Ambrosio.

Idus Decembris agitur, sicut reliquos dies festos, quos coli præceptum est, quotannis à clero, populóque celebrari, & commemorationem de eo, quibus diebus ex Ritu Ecclesiæ eiusmodi commemorationes fieri licet, in vespertino, matutinoque officio antiphona, & oratione à clero fieri perpetuò, pro suæ pietatis studio, Episcopi, omni etiam adhortatione curent.

Sextum, de diebus festis. 2. Dei munere, beneficioque cùm Ecclesia Mediolanensis prædicatione Sanctissimi Apostoli Barnabæ primùm fidei mysteriis imbuta, tùm aliæ pleræque huius Prouinciæ Ciuitates Euangelij lumine illustratæ, causam omnē festi illius diei, præcipuè colendi habent. Quamobrem dies eius Natalis, qui est tertio Idus Iunii, vt de more aliorum dierum festorum, qui à clero, populoque ex præcepto coluntur, piè, & religiosè sanctificetur, Episcopus curet, vbi in sua Diœcesi non colatur, sanctificeturve.

Cætera ad cultum Sanctorum pertinentia, videantur in Titulo de festorum dierum cultu.

De Sanctarum Reliquiarum veneratione, atque custodia.

SVMMARIVM.

1 *Reliquiæ nouæ ab Episcopo recognoscendæ.*
Eæ à Regularibus, & exemptis non proponendæ; nisi etiam ab Episcopo recognitæ. 5.
2 *Recognitionis, quæ forma.*
3 *Recognitæ in librum describendæ; in quem deinceps aliæ referendæ.*
4 *Is liber vbi asseruandus.*
6 *Quo loco retinēdæ: quoque ornatu, & sepimēto.*
7 *Quando in priuato oratorio retineri possint.*
8 *Clauib⁹ quot occludātur, & à quibus retineātur.*
9 *Sanctorum corpora, arca marmorea inclusa, in scurolo, vel altaribus custodienda: quoque alio loco.* 11.
10 *Arca ipsa qualis. In eam capsa alia includenda, & qualis.* 14.
11 *Arca alia, qualis conficienda, & vbi collocanda, cum non in scurolo, vel altaribus, sed alibi ipsa reponenda.*
12 *Arca quæuis, vt munienda.*
13 *Reliquiarum, sub pauimento reconditarum locus crate ferrea sternendus.*
15 *Reliquiæ in capsis seruandæ quo panno sint contegendæ.*
16 *Capsa, theca, vel vascula ante benedicenda, quàm imponantur reliquiæ.*
16 *Arca, diuersa Sanctorum corpora, vel reliquias continens, vt distinguenda, cum tabella earum nominum.*
18 *Reliquiarum nomina inscribenda.*
19 *Sanctorum capita à corporibus disiuncta, vt accommodanda.*
20 *Sanctorum corpora in altari, vel arca recondita, vt inspici queant, quo modo altare, vel arca struenda.*
21 *Reliquiarū formæ tres.*
22 *Prima*
23 *Secunda* } *loci forma qualis.*
24 *Tertia*
25 *Vascula, loculique reliquiarum quales, & quales, & quot.*
26 *Reliquiæ, quo panno inuoluendæ.*
27 *Inscriptio annectenda, & seq.*
28 *Inscriptio exesa, vel malè cōposita renouanda.*
29 *Reliquiæ permixtæ, vno eodemque loco, & quomodo recondendæ.*
30 *Reliquiæ ignotæ loculo vno, & qua ratione reponendæ.*
31 *Imagines Sanctorum, quorum sunt ipsæ reliquiæ, vbi pingendæ.*
32 *Virgæ duæ parandæ ad coronas precarias appendendas pro reliquijs tangendis, & quales.*
33 *Sanctorum corpora, reliquiæque tabella marmorea describendæ: eaque vbi collocanda.*
34 *Scripta ad illas spectantia, in sacristia, vel Archiuio reponenda.*
35 *Sancti, cuius reliquiæ sunt, historia, in Codice referenda.*
36 *Codex is vbi custodiendus.*
37 *Lampas, quando coram eis præluceat.*
38. *A laicis eæ non tractandæ.*
39 *Thurificatio, quando illis adhibenda.*
40 *Quando illæ ostendendæ.*
42 *Non ostendendæ nudæ, nec quæstus gratia; neque ad ægrotos deferendæ.*
42 *Cùm exponuntur, quæ seruanda.*
43 *De loco ad locū non transferendæ; neq; donandæ.*
44 *Contrafaciens, tàm donans, quàm donatarius excommunicationem incurrit, etiāsi sit Regularis.*
45 *Translatio vt fiat.*
46 *Translationis scriptura publica; ac memoria in tabula conficienda.*
47 *Cùm transferuntur, ornandus locus, vbi illæ collocantur: illisque occurrendum hymnorum, & psalmorum decantatione.*
48 *Translationis officium agendum: quanque in feriam cadat.*
Breuis Apost. tenor de Reliquijs non transferendis. De Constit. 49.
Campana, quando ob insignes reliquias pulsanda, locaque vestibus, & candelis ornanda, De festorum dier. cultu. 35.

1 AD ea, quæ de sacris reliquiis, per nos primi, & tertii Concilii Prouincialis decretis sancita sunt hæc pro religiosa, illas & recondendi, & exponendi, & transferendi, & asseruandi ratione, piaque earundem veneratione, atque cultu adiungenda censuimus. Quartum, de sacris Reliquiis, Miraculis, & Imaginibus.

Quartum, ibi. Sanctorum corpora, & sacras reliquias, Episcopus à religiosis, peritisque Sacerdotib⁹, quos eo potissimum nomine deligat, tum in Vrbe, tum in Diœcesi sua, quibuscumque in ecclesijs, locisve illa sint, recognosci quamprimum iubeat. Qua in recognitione hæc præstentur. Sess. 25. de Inuoc. vener. & reliq. Sāctorum.

2 Primò, vt scripta, tabulæ, litteræ, certi annaliū Codices, aliave cuiusuis generis monimēta, quæ in iis ipsis ecclesijs, earūve atriis, atque ædibus, aut aliis locis extāt, schedulæq; vasculis, arcisve sacrarū reliquiarū affixæ, inclusæuè recognoscātur accuratè, & diligēter: vnde illarū, vel translatio, vel collocatio ibi facta, cognosci, aut alia eiusmodi notitia earundem haberi queat. Testes prætereà conquirantur, si qui sūt, qui testimonium dent, antiquæ, constantisque traditionis, ex qua certa earum cognitio, constet, aut alia, sicut opus erit, id generis diligentia ad rei perspicientiam adhibeatur.

Deinde, vt singulæ ipsæ sacræ reliquiæ, quas extare compertum est, re ipsa cernantur: ita tamen, vt vbi sub altaribus, aliisuè subterraneis eiusmodi locis, corpora Sanctorum collocata, reconditauè sunt, nec ostium, neque fenestra insit, vnde inspici queant, non aperiantur, aut effodiantur, nisi ob causam aliter Episcopus aliquando faciendum censuerit.

3 Qua omni recognitione facta, diligentiáque adhibita, librum præcipuum, certumque confici Episcopus curet: in quo singulæ, quæ in Ecclesijs, & Vrbis, & Diœcesis sũt, reliquiæ sacræ, rectè, atque ordine describantur: notatis etiam diligenter, non solum iis ipsis ecclesiis, vbi reconduntur, sed scriptis etiam annalibus, tabulis, aliisve monimentis, è quibus illarum testimonium constet.

4 Is verò liber in Archiuio Episcopali certo loco custodiatur, & asseruetur perpetuò.

7. In eo item libro rectè referantur, si quas deinceps sacras reliquias comperiri, aut aliundè asportari contigerit; vbi primùm ab Episcopo illæ recognitæ, & probatæ sunt.

Nec verò sine scripta Episcopi probatione, etiam à Regularibus, & aliis exemptis, vllas nouas reliquias euulgari, aut populo exponi, venerandasve proponi patiatur Episcopus; antequam à se recognitæ, & probatæ illæ sint. Qua in probatione seruet is omninò formam à Tridentino Concilio ea de re præscriptam.

Inf. de Miraculis nouis, nouisque Reliq. 6. Reliquiæ Sanctorum ne in priuatis ædibus, neve apud laïcos homines; sed in ecclesia, loco conspicuo, bene septo, atque vndique ornato, collocentur, & asseruentur. Atque ita eo loco decenter, ac piè, vel arcis, vel capsulis, vel vasibus, loculisve reconditæ, includãtur: vt & pro illarum ratione, ac pro ecclesiarum dignitate, & facultatibus, formæ instructionibus nostris præfinitæ, omni ex parte respondeatur.

Primum, de Sanctarum Reliq. vener. Vt Sanctorum Reliquiis, quæ debetur veneratio, & cultus adhibeatur, statuimus; vt in locis honestissimis, ac decoris vasculis, qua debent, religione asseruentur.

4. de sacr. Reliqu. 7 Liceat tamen aliquando, quibus Episcopus rationabili & pia causa id concedendum censuerit, asseruari in priuato oratorio, tuto, ornato, ac decenti, eiusdem Episcopi iudicio.

8 Is porrò locus duabus saltem clauibus, iisque diuersis, claudatur: quarum vnam Episcopus, alteram Rector ecclesiæ, vbi sunt, custodiat diligenter. Vbi verò consuetudinis est, ab vniuersitatis, sodalitatisve hominibus, aut à Syndicis, laicis hominibus, clauẽ etiam teneri; illã tertiã illis permittere poterit Episcopus arbitratu suo.

Instr. Fab. li. 1. cap. 15. §. Sanctorum igitur. 9. 10. Sanctorũ corpora, quæcũque recondenda sint in ecclesia partem illam subterraneam habente, quæ confessio, vulgò Scurolũ dicitur, in ea præsertim, & in altaribus ipsis lapideis, aut subter ea, vt antiqui instituti est, piè, decẽterque recondantur, Quam ob causam è marmore, vel saltem è solido lapide arcam, leuigato opere intus expolitam fieri conueniet: quæ ex operculo eiusdem generis fastigiato constans, sacraque corpora, bene inclusa continens, intus, subtusve in illis firmiter collocetur.

11. Alio etiam præter altaria, Ecclesiæ loco conspicuo, reponi poterunt; tuncque arca è marmore pretiosiori exstruatur: quæ extrinsecus etiam opere sculptorio elaborata, pio religiosoque ornatu emineat.

Hæc igitur quatuor, pluribusve, si pro situs ratione commodè potest, columnellis itidem marmoreis aptè confectis, sustẽtata, aut in gremio Ecclesiæ, prout loci amplitudo fert, aut in capella insigniori præterquàm in ea, vbi Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum asseruatur, decentius collocabitur.

Si in gremio Ecclesiæ ponetur, à pariete, omnique alio opere vndique disiuncta extet: si verò in aliqua capella à posteriori eius parte, vel à latere altaris collocari poterit; aut parieti inhærens, aut in illius decenti continuitate paululum inclusa, à pauimentoque capellæ altaris cubitis quatuor extructa, extabit.

12. Arca vero omnis, quocumque loco conspicuo posita, siue è pauimento, siue è pariete emineat, clathris ferreis, pro situs ratione aptè, decoréque muniri debet.

13. Sin autem non in altari, neque subter, sed alio loco sub pauimento, iam recondita sunt sanctorum corpora; sternatur tamen omnino locus ac muniatur clathris ferreis ab omni latere, tum è parte superiori densè confectis.

Corpora sanctorum, quæ non sub altari, sed sub Ecclesiæ pauimento collocata sunt; nisi decentiori Ecclesiæ loco recondenda Episcopus censuerit, saltem crate ferrea politè, ornatèque confecta, ne pedibus, eorum locus irreuerentius tractetur, vndique sepiantur, atque obtegantur, ex instructionum præscripto. 4. de Reliq. &c. §. eo.

14 Vt autem sanctorum corpora, sacrauè ossa incorrupta, atque inuiolata, ab omnique sorde, & puluere pura, tum ab omni vi, ac iniuria perpetuò tuta conseruentur, hæc sanè cautio adhibeatur; vt cum arca omnis, vel conspicuo loco, vel in altari, subtúsvè posita ita extrinsecus inter se solidè compacta, & fibulis etiam ferreis, plumboque ab omni latere conglutinata sit, vt nè rimula quidem appareat: tum præterea in eã alia capsa, vel aurea, vel argentea, stãneave, eaque inaurata, firmiter quoque confecta, includatur; in qua Sacra corpora recõdãtur. Inst. Fab. lib. 1. c. 15. §. eo.

15. Sint autem cum in ipsa capsa reconduntur, inuoluta, & vestita panno serico, aut pretiosiori velamine coloris ad sanctum, sanctamve, cuius sacra ossa reponuntur, ex Ecclesiæ instituto ritè accommodati.

16 Capsa autem vel theca, vel loculi, vel vascula, cuiusmodi sint, stata prece in libro pontificali, ritualive præscripta, ritè priùs benedicantur, quã reliquiæ sacræ in illis includantur.

17 Qua verò in arca, diuersa sanctorum corpora reponenda sunt, vt inter se distincta, internoscantur, arca eiusmodi fiat, quæ opere sculptorio pro sacrorum corporum, sacrarumve reliquiarum numero bipartita, & tripartita sit; aut tabulatis, marmore, aliave ratione decenter, aptéque diuisa, aut saltem ipsis solum capsulis argenteis, stanneisve distincta.

Tabella itẽ ænea singulis capsulis includatur: in qua incisæ litteræ, nomina sanctorũ indicẽt.

18 Inscriptio prætereà in arcæ lapide incidatur: ex qua sanctorum nomina, & corpora, quo tempore recondita, rursusque vnde translata, & alia id generis, si modo certa sint, perspicuè cognoscantur.

19 Sanctorum

19 Sanctorum autem capita, quæ à corporibus disiuncta sunt, vt aliquando statis diebus, pro pietatis studio fidelibus ostendantur, exponanturve; separatim à corporibus locis infra præscriptis reponi conueniens erit, inclusa scilicet in theca aurea, aut argêtea: vel, vbi præ inopia non potest, ænea inaurata; quæ capitis, cum collo dimidiatoque pectore formam, similitudinemque exhibeant.

20 Si quæ verò corpora sanctorum adhuc integra, membrisque suis omninò coniuncta, vel in altari, vel in arca cōspicua recōdūtur, vt cerni aliquādo possint; ita altare, arcaue struatur, vt à fronte fenestellulam cācellis ferreis, æneisue munitam, quæ firmis valuulis, ad præscriptam infra rationem, claudatur, ornatè confectam habeat, vnde inspici queant.

21 Quibus verò locis Sacra aliqua sanctorum membra, insignesque sacræ reliquiæ asseruantur; ibi certus locus, in quo illæ decenter, religioséque recondantur, ad vnius, aut alterius formæ, infra primo loco descriptæ, modum, sacrarum Basilicarum Romanarum exemplo, extrui poterit.

22 In Ecclesiæ naui, quæ ampla sit, à latere Euangelij longéque à columnis, pilisuè naualibus, quatuor, aut quinque cubitis; suggestus struatur, magnitudine cubitorum item circiter quinque, isque quatuor columnis è marmore, aut è solido lapide confectis, altitudine sex, aut octo cubitorum suffulciatur, & sustentetur.

Super suggesti extructione armarium, vbi Sacræ reliquiæ reponantur, è marmore, alioue lapide, ornatè, & decorè fiat: quod intrinsecus tabellis nuceis, pretiosioribusue vndique vestiatur, sericoque ornetur, coloris, ex ritu Ecclesiæ, sacris illis reliquijs, quæ recondendæ sunt, accommodati: tum prætereà ostiolo constet, quod valuis, extrinsecùs ære intectis, & serico eiusdem coloris intrinsecus ornatis claudatur, ad quod etiam claudendum pessuli duo, seræ duæ saltem, claues totidem, eæque singulæ diuerso fabrili opere, adhibeantur.

A summa columnarum parte, loco suggesti plano, podium etiam extruatur cubito vno, & dimidio latum, tamque longum, prout est eiusdem suggesti longitudo.

Quod podium à parte anteriori repagulum habeat: idque vel ex ære fusili, vel è ferro, vel è marmore, alioue solido lapide, vel è ligno, tornatili opere sit.

Scalas nullas coclides, aliave forma habeat: sed ex ligneæ gestatoriæ tunc solum adhibeantur, cum sacræ reliquiæ certis solennibus diebus populo ostenduntur.

23 Si quæ vero Ecclesiæ, non satis ampla magnitudine, reliquias insignes, vt suprà habent; in earum ferè ipso medio, propius tamen altari maiori, vel apud parietem qui in capite Ecclesiæ extrà capellam maiorem à latere Euangelij est, podium extruatur: quod parieti affixum, ongè, latéque pateat, ad formam superioris præscriptum.

In intima parte parietis, cui illud affixum, agglutinatumve est, armarium, in quo illæ asseruentur, è marmore, aliove solido lapide, fiat: tabulis querneis, aut alterius generis, ad diuturnitatem accommodatis, intrinsecus circumuestitum, ac serico item eius coloris, qui ex instituto Ecclesiæ cum sanctis, quorum illæ reliquiæ sunt, conueniat, vndique ornatum; quod valuis æratis, & seris duabus, iisque diuersis, vt suprà claudatur.

Huic scala lapidea, ligneave, qua podium ascendatur, accōmodari potest, si modo à posteriori parte armarij fieri commodum sit, vt Ecclesiæ spatium non impediatur, alioqui scala gestatoria, vt supra adhibeatur.

24 Forma loci tertia hæc sit: eaque in Ecclesijs reliquias sacras habentibus, vbi nullus locus, ad primæ, aut secundæ formæ, supra præscriptæ, modum extructus est, aut extrui potest.

In capella maiori, intra eius scilicet septa, à parte Euangelij, armarium, quod ad altare maius versus, vbi potest, rectà spectet, ità latè, longè, altè, profundéque in ipso pariete concauetur, prout sacrarum reliquiarum, quæ in eo asseruandæ sunt, multitudo, ac magnitudo, postulat. Altè à pauimento capellæ ad solum suum vsque extructum sit cubitis quatuor, intus tabulis vndique sepiatur, tum aliquo panno serico eius coloris, qui sacris reliquijs conueniat, circumornetur.

Benè muniatur, & claudatur valuis, ære extrinsecus munitis, iisque decentibus, sera solida, duplicique claue, & vnaquaque fabrili opere diuersa.

Quo in armario, ità ornatè instructo, Sacræ reliquiæ, vasculis, loculisue inclusæ, ordine recondantur.

25 Vascula quib. recondantur, ex auro, argento, aut è crystallo, aut ex aliquo metalli genere sint, eaque artificio elaborata, atque inaurata, prout illæ insignes sunt, & Ecclesiæ, vbi asseruantur, facultates ferunt.

Ea totidem sint, quot sanè illarum genera, quæ habentur, vt singulæ, binæue, aut plures, singulis vasculis distincto ordine separatim asseruentur, singula vela sint, quibus illa vasa integantur, eaque colore distincta, pro sacrarum reliquiarum, quæ in vasculis asseruātur, ratione.

Si quæ Sacræ reliquiæ eiusmodi sunt, quæ tenues non vascula maiora, sed loculos minores requirunt, ita recondantur.

Tabula sectilis, è nucea, ligneaue alia, & pretiosiori etiam materia, vt potè eburnea, argêteaue deligatur: quæ fabrili opere politè elaborata, tam latè, longéque pateat, vt ad vsum, cuius causa paratur, satis esse queat. In ea totidem capsulæ, seu loculi, iique singuli trium vnciarum mensura concauentur, quot Sacræ reliquiæ recondendæ, asseruandæve sunt.

Ij loculi vndique à parte summa paruulis coronicibus inauratis ornentur.

Hæc tabula, his loculis extructa, opere vitreo operiatur ita, vt singuli loculi vitro pellucido contegantur.

Quod vitreum integumentum, coronicis ligneæ inauratæ, vel pretiosioris etiam materiæ ornatu vndique muniatur: vt fixum firmumque hæreat.

26 Singulæ sacræ reliquiæ serico taffetano duplici, ormesinove, aut aliquo serico pretiosiori, auro, argentoue intexto inuolutæ recondantur, eo distincto serici colore, qui pro sanctæ matris Ecclesiæ ritu, sanctis, vel Apostolis, vel

Martyribus, vel Virginibus, vel Confessoribus, quorum reliquiæ ibi recondantur, conueniat.

27 Et in quocunque loculi, armarij, vasculiue genere recondite sint; singulæ, quarum nomina constant, inscriptionem in carta pergamena patentibus litterulis expressam, earumque vnicuiq; vel potius serico, in quo illæ singulæ inuolutæ sunt, affixam habeant: qua vniuscuiusque Sancti, Sanctæ ve reliquiæ quæ in ijs reconduntur, planè significentur.

28 Quæ reliquiæ inscriptionem habent, non vetustate consumptam sed integram, & ex præscripto instructionum nostrarum confectam: ità vt est, illa inscriptio retineatur & cõseruetur. Quarũ verò inscriptiones aliqua ex parte excisæ sunt, aut aliàs non ad præscriptum factæ, eæ in carta pergamena rectè exaratæ, renouentur.

4. De reliq. §. quæ reliq. Quæ nihil inscriptum habent; sed tamen constat quorum sanctorũ sanctarumve illę sint, ijs singulis nomina propria inscribantur, ad instructionum præscriptum.

Inst. Fab. lib. 1. c. 15. § eo. 29 Si quæ verò ex certis monimentis constat, quorum potissimum sanctorum sint, ita tamen inter se permixtæ apparent, vt diiudicari non queat, quæ præcipuè propriè huius, atque illius sancti sint; eæ in vno eodémque loculo, vasculove recondantur: cui loculo, vasculove, singula eorum omnium sanctorum nomina inscribantur, quorum reliquiæ in eo asseruantur.

Idem de inscriptione vasculive, loculive, in quo sacræ reliquiæ, quæ in eo asseruantur, inscriptiones quidem habent, at ab illis seiũctas, variéq; ita permixtas, vt ijs ipsis adhibitis nulla distinctionis ratio iniri possit.

30 Rursus si quæ sũt, quarũ nomina nõ cõstant, in loculo vno recõdantur, inscriptione etiã hac adiuncta: RELIQVIÆ SACRÆ, QVARVM NOMINA IGNORANTVR.

31 In Armarij item, vbi sacræ reliquiæ reconduntur, pariete etiam adiuncto, sanctorum pictura, religiosè, decoréque exprimatur, quorum insigniores præsertim reliquię in ea reconditæ, asseruantur.

32 Fiant virgæ duæ è ligno eburneo, aut, quod vocant, braxilio, aliove genere decenti; ac tricubitales sint: quæ à summa parte, lamina argentea, exiguisque vncis binis constet, vnde fidelium coronæ precariæ appendantur ad sacras reliquias, vel potius earum vasa tangenda.

33 Quacunque denique in Ecclesia sanctorum reliquiæ, corporaue sunt, in ea loco conspicuo, atq; illustri, vt potè in columna capellæ maioris à latere Euangelij, aliove insigni loco, tabula, vel ænea, vel marmorea litteris grandiusculis incisa, firmiter parieti, columnęue agglutinata collocetur: in qua res tota de reliquiis ibi reconditis, breuiter, summatimq; narretur, extat etiam in conf. 4. decretum sequens.

Sanctorum reliquiæ, præsertim insignes, & sacra corpora, sacraq; mẽbra, quæ ex certis monimentis, in vlla quauis Ecclesia recondi constat, in tabula ærea, aut marmorea, lapideavè litteris incisa, quò accuratius memoria perpetuò conseruetur, diligenter, ordinéque Episcopi cura, describantur: tum præterea in capellæ maioris columna, latereve, aut in gremio Ecclesiæ, loco aperto, ac perspicuo, ea tabella, parieti calce cõglutinata, in omniũ conspectu sit.

34 Scriptæ, tabulæ & antiqua monimenta, ad illas spectantia, in earundem Ecclesiarũ Sacristia, archiuiove reponãtur, vbi tutò asseruentur.

35 Vniuscujusque sancti, sanctæue, cuius corpus, vel sacræ reliquiæ, præsertim insignes, asseruantur, vitæ, aut Martyrij historia, ex probatis authoribus breuiter collecta, ab Episcopo ante recognita, & comprobata, in tabellam, aut in aliquem certum codicem, charta pergamena exarata, referantur. Qui

36 Codex in Ecclesiæ Sacristia, certo loco diligenter asseruetur. In illo autem vita, breui narratione ex certis monimentis, antiquave traditione, omnique alia, quæ constet, ratione, exponatur deinceps, in extrema scilicet parte, ac paucis item verbis, quo tempore, quouè modo, sacræ illæ reliquiæ eò translatæ, vel reconditæ sint.

37 Sacris autem reliquijs, si Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento non ita propè quidem eæ collocatæ sunt, vt illius lampade harum cultui satisfiat, lampas propria assiduè perluceat: nisi hanc impensam, nimia & Ecclesiæ, & populi egestas Episcopi iudicio non patitur. Cæterum corporibus sanctorum, & reliquiis, Episcopi iudicio insignibus, lampas omnino vna semper colluceat. Vbi verò plures, aut ex legato, seu alia obligatione, vsu vè adhibeantur, aut pro reliquiarum ratione, vel Ecclesiæ amplitudine, facultatibusuè adhiberi Episcopus iusserit, id etiam seruetur.

38 Nè sacræ reliquiæ per laicos, etiam cuiusuis ordinis, dignitatis homines vllo modo tractentur: nec verò tangantur, cum hoc sacrilegum, ac minus propterea ferendum esse, sanctus Gregorius Pontifex scribat.

39 Cum verò ab Ecclesiastici ordinis hominibus illæ cum suis loculis, vasculisuè suscipiantur, vel populo ostendantur, vel in altari exponantur, vel in processionibus ferantur; primum illis thurificatio adhibeatur: sique in via ferantur, tunc acolythus, sacerdoti illas ferenti præeat, qui item thurificet.

40 Ne passim omni tempore, sed certis tantum festorum dierum celebritatibus, vtpotè in Natiuitate Domini, Epiphania, Pascha Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, & eiusmodi, festóque ipso die exponantur, ostendanturuè, quo illius sancti, cuius reliquiæ sunt, vel Ecclesiæ, in qua reconditæ sunt, celebritas solemni, festoque officio agatur, tũ prætereà quo die, ob aliquã causam Episcopus iusserit, cõcesseritvè.

Ne temerè exponantur omnium oculis. 1. de sanct. reliq. ven.

41 Nullo autem modo vnquam illæ ab operimentis, aut velis nudę ostendãtur, exponãturuè. 4. de eo. §. eo.

Ex loculis vero, & receptaculis, vbi conditæ sunt, nè educantur. 1. de san. reliq. vener. §.

Neuè quæstus gratia: de Indulgentiis, & sac. reliq. §. eo.

Ne sacræ reliquiæ in Ecclesiæ Sacristia recõditę, è loco, vbi asseruãtur, ad ęgrotos vllo modo exportẽtur, nè consuetudinis quidem prætextu. 4. de reliq. §. eo.

42 Cum in altari autem exponuntur, hæc seruentur. Primo in illis exponendis, processio per Ecclesiã, vbi illæ sunt, ab eiusdem clero agatur, certo luminum numero adhibito: prout etiam primo Concilio statuitur his verbis. 1. de sanctarum reliq. ven. §. eo.

Cum populo pietatis causa ostenduntur, lumina accendantur.

Rursus idem præstetur, cum reconduntur.

A sacerdote, qui post Episcopum in illa Ec-

4. Ibid. clesia digniorem sacerdotalem locum obtinet, nisi aliquando Episcopus ipse munus sibi obeundũ censuerit, exponãtur, & recondantur.

Isque superpelliceo & stola, vel pluuiali etiam, pro reliquiarum, Ecclesiæve ratione indutus sit.

Dumque exponuntur, & item cum reconduntur, hymnus, vel de Apostolis, vel de Martyribus, vel de Confessoribus, vel de Virginibus canatur, prout sunt sancti, sanctorumve reliquiæ, quæ exponuntur: tum Antiphonæ, & alia eiusmodi ad rem accommodata, vltimoque loco, oratio de sanctis illis: si verò sanctus, sanctave est, cuius proprius hymnus, Antiphonæ, oratiove extet, illæ canantur.

Cum item exponuntur, de stato eo libro, tabellave supra præscripta, vniuscuiusque Martyrium, aut vitæ historia breuiter explicata, vulgari sermone grauiter in populi frequentia pronuncietur: ad quam rem prætereà sacerdotis, de diuinis illorum sanctorum virtutibus, cœlestiq. vita, & rebus per eos fortiter, ac mirificè gestis, grauiter, breuique tractantis, officium, vbi potest adhibeatur: quo ardentius populi, sacras reliquias spectantis, animi ad omne pietatis studium inflammentur.

Dum in altari expositæ sunt, candelæ, saltem quatuor, grandiores accensæ ibi colluceant: ad earumque custodiam adhibeatur, qui semper assistat, vnus, duouè, sacris maioribus ordinibus initiati, ijque moribus probati, ac superpelliceo in duti.

Horum vero clericorum, non laicorum opera, ministeriove adhibito, liceat fidelibus pietatis, & religionis causa, calculorum coronis sacrarum reliquiarum vascula, loculosuè attingere, qua hora Episcopus concesserit.

Cum reliquiæ sanctorum non in altari exponuntur, sed è loco superiori, alioue, in quo reconditæ sunt, populo ostenduntur, omnis eadem ratio plenè seruetur, processione excepta

In quibus autem processionibus illas, vel per Ecclesiam, vel extra portari contigerit, debito cultu, apparatuuè ferantur ab iis, qui in Sacerdotio constituti, post Episcopum Ecclesiastica sacerdotali dignitate, Canonicatuuè aliis in illa Ecclesia præstant; nisi Episcopus id munus ipse obeat.

43 Sacras porrò reliquias, ab vno in alium locum transferri ne liceat, sine iusta, & legitima causa, & facultate scriptis ab Episcopo permissa. — ¥. De cultu Sanct. §. eod.

44 Ne sine Episcopi concessu, facultateue litteris consignata, extra Diœcesim sacras reliquias, asportari, nec verò quæ etiam aliundè allatæ sunt, intra diœcesis quoque fines, ab vna Ecclesiâ eiusuè Rectore, etiam de consensu Capituli, alteri Ecclesiæ donari; minus verò cuiquam Ecclesiastico, aut laico homini earum particulam aliquam priuatim concedi, tradi, donarive liceat, proposita excommunicationis pœna, quam subeat, tùm is, qui dederit, concesseritué, tum ille qui acceperit, vel asportauerit, etiam Ecclesiæ suæ nomine. Idque omnę quod de reliquijs neque dandis, neque transferendis, hoc Decreto alijs pręceptũ est, vt à regulares etiã, atque exẽpti seruent, eos in Domino monemus.

Quarta Ibid. 45 Sicut sacrarum reliquiarum translationis memoriam, festa solemniue celebritate fieri, religiosè, iam ferè ab initio nascentis Ecclesiæ institutum, perpetua Ecclesiæ consuetudine sanctè retentum est, ita, si quando sanctorum corpora, membraue, aut sacras reliquias, Episcopi iudicio insignes, transferri contigerit, vel ab vno oppido, vrbeue ad aliam; vel in ea ipsa etiam vrbe, oppidouè ab vna ad aliam Ecclesiam, id ritu solenni religiosoq; cultu præstari oportet.

Itaque hæc decernimus.

Primum aliquot ante diebus si opus erit, aut certè, omnino pridie illius diei, quo sacræ reliquiæ transferendæ sunt ab Episcopo, alioué, vbi adhiberi potest, Ecclesiastica dignitate prædito, cui nominatim is id muneris dederit, accuratè, diligentérque recognoscantur, testibus aliis sacerdotibus grauioribus adhibitis. Quæ recognitio fiat, vt suprà diligenter conquisito omni monimentorum genere.

Recognitæ vbi sunt, ordine componantur, tum in arca duabus saltem, ac diuersis clauibus; quarum altera ab Episcopo, aut ab eo, quem ipse maluerit, asseruetur: inclusæque signo Episcopali obsignentur.

Dies translationis, tum in loco, vnde transferuntur; tum ad quem transferuntur, tum etiam quibus locis transeundum est; per parochos Episcopi iussu, Dominico die, vel festo proximè præcedenti nuntietur.

Idemque illis locis iubeatur coli, manè, saltem, vt dies festus significetur etiam proximis ante diebus frequenti sono campanarum illius Ecclesiæ, ad quam translatio facienda est.

Pridie verò translationis, vespere significatio celebritatis detur solenni campanarum omnium vtriusque loci sono.

Eo die ieiunium à Clero Ecclesiæ, ad quam transferendæ sint, seruetur: noctúque item arca cum sacris reliquiis, si commodè super altari Ecclesiæ, vnde transferendæ sunt; si verò non potest, alio decenti loco collocata, & adhibitis prætereà ad earum venerationem sex saltem luminibus, ab eodem Clero, & aliis item Ecclesiasticis hominibus quibus Episcopus id iusserit, vigiliæ fiant: statóque tempore nocturna itidem ritè de sanctis decantentur; quorum reliquiæ transferuntur.

Manè quo die transferũtur, processio solennis, psalmis, hymnis & Cãticis, omniq; prece agatur ad Ecclesiam, in quam trãslatio fit: vbi iterũ illis recognitis, tum de eorum vita, deque historia sanctarum reliquiarum, olim eo loco reconditarum, de causis item translationis, ab Episcopo, vel ab alio, eius iussu, sermo appositè habeatur: nisi commodius censuerit Episcopus posteà habendum inter Missarum solennia: deinde adhibita primùm illis thurificatione, clero, & populo ostendantur: ab illisque ijsdem debitus cultus, & veneratio tribuatur.

Transferantur autem inclusæ in arca, pro earum ratione, proque ritu Ecclesiæ decenter ornata, & vmbella prætereà adhibita, vt Episcopus censuerit.

Arca vero humeris portetur à Sacerdotibus, qui digniores sint, & in toto clero, & in ea Ecclesia, ad quam translatio fit: illique vicissim, prout Episcopus iusserit, id onus subeant, sacris vestibus induti, tum capite aperto: præeant verò duo Acoluthi, semper thurificantes.

Clerici prætereà aliquot, superpelliceo ami-

cti, qui capite item aperto sint, lumina deferant, hinc inde congruo numero, & ordine accensa: hæcque præter cereos, quos accensos reliquus etiam clerus, & populus, laicorumque hominum sodalitates, & cæteri, earum piè prosequentes, pro sua pietate manibus gestarint.

Verum si Episcopus in loco adest, ipse quoque cum sacerdotib. qui in Cathedrali Ecclesia, Sacerdotali dignitate præditi sint, canonicatumve sacerdotalem habentes, digniores sunt, humeros sacræ arcæ portandæ subijciat, idque saltem paululum, tùm initio, tum in fine processionis, quæ translationis causa agitur.

Cum vero arcam non portat, eam proximè subsequatur, reliquo omni clero præeunte.

Vasculo, quod ab vno ferri possit, reconditæ sacræ reliquiæ, ab Sacerdote item portentur, qui dignior est, cæteris etiam seruatis, supra mox præscriptis.

Vbi ad Ecclesiam ventum est, in qua collocandæ, recondendæue sunt, per Episcopum, aut per alium Sacerdotem, eius iussu, Missarum solennia celebrentur de sanctis, quorum translatio facta est: idque solenni ritu, nisi horæ tarditas impediat.

Peractis Missarum solennibus, certo loco benè septo, & clauso vt ne populus propius accedat, in altari exponantur, vbi per illum diem sint, accensis saltem sex luminibus, & adhibitis ad custodiam duobus sacerdotibus, vel vno saltem, alioque clerico in sacris ordinibus constituto: quorum Sacerdotum cura sit, Sacras reliquias custodire, & earum arcam, aut loculos precatoriis fidelium coronis, quæ porrigentur, religiosè tangere.

Confecto translationis die, sub occasum solis constituto loco ab Episcopo, vel alio quem miserit, cum thurificatione, psalmis, hymnis, canticis, Antiphonisuè religiosè recondantur.

46 Translationis tabulæ, publicè à notario confectæ, in librum, in Sacristia illius Ecclesiæ asseruandũ referantur, tum rei gestæ litteræ in ære, vel marmore incisæ, in eo reliquiarum loco, ad perpetuitatem collocentur.

47 Corpora sanctorum sacraue membra, aut insignes sacræ reliquiæ, cum aliunde è loco longè remoto transferuntur, si vel nauigio, vel curru vehuntur, illius locus, parsue, vbi pro vectione collocantur, piè ornetur, vna etiam, vel duabus pluribusuè lampadibus accensis. Si ad vectionem iumentũ adhibetur, decenter itẽ sternatur.

Quacumque illis transferendis iter sit, per vrbes, siuè per oppida obviam solenniter procedatur: ita vt Psalmis, Hymnis, & Canticis illas, cum clerus vniuersus, sacris vestibus indutus, religiosè excipiat; tum populus item, luminum numero, portarum, & viarum publicarum apparatu, religioso ornatu, piæque venerationis studio, & spiritualis lætitiæ significatione.

48 Dies translationis in vrbe, oppido, aut saltem in Ecclesia, in qua collocantur, vt Episcopus iusserit, anniuersario Canonicarum horarum officio de sanctis celebretur, quorum sacra corpora, reliquiæuè eiusdem Episcopi iudicio insignes transferuntur.

Quod officium, vt solemniter, & cumulatè præstetur, id prospiciatur, vt dies, quo celebritas translationis agenda est, in feriam certam cadat, quæ sanctorum, quorum reliquiæ translatæ sunt, cultui dicari possit, vniuersè, vel in ea saltem Ecclesia.

De Miraculis nouis, nouisque reliquijs.

SVMMARIVM.

1 *Forma à Tridentino Conc. miraculis nouis approbandis, & nouis reliquijs recipien. præscripta ab Episcopo seruanda.*
2 *Episcopi quid agãt, vbi quid pro miraculo euulgetur.*

1. FOrmam à sacra Synodo Tridentina, miraculis nouis approbandis, & nouis reliquiis recipiendis traditam, Episcopi seruent diligenter in omnibus, etiam Regularium, & alijs exemptis Ecclesijs. Quartum de Reliq. &c. §. eo. Sess. 25. de

2 Nec verò patiantur, causa à se non cognita, & scripto probata, altare propterea erigi, aut imagines vllas extra morem ornari, votauè, aut oblationes suspendi, aut quicquam noui ea in re omninò geri. Sed quia plerumque fit, vt vulgi concursu, populique clamore, aliquid pro miraculo, aut sacra reliquia euulgetur, quod reuera non est, studeant hoc summoperè, vbi eiusmodi occasio se obtulerit, vt primis illis vulgi clamoribus piè obsistant, donec rei veritas legitimè comprobata, constet. Si quis verò dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omninò aliqua de ijs rebus grauior quæstio incidat: Episcopus, antequam controuersiam dirimat, metropolitani, & prouincialium Episcoporum in Concilio prouin. sententiam expectet, ita tamen, vt quemadmodum ab eodem Tridentino Concilio præscriptum est, nihil inconsulto Sanctissimo Pontifice, nouum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur. In hoc. vener. Ibid.

De Imaginibus sacris, & profanis, Deque pictoribus, & sculptoribus.

SVMMARIVM.

1 *Imagines Sacræ, quæ, & quomodo pingendæ.*
2 *Quæ historiæ pingi prohibentur.*
3 *Quæ seruãda: quæque cauẽda in imaginibus sacris.*
4 *Imagines, vt exprimendæ pro earum decentia. Earum habitus, ornatus, locus ab Episcopo inspiciendus.*
5 *Sanctorum insignia apponenda.*
6 *Nomina quoque inscribenda.*
7 *Quæ ornatus causa illis addi non debeant; quæque liceat.*
8 *Quibus in locis non pingendæ.*
9 *Pictores, & Sculptores cõuocandi, docendique à quibus cauere debeant in sacris imaginibus effingendis.*
10 *Ij, parocho inconsulto, Sacrã imaginẽ non pingant.*
11 *Contra facientes vt puniantur.*
12 *Interdicto ab Ecclesia plectendi insolitam imaginem pingentes.*
13 *Rectores verò id permittentes excommunicatione, & mulcta feriendi.*
14 *Imaginib. effingendis, quæ difficultatem habent, Episcopi iudicium à parochis requirendum.*
15 *Imagines, quæ delendæ, vel corrigendæ.*
16 *Veteres renouandæ: sordidæ delendæ.*
17 *Tabulæ pictæ, ob vetustatem, comburendæ.*
18 *Imagines sculptæ, si deformatæ, sub pauimento collocandæ.*

19 *Imagunculæ cereæ profano ornatu compositæ, non permittendæ.*
20 *Eæ minimè vendēdæ, ipsæque cuiusmodi sint.* 19
21 *Sanctorum imagines, benedicendæ, nitidæq. conseruandæ, & cuius studio.*
22 *Instruendus populus, quemadmodum sacræ imagines, & picturæ venerandæ.*
23 *Imaginibus sanctorum patronorum vniuscuiusque Ciuitatis Prouinciæ Metropolitana Ecclesia decoranda.*
24 *Imago Sacra in cubiculis Episcopalibus, &c.* } *collocanda.*
25 *In Gymnasio Ludimagistri.*
26 *Imagines obscœnæ, etiam à laicis non retinendæ.*
27 *Obscœna in apparatu processionum non adhibenda.*

1\. Quæ seruan. sunt in Sac. Im. effin. Sess. 25. de Inuoc. ven. & reliq. sanctorum.

1\. CVm Sacrosancta Tridentina Synodus decreuerit, nemini licere vllo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, vllam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit: eiusque diligentiæ & curæ commendarit, vt in sacris effingendis imaginibus, nihil falsum, nihil profanum, nihil inhonestū, nihil præposterè, nihil nō rectè atque ordine adhiberetur, illud in primis caueant Episcopi, nè quid pingatur, aut sculpatur, quòd veritati scripturarum, traditionū, aut Ecclesiasticarū historiarum aduersetur: nè cuius lectio prohibetur, eius imago populo proponatur.

2 Historiæ quoque quibus neque Ecclesia, neque probati scriptores authoritatem vllam dederunt; sed sola vulgi vana opinione commendantur, effingi prohibeantur.

Instr. Fab. li. 1. cap. 16.

3 In Ecclesia, alioue loco, nè imago sacra exprimatur, quæ falsum dogma contineat: quæque periculosi erroris rudibus occasionem præbeat: quæuè Sacræ Scripturæ, vel traditioni Ecclesiæ, repugnet: sed quæ veritati scripturarum, traditionū, Ecclesiasticarumve historiarum, matrisque Ecclesiæ consuetudini, & vsui conueniat.

Præatereà sacris imaginibus pingendis, sculpendisuè, sicut nihil falsum, nihil incertum, apocryphumue, nihil superstitiosum, nihil insolitum adhiberi debet: ita quicquid profanum, turpe, vel obscœnum, inhonestum, procacitatemuè ostentans, omnino caueatur: & quicquid item curiosum, quodq. non ad pietatem homines informet; aut quo fidelium mentes, oculiq. offendi possint, prorsus vitetur item.

In illis autem, sicut sancti, cuius imago exprimenda est, similitudo, quo ad eius fieri potest, referenda est, ita cautio sit, vt nè alterius hominis viuentis, vel mortui effigies de industria repræsentetur. Effigies præatereà iumentorum, canum, piscium, aliorumve brutorum animantium in Ecclesia, aliòue sacro loco fieri non debent, nisi historiæ Sacræ expressio, ex matris Ecclesiæ consuetudine aliter quandoque fieri postulat.

Effigies iumentorū, canū, aliorumue brutorū animalium in Ecclesia nè fiant: cum aliquid inhonestum, aut profanum in ea apparere nefas sit, ex Tridentini Concilij sanctione; idque planè etiam septima Nicæna Synodo œcumenica vetitum sit.

4\. de reliq. &c. §. eod.

Ibid.

Si verò historiæ sacræ expressio, ex Sanctæ Ecclesię matris consuetudine, aliter quandoque fieri postulat, hoc sanè non vetatur.

4 Sacrarum imaginum expressio, tota prototypi dignitati, & sanctitati aptè, ac decorè corpori habitu, statu, & ornatu respondeat.

Inst. Fab. vt supra de decore sacratum Imaginum.

Vt hæc omnia ad prototypi dignitatē, & sanctitatem apta sint, & decora, atque ex imaginis inspectione pietas excitetur; nulla verò turpis cogitationis detur occasio, vniuscuiusque imaginis os, corpus, corporis habitum, & statum, ornatum, & locum inspiciendum curent Episcopi.

1\. Quæ seruanda sunt in sacris imag. effin. §. Deinde. Inst. Fab. vbi supra de insignib. sanctorum.

5 Quæ præatereà ob significationem rei sacræ, imaginibus sanctorum appinguntur, eiusmodi apponantur, quæ ex Ecclesiæ instituto aptè, decoréque conueniant, vt corona, quę sicuti rotundi instar sanctorum capitibus apponitur; palmæ in manibus martyrum, mitra, & baculus pastoralis, quæ Episcopis dantur, & alia id generis; tum quod proprium est, ac præcipuum insigne cuiusque sancti. In quibus omnibus diligentia adhibenda est, vt ex historiæ veritate, Ecclesiæ vsu, ac patrum præscripta ratione exprimantur. Videndúmque est, vt Christi Domini corona, à coronis sanctorum distinguatur, crucis figura.

Hoc curandum est itē, vt eiusmodi corona nemini apponatur, nisi quos Ecclesia canonizauit.

6 Nec verò alienum illud est, vt in multitudine sacrarū imaginum, quæ in Ecclesijs exprimuntur imaginibus minus notis nomina sanctorū subscribātur, quod & veteris consuetudinis est, & sanctus Paulinus illo versu ostendit.

Inst. Fab. l. 1. c. 16. de nominib. SS. scribendis.

Martyribus mediam pia nomina signant.

7 Parerga, vtpotè, quæ ornatus causa imaginib. pictores sculptoresue addere solent, nè profana sint, nè voluptaria, nè deliciosa, nè deniquè à sacra pictura abhorrentia, vt deformiter efficta capita humana, quæ Mascharoni vulgo nominant, non auiculæ, non mare, non prata virentia, non alia id generis, quæ ad oblectationem, delitiosumque prospectum atque ornatum effingantur, nisi eiusmodi sint, quæ cū historia sacra, quæ exprimitur, verè conueniant: aut tabulæ votorum, in quibus, & capita, & alia vt supra, ad eorum explicationem pinguntur. Ornamenta item, indumentauè alia, quæ sacris imaginib. appinguntur, nihil ineptum, nihil deniq. habeant, quod nihil parumve cum sanctitate conueniat.

Inst. Fab. vt supra de parergis, &c.

8 Nec verò sacra imago, etiam in Ecclesia humi exprimatur, neque locis item vliginosis, quæ picturæ corruptionem, ac deformitatem aliquo temporis spatio gignunt, effingatur: neque sub fenestris, vnde aliqua pluuiæ gutta stillare possit: neque eo loci, vbi claui aliquando figendi sunt: neque rursus humi, sordidoque lutulentoue vllo loco.

Inst. Fab. lib. 1. c. 16. de locis picturæ, &c.

Quo loco ne historia quidem Sancti, Sanctæve exprimatur: nec verò vlla sacrorum mysteriorum figura: neque præatereà vllus eorundem typus, significatiove.

Quod de sacrosanctæ crucis effigie, in Concilio prouinciali Tertio per nos sancitum est, itidem interdictum sit, sacras alias scilicet imagines, ac sanctorum, sanctarumve historias, sacrorumuè mysteriorum figuras, & significationes in vllo quouis humi strato, pauimento, aut loco sordido, etiam extrà Ecclesiam, insculpi, pingi, effingiuè.

4\. de reliq. §. eod.

9\. Hęc & reliqua huiusmodi ex Tridentini Concilij præscripto, vt

1\. Quæ seru. sunt. in sacr. imag. effing. §. eod.

commodius Episcopi exequantur, conuocent suarum Dioecesum pictores, & sculptores, omnesque pariter doceant, à quibus cauere debeant in sacris imaginibus effingendis: curentque nè illi, inconsulto parocho, aliquam sacram imaginem publicè, vel priuatim effingant.

1. Ibid. 10. 11 Quod, si qui deliquerint, punientur, tam ipsi artifices, quam ij quorum sumptibus, vel iussu effictæ erunt imagines.

4. de reliq. §. eod. 12 Pictoribus, & sculptoribus grauis mulcta, ac pœna etiam interdicti ab Ecclesia, Episcopi arbitratu proposita sit, si quid inordinatè, aut præposterè, aut tumultuariè accommodatum; si quid profanũ aut inhonestum finxerint, aut effinxerint contrà eiusdem Concilij Tridentini decretum.

Ses. 25. de In voc. vener. &c. Ibid. 13 Rectoribus etiam Ecclesiarum, qui vllam sacram imaginem insolitam, contraque illius Concilij sanctionem, in suis Ecclesijs etiam exemptis, poni permiserint, pœna etiam excommunicationis, mulctaue constituta sit, arbitratu Episcopi, pro ratione culpæ irroganda.

1. vt su. §. eo. 14 Parochi verò Episcopo significent, quæ ille iudicarit in sacris imaginibus effingendis ad se propter difficultatem deferri debere.

1. vt sup. 15 Quod si quæ iam pictæ imagines, fictaue simulachra ob artificum temeritatem, aut inscitiam, eiusmodi fortasse fuerint, vt ferenda nullo modo videantur, ea curent Episcopi, doctorum etiam, & peritorum virorum consilio adhibito, vt omninò deleantur, vel saltem aliqua ratione corrigantur.

4. de Reliq. §. eo. 19 Si quæ sacræ tabulæ, imaginesue pictæ nimiâ vetustate, carie, situ, aut sordibus penè deletæ indecenti aspectu sunt, eas Episcopus, pia religiosaque pictura ab ijs, quorum interest, renouari iubeat; aut si id non potest, omnino deleri.

17 Ne tabulæ sanctorum imaginibus expressæ, vetustate contemptæ, in vilem & sordidum, profanumque vsum conuertantur: sed, vt de altaris pallis, ac velis, temporis vsura penè confectis, Beati Clementis Pontificis, & Martyris decreto sancitum est, in ignem conijciantur: tum cineres prætereà, ne pedibus inquinentur, in pauimenti fossis collocentur.

18 Imagines quoque Sacræ sculptæ, si deformatæ sint, amoueantur, & sub pauimento Ecclesiæ, aut saltem sub cæmiterij solo collocentur.

19 Imagunculæ illæ paruulæ, fictili opere effictæ, si ita fuco, alioque apparatu concinnatæ, sint, vt Episcopi iudicio, vanitatẽ præ se ferre, aut offensionem præbere videantur, ad altare nè adhibeantur in posterum.

Inst. Fab. ecc. lib. 1. c. 16. de tabulis votorum. Votorum item tabulæ, donaria, ex cera fusiles imagines, & eiusmodi aliæ, quæ ad memoriam vel recuperatæ valetudinis, vel periculi depulsi, vel beneficij diuinitus, mirabiliterque accepti in Ecclesijs, ex antiquo more, institutoque suspendi solent: cum sæpè falsò, indecorè, turpiter, superstitioseque affingantur, in ijs ipsis exprimendis cautio sit, suprà præscripta.

4. de parochis, &c. § eod. 20 Ne imagines cereæ, voti causa, Ecclesijs, pijsq. locis oblatæ, venditari vllo modo possint; ac nè confractæ quidem etiam vetustate temporis, nisi concessu Episcopi in vsum Ecclesiæ conuertendæ.

4. de reliq. §. eod. 21 Cruces, & sanctorum imagines, solemniter, statisq. precib. ex Ecclesiæ ritu benedicantur. Ex instructionibus item fabricæ, de imaginum benedictione hæc habentur.

Nec verò loci solum habenda ratio est, sed antiqui, Ecclesiasticique ritus, vt cum scilicet expressæ sunt sanctorum imagines, solenni benedictione, statisque precibus Pontificaliuè libro præscriptis, consecrentur. Inst. Fab. lib. 1. c. 16. de ritu bened. imagin.

22 Curet prætereà, atque adeo efficiat Episcopus, vt & per se, & per alios, Theologiæ scientia peritos, ac illos in primis, qui illius interpretandæ, aut populi docendi munus, in vlla quauis Ecclesia quouis modo sustinent, fidelibus accuratè enucleatéque exponatur, quęcũque & de sanctorũ intercessione, inuocatione, atq; cultu, & de sacrarum reliquiarum, imaginumque veneratione, & de historijs mysteriorum nostræ redemptionis, pictura, aliave similitudine expressis, eos instrui, docerique Tridentina Synodus iussit. 4. de Reli. §. eo. Ses. 25. de. In uoc. §. ven. Sanctorũ.

23 Aequissimum est, cum rationeq. pietatis coniunctum, sanctorum patronorum vniuscuiusque ciuitatis Prouinciæ huius sacris imaginibus Ecclesiam Metropolitanam splendescere: cum eorum etiam intercessionem, patrociniumve ibi diuinis Officijs, & Litanijs implorari moris sit. Quamobrem id cum in primis ad religionis cultum, tum ad eiusdem Ecclesiæ ornatum, splendoremuè præstetur. 6. de cultu sanctorum §. 1.

24 In cubiculis omnibus, reliquisque domus locis frequentioribus nè desit aliqua imago sacra. Quartum de Epis. §. eod.

25 Proinde in gymnasio, loco decenti, & perspicuo tabella alicuius sacræ imaginis appendatur, ad quam diebus singulis discipuli, statas preces facient. 5. Quæ ad præd. &c. § eo.

26 Et quoniam Christianorum hominum mentes facilè corrumpuntur, peccandi libidine inflammatæ, ob rerum turpium, atque obscœnarum imagines, ideò illas effingi vetitum est Constantinopolitanæ synodi canone. 3. de ijs quę partim ad ordinis sacramentũ, &c. §. eod.

Itaque curet Episcopus, vt quicumque laici homines, id generis imagines habent, vel tabulis, vel parietibus, expressas, pro pietatis Christianæ, cui addicti esse debent, studio, eas abijciant, vel planè deleant, vel ad honestatem reconcinnentur.

27 Cum Christianæ pietatis rationi illud alienum sit ad ornatum templorum adhiberi ea, quæ non modò religionem non excitant, sed intuentium mentes facilè illiciunt in fœdas, turpesque cogitationes: id propterea nè quis ad illa ornada peristromatis, aulæisque vtatur, quæ obscœnis figuris intexta sint; neque item pictas imagines, & signa adhibeat, quæ vel ethnicorum hominum, vel aliarum rerum, loci sanctitati repugnantium formam, ac speciem præseferant. 2. tit. 2. de. cis. 18.

28 In omni prætereà precum publicarum supplicatio numve apparatu, quę ob scœnarum speciem ostendunt, ea nè adhibeantur.

De imagine sanctæ Crucis, & Pilis structilibus in vijs publicis constituendis.

SVMMARIVM.

1 Crucis insigne in frequentioribus triuijs proponendum, certisuè alijs locis, & ex qua materia. Et eiusmodi. 2.

3 Humi non exprimendum.

4 Statis precibus benedicendum.
Sub capellæ maioris fornicato arcu proponendum. De Eccle. fabrica. 29.
Crucis adoratio feria sexta in parasceue qua hora in omni Ecclesia celebranda. De diu. off. 60.
Quaque animi humilitate, & corporis prostratione. Ibid. 62.

3. Quæ ad sacramentalia, & sacram. gener. pert.
1 CHristianę pietatis ornamentum, in quo populum fidelem gloriari oportet, altare est cœlestis holocausti, sacrosancta illa arbor crucis, in qua auctor humanę redemptionis pependit Christus Dominus. Quamobrem ad Christianæ religionis gloriam insignis admodum fuit ea veterum pietas, vt Crucis signum non in templis solum, sed domi, forisq. in parietib. ac vestibulis, passimque in Vrbe expressum appareret, tamquàm & præclarum populi Christiani trophæum, & clarissimum Diuinæ misericordiæ monimentum, & sempiternum denique testimonium, quo palam fieret, fideles cum inimicis Crucis Christi, Iudæis, Ethnicis, & Hæreticis nihil habere commune: sed contrà eos omnes liberè profiteri, quem colunt, Dominum Iesum, & hunc Crucifixum. Hoc igitur maiorum religioso exemplo, atque instituto, cuius etiam vestigia in hac Prouincia aliquot locis perspici licet, excitatus Episcopus, illud curet, vt hoc Sacrosanctæ Crucis insigne, vel ligno, vel lapide, vel, vbi commodè per facultates fieri potest, marmore expressum, in Vrbe, & Diœcesi sua, vbi triuia frequentiora sunt, publicè proponatur, atque erigatur: quò crebrius, perspecta ea Sacræ Crucis arbore, fideles sese erigant, tum ad summi mysterij in ea peracti, gratam memoriam, tum ad veram illam gloriam, ad quam Christo duce, populus fidelis, qui populus est acquisitionis, contendere debet.

4. de Oratorijs in viaticis.
2 Pilę quædam structiles, in vijs publicis constructæ, cum sancta aliqua imagine, vel cruce, edito loco picta, aliove modo expressa, à superiori parte tectæ conseruentur, ne corruant.

Curetúrque item, vt aliæ eiusmodi pilæ ad hominum pietatem excitandam certis congruis locis ædificentur.

Tertium. ibid.
3 Quod prætereà aliàs sancitum est, id pro Sacrosanctæ Crucis cultu, & veneratione seruari Episcopus iubeat, vt ne ea humi exprimatur, neve sordidis, & aliqua labe inquinatis locis.

Quod de Sacrosanctę Crucis effigie, in Concilio Prouinciali tertio, per nos sancitum est; itidem interdictum sit, sacras alias scilicet imagines, ac Sanctorum, sanctarumve historias, sacrorumve mysteriorum figuras, & significationes, in vllo quouis humi strato, pauimento, aut loco sordido, etiam extrà Ecclesiam insculpi, pingi, effingive.

4. de sacris reliq.

Ibidem.
4 Cruces, & Sanctorum imagines, solenniter, statisque precibus, ex Ecclesiæ ritu, benedicantur.

De Indulgentijs.

SVMMARIVM.

1 Abusus, quauis causa, in Indulgentias introducti, à Metropolitano ad summum Pontificem deferendi.
2 Concionatores Indulgentias populo non publicent, sine Episcopi concessu. 8.
Principes, & Magistratus, curantes obseruari decreta Concilij Lateranen. contra blasphemos, quam indulgentiam acquirant.
De blasphemia, numero 7.
Quam item accusatores, & iudices contrà eosdem procedentes,
Ibidem.
Sodalitati nominis Dei ad blasphemiam tollendam quę indulgentiæ elargitæ. De Constitut. 7.
Indulgentia per associantes Sanctiss. Sacramentum cum ad agros defertur acquisita, denuncianda. De sancta Eucharistia ad ægrot. defer. 24.
Indulgentia quoque sodalitatib. us Corp. D. à Paul. III. concessa, sæpè promulganda. ibid. 25 & 26.
Indulgentia altera à Gregorio XIII. eisdem sodalitatibus elargita, sæpè publicanda. Ibid. 27.
3 De Indulgentijs doctrina instituenda, & à quibus num. seq.
4 Instructiones editæ de Indulgentijs.
5 Indulgentiæ omnibus Ecclesijs concessæ, colligendæ, & in certum librum describendæ.
6 In quem deinceps aliæ concedendæ, referantur.
7 Indulgentiarum Codex, vel Tabella, vbi retinendi.
Indulgentiarum omnium exemplar in Archiuio asseruandum. Ibid.
8 Indulgentias, quibus publicare non liceat.
9 Quæ Indulgentiæ quotannis stato tempore publicandæ.
10 Indulgentiæ causa, collecta eleemosyna, quibus attribuenda.
11 Indulgent. arum litteræ propè eleemosynarum capsam non statuendæ.
12 Concionatores / Parochi } qua ratione hortentur fideles ad eleemosynam tribuendam tempore acquisitionis Indulgentiæ.
Propè Indulgentię locum capsa eleemosynæ non collocanda. Ibidem.
13 Conuenientibus ad orationem quadraginta horarum, quæ Indulgentiæ concessæ.
14 Orantibus item sine intermissione
15 Et in eleuatione Corporis Domini: quę tributa.
16 Conuenientes ad Concionem, Missam Conuentualem, ad Vesperas, Completorium, ad orationemque & processionem sub vexillo.
17 Item ad Missam Congregationum foranearum; quam indulgentiam acquirant.
18 Orantibus certa hora pro defunctis, quæ Indulgentia concessa.
19 Aegrotos visitantibus; quæ tradita Indulgentia.

Primum de pœnis, & aliis decr. in genere. Sess. 21. cap. 9. de Refor. & sess. 25. decr. De Indulgentiis. &c.

EX præcepto sacri Concilij Tridentini collegimus, & cognouimus abusus omnes, qui in Indulgentias ex superstitione, ignorantia, irreuerentia, aut quauis causa in Prouincia Mediolanensi irrepserunt: vt Metropolitanus de ijs, ex sententia Synodi ad Summum Romanum Pontificem referat, cuius auctoritate, &

prudentia, constitutis ijs, quæ huic Prouinciæ nostræ expedire videbuntur, fideles salutarē indulgentiarum fructum piè, & sanctè percipiant.

2 Indulgentias populo ne publicent Concionatores, nisi de consensu Episcopi.

1. De præ-di. verb. Dei. 4. de Indul-gētijs. §. 1. 3 De sanctis indulgentijs tractatio, prout vsu venerit, accuratè in sermonibus item habeatur: vt & earum cœlestem vim, & pietatis officia ad illas consequendas necessaria, populus intelligat: seque propterea omni intima mentis, animique religione, & Christianæ charitatis actionibus atque operibus, ad vberrimas, salutaresque earum vtilitates assequendas diligenter paret.

Ibid. cum seqq. 4 Id autem omne officium per parochos, & alios, quorum interest, præstari Episcopus iubeat, ijs præsertim instructionibus, quæ eo de genere nostra in Concilio Prouinciali auctoritate confectæ, ad communem Prouinciæ huius vsum in lucem emittentur.

5 Quæcumque indulgentiarum, quæ olim, vel nuper cuiuis etiam Regularium, aut aliter exemptorum ecclesiæ perpetuò concessæ sunt, tabulæ, scripta, monimentave alia omnia eiusdem generis extant; ea vbi illa sint, siue in Vrbe, siue in Diœcesi, Episcopus studiosè conquirenda curet: tum illa conquisita, indeque summatim exscripta, in librum certum, eo nomine confectum, qui in Archiuio Episcopali asseruetur, diligenter, rectéque referri iubeat.

6 Quæ præterea indulgentiæ Vrbis, Diœcesisque suæ Ecclesijs in posterum perpetuo, vel ad certum tempus concedentur, vbi primum ad se, aut ad Vicarium Episcopalem, qui illas recognoscat, delatæ sunt, eodem, aliove libro notentur, ordineque deinceps describantur.

7 Singulæ autem ecclesiæ quibus vel concessæ sunt, vel concedentur, proprium eiusdem generis Codicem, in quo illæ exscribantur, accuratè confectum, aut tabellam eiusdem generis in Sacristia habeant; illarum exemplari in Archiuio, vel in Sacristia asseruato.

5. de Indulgentiis. §. eod. 8 Ne cuiuis Rectori Ecclesiæ, etiam exemptæ, quouis modo, neque vlli ordini Regularium, neque cuiquam Scholæ, Confratriæ, etiam Rosarij, & Crucesignatorum, locive pij Collegio, prætextu, causave, vel priuilegiorum, etiam antiquorum, vel indulgentiarum, quas sibi quouis modo concessas, etiam instar ecclesiarum, locorumque piorū, Confratriarū Vrbis Romæ habēt, liceat illas ipsas in suis ecclesijs promulgare.

Sess. 21. ca. 9. de Refor. 9 Sed, vt decreto Tridentino cauetur, per Episcopum adhibitis duobus de capitulo, illæ quot annis statotēpore publicentur, atque euulgētur.

Ibidem. 10 Eleemosynæ item, atque charitatis subsidia, quæcūq; eo nomine, occasioneve à fidelibus offerentur, per eos ipsos colligantur; & Ecclesiæ, locove: cuius causâ indulgentia concessa est, omninò attribuantur; idque gratis, ac nulla prorsus mercede.

Conc. Triden. sess. 21 ca. 9 de Refor. 11 Ne indulgentiarum litteræ, inscriptiones ve, earum nomine exaratæ, eo loco, vbi capsa ad eleemosynam colligendam apparata est, etiam extrà ecclesiam, proponantur, affiganturve, sed, vel in altari maiori, vel in alio, vbi indulgentiæ causâ statio, oratiove constituta est.

12 Ac proinde statis ijs diebus, quibus Episcopus indulgentiam promulgandam decreuerit, cùm fideles ad eleemosynam Ecclesiæ, locove pio tribuendam, vbi illius indulgentiæ celebritas agitur, parochus, concionatorue excitabit, doceat simul diligenter, eius consequendæ causâ non esse necessario præstitutam eleemosynæ largitionem: vt cœlestem eum Ecclesiæ thesaurum, spiritaliaque munera exponi omnes intelligant non ad quæstum, sed ad peccatorum satisfactionem, & ad pietatis exercitationem.

Si verò aliquando, Episcopi concessu capsa, in quam eleemosyna fidelium conijciatur, palam ponitur; intus in ecclesia, loco longè ab altari, vbi Indulgentiæ statio agitur, decorè collocetur; de eleemosyna verò seruetur ratio suprà præscripta.

13 Quò vberiores ex orationis instituto fructus existunt, eo sæpius ad illius exercitationem fideles cohortandi sunt. Officium igitur Parochi sit, quò magis illos proposito spirituali dono alliciat, crebrò, cùm occasio tulerit, indulgentiam euulgare, iis concessam, qui orationi quadraginta horarū ordinariæ, aut extraordinariæ Episcopi iussu expositæ, vacauerint. Hoc officium, vt is præstet, indulgentiæ litteras vnà cum hoc Concilio in fine edi volumus. 6. de Indulgen. &c. De Const. num. 30.

14 Idem præstet de indulgentia ijs data, qui in oratione, quæ dicitur sine intermissione, versabuntur. Idque ex litteris Pontificiis, infrà huius Concilij vltima parte eo nomine editis. 6. ibidem. De Const. num. 42.

15 Idipsum præterea sæpenumero agat de indulgentia fidelibus data, qui vbi fuerint in eleuatione Corporis Domini, orauerint. Cuius etiam Indulgentiæ, litterarum monimenta, infrà eo nomine impressa sunt. 6. ibidem. De Const. num. 47.

16 Supplicationibus publicis obeundis, fideles suæ quique Ecclesiæ parochialis vexillo prælato, vt frequentes ordine procedāt, eos parochus sæpenumero, prout occasio tulerit, accuratè moneat, valdeque accendat, dono, munerèque indulgentiæ, quam Summus Pontifex Gregorius XIII. pro sua paterna charitate Prouinciæ Mediolanensi concessit: cuius Indulgentię Pontificias litteras in fine huius Concilij sexti impressas, ob eam causam frequenter parochialibus suis euulget. 6. quæ ad pro. cess. pert. §. eo. De Cōstit. num. 44.

Quò frequentiores item in concione sacra, in Missa maiori, Vesperis, & Completorio, præsentes adsint, ijsdem Indulgentiæ litteris illos crebrò cohortetur, & moneat.

17 Indulgentiæ, cuius etiam litteræ in vltima parte huius Concilij editæ sunt, Cōgregationis nomine concessæ, singulis mēsibus à Sacerdotibus foraneis, ex Decreto Prouinciali in singulos menses euulgentur, quo die Missa illius Cōgregationis celebratur. 6. quæ ad Synodum, &c. §. eo. De Constit. num. 45.

18 Parochi præterea, quò magis, atque magis, huius pietatis studium, exardescat, (vt scilicet oretur pro defunctis,) sæpè accurata cohortatione ad illius studium, vsumque perpetuum, parochiales suos inflammare studeant: & quò magis eosdem alliciant, indulgentiam proponant ijs concessam, qui sono campanæ moniti, atque excitati ad orationem, pro mortuis piè recitauerint Psalmum, De profundis; aut Orationem Dominicam, Salutationemque Angelicam ter dixerint: cuius Indulgentiæ Pontificias litteras, vt parochi aliquando de scripto euulgent, in fine huius Concilij loco suo impressas extare volumus. 6. quæ ad funera, &c. §. eo.

De Cõstit. num. 46. 6. de visit. infir.

19 Sanctissimus Pontifex Gregorius XIII. vt salutarem aliquam ægrotis medicinam afferret, certis Apostolicis suis litteris, Episcopis huius Prouinciæ auctoritatem dedit, Indulgentiæ ęgris concedendæ, quos vel ipsi, vel eorum nomine alij visitauerint. Quæ litteræ, vt omnibus notæ sint, proindéque ægroti salutare medicamentum contriti, & confessi capiant ex visitatione Episcopali, illæ à parocho, prout vsu venerit, studiosè, accuratéque euulgentur.

De Constitu. n. 48.

De actionibus, & repræsentationibus sacris.

SVMMARIVM.

1 *Actiones, & repræsentationes Passionis Domini non agendæ.*
2 *Passio Saluatoris vt exponenda.*
3 *Repræsentationes martyrum iisdem prohibitæ.*

1 Quoniam piè introducta consuetudo repræsentandi populo venerandam Christi Domini Passionem, & gloriosa martyrum certamina, aliorúmque Sanctorum res gestas, hominum peruersitate eò deducta est, vt multis offensioni, multis etiam risui, & despectui sit; ideò statuimus.

2 Vt deinceps Saluatoris Passio, nec in sacro, nec in profano loco agatur. Sed doctè, & grauiter eatenus à Concionatoribus exponatur, vt, qui sunt vberiores concionum fructus, pietatem, & lachrymas commoueat auditoribus, quod adiuuabit proposita Crucifixi Saluatoris imago, cæterique pij actus externi, quos Ecclesiis probatos esse Episcopus iudicabit.

3 Item Sanctorum martyria, & actiones ne agantur; sed ita piè narrentur, vt auditores ad eorum imitationem, venerationem, & inuocationem excitentur.

De Magicis artibus, veneficijs, diuinationibusque prohibitis.

SVMMARIVM.

1. *Magia prohibita.*
Magi, & Malefici } è societate fidelium exterminandi, ac puniendi.
2 *Diuinatio vetita, Diuinatorésque coercendi, & eijciendi.*
3 *Eos consulentes, auctorésque consulentium puniendi.*
4 *Annuli ad superstitiosos, & magicos vsus vetantur.*
5 *Astrologorum licentia, & eorum, qui illos consulunt, coercetur.*
Veneficijs, & fascinationibus matrimonia impedientes excommunicati. Qua ad sacr. matr. pert. 46.
Illis etiam soluendis verba improbata adhibentes, excommunicati. Ibidem.
Consilium quoque mandatumve adhac dantes, eandem censuram incurrunt. Ibid. 47.

1 Magos, & maleficos, qui se ligaturis, nodis, characteribus, verbis occultis mẽtes hominũ perturbare, morbos inducere vel expellere, corporum figuram, & constitutionem immutare, ventis, tempestati, aeri, ac mari incantationibus imperare posse sibi persuadent, aut alijs pollicentur: cæterosque omnes, qui quouis artis magicæ, & veneficij genere pactiones, & fœdera expresè, vel tacitè cum dæmonibus faciunt; Episcopi acriter puniant; & è societate fidelium exterminent. Primum de Magicis artib. &c.

2 Deinde omnem diuinationem ex aere, aqua, terra, igne, ex inanimatis, ex vnguium, & lineamentorum corporis inspectione, ex sortibus, somnijs, mortuis, alijsque rebus, quibus per dæmonum significationem incerta pro certis affirmantur, futura prædicere, furta, thesauros absconditos commonstrare se posse profitentur, & huius generis reliqua, per quæ curiosorum, & imperitorum hominum mentes facilè decipiuntur, coerceant, & eijciant.

3 In eos etiam, qui huiusmodi diuinatores, sortilegos, coniectores, ariolos, & cuiusuis generis magos de aliqua re consuluerint, vel vt consulerentur cuique auctore, adiutores, hortatoresve fuerint, vel eis fidem habuerint, seuerè animaduertant.

4 Si quis etiam annulos, vel aliud ad magicos, vel superstitiosos vsus fecerit, aut vendiderit, graui pœna afficiatur.

5 Astrologi, qui ex Solis, Lunæ, & aliorum astrorum motu, figura, & aspectu de hominum actionibus, quæ à libero voluntatis arbitrio proficiscuntur, certò aliquid euenturum affirmant, grauibus pœnis plectantur. Quæ pœna etiam ad eos pertineant, qui ad illos de huiusmodi rebus detulerint.

Denique pœnas sumant Episcopi de ijs omnibus, qui in itineris susceptione, aut cuiusuis rei institutione, vel progressione dies, tempora, & momenta obseruantes, quadrupedum voces, auium garritum, aut volatum notantes, ex occursu etiam hominum, vel pecudum, suscipiendi operis fœlicitatem augurantur.

De Superstitionibus.

SVMMARIVM.

Superstitionum causa Eucharistia, sacrisve rebus abutentes, ab Episcopo absoluendi. De Confessario, num. 22.
1 *Parochi &*
2 *Confessarij } cura in superstitionibus euellendis*
Superstitionis causa nihil in feretro, &c. apud mortuum ponendum, De funeribus, & exequijs. 8.

1 Quantũ in religione stabiliẽda, atque augenda laboris ponendũ est, tãtum in superstitione, ex hominũ mẽtibus euellenda, curæ, ac diligentiæ est impẽdendũ. Quare parochi diligenter ei rei inuigilent; ac si quod superstitionum genus in suæ parochię hominibus animaduertant, id semper ante proximam Synodum, tempore, quod Episcopus præstituerit, ad illum in scriptis deferant, vt ei malo occurri opportunè possit. Quartũ, de Superstitionibus.

2 Confessarij quoq; diligentes in eo genere se præstent, inuestigéntque num pœnitentes aliquod remedium valetudini, aut vulneribus adhibeant; quod non à medica arte, & cognitione, sed à superstitione proficiscatur: tum præterea, num tempora, aut loca, aut quid eiusmodi, superstitiosa opinione obseruent: & quos ea in re peccare nouerint, grauiter obiurgent; & ab eiusmodi vano sensu, atque errore deterrere, & auertere conentur.

De Blasphemia.

SVMMARIVM.

1 *Blasphemandi temeritas coercetur.*
2 *Clericus palam Deum, & Sanctos blasphemans, qua pœna puniendus.*
3 *Laicus, vt etiam plectendus.*
4 *Deum, & Sanctos occultè blasphemans mitius puniendus.*
5 *Blasphemo in foro conscientiæ grauis pœnitentia imponenda.*
6 *Blasphemi accusandi: serui domo eiiciendi.*
7 *Principes, & Magistratus hortantur ad seruandum decreta contra blasphemos: & quid ob id lucrentur.*
Eos accusantibus indulgentia tributa. Ibid.
Indulgentia ipsa sæpè à parocho, & Concionatore denuncianda. Ibid.
8 *Iudices non castigantes blasphemos, quibus pœnis subijciantur.*
Quando ad Confessionem, & Communionem blasphemi non admittendi. De Euch. in eccl. adm. 11.
9 *Vt blasphemię occurratur, Sodalitas nominis Dei instituenda: quaq; eidem sodalitati Indulgentię concessę. De Constitut. 7.*
Quæ etiam pœnę contra blasphemos, ex Constit. Pij V. propositę. De Constit. num. 11.

Primum de Blasphemia. 1. Blasphemiæ impudentia, & impietas eò prolapsa est, vt in ea coercenda vix satis diligētiæ adhiberi posse videatur. Itaque sacris concionibus, & Pōtificum decretis, maximè verò ijs, quæ Leo X. in Lateranensi Concilio decreuit, innixi hęc mandamus.

Sess. 9. tit. de Refor. Cur. 2 Vt quicunque Deo palàm, seu publicè maledixerit, cōtumeliosisq; aut obscœnis verbis Dominū nostrum Iesum Christū, vel gloriosam Virginem Mariam, ei⁹ matrē, expressè blasphemauerit; si clericus sit, primū fructibus vnius anni beneficiorum Ecclesiasticorū, quæcumq; habuerit, mulctetur. Si iterū in eo peccarit, eo beneficio, quod habet, priuetur; & si plura obtineat, eo priuetur, quo ordinarius priuandum censuerit. Si tertio blasphemarit, dignitates, ac beneficia omnia, quæcumque habuerit, eo ipso amittat, ad eaque deinceps retinenda, aut obtinenda inhabilis sit.

Innouationem ac auctionem pœnæ, vide in Bulla Pij V. cum primum, inf. de Constitutio. nū. 11. 3 Si verò laicus fuerit; primum, aut [illegible] secundo, pecunia mulctetur, ex præscripta in eodem Concilio ratione: tertio grauem pœnitentiam publicè agat, eo modo, quo à sacris Canonibus præscriptum est.

4 Qui verò Sanctos blasphemauit, aut in Deum, & gloriosam Virginem Matrem maledicta; non tamen palam, aut publicè, contulerit, mitius aliquanto iudicis arbitrio puniatur.

5 In foro autem conscientiæ, ei, qui blasphemiæ reus fuerit, grauem pro modo culpæ pœnitentiam confessor imponat.

6 Qui blasphemantem audierit, si possit sine periculo, asperiùs obiurget; omninò autem intra triduum eius nomen ad iudicem ecclesiasticum, vel sæcularem deferat. Si plures simul audierint, singuli idem faciant; nisi inter eos conuenerit, vt vnus pro omnibus eo fungatur officio. Quod si domini; mercatores, aut artifices, famulos, aut ministros audierint blasphemantes, semel monitos, si iterum in eo genere peccarint, domo eijciant.

7 Principes autem, & Magistratus, per Dei gloriam, quæ blasphemia maximè violatur, obsecramus, vt hæc omnia diligentissimè seruari studeant, vberrimam piæ curæ à Deo mercedem expectantes, præter decem annorum indulgentiam, quam Leo X. in eodem Lateranensi Concilio, & ipsis, & iudicibus, & deferentibus elargitus est.

Parochus & Concionator sæpè, prout opus esse animaduerterint, illā decem annorū indulgentiā edicāt, ac denuncient, quam Sūmus Pontifex Leo X. in Lateranensi Concilio toties cuiuis concessit, quoties aliquem blasphemantem accusarit. Sess. 9. de ref Curiæ, §. quæ ad Cōcion. pert. §. eo.

8 Quòd si sæculares iudices (quòd minimè futurum speramus) blasphemiæ conuictos, iustis pœnis non affecerint; sciant iisdem pœnis, quas de sontibus sumere neglexerunt, ex eodem Concilio se teneri. 1. de blasphe. in fine.

9 Vt detestabile blasphemiæ scelus, quàm diligentissimè fieri potest, tollatur, quæ superiori Concilio Prouinciali sancita sunt, id Episcopi studeant, vt in sua quisque Vrbe, & Diœcesi, hominum, qui zelo religionis accensi sint, sodalitatem Dei nominis instituant, præscriptis eidem sodalitati regulis, vnà cum Indulgentijs in Bulla expressis, quàm fel. record. Pius IIII. eius rei causa confecit. 1. tit. 1. Decreto. 3.

De Festorum dierum cultu.

SVMMARIVM.

1 *Festi dies colendi.*
2 *Festis diebus seruilia opera, atque infra notata vetantur.*
3 *Nundinæ, emporia, mercatus.*
4 *Contractus, rerum medicinalium, & necessariarum exceptis, & his seruatis conditionibus.*
5. *Officinæ apertæ.*
6 *Collectæ, Taleę.*
7 *Librorum, imaginum, signorum venditiones.*
8 *Ad alea vsum pertinentia.*
9 *Tonsoribus, pictoribus, sutoribus, calcearijs, & alijs opificibus certa præscribendę regulę.*
10 *Choreę quoque, saltationes, tripudia.*
11 *Commessationes.*
12 *Comedię, ludi scenici, theatrales, hastiludia, ludi equestres, &c.*
13 *Circulatorum spectacula.*
14 *Tortura reorum.*
15 *Testimonium, tam in ecclesiastico quàm seculari foro.*

16 *Arborum incisio, erectioque Calendis Maij.*

17 *Contra facientes arbitrarijs pœnis, tam decretis prouincialibus; quàm Pij V. Constitutione puniendi. De Constit. 11.*

18 *Quibus actionibus diebus festis incumbendum.*

19 *Parochi, & Concionatoris officium in admonendo populo, vt diem festum vtiliter traducat.*

20 *Modus ritè festi diei consumendi præscriptus.*

21 *Episcopi officium in occupandis fidelibus, vt se abducant à profanis actionibus.*

22 *Festis diebus nullus iter faciat Missa nondum audita.*

23 *Ecclesiastici à domo, & ab Ecclesia sua non discedant, nisi ob vrgentem causam.*

24 *Principes, & Magistratus, quibus diebus ad Cathedralem conueniant: eaque in re Episcopi officium.*

25 *Dies, veteri instituto, votove colendi, ab Episcopo inuestigandi.*

26 *Vota item, piæque consuetudines obseruandæ. Eiusdem Episcopi, iis obseruandis, quæ cura. 28.*

27 *Monimenta festorum dierum, & piorum institutorum, quæ in Archiuio Episcopali, & quæ in Ecclesia parochiali assumenda. 30.*

29 *Vigiliæ, festique dies obseruandi, in Synodo decernendi, atque in Calendarium referendi.*

30 *Ii, Dominico die publicandi: docendumque quid vigiliis, festisque colendis, agendum.*

31 *Quæ etiam pia opera infrà hebdomadam præstanda, quæ stationes, & indulgentiæ publicandæ, quæ orationes, processiones, & anniuersaria agenda, quæque alia à parochis seruanda ipsis diebus festis.*

32 *Sancti, Sanctæue, cui parochialis Ecclesia dicata, vigilia, festumque agendum, & quibus officiis celebrandum.*

33 *Eiusdem Sancti, Sanctæue vita, & gesta, post Vesperas, pronuncianda.*

34 *Vitæ Sanctorum, qui in vrbe, & diœcesi coluntur, vno libro ab Episcopo contexendæ.*

35 *Festo die Sancti, cuius reliquiæ adfuerint, quid agendum.*

36 *Festi dies edicto Episcopali sanctificandi, à Regularibus etiam obseruandi.*
Eorumque Tabellę in Sacristia etiam à Regularibus retinendæ.

37 *Ieiunia quoque ab eisdem obseruanda.*

38 *Festi dies, & celebritates, & quę alia in librum referenda.*

39 *Liber is, singulis mensibus ad episcopum afferendus: à quo quid propterea agendum.*

40 *Eorum dierum corruptelę ab Episcopo corrigendę, & qua ratione.*

41 *Ieiunium in festum incidens, nihilominus obseruandum.*

Quibus festis diebus, templa, ecclesięve decentius ornandæ. De ornatu Ecclesiarum, num. 10.

Festus dies Ecclesiæ Monialium, non magnifico apparatu celebrandus. De eccle. Monial. 28.

Neque tunc admittendi Musici, nec figuratus cantus. Ibid.

Vt certis festis, & temporibus solemnibus in vrbe, & oppidis habitent rusticantes, parochi cura. De Sanctę Euch. in ecclesia administ. num. 4.

MAximam in eo diligentiam, ac studium Episcopi ponere debent, vt dies festi, piè, sanctéque obseruētur ab omnibus. Cum enim ij potissimum ad celebrandas Dei, & Sanctorum laudes salutariter instituti sint, curandum est etiam diligenter, vt ne ijs ipsis quisquam ad diuinam offensionem, & animæ suæ perniciem abutatur.

Primū de festorum dierū cultu.

Conc. Trident. sess. 25. de delect. ciborum &c.

2 Prohibeant igitur ij, ne illiberales artes exerceantur, aut vllum opus fiat eo tempore alienum, *Quæ sequuntur infrà dicentur.*

Sacrosancta Tridentina Synodus cum statuit, fideles religioso festorum dierum cultu abuti non debere ad comessationes, ad luxum, & lasciuiā, tum pastores omnes vehementer in domino obtestata, debitā, sanctāmque eorundem obseruantiā pastorali diligentiæ magnoperè cōmendauit. Quamobrē primo Prouinciali Cōcilio, de illorum cultu quamuis à nobis sancitum sit, tamē hac Constitutione, eo ipso de genere diligētius decernendū censuim⁹; cùm eæ sint morū corruptelæ, is deprauat⁹ vsus, ab omni, & diuina, & humana lege alien⁹, vt Deo dicati dies, sanctisq; rerū officijs cōsecrati, ac Spiritussancti doctrina instituti, tū ad recolēda diuina beneficia, tū ad honores debitos Sanctis tribuēdos, ad eorūq; vitæ imitationē excitandā, nō modo, vt oportet, sāctè nō colātur; sed, quod grauissimū est, nefariè violētur, operib⁹, officijs, rerūq; actionib⁹, ab eorū cultu, & pietatis Christianæ studio alienis. Itaq; in maxima hac offensione, nos sacrę illi⁹ Synodi auctoritate, Canonū iure, Sūmorū Pontificū sanctionib. & Pij V. Pōtificis Cōstitutione, eo nomine edita, Patrū itē institutis, tū ipsis Imperatorijs legib⁹ adducti, edicim⁹; vt ne quid seruilis operis sacris ijs diebus qui Sāctæ Matris Ecclesiæ instituto, aut vniuscuiusq; loci cōsuetudine, votove publico coluntur, fiat; nec quicquam denique quod in illis agi, geri, fierive non liceat.

3. de fest. dierū cultu. sess. 25.
Sess. 25. decr. de inuo. Sāc.
Sess. ead. dec. de delec. cib.
Primum p. 1. de fest. dierum cultu.
Sess. 25.
Const. Pij V. de obser. fest. edita 1566.

Et quoniam in ijs, quæ sequuntur, maximè peccatur, hæc nominatim vetamus.

3 Ne ijs diebus nūdinæ, emporia, mercatusve agātur: ne quicquam prętereà fiat, exerceaturve, quod ad earum nundinarum, vel mercatus apparatum pertineat, etiamsi in diem proximè sequentem illæ cadant.

3. ibid. §. eo.

Ne fiant nundinæ, sed quæ festo die fieri consueuerint, in antecedentem, vel sequentem diem, qui festus non sit, transferantur.

1. ibid. §. eo.

4 Ne contractus vlli cuiusuis generis sint, neve vllæ rerū exequutiones fiant; nisi cum iure nominatim permissum est.

3. ibid.

Ne quid ematur, aut vendatur, præter id, quod ad victum illius diei*, vel ad ęgrotorum curationem necessarium sit.

1. ibidem.

Ne quas res ad victum necessarias, vēdi licet, illę propè Ecclesias, in eorumve conspectu venales proponantur.

3. ibidem.

Neque earum ipsarum rerum, præter quam panis à sole, aut pluuia defendendi causa, in foro, locisve publicis tentoria, rastrave sint, quibus illæ exponantur.

Neque earundem rerum occasione, causave officinæ apertę vllo modo sint: sed earum ostiolum paruulum patēs sit licet, reliqua omni parte clausa. Quo in genere pręterea Episcopus, illarū rerū venditioni certam horam, & modum

præscribat; ne ex venditione aliquid existat scandali, offensionisve, aut occasionis, quâ distrahantur homines à diuinis officijs.

1. ibid. §. eod. 5 Ne officinæ, aut omninò, aut aliqua ex parte apertæ habeantur.

Pro officinis apertis, rebusve venditis, si filius, famulus, ministri, deliquerint, etiam pater, dominus, & artifex pœnam subeant.

3. ibidem. 6 Ne collectæ, taleæve in oppidis, pagis, vicis, vt ex deprauata consuetudine quibusdam in locis factum est, festis diebus exigantur, præsertim, quo tempore, vel sacra fiunt, vel concio habetur, vel processiones, vel alia diuina officia celebrantur, vel scholarum doctrinæ Christianæ exercitationes aguntur. Nec verò vllo præterea vmquam die in Ecclesia, in cæmeterio, atriove Ecclesiæ illas exigi liceat.

7 Ne libri, imagines, signa, & alia id genus vsquam venalia proponantur, aut circumferantur.

8 Ne quæ ad aleæ lusum pertinent, neque laruæ itidem, nec vestes ad personatorum hominum vsum vendantur, vel locentur.

9 Tonsoribus preterea, pistoribus, sutoribus, calcearijs, alijsque eiusmodi, & reliquis item opificibus, quibus præscribi oportet, Episcopus certas regulas præscribat, ne deinceps dierum festorum cultum violent, in quo maximè peccare plerique solent.

10 Quoniam autem vsu iam hac in prouincia nimis compertum est, deprauatis his temporibus, & moribus, ad choreas, tripudia, saltationes, & id genus alia numquàm ferè conueniri sine multis, & ijs quidem grauissimis Dei offensionibus; idque cum ob turpes cogitationes, obscœnè dicta, inhonestas actiones, morum corruptelas, & perniciosas ad omnia opera carnis illecebras, illis perpetuò coniunctas, tum propter cædes, rixas, dissidia, stupra, adulteria, aliáque mala plurima inde consequentia quam sæpissimè: his tot offensionum, & peccatorum seminarijs locum dari, ijs præsertim diebus, qui dies propitiationis sunt, & ijs istis diebus fideles plerosque, nefarijs istis Sathanæ blanditijs illectos, à diuinis officijs, religiosis supplicationibus, lectionibusque sacris abduci, auertique rudes à percipiendis fidei rudimentis, aliosque ab alijs Christianæ pietatis officijs, in quæ eo tempore religiosè incumbendum est, abstrahi, & amoueri, hoc certè grauissimum est in conspectu Dei, & Ecclesiæ. Quare festis ijs diebus saltem horis, quibus diuina celebrantur officia, interdicimus ne saltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant.

1. de fest. dierũ cultu, §. eo. Choreæ, & saltationes in vrbibus, suburbijs, oppidis, vicis, aut vsquam omninò ne agantur.

3. de fest. dierum cultu. §. eo. 11 Prohibeat verò diligenter Episcopus, atque omninò efficiat, vt non modo non saltationes, & choreæ, verùm etiam ne comessationes in honorem Sanctorum, ludi, aliæve profanæ actiones, ab eorum festorum dierum, & piorum institutorum cultu alienæ, vllo quouis modo, etiam illorum prætextu, occasioneve introductæ, publicè ijs ipsis diebus fiant.

12 Ne item comœdiæ, ludi scenici, vel theatrales, hastiluida, & alia cuiusuis generis spectacula agantur. 3. Ibid.

Ne ludi equestres, certamina, aut alia ludicra, & inania spectacula adhibeantur. 1. Ibid.

13 Ne circumforanei circulatores, & id generis nebulones, præstigias suas, inaniaque ea spectacula agant, neque quicquam omninò vendant, ne medicamenti quidem prætextu. 3. Ibid.

Episcopi ne patiantur circulatores, circumforaneos, & id fallax hominũ genus tẽpore diuinorum officiorum in foris, & plateis ecclesiarum versari, vt ne populus illecebris eorum artificij ab ecclesiis euocatus, salutares cogitationes abijciat. Primum, p. 2. Commun. de rat. diuin. off. §. eo.

14 Rei ne festis diebus, diuino cultui dicatis, torqueantur, si modo criminis atrocitas aliud non postulet. 4. de ferijs, §. eod.

15 Ac ne testes quidem ijs diebus testimoniũ dicant, etiam si feriali die iurati id sint, nisi in causis, in quibus licet eisdem diebus iusiurandum illis deferri. Ibidem.

Id omne sanè Episcopus, cùm in Episcopali foro, tum in sæcularibus iudicijs caueat, vt seruetur.

16 Calendis Maij, qui dies Sanctorum Apostolorum, Philippi, & Iacobi solemnitati consecratus est, eum prauum vsum passim in prouincia nostra retineri ad nos perlatum est, vt incisæ arbores frondescentes, per vrbes, oppida, vicos, & pagos in plateis, ac triuiis ludibundo spectaculo erigantur. 5. quę ad dies festos &c §. eo.

Id porrò graue, atque eiusmodi esse animaduertimus, vnde pestiferum quoddam seminarium existit non paucorum malorum, cùm quidam homines illius ridiculæ actionis cupiditate, atque voluptate, prolapsi, Missæ sacrificio adesse, eo die festo, perniciosè negligant, tum arbores alienas, sæpeque in prædijs ecclesiasticis consitas, furtim per vim, atque iniuriam præcidant. Hinc illa manant conuitia, scilicet rixæ, cõtẽtiones, iniuriæ, odia, inimicitiæ, & aliquando cædes. Accedit præterea tum vulgi clamor, tum bellicorum instrumentorum vehemens strepitus, quo diuina officia, sacræve conciones valdè perturbantur; & comessationes deinde, & compotationes fiunt, quibuscum ebrietates, obscœnè dicta, inhonestæ actiones, perniciosæ ad omnia opera carnis illecebræ, & alia plurima mala perpetuò coniuncta sunt, non fine nominis Christiani iniuria. Nos igitur, & sacrorum canonum iure, & sacrosanctis sanctionibus, & Concilij in primis Tridentini decretis, quibus corruptelas à pietatis Christianę vsu, & à dierum festorum præsertim cultu alienas, omni pastoralis vigilantiæ officio tolli iussũ est, & nostrę etiã curæ, officijque munere adducti, tantæ, tamque publicæ offensioni occurrendum censuimus. Quare Episcopus, tum pœnis, quouis iure sancitis, in eos animaduertat, qui in ea occasione diem illum festum, vel opere seruili, vel alia actione, illius rationi, sanctitatique aliena, violarint: tum præterea expositis grauissimis peccatis, & commonstratis detrimentis, ac damnis, quæ plurima inde animæ, corporique eueniunt, fideles sibi in curam traditos, à re

illa perniciosa, quæ tamquam gentilitiæ superstitionis speciem quandam exhibet, omni Episcopali cohortatione, & officio reuocare studeat ad omnes partes religiosi cultus, quo eorum Apostolorũ dies festus illis Calẽdis coli, sanctificarique debet. Ac proinde quidẽ, abiectis illis ludibũdis spectaculis, quæ turbulenta illa præcisarum arborũ erectione, voluptario quodam, profanóque clamore, ac multiplici strepitu agebantur, fideles pietatis opera diligentius amplexi, eum diẽ festũ de ecclesiæ more celebrẽt, hymnis, cãticis, supplicationibus, processionibus, aliisque sanctè agẽdi officijs, Arborũ præterea loco, excitati imitatione Sancti illius Apostoli Philippi, qui pro Dei gloria Cruci affixus est, Sacrosãctã arborẽ Crucis, in qua auctor humanæ Redemptionis pependit Christus Dominus, tantò religiosius locis conspicuis publicè erigant, quantò inutilius olim profanas eas arbores frondescentes erexerint.

Atqui in omni re hac efficienda, atque exequenda Episcopus, si quando vsus erit, Magistratuum etiam laicorum, auxilium, opémque implorabit, prout expedire censuerit.

17 Qui secus fecerit, seuerè plectatur, Episcopi arbitratu.

1. de fes. dier. cultu, §. eo. Vt autem hæ omnes de festorum cultu leges ab omnibus seruentur, contrà eos, qui non paruerint, Episcopus agat pœnis, & alijs item remediis arbitratu suo.

3. de fest. dierũ cultu, §. eo. 18 Doceat verò populũ debere vnumquemque eo potissimũ tẽpore, in diuinis officijs, & cõcionib⁹ audiẽdis frequẽtẽ esse, ac in precib⁹, recolẽdisque Dei maximis beneficijs, assiduè versari.

1. Ibid. Const. Pij V. inf. de Consti. num. 11. Festis diebus Sacrosancto Missæ sacrificio fideles omnes intersint.

3. Ibid. Primum, p. 2. quę pert. ad celeb. Missæ, §. moneant. Neque verò excusentur puellæ nubiles, neque deinceps viduæ, ne permissu quidem primi nostri Concilij, ob recentem mariti mortẽ, neque vllo alio cuiusuis consuetudinis prætextu.

3. Ibid. 19 Vt verò ij dies omni pietate, & religiosius colantur, hæc crebrò populum Parochi, & Concionatores admoneant, atque hortentur, vt illorum dierum tempus, quod Deo, eiúsque cultui debetur, in ijs actionibus totum consumant, in quibus sanctè consumendum est.

20 Vt concionem manè, & sacram lectionem à prandio, vbi explicari solet, audiant.

Vt diuinis, Vesperarum præsertim, officijs præsentes piè, religioséque adsint.

Vt in Christianæ doctrinæ rudimẽtis, ac præceptis, vel percipiendis, vel recolẽdis versẽtur.

Vt in operibus, officijsque pietatis se exerceant, ægros homines visitando, morientes piè consolando, & alia eiusmodi præstando.

Vt denique ab illis actionib⁹, vnde omnis peccãdi materia, atque occasio existit, feriati, in ea opera incũbãt, ob quæ sũt illi sacri instituti dies.

21. Episcopi igitur cura sit, vel litaniarum, processiones, vel orationis, aliarumque Christianarum virtutum exercitationes instituere, in quibus per festos dies occupati fideles, abducant se à profanis actionibus.

5. quæ ad festos dies, &c. 22 Ne quis diebus Dominicis, festisque ex vrbe; oppido, aliove loco, cum iter facturus est, antè discedat, quàm Missæ sacrificio interfuerit, nisi ad eum locum proficiscatur, vbi in tempore interesse possit.

23 Ecclesiastici verò homines, quicũq; sint, ex ijs præsertim, qui diuinorũ officiorũ celebritatibus in choro adesse debent, videãt, atque adeo caueant, ne sacris illis diebus, quos in Dei laudibus, religiosisque pietatis officiis, & in ecclesia potissimũ à clero consumi oportet, iter, nisi ob vrgentem causam suscipiant: vt hoc etiã eorum exẽplo excitati fideles, sacris illis diebus à diuinis officiis opere itinerario non auocentur.

24 Sicut Principes, & Magistratus, qui gubernationi præsunt, dignitate præcellunt, ita prælucere debent, exemplo, quo reliqui incendantur ad perpetuum piè agendi studium. Quamobrẽ pro muneris sui officio, eos paternè cohortando, & admonendo Episcopus curet, vt ipsi per annum solennibus diebus, & in quibus potissimũ humana redemptionis mysteria peraguntur, in Natiuitate scilicet Domini, die Circumcisionis, & Epiphaniarum, in hebdomada Sãcta, Pascha Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, in solenni die Corporis Domini, ad Cathedralem Ecclesiam conueniant, Episcopalique Missæ sacrificio, quod solenni ritu fit, diuinisque Vesperarum officijs intersint. 3. de fest. dierum cultu.

Idem prætereà efficiat, cum ob Iubilæum, vel ob aliam publicam causam generales processiones, & supplicationes aguntur.

25 Episcopus id curæ, diligẽtiæque adhibeat, vt tum ex ecclesiæ suæ libris veteribus, manuque scriptis, tũ ex publicis Ciuitatis scriptis, monimentisve, atque aliunde peruestiget, si qui dies sunt, quibus colendis, vel veteri instituto, vsúque, vel publico voto ciuitas adstricta est, aut alius item quiuis diœcesis suæ locus.

26 Qua prætereà diligẽtia vtatur in cõquirẽdis reliquis, tam votis, tũ piè cõsuetudinis institutis.

27 Si verò eiusmodi monimenta compererit, ea diligentius conscripta, in Episcopali Archiuio asseruanda curet.

28 Certósque illos dies festos, ijs monimentis notatos, coli, & alia huiusmodi pia instituta præstari iubeat.

29. 30 Vigiliæ autem, & festi dies Sanctorũ, qui publico Ciuitatis voto, aut consuetudine coli debent, diœcesanæ Synodi Cõstitutione ab Episcopo decernantur: Et in Calendariũ quotãnis relati, die Dominico, prout vniuscuiusq; eorũ Sãctorum festus dies in aliquam hebdomadam inciderit, populo à parocho denuncientur.

Monimenta verò festi diei, vel piorum institutorum, quæ in aliquo solo diœcesis, oppido, locove voti publici, aut consuetudinis ratione; seruari oportet, in eius etiam loci parochiali Ecclesia asseruentur, cum autem dies ille festus, vel quo pium institutũ seruari debebit, inciderit, parochi sit, die Dominico, proximè præcedenti, illum populo indicere, ac denunciare.

Dominicis diebus parochus non solũ festos dies populo denunciet, sed etiam illum sæpè doceat, quæ officia tum in illis, tũ in eorum vigilijs colẽdis ab eo religiosè præstari oporteat. 3. de parochis, §. eo.

31 Eidẽ prætereà significet, atque indicet Stationes, & Indulgẽtias, quæ Episcopi iussu promulgãndæ erunt, & publicam, si quæ aliquando ob aliquam causam indicta est, orationem, & processiones, & officia mortuorum in sua parochiali Ecclesia obeũda, si quæ eiusmodi in ea hebdomadã inciderit, vt fideles, parochi sui vo-

ce moniti, aut illi officiorum significatione campanarum sono, cum iam ante commoniti intelligant, quæ precationes, quæuè officia in Ecclesia fiant: ipsi etiam, quamuis absint, vel domi, vel alio loco, vbicumque sint, piè Deum precentur,

3. de fest. die. cultu, 5. Monimenta, verbo. eod. 6. Quæ ad funera pert. 5. eod.

Cum autem dies festus, vel quo pium institutum seruari debebit, inciderit, parochi sit, die Dominico proximè præcedente; illum populo indicere, ac denunciare.

In omni Ecclesia Cathedrali, & parochiali, singulis Dominicis, Anniuersaria, quæ in hebdomadam proximè sequentē, in ea Ecclesia celebranda erunt, fidelibus denuncientur. Idem de septimo, & trigesimo, & alio eiusmodi officio præstetur, qua in denunciatione, Parochus cohortatione illos excitet ad orandū pro mortuis, proposita etiam humanæ vitæ conditione.

Cætera à parochis seruanda ijs ipsis diebus festis, videantur in titulo de Parochis.

3. Ibid.

32 Quo religiosius incolæ vniuscuiusque parochiæ festum diem colant, illius Sancti, Sanctæuè, cuius patrocinio parochialis Ecclesia dicata est, cohortationibus parochus, vt pridiè eius diei illi sanctè ieiunent, animo piè repetentes, tum ieiunia, tū religiosas alias eius sanctarum virtutū exercitationes: quarum meritis in cœlum ille vocatus, cū sempiterna gloria perfruatur, pro charitate, qua abundat, eorum, quorum salutis patrocinū suscepit, preces Deo offert, ieiunia item, & lachrymas, Tū idem illos admonere, atque vehementer in Domino cohortari non desistat, vt pietatis Christianæ officijs, sanctis operibus, debitáque veneratione, sancti illius diem Festum colant, vtque ab omni seruili opere abstinere studeant.

33 Eodem prætereà die sancti, qui parochiæ patronus est, & custos, quo ad illius imitationē magis fideles inflammentur, id parochus præstet, vt peracto vesperarum officio, cum frequentior in Ecclesia populus adest, aut ipse, aut alius in suggestu, alioue loco superiori, de libro quo illius vita, verè expressa continetur, res eius sanctè, admirabiliterque gestas, religiosæ vitæ instituta, morum disciplinam, pietatis studia, virtutes, pronunciet.

34 Quoniam verò Sanctissimis Summorum Pontificum constitutionibus, & Prouincialis Concilii primi nostri Decreto sancitum est, vt quæ apocrypha sunt, in Ecclesia nè legantur: de vitis sanctorum, qui in vnaquaque huius prouinciæ vrbe, Diœcesiuè certis potissimum locis coluntur, liber ab Episcopo conficiatur, doctis, & pijs viris adhibitis, tum ex probatis auctoribus, tum certis suæ Ecclesiæ scriptis, ac traditionibus.

35 Sanctorum, qui in Domino dormierunt, sacris sepulchris, & reliquiis colendis, & venerandis, eò maximè augetur gloria Dei, quo religiosius illa coluntur. Quo igitur die sancti alicuius dies festus agitur, si in aliqua vrbis, diœcesisuè Ecclesia, sancti alicuius corpus reconditum est, sacrave eius membra, vel aliæ insignes reliquiæ asseruantur, eo die, & significatio detur frequenti campanarum sonitu, & ille Ecclesiæ locus, vbi ea sunt, sacrarū vestiū apparatu, & candelarū lumine ornetur, tum ad maiorem cultum diuina officia solennius celebrentur.

5 Quæ ad dies festos, 5. eo. Sess. 25. c. 12. de regul.

36 Quos dies festos Episcopus in vrbe, diœcesique sua coli, sanctificarique edixerit, ac præceperit, ij ab vniuersis cuiuscúmque ordinis regularibus quauis ratione exemptis, colantur, sanctificentur, atque obseruentur. Dierum autem festorum, quos in ea vrbe, aut diœcesi coli consuetudinis est, ille tabellam conficiendam curet, quam certo Sacristiæ loco affixam, ijdem etiam regulares habeant.

37 Ieiunia prætereà, quæ certis præcipuis locis, vbi monasteria illi habent, à reliquo clero, populóque vniuerso obseruari moris consuetudinisuè est, curet Episcopus, vt ipsi itidem, sicut cæteri omnes ritè, rectéque colant, celebrent, atque obseruent.

6. de diebus festis.

38 Quo religiosius in vnaquaque vicinia, tam vrbis quàm diœcesis, dies festi colantur, & sanctificentur, Episcopus certum librum constituat, in quem à Cancellario, cum omnes, singulique dies festi parochiales, alijve, qui vbique in vicinia aliqua, vel vrbis, vel diœcesis vniuersè, sigillatim è agantur; tum reliqui etiam dies rectè, atque ordine referantur, quibus Indulgentiæ Iubilæi, alterusvè celebritatis causa ad Ecclesias concursus esse solet. Quo libro deprauati prætereà mores, abususuè notentur, si qui illis celebritatibus esse in ijs ipsis vicinijs solent. Atque ijs quidem diebus exscribendis Episcopus ad cognitionem certam parochos singulos adhibeat, quorum etiā officiū sit, si quæ noua in dies Indulgentia Ecclesijs suis accesserit, si quæuè alia celebritas, causave denuo inciderit, quamobrem populi concursus in parochiali vicinia ad aliquam Ecclesiam fiat, de ea Episcopum certiorē facere, vt illa, quæcumque sit, in eundem librum referatur.

Ibid. Sess. 25. De inuo. vener. & reliq. SS.

39 Porro cum ipsum librum accuratè exscriptum, notatis mensibus, & diebus, quibus præcipuæ illæ celebritates singulis in vicinijs, locisvè aguntur, Episcopus ad se in singulos menses afferri iubeat; vt cum vniuscuiusque regionis atque adeo pagi, lociuè celebritatem certo die agi perspexerit, de illius sanctificatione, cultuque litteras etiam pastorales opportunè scribat, tum aliam prætereà omnem diligentiam eo nomine adhibeat.

40 Et verò ijs litteris, officijsvè parochus, clerusque monitus, vsque adeò parochorum studiis etiam adiuuentur, vt & vitæ sancti, quem præcipua veneratione colit, exempla ad imitandum, & Episcopi monita paterna, & Decreta quoque prouincialia, diœcesana eo de genere ad exequendum sibi planè proponat: Sicque à morum corruptelis, quas praua consuetudo introduxit, in festorum dierum sanctificatione abstineat.

41 Si quando dies festus sancti, sanctæuè, cuius celebritas à clero, populóque colitur in diem vigiliæ, ieiuniique incidit, quod ex præcepto Ecclesiæ seruetur; nè fideles ob festi diei solennitatem, quam agunt (id quod à plerisque committi ad nos delatum est) ieiuniumvllo modo violent; sed vt instituti ratio Ecclesiæque matris præceptio postulat, rectè, pièque colant, Quare Episcopus, si quid istiusmodi in sua diœcesi patrari, committiuè animaduerterit, huic graui peccato, & offensioni, omni pastoralis officij sui ratione occurrere quā diligentissimè studeat.

De Clericorum ad festorum dierum celebritates conuentu.

SVMMARIVM.

1 *Parochus festis diebus ad alienam Ecclesiam Missam celebraturus absque licentia, non accedat.*
2 *Quæ licentia quibus, & à quibus detur.*
3 *Sacerdotes quot conuocandi.*
4 *Parochi non adhibendi, vbi sacerdotes alij adhiberi possunt.*
5 *Parochus à sua Ecclesia abfuturus, Sacerdotem alium substituat, & qualem.*
6 *Si substituendum habere non poterit, quid agat.*
7 *Vbi plures vocandi Sacerdotes, qui, & quibus seruatis euocandi.*
8 *In euocandis Sacerdotib. & clericis, qui ordo seruetur.*
9 *Euocati, in choro superpelliceo mundo induantur.*
10 *Sacerdotes, Clericique } haud vocati, non admittendi.*
11 *Alieno nomine missi, quãtũ eleemosynæ capiant.*
12 *Plures præscripto numero admittentes, non vocati; licentia carentes, eosque excipientes, mulctandi.*

1 NE diebus festis, quæ præcepto Ecclesiæ, aut consuetudine votove coluntur, ad alienam Ecclesiam, Missam celebraturus, parochus accedat, nisi ab eo, cui id curæ Episcopus dederit, facultatem, scripto exaratam impetrarit.

4. de Clericorum ad fest. dierum celebrit. conuentu.

2 Quam facultatem ille tantum ijs det, quos omnibus benè consideratis, ad Missarum solemnia, diuináque officia in Ecclesia, vbi celebritas in vrbe, diœcesiuè agitur ritè concelebranda necessarios esse viderit.

3 Qua in celebritate, cum ab aliis Ecclesijs Sacerdotes euocandi sunt, nè vllo prætextu plures euocentur, quam quatuor, vel sex ad summũ: id verò nisi vel legati pij; vel fũdationis iure aliquando plures adhiberi necessarium sit.

4 Item diligenter hoc Episcopus caueat, vt si ad celebritatem sacerdotes alij, quam parochi adhiberi possunt, nè parochos à suis Ecclesijs auocari, abesseve eadẽ causa ijs diebus vllo modo patiatur: si verò aliter fieri non potest, vicinioribus solùm parochis, pauciorémque populi multitudinem habentibus, eam facultatem permittat.

5 Tum præterea videat, vt qui parochus festo die ad celebritatem euocatus, abfuturus est, Sacerdotẽ, aliũ, vel ordinarium, vel conductũ habeat: qui illo die Missæ sacrificium in Ecclesia parochiali faciat: quique cætera, vt ipse, si præsens adesset, omninò præstet, ante ab Episcopo in ijs functionibus obeundis probatus.

6 Si verò Sacerdotem eiusmodi quandoque habere non poterit, festo die celebritatem, ad quam vocatus est, præcedenti, populo suo significet, se ob eam causam in Ecclesia parochiali Missam celebraturum non esse: sed in ea, ad cuius celebritatem vocatus est, proinde illum moneat, vt ad eam ipsam Ecclesiam, aut aliam propinquiorem, vbi Missæ sacrificio intersit, se conferat.

7 Sin autem pro Ecclesiæ, in qua celebritas agitur, amplitudine, & dignitate aliquando ad solennitatem concelebrandam sacerdotibus pluribus opus esse censuerit, alijs item aliquot sacerdotibus, etiam parochis, hoc det, vt in Ecclesijs suis primum sacro peracto; sique parochi sint, habita etiam concione, ac alijs præstitis, quæ inter Missarum solennia ab ipsis, pro parochialis curæ munere præstari debent, tum ad Ecclesiam, vbi solennitas celebratur, proficiscatur, illius Rectorem in diuinis concelebrandis officijs adiuturi; nec verò desint Ecclesiæ suæ reliquis eo die obeundis parochialibus muneribus, & officijs.

8 In euocandis quidem, admittendisuè Sacerdotibus, & clericis ad dierum festorum celebritates, ratio atque ordo seruetur infra in Decreto de exequiis eorũdem euocationi præscriptus ad funera concelebranda. De funer. & exeq. §. funeribus.

9 Illi porrò omnes, qui euocabuntur, in choro dum diuina officia fiunt, superpelliceo mundo decenter induti, semper adsint.

10 Nec verò præter clerum illius Ecclesiæ, alius Sacerdos, clericusve qui ad celebritatem vocatus non sit, in chorum, quouis prætextu asciscatur, recipiaturuè; nevè eleemosynarum quæ in ea celebritate tributæ sunt, aut tribuuntur, particeps vllo modo sit; nec prætereà in mensa excipiatur.

11 Neque rursus quisquam à Præposito, Archiepiscopo, parochouè missus, plus capiat, quàm si proprio solum nomine esset euocatus.

12 Quicumque præter constitutum numerum, aliquem asciuerit, qui item minimè vocatus, quiuè sine præscripta facultate accesserit; ac rursus, qui admiserit, quiuè exceperit, qui denique plus acceperit, mulctetur arbitratu Episcopi.

De obseruandis à Christi fidelibus in Aduentu, Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, Quadragesima, alijsque Ieiunij diebus, ac sacris quatuor Temporibus, & Ferijs, Rogationibusque.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium commendatur.*
2 *Ieiunantes à quibus abstineant.*
3 *Quadragesimale ieiunium quibus diebus præscriptum. 12. Et eius initium quando.*
4 *Sacra quatuor tempora, ac vigiliæ, ieiunandæ, & quid faciendum 6.*
5 *Rogationum tempore in Mediolanẽsi Ecclesia etiã ieiunandum. Et de process. 19.*
8 *Ieiunii lege, qui ligati, & soluti. 11.*
Episcopi, & eius familiæ ieiunium. De vita & hon. Epis. 19.
9 *Quadragesimæ ieiunium, vt religiosè colatur, cauetur.*
10 *De eius religioso cultu proponendum edictum die Dominico Quinquagesimæ.*
13 *Cibi Quadragesimali tempore vetiti, qua ratione vendendi.*
14 *Qui contra fecerit, quibus pœnis afficiendus.*
15 *Parochus & Concionator } fideles accendant his Quadragesimæ diebus ad hæc præstanda.*
16 *Vt vitæ disciplina seueriori se astringant.*
17 *Vt humili amictu vtantur.*

1 SAcra Tridentina Synodus pastores omnes hortatur, atque obtestatur, vt omnem adhibeant diligentiam ad fideles cohortandos, vt ea, quæ ad domandam carnem conducant præsertim ciborum delectum, & ieiunium, omni studio amplectantur. *Sess. 25. in decr. de delectu ciborum.* *1. Quæ pert. ad sac. pœnit. administr. §. eod.*

Itaque eius nos authoritati, & sacrorum canonum decretis innitentes, edicimus. *Sess. 25. in decr. de delect. cib.*

2 Vt omnes carne, cæterisque omnibus, quæ à carne trahunt originem, vt ouis, lacte, caseo, butyro, & huiusmodi per totam Quadragesimam abstineant.

3 Sciantque singulis Quadragesimæ diebus, Dominicis exceptis, ieiunij lege se obstrictos esse. Sunt enim illi quadraginta dies, quasi totius anni decima quædam, quæ in oblatione ieiunij, pro fidelium omnium salute, Deo consecratur.

4 Vt per sacra quatuor anni tempora, Vigilias Natalis Domini, Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, Beatorum Apostolorum, exceptis Ioannis Euangelistæ, & Philippi, & Iacobi Vigilijs. Item diei festi omnium Sanctorum, Natiuitatis Ioannis Baptistæ, & beati Laurentij; ieiunium seruent,

5 Vt triduo etiam Rogationum post Ascensionem Domini, ex veteri instituto, in Mediolanensi Ecclesia ieiunium adhibeatur.

6 Edicimus prætereà, vt in prouincia nostra proxima quarta feria post Quinquagesimã, omnes Quadragesimalis obseruantiæ initium faciant: præter Ciuitatem Mediolanensem, easque diœcesis partes, vbi ex Diui Ambrosij instituto diuina officia celebrantur.

Illorum verò damnamus ingluuiem, qui primis quinque Quadragesimæ diebus Romanæ Ecclesiæ more institutis, Mediolanũ se cõferũt,

patriæ ritum in ieiunio, & ciborum abstinentia fugientes.

7 Caueant autem ieiunij cultores, nè dum vetitis cibis abstinent, aliarum rerum delitias, luxuriámque consectentur: immò verò moderato cibo, & potu carnis vitia coerceant: vt liberi mentes ad cælestium rerum amorem, & contemplationem erigant; & ad pietatis opera expediti inueniantur, Vide etiam seq.

8 Ab his autem omnibus eos excipimus; quos vrgens necessitas, vel imbecilla ætas à ieiunij lege eximit; eos etiam, qui euidentia morbi, alteriusue iustæ causæ excusationem habent: sed horum iudicium Episcopo tantum, vel ijs, quos ei muneri ipse præfecerit, scripto faciendum relinquimus: idque quò ad morbum attinet, de medici consilio.

Quod autem ex diuinarum litterarum sententia, parũ homini prodest, se per ieiunium cibo temperasse, si animus in peccatis sit intemperans: idcirco fideles in ieiunio præcipuè studeant, vt dum caro ab alimentis abstinet, mẽs pariter à culpa ieiunet: omnésque in Dei laudibus, eleemosynis, alijsque piis officijs occupentur: hoc est enim ieiunium, quod se Dominus Esaiæ ore delegisse testatur.

Esai. 68. 5. quæ ad dies festos, &c.

9. Omnis sacrorum temporum celebritas, cùm ab Episcopo singularem solicitudinem, tum à populo obseruantiam, cultumque ei solennitati debitum planè deposcit. Atque in ijs quidem vnum, quod piè, religiosè, sanctéque coli à fidelibus maximè oportet, totum Quadragesimale tempus virtutum Christianarum disciplinæ, atque exercitationibus dicatum. Est enim plenum sacris mysterijs, quodque non sine mysterio magnam illam Paschæ Resurrectionis Domini celebritatem, qua vna omnium solẽnitatum dignitas, inquit Leo Pontifex, cõsecrata est, proximè præcedit. Fuit porrò ieiunium Quadragesimale à Christo Domino dedicatũ, & ab Apostolicis vsque temporibus in vniuersa Ecclesia Dei religiosè obseruatũ perpetuò: atque ita quidem, vt qui in Quadragesima, quẽadmodum olim Canone Toletano cautũ fuit, neglexerit, contẽpserit ve, Quadragesimalis abstinentiæ, ieiuniique disciplinam, prohibitisque cibis illam violarit, is non solum reus censeretur Resurrectionis Dominicæ; sed etiã alienus fieret ab eiusdem diei communione, ac prætereà toto illo anno carnium esu abstineret. Quare, vt tẽpus tã sacrum tamque religiosum, in quo colendo, sanctéque obseruando veterum pietas mirificè admodum eluxit, à prouinciæ nostræ fidelibus, maioris obseruãtiæ studio, abstinẽtia, ieiuniis, eleemosynarũ largitionibus, oratione, continentia, carnis maceratione, omnique salutaris pœnitentiæ disciplina colatur, hæc, vt infrà, sancimus, atque edicimus, præter ea, quæ superioribus Concilijs sancita, & cõstituta sunt.

10 Quæ omnia, & singula, Episcopus curet, ac efficiat, vt vulgari sermone reddita, quotannis die Dominico, Quadragesimæ initium proximè antecedenti, populo in omni sua diœcesi, proponantur, edicantur, ac promulgentur: ita tamen, vt ijs ipsis ab illo, pro arbitratu suo addi liceat.

11 Omnis igitur, quem vrgens necessitas, vel imbecilla ætas à Quadragesimali lege non eximit, quocumque etiam gradu, ordine, potestate, dignitate ve præditus sit, carne, cæterisque omnibus, quæ vt Concilio Prouinciali primo cautum est, à carne originem trahunt, vt potè ouis, lacte, caseo, butyro, & alijs id generis, toto Quadragesimæ tempore abstineat, ijs exceptis, quos ob iustas causas Episcopus, aut illi quibus eam curam ipse delegarit, facultate, vt infra, eaque scripta, speciatim excusarint.

12 Omnis prætereà quicumque sit, qui ieiunij lege astrict⁹ est, singulis Quadragesimæ diebus, Dominicis exceptis, ieiuniũ seruet: alioqui enim peccato mortali alligatum se esse nosse debet.

13 Ne cibi vetiti, ad ægrotantium, imbecilliumque hominum vsum passim venales publicè exponantur, sed certis tantũ constitutis locis,

Ne tabernarum valuis omninò patentibus, sed magna parte clausis, vendi liceat.

Ne in foro, aut in via publicè vnquam exponantur, ne à rusticis quidem, alijsve cuiusuis generis hominibus.

Neque passim item ab omnibus vendi fas sit, sed ab ijs solum, quibus facultatem, litteris exaratam, Episcopus permiserit.

Nec verò omne carnis genus ab ijs vendi liceat, sed vitulinum, aliudve, quod vsui sit ægrotantium corpori.

Neque omnibus vendatur, licet, sed ijs solum, qui scriptam ab Episcopo facultatem habuerint. Quæ facultas etiam nullo tẽpore præfinito, data, tunc planè extincta sit, cùm primum causa, ob quam data est, cessarit.

At verò si decem dierum spatio diuturnior causa erit, iterum ea facultas impetretur: alioqui rescissa sit. Idem deinceps decimo saltem quoque die fiat quamdiu opus erit.

Nec verò sine ea scripta facultate, ac sigillatim, nominatimque data, cauponæ, tabernarij, & alij, qui cœnaculariam faciunt, eos vetitos in Quadragesima cibos vendant, venalesuè exponant; etiam hospitibus, peregrinis, viatoribusvè, quales, quales sint. Nec verò eos mensæ apponant.

Nec prætereà illos, alio loco coctos, condimentisuè apparatos, non modo in caupona, taberna, hospitiouè suo, aut loco curæ suæ subjecto, comesse cuiquam permittant, sed ne aliundè quidem apportari, nedum in mensa apponi patiantur,

14 Quicumque vero contra sanctionis huius capita contra fecerit; is pœnis, mulctisvè, in locorum piorum vsum erogandis, & censuris, aliisque Canonum iure, & Pontificijs Constitutionibus omnique alio modo contra Quadragesimæ violatores, sancitis pœnis, vel aliis, quas pro personæ ratione, & culpæ, contumaciæuè grauitate Episcopus arbitratu suo irrogandas censuerit, afficiatur.

15 Sacro prætereà Quadragesimæ, & aliorum ieiuniorum tempore, quæ religiosè olim à Christianis hominibus præstita esse, & sanctissimi Pontifices, & grauissimi Ecclesiæ patres, & Canonum decreta ostendunt, vt ea pro gloria Christi Domini, proque studio salutis animarum, in quo quisque adiutrice Dei gratia, omni sanctarum actionum spiritualium exercitationum, & salutariũ operũ contentione, vt maximè potest, elaborare debet, a fidelibus prouin-

ciæ nostræ præstentur, Dominum omnipotentem suppliciter exoramus, ac monemus. Atque ea quidem hæc sunt, ad quæ exequenda suum quisque populum parochus, & Concionatores item, vt occasio tulerit, omni verborum vi sanctissima, omnique suasione accendant.

16 Primò ijs Quadragesimalibus, aliisque ieiunij, pœnitentiæ, & publicæ supplicationis diebus, fideles se vitæ disciplina seueriori astringant: sanctisque institutis, & moribus, sacro illi tempori conuenientibus, se, suósque qui patresfamilias sunt, quàm rectissimè in omnes partes conforment.

17 Pretiosas vestes non induant, sed amictum, si non humilem, & demissum omninò, at cum pœnitentiæ, ieiuniíque tempore congruentem.

18 Simultatem, odium, inimicitias, rixas, deponant, pacem cum omnibus concilient.

Carnis vim, & impetum, non modo religiosa abstinentiæ, ieiunijque lege, sed cilicio, & verberationis disciplina coerceant, & humi aliquando cubent, vt à piis etiam laicis factum esse, memoriæ proditum est.

19 Cùm autem id olim obseruatum sit, vt per totam Quadragesimam ab vxore fideles abstinerent, ad Elibertani Canonis præscriptum; meminerint, qui matrimonio iuncti sunt, studendum sibi, vt eo sacro tempore, mutuo consensu, diebus saltem Dominicis abstineant, vt hoc de genere sanctissimi Pontificis Nicolai Primi rescriptum extat.

20 Omni tempore à iocis Christianum hominem abstinere conuenit, at Quadragesimæ, ac ieiunij tempore, tantò diligentius, quantò frequentius, studiosiúsque orationi, abstinentiæ, omnique pœnitentiæ generi incūbendū est. A iocis igitur, à verborum scurrilitate, à colloquio inani, otioso, longéque cautius à noxio, & criminoso, se continere sacro pœnitentiæ tempore studeat, vt Pontificio, Apostolicoque illo rescripto cauetur.

21 A venationibus item, vt eodem rescripto continetur, abstineat, eo ipso Quadragesimali tempore, quo neque carne vesci, neque adeò carnalia consectari licet.

22 Ciborum Quadragesimalium suauitates, ac delitias ne exquirat: nec multiplici epularum apparatu mensam exstruat, sed frugalem parsimoniam adhibeat.

23 Conuiuia autem in Quadragesima non condicat, nec verò appareat, ne Dominicis quidem diebus, vt idem Nicolaus Pontifex rescribit.

24 In orationis studio frequentior sit: dolenter peccata, & sua, & aliena lugeat: pro quibus Dei misericordiam omni pietatis, pœnitentiæque officio imploret.

25 Eleemosynas, cū per facultates potest, vberiores pauperibus, egentibúsque in sustentationem conferat, in aliáque pietatis officia, atque opera liberali charitate eroget. Oblationes offerat largiores.

26 Frequentius ad Ecclesiam conueniat; Psalmis, Hymnis, canticis spiritualibus, precúmque diuinis officiis, omni attentione, & religiosa meditatione assistat.

27 Missæ sacrificio quotidie intersit, alia omni negociatione posthabita.

28 Diuinis colloquiis, sacrisque concionibus præsens adsit.

29 Moneatur, vt itē sanctitati ita incumbat, vt singulis Dominicis saltē diebus confessus, sacrā Eucharistiā sumat, si singulis diebus non potest: id quod olim in cōsuetudine, vsque fuisse ex eiusdē Nicolai Pōtificis rescripto, liquidò cōstat.

30. Quibus, ob infirmam valetudinem, aut ob aliam iustā causam permissum erit Quadragesimæ diebus, carne, aut aliis eo tempore vetitis cibis vesci, eos Parochi piè illud admoneant, ne publicè, ne ve etiam cum domesticis, sed separatim in remotiori ædium loco, eius generis cibum capiant, vt ob corporis imbecillitatem, aut morbum potius, quo laborant, quàm ob ingluuiem facere cognoscantur. 1. tit. 1. Decreto 20.

31 Ægroti, cum per inualetudinem corporis ieiunare non possint, quodam intimi animi dolore, gemituque, vt Sanctus Augustinus monet, cibum capiant, pro eo, quòd alijs ieiunantibus, ipsi abstinere non possint. 5. Quæ ad dies fest. &c.

32 Caueant autem; quod alio Prouinciali Concilio ex eiusdem Sancti Augustini sententia cautum est, ne alios suo exemplo ad violandum ieiunium prouocent.

33 Quo tempore ad salutem animæ toto corde, totáque mente, atque omni Christianæ pietatis officio incumbendum est; in iudiciali foro tunc aditus patefieri non debet ad iudicia, ad lites, & ad causas, quibus sæpè distrahuntur homines à pietatis officiis: ne aliquando Isaiæ prophetæ illis vocibus nos Dominus grauissimè arguat; Ecce in die ieiunii vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis: ecce ad lites, & contentiones ieiunatis. Quare ne Quadragesimæ, quatuor Temporum; & aliorum ieiuniorum diebus, id quod & Liberij Pontificis Maximi, & Concilij Triburiensis Canone sancitum est, in aliquo foro, mane, quo tempore Missæ sacro, diuinis officijs, & verbi Dei prædicationi Christianos homines interesse potius oportet, ius dicatur, iudicia exerceantur, aut quicquam agatur, quod ad iudicij forensis ordinem pertineat. Id verò pro pastorali gregis Dei cura, quam suscepit Episcopus, ab omnibus præstari quàm diligētissimè studeat. 4. de feriis.

34 Nihil non aggrediuntur, atque omni astu semper agunt hostes fidei Catholicæ, vt impietatum suarum virus disseminent: venenatasque suas voces in omnium aures infundant. Ecclesiæ igitur pastoribus, omni, quo maximo possunt, studio elaborandum est, vt cum omni tempore, ac diligenter, tum in Quadragesima, verbi Dei prædicatione, tanquàm pabulo vitæ, fideles nutriantur, atque confirmentur. 5. Ibid.

Quamobrem quod multis huius prouinciæ locis, & aliis bene institutis Ciuitatibus antiqui, religiosique instituti est, vt eo Quadragesimali tempore, quo frequentissimi fideles ad prædicationem conueniant, nullæ neque tabernæ, neque officinæ patentes vsquam sint, dum concio sacra habetur, id, quod sanctissimæ consuetudinis est, vt perpetuò retineatur, omni officio Episcopi omninò efficiant; vbi verò hoc ipsum, vel intermissum, vel in more positum non est, vt ad vsum inducatur, atque adeò restituatur itidem curabunt Episcopi.

35 Parochi hebdomada Quadragesimæ ini-

tium proximè præcedente, populum, curæ suæ commissum, ad se conuocent: tum hæc cum illo grauiter, solliciteque agãt, prout antiqui, religiosique instituti, & consuetudinis in Ecclesia sancta fuit.

36 Vt canonica auctoritate recõcilient, si quos in eo dissidentes scierint, dissensionum semina extirpare studentes.

37 Concubinarios homines ab illa peccandi libidine, vt maximè possunt, reuocent: proinde sanctiones Episcopales, eo de genere hominum editas cùm de scripto legãt, tum communi sermone planius explicent.

38 Singulos, denique à Christiana viuendi via aberrantes, ad semitam iustitiæ, & salutis studiosè perducant.

39 De humilitate, patientia, castitate, benignitate, misericordia, eleemosynis, pœnitentia, cæterisque Christianæ Religionis virtutibus omnes accuratè commonefaciant, vt Cabilonensis Concilii Canone, piè, vtiliterque cautum est.

40 Rursus vitia, & crimina, pro quibus homines, sicut eiusdem Concilij verbis expressum est, cum diabolo deputantur, detestanda, fugiẽda, atque adeò abijcienda omninò illa quidem curent, atque in ijs, quæ ab Apostolo, cõmemorantur, fornicatio scilicet, immunditia, luxuria, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, ebrietates, commessationes.

3. de iis, quæ ad pœni. sacr. pert. 41 Quæcumque excommunicationum sententiæ, vel à Summis Pontificibus, vel Tridentini, aliorumque generalium, & prouincialium Mediolanensium Conciliorum decretis, vel diæcesanarum cuiuscumque Vrbis synodorum Constitutionibus latæ sunt, quibus ipso facto, vel iure homines irretiuntur, hæ omnes, summatim vulgari sermone expressæ, & in tabellam aliquam ordine relatæ, die primo Dominico Quadragesimæ in singulis Cathedralibus Ecclesijs, de suggestu frequenti populo de scripto legantur, quo fideles meminerint, diligenter ab illis cauendum esse. Idque etiam fiat in parochialibus illis Ecclesijs singulis, vbi id fieri Episcopus expedire censuerit.

3. de fest. dierum cultu. 42 Studeat etiam Episcopus, vt quo tempore in Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ hebdomadis Ecclesia mater, & officiorum ritu, & hymnis, canticisque fidelium mentes ad mœstitiam, atque ad pœnitentiam excitantibus, & omni denique tum vestimentorum, tum aliarum rerum apparatu populum Dei instruit, ac præparat tot antè diebus ad sanctè recolendam Christi Domini Passionem, & Crucem, eo potissimum tempore fideles, sibi in curam traditos, spectacula, ludos scenicos, & alia, quæ gentilitatis speciem præ se ferunt, tunc prælertim morum corruptelis introducta, illa ipsa tamquam à sanctissimis Ecclesiæ institutis abhorrentia, omninò fugientes, ad pietatis Christianæ studia, & ad orationem attentiores sint, proposita omni Christianarum actionum exercitatione.

5. quæ ad festos dies, &c. 43 Graue est, nec propterea ferendum, vt quibus diebus sancta Ecclesia ad ieiunium, ad pœnitentiam, ad omnéque pietatis officium animos fidelium excitare, & accendere studet, in ijs maximè sæculi homines operibus Sathanicis operam nauent.

Quare corruptelam illam, quam in nonnullis prouinciæ huius Vrbibus, locisque insignibus, deprauato vsu adhuc retineri accepimus, vt primis illis sacri Quadragesimalis temporis diebus laruatorum hominum efficta simulachra incendantur, inanes nuptiæ fingantur, concursationes nocturnæ, tumultúsque fiant, radicitus euellere cum maximè cupiamus, hoc decreto vetitum, interdictumque sit, vt ne quid tale in posterum, neque quicquam aliud eius generis religioso illo tempore vsquam fiat, agatur, committaturve: nec verò agi, fieri, admittive, permittatur, pœna ijs omnibus, & singulis, qui contra fecerint, interdicti proposita, quam eo ipso subeant.

Parochus verò, in cuius parochiæ finibus id criminis, etiam si à pueris solum, qui tamen doli capaces sint, committi solet, primò in eam curam ipse incumbat omni studio, vt ne offensiones hæ, peccatáque id generis fiant. Deinde verò si occurrere nullo modo poterit, rem omnem in tempore, si in Vrbe est, ad Episcopum, si in diœcesi, ad Vicarium foraneum deferat, quo vel aliis rationibus, vel grauiori pœna eiusdẽ Episcopi arbitrio, ijs morũ erroribus consultũ, ac prouisum sit omninò.

44 Sacra quatuor ieiuniorum tempora, ex sancti Spiritus doctrina salutariter instituta, sicut olim, & frequenti fidelium conuentu, & solenni celebritate, & religioso supplicationum officio celebrantur, ita ad illorum cultum, pastorali cura eruditis fidelium mentibus, in vsum antiquæ pietatis reuocanda sunt. Quare in omni Prouinciæ nostræ Ecclesia, vel cathedrali, vel parochiali, non solum die Dominico, illa tempora præcedenti; sed etiam vbi populus erit frequens, feria quarta proximè sequenti, eo de genere concionem sacram haberi statuimus: qua fideles excitati, solennibus his feriis, quarta scilicet, sexta, & sabbato, pro antiquæ deuotionis consuetudine frequentiores Missæ sacro, diuinisque officiis, vt in Moguntino Concilio primo cautum est, intersint, orationes, ieiunia, eleemosynas, cæteraque pietatis opera præstent: quibus, quò specialius illæ feriæ præstitutæ sunt, eo vehemẽtiori Christianæ virtutis contẽtione ad illa paratos esse oportet. 4. de sacris quatuor tempor.

45 Ad quam diligentiam parochi præterea fidelium charitatem omni religioso proposito ita præparare studeant, vt vnanimiter, auxiliante Christo, statarum illarum feriarum solennitatem, religiosa piorum operum sollicitudine celebrantes, Sabbato sub Vesperum, frequentissimi ad Ecclesiam, vt piæ consuetudinis fuit, conueniant: vbi sanctis precibus, cùm pro sacra ordinatione; tum pro his commodis, quæ singulorum annorum reuolutione consequimur, omnium bonorum largitori Deo, gratia habeatur, sicut, & instituta illorum temporum ratio, & Christianæ religionis cultus deposcit.

46 Iidem statis ijs temporibus, populo denunciandis, formulam hanc, ex Sanctissimi Pontificis Leonis Primi, verbis conceptam, adhibeant: cuius sententiam, etiam vulgari sermone explicent vberius.

48 Quod sacrorum temporum ratio, & deuotionis Christianæ admonet consuetudo, paterna vobis dilectissimi, sollicitudine denunciamus, mensis N. sacrum celebrandum esse ieiunium, diuinitus inspirata doctrina præceptum, ac statis mensium curriculis distributum: vt lege abstinentiæ omnibus adscripta temporibus, & alijs Christianæ militiæ præsidiis, ad mentium nostrarum, corporúmque sanctificationem diuinitus institutis, stato dierũ interuallo, sine cessatione renouatis, nos ardentiori cura, maioríque studio in salutis cursu progrediamur, quò specialius præstituti sunt dies ad pietatis officia. Quarta igitur, sexta feria, & Sabbatho, ieiunemus: frequentes in cathedrali, parochialique Ecclesia ad Litanias, orationémque conueniamus, & quò sacris illis feriis à cibo abstinentiores esse debemus, eo ab undantiori eleemosynarum liberalitate, erga Christi pauperes effusiores simus: tum Sabbatho sub vesperum orationem parochialem communem celebremus: qua, & pro spe fœlicitatis æternæ, ad quam per fidem currimus, & pro sacra ordinatione, quam eo die à Reuerendissimo Episcopo haberi solenne est, & pro ijs commodis, quæ singulorum annorum reuolutione consequimur, Deo omnipotenti, gratias agamus: eundemque religiosis supplicationibus oremus, quatenus Sanctorum, quorum patrocinia imploramus, suffragantibus meritis, eius misericordiam in omnibus impetremus. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre, &c.

De Oratione.

SVMMARIVM.

1 *Oratio nostræ indigentiæ interpres.*
2 *Institutio orationis communis, seu vespertinæ.*
3 *Indulgentiæ eius rei causa concessæ, quando à parochis publicandæ.*
4 *Certa hora, & campanarum signa præscribenda, ad conueniendum.* 6.
5 *Calamitatibus imminentibus à clero, & populo, ex præscripta ratione, orationi vacandum.* 14.
7 *Vbi Sacerdos, vel clericus desit, qui hoc signum det, quæ ratio ineunda.*
8 *Oratio quando in Ecclesia facienda.*
9 *Quando item in oratoriis, capellis, &c.*
10 *Vt saltem in oratoriis fiat, Sacerdotum, & clericorum opera requiritur.*
11 *Domi, quando fiat.*
12 *Matutinæ orationis quotidianæ communis vsus, etiam introducendus.*
13 *Vbi exercendus.*
15 *Parochi cura procellis imminentibus.*
16 *Eiusdem & Concionatoris* } *officium in admonendo populo, vt ante operis inchoationem, oret.*
17 *Vtque cibum benedicat, & eo sumpto gratias Deo agat.*
Orantibus sine intermissione, quæ indulgentiæ concessæ. De Indulgentiis, num. 14.
Quæ & orantibus in eleuatione corporis Domini, Ibid. num. 15.
Quæ item conuenientibus ad orationem 40. horarum, ad concionem, Missam maiorem, Vesperas, Completorium, & ad orationem, processionemque sub vexillo: ac ad Missam Congregationum forancarum, Ibidem. 13. 16. 17.
Initium quarum Congregationum, quæ oratio dicenda. De foro Episcopali. 2.
18 *Oratio pro Defunctis, vespertina introducenda.*
19 *In vnaquaque diœcesi instituenda.*
20 *Prima hora noctis facienda, & in Vrbe, in Cathed. Ecclesia.*
21 *Fidelis vniuscuiusque officium.*
Parochi ad illius studium suos parochiales instãment: indulgentiam denunciando orantibus pro Defunctis concessam. De indulgentiis. 18.
Indulgentiæ eiusdem concessionis litteræ. De Constitut. num. 46.
Oratio Quadraginta horarum, quo loco, & modo habenda. De oratione Quadrag. hor. 2. & 3.
Oratio, quibus in Ecclesiis instituenda pro summo Pontifice ægrotante. De diuin. off. num. 48.
Quibus etiam in Ecclesiis instituenda pro ægrotante Episcopo. Ibidem. 46.

VNa omnium optima indigentiæ nostræ interpres, & conciliatrix eorum, quæ necessaria, tum ad animæ, tum ad corporis bona à Deo patre expetuntur, est oratio sancta. Cuius studium, vt proprium fidelium est, sic necessarium, atque omnino iussu diuino debitum: id cœlestis magister, Christus Dominus exemplo docuit, verbo præcepit, crebris cohortationibus monuit. Eo igitur studio fideles, quò vehementius exardescerent, seséque quotidie singuli certa hora colligentes, id quod Christianarum mentium est, vitæ à se illo die actæ rationes inspicerent, maléque actæ pœnitentes, ardenti oratione veniam precarentur, & Deo gratias agerent de beneficijs, quæ acceperint. 3. de iis, quæ ad matrimonii Sac. pert.

2 Instituta est in hac prouincia orationis communis exercitatio, quæ ad Christianæ pietatis progressionem introducta vt & perpetuò conseruetur, & augeatur item, id cum omni studio Episcopus curet, tum propositis spiritualis gratiæ muneribus, sedis Apostolicæ benignitate, eius rei causa concessis.

3 Itaque à parochis suis singulis sanctissimi Domini N. Gregorij XIII. litteras de Indulgẽtia, huius prouinciæ hominibus concessa, qui in orationis communis instituto sese exercuerint, ter in singulos annos descripto, vel summatim pronunciari iubeat, semel ineunte Aduentu, iterum Dominico die Quadragesimæ primo, tum solenni die Pentecostes,

4 Episcopus prætereà pro temporum ratione certam horam statuat, qua datis huius rei causa campanarum signis, patresfamiliâs, suæ quisque domi, vna cum reliqua familia certo loco ad orandum conueniant. Vt autem, qui in eo precandi instituto se exercuerint, Indulgentiæ concessæ donum consequantur, diem itidem Dominicum Quadragesimæ, proximè præcedentem, is constituat, quo illi confessi omnes simul sacram Eucharistiam sumant.

5 Imminentibus verò calamitatibus, quo tempore cùm nullum certius præsidium sit, quàm illud, vt fideles ad Deum patrem misericordiarum assiduis precibus confugiant, certam aliquam prætereà rationem is dili-

genter ineat, vt & à clero, & à populo sine intermissione, ac religiosius in orationem incumbatur.

4. de oratione. 6 Orationis vespertinæ, olim in hac prouincia institutæ, signum distinctis campanæ ictibus, vt Episcopus præscripserit, detur. Vbi verò in vicis, & pagis, ob campanæ exiguitatem, sonus ita difficilius exauditur, non intermisso, sed continenti sono per horæ quadrantem illius significationem fieri, si ita censuerit, iubeat Episcopus.

7 Rursus, qua in ecclesia parochiali, diœcesis præsertim, ob vacationem, vel ob aliam causam, nullus, vel sacerdos, vel clericus aliquando est, qui huius orationis signum campana det, alia per Episcopum, vel Vicarium foraneum ratio ineatur, qua illius significatio fiat, campanæ item sono.

8 Vbi domicilia, inter se proxima, aut continentia sunt, in ecclesia, tum maximè diebus festis, illam à populo fieri conuenientius est: quem frequentem conuenire, omni officio parochus curet. Ipse verò si adesse neglexerit, intermiseritve, mulctetur Episcopi iudicio. Curet autem parochus, vt in Ecclesiam non tardius multò ducatur, quam ad statam horam, qua sub crepusculum noctis Salutationis Angelicæ signum datur.

9 Si ex pagis, & vicis, præsertim frequentioribus in Ecclesia parochiali fideles difficilius conuenire possunt: quoniam ab ea aliquantulum illa loca distant; constituat Episcopus Ecclesiam, aut capellam, Oratoriumve illis singulis propinquiorem, aut commodiorem, aut denique crucem, sacramve aliam imaginem in triuio erectam, quo etiam sub dio ad orationem vespertinam conuenire liceat.

Quæ orationis ratio in capella, in oratorio, vel in Ecclesia, quæ parochialis non est, etiam adhiberi poterit. Si quando præterea, alijs etiam diœcesis locis, pluuiæ vis, niues, aliave temporis grauitas, itineris difficultati adiuncta, difficiliorem fidelium conuentum ad Ecclesiam parochialem faciat, ne ob vllam causam à tam salubri orationis instituto, & multiplicibus Apostolicæ Sedis priuilegijs commendato, vllo die populus desistat.

10 Quo in officio in ijs locis adiuuetur, maximè opera sacerdotum, & clericorum, quorundamque illius pagi, locive.

11 At vbi, neque his rationibus fieri poterit, vt fideles omnes vniuscuiusque loci in vnum conueniant ad hanc orationis communis exercitationem, domi saltem ab vnoquoque, qui ad Ecclesiam non conuenerit, cum familia sua certo loco fiat.

12. 13 Norint porrò fideles, quod etiam Concilio Aurelianensi quarto olim iussum est, sibi sæpius singulis diebus orandum esse: quod si aliquando frequentius non possunt, saltem non vesperi solum; sed etiam manè id à se præstari oportere. Quare Episcopi cura sit illum vespertinæ orationis quotidianæ communis vsum, manè etiam, paulo scilicet ante auroram, aut sub ortum Solis, id quod in plerisque huius prouinciæ locis iam seruari cœptum est, vbique locorum, cùm in Vrbe, tum in diœcesi sua paulatim introduci, atque ea ratione institui, vt, vel in Ecclesia, vel suæ quique domi, cum familia certo loco, vel in officinis, tabernisve, vel in ipsis etiam agris, atque adeò in itinere, vel in alijs denique locis, vbicumque, (vt illo Concilio cautum est,) ea matutina hora sunt, & patresfamilias, & liberi, & famuli, & artifices, opificesve, & operæ, institoresve, & cæteri quicumque sunt, siue mares, siue fœminæ, huius matutinæ orationis officium, antequam artificium, negotium, remve vllam aggrediantur, precibus, litanijs, omnique oratione, ac toto animo, menteque vacent; sicque quotidianarum actionum, operum, & negotiorum initium à Deo faciant, finemque itidem, & 16.

14 Nimbis, procellisve imminentibus, sicut Ecclesiasticæ consuetudinis est, campanis sonetur, tum ad tempestatem vi diuina, quæ ex solenni prece, sacraque benedictione illis inest, depellendam; tum ad Dei misericordiam implorandam Christianæ pietatis orationibus; ita fideles, earum sono tunc excitati in ecclesiam, vel cathedralem, vel parochialem, vel in aliam saltem propinquiorem ad orandum conueniant: si minus possunt, saltem vbicumque sint, siue domi, siue foris, supplices Deum orent; tum clerici, Psalmis, Litanijs, precibus, & orationibus, quæ ex ritu sanctæ Matris Ecclesiæ ad arcendam tempestatem dicuntur, Dei misericordiam deprecentur.

15 Parochi verò in primis sit, cùm in ecclesia sua hoc officium religiosè præstare ad præscriptum libri Ritualis, aut Sacerdotalis, tum sollicitè conuocare clericos, & populum, vt ob eam causam Deum sanctè precaturi, ad ecclesiam frequentes concurrant, Idque ipsum, prout in concionando vsu venerit, aliquando fideles paternè, diligenterque monere meminerit.

16 Non decet Christianum hominem, opus aliquod ante suscipere, aggredive, quam Dei auxiliũ religiosis precibus imploret. Dixit enim Dominus, Sine me nihil potestis facere. 5. de oratione ante op. inchoat.

Parochus igitur, cuius est populum ad optima quæque instituta erudire, Concionator item illũ, prout vsu venerit, cohortetur, ac moneat, vt neque publicè, neque priuatim quicquã aggrediatur, nisi primo sãctis precibus Deo adhibitis:

17 Neque cibum sumat, antea quàm statã prece benedicat. Post cibum, item Domino gratias precatione agat. Id enim à nobis expectat, qui nos pascit Deus, vt pro præstitis ab eo escis illi gratias referamus, & saturati donis ipsius, laudes ei dicamus, inquit sanctissimus Pater noster Ambrosius.

18 Pro fidelibus defunctis religiosas Deo preces, orationemque adhibere officium est salubre, illud quidem sanctum, Christianæque pietatis studio planè dignum. Quam ob causam Summus Pontifex Gregorius XIII. Romæ instituit, prima hora noctis pro illis in singulos dies piè orari: cuius exemplo nobis ad imitationẽ proposito maximopere excitati, cùm iampridẽ proximis annis orationem vespertinã quã cõmunem dicimus, pro viuis decreuerimus, hanc alteram pro mortuis iam nunc constituimus. 6. quæ ad funera pert.

19 Itaque vnusquisq; Prouinciæ Episcopus, pro

salutis animarum zelo, quo præcipuè incensus esse debet, in eam curam incumbat, vt vbique locorum in sua Diœcesi religiosè celebretur, omnique ardentissimo charitatis, & precationis spiritu.

20 Illius horam pro ratione temporis, vel brumalis, vel æstiui, proque prudentia sua, sub primam noctis vigiliam ita statuat, vt iam decreta oratio vespertina nullo modo impediatur.

Præfiniat in Vrbe Basilicam Cathedralem, & certas alias ecclesias, in quibus stata hora, statóque campanæ signo significatio huius orationis, precationisve fiat.

21 Vnusquisque autem fidelis, vbi sit, vel domi, vel foris ad memoriam mortis excitatus, primum paulispertacitus in mortis suæ, quam breui fortasse obibit, meditatione versatus, tum se accendat ad orationem pro mortuis, quam Psalmo, De profundis, aut precatione Dominica, & Salutatione Angelica sæpius repetita intimo religiosi cordis affectu perorabit, vt Defunctorum animæ, è Purgatorij supplicijs ereptæ, Dei misericordia ad sempiterna cœlestis vitæ præmia perducantur.

Quod sequitur videatur in Titulo de Indulgētijs c.18.

De Religiosis Peregrinationibus.

SVMMARIVM.

1 *Peregrinationi clericorum præscripta ratio.*
2 *Sine dimissoriis litteris &c. non peregrinetur: quibus hæc adscribenda. 3.*
4 *Peregrinationis comites.*
5 *Substitutio in parochiali, capella, aliove beneficio,*
6 *Confessio peccatorum, Missæ celebratio, vel communio, &c. ante peregrinationis initium, & cum ad peregrinationis locum peruentum fuerit. 19*
7 *Qualitas habitus, & tonsura.*
8 *Horarum canonicarum recitatio, ieiuniorumque obseruatio.*
9 *Missæ à Sacerdote quotidie celebratio, vel præsentia, etiam clericorum.*
10 *Itinerarii recitatio.*
11 *In itinere boni exempli præstatio.*
12 *Hebræorum, & mulierum societatis vitatio, etiam in cauponis. 17.*
13 *A profanis cantionibus, &c. seiunctio, & abstinentia.*
14 *Mendicationis prohibitio.*
15 *Ecclesiæ visitatio, ante hospitij ingressum.*
16 *Hospitiorum vitatio, vbi alibi excipi possint.*
18 *Mensæ benedictio: & gratiarum actio.*
20 *Susceptæ peregrinationis inuētio, curiositatum vitatio, & ecclesiarum deuota visitatio.*
21 *Aliò vagandi prohibitio.*
22 *Episcopi, vel Vicarii aditio post peregrinationem, testimonijque sanctæ peregrinationis exhibitio.*
23 *Laicis quoque peregrinandi hæc ratio præscripta, Consilii sanctè peregrinandi à parocho captio, litteræque Episcopales, & cuius facultatis.*
24 *Benedictionis à parocho petitio.*
25 *Confessio, & Eucharistiæ sumptio ante discessum, & vbi ad loca visitanda peruenerit. 35.*
26 *Deuotionem impedientium euitatio, ieiuniorumque obseruatio.*
27 *Missæ auditio, & Eucharistiæ sumptio.*
28 *Itinerarii recitatio.*
29 *Eleemosynarum largitio, & orationi, meditationibusque instantia.*
30 *Hebræorum certarúmque mulierum in curru, nauigio, hospitio, vitatio.*
31 *Profanorum canticorum, & colloquiorum prauaque societatis, &c. abstinentia.*
32 *Mendicationis prohibitio.*
33 *Ecclesiæ aditio, ante hospitii introitum.*
34 *Sacrorum locorū, & reliquiarū deuota visitatio.*
36 *Benedictio suscipienda à parocho post reditum.*
Peregrinationis causa absentes, distributionum non fiunt participes. De distribut. num. 33.

1 VT ex Sanctorum Patrum institutis fideles prouinciæ nostræ sanctas peregrinationes suscipiant, salutisque vberiorem fructum, diuina auxiliante misericordia inde capiant: hæc illis seruanda proponimus: ac primo ecclesiastici ordinis hominibus, tum laicis item. Quartum de relig. peregrin.

2 Ne quisquam Sacerdos, clericusve cuiuscuis ordinis, peregrinaturus, itineri, peregrinationis causa, sine litteris dimissoriis, ac testimonialibus Episcopi se committat, vt Canone veteri sancitum est; tum prætereà nec sine benedictione, quam Episcopus sacerdoti, clericove peregrinaturo, statis precibus, libro Sacerdotali, Ritualive præscriptis impartiet.

3 Iis sanè litteris à Cancellario ascribantur hæc singula capita, sacerdotali, clericove peregrinanti, infra præscripta, quò accuratius ab eo illa seruentur.

4 Peregrinationis comites, quos sibi adiunxerit, cùm in viam se daturus est, Episcopo, aut Vicario exponat: quorum comitum nomina à Cancellario litteris dimissorijs adscribantur.

5 Si quis item peregrinaturus, ecclesiam parochialem, aut capellam, aliudve cuiusvis nominis beneficium ecclesiasticum obtinet, cui ministerium aliquod debeat, is, vt Episcopus opus esse censuerit, sacerdotem, vel clericum, qui eidē Episcopo, Vicariove probatus sit, pro ratione ministerij ante substituat, quàm iter suscipiat, ne ecclesia debito ministerio, cultuque careat, cuius rei, per se præstitæ, testimonium scriptum, aut Episcopo, aut Vicario exhibeat. Ei verò, quem substituerit, aut alij, quem Episcopus maluerit, si aliquot dierū peregrinationem facturus est, vestes sacras, ornamenta, libros, scripta, omnémque ecclesiasticam supellectilem committat, indice eorum omnium sigillatim, ac diligenter cōfecto, eo scilicet præsēte, cui hoc munus Episcop⁹ dederit, ne ex eius absentia aliquod detrimentū Ecclesia patiatur.

6 Deinde is, vel Sacerdos, vel clericus, antequam peregrinationi se committat, peccata primò confessus, tum si sacerdos est, Missæ sacrificium, quod est, pro iter agentibus offerre: si clericus inferior, sacram Eucharistiam sumere studeat.

7 In itinere, clericali habitui contractiori, ad Conciliorum præscriptum, omnis sacerdos, & clericus, dum in peregrinatione est, vti possit: pileum autem induat, clericali ordini congruentem, & à laicali vestitu distinctum.

Tonsuram clericalem perpetuò habeat.

8 Ne itineris causa canonicas horarias diuini officii preces omittat, ac tum etiā stata de præ-

cepto ecclesiæ ieiunia seruet, nisi cum legitime excusatus est.

9 Si Sacerdos est, vbi probatus fuerit, Missam quotidie celebrare curet: at verò Dominicis & festis diebus id facere ne omittat. Singulis verò dieb⁹, siue Sacerdos, quãdo ipse nõ celebrat, siue clericus, Missæ sacrificio interesse studeat.

10 Manè singulis diebus, præter officium diuinum debitum, preces etiam illas piè recitare curet, quæ Itinerarij nomine appellantur.

11 In omni denique itinere, quod sanctæ peregrinationis causa suscepit, eum se vitæ moribus, omnique actione præstare studeat, vt piè, religioséque peregrinãdi exemplum laicis præbeat, quorum si aliquem socium, & comitẽ habet, sanctis peregrinationis exercitationibus, atque rebus ad salutem instruere curet.

12 Hebræis, & mulieribus comitem non se adiungat, neque eodem curru cum eisdem vehatur, neque item eodem nauigio, vt scandalum euitetur, si aliter sibi consulere poterit.

13 Neque ijs etiam se adiungat in via, nisi necessitas coegerit, qui dum iter faciunt, profanis cantionibus, cytharis, aliisve musicis instrumentis vtuntur.

Abstineat item ipse à profanis canticis, & colloquijs eiusdem generis, quorum vsu, pietatis in peregrinatione susceptæ studium refrigescit. Psalmis, Hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitationi, ac rerum diuinarum meditationibus vacet: & spiritualibus itẽ sermonibus, si comites habet, quibuscũ loquatur, corporis, vel animi lassitudinẽ subleuet.

14 Ne mendicet, ostiatimve victum quæritet, nisi ex voto, vel alia causa, ab Episcopo probata, & facultate nominatim scriptis impetrata.

15 Cùm ad aliquem locum vesperi perueniet, ecclesiam, quæ eo loco est, antequam ad hospitiũ diuertat, religiosè adeat, si potest, vbi supplex litanias, vel alias religiosas preces recitet.

16 Si apud religiosos homines, vel apud alios viros honestos diuersari potest, ab hospitijs publicis abstineat.

17 Ad cauponas verò, si diuertere necesse habet, nec vnà cum eisdem Hebræis, aut mulieribus accumbat in publico hospitio; aut alio omni loco, & tempore.

18 Antequam discumbat mensæ benedicat: tum pransus, aut cœnatus gratias agat: cæteráque obseruet, quæ de temperantia, frugalitate, & modestia clericali decretis prouincialibus præscripta, accuratè præstare debet.

19. 20 Cum primùm ad peregrinationis locum peruenerit, Confessario probato confiteatur, & Missam Sacerdos celebrare, & sacram communionem clericus sumere curet, totúsque peregrinationi susceptæ intentus, non rerum nouarum curiositates, non loci antiquitates, non quicquam aliud, à peregrinandi proposito alienum, consectetur, sed religiosa animi præparatione ecclesias, sacrásque reliquias, quas potissimũ deuotionis, votiue causa visitatum venit, tum alias etiam sollicitè visitet, qua visitationis sollicitudine, pietatis sibi ardorem excitare studeat vt maximè potest.

21 Nec verò vbi sanctam peregrinationem absoluerit, aliò longius vagetur.

22 A peregrinatione reuersus, Episcopum primo, aut Vicarium cum litteris dimissorijs, quas dedit, conueniat: sanctæque suæ peregrinationis testimonium ab ordinario loci, aut saltem à præfecto Ecclesiæ afferat, ad quam peregrinationis causa iter suscepit, nisi litteris dimissorijs alius nominatim ab Episcopo exprimatur, cuius allato scripto testatum facere debet.

23 Laici item, antequàm peregrinationem suscipiant, suum quique parochum conueniant: à quo sanctè peregrinandi consilium capiant, & litteras habeant ab Episcopo canonicas, vt Canone expressum est, quarũ etiã fide, testimonióve eis liceat vbique, & cuiuis cõfessario, ab ordinario loci approbato, peccata confiteri.

24 Deinde benedictionem ab eodem parocho petant, qui superpelliceo, & stola indutus, illis bene precetur, & benedicat, statis religiosis precationibus, quæ ex ecclesiæ instituto peregrinis adhibentur.

25 Peregrinationis verò iter suscipiant, vbi ritè confessi, sacram Eucharistiã religiosè sũpserint.

26 Peregrinando omnia fugiant, quæ deuotionis studium perturbant, aut impediunt, & illa amplectantur, quibus illud excitari solet.

In itinere stata præcepto ecclesiæ ieiunia seruent, nisi cum legitimè excusati sunt.

27 Singulis diebus Missæ sacro interesse studeant: Dominicis verò & festis, ne vllo modo desint, tum sacram communionẽ sumere curẽt.

28 Manè preces, quas Itinerarium vocant, piè recitare studeant, qui legere nouerint.

29 Eleemosynas, si per facultates possint, largiantur.

Instent potissimùm orationi, Psalmis, Hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitatione, & rerum spiritualium meditationibus, & sermonibus lassitudinem subleuent.

30 In curru, nauigio, & hospitio, cum Hebræorum maximè, tum mulierum etiam, nisi quas cognatione, affinitateve iunctas, aut etiam ex familia sua sanctæ peregrinationis socias habeant, omne consortium vitent, nisi necessitas aliud coëgerit. At sanè verò in hoc sanctæ piæ peregrinationis proposito, ac studio, ad vsum reuocari cupimus, quod olim factum esse ex sacris litteris, patrumque monimentis animaduertimus, vt scilicet, qui etiam eiusdem familiæ essent, cum templum, locáque sacra visitatum irent, viri à fœminis iter separatim facerent.

31 Abstineant item à profanis canticis, colloquijs, cytharis, aliisque musicis instrumentis, atque adeo ab eorum societate, qui in itinere ijs, alijsve eius generis actionibus, operam dant, quibus pietatis studium in peregrinatione susceptæ languefiat.

32 Ne mendicatim eleemosynã quæritent, nisi ex voto, vel necessitate, aliave causa Episcopi litteris, & testimonio probata.

33 Ad loca, vbi primùm vesperi diuertunt, ecclesiam precandi causa prius adeant, quàm in hospitium veniant, si temporis tarditas, aliudve non impedierit.

34 Ad sacra loca, quæ religiosè visitaturi sunt, cùm peruenerint, nihil aliud sibi propositum habeant, quàm vt, aut Iubileũ, indulgentiamve consequantur, aut vota sanctè persoluant, sacras reliquias, & sacra loca piè visitent, ab omni curiositate, peccandique occasione abstinentes.

35 Itaque primo confessi, cum sacram Eucharistiam sumpserint, tum religiosè Sanctorũ statas ecclesias visitent; ita vt ex ipsorum locorum admonitione maior affectus in ipsis resurgat ad excitandam pietatem, & Sanctorum, quorum auxilium implorant, orationibus adiuuentur.

36 Reuersi à peregrinatione, primò parochum conueniant, à quo benedicantur, adhibitis ex Ecclesiæ instituto præscriptis Sanctis orationibus.

De Votis, & Consuetudinibus piisve institutis.

SVMMARIVM.

1 *Voto publico nuncupando Episcopus consulendus, & quando non. 3.*
2 *Eius nuncupandi formula, eiusdem Episcopi sententia concipienda.*
4 *Ad illud nuncupandum vniuersitatis consensus accedat. Nuncupatio ad Altare maius Ecclesiæ maioris facienda. 8. & ad offertorium. 13.*
5 *In eius nuncupatione hæ præparationes, & cæremoniæ adhibendæ, vbi autem adhiberi non possint, illæ præstandæ cum primum licebit. 19.*
6 *Primò adulti, confessi, communionem sumant.*
7 *Pridie diei nuncupationis ipsius, sero campanæ pulsandæ: quo populus sequenti die conueniat.*
9 *Congregato populo, processio agenda.*
10 *Ea peracta, Missa celebranda.*
11 *Concioque in Missa habenda.*
12 *Sacerdotum, & clericorum præsentia.*
13 *Missam celebrans, ad offertorium, voti formulam, per delectos ab Vniuersitate pronunciari mandet.*
14 *Quod ab ipsis delectis, flexis genibus fiat.*
15 *Communio ministranda.*
16 *Voti nuncupati instrumentum quando ad Episcopum mittendum, & vbi asseruandum.*
17 *Votum ipsum, causa, & conditiones tabella lapidea incidenda.*
18 *Ea conspicuo Ecclesiæ loco ponenda.*
20 *Vbi à ciuitate nuncupandum sit votum, ritus, ceremoniæque celebriores adhibendæ.*
Veteri instituto, vsuque, vel publico Ciuitatis voto, qui dies festi colendi, ab Episcopo intelligendum. De fest. dier. cultu. 25.
Votis etiam, & pijs consuetudinibus conquirendis; eadem diligentia ab Episcopo præstanda. Ibid. num. 26.
Vigiliæ, & festi dies Sanctorum publico Ciuit. voto aut consuetudine colendi, Synodo notandi in Calendarium referendi, & publicandi. Ibid. num. 29.
Festorum dierum, & institutorum voti publici, aut consuetudinis ratione seruandorum monimenta, vbi asseruanda. Ibidem numero 27. & 30.

Quintum, de Votis.

1 SI quando ob calamitatem imminentem, aliamve causam, à populo, vel ab Vniuersitate, vel à vicinia parochiali votum Deo fieri deliberandum est, vt de hoc genere toto quàm rectissimè statuatur, parochus Episcopum ad quem præsertim in graui, quæ ad spiritales res pertineat, deliberatione, confugiendum patres censuerunt, etiam per litteras, vbi opus est, consulat: de cuius sententia formula voti rite concipiatur.

3 Si verò aliquando temporis angustia non patitur, id quod in pestilentia euenire aliquando solet, vt ille consuli non possit, cum populo agat, vt votum nuncupetur: at sanè, quæ speciatim ad illius rectè exequendi modum pertinere possunt, eæ rationes omnes in ipsa voti nuncupatione, Episcopi sententiæ, iudicióque relinquantur, quò sanctius, religiosiusque voti nuncupati ratio omnis ad executionis vsum perducatur.

4 Caueat item parochus, rectorue Ecclesiæ, vt vniuersitatis consensu, atque omni alia opportuna, necessariáque ratione votum nuncupetur, vt firmum, ratúmque sit, ac proinde ab vniuersis, quorum interest, piè obseruetur, atque præstetur.

5 Quo præterea, & ardentiori pietatis studio ad illud nuncupandum, & vehementiori sollicitudine ad idem ritè exequendum populus incendatur, hoc præterea parochus curet, vt in voti nuncupatione statæ tum præparationes, tum etiam cerimoniæ adhibeantur, omni externæ pietatis, sanctique cultus ratione, & significatione, in eum, qui sequitur modum.

6 Primò igitur, vt illius Vniuersitatis adulti omnes, quo die votum fiet, antegressa peccatorum confessione, sacram communionem sumant, curet idem parochus omni cohortatione.

7 Pridie etiam diei, quo votum nuncupabitur, sub vesperum campanarum sono signum detur: quo populus excitatus, ad ecclesiam frequens conueniat, vbi postridie illud publicè, sanctéque nuncupet.

8 Videat vero, vt in ecclesia parochiali, primariave ad altare maius nuncupetur.

9 Vbi populus conuenerit, processio voti causa de more agatur.

10 Missarũ solẽnia, processione peracta, à parocho, rectoreuè Ecclesiæ eo nomine celebrẽtur.

11 In qua Missæ celebratione de voto concio habeatur, ac de eius causis, tum exponãtur rationes, quibus sanctissimè deuincti, qui vouerint, votũ quàm diligentissimè præstare debent.

12 Huic actioni omnes parochialis viciniæ, aut oppidi, locive Sacerdotes, & clerici intersint.

13 Parochus autem, aliusue Sacerdos, qui Missarum solennia eo nomine celebrat, cùm Offertorii tempus est, ab ijs, qui Vniuersitatis nomine delecti erunt, voti formulam in conspectu Dei de scripto sibi ritè, distinctéque pronunciari mandet.

14 Quod illi genibus flexis, supplices præstent.

15 Deinde, cum celebrans ipse corpus, & sanguinem Domini in Missa sumpserit; tum qui præparati accesserint, eisdem sacram communionem ministrabit.

16 Voti nuncupati instrumentum, Notarii manu confectum, auctoritatéque munitum, ad Episcopum mensis saltem spacio afferatur, vt in Archiuio Episcopali asseruetur perpetuò. Cuius instrumenti etiam exemplum, eiusdem Notarii testificatione, fideque roboratũ, in Ecclesia illius populi, Vniuersitatisve, quæ vouit, vt diligẽtissimè potest, custodiatur ad perpetuitatem.

17. 18 Vtque voti, cuius executio in perpetuũ præstanda sit, monimentũ in conspectu omniũ extet,

extet, idem curet, in tabella lapidea votum, votique causam, &, conditiones incidi, eandemque loco Ecclesiæ, conspicuo, atque illustri collocari, atque parieti agglutinari.

19 Vbi autem, cum votum nuncupatur, præscripta ratio, ac cæremoniæ, ob pestem, aliamve causam necessariam præstari non possunt, omninò tunc eas præstari curet parochus, vbi primum poterunt.

20 Hanc omnem rationem, tum celebriores etiam ritus, cæremoniasque adhiberi Episcopus curet, si Ciuitatis ipsius populus votum nuncupare deliberarit.

Finis Libri Primi.



CONSTITVTIONVM, ET DECRETORVM

Synodalium Prouinciæ Mediolanensis.

LIBER SECVNDVS.

De Sacramentis in genere, ac sacramentalibus.

SVMMARIVM.

Primum de ijs, quæ ad Sacramēt. admin. generatim pertin.



1 QVO maior, & vberior est Sacramentorum fructus, quàm vt eius vis explicari facilè possit, eo diligentius, & intima animi pietate, & externo cultu ac veneratione tractanda, ac percipienda sunt: Quod officium vt omni studio, & opera nostra adiuuemus, præter ea, quæ ad salutarem hanc rationem constituit sacra Tridentina Synodus, quæ & Episcopi, & parochi inuiolatè seruare debebunt, nonnulla etiam ad tollenda incommoda, & abusus, quos in prouincia nostra hominum, vel culpa, vel negligentia in Sacramentorum administrationem inuexerat, statuenda duximus.

Sess 24. ca. 7. de Refor.

2 Primum autem magnoperè hortamur Episcopos, quorum diœceses inter se implicatæ, & confusæ sunt, vt communi voluntate, atque sententia rationem inire studeant, qua explicari, & commodius distingui possint: adhibita etiam, si opus erit, prudentia, ac diligentia vicinioris Episcopi, vt amicè sublatis impedimentis, negocium de communi eorum sententia Sedis Apostolicæ auctoritate, conficiatur.

3 Cùm Sacramenta Ecclesiæ non solum sine simoniæ labe, verùm etiam sine auaritiæ suspicione præbenda sint, caueant omnes, ne in eorum administratione quidquam exigant, aut etiam verbis, vel signis, directè, vel indirectè petant. Qui secùs fecerit eum, & pœnis, iure communi statutis, & alijs arbitrio Episcopi plecti volumus.

4 Studeant Episcopi, vt in Ecclesia sua cathedrali in Sacramentorum administratione, in Exorcismis fontium, & sponsorum benedictionibus, ritus, & cæremoniæ ex more Sanctæ Romanæ Ecclesiæ adhibeantur.

Can. institutio, de consec. dist. 2. dist. 100. c. contra morem Dist. 12. c. de ijs, de conse. dist. 1. c. nosse. in fi.

5 Omnes verò inferiorum Ecclesiarum, quæcumque illæ sint, Rectores, in his omnibus ab obseruatione Cathedralis Ecclesiæ nulla ex parte discedant.

Parochi singuli, quatuor ad summū mensiū spatio, librū Ritualem sacramentalēve habeant, qui ab Episcopo probatus, in Ecclesia Cathedrali adhibetur: vt ne, quod Prouinciali Concilio primo cautum est, vlla ex parte inferiores Ecclesiæ à Cathedrali ea in re discordent: Rituales autem libri, qui ab eo Cathedrali dissimiles, ac diuersi erunt, statim Episcopi cura amoueantur.

4. quæ ad Sacrament. &c.

6 Illud in cæteris parochialis curæ officijs, maximè à parochis requiritur, vt sanctissima Sacramenta, quæ diuinæ gratiæ instrumenta, ad sanctificandas animas à Christo Domino instituta sunt, non solum purè, sanctè, religiosèque ipsi tractent; verum etiam ritus, ac cæremonias, teneant, atque adhibeant, quæ in illis administrandis sanctæ Ecclesiæ instituto, atque vsu cōprobatæ sunt. Et quoniam liber Ritualis Sacramentorum, qui vna, & eadem certissima ceremoniarum regula constet, quique omni ex parte absolutus sit, ad sanctam illam administrationem, in prouincia nostra nullus ferè extat; nos præterea iubemus, librum eo de genere Reuerendissimi Dominici Bolani Episcopi Brixiæ iussu iampridem confectum, à iurisperitis, quos delegerimus, primo recognitum, & necessarijs alijs partibus auctum, ab omnibus, ac singulis Sacerdotibus prouinciæ nostræ, qui Ritu Romano Sacramenta ministrant, huius decreti prouincialis auctoritate, cùm primum nostra cura typis in lucem prolatus erit, ad vsum recipi, atque adeo introduci, vt in Sacramentorum administratione cæremonijs, & ritibus, eo libro præscriptis, vtantur, neque vllis præterea aliis. Id verò tamdiu, quò ad Ritualis liber Romanus emittetur.

5. quæ ad sacramentalia, &c.

7 Sacerdotes in Sacramentorum administratione semper superpelliceū, & stolā adhibeant.

Primum de iis, quæ ad

Primum de iis, quæ ad sacramen. admini-strat. &c. Conc. Tri-dẽ seſſ. 24. ca. 7. de re-for. 2. t. t. dec. 7.

Episcopi in administrandis Sacramentis, illorum vim, & vsum, pro eorum, qui sumpserint, & adfuerint intelligentia, diligentia, diligenter explicabunt.

Idem quoque facient parochi, ea ratione, ac sententia, quæ in Catechismo Romæ edendo auctoritate sanctissimi D. N. præscribetur. Interim verò aliquo Catholici Scriptoris Catechismo ab Episcopo deligendo vtantur.

9 Quò magis fideles ad rerum diuinarum cultum excitentur, Episcopus, non in Sacramentorum solum administratione; verùm etiam, cum consecrationis, quæ cuiquam Ecclesiæ, altarive adhibetur, vel benedicẽdæ campanæ, vel velandæ Monialis, vel alterius cuiusuis rei consecrandæ munus in conspectu populi aggreditur, illius mysterij, quod tractat vim, & rationem piè explicet.

Primum. ibidem.

10 Parochi crebris cohortationib. in id maximè incũbant, vt populus sibi commissus, ad confessionem, & concionem frequenter, præcipuè autem in Natiuitatis Domini, & Pentecostes, ac alijs solennitatibus accedat.

11 Aegrotos verò, etiam non vocati, inuisant, vt ad Sacramentorum susceptionem inducant, & eorum animabus, quacumque ratione possunt, sollicitè consulant.

Primum, vt sup.

12 Si parochi ad aliam ecclesiam transierint, antequam à priore migrent, successori libros tradant, in quibus eorum, qui baptizati, confirmati, matrimonio iuncti fuerint, nomina describi, infrà iubemus. Qui secùs fecerit, grauissimè ab Ordinario puniatur.

3. quæ ad sacramentalia, &c.

13 Moneat sæpè parochus, hocque tum maximè cum Sacramenta ministrat, vt fideles, quibus ea ministrantur, & qui Compatres ad Sacramenta, Baptismum, & Confirmationẽ adhibentur, ensem, pugionẽ, & eiusmodi deponant, memores se in omni spiritu humilitatis, sanctæque pietatis studio adesse oportere sacris illis mysterijs. *Vide tit seq. num. 15.*

5. quæ ad sacramentalia, &c.

Vt sanctissimis Sacramentis debitus religionis cultus, etiam externus ab ijs tribuatur, qui ea suscipiunt, ne Episcopus, parochusve patiatur, quemquam ad illa suscipienda accedere, nisi exteriori quoque habitu, vestiumque modestia debitam illis venerationem, ac reuerentiam præ se ferat.

3. vt supra.

14 Fons baptismalis, ne vsquam in alijs Ecclesijs, quàm in parochialibus sit, vel Episcopi concessu in illis locis, vbi propterea quod parochialis Ecclesia longius distat, idem populi commodo magis consulendum esse censuerit.

4. quæ ad sacramentalia, &c.

15 Et tabernaculi, vbi sacratissimum corpus Domini asseruatur, & armarij item, vbi sacra olea, statis vasculis inclusa, custodiuntur, & fontis prætereà Baptismalis claues Rector Ecclesiæ, animarum ve curator, diligenter, cautéque apud se custodiat: ac ne clerico quidẽ ministro illas vllo modo committat. Nec verò prohibetur, quo minus easdem muneris alicuius præstandi causa aliquando Sacerdoti cõmittat, quẽ in officij parochialis cura coadiutorem habet.

4. ibidem.

16. 17 Vnaquæque parochia vascula duo sacrorum oleorum, Chrismatis, & Cathecumenorum, vascula itẽ duo extremæ vnctionis habeat: quæ confecta, & ornata sint ad formam in libro instructionum præscriptam. Idque vt die sacro Cœnæ Domini, illa vacua, diligenter antè abstersa, ac benè parata, nec verò ampullæ, aut alia eiusmodi, ad olea sacra recens consecrata, ferenda adhibeantur, aliaque rursus retineantur ad asseruandum quod reliquum est sacrum oleum vetus, quod vsui esse possit, si in sua parochiali cura opus esset, dum illa recentia apportantur.

18 Vbi verò plures parochi, animarumve curatores, aut alij sunt, qui parochialis curæ portionem, vel officium habent, totidem vasa olei sacri infirmorum sint.

Instr. fab. libro. 2. De vasis sacrorum oleorum in Parochia. eccl.

19 *Vascula parochialis Ecclesiæ, ad vsum sacra olea seruandi, vbi præ inopia ex argento fieri non possunt, è stanno puro, & que nobiliori fient: tum perpolita, mundaque omninò sint.*

Tria autem parentur, forma rotunda, atque eiusmodi, quæ inter se nulla planè dissimilitudine sint: atque sic quidem aptè coagmentata, coniunctaue, vt trianguli figuram exhibeant.

Iis omnibus vasculis simul contegendis operculum vnum solidum adhibeatur, ita confectum, vt & paululum vasculorum contegendo vndique capiat, & cum illa aperiuntur, hoc non disiungatur, sed in vna parte fixum hæreat, totũque vasculorũ opus operiatur.

Id operculum, etsi totum solidum vnumque est, triplici tamen circulo distinctum, triplicique concauitate ab interiori parte constans, rursus ab exteriori paululum eminens, quæ concauitas vsui sit ad reponendum bombicem, quo sacrum oleum opertum est, cùm illud posteà ad ministerium adhibetur, & intrinsecus, & extrinsecus vnoquoque circulo litteras apertè expressas habeat: quibus vniuscuiusque sacri olei vasculum distinctè internoscatur.

In imo vasculo sacrũ oleũ Chrismatis asseruetur.

In altero oleum Cathecumenorum.

Operculum vasculi sacri Chrismatis insculpitur his litteris, C H R.

Alterum, quo vasculum olei Cathecumenorum, insculpitur C A T H.

In tertio vasi alterum vasculum, quod minusculum sit ex argento, aut stanno, aut è salice, inseratur operculo contectum.

In hoc ipso vasculo, sal asseruetur; vt cum sal renouari opus est, hoc exiguum vasculum inde tutò depromatur, periculum, euitetur sacri olei effundendi, aut permiscendi.

Cotyla prætereà, quam scatulam dicunt, è nuce, aliave materia solida opere tornatili cum operculo fiat, totumque corio contegatur, cuius operculum corio intectũ ornatu aliquo impresso, atque inaurato decoretur.

Tum scatula, & operculum à parte interiori aliquo ornamento serico albo vestiatur.

Quæ ita confecta sit, vt paulò depressior sit, quàm vasculi altitudo, quò facilius aperiatur, neque necesse sit inde depromi.

Sacculus è serico confectus sit albo colore: si quando vsu venerit, in locis montuosis, facultate ab Episcopo data, baptismum ministrari in alia ecclesia, quàm in parochiali, quæ remotior sit.

20 Sancti item Chrismatis, & sacri Cathecumenorum olei vascula, ne alibi, sed in Ecclesia religiosè asseruentur in ciborio, aliove eiusdem Ecclesiæ certo constituto loco, quem Episcopus comprobarit.

3. quæ ad sacramentalia, &c. Instr. fab. li. 2. De vascu. extre. vnct.

21 *Vasculum sacri olei extremæ vnctionis ex argento, aut stanno pretiosiori sit, idque à reliquis sacrorum oleorum vasculis separatum.*

Cui operculum in medio paulisper concauum affixum ita sit, vt cum vasculum aperietur, non disfungatur. Eius inscriptio hæc sit. E X T. V N C T.

Ad hoc vasculum asseruandum scatula item, vt suprà, adhibeatur.

Sacculus item sericus, coloris violacei, cuius forma sit eadem, quæ sacculo præscripto vasis Chrismatis, & sacri olei Cathecumenorum constituta est.

Fundum habeat, forma non quadrata, sed rotunda, instar paruulæ rosæ; chordulas item sic oblongas, vt parocho, animarumvè curatori vsui esse possint ad vasculum collo appendendum.

3. quæ ad sacrament. pert. &c

22 Sacrum prætereà oleum infirmorum in Ecclesia itidem custodiatur vase, ab aliorum sacrorum oleorum vasculis distincto, nisi quibus parochis Episcopus propter eorum domicilij à parochiali Ecclesia distantiam, illud domi tunc aliquando solum asseruari concesserit, cum in parochiæ finibus grauius ægrotantes habent, quibus vsu venire potest, vt quam celerrimè succurrendum sit illius Sacramenti administratione.

4 quę pert. ad ext. vnct.

Quibus parochis Concilio Prouinciali tertio permittitur, domi aliquando habere sanctum oleum infirmorum, ij fenestellam in ipsa domo loco decenti, ac tuto construant, panno serico circumuestiant, valuis, & claue claudant, vt, & in honore, & rectè custodiatur.

Inst. fab. li. 2. de vasculis sacror. oleorum in Pleb. Eccl.

23 *Vascula sacrorum oleorum vsui Plebanæ Ecclesiæ grandia sint, pro Ecclesiarum, quibus distribuenda sunt, numero.*

Quæ vascula argentea sint, aut saltem è stanno pretiosiori, litteris, vt infrà, inter se distincta: quibus singula sacra olea internoscantur.

Instar phialæ sint, operculoque duplici integantur, vno quod in os vasis inseratur, altero, quo vasis collum extrinsecus tegatur: quod vtrumque in gyrum obliquè torqueatur, vt ijs ita firmiter opertis oleum sacrum effundi nequeat.

Capsulam habeat, quæ seruandis portãdisque sacro oleorum vasculis vsui sit, cùm ad ea ab Ecclesia Cathedrali accipienda, stato Paschæ tẽpore mittetur.

Ea capsula è ligno sit, in tresque partes distincta, vt in singulis partibus vnumquodque sacri olei vasculum cum bombacio aptè collocetur.

Corio decenti, vndique pro integumento muniatur; ornatuque serico rubro intrinsecus circumuestiatur,

Operculum habeat eiusmodi, quod extrinsecus planum non sit, sed forma paulò eminentiori.

Claue, & sera ita claudatur; vt cùm ad accipienda sacra olea portatur, aperta tradita, possit à Cathedralis Ecclesiæ ministro, postquam is olea tradiderit, claudi digito paululum, à superiori eius parte presso: nec aperiri subinde alia claue queat, quàm illa ipsa, quæ apud præpositum asseruatur.

4. quæ ad sacramentalia. &c.

24 Parochus, vbi primum olea sacra noua acceperit, vetera statim comburat in lampade, quę ante sanctissimum Sacramentum collucet, bombice in sacrario planè exusto. Vascula autem vbi anno proximo asseruata sunt, diligenter, politéque abstersa, accuratè in Sacristia conseruet, vt anno sequenti vsui sint, quibus afferantur itidem olea sacra.

Ibidem.

25.26 Sacro oleo deficiente, si tempus non patitur, vt id aliundè haberi possit; illa ratio ineatur, Canone præscripta, vt cum oleo consecrato, misceatur non consecratum: id verò non consecratum, guttatim ita infundatur, vt semper, quod infunditur, minus sit oleo consecrato, quod vel exiguum in vase reliquum est.

2. tit. 1. dec. 9.

27 Cui in Ecclesia Cathedrali id muneris datum est, vt oleum, aut Chrisma sacrum Plebanis, alijsue distribuat, is in librum, eo nomine confectum, illarum Ecclesiarum nomina referat, quibus dederit.

28 Pari ratione Præpositi, Plebanive libro notent eas Ecclesias parochiales, quibus singulis annis sacra olea distribuerit.

29 Ij verò omnes ne illa alijs deferenda dent, nisi ijs, qui sacris ordinibus initiati sunt.

3. quæ ad sacramentalia, &c.

30 Ad sacri Chrismatis oleum accipiendum, quotannis ante Pascha mittantur, qui accipiant, vt veteri Canone decretum est.

1. quę pert. ad bapt. administ.

Cum oleum Chrismatis consecratur, omninò intersint, & qui dignitates, seu personatus obtinent, & Canonici, ac reliqui Cathedralis Ecclesiæ clerici: & quos ex alijs ecclesijs suæ Ciuitatis, & diœcesis Episcopus vocandos censuerit.

6. de sacramentalibus

31 Monachi, Regularesve cuiusuis ordinis, etiam exempti, non aliunde, sed ab Ecclesia Cathedrali intra cuius diœcesis fines habitant, olea sacra sumant. Si secùs fecerint, arbitrio Episcopi, in cuius diœcesi manent, puniantur.

1 quę pert. ad bapt. adm.

32 Moneant parochi puerperas, vt cum primùm post partum domo exierint, mox ad Ecclesiam, Deo acturæ gratias, accedant, vbi benedictionem à parocho suscipiant.

3. quæ ad sacramentalia pert. &c.

33 Ad preces, quæ suprà puerperam funduntur, cum post prolem emissam, illa actura gratias, ad Ecclesiam se confert, parochus puerperæ domum ne ingrediatur, etiam si mulier ob aduersam valetudinem Ecclesiam adire nequeat.

Ibidem.

Fœminis prætereà, post puerperium ad Ecclesiam venientibus, panis benedictus, sub hostiæ forma ne præbeatur.

4. quæ pert. ad Sacram. bapt.

34 Graue, atque immane facinus est, infantes per imprudentiam suffocari, qui eos, ne annum quidem natos, in cubili, nulla cautione collocant. Qui quoniam neque alia ratione, neque rei grauitate, qua Deus in primis offenditur, necverò immanitate nefaria in officio contineri hactenus potuerunt, nos tale facinus pœnis coerceri censuimus. Itaque quæcumque mulier, infantem, anno ætatis non expleto, secum in lecto iacentem, non ea cautione tenuerit, quam ab Episcopo præscriptam, parochus vnusquisque ei sigillatim demonstrauit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat: cuius vinculo irretita, non absoluatur, nisi graui, atque insigni imposita pœnitentia, quæ cæteris exemplo sit.

6. de Bapt.

35 Grauissimo suffocationis infantium, qui nondum ætatis suæ annum expleuerunt periculo, vt occurreretur, pœna excommunicationis, quam mulier in eo genere delinquens, ipso facto subiret, in Concilio Prouinciali Quarto sancita. Verùm, cùm aliquando causæ, & difficultates incidant, ob quas nõ omninò præstari potest, quod salutariter cautũ est: ideo hoc Prouinciali Decreto eã cautionẽ adhibere nobis visum est, vt pro conscientiæ suæ religione, Episcopus in grauioribus causis dispensare, dispensandique aut habilitandi facultatẽ eo in genere Vicarijs foraneis delegare possit, alijsque item.

ecclesiasticis hominibus prudentia, & rerum vsu præditis.

36 Quod si quis, quicumque sit, etiam præter nutricem, & matrem non adhibita illa cautione, neque dispensatione impetrata, infantem, contra præscrip. ũ, in lecto tenuerit, aut matrẽ nutricemue id facere coegerit, aut impedierit, aut quo minus eo decreto præscripta cautio adhiberetur, is, eadẽ pœna irretitus sit, quæ illo Decreto, mulieri in eo genere delinquẽti cõstituta est.

5. quę pert. ad Sacr. Bapt. 37 Parochus verò tùm sæpè populum moneat, ne huiusmodi infantes secum in lecto vnquam teneant, tum etiam euulget decretum istud, pœnamque in decreto sancitam.

3. quæ ad sacramentalia, &c. 38 Singulis diebus Dominicis Sacerdos, Missæ parochialis sacrum facturus, antequam illud inchoet, aquam sale aspersam benedicendo renouet, eamque vt moris est, aspergat.

6. de sacramentalibus 39 Aquæ benedictæ, qua vel sabbatho Sancto, vel in Vigilia sacri diei Natalis Domini, vel alio tempore pro locorum consuetudine ædes parochialium hominum aspergi solent, aspersio, cùm plena mysteriorum est, tum propria Parochorum. Quamobrem stato tempore ne alius Sacerdos, quàm proprius Parochus illas aspergat, aliusve ab eo constitutus, neve item sabbatho Sancto ante ille aspergat, quàm benedictio solennis fontium celebrata sit. Aspergendo autem, precibus ritè vtatur Parochus ad præscriptum libri Ritualis. Illud autem in hoc aspersionis munere caueat omninò, vt ne signo quidem aliquo, ac nutu, nedum verbis eo sanctæ aspersionis nomine quicquam petat, exigat ve.

3. quæ ad sacramentalia pert. 40 Sanctissimi Domini nostri Gregorij XIII. Pontificis constitutio, qua excommunicationis pœna proposita, ipso facto incurrenda, interdictum est, ne innocentissimi Agni imagine figuratæ ceræ illæ formæ, & per Romanos Pontifices statis temporibus consecratę, minio, auro, aut vllo colore inficiantur, neque venales proponantur, promulgetur in Ecclesia eo anno, quo illas consecrari moris est in Pascha, & quoties item Episcopus esse censuerit.

5. quæ ad sacrament. &c. pert. 41 Sanctissimi item veterisque instituti est, à summo Pontifice formas illas cereas, quas Agnos Dei, à figura impressa vocamus, solenni benedictionis ritu, multisque religiosis cæremonijs, non solùm primo, sed septimo quoque Pontificatus anno consecrari. In quo consecrationis munere, sicut ille Christi Vicarius, cuius oratio tanto maioris est momenti, quanto eius officium in Ecclesia sublimius, & cum eodem Christo Domino coniunctius, multa sanctè precatur à Deo illis concedi, qui animo pio, deuotoque eos agnos apud se habuerint: ita à fidelibus magna deuotione ijdem gestandi sunt, ad eosque vsus religiosè adhibendi, ad quos sacræ preces ex Ecclesiæ instituto referuntur. Quare decreto Concilij Prouincialis tertij, quod ex Constitutione sanctissimi Pontificis Gregorij XIII. de illis minio non inficiendis cautum est, hæc etiam adiungenda censuimus.

Primò, cum illi domi asseruantur, vt piæ consuetudinis est, loculo decenti recondantur: cum autem collo appensi gestantur, in thecam auream, argenteam, eburneam, christallinamve, aut alterius generis decentis rectè inclusi sint, ita vt tactu violari non possint.

42 Neque ad ornatum habeat quicquam, quod profanum sit, quodque minimè deceat.

43 Thecarum fabri ne vllo modo eos tangant, attrectentque, ne chyrothecis quidem, forcipe, aut vllo alio instrumẽto; sed ad eos thecis includẽdos, clericus, in sacris cõstitutus, adhibeatur.

Ne minimam item particulam sacræ illius ceræ, è qua agni imago est, in eis includant, quò pluris opus suum vendant; sed ab eo accipiant, qui thecam agni causa faciendam locarint.

44 Neque autem quisquã sacrum illũ agnũ annulo gestet: cũ ita parũ religiosè gestetur, vt aliquã fœditate, turpi ve tactu violari facilè queat.

Qui sacros agnos gestant, hoc religiosius caueant, ne quid impurè, turpiteruè agant, aut à sacra eiusmodi re alienum.

45. 46. Nec præterea in agri campum hi agni proijciãtur, nec verò cuiquã arbori affigantur, neque è ramis suspendantur; sed, quod antiqui est instituti, eorum cera adoleatur, ad suffumigationem in agris, vineisque ob imminentem tempestatẽ, aliã ve diabolicas illusiones depellẽdas.

47 Quod pietatis, & Dei honoris causa ab sancta Matre Ecclesia institutum est, vt festo die Purificationis B. Mariæ Virginis candelæ, & palmæ, aut oliuę, prout locorum consuetudo est, Dominico die, qui de palmis dicitur, in Ecclesia solenni ritu benedicantur: eæque candelæ accensæ statis illo tempore processionibus circumferantur, non sine sanctissima mysteriorum significatione, id, vt instituti ratio postulat, ita religiosè celebrari debet. Quamobrem edicimus, ne alio loco, nisi in Ecclesia, neque dum manibus laicorum tenentur, sed constituto loco positæ, solennibus ceremonijs benedicantur, & singulæ singulis distributæ, tum palmæ, tum candelæ accensæ manibus per eos, qui acceperint, gestentur, ex Ecclesiæ instituto, dum statis illis diebus processiones, & sacræ aliæ actiones habentur. 3. quæ ad sacrament. &c. pert.

Vtque prætereà introducto ei vsui occurratur, quod multis locis in hac prouincia fit, vt illæ, vel cãdelæ, vel palmæ, oliuæq; sacro eo ritu benedictæ non in Ecclesia à quibusdam sumantur; sed ad eos domum deferantur: & quod grauius est, à laicis quibusdam quasi tributum quoddam sibi à parochis, vel ab alijs quibusuis debitum, illæ exigantur, decernimus, vt saluo, si quod patronus aliquis beneficij habet, illas exigendi iure, ijs solum, qui in Ecclesia interfuerint; & illis item tantum tradi liceat, qui ijs ipsis diebus ad illam Ecclesiam conuenire solent; 48 sed non potuerunt, vel quia ægroti, vel alia legitima causa impediti.

49 Die sacro Purificationis beatissimæ Mariæ Virginis, vsus, ritusque benedictionis candelarum, cereorumve, cum plenus mysteriorum est, 5. quæ ad sacrament. tum salutarium vtilitatum: quas non solum ex orationibus, quibus Ecclesia in ea benedictione vtitur, sed ex omni Rituali libro probato, parochus, concionatorve, eo ipso die fidelibus studiosè exponat, quò religiosius illas, & gestent, & 50 habeant.

Nam cum illius benedictionis precatio ad alia multa referatur, tum ad hæc in primis.

51 Vt candelæ valeant ad sanitatem animæ, & corporis, terra, marique.

52 Vt de locis, vbi accendentur, dęmon, & quię

quid dæmonis ars molitur, machinaturve, depellatur.

53 Vt mentes, & corda fidelium, igne, & splendore sancti Spiritus accendantur, illustrenturque, ac depulsis vitiorum tenebris, videant, quæ sint Deo grata, & saluti vtilia.

Hæc omnia à Christo Domino, qui est Deus verus, & splendor lucis æternæ, sibi concedi precentur intercessione, & sanctissimis meritis beatæ Mariæ Virginis, quicũque fideles in illius honorem candelas, quibus benedictionis preces eo die adhibitæ sunt, deuotè gestant.

5. Ibidem.

54 Sacrorum cinerum vsus in Ecclesia Dei antiquissimus est, ac nonsolũ ad significandam, sed ad excitandam etiam pœnitentiam introductus.

55 Quare Episcopus, parochus, & concionator die Dominico qui feriam aspersionis Cinerum proximè præcedit, populum salutares eas vtilitates doceat, quas in eorum benedictione multis orationibus Ecclesia petit. Atque hæ quidem, præter cæteras, sunt.

Vt fideles, qui sacro cinere asperguntur, ad intimam cordis humilitatem adiuuentur.

Vt in eos benedictio cœlestis descendat, qua adiuti, verè, intiméque toto animo peccata doleant; hoc mente secum reputantes, ob hominis peccatum terram maledictam fuisse, nosque omnes in cinerem, ac terram redituros.

Vt detur corporis valetudo ad pœnitentiam peccatorum peragendam.

Vt anima diuino auxilio protegatur.

Vt à Deo impetremus, quæ ad illius voluntatem petimus.

Vt constanti animo in bene agendo perseueremus.

56 Hæc bona, quæ mater Ecclesia pro sacrorum Cinerum ritu à diuina benignitate precatur, vt piè fideles consequantur, parochus illos eo ipso die moneat, quàm religiosa intimi animi pietate, quàm humili, contritóque corde, quàm simplici, demissóque vestitu ad eã actionem conueniant, quamque seriò secum statuant, illos ieiunij dies in amaritudine animæ suę traducere ad peccatorum satisfactionem.

57 Hoc aspersionis Cinerum ministerium Episcopus studeat potissimũ in Cathedrali, propriave parochiali Ecclesia ab vnoquoque suscipi.

58 Sanctissimi præthereà, & antiquissimi instituti in Ecclesia Dei est, die Dominico, Pascha Resurrectionis Domini proximè antecedente, ramos palmarũ, & oliuarũ, solennibus precibus benedici, ac fidelibus tradi qui gestẽt, domique religiosè, atque decenter asseruent. Et sicut ritus is, & insignẽ illum Iesu Christi Dñi ingressum ad Vrbẽ Hierosolymam, & triumphum illum commemorabilem significat, quem passione, & morte sua superatis hostibus, idem Dominus resurgens reportauit; ita alijs etiam mysterijs plenus, à parocho, & à concionatore explicetur, quò ardentius ad religionem illius fideles accensi, spirituales fructus capiant, quos à Deo eis Ecclesia precatur: suntque hi præsertim.

59 Vt accipiant mentis, corporisque vim ad salutis opem, Deique gratiam implorandam.

Vt quemadmodum rami folijs virent, ita opera nostra, & iustitia, & omni virtute sancta quàm florentissima sint.

Vt sicut populus Hebræus, Christo ramis obuiam factus, vnà cum eo Hierosolymã ingressus est, ita nos sanctissimis officiis, atque piis operibus Domino obuiàm procedamus, illiusque vestigia secuti, in cœlestem patriam eo auctore, & duce recipiamur.

Vt veluti Christus Dominus de Sathana hoste Cruce sua triũphauit, sic nos quàm sæpissimè id misericordię opus animo ita repetamus, vt Christi amore incendamur ad pugnam, & ad victoriã de dæmone, carne, & mundo reportandam.

Vt quocumque hi rami introducentur, eius loci incolæ benedictionem Dei consequantur, omnique re aduersa propulsata, virtute Altissimi defendantur.

60 Has, & alias salutares vtilitates parochus, & cõcionator fidelibus exponat: vt, qua debẽt pietate, religiosóque animo sacros ramos capiendo, gestando, & asseruando, ita Dominum precentur, vt & per passionem, mortémque suam, qua dæmonem fregit, ac superauit, & per misericordiam illam immensam, qua id egit, non solum corpora à malis tueatur, sed animæ gratiam suam cælestem infundat: sicque ipsi multis virtutibus, bonisque operibus florẽtes, Christũ Dñm sequantur: hostibusque omnibus superatis, ad gaudia cælestis Hierosolymæ introducantur.

61 Bini omnes ad candelas, & rursus ad cineres capiendas accedãt, ad palmas etiam, ramosque oliuarum suscipiendos, sine strepitu, ac tumultu, sed religioso silentio.

Qui extra ordinem accesserint, à ministris eijciantur, neque digni sint, qui sacrorum ramorum tũc participes sint, nisi aliud Episcopus cẽsuerit.

62 Antiquus ille benedictionis ædium, quæ vel recenter ædificatæ sunt, vel immundis spiritibus, aliave ratione vexantur, Ritus, vbi in vsu esse desijt, Episcopi cura restituatur. 4. de Eccle. & altar. sec. &c.

In illa porrò benedictione parochus ritum, preces, psalmos, orationes, in libro Sacerdotali, Ritualive præscriptas, adhibeat.

63 Veterem illum ædibus, atque ædificijs benedicendi morem, ritumque sanctæ Ecclesiæ instituto introductum, ac decreto prouinciali, quod in Concilio quarto confecimus, restitutum, vt parochi, & reliqui animarum curatores, ad quos religiosæ illius benedictionis munus pertinet, piè, sanctéque obseruent: & laici, quorum ædificijs domiciliisque benedicendum est, spiritualia inde commoda vberrima in Domino capiant, hæc in illis benedicendis ratio sit. 5. quæ ad sacramentalia, &c.

64 Primò parochus huius benedictionis munus aggrediatur pro voluntatis proposito, & quo debet, religionis officio.

Pridie autem illius diei, quo benedicendi munus aggreditur, præcipuo sanctæ precationis studio, & aliquando ieiunio se parare curet.

Quo item die ad benedicendum aggreditur, anteaquàm aggrediatur, Missæ sacrificium celebrare studeat: in quo ob hanc causam orationem de spiritu Sancto piè recitet.

65 Ne ædibus benedicat, vbi aliquis excommunicatus habitet

Nec verò illis, quas fœneratores, meretrices, publici peccatores, manifestoque criminosi homines incolunt.

Neque ijs item, si quæ aleis, ludisque vetitis publicè expositæ sunt.

66 Ne noctu, sed interdiu benedictionẽ peragat.

67 Ritu vtatur ad præscriptum formulæ, quæ in libro Sacerdotali Ritualive concepta, extat.

68 Dum ad benedictionis munus accedit, in eoque versatur, superpelliceo, & stola vtatur.

69 Clericus adsit, qui crucem in via, & in benedictionis ministerio præferat.

Alter idem, qui aquæ benedictæ vasculum cum aspergillo ferat.

Cæteri Sacerdotes, & clerici, si qui alij adsunt, ordine distincti, bini præcedant, & suo quique superpelliceo de more induti.

70 Benedictionis huius causa, occasioneve nihil planè quicquam vel minimum, neque is, neque sacerdotes, clericive, quos sibi socios, adiutoresue adiunxerit, petant, exigāt, ac ne spōtè quidē vltróque oblatū, donove datū capiāt.

71 In hoc benedictionis officio, ne omittat ex Instructionū præscripto, Conciliique Prouincialis decreto, patresfamiliās docere rectéque erudire ad optimam familiæ educationem. Cuius etiam rei argumentum satis amplum habebit, ex statis illis religiosis precibus, & orationibus, quæ adhibentur.

72 Paterfamiliās autem, cuius ædibus domiciliisve benedicetur, piè se præparabit ad eam sancto desiderio suscipiendam.

Ideò ante familiam suam rectè recognoscet, monebitque vniuersos, & singulos, ad præscriptum regularum, quæ de Christianæ familiæ institutione editæ sunt.

Amoueri curabit quæcunque domi suæ sunt, Christianæ familiæ instituto aduersa, quæque Dei oculos offendunt.

Libros de rebus obscœnis, turpibus, impudicis, inanibus, ac de cantionibus inhonestis, cæterisque id generis, inflammari curabit.

Libros de vitæ religiosæ, spiritalisque institutis, atque exercitationibus introducet.

Imagines obscœnas, & turpes incendat: profanas verò, quæque ad inanem voluptatem alliciunt, amouere studeat.

Sacras Christi Domini, beatissimæ Virginis Mariæ matris, & Sanctorum præsertim Imagines, quos patronos habet, vbique domi suæ, locis honestis statuat.

Tesseras, aleas, aleatoriasue tabellas; pictasque ad aleę ludū pagellas, procul abiicere curet.

Sacram Communionem in parochiali ecclesia simul eo die, vt sumant omnes de familia sua, procuret.

Sacerdoti, ad benedictionis munus accedenti, obuiàm, vel ad ecclesiam, vel ad primariam ædium ianuam simul cum tota familia procedat, eiusdēque benedictionem omni domus loco prosequatur religioso pietatis studio.

Dùm Sacerdos benedicit, nemo domi, vel in officina, cui benedicitur, quicquam seruilis, mundaniue operis faciat.

73 Ne minoris ordinis clericus, alio, qui maiori ordine initiatus est, præsente, mēsę benedicat: sed hoc munus sit, vel Sacerdotis, vel illius, qui maioris ordinis clericus præsens in mensa adest.

1. ti. 1. dec. 10. 74 Quæ vestes, & ornamenta cuiusuis generis, ad vsū sacrum comparata, Ecclesiæ instituto benedici debent, ea in Missæ sacrificio, ceterisque diuinis officiis ne prius adhibeantur, quàm solennibus precibus ab Episcopo, vel ab alio, qui auctoritatem habeat, benedicta sint.

75 Ne quis Episcopo inferior, vestes, indumēta vasaue ad Missæ sacrificiū, diuinorūque officiorum cultum, aut ad altaris ornatum parata, sinè sedis Apostolicæ facultate, benedicat; nisi alicui de iure talia benedicendi facultas competeret. Quæ autem ab Episcopo, alioue auctoritatem habente benedicta non sunt, (vt alio Concilio cautum est,) stata solenni prece benedicantur. 6. de Sacramentalib.

76 Libri sacri, Veteris & Noui testamenti, volumina itē Sanctorū Patrum, nostræ fidei interpretum; tùm scripta etiam ecclesiastica, quibus & res, & verba diuina consignata sunt, etsi temporis vetustate omninò cōsumpta, ad rerū tamē vilium, ac sordidarum vsum, ne vllo pacto conuertantur, sed in ignem potius conciantur. 1. tit. 1. decre. 11.

77 Sacra prece, ex formula libri Pontificalis, tābernaculum etiam ligneum, in quo sanctissima Eucharistia recondatur, ante benedicatur, quàm ad illius recondendæ vsum adhibeatur. 6. Altaris pallam, de cōsec. dist. 1. 9. de Sacramentalib.

Quę alia ad hunc titulum pertinere aliqua ratione possent, videātur in titul s propriis de Sacramētis.

Quæ pertinent ad Sacramentum Baptismi.

SVMMARIVM.

1 *Baptismus domi prohibetur: quoque tempore ministrari vetatur.* 18.

2 *Quo casu permittitur: & à quo eo in casu administrari potest.*

3 *Eius forma, & à quo tradenda, & vbi & qualiter.*

4 *Domi baptizatorum baptismus notandus.* 17.

Ante nonum diem infans baptizandus; aliàs excommunicatio, & à quibus incurritur. 1.

5 *Baptizatus rectè domi, in Ecclesia intra nonem dies sistendus.*

6 *Baptizaturus Sacerdos, quid consideret.*

7 *Infantes suæ parochiæ tantum baptizet, extra necessitatem.*

8 *In Ecclesia Cathedrali tantū quo tēpore baptizādu.*

9 *Nomina eorum, qui in Cathedrali baptizantur, vbi notanda.*

10 *Infante ab obstetrice baptizato, de formula adhibita inquirendum.*

11 *Obstetrices, in diœcesi à Vicario foraneo probandæ; in Ciuitate verò à quo.*

12 *Eæ cùm baptizāt, duas mulieres testes adhibeāt.*

13 *Infans, quo vestitu ad baptismum deferendus.*

14 *Quales compatres eligendi: eaque in re parochi officium. Quique non admittendi.*

15 *Compatrum ipsorum quæ partes. Et suprà, num. 13. Et de Sacramental. num 13.*

16 *Baptizatū infantē in altare collocandi, vt muneribus compatrum redimatur, consuetudo tollenda. Compatres nihil infantibus, aut parentibus largiantur.*

17 *Compatres in Ecclesia adhibiti in librū referēdu*

18 *Baptismi cæremoniæ à quo non adhibendæ.*

19 *Qua stola, quo ritu, quo vase ad infundendam aquam, quo Chrismate vtendum.*

20 *Chrisma, linteolaque Chrismate inuncta à laicis non attingenda.* 21.

22 *Iudæi, infidelesque alij præsentes esse, non permittendi.*

23 *Fideles, vt religiosè intersint, à parocho monēdu*

24 *Nomina baptizandis, quæ imponenda.*

25 *Baptismi suscepti dies piè celebrandus.*

26 *Infans expositus, vt baptizetur.*

27 *Pluribus infantibus oblatis, qui ordo seruandus. Mas prior fœmina baptizandus.*
28 *Adultis baptizandis diligẽs cautio adhibenda.*
29 *Iudæis, Turcis, Mauris, aliisque infidelibus baptizandis quæ item adhibenda cautio. Baptizatus Iudæus cuius curæ tradendus: quaque consuetudine is non vtatur. De Iudæis. 29. 30.*
30 *Liber baptizatorum à parocho habendus, in quem compatrum etiam nomina referenda.*
31 *Benedictio puerorum, cùm primum ad Ecclesiam introducuntur.*

Primum quæ pert. ad Bapt. admin.

NEmini liceat quemquam intra domesticos parietes baptizare, sed natum infantem ij, quorum ea est cura, ante nonum diem ad suscipiendum baptismum in ecclesiam deferendum curent. Quod si neglexerint, excommunicationis pœnam subeant.

2 Permissa est tamen, si instet periculum, facultas baptizandi in priuatis ædibus Sacerdoti, vel si is absit, alteri sacris initiato, vel si non adfuerit, laicis, primo mari, aut demum fœminæ, qui rectè nouerint veram baptismi formam;

3 Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti.

Quibus verbis nihil prorsus ab ipsis addendum, vel detrahendum esse, crebrò populum suum parochus admoneat.

4. quæ perti. ad Sacrament. Bap.

Baptizandi formulam ipse non solum, vt primo Concilio Prouinciali iussum est, populo generatim; sed etiam priuatim, ac præcipuè obstetricibus in ecclesia tamen, planè ostendat, ac tradat; quam etiam an illæ rectè teneant, aliquando eodem loco accuratè videat, ac diligenter quærat.

Ibidem.

4 Infantis, qui domi ob necessitatem baptizatus est, baptismus in libro baptizatorum à parocho de more referatur; notato patrini nomine, & qui domi ante baptismum, & qui in ecclesia ad catechismum, exorcismumue adhibitus est. *Vide etiam infrà num. 17.*

Primum, vt sup.

5 Quod si domi baptizatus posteà vixerit, omninò intra nonum ab ortu diem, vel cum primùm per valetudinem licuerit, eum in ecclesia sistant, vbi si rectam baptismi formam seruatam esse constiterit, ei tantùm ritus, ac cæremoniæ baptismi adhibeantur.

6 Sacerdos baptizaturus, primùm, quam actionem suscepturus sit, diligenter ipse animaduertat; & ad tanti muneris functionem sanctè grauiterque accedat.

4. quæ pert. ad Sacr. ba.

7 Videat parochus, vbi primùm infans baptismi causa ad se delatus est, an suæ parochiæ sit: quem si alienæ esse norit, eum nisi instante necessitate, ne baptizet: sed ad parochum proprium, à quo baptizetur, deferri iubeat.

8 Si qui infantes intrà alicuius vrbanæ parochialis ecclesiæ fines à Sabbato Sancto, vsque ad Sabbatũ in Albis: & à Sabbato item vigiliæ Pentecostes, vsque ad Sabbatum proximum nati, baptizandi sunt, ad Cathedralem Ecclesiam qui pro obseruantiæ officio, proque veteris instituti vsu, statis illis hebdomadis hoc tribui debet, deferantur; si modo cuiquàm, ob mortis periculum in Parochiali Ecclesia, quæ propius abest, baptismum statim ministrare necesse sit.

9 Baptizatorum verò eiusmodi & cetera id generis præscripta, in libro, tum Cathedralis, tum propriè Parochialis Ecclesiæ, vt Tridentino, & Prouinciali primo Concilio iussum est, notetur.

10 Parochus verò cum perquirit ex decreto Prouinciali, an infans baptizatus sit, diligenter obstetricem, & testes etiam de verbis prolatis interroget; vt sibi constet, an baptismi forma rectè adhibita sit, an verò secus, quamobrem oporteat infantem à se baptizari.

Sess. 24. c. de reform. Primum Prou. vt infrà

11 Obstetrices, tribus, post huius decreti promulgationem, mensibus: pœna arbitratu Episcopi proposita, officium ne prestent; nisi per Vicarium Foraneum, si in diœcesi sunt, si verò in Vrbe, per eum, cui Episcopus id curæ dederit, scripto probatæ sint idoneæ ad Sacramentum Baptismi, cum necesse erit ministrandum.

5. quæ ad baptis. pert.

12 Quæ autem probata est, cùm baptizabit, curet, quo ad eius fieri potest, vt duæ saltem mulieres, ac mater præsertim, si potest, testes præsentes adsint, quæ in baptizando verba ab ea prolata audiant.

13 Quoniam in baptismo vnusquisque piè, ac religiosè pollicetur operibus Sathanę renunciare, eiusque pompas deserere, id parochus, cùm vsu venerit, populum doceat, præsertimque baptismi tempore præmoneat, non solum quomodo, & quàm simplici amictu ad illum infans deferẽdus sit; sed quam religiosa in Deum pietate, quàm humili spiritu, & quãta etiã vestitus moderatione cõpatres commatresue adesse debeant.

Nec verò vllũ, vel ornamentũ, vel aliud quicquã, quod mũdi huius pompã præ se ferat, adhiberi patiatur: cùm minimè consentaneum sit, in ipso vitæ Christianæ ingressu statim iis rebus studeri, quibus potissimum solenni sponsione renunciatur.

14 Fideles in baptizandis filiis eos potius eligant compatres, qui eorum animæ consulere, quàm qui inopiæ subuenire possint.

Primum, vbi supra.

Cuius officij sæpius eos parochus admonebit, curabitque; vt compatres tales deligantur, qui fidei, & morum ratione, suscipiendo muneri satisfacere possint.

Cùm id nostra superiori Prouinciali Synodo de cõpatribus præscriptũ sit, vt illi tales deligãtur, qui suscepti muneris partes explere possint, id autem ipsi præstare non queant, si nè rudimenta quidẽ fidei norint: idcircò ea cura sit parochis, vt quos cõpatres ita imperitos nouerint, vt Symbolum fidei, siue ea, quæ in symbolo continentur, ignorẽt, illos eo officio suscipiendi de baptismo infantes, fungi ne patiantur.

2. tit. 1. decre. 10.

De conse. distinc. 4. c. Vos ante. 4. quę pert. ad Sacr. ba.

Parochus, ante quã baptizet, accuratè in primis videat, an qui adhibendi sunt in baptismo cõpatres, tales sint, quales eos esse debere Conciliis Prouincialibus nostris præscriptũ est: ac si quos aliundè certò non sit, orationem Dominicam saltem, Salutationem Angelicam, & fidei Symbolum tenere, eos experiendo cognoscat. Quam ob causam ea doctrinæ Christianæ rudimenta sibi ab illis ante recitari mandet.

Caueãt parochi, ne excõmunicatos, vel eosqui eo anno Paschæ tempore, ex præcepto ecclesię peccata confessi non fuerint, & & sanctissimam Eucharistiam non sumpserint, admittant ad leuandum baptizatum de sacro fonte.

1. quæ pert. ad baptis. administ.

In baptismo etiam compater ne sit, qui in sacro chrismate confirmatus non est; Eademque de commatre cautio sit. Proinde parochi erit,

studiosè de hoc ante perquirere.

5. quæ ad baptis. pert. Ne præterea cōpater adhibeatur, neque in Confirmationis Sacramento item, qui minor natu sit quatuordecim annis, sed qui maior, vel potius ætate sit prouectiori, vt non re solùm, sed animo, atque seriò ad interrogata, quæ in baptismo fiunt, respondeat, ac planè intelligat suscepti à se muneris partes.

Primum, vt suprà. Deinde cōpatres moneat, vt iocis omnibus, nugisque semotis, piè, ac religiosè, quid agatur, attendant, intelligētes Christo filios spiritualiter generari, tenerique se pro suo susceptionis officio, eos Catholica fide, & probatis moribus instituere, si parentes id facere omiserint.

16 Detestabilē consuetudinem baptizatos infātes in altare collocādi, vt muneribus cōpatrū inde redimantur, Episcopi seuerius vindicabūt.

Compatres, & commatres nihil infantibus, quos susceperunt, aut eorum parentibus baptismi tempore largiantur.

6. de Bapt. 17 Eorum qui domi, aut in Ecclesia tanquam cōpatres ad baptismū adhibiti sunt nomina, in librum baptizatorum Parochus notet: ne impedimentū matrimonij contrahendi ignoretur.

5. quæ ad Bapt. pert. 18 Nemo, nisi parochus, aut is, cui ille, Episcopusue nominatim concesserit, in baptismo ministrādo solennes cæremonias adhibeat, etiam si ob necessitatem ministret.

Ne ante ortum, nec verò post occasum Solis baptismus in ecclesia ministretur, nisi aliter fieri aliquādo tēporis ratio, necessitasue cogat.

5. vt sup. §. nemo, ver. eodem. 19 Quo in ministerio non alterius cuiusquam, sed albi coloris stola vtatur.

4. quæ pert. ad Sacr. Ba. Baptizandi ritus accuratè seruetur: nec verò vllo modo confundatur; ita scilicet, vt pro Ecclesiæ vsu, per Episcopū probato, vel aquæ infusione, vel immersione baptism⁹ ministretur.

5. quæ ad Bapti. pert. Ad aquam baptismalem infundendam, ne manus, sed vas, quod ob eam causam paratum, in fonte baptismali, eiusue ciborio asseruari debet, adhibeatur.

Ad aquam baptismalem, quæ capiti illius infunditur, qui baptizatur, eamue excipiendā, qua Sacerdotis manus, sacro oleo illitæ, abluuntur, peluis ne adhibeatur, quæ Ecclesiæ tantum vsui addicta non sit.

4. Ibidem. ca. si quis, de consec. dist. 4. Parochus, Sacerdosue baptizans, caueat ne ad infantem baptizandum alio Chrismate vtatur, quam eo, quod illo ipso anno consecratum est, vt veteri Canone cautum est.

1. quæ pert. ad bapt. ad. ministr. 20 Caueant parochi, ne sacrum Chrisma in baptismo à laicis attingatur.

21 Neue linteola, quibus in baptizatis sacri Chrismatis vnctio extergitur, ad hoc asseruēt, vt iis tangenda tradant, quos parentes baptizati sibi compatres, vel cōmatres fieri cupiunt.

5. quæ ad baptis. pert. 22 In baptismo, parochus, sacerdosue baptizans præsentem adesse non patiatur, neque Iudæum neque denique alium quenquam à fide Christiana auersum.

23 Fideles verò, qui præsentes adsunt piè, religiosè, omnique animi attentione adesse sæpè moneat, memoria tacitè, studioséque repetentes, quæ Deo, cum baptismum ipsi susceperunt, sanctè spoponderunt.

5. quæ pert. ad Sac. Ba. 24 Curet idem, vt infantibus proprio nomine in baptismo appellandis, ea nomina non imponantur, quæ turpia, aut ridicula sunt, quæue gentilium, atque ideò impiorum, & impurorum hominum memoriam referant, sed illorum, qui ob veræ pietatis, ac sanctæ religionis, virtutisque Christianæ laudem Sanctorum numero adscripti sunt, vt & in ipso vitæ ingressu cum Ethnicis ne nomen quidem commune, fideles habere velle protestentur, & ipsi infantes etiam, cum ætate processerint, nominum similitudine ad eorum, à quibus accepta sunt, imitationem excitentur; & præterea, quos imitari studeant, eosdem quoque frequentius precentur, ac sperent eos potissimum sibi ad salutem, tum animi, tum corporis aduocatos fore.

25 Religiosi instituti olim fuit, diem Baptismi quotannis à fidelibus piè celebrari, id quod S. Gregorius Nazianzenus aliquando ostendit. Quæ sanè institutio, cùm ad pietatis Christianæ cultum, piamque morum disciplinam non parum adiumenti, in primis adiutrice Dei gratia afferre possit: eam in vsum reuocari vehementer in Domino cupimus. 6. de Bapt.

Itaque Parochus, & Confessarius, prout occasio tulerit, cohortationis officio in id incumbant, vt fidelium, quorum curā gerunt vnusquisque quo die baptizatus est, quotannis ardentiori prece, eleemosyna, si per facultates potest, omnique charitatis opere atque officio, spiritalisque gaudij celebritate, recolat; memor se chyrographo damnationis deleto, hæreditatis cœlestis participem in Christo Domino factum esse.

Qua in cogitatione, cùm semper aliàs, ferèque in singulos dies, vt beatus Chrysostomus monet, tum eo potissimum die sanctè sese excitet ad præclaram illam sponsionem, & Christianam professionem, quam in sacro lauacro per sponsores solenniter edidit; Repete, inquit, Sanctissimus pater noster Ambrosius, quid interrogatus sis, recognosce, quid responderis. Renunciasti Diabolo, & operibus eius; Mundo, & luxuriæ eius, ac voluptatibus: Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Parentum cura sit, diem ob eam causam notare, quo eorum filius Christo renatus est; Ideóque parochus cum baptizauerit, moneat etiam, vt id ab illis fiat, præter scriptionem quam ipse eodem genere in Codicem statim parochialem referre debet. Baptismi verò dies, qui solenni illa abrenunciationis sponsione, professionéque insignis est, ad omnem pietatis exercitationem, vsúmque, non pompis sæculi, non conuiuiorum apparatu, non luxu, non operibus tenebrarum, cùm dies lucis sit, celebretur: sed sanctæ charitatis erga Deum, ergáque proximum officiis.

26 Infans expositus, licet appensum collo scriptum habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamē, re diligenter perquisita, quemadmodum Catechismo Romano expressum est, adhuc dubiū sit eum baptizatum esse, ea cōditionis formula baptizetur, si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo, & si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c. 3. de Bapt. infantium expositorū. Arg. c. paruulos, &c. seq. de consec. dist. 4.

27 Si duo, plures ue infantes offerantur, qui eodem tempore baptizentur, eorum vnicuique catechismum, exorcismum, & reliquas statas cærimonias, baptismúmque parochus sigillatim ministret atque adhibeat. 5. quæ ad baptis. pert.

Cùm duo infantes, mas scilicet, & fœmina ad baptismum offeruntur, is ordo seruetur, qui antiquissimi ritus est, vt mari primũ, deinde fœminæ ministretur: nisi necessitas aliter cogit. Idemque seruetur, si plures offeruntur, partim mares, partim fœminæ.

28 Libris Ritualibus, canonũq; legibus permulta tradita, atque explicata sũt, quæ in adultis baptizandis adhiberi ritus postulat. In iis omnibus Episcopus cũ diligẽs erit, tum magnã in eo curã ponet, vt illos præter doctrinæ Christianæ rudimenta, quæ necessariò scire debẽt, admissorum scelerũ malè actæ vitæ pœniteat, tum vt iidẽ in posterũ à peccatis omnibus abstinere statuant, Vix enim vlla alia causa esse potest, quãobrem qui adulti baptismũ suscipiũt, non modo vllã in Christianis virtutibus progressionẽ faciant; sed plerũque flagitiis nefariis inquinati præcipites ad perniciẽ, interitũque ruãt, præter eã vnã, quod non ita, vt par esset, affecti ipsi, nec verò ab aliis exculti, ad tantum Sacramentum accedunt.

29 Quod verò, licèt horribile dictu sit, aliquãdo tamẽ euenisse cõpertũ est, aliquẽ scilicet, ad turpẽ quæstum, iterũ baptismũ suscepisse, id ne vnquã porrò accidat, Episcopus, antequã baptizet, omne diligens studium adhibeat, quo istos homines, vel Iudæos, vel Turcas, Maurosue, qui baptismum sibi conferri petierint, planè dignoscat, de illorumque conditione, ac statu omni, quantum licuerit, à probatis viris accipiat testimonium obsignatum, ideque exigat omninò.

1. quæ pert. ad Bap. administr. 30 Parochus librũ habeat, diligenterque custodiat, in quo baptizati, parentũ, & cõpatrũ nomẽ, cognomen, diẽque natiuitatis, ac baptismi, & an ex legitimis nuptiis procreatus sit, describat: & quotannis singulorum annorum scriptæ eius rationis exemplum det Episcopo, quid fideliter asseruandum curabit.

4. Ibidem. 31 Quod pii instituti, sanctæque cõsuetudinis est, id ad vsum vbique restitui, introducique nos in Dño cupientes monemus à parocho, vbi primũ parochiæ suæ pueri in ecclesiam introducuntur, illis pia precatione benedici, ad Sacerdotalis, Ritualisue libri præscriptum.

Hoc autem, vt diligentius præstet, aliquando prout vsu venerit, parochialis suæ ecclesiæ fideles instituti huius, & consuetudinis admoneat.

Quæ hic desunt videantur seq. tit. & de Sacram.

De Baptisterio, vasis, instrumentisque, & aliis, ad baptizandi vsum pertinentibus, cum eorum formulis.

SVMMARIVM.

1 *Baptisterium in vnaquaque Parochiali Ecclesia collocandum, & quibus in aliis ecclesiis.*

2 *Eius forma ex Concilij Prouincialis decreto 14. & 15. Ex Instruct. verò fabricæ eccles. formæ tres præscribuntur. 21. 35. 41. Quæque magis respondeat formæ Conciliari, num. 41.*

Baptisterio, sequentia adiunguntur.

3 *Ciborium, cum tabella eiusque forma. 24. 38.*

4 *Conopæum, & quale, 29.*

5 *Sepimentum* } *cuiusmodi.*
6 *Tegmen* }

7. *Imago Sancti Ioannis, & vbi pingenda. 34.*

Vasiula sacrorum oleorum, Chrismatis, & Cathecumenorum, & cuius formæ. De Sacramentis in genere, & Sacrament. 19.

Vas ad aquã infundendam, cochlearue, & quale. 30. & quæ pert. ad Sacram. baptismi. 19.

8 *Mantilia, quot, & qualia. 9. Eadem ad profanum vsum non adhibenda. 10.*

Vas item vnum, vsui suscipiendæ, & ferendæ aquæ baptismalis ab Ecclesia Cathedrali, vel Plebana, & cuiusmodi.

11 *Situs.*

12 *Baptisteria in Ecclesiis, capell siue separatim extructa, toleranda: & non extructa vbi ædificanda.*

13 *In eis sepulchra non exstruenda.*

14 *Baptisteria, cum sacrario annexo, quibus in ecclesiis conficiantur. 15.*

16 *Baptisterij formæ tres, cùm ex Instructionibus ecclesiasticæ fabricæ præscribantur, quibus in Ecclesiis forma primæ adhibendum.*

Prima Baptisterij forma, cum illius situ, more Romano, qualis. 21.

17 *Capellæ Baptisterij ipsius locus, & forma.*

18 *Altare capellæ ipsius.*

19 *Capella ipsa vbi exstrui non possit, qui locus alius deligendus.*

20 *Baptisterij, more Romano & Ambrosiano distinctio.*

22 *Baptisterij, more Ambrosiano, situs, & forma.*

23 *Baptisterij Romani, & Ambrosiani, communia sunt hæc.*

24 *Ciborium, & quale.*

25 *Mensa ciborij, & qualis.*

26 *Situs eiusque forma.*

27 *Sepimentum, & cuiusmodi.*

28 *Eiusdem sepimenti ornatus, & tectum, & cuius qualitatis.*

29 *Conopæum, & cuius panni, colorisque ac formæ, suprà num. 4.*

30 *Armarium sacrorum oleorum, & quale.*

Cochleare, ad aquam infundendam, & quale, quidque aliud. 34.

31 *Baptisterium aliud angustius, vbi & quando conficiendum.*

32 *Baptisterii Romani, Ambrosianique vsus, quæ altera Sacelli, situsue formã, & quibus in ecclesiis constituenda.*

33 *Baptisterium à latere dextro, quando collocandum.*

34 *Imago Sancti Ioannis Christũ Dominũ baptizãtis.*

35 *Secunda Baptisterii forma, more Romano qualis.*

36 *Qualis item Ambrosiano more.*

37 *Communia vtrique secundæ Baptisterii formæ.*

38 *Ciborii, & armarii vtriusque forma.*

39 *Ciborii altera forma.*

40 *Valuæ ciborii, quales.*

41 *Tertia Baptisterii forma ex vsu Romano tantum.*

Baptisterii clauis à quo custodienda. De Sacram. in genere, & sacramentalibus.

42 *Fontis benedictio, vbi, & quo tempore agenda.*

43 *Qui & quot ad illã cõueniãt, & qui excusetur. 44*

45 *Cùm ipsa benedictio in Cathedrali fit, ab Episcopo obeunda.*

46 *Aquæ benedicendæ mos, baptismi tempore, ob fontis defectum, tollendus.*

Cætera, quæ ad baptismi Sacramentum administrandum pertinent. Videantur superiori tit. Quæ pert. ad Sacram. Baptismi.

Singulæ parochiales Ecclesiæ, singulos fontes habeant, in quibus diligenter toto anno seruetur aqua baptismatis, solenni ritu benedicta. Primum, quæ pert. ad Baptist. administr.

Fons baptismalis, ne vsquam in aliis ecclesiis

quam in parochialibus sit, vel Episcopi concessu in illis locis, vbi propterea quod parochialis Ecclesia longius distat, idem populi commodo magis consulendum esse censuerit.

4. quę pert. ad Sacram. baptis.

2 Fons baptismalis è marmore, aut è solido lapide constet: qui si præ rimulis, aliave ratione, eiusmodi est, vt inde aqua sensim effluat lapis alius bene firmus, solidus, ac tutus, quamprimùm comparetur.

Intereà verò ad aquam baptismalem tutò continendam, dum ille alter paretur, non vas fictile, alteriusve generis; sed æreum, stanno ab interiori parte illitum, tanta magnitudine, quanta lapidis vacuitas est, ita ponatur, vt intrinsecus illum vndique strictim attingens, beneque compactum, eidem cohærescat.

3 Habeat operimentum, vel ciborium ad sacra olea tutò, decenterque conseruanda in eo ipso fonte accommodatum, nisi vbi ex instructionibus nostris aliter exstruendum est.

Tabellam habeat item intrinsecus, quæ dimidia tantum aperiatur, fontisque ostium compressè claudens, aquam à puluere, & alijs sordibus cautius tueatur. Quæ tabula in omnibus fontibus sit, in quibus per infusionem baptizatur: in iis verò in quibus immersio adhibetur, si petra ipsa pro eius magnitudine id patietur, sine impedimento immersionis.

4 Conopœo etiam è tela saltem, opertum sit.

Inst. fab. li. 2. De Conopæo.

Conopæum verò baptisterij è serico albo sit, vel saltem, in Ecclesiis scilicet, quarum census tenuis est, è tela linea tenui: amplitudine autem, & ornatu, vt suprà. Appendatur, & annectatur in ciborij summitate cruci subiecta.

4. quæ perti. ad Sacram. bapt.

5 Sæpiatur omninò vnumquodque baptisterium, si ferro, vel lapide, Episcopi iudicio non poterit, saltem ligneis cancellis.

6 Præterea, si extrà fornicatam capellam, aut parietis concauitatem hemycicli instar cōstructam, totum aut ex parte sit; tum tegmen habeat, quod ex marmore, vel ex asseribus constet, aut saltem è tela decenter picta.

4. vt supra.

7 Decebit etiam in capella, aut in pariete proximo S. Ioannis imago, Christum Dominum baptizantis.

8 In baptismalis fontis ciborio, mantilia duo, eaque candida, ab omnique sorde munda asseruentur, quæ infantis capiti abstergendo vsui sint. Pluraque ideo in Sacristia id generis mantilia certo loco conseruentur. Pręterea alia eiusmodi mantilia sint ad eum vsum, videlicet in Cathedrali sex, plurave in collegiata curata, in parochiali quatuor pluraue.

Instr. fab. libro 2. De panno ad abst. cap. bapti.

9 Pannus seu Sabanum, quod ad baptizati caput abstergendum adhibetur, è tela byssina, quod pretiosius vsui ministerij Episcopalis est, constare debet: è tela verò linea, quod ab alijs adhibebitur. Erit verò circumquaque, aptè, decoréque fimbriatum è tela, vel byssina, vel linea; longitudine erit cubitorum trium; latitudine verò tanta, quanta est telæ, è qua constat latitudo.

Instr. de for. supellec. li. 2. De vase ad aquam baptis. feren. accommodato.

Vt certum vasculum sit, quo, & in vrbe è Cathedrali, & in diœcesi, è præpositurali plebana Ecclesia in Sabbato Sancto, vigiliaque Pentecostes, ad vnamquamque parochialem Ecclesiam aqua baptismalis afferatur: parochi singuli phialam paruulam ex argento, aut è stanno pretiosiori, de dita opera confectam, sibi comparent, quæ huic solum, neque alij prætereà vsui sit.

Hæc porro phiala eiusmodi sit, quæ duas, tresve vncias aquæ capiat: habeat prætereà tùm operculum, cathenula minuta affixum, quo, in orbem vbique versatili integatur: tùm alteram item cathenulam, operculo vnciis tribus altiorem, quæ illi deferendæ vsui esse possit; adiuncta huic cathenulæ cordula serica, quæ dum affertur, à collo Sacerdotis ferentis pendeat.

10 Si verò, vel mantilia, vel sudariola ad eum vsum aliquando afferuntur; ea, nisi noua, nè adhibeantur: tum noua adhibita ne in profanum, sed in ecclesiæ vsum, cui rectè accommodari possint; conuertantur: alioqui comburantur. 4 Ibidem.

11 In ecclesiæ ingressu collocatus sit fons baptismalis; isque à sinistra ingredientium parte: nisi quibus in ecclesiis pro situs ratione illum ab altera parte potius collocandum Episcopus iudicauerit.

12 Quæ verò Baptisteria in ecclesiis, capellisve, eo potissimum nomine extructis, Cathedrali, vel collegiatæ, vel parochiali Ecclesiæ ferè adhærentibus, extant; illa non amoueantur: sed ecclesiæ, aut capellæ; vbi illa sunt, instaurentur, aut reconcinnentur. Vbi verò in ecclesiis, præsertim insignioribus, non sunt; in posterum eas, vel ecclesias, vel capellas ædificari, in illisque baptisterium construi, idem Episcopus curet.

13 In Baptisterij sacello nullum sepulchrum, sepulturamve extrui liceat. Si quod autem baptisterium extrà sacellum ædificatur, permittiturve, ne sepulchrum proximè fiat: sed tam longè, vt ab illius sepimento sepulchrale os distet, spatio cubitorum saltem trium, ac prætereà concauitas sepulturæ ne sepimentum attingat. 6. quæ ad cultum eccles. perti.

14 In baptismali fonte, vbi per infusionem baptizatur, id planè caueatur vt ne aqua, capiti infantis infusa, in eundem fontem recidat: sed in sacrarium profluat: idque propterea sacrarium è marmore, solidove lapide propè fontem construatur, ad præscriptum instructionum. 4. vt suprà.

15 Baptisterium igitur cum sacrario in singulis Cathedralibus, & item, vt in Conciliis nostris Prouincialibus præscriptum est, parochialibus, atque in aliis etiam quibusuis Ecclesiis, vbi vel animarum cura geritur, vel facultate ab Episcopo, ob causam data, illud constitui concessum est, forma, & modo infrà præfinito, pro vniuscuiusque ecclesiæ ratione, amplitudineve exstruatur. Instr. fab. li. 2. De Baptisterio.

16 Primo in vnaquaque Ecclesia Cathedrali, & Archipresbyterali, Præposituraliuè, aliovè nomine, quæ caput Plebis sit; Baptisterij locus, & forma hæc esse potest. Instr. ibid. De loco & forma capellę Baptisterij.

17 Locus à fronte Ecclesiæ, prout situs fert, distans, ad meridiemque vergens, architecti iudicio deligatur: quo in loco Sancti Ioannis Baptistæ nomine sacellum, capellave, cuius vacuum sit triginta tribus circiter cubitis, exædificetur insigni structuræ opere, pro illius ecclesiæ ratione.

Forma exædificationis rotunda, aut octangula, aut sexangula, aliave eiusmodi, quæ perfecti circuli fines non egrediatur, adhibenda est: illa verò accommodatior, & decentior, quæ octanguli similitudinem exhibet.

Tectum ædificij huius fornicato, concamerato ve opere sit, at pro modo formæ eminentius fastigiato, laminisque plumbeis operto, tum in ipso summo fastigio è tholo constet, unde lux ab omni parte excipiatur.

Pauimentum è marmore, lapide ve solido, & opere tessellato, aut, vbi id non potest, testaceo saltem fiat: à soloque viæ publicæ extet altius gradibus tribus, pluribus ve, modo ne solo Ecclesiæ altius sit.

Ianua ad occidentem versus spectet, paruo vestibulo ornata: formaque vt supra, in ostio Ecclesiæ demonstrata.

Fenestræ plures, pro ædificij modo, & architecti periti iudicio; singulæ autem forma, eidem architecto probata pro ratione ædificij.

Ædificij totius altitudo, vsque ad summum fastigium ducta, latitudini respondeat, pro operis rationeidque de consilio item architecti.

Instr. fab. li. 1. De Altari capellę baptisterij. 18 *Altare vnum tantum in hoc sacello exædificandum est; cubitis duobus à pariete, ad orientem versus extructo, distans, si modo amplitudo sacelli tantum spatij ferat: forma autem reliquorum altarium, & modo præfinito fiat, muniatur, sepiatur, instruatur, atque ornetur.*

Super quo item altari in pariete expressa sit sacra historia sancti Ioannis Baptistæ, Christum Dominum baptizantis.

Si verò ne altare quidem præfinita amplitudine, & ratione extrui vllo modo potest; illius saltem loco sit iconia, aut pictura sacra, in pariete expressa Sancti Ioannis item Baptistę.

Instr. fab. li. 1. de loco baptisterij. vbi separatim ab ecclesia extrui non potest. Ibi. de distinc. Baptist. more Roma. & Ambr. 19 *Vbi prętereà sacellum Sancti Ioannis Baptistę, ab Ecclesia separatum non est, neque item pręfacultatibus exędificari potest, tunc in sacello Ecclesię Baptisterium forma, infrà suo loco demonstrata fieri poterit, concessu Episcopi.*

20 *Sequitur, vt Baptisterij formam demonstremus, quam ita distinximus, prout baptismi ministrandi nunc vsus est. More Romano baptisterium illud diximus illam scilicet baptisterij formam accommodatam ad baptizandum aquę effusione, cum in ecclesiis ferè omnibus, ritu Romano vtentibus, ita baptizari moris, & consuetudinis frequentioris hodie sit. Alteram porrò formam extructam ad vsum baptizandi immersione, appellauimus baptisterium, Ambrosiano more: vtpotè cum hic immersionis vsus in ecclesiis ritus Ambrosiani seruetur, ac retineatur.*

Ibid. de situ & forma Baptist. more Rom. 21 *Situs Baptisterij in media capella esse debet; isque cùm latè patens cubitos vndecim; tum ita profundus, vt à capellę pauimento descendatur tribus saltem gradibus: hocque descensu, & aliquantula profunditate, aliquam sepulchri similitudinem exhibeat. In imò autem graduum descensu spacium vacuum sit: quod per diametrum amplè pateat cubitos septem, & vncias sedecim.*

In eo spatio medio vas baptisterij, in quod aqua defluet, ponatur: cuius latitudo vacua per mediam rectam lineam sit cubitis tribus: altitudo duobus. Forma autem sit, vel rotunda, vel octāgula, vel alia quæ cum forma capellę conueniat. Conficiatur verò ex vno, si potest, lapide, solido, marmoreo, vel alterius generis: aut è duabus, pluribusue laminis marmoreis, lapideisue, crassitudine vnciarum octo, eæque laminæ solidę, nec spongiosę sint; rectè, atque apta commissura inter se compactę, ac firmiter conglutinatę: intrinsecus prætereà opere leuigato expolitę, extrinsecus, decenter ornatus specie piè exsculptæ.

Huius vasis fundus sternatur, ac solidetur, si ex vno tantum lapide non constat, sectilibus crustis marmoreis, siliceisue, aptè, vt suprà, inter se connexis, bitumineque benè firmatis. Vndique item diuexus, ac paululò acclinior sit, exiguos aliquot canaliculos habens: quibus ad foramen, medio situ sub basi columellæ suffossum, aqua deriuetur.

Sub fundo prætereà huius vasis, cisterna paruula, pro sacrario loco subterraneo effodiatur; in quam aqua, ex infantis, qui baptizatur, capite dilapsa, confluat.

In eiusdem fundi, locique medio, columella marmorea figatur, erigaturuè, supposita eius scapo basi triangula, aut quadrangula, sexangulauè, aut alia, quæ videbitur, forma; eaque politè, & ornato opere decenter elaborata.

In columellæ huius summa parte vas ipsum baptismale, in quo per totum annum baptismalis aqua seruabitur, aptè, decenterque collocetur.

Quod vas forma rotunda, vel octangula sit, aliauè eiusmodi, quæ respondeat formæ capellæ, vasisque inferioris: latè autem pateat cubitos duos, profundè autem vncias circiter duodecim, aut paulò amplius pro vrbis, locorumuè amplitudine, proque ecclesiarum ratione.

Hoc vas altius collocatum illo inferiori esse poterit vnciis circiter sexdecim: altitudine scilicet, ab inferioris summo labro ad huius, quod superius est, vasis labri summitatem, perpendiculo ducta.

22 *Atque hæc quidem de forma, & situ baptisterij more Romano; nunc sequitur situs, & forma, more Ambrosiano.*

Primò situs baptisterij in media capella, atque eiusmodi, vt gradibus eò cum descendatur, ad instar sepulchri sit; quemadmodum suprà in forma baptisterij Romani demonstratum est. Ibid. de situ & for. Baptis. more. Ambr.

Vasis autem baptismalis forma, quam ex antiquis baptisteriorum vestigiis peruetere m esse animaduertimus, hæc ipsis baptisteriis exstruendis præfinita in eiusmodi ecclesiis, Cathedralibus, Plebanis Præpositurałibus, Archipresbyteralibusue adhibenda erit.

Vas è marmore, lapide ve solido, non spongioso fiat: quod si ex vno tantum integro lapide marmoreo fieri potest, ad baptismalis fontis instar sepulchri, exstruendi, vsum accommodatius erit, si minus ex vno solo, è duobus, ac sic ne ex his quidem, & pluribus lapidibus quadratis, aptè inter se compactis, bitumineque firmiter consolidatis exstrui potest.

Qui lapides crassitudine vnciarum octo ab interiori parte leuigato opere expolito, ab exteriori decenter pia sculptura elaborati esse debent.

Forma, vt illud superius more Romano, octangula, aut rotunda, aut alia cum ædificij ratione conueniens.

Altitudine ab ima ad summam partem ducta esse debebit cubitorum duorum.

Latitudine per vacuum ducta, tricubitali.

Foramine ab ima parte, quæ ad orientem versus statuetur, triunciali sit, vnde cum aqua baptismalis renouatur, vetus in sacrarium quod subtus, vt infrà demonstratur, instar paruulæ cisternæ exstruetur, defluat. Id verò foramen ligno querneo, vel fraxineo, eoque arido, stuppæ inuolucris obducto, aut alia firmiori ratione, bene obstruatur.

Fundo solido, integroque constet, si ex vno tantum lapide factum est, si verò à pluribus, fundum habeat, accurato, diligentique testaceo opere confectum, & solidè ita pauimentatum, vt ne rimula

quidem sit, unde aqua sensim effluere ullo modo possit.

Eiusmodi præterea fundus sit, ut totus acclinater pendeat ad foramen versus.

In umbilico capellæ, situs ue præfiniti, eiusmodi vas, firmiter communitum, statuatur, ut suprà.

Cisternula, in quam aqua baptismalis, cùm renouatur, effluet, à parte orientali prosacrario suffodiatur in plano, quod circum baptisterij vas est. Quæ cisternula, propè baptismali vasi adhærens, ex ostiolo undique cubitali constet: hocque valuulis, sera, ac pessulo firmiter muniatur: tantumque pateat, cum per illud, aperto vasis foramine, aquam effundi opus est.

Instr. fab. li. Communia baptisterij Roma. & Ambr. 23 *Huius Baptisterij Ambrosiani, & Romani, quod ad exstructionem attinet, hæc communia esse possunt, operimentum, seu ciborium, situs spatium, sepimentum, ornatus, tectum, & conopæum, ut mox infrà uniuscuiusque forma demonstratur.*

Ibid. de ciborio. 24 *Operimentum igitur, quod ciborium dicunt, & utriusque baptisterij usui accommodatum esse potest, è marmore, lapideue solido in Ecclesiis insignioribus fiat: & columellis, pilastrisque angustioribus, ut intercolumniis satis commodi spatij detur altitudine duorum cubitorum suffultum, firma structura nitatur.*

Quæ columellæ, pilastratæuè, ubi ritu Romano baptisterium est, vasis inferioris labro summo fixæ collocentur, ubi Ambrosiano, in vasis ipsius baptismalis labro consoliditate hæreant.

In earum columellarum summitate, Epistylij, & Zophori ornatus decens, Coronixque de architecti consilio adhibeatur, tum totum opus operimenti contegatur tecto marmoreo, forma orbiculari, aut piramidali: in cuius summa parte statua collocetur sancti Ioannis Baptistæ, Christum Dominum baptizantis. Spatia autem illa, inter pilastratas interiecta, valuulis æneis, aliqua pia historia conflatis, ita occludantur, ut cum usu venerit, amoueri queant.

Instr. Fabr. ibid. de Mensa. 25 *Vasi baptisterij, siue Romano, siue Ambrosiano more, forma suprà præscripta exstructi, & cæteris item alia forma infra demonstratis, ad baptismalis aquæ asseruandæ munditiem, mensa è duabus tabulis nuceis constans, fibulisque ferreis media inter seiuncta, & inter ciborium vasque ipsum collocata adhibeatur: qua eiusdem vasis ostium pro illius vasis forma, & modo planè tegatur, & claudatur.*

Quæ mensa, ubi ritu Ambrosiano mergendo baptizatur, in baptisteriis solum amplioribus locum habeat, ne infantis immersio impediatur: in omnibus autem, ubi ritu Romano baptismus infusione ministratur, esse potest.

Instr. Fab. Ibid. de situ utr. baptist. 26 *Situs vero utriusque baptisterij, forma eadem sit, qua vas baptismale, & capella.*

Huius situs planum solidetur tessellato opere marmoreo: cingatur columnario opere à summo gradu.

Inst. Fabr. ibid. de columnario. Ibid. 27 *Forma columnarij sit, pro baptisterij ædificationis modo, constet columnis octo, ordine singulis, aut sexdecim ordine binis: si sexangula forma, ex columnis sex, aut duodecim pro formæ ratione.*

28 *Ornetur, & cingatur à summa parte Zophoro, & coronicibus de architecti consilio.*

Operiatur tecto laqueato, aut fornice, aut opere concamerato arundinibus firmiter contexto, tectorisque incrustatione, & albarij operis celatis, inauratique specie exornato.

Interseptum sit etiam hoc columnarium clathrato opere, ab una ad alteram columnam ducto: atque ita omnino, ut de clathratis ferreis capellarum suprà præscriptum est.

29 *Conopæum ad ciborium totum contegendum adhibeatur: idque è serico, aut sub serico, coloris albi sit. Qui color mysterii huius sacramenti rationibus respondet: non tamen è tela decenti eiusdem coloris, vetatur.*

30 *Cochleare argenteum, ad aquam infantis qui baptizatur, capiti infundendam adhibeatur: idque è superiori vase, manubrio, à summa parte paululum adunco, appendatur.* Instr. Fab. ibidem. De cochl. argenteo.

Eiusmodi sit, ut ab illius ore, è parte sinistra labrum paulò contractius, instar paruuli canalis ex stat: unde super infantis caput aqua tenuiter effundatur.

30 *Armarium autem, in quo sacri chrismatis, & olei catechumenorum vasculum, liber Ritualis sacramentorum, mantilia, & reliqua, ad baptismi ministrationem necessaria, reponuntur, ad baptisterii, Romano, Ambrosianoue more exstructi, usum in ipsa capella ab aliquo latere in pariete, aut parieti adhærens, de consilio architecti fieri poterit, valuis, sera, & pessulo benè clausum, marmoreoque opere, sculpturaue piis imaginibus elaborata ornatum; intrinsecus autem partitum, ac decenter distinctum, pro ratione, & usu rerum, quæ ibi asseruandæ sunt; tum verò tabulis populeis circum amictum, aut aliis eiusmodi, ut ab humiditate, quæ ex muro, aut marmore existit omninò defendatur. Panno autem serico, albi coloris undique circumuestitum sit.* Instr. Fabr. ibidem. De Armario, &c.

31 *Vbi verò, præ situs angustia, aut præ tenuitate facultatum, Sancti Ioannis Baptistæ sacellum, & Baptisterium ita amplum, atque altum exstrui non potest, eadem tamen utriusque seruata forma, angustius fiat; ita ut Baptisterium, remoto columnario opere, clathris solùm ferreis, gradui quem unum tantum in discensu habeat affixis cingatur, & tecto sacelli solo operiatur; cum alterum proprium, pro ædificii humilitate habere non queat. Facultas præterea operimenti, ciboriiue, etiam cum armario coniuncti, ex ligno, forma, ut infrà demonstrata, construendi erit, ubi marmoreum illud fieri non poterit.* Ibid. De baptisterio angustiori.

32 *In omni ecclesia parochiali, aliaue inferiori, ubi fontem baptismalem constitui concessum sit, intus ad ostium maius, & à latere ubi Euangelium legitur, sacellum, capellaue extruatur, quæ instar aliarum capellarum lateralium sit, quæ pro altaribus exædificantur.* Instr. Fabr. ibidem. De altera sacelli, situs ve forma, &c.

De illius pauimento, limine, longitudine, latitudine, altitudine, toto denique spatio, fornice, clathris ferreis, aliisue, & cæteris seruentur, quæcunque in aliis capellis, quæ cum altaribus sunt, præscribuntur.

Quibus verò in ecclesiis, præ situs angustia, exstrui non potest, quæ tantæ magnitudinis sit, quantam præfinimus; ea tamen omninò exædificetur, quæ situs sui spatio, baptisterii saltem opus totum supra demonstratum capiat; tum præterea aliquantulum loci sit sacerdoti, baptismum ministranti, & compatribus.

Si verò ab Euangelii parte ad præscriptum capella hæc exstrui nullo modo potest, ab altera parte, ubi præfinita forma, & commodius possit, ea ex ædificetur arbitrio Episcopi, ut infrà exponitur.

Vbi autem per loci angustias, nè ab altera parte

te, neque exigua quidem magnitudine, fieri capella potest; tunc ab Euangelij latere ad ostium paries aliquantulum ita concaueiur, vt forinsecus ad hemycicli formam promineat: in qua concauitate baptisterium totum, aut pars, aptè cohæreat, & clathris ferreis, à tribus partibus sepiatur.

Vbi præterea neque hac forma exstrui potest, ab eo ipso latere, propè parietem illud toleretur, ea tamen adhibita ratione, vt ne vel impediri, vel occupari à situ ianua possit, quæ ab eo latere fiet: & clathris item, vt suprà, muniatur: ita tamen, vt inter hæc, & ipsum baptisterij opus, spacij tantum intersit, quantus est cubitus, aut paulò amplius pro situs ratione. Illa autem cautio ne baptisterij situ ianua, quæ à latere maioris ostij est, impediatur, adhibenda est, etiam accuratè in omni, infrà demonstrata baptisterij forma.

Verùm quod maximè, si potest, caueatur, ne baptisterium parieti proximum adhæreat, cùm ecclesia, nullis etiam nauibus constans, ampla tamen est: tunc ad illius ostium, ab eodem euangelij latere, situs, qui ab vno & altero pariete cubitis duobus, vel pluribus pro spacij modo, seruata illa, mox suprà, ratione æquè distet, clathris ferreis, forma quadrata, aut octangula, vel eiusmodi præfiniatur.

In cuius situ medio baptisterium, cuiusmodi forma sit, ita collocetur, vt ab omni clathrorum sepimento cubiti vnius, & dimidij saltem, si potest, spatio absit.

Si verò nauibus, & intercolumniis, non valdè inter se distantibus, ecclesia exstructa est, intrà illius tantum intercolumnij, ecclesiæ ostio maiori proximi, fines, ab eo ipso euangelij latere; aut in eo spatio, quod inter columnio, & ianua maiori continetur, baptisterium, præscripto spatio, clathris ferreis concludatur: atque ita, vt is situs conclusus formam quadratam, aut octangulam; aliamuè, quæ pro loci ratione commodior, decentiorque videatur, exhibeat.

Quæcunque verò de forma clathrorum, & altitudine loco de capellis suprà dicta sunt; eadem in clathris pro baptisterio, seruanda erunt.

Baptisterium quocunque situ, vel forma in ecclesia constructum, si Episcopi iudicio præ tenuitate facultatum cancellis ferreis sepiri non potest, nec marmoreis item; ligneis saltem muniatur, vt de capellis præscriptum est.

Instr. ib. De loco Baptist. à dextero latere.

33 Vbi Episcopi iudicio à dextro potius, quàm à sinistro ecclesiæ latere commodius, præscripta ratione baptisterium constitui queat: ab eo, eiusdem facultate data ponetur, seruata in cæteris, proximè præscripta ratione.

34 Baptisterij capella, seu hemycicliu, seu paries, proxima pictura Sancti Ioannis Baptistæ ornetur, Christum Dominum baptizantis.

In eiusmodi, aut loco, situve baptisterium, ad quod vno, pluribusue gradibus descensus fiat, & forma, in cæteris etiam superius demonstrata, Ecclesiæque vel Romanæ vel Ambrosianæ vsui accommodata exstruatur, si pro facultatum ratione potest: si minus forma sequens seruanda est, more Romano.

35 Vas rotundum, aut alia decenti forma, quæ videbitur, è marmore, aliove solido lapide, per diametrum late cubitis duobus & dimidio patens fiat, profundum vnciis octo, aut decem ad summum; & in fundo sensim concauum, cum suis vt supra canaliculis.

In basi columnave collocabitur; à pauimento autem, vsque ad labrum vasis non altius cubitis duobus.

In eius medio foramen, digito circiter patens sit, quod per columellam, basemque vsque ad paruulam cisternam, effusæ aquæ baptismalis excipiendæ causa suffossam penetret.

Ibid. de altero vase.

Præterea, in eiusdem vasis medio, alterum etiam vas marmoreum itidem forma simili, & amplitudine minori, ita vt per diametrum cubito vno, & vnciis octo, cum ipsius vasis crassitudine, late patens, statuatur.

Idque vas sustentetur aliquo marmoreo, lapideoue fulcimento, quod in vase inferiori nitatur.

Hocque ipso in vase minori baptismalis aqua asseruetur.

36 Forma autem Baptisterij Ambrosiani secunda, hæc erit.

Ibid. de forma secunda &c.

Vas modo, ac forma, vt mox suprà more Romano præfinita, fiat. at in medio non perforatum, sed profundius excauatum: nec verò superiori vase, vt illud constet.

Sin autem vas ipsum non ex solido lapide factum sit, ita vt aqua sensim disperdatur; in eo inseratur aliud vas stanneum, aereumue stannatum; donec aliud lapideum solidum, nec rimosum, spongiosumue paretur.

Ibid. de sacrario.

Sacrarium autem ad baptisterij huius, more Ambrosiano exstructi, vsum fieri potest vno, aut altero modo infrà demonstrato de sacrariis: ita tamen, vt & baptisterium, & sacrarium infrà vnius septi fines concludantur.

Ibid. Communia vtriusque secundæ Baptist. formæ.

37 Pauimentum autem Baptisterij, cuiusmodi forma, siue Romano, siue Ambrosiano vsu demonstrata sit, etiam in ecclesia ita profunde sternatur, vt si minus tribus gradibus, vno saltem ad baptismum descendatur, quamuis baptisterij vas, columella suffultum emineat.

Baptisterio, quod extra capellam, hemycicliue concauitatem totum, vel ex parte positum est, siuè parieti inhæreat, siue ab eo distet fiat tegumentum, aut opere fornicato, quod duabus pluribusue columnis pariete paululum extantibus, suffulciatur, aut struatur tabulis sectilibus, iisque pictura piè ornatis; aut è tela picta fiat. Quod è ligno, aut è tela integumentum, cathenis ferreis è tecto procedentibus, aut alia firma structura, sustineatur.

Instr. ibid. De ciborio, & armorio.

38 Ciborium verò, & Armarium vtriusque commune, eiusmodi fiet.

Pyramidis forma illud exstruetur ex tabulis sectilibus nuceis politè elaboratis, & vbi potest, pictis etiam, atque decore inauratis. Quæ tabulæ inter se aptè commissæ, & compactæ, omni coassatione cohæreant: earumque commissuræ paruulis, tenuibusque assulis, coronicibusue rectè annexis ita, contegi debent, vt nec puluis neque vllæ aliæ sordes in baptisterium penetrent.

Id ciborium labro vasis inferioris Baptisterij, si Romani moris est, si Ambrosiani, summitate labri ipsius vasis baptismalis, nitatur, atque suffulciatur. A cuius ciborij parte superiori, armorium paruulum, asseruandis sacris oleis, aliisque rebus ad baptismi ministrationem necessariis, accommodatum, exstrui debet: quod à summo vase distet vnciis circiter octo; intrinsecus, autem tela serica coloris albi bene circumuestiatur.

Ibid. de ciborij altera forma.

39 *Ciborij prætereà forma altera esse potest: quæ è ligno etiam, ut altera, confecta, columellis, & pilastris ligneis suffulta, eodem modo fiat, quo suprà demonstrata est forma ciborij marmorei.*

Ibid. de valuis ciborij.

40 *Ciborij valuæ, quacumque forma illud sit, anteriorem partem Ecclesiæ spectare debent, ut & baptizatis Sacerdotis facies, & infantis, qui baptizatur, caput ad orientem versus respiciat.*

Nec verò intrinsecus, sed extrinsecus illæ aperiantur: & amplæ prætereà sint, ut iis apertis, totius baptisterij dimidia pars pateat, Claue autem, sera, pessuloque firmissimè claudantur.

Ibid. de Bapt. forma tertia, &c.

41 *Alia tertia sequitur baptisterij forma; quæ usui Romano tantum accommodata permitti poterit, ubi Episcopus præ magna inopia necessariò illam concedendam censuerit.*

Lapis marmoreus solidus, opere sculptili eiusmodi apparetur, qui forma ouata sit, ac longè cubitos duos, & uncias octo pateat; latè cubitum unum & uncias duodecim.

In quo lapide, vasa duo, eaque unciarum trium interuallo inter se disiuncta, scalpro politè concauentur; quæ, & forma rotunda sint: & eadem altitudine, amplitudinéque item.

Tum columella etiam, ad formæ præscriptæ modum, sub ornato lapide statuetur.

E duobus his vasibus unum erit, ad altare maius vergens: in quo aqua baptismalis asseruabitur: alterū, in quo dum baptizatur, aqua eadem effundetur: idque spectans ad parietem, altari maiori appositum.

Ideòque in huius fundo paruulus canalis fiat: per quem ad foramen, quod à latere in una parte foditur, aqua ducatur; indéque per columellam, intus vacuam penetrans, ad subterraneam paruulam cisternam defluat.

Hoc item Baptisterium operimento, ciborioне ligneo, ex præscripta suprà forma, contegatur: armariolo, item ut suprà, extructo: & conopæo item adhibito.

4. quæ pert. ad Sac. bap.

42 Vetus illa consuetudo, quæ adhuc in pluribus huius prouinciæ locis talis est, vt & Sabbato Sancto, & Sabbato item Pentecostes, frequenti sacerdotum conuentu, ac solenni ritu, cùm in Cathedrali Ecclesia, tum in diœcesis etiam locis ecclesiisue plebanis, fontis baptismalis benedictio fiat, vbi in prouincia nostra hoc tempore non seruatur, omninò introducatur, in vsuque vbi intermissa est, reuocetur.

43 Quibus statis, solennibúsque sabbatis, ad illius solennis benedictionis officium omnes, singulique ecclesiarum quarumcumque quouis etiam dignitatis nomine, titulove insignium rectores quibus animarum curationis munus incumbit, qui in Vrbe sunt, in Cathedralem; qui in Diœcesi, ad suam quique plebanam ecclesiam frequentes conueniant.

Si verò exemptionis nomine, aliaue ratione quis à plebanę ecclesiæ iure liber, atque immunis sit, non tamen expressè ex priuilegio Apostolico, huius solennis benedictionis officij concelebrandi causa in eam plebanam ecclesiam conueniat, intrà cuius fines habitat, aut cui propinquior est, vt Episcopus potius censuerit.

Nec verò proptereà in cæteris quicquam illius immunitati, libertatiue derogatum sit.

44 Hoc autem decreto adstrictos non teneri statuimus illarum ecclesiarum, etiam quæ parochiales tantum sunt, rectores, quibus, vel ob locorum longinquitatem, vel ob aliam iustam causam Episcopus facultatem scripto exaratā, daret fontis baptismalis, in illorum ecclesiis solenniter benedicendi. At verò ea facultate, ne proptereà ecclesiæ plebanæ iuri quicquam præiudicij vllo vmquam tempore allatū censeatur.

In iis porrò ecclesiis, quibus hæc baptismalis fontis solenniter benedicendi potestas aliquando fiet, statis illis duobus sabbatis, is benedictionis ritus celebretur, sacerdotibus tribus saltem præsentibus ad illam adhibitis. Id prætereà, de tribus scilicet sacerdotibus adhibendis locum in omni ecclesia habeat; si quando per annum in aliqua ecclesia, extra illa stata duo sabbata, illius fontis aquam baptismalem ob extraordinariam causam renouari necesse erit.

45 Fontis baptismalis, quem statis illis solennibus diebus in Ecclesia Cathedrali consecrari solemne est, consecrandi officium, atque munus, nisi Episcopus legitima causa impeditus sit, ipse obeat.

46 Ille verò, vbi nullus fons baptismalis est, introductus in aliquot locis mos aquæ benedicendæ, consecrandæue, quo tempore baptismum ministrari oportet; tum baptismo celebrato, in sacrarium proiiciendæ, tollatur in posterum omninò.

Quæ pertinent ad Sacramenti Confirmationis administrationem.

SVMMARIVM.

1 *Administrationis Sacramenti huius dies denunciandus.*
2 *Eius vis à parocho explicanda, & qua ratione. Et de Sacramentis in genere, & Sacrament. 8.*
3 *Instruendusque populus, qua religione illud suscipiendum. 4. 12.*
4 *Quo tempore, dieue ipsa instructio facienda à parochis urbanis.*
5 *Vt ab omnibus illud suscipiatur, parochi cura. 8.*
6 *Suscipere negligens, cui pœnæ subiaceat.*
7 *Negligentiæ huic, ut occurratur, quid faciat parochus.*
8 *Orationem etiam instituat, & ad quem finem. 9.*
10 *Adultis, ut de peccatis cōfiteātur, & e. eiusdē cura.*
11 *Vt confirmandi, pridie caput lauent.*
12 *Cætera instructione eo nomine comprehensa, ab eodem denuncianda.*
13 *Parochi diœcesani, urbanis parochis præscripta, in monendo, docendoque populo, de huius Sacramenti susceptione exequantur, & quando.*
14 *Pentecostes solennitate id ab Episc. ministrandū.*
15 *Paschæ etiam Resurrectionis, Aduentus, & Visitationis tempore conferendum, & ubi. 22.*
Quo ordine. 23. Qua hora. 24.
16 *Infirmis confirmari petentibus ministrandum.*
17 *Non tamen alienæ diœcesis hominibus*
18 *Neque minori septennio.*
19 *Nisi ob iustam causam aliter Episcopus censuerit.*
20 *Minoribus confirmatis, quod officium parochi erga parentes.*
21 *Confirmandi, & patrini, oratiōnē Dominicā, Angelicam salutationem, & Symb. fidei non ignorent. Ea in re Episcopi, & parochi cura.*
Compatres cuius ætatis sint. Quæ pert. ad Sacr. Baptism. 14.

Adolescentes senioribus }
25 *Mares fœminis, & Maribus fœminæ* } *Compatres non sint citrà necessitatem.* 26.

27 *Compater, vt confirmandum nuncrem, adultumque teneat.*

28 *Confirmandi, Patrini, cæterique* } *præsentes deuotè adsint, quidque secum reputent.*

29 *Ab ipsis compatribus nihil confirmatis, nec eorum parentibus largiendum, & quare.*

30 *Turpe nomen habentibus in confirmatione mutandum.*

31 *Confirmati frons bombyce, & aqua abstergenda.*

32 *Aqua ipsa in sacrarium proiicienda.*

33 *Confirmati, & compatres in librum à parocho referendi.*

Primum quæ pert. ad Sacr. Confir. admit. Ibid. 1 PArochi in ecclesia ante denuncient tempus, quo sacrum Chrisma ministrandum erit.

2 Eos, qui confirmandi sint, eius Sacramenti vim, ac virtutem edoceant.

5. quæ ad Concionat. pert. 3 De Sacramento etiam Chrismatis populum instruant (parochi scilicet, & Concionatores) in illis Pentecostes diebus, quibus potissimum ab Episcopo id Sacramentum solenniter ministrari solet.

Parochi autem id omne instruendi populi officium præstent ad præscriptæ instructionis normam, quæ eo nomine cura nostra conficietur ad communem prouinciæ vsum.

4. quę pert. ad Sac. Confirm. 4 Parochi, animarumue curatores, qui in Vrbe sunt, die Dominico Pentecostes solennitatem præcedente, populum doceant, quanto religionis studio suscipiendum sit Confirmationis Sacramentum, cuius ministrandi solus Episcopus ordinariam potestatem habet.

5 Videant item, ne quis eorum, qui sibi in curam traditi sunt, illud suscipere negligat,

Quare præmoneant, quod etiam Concilij Vuormatiensis Canone sancitum est, vt quicumque intrà parochiæ suæ fines habitant, neque confirmati adhuc sunt, illud omnes suscipiant, qui ætate sunt, qua Episcopus eos duxerit esse debere, qui ad hoc Sacramentum tunc accedant.

6 Si quis verò neglexerit, Canonicis subiaceat disciplinis.

5. quæ ad Confir. Sacrar. pert. 5. idem aliquot. 7 Parochus aliquot ante diebus, quā Episcopus ministraturus sit hoc Sacramentū, vt nemo quisquā eorum, qui suæ curæ concrediti sunt, illud suscipere negligat, illos per familias distinctè, rectéque notet, qui illud nondū susceperint: ac qui ætate sint ab Episcopo præscripta ordine in ecclesiā vocet ad id ritè, religiosèq; suscipiēdū.

8 Eiusdem cura sit, paucis ante diebus, quàm Episcopus Sacramentum hoc ministret, non solùm fideles præmonere, quæ Concilio prouinciali quarto præscripta sunt: sed etiam in parochiali ecclesia orationem eo nomine instituere, vt qui nondum confirmati, ad id accesserint, adiutrice diuina gratia, digni sint, qui Spiritussancti dona vberrimè recipiant.

10 Elaborent prætereà iidem, vt qui adulta ætate confirmandi sunt, primo de peccatis confiteantur, tum etiam admoneant, vt ieiuni illud suscipiant, cum mane ministratur.

5. vt sup. 11 Neque hoc quidem is denunciare omittat, vt qui proximè confirmationem suscepturi sunt pridie illius diei, quo suscipient, caput lauent, aliouе modo mundent, capillosque sibi tonderi curent.

12 Reliqua etiam diligenti cohortatione denuncient, quæ ad hoc Sacramentum, rectè, sanctéque suscipiendum pertinentia, monitionum tabella comprehendentur, quæ ad communem prouinciæ vsum per nos edetur. Quibus monitionibus, pro ratione locorum suæ diœcesis ab Episcopo addi, tum detrahi: rursusque easdem mutari liceat, **4. vt sup.**

13 Quæ cuncta diœcesani item parochi præstabunt, ita scilicet, vt singuli parochi vniuscuiusque loci, vbi sacrum Chrisma Episcopus ministraturus est, Dominico die hebdomadam illam proximam, qua ministrabit antecedente, cùm populum omnia, & singula doceant, ac moneant, mox suprà parochis in vrbe commorantibus, præscripta: tùm etiam præstari curent.

14 Sacrum autem Chrisma, Episcopus, cùm id ministrare proprium Episcopalis curæ munus sit, ne stata Pentecostes solennitate id præstare prætermittat, tum ad singulas vniuersæ diœcesis partes, parochiasue, & loca, vel infima visitando accurrat, vbi illud ministrari necesse sit.

15 Episcopus non solum sacris solennibusque Pentecostes diebus; sed etiam, si ita Ciuitatis suæ ingens frequentia, multitudóque postularit, & Paschæ resurrectionis tempore, & in Aduentu sacro Domini, & quoties visitationem obibit, Sacramentum Confirmationis ministret, & ob eam causam, vt Concilio Prouinciali quarto cautum est, ad ministrandum sæpè accurret, quibus in locis diœcesis opus erit. **5. vt supr.**

Confirmationis Sacramentum visitationis tempore, vbi opus erit ministrabunt. **Primum de visitat. 5. vt sup.**

16 Quod si quis cum periculosè ægrotat, se Chrismatis Sacramento confirmatum non esse meminerit, ac propterea id sibi ministrari petat; tunc Episcopus si eo loci est, vbi ille ægrotat, vt ne sine hoc Sacramento decedat, cum charitate paterna inuisat, & ritè confirmet.

17 Caueat porro, ne cum huius ministrationis munus obit, alienæ diœcesis hominibus, de iure non exemptis, qui in sua diœcesi domicilium iam non constituerint, hoc Sacramentum ministret, nisi proprij illorum Episcopi concessu, aut assensu scripto. **4. vt sup.**

Quo igitur tempore ministrat, populum ea ipsa de re per parochos præmoneri iubeat.

18 Minori septennio Confirmationis Sacramentum nemini præbeatur. **1. Ibidem.**

19 Alio decreto, quod in Concilio Prouinciali primo sancimus, cautum est, ne Confirmationis Sacramentum iis præberetur, qui annis septem minores natu sunt: si tamen Episcopus ob aliquam causam iustam, atque ideò necessariam, paruulo, & infanti, qui non modo eam ætatem expleat, sed ne attingat quidem, ministrandum aliquando censuerit, ne sit vetitum. **5. Ibidem.**

20 Iis verò minoribus natu, atque adeò paruulis, si quandoque ministrabitur, eorum parentes, vel qui curam gerunt, parochus moneat, vt ætate procedente, illos ea de re certiores faciā: ne parētibus, curatoribusue posteà mortuis, ipsi aliquando dubitent, an hoc Sacramentum, quod iterari nefas est, susceperint. Id verò parochus curet, præter eam diligentiā, quæ sibi præscripta

est de confirmatis, eorumque compatribus in libro certo describendis.

21 Qui confirmandi sunt, & qui patrini adhibentur, parochus ante videat, quos rudiores esse suspicabitur, an orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum norint. Atque ob eam quidem causam Episcopus illa fidei rudimenta sibi ab illis recitari iubebit. Quam diligentiam idem Episcopus, etiam, vt opus esse viderit, aliquando præstet per se, vel alium sacerdotem, quem in ea re cognoscenda constituerit.

22 Videat item, vt in quacunque Ecclesia confirmationem ministrarit, si pauci sunt, qui suscipiunt, vbi commodè fieri potest, ante altare maius decenter exornatum, semper ministret.

23 Primò mares in ecclesia à parte sua, fœminæ ab altera sint: sicque separatim distincti; genibus flexis, manibus ante pectus iunctis, suo quisque ordine, piè, & religiosè orent: in primisque ab omni strepitu, vociferatione, & inani confabulatione caueant: sed silentio sancto vtantur.

Et quod veteris ritus est, primum mares, deinde fœminæ confirmentur, nisi aliquando aliter fieri Episcopus censuerit.

24 Hoc Sacramentum Episcopus ministrare studebit hora tertia potissimum, quæ ex antiquo ritu stata huius Sacramenti hora est.

5. quæ ad Confirm. Sacr. pert. 25. 26 Vt ne fœminis mares, nec verò contrà, maribus fœminæ, neque senioribus adolescentes, cùm minimè hoc per ætatem conueniat, compatres in confirmationis Sacramento adhibeantur; nisi id aliter necessitas aliquando postulet.

27 Quod antiqui ritus est, id seruetur, vt compater dextera suscipiat, & teneat, quem in hoc Sacramento ministranti Episcopo offert. Si verò, qui offertur, adulta ætate est, pedem suum super dexterum compatris, qui ipsum offert, ponat: id quod non sine mysterii significatione fit. Quam ob causam, & qui confirmatur, & patrinus, tunc coram Episcopo confirmante stent.

28 Dum Sacramentum hoc Episcopus ministrat, non modo, qui illud suscepturi sunt, quique eos offerunt, sed omnes, quicumque præsentes sacro illi ministerio adsunt, sanctè, pièque orent, ac summa animi attentione spectent, quod in ea solemni mysterii celebritate peragitur.

Tum verò mente secum reputent, cælestia illa Spiritussancti dona, quæ illius Sacramenti virtute fidelibus impartiuntur: in primisque tacita meditatione videant, quas in illis ipsi progressiones habeant; atque vitam agant tanta cœlestium donorum vbertate dignam.

1. quæ pert. ad Sacr. Confir. administ. 29 Susceptores in Sacramento Confirmationis, neque iis, quos susceperint, neque eorum parentibus quidquam omninò largiantur, ne cuiquam, quod aliquando commissum est, iterandi hoc sacramentum, quod nefas est, occasionem præbeant.

5. vt sup. 30 Curent etiam Episcopus ac parochus, vt, qui turpe, ridiculumue nomen habet, neque planè conueniens Christiano homini, illud mutet, sumatque in confirmationis sacramento nomen alicuius, qui veræ pietatis, sanctæque religionis laude floruit, vt qui hactenus non ad normam Christi Domini vitam instituit, iam abiecto eius modi nomine, depositoque veteri homine, & antiqua socordia, rursusque, decenti ac sancto suscepto nomine, virilem in sanctè agendo constantiam perpetuò deinceps præstet.

31. 32 Confirmati frons, Chrismate ab Episcopo illita, primùm bombyce diligenter à Sacerdote abstergatur: mox à clerico, in sacris constituto, aqua lauetur. Quæ aqua in Baptisterij sacrarium proiiciatur. De Sacrament. Can. 5.

33 Omnem diligentiam adhibeant Episcopi, vt qua ratione commodius fieri poterit, Parochi describant confirmatos, & compatres; seruatis cæteris omnibus, quæ libro de baptizatis describendis præscripsimus. 1. vt sup. 5. fi.

De custodia Sanctæ Eucharistiæ. Deque vasis, & instrumentis ei vsui opportunis.

SVMMARIVM.

1 *Quibus in ecclesiis, & altaribus asseruanda.*
2 *Quo in Tabernaculo.*
3 *Eiusdem Tabernaculi forma, & ornatus ex decreto Concilij quarti.*
4 *Altera forma ex instructionibus fabricæ Ecclesiæ cum illius Compaei formula* 5.
6 *In eo quid aliud retineri non possit: eiusque clauis à quo, & vbi custodienda.*
Illud benedicendum, antequàm in vsum adhibeatur. De Sacramentis in genere, & Sacrament. 77.
7 *Quot particulæ consecratæ semper in eo asseruandæ, quoque tempore illæ renouandæ.*
8 *Quo in vasculo custodiendæ: & cuiusmodi.* 9.
10 *Idque vas, vt contegendum.*
Vela item quot, & qualia ad eum vsum paranda. Ibidem.
Quando in hostia magna consecrari possit. De vasis ad sanctiss. Sacram. in process. deferen. neceß. numer. 2.
11 *Quibus ex hostiis fiat.*
12 *A quo illæ conficiendæ.*
13 *Quoque in vasculo eæ retinendæ, ac particulæ ipsæ.*
14 *Lampas ante ipsam, qualisque accensa colluceat. Et de lampadibus.*
15 *Nimbis, procellis, &c. imminentibus, non extrahenda sacra Eucharistia, sed tabernaculum aperiendum.*
Intrà Monasterij Monialium septa non asseruanda. De eccles. Monial. 11.

EPiscopus diligentissimè curet, vt in Cathedrali, collegiatis, parochialibus & aliis quibusuis ecclesiis, vbi sacro-sancta Eucharistia custodiri solet, vel debet, in maiori altari collocetur, nisi necessaria, vel graui de causa aliud ei videatur. Conc. Trid. sess. 13. c. 6. Quæ pert. ad sacros. Euchar.

Tabernaculum, quo asseruatur, ornatum, & benè septum, ac munitum sit.

3 Tabernaculum ligneum, aliaue materia constans, in quo sanctissima Eucharistia asseruatur, panno serico intrinsecus circumuestitum vndique sit: conopæo etiam decenti, pro ecclesiarum facultate, locique dignitate contectum, ac benè præterea, tutòque clausum: atque ita quoque aptatum, vt inde sanctissimum Sacramentum 4. quæ ad sanctis. Eucharist. Sacr. pert.

commodè depromi possit, neque super altare propterea ascendi necesse sit.

Instr. fab. l. 1. cap. 13.

4 *Quoniam verò ex decreto prouinciali tabernaculum sanctissimæ Eucharistiæ in altari maiori collocari oportet, de eo instructionem aliquam hoc loco fieri conuenit.*

Primò illud in ecclesiis insignioribus, vbi potest, è laminis argenteis, aut æneis, iisdemque inauratis, aut è marmore pretiosiori, fieri decens est. Quòd tabernaculi opus, politè elaboratum, & aptè benéque inter se compactum, piis item mysteriorum passionis Christi Domini imaginibus exsculptum, & inaurato artificio certis locis, periti viri iudicio, decoratum, religiosi, & venerandi ornatus formam exhibeat. Intrinsecus autem tabulis populeis circumamictum esse debet, vel aliis eiusmodi, vt ab humiditate, quæ ex metalli, marmorisue genere existit, sanctissima Eucharistia illo amictu omnino defendatur.

Vbi tabernaculum eiusmodi non fiat, tunc è tabulis non nuceis, vel aliis, quæ humiditatem gignunt, sed populeis, aut similibus politè elaboratis, & religiosarum, vt suprà imaginum sculptura ornatis, iisdemque inauratis exstruatur.

Amplum, pro dignitate, & magnitudine, ratione ecclesiæ, in cuius altari maiori collocandum est.

Forma, vel octangula, vel sexangula, vel quadrata, vel rotunda, prout decentius, & religiosius, accommodata videbitur ad ecclesiæ formam.

In summo tabernaculo imago Christi, gloriosè resurgentis, vel sacra vulnera exhibentis, vel si in altari exiguæ alicuius ecclesiæ per tabernaculi occupationem congruus locus Crucis, quæ alias super eo collocaretur, esse non potest, ea pro alia sacra imagine in tabernaculi summitate, vel perpetuò affigatur, vel processionum causa aliquando amouenda, decorè constituatur, affixa Christi crucifixi sacra effigie.

Bene præterea, idem tabernaculum super altari, basis ornata firmitudine suffultum, aut firmis altaris gradibus, decorè confectis, aut angelorum statuis, aliisuè suffulcimentis, religiosum ornatum exhibentibus, sustentatum, firmiter fixum hæreat: tum bene etiam claue munitum sit.

A summa fronte altaris procul collocatum extet, non minus cubito vno, & vnciis sexdecim, ita vt corporale latè expandi, & pixis, cum aliquando vsu venit, commodè in altari poni possit. Neque rursus à fronte sic distet, vt ad sacram eucharistiam depromendam, Sacerdoti gradu etiam ligneo opus sit, nisi situs, & illius structuræ ratio aliud necessariò postulet.

In insignioribus porrò ecclesiis, vbi præsertim à tergo altaris chorus est, proque illarum structuræ ratione, eius altaris latitudo ampla admodum est, remotius esse potest; quoniam ab illa chori parte posteriori commodè, & decenter ipsa sacra Eucharistia è tabernaculo sumi potest, tuncque ab eadem chori parte ostiolum alterum præscripta forma fiat.

Atque sub tabernaculo armariolum nullum sit, ac ne asseruandis quidem libris, supellectilinè ecclesiæ locus sit.

Vbi in altari ita, vt suprà, collocari, suffulciriuè præ illius angustia tabernaculum totum non potest: à tergo suppositis basibus, atque aliis suffulcimentis, bene firmis, illud, aut totum, aut pars nitatur, ea tamen forma, & ratione, vt neque spatium inter altare, & parietem interiectum, quando exiguum est, impediatur, quo minus altare circuiri possit.

Panno serico rubri coloris, si Ambrosiani ritus ecclesia sit, aut albi si Romani, intus ab omni parte vestitum atque ornatum sit. Ostiolum habeat ab anteriori parte ita patens, vt paruulum alterum tabernaculum, quod intus in eo includitur, facilè, commodéque introducatur, & expromatur: ita præterea ad aperiendū accommodatum, vt totum in frontispicio à latere planè hærens, Sacerdotis, inde sacram Eucharistiam depromentis, brachium manumuè non impediat: Sit verò ornatum sacra Christi Domini Crucifixi, aut resurgentis, aut vulneratum pectus exhibentis, imagine, aut alia pia effigie.

5 *Conopæum Tabernaculi sanctissimæ Eucharistiæ, in ecclesiis ritu Romano, è serico, auro, argentouè intexto, vulgò brocato, vel è tela argentea, aureauè, aut saltem è serico simplici, coloris albi. In ecclesiis ritu Ambrosiano vtentibus, ex eadem materia, at rubri coloris. Amplè vndique pateat, pro tabernaculi maioris amplitudine, ita vt à summa parte crispatum, in fimbriis etiam, non angustè, sed longè latius decenter respondeat. Habeat verò, vt moris est, ab extremis partibus ornatū laciniarū, decorè cōtextarū.* Inst. fab. li. 2. de Conopæo.

6 Vacuum etiam sit à reliquiis, vasculo olei infirmorum, atque inani alio vase, vt omnino sacra Eucharistia, cum suo vase in eo dumtaxat conseruetur: aliud præterea nihil. 4. vt sup.

7 Quinque saltē particulæ consecratæ seruentur assiduè, vbi sanctissimum Sacramētum conseruatur, quæ octauo quoque die renouentur. Ibidem.

8 *Pixis vna in Cathedrali, collegiata, & parochiali Ecclesia adsit ad conseruandam sanctissimam Eucharistiam.* Instr. sup. Basil. Cath. colleg. & paroc. Eccles. de supellectili.

9 *Pixis, quæ ad sanctissimam Eucharistiam, rectè, piéque custodiendam adhibetur, ex auro, aut argento puro saltem, eoque inaurato, fieri debet.*

Quæ Pixis cùm ex argento sit, si minus ab interiori, & exteriori parte auro non illinitur, saltem ab interiori parte illiniatur. Quæ ad cultum & adm. sacræ Eucharist. &c. li. 2.

Cuius pes, vt manu facile, firmiterque capi queat, altitudine sit sex vnciarum. Instr. de for. supel. lib. 2. de pixide.

Nodus in medio decorè, rectéque ornatus, nihil, vel minimum eminens habeat, quo, dum pixis capitur, incommodè capiatur, aut digiti quicquam lædantur, præsertim quo tempore, inter Missæ sacrum populo sanctiss. Eucharistia ministratur, & illa, indice, & pollice coniunctis, manu tenetur.

Vas, seu cuppa, forma rotunda, aut ouata profunda sit, & decenter pro profunditatis ratione ampla; in fundoque medio paululum aliquid habeat, quod in orbem tenuiter emineat.

In summa pixide circulus tenuis, à labro minimum distans, insit, cui in orbē prominēti operculū innitatur.

Pixis operculum forma itidem rotunda sit, vel ouata, quæ respondeat formæ pixidis, quod in medio instar ferè pyramidis extet: ab vno, & altero item latere paruulos, tenuesque vncinos habeat: quibus in circulo aptè includatur. In eius summo crux paruula, aut imago Christi crucifixi, vel resurgentis infixa hæreat.

Vbi præ inopia aliud non potest, Episcopi iudicio, operculum, & pixis ex auricalco, aut stanno inaurato esse poterit.

10 *Vela ad vsum sacræ Eucharistiæ, quæ in tabernaculo maiori asseruatur decenter contegendæ, in Basilica Cathedrali, quatuor; in collegiata, tria; in Parochiali duo sint.* Inf. de for. sup. lib. 2. de velis pixid.

Vela Pixidi, aut tabernaculo minori adhibēda, auro, aut argento sint contexta, vel quod magis laudabile

esset, aurea, aut argentea, fimbriis circumquaque ex eadem materia adhibitis. Eiusdem verò mensuræ cum ijs velis erunt, quæ calicibus adhibenda præscripsimus, vel maiora, pro pixidis magnitudine.

4 quæ ad Euchar.

11 Idque fiat ex hostiis, non ante viginti dies ad summum confectis.

4. Ibidem.

12 Hostias pro sacra Eucharistia conficienda non laicus homo, nec verò fœmina faciat.

Instr. de for. supp. li. 2. De vasculo in quo sacræ hostiæ asser.

13 *Vasculum, quod sacris hostijs asseruandis paratur, ex operculo constans, forma rotunda sit, ex argento, aut saltem ex polito ligno tornatili, aliave decenti materia, decoroque item ornatu, & opere confectum: intrinsecus verò serico panno vestitum, latè pateat vncias quatuor, pluresve, vt hostiæ inde promi commodè possint.*

Alterum item vasculum, minoribus hostiis asseruandis paretur, quod ex eadem materia, eodemque opere, eodemque ornatu constet; at amplitudine maiore, nempè sex pluriumve vnciarum per diametrum ducta, vt pro ratione loci, plures hostias capere queat.

2. quæ pert. ad Sacr. sacro sāct. Euchar.

14 Ante ipsam semper lampas accensa colluceat.

3. de iis, quę ad Sacram. Euch. pert.

15 Cùm nimbi, procellæ, turbines, aut grandines impendent, ne Sacerdos ad tempestatis procellam arcendam vasculum adhibeat, in quo sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruatur: sed tabernaculum, vbi illud in altare reconditur, patefaciat licet: tumque in eius conspectu litanias aliasq; religiosas preces eius rei causa institutas, piè, sanctéque pronunciet.

De sanctæ Eucharistiæ in ecclesia administratione, ac sumptione.

S V M M A R I V M.

1 *Eucharistiam quilibet Paschæ tempore sumat.*
2 *A proprio parocho. 5. 9.*
3 *Ob idque infirmo etiam, eo tempore ab eodem deferenda.*
4 *Quibus eo tempore ministranda à parocho: quidque vlterius ab eo præstandum.*
5 *Vel alio sacerdote ob multitudinē communicantiū.*
6 *Non communicantium nomina ad Episcopum, & quando deferenda.*
7 *Episcopus verò, vt in eos animaduertat.*
8 *Interdictum, & denunciatio non communicantium.*
9 *Extra parochiam, diœcesimve qui communicarit, quod testimonium afferat.*
10 *Vbi non communicarit, communionem sumere cogatur.*
Illi non ministretur, qui confessus fuerit confessario non approbato.
11 *Qui non admittendi ad communionem.*
12 *Eucharistiam sumentes, quo habitu esse debent.*
13 *Rarò sumentes diligentius admonendi.*
14 *De eius vi, & ratione adolescentes à parocho instruendi.*
15 *Ea sumpta, vinum in calice consecrato non præbendum populo.*
16 *Maribus separatim à fœminis ministranda.*
17 *Ecclesiasticis tamen primò hominibus superpelliceo indutis, deinde laicis ipsis, scilicet maribus prius, posteà fœminis.*
18 *Ecclesiasticis in choro; populo autem extra ministranda.*
19 *Et intra Missarum solemnia.*
20 *Alio etiam tempore, & quando.*
21 *Extra Missarum solennia quibus vestibus vtendum à sacerdote illam ministraturo.*
22 *Pluuiali episcopus ministraturus vtatur.*
23 *Sacerdos ministraturus, quid dicat.*
24 *Instructio ad illam religiosè percipiendam.*
25 *Cum ea ministratur, efficax sermo habendus: die que dominico præcedenti.*
26 *Quæ antiphona, quique psalmi canendi illius administrationis tempore.*
27 *Communionis causa eleemosyna non quæritanda.*
28 *Hortandus populus à parocho ad confessionem, & communionem frequentandam.*
29 *Idem præstandum à concionatoribus.*
30 *Dissuadens concionator à communione frequentanda, prædicatione, sermonéque interdicendus.*
31 *Qui rarò communicant, quibus diebus saltem ad communionem inducendi.*
32 *Feria v. in Cœna Domini, qui in Cathedrali, & collegiatis communicent.*
33 *A clericis, diaconis, subdiaconis, & aliis clericis, quando sumenda.*
34 *Sumptionis fides exhibenda.*
35 *Cum in Missa sustollitur nemini standum.*

NEMO Paschæ tempore Eucharistiæ sumptionem vlla de causa differat. Primū, quę pert. ad Sacr. sanct. Eucharist.

2 Paschæ tempore, à suo cuique parocho proprio sanctam Eucharistiam ministrari Ecclesiæ institutum, ac præceptum est.

3 Quamobrem is, si quem parochialem habet, qui ex morbo laborans, aliave necessitate verè impeditus non potest sacro Paschæ tempore ad Ecclesiam conuenire, vbi sanctissimam communionem cum cæteris fidelibus percipiat, ad illum, etiam si paucis ante diebus perceperit, ipse illo Paschali tempore de more deferat. Sext. quæ ad sanctiss. Euch. Sacr. pert.

4 Parochi Paschæ tempore, sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum iis tantum ministrent, qui non modo tunc in parochiæ suæ finibus habitant: verùm etiam maiorem anni partem, aut sex saltem menses in ea habitarint; nisi sint, qui paucioribus ante diebus, mensibusve illuc habitatum venerint eo animo, vt in ea domicilium habeant, nisi item, qui ab Episcopo, propriove Parocho facultatem scripto concessam, exhibuerint alio loco communicandi, tum præterea, nisi peregrini sint, & aduenæ homines; idque in parochia aliqua diœcesis: quod si in vrbe, tum in Cathedrali Ecclesia Eucharistiæ Sacramentum ij percipiant. Horum autem peregrinorum & aduenarum, Eucharistiæ Sacramentum percipientium, nomina, cognomina, originis, seu domicilij locus, vno in libro fideliter asseruando à Parocho, ante omnia adnotentur. Quare singulis diebus, cùm in Pascha Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi Sacramentū Eucharistiæ administrabunt, antequàm illud cuiquam præbeant, ad populum conuersi denuncient, vt si quis eorum, qui adsunt, Parochiæ suæ incola non est, ad suam quisque parochialem ecclesiam abeat, vbi, quemadmodum canonum sanctionibus iussum est, eo tempore sacram Eucharistiam sumat. Secundū tit. 1. dec. 14

Parochi verò vrbani admoneant, atque hortentur crebro eos, qui rus ire sæpius solent, vt festi diebus illis solennibus, nempè die Natali Domini, in Quadragesima, & hebdomada sācta Ibidem.

potissimùm, Paschæ tempore, Ascensionis Domini die, in celebritate corporis Domini, in die Pentecostes, ruri non habitent, sed in vrbe, atq; in frequentioribus oppidis, vbi à rusticatione feriati, sacris, & diuinis officiis intersint, de verbo Dei conciones audiant, cæteraque Christianæ pietatis munera præstent, quæ ab vnoquoque Christiano homine debita, solennes, & stati illi dies maximè requirunt.

4. quæ ad sanctiss. Euchar. Sac. pert. Vt, & quod sacrorum canonum iure statutum est, seruetur, & parochi certam rationem inire eorum possint, qui curæ suæ commissi, sacram communionem in Pascha Resurrectionis Domini sumpserint, in eo tempore, etiam in Ecclesia Cathedrali, iis, qui intra alterius parochiæ fines in vrbe, aut in diœcesi habitant, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministretur, nisi aliqui sint, quibus iusta de causa Episcopus, aut proprius eius parochus, facultatem, scripto exaratam, nominatim dederit.

Peregrinis autem, aduenisve hominibus ex secundi Concilij Prouincialis præscripto, præberi, ministrarive liceat.

2. tit. 1. decre. 14. Episcopus de vita, & moribus mendicorum vagantium, diligenter inquirat, initaque aliqua ratione curet omnino, vt sacro Paschæ tempore illi communicent.

5. quæ ad sanctiss. Euc. Sac. pert. Sess. 25. c. 11. de reg. Laici famuli quicunque regularium monasterijs operam nauant; tametsi in illis habitent, stato Paschę tempore in sua quique ecclesia parochiali sacram Communionem sumant.

3. de iis, quę ad Sacram. Euch. pert. 1. quæ perti. ad Sacr. sanct. Euc. 5 Parochus ijs omnibus, qui intra ecclesiæ suæ fines habitant, in Pascha sacram Eucharistiam ipse, non sacerdos alius præbeat: nisi ob frequentem multitudinem, necesse sit alterum etiam sacerdotem adhibere.

6 Qui pręstituto tempore non communicarint, eorum nomina parochus ad Episcopum, ad sex dies post octauam Paschæ, scripto deferat, expositis etiã causis, quas extra confessionem cognouerit, alioqui pœnas det Episcopi arbitratu.

7 In eos verò omnes Episcopus censuris, & aliis pœnis acriter animaduertat, iis exceptis, qui eiusdem parochi consilio iusta de causa sumptionem in aliud tempus produxerint.

2. tit. 1. decre. 13. 8 Qui Paschæ tẽpore Eucharistię Sacramentum non sumpserint, si postquam ter, aut vnica monitione, quæ vna pro tribus satis sit, etiam generatim moniti, in cõtumacia perseuerauerint, iubeat Episcopus eos ipsos ecclesiæ ingressu, & ecclesiastica sepultura interdictionis in propria parochiali Ecclesia denunciari, tum eorum nomina descripta ad cathedralis, & parochialis Ecclesiæ valuas affigi: si verò in contumacia perseuerauerint, in eos prætereà, prout iuris est, animaduertat.

1. vbi suprà. 9 Huic decreto ne fraus fieri possit, statuimus, vt si quis ex necessitate, vel alia iusta causa, ab Episcopo, vel proprio parocho, comprobanda, extrà parochiam suam dicto tempore Eucharistiam sumpserit, parocho suo de eo fidem faciat; sin minus, in eum agatur, ac si non communicasset.

3. de iis, quę ad Sacram. Euch pert. 10 Quicumque in Pascha ab diœcesi abfuerit, is reuersus se eo tempore sacram Communionem sumpsisse, testatum faciat scripto sacerdotis, à quo sumpserit. Quod testimonij scriptum manu, vel sigillo ordinarij, aut eius, cui id curæ ille dederit, munitum sit: alioquin, vt Ecclesiæ præcepto pareat, confessus in propria parochiali Ecclesia, sacram Eucharistiam suscipiat. Quod nisi fecerit, prout iuris est, pœna afficiatur.

11 Publici concubinarij, fœneratores, ac blasphemi, & alij eiusmodi facinorosi homines, semel ad pœnitentiam, & Communionem admissi, si posteà eos in eodem luto peccatorum hærere cognitum fuerit, amplius ad sacram communionem ne recipiantur; nisi postea eos vitam, & mores re ipsa emendasse, parochi perspexerint. 1. de eod.

12 Qui sumunt, vt ad Deum tali tempore accedentes decet, demisso habitu, & humili vestitu, pænitentiam, & animi submissionem præ se ferant.

13 Sacerdos sanctissimam Eucharistiam iis, qui rarò sumunt, non prius ministret, quàm eos diligentius admonuerit, quanta reuerentia, & humilitate ad tremendum illud Sacramentum accedere debeant, quantaque illis supplicia sint parata, qui indignè suscipiunt.

14 Adolescentibus, qui tunc primum Eucharistiam sumere voluerint; parochus non prębeat, nisi eos ante aliquot dies examinarit, & de vi, & ratione Sacramenti diligenter instruxerit.

15 Populo, postquam Eucharistiam sumpserit, vinum calice consecrato, vel alio vase, quod ad sacri calicis formam factum sit, ne præbeatur.

16 Eucharistiæ Sacramentum, vbi pro Ecclesiarum amplitudine commodè fieri poterit, maribus seorsum à fœminis ministretur.

17 Is ordo prætereà adhibeatur, vt primo ecclesiasticis hominibus superpelliceo indutis; si verò Sacerdos quis est, stola etiam, quæ signum Crucis, ad antiqui canonis præscriptum, in pectore exhibeat: deinde laicis maribus, tum fœminis sacra communio ministretur, loco distincto, vt in Concilio Prouinciali quarto cautum est, eáque ratione dispositis, vt altari maiori terga ne vertant. 5. quæ ad sanctiss. Euch. Sacr. pert.

18 Quod & Toletano quarto, & Braccarensi primo Conciliis sancitum est, id de sacra communione ministranda religiosè seruetur, vt diaconis scilicet, & clericis ad altare, aut in choro illa præbeatur; populo autem, loco à choro, altarive aliquanto remotiori. 4. vt suprà.

19 Hoc institutum, quod antiquissimi ritus est, Sacerdos religiosè seruet, vt intra Missarum solennia, postquam scilicet sanguinem ipse sumpserit, fidelibus, sacram communionem sumpturis, ministret. 5. vt suprà.

20 Nec verò tamen illam ministrare vetitum sit, si quando occasio tulerit, vt quis alio tempore, quàm in Missa, sumpturus sit.

21 Cùm autem peracto Missæ sacrificio, statim eam ministrat, vestibus Sacerdotalibus, quibus in Missa vsus est, indutus ministret, casula tantum deposita, & manipulo item. Si verò non statim, sed alio post tempore, quàm in Missæ sacrificio, tunc superpelliceo, stolaque alba, & vbi ritus Ambrosianus est, rubra vtatur.

22 Verùm pluuiali Episcopus indutus sit, quando illam non in Missæ sacrificio ministrabit.

23 Sacerdos, illam ministraturus, antequam prębeat, vnicuique cui ministrabit, sigillatim illa verba pronunciet. Corpus Domini N. Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam:

& qui suscepturus est, prius respondeat. Amen.

Id quod antiquissimi instituti est, nec sine mysterij significatione fieri, sanctissimus Pater, & Ecclesiæ Catholicæ Doctor, Ambrosius scribit.

24 Populus autem ad tabellæ instructionis, quæ propterea iussu nostro edetur, præscriptum doceatur, qua ratione sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum religiosè, decoréque percipiatur; ne quid accidat, quod illius augustæ diuinitati, ac sanctitati non conueniat.

4. vt suprà. 25 Cùm frequenti populo sanctissima Eucharistia administratur, licèt eius vis, atque virtus explicetur, non facilè tamen tota huius generis explicatio, sermóque percipi, audirive ab omnibus potest: nec præterea omnes administrationis initio interesse solet; id propterea magnopere Episcopus curet, vt, vel per se, vel per parochum, vel per alium, in adhortandi munere exercitatum, ac probatum, etiam inter communicandum, verborum pondere, & sententiarum, quasi iaculis, & opportuna aliqua, & crebra breuique cohortatione, populus collectus, cùm ad frequentem sanctissimi Sacramenti sumendi vsum excitetur, tùm etiam commonefiat, quàm periculosum, exitiosumque sit ad sacram diuini illius cibi mensam indignè accedere: ac rursus quàm valde admodum in omnes partes vtile, ac fructuosum pabulo illo cælesti salutariter, ac frequenter vti. Conc. trid. Sess. 13. c. 6.

Hocque ipsum omne, die festo, frequentem populi communionem proximè præcedente, aliquando longiori, publicaque concione omnino præstetur.

26 Cùm sacra Communio diebus præsertim solennioribus, aut frequentiori fidelium multitudini ministratur, ex veteri instituto antiphona, Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum, & psalmus. Benedixisti Domine; & psalmus item, Dominus regit me, &c. & alia in rituali libro præscripta, aut aliàs ab Episcopo præscribenda, à clero canantur, cùm id per illius frequentiam fieri potest.

27 Ne occasione sacræ Communionis, etiam in Pascha ministratæ, vel ministrandæ, eleemosyna, peluicula, aut vasculo exposito, vllove alio modo, directè, aut indirectè, quæritetur.

1. de iis, quę ad Sacramentorum admin. gen. pert. 28 Parochi crebris cohortationibus in id maximè incumbant, vt populus sibi commissus, ad Confessionem, & Communionem frequenter, præcipuè autem in Natiuitatis Domini, & Pentecostes, ac aliis solennitatibus accedat.

3. de iis, quæ ad Sac. Euc. pert. 29 Ad saluberrimum illum sacræ Eucharistiæ frequenter sumendæ vsum parochi, vt primo Prouinciali Concilio iussum est, & concionatores item, quàm sępissimè populum cohortentur, nascentis Ecclesiæ institutis, atque exemplis, & grauissimorum Patrum vocibus, & vberrima hoc ipso de genere Catechismi Romani doctrina, & sententia denique Tridentinæ Synodi, quæ optaret quidem fideles in singulis Missis, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicare. Sess. 22. cap. 6.

30 Quod si quis concionator, etiam regularis aliquid contra directè indirectève dixerit, aut concionatus sit; Episcopus in cuius vrbe, diœcesive hoc ille admiserit, ei, tamquàm scandalum disseminanti, Tridentini eiusdem synodi auctoritate, interdicat prædicatione verbi Dei Ad cuius prædicationis munus ne idem restituatur, nisi primùm eiusdem Episcopi iudicio satisfecerit eo ipso loco, vbi ea in re scandalum, & offensionem præbuerit. Sess. 5. c. 2.

Itidem pro ratione culpæ corripiantur, corriganturve, & satisfacere quoque compellantur quicumque vel sermonem habendo, vel colloquendo hoc in genere offenderint.

31 Parochus autem, cum ad eum frequentissimum Sacramentorum vsum parochiæ suæ fideles cohortetur, vt Prouinciali tertio Concilio sanciuimus: tum crebris monitis illud, quod Siluerius Pontif. Max. statuit, in consuetudinem reuocare studeat, vt, qui sæpius non communicant, singulis saltem Dominicis diebus in Quadragesima Corpus Domini sumant, ac præterea diebus Dominicis Aduentus. 4. vt suprà.

32 Feria quinta in Cœna Domini, singuli, qui in Cathedrali, Collegiatave ecclesia, vel dignitatem, vel canonicatum obtinent, etiam qui sacerdotalis ordinis sunt, & reliqui item singuli eiusdem Ecclesiæ clerici, Corpus Domini in solenni Missæ sacro, quod illo die in ea Ecclesia fiet, sumant. Idque nisi ex iis aliqui sint, qui eo ipso die debitum Missæ sacri faciendi munus alio loco præstituri sunt. 3. de iis, quæ ad diui. offic. pert.

33 Cæteris etiam clericis, vt singulis mensibus, diaconi quidem & subdiaconi bis saltem, qui verò in minoribus ordinibus, aut etiam clerici tantum sunt, semel sacram Eucharistiam sumant. Qui sine necessaria causa, id facere omiserint, parochus eos sui officij admoneat; &, nisi paruerint, ad Episcopum deferat. 1. de freq. diu. Sacr.

Diaconi, subdiaconi, & reliqui clerici inferioris ordinis confessionem, & communionem frequentent, vt superiori Synodo Prouinciali præscriptum eis est. Confiteantur autem iis tantum sacerdotibus, quos ad audiendas eorum confessiones idoneos Episcopus, & in vrbe, & diœcesi comprobabit: dummodo talis sit numerus eiusmodi sacerdotum, vt confiteri volentes delectum habeant inter illos. Sacræ verò Eucharistiæ Communionem in propria parochia, vel in alia ecclesia, quam Episcopus statuet, diebus festis percipiant, idque in Missa solenni, si modo eo loco, eoque die celebrabitur. 2. tit. 2. dec. 26. Sess. 23. c. 11. & 14.

34 Illius autem rei fidem, tertio quoque mense, Episcopo exhibebunt.

35 Auersus ab Eucharistiæ Sacramento irreuerenter sedere, aut cum in Missa sustollitur, stare, nemo audeat. 1. de eccles. & earū cultu.

De vasis, instrumentisque ad sacræ Eucharistiæ in ecclesia administrandæ vsum, cum eorundem formis.

SVMMARIVM.

1 *Scamna oblonga in Cathedrali, collegiata, & parochiali quot. Cuius sint formæ.* 2.

3 *Mappæ longiores ad scamma sternenda, in Cathedrali, collegiata, & parochiali ecclesia, quot, qualesque.* 4. 1. Inst. sup. eccl. Basil. Cath. eccl. colleg. & paroc. ii. 1.

5 *Mappulæ breuiores, & quot eiusmodi.* 6.

de sup. quę ad cultum, & admin. sacræ Euc. &c. vsui est.

7 *Vasa pro purificatione populi quot, cum illorum forma.* 8.
9 *Vasa hæc ad alium vsum non adhibenda.*
10 *Vasa vinaria pro vino purificationis, quot, & qualia.* 11.
12 *Pixides quot, & quales. De vasis ad sacram Eucharistiam ægrotis deferendam, num. 1. Et de custodia Sanctæ Eucharistiæ.*

1. Inst. de for. suppel. lib. 2. De scabellis oblõgis.

1 *SCAMNA oblonga in Basilica Cathedrali ad apparatum communionis populi, sex, plurave, prout est eius frequentia.*

3. Inst. sup. eccl. Basil. Cath. eccl. coll. & par. De supell. quæ ad cultum, &c.

2 *Scabella oblonga, quæ vsui sacræ Communionis in ecclesia præbenda, sunt, altitudine constent cubitorum circiter duorum, latitudine vnciarum sexdecim; sint condecenter dolata.*

4. Inst de for. supell. libro 2. De Mappis ad vsum sacrę Comm.

3 *Mappæ ad apparatum communionis, ministrandæ in Basilica Cathedrali decem, plures, paucioresve pro populi ratione in collegiata sex, plurave; in parochiali quatuor, plurave.*

5. Inst. sup. eccl. lib. 2. Bas. cath. coll. & Par. ecclesiæ. Quæ ad cultũ, &c.

4 *Mappæ, quibus scabella oblonga, ad sacræ communionis, in ecclesia ministrandæ vsum parata, sternuntur, latæ sint, non minus cubitis duobus: longe verò, vt est scabellorum longitudo.*

5 *Mappulæ breuiores, subter sanctissimam Eucharistiam sustinendæ dum in ecclesia, aut ægrotis ministratur in Cathedrali quinque, in Collegiata & parochiali Ecclesia totidem.*

6. Inst. de for. supell. libro 2. De Mappis ad vsum sacrę Comm.

6 *Mappulæ autem breuiores, quæ ad eum vsum parantur, cum in ecclesia, vel ægrotis sacra Eucharistia ministratur, confectæ sint intro, & tenui texturæ opere: longè pateant cubitos tres, latæ circiter duos; ac ne extremitates quidem fimbriatas habeant, præter capita, quæ certè exornari conuenit.*

7. Inst. sup. eccl. Basil. Cath. coll. & paroc. vt suppell.

7 *Vasa pro purificatione populi in cathedrali quatuor, sexve in collegiata totidem, in parochiali quatuor.*

8. Inst. de for. supp. lib. 2. de vasis pixidis.

8 *Vasa ad purificationis vsum parata, caueatur, ne si aurea, aut argentea sint, calicis formam exhibeant, neque verò similia item Cyathis vinariis, è chrystallo saltem conficiantur.*

9. 3. de iis, quę ad Sac. Euch. pert.

9 *Ad communicantium purificationem vasa adhibita, nè alterius rei vsui sint; eaque propterea in Sacristia seruentur.*

10. Inst. supp. lib. 2. vt suprà.

10 *Vasa pro vino purificationis maiora, in cathedrali quatuor, ac minora totidem: totidemque in Collegiata, in parochiali verò, duo.*

11. Inst. de for. supp. libro 2. De vasis purif.

11 *Oenophora è stanno parentur, ita ampla, quæ purificationis vinum contineant: vrcei item minores.*

12. Inst. supp lib. 2. vt sup.

12 *Pixides duæ, ac plures etiam, pro ratione frequentis populi, ad sacram Communionem conuenientis, eæque grandiores, & ad eum vsum, cùm scilicet aliquando, eodem tempore, viris separatim à fœminis sacra Eucharistia ministratur: eodemque item tempore aliæ hostiæ ad eiusdem populi communionem consecrandæ sunt: idque in Basilica Cathedrali, in Collegiata verò, vna; at si animarum cura ibi geratur, plures pixides, vt in Basilica Cathedrali, suprà narratum est: in parochiali autem vna.*

4. quæ ad sanctiss. Euch. Sacr. pert.

Duas Pixides vnaquæque parochialis ecclesia saltem habeat, alterã forma maiori ad vsum sacræ communionis, populo in ecclesia ministrandæ; alteram minori, qua sanctissimum Sacramentum, ad infirmos deferatur.

De sancta Eucharistia ad ægrotos deferenda: indulgentiaque publicanda.

SVMMARIVM.

1 *Sacra Eucharistia, hortante parocho, à populo prosequenda.*
2 *Eiusque deferendæ causa quid vlterius à parocho curandum.*
3 *Sodalitates corporis Domini instituendæ.*
4 *Institutæ quibus regulis vtantur.*
5 *Sacra Eucharistia à parocho deferenda: & eo impedito à quo alio Sacerdote.*
6 *Noctu, quando ad infirmum deferri possit.*
7 *Antequam feratur, ægroti cubiculum apparandum.*
8 *Confratrum eiusdem sodalitatis ea in re officium.*
9 *Vesperi pridie delationis diei, & cùm deferenda erit signum campanæ dandum.* 10.
11 *Parochus delaturus, lotis manibus, oret, superpelliceum, stolam, ac pluuiale induat.*
12 *Clerici comitantes quo habitu induantur.*
13 *Quidque in via recitent.*
14 *Quid item, laici, & quo ordine prodeant.*
15 *Particulæ duæ sacræ à parocho deferendæ.*
16 *Et quando vnica tantum.*
17 *Obuians sacerdoti Eucharistiam deferenti, equo, curru, &c. descendat, & genuflectat. Illamque comitetur & quod ea in re parochi officium.*
19 *Aegroti familia illi quoque obuiam procedat.*
20 *Infirmo sumere impedito, quid agendum.*
21 *Periculosè ægrotanti, sumpta eucharistia, & extrema vnctione, pro viatico illa iterum non præbenda, eadem in infirmitate.*
22 *Aegrotanti sæpius tamen Eucharistiam, pro communione ministrari liceat.*
23 *Reus capitis damnatus, quo die Eucharistiam pro viatico sumpsit, vltimo supplicio non afficiendus.*
24 *Relato ad ecclesiam Sacramento, indulgentia denuncianda benedictioque impartienda.*
25 *Eadem indulgentia à Paulo III. concessa his sodalitatibus sæpe promulganda, &c.*
26 *In quibus sodalitiis id præstandum.*
27 *Indulgentia etiam à Gregorio XIII. concessa eisdem sodalitatibus euulganda.*

Primum, quæ pert. ad Sacram. sanct. Euc. Conc. trid. Sess. 13. c. 6.

1 VT sanctissima Eucharistia, ad ægrotos summa cum religione, deferatur; parochi populum sæpissimè hortentur, vt frequens semper prosequatur.

6. quæ ad sanct. Euc. Sac. pert.

2 Parochus hortetur, & curet, vt vnusquisque paterfamilias, præsertim dato campanæ parochialis signo, quo sacræ Eucharistiæ ad ægrum deferendæ significatio fit, sine mora in Ecclesiam parochialem conueniat, vel alium de familia digniorem mittat, ad illam cerei candelæve lumine prosequendam. Si quando autem is, qui paterfamilias est, per necessariam occupationem non potest, saltem certum aliquem hominem, vel filium natu maiorem, vel denique famulum, aliumve mittat; qui id pietatis officium præstet. Atque eam ob caussam domi etiam omnis paterfamilias perpetuò

funale cereum, aut candelam vnam, pluresve habeat, quæ ad id pietatis opus, officiumque vsui sint.

1. vt suprà. 3 Quamobrem etiam sodalitates Corporis Christi in parochiis instituant.

4 Quæ prætereà sodalitates, eo nomine, vt
5. de iis, quæ ad Sac. Euc. pert. alias prima Prouinciali Synodo iussum est, institutæ iam sint, & in posterum instituentur; regulis vtantur ad communem illarum, huius Prouinciæ sodalitatum vsum nostro iussu edendis. Quibus Episcopus addat, quæ pro vrbis, diœcesisve suæ ratione expedire videbuntur.

4. quæ ad sanct. Euc. Sacr. pert. 5 Ad ægrum parochus ipse, nisi in valetudine, aliave necessaria causa impeditus sit, Corpus Domini deferatur: si verò aliquando in hoc ministerio necesse habet alio sacerdote vti; ne alio, si potest, vtatur: nisi quem, ad confessiones audiendas, concessa scriptis facultate, Episcopus probauerit, idoneumque iudicauerit: cùm sæpè contingat, ægrum, cui sanctissimum corpus Domini defertur, iterum confiteri velle, propterea quòd post peractam confessionem aliquid commiserit, vel ante commissum meminerit.

5. quæ ad sanct. Euc. Sacr. pert. 6 Cum verò ad ægros, omni reuerentia, omnique religiosi cultus studio, atque honorificè, quò ad eius fieri potest, afferenda illa sit, neque id noctu commodè fieri queat, vetitum proptereà sit, ne noctu afferatur, nisi ægri mortis periculum instet.

5. vt suprà. 7 Parochus, ægroto illam allaturus, accuratè hæc præmoneat, primum, vt ægrotantis cubiculum ab omni sorde, omnique inquinamento purgetur, & amota omni re profana, pio apparatu, & sacris imaginibus, vbi potest, exornetur; tum prætereà mensa, mappa nitida, puraque constrata, cruce, aliaque effigie sacra, candelabris, & candelis, cereisve saltem binis instructa apparetur, in qua super corporali pixis, cum sanctiss. ipso Sacramento collocari possit: sit etiam vas vitreum ad ablutionis vsum.

8 Quæ omnia, vt ab iis, qui ægroti curam habent, parentur, cura sit in primis confratrum sanctiss. Eucharistiæ. Apud eos verò, qui præ eorum egestate, inopiaque id præstare non poterunt, ipsi sodales apparent.

9 Deinde id parochus, & vesperi pridie illius diei, quo sacram Eucharistiam allaturus est, si eo tempore de hoc officio præstando certior est, & tunc item paulò scilicet ante quam afferat, certis campanæ percussionibus confratres sanctissimi Sacramenti, & clericos, & reliquos fideles, præsertim illius parochialis viciniæ, euocari mandet, qui illud pia veneratione prosequatur.

1. vt suprà. 5. Ibidem. 10 Cùm verò deferenda erit, tum cum campanæ sonitu præmoneant.

11 Post ipse, vbi manus lauerit, ad altare genibus flexis, paulum tacitus religiosè oret, tum superpelliceo, stola; ac, vt alio Concilio decretum est, pluuiali, vbi potest, se induat.

5. de iis, quæ ad Sac. Euch. pert. Sacerdos, cũ Corpus Christi Domini ad ægros interdiu in Vrbe, aliisque frequentioribus locis defert, non superpelliceo solum, sed pluuiali prætereà indutus incedat, vbi per facultates, & per loci, temporisque rationem commodè fieri potest: tum prætereà, vbi etiã potest, aliqui clerici adhibeantur, clericali habitu, & superpelliceo induti, qui comitantes vnà cum deferente, sanctas religiosasque preces recitent.

Sacerdotes verò cæteri, clericive, qui comitantur, superpelliceum adhibeant; si canonicorum capitulum sit, cappam, vel almutium aliudve indumentum, vt illis in choro moris est. 5. Ibidem.

13 Reliqui fideles bini prosequantur, capite aperto, & quamplurimis candelis accensis, ac primo loco viri, in quibus scholares sanctissimi Sacramenti præcedant, postremò fœminæ.

14 Parochus, cùm vel sacrosanctam Eucharistiam, vel Extremæ vnctionis sanctum oleum ad ægrum defert, in via septem psalmos ex animo, pieq; dicat, vel alias religiosas preces. Omnes, præsertim ecclesiastici homines, hymnos, & psalmos pœnitentiales, aliosve, intima animi pietate simul cum parocho, sed alternatim pronuncient; atque alij item religiosè orent. 2. tit. 1. dec. 15. 5. Ibidem.

15 Duas autem Eucharistiæ particulas deferant, ne eis ad ecclesiam redeuntibus, populus inane vasculum adoret. 1. Ibidem.

16 Quod superioris Concilij Prouincialis decreto, de duabus Eucharistiæ particulis, ad ægrũ deferendis, constitutum est, id quoniam non sine difficultate vbique & semper obseruari potest, ideo vbi Episcopi iudicio, vel loci distantia, vel itineris, temporisve difficultas, vel alia causa impedit, quominùs illud præstari possit; tunc licebit sacerdoti, eam sanctissimæ Eucharistiæ particulam solum deferre, quam æger percepturus est: ita tamen, vt, cum inde parochus redit, non superpelliceo, non stola indutus sit, neque tintinnabulum pulsetur, neque vmbella adhibeatur, extinctis etiam luminibus, non palam vasculum deferatur. 2. tit. 1. dec. 11.

17 Cùm quis sacerdoti, sanctissimi corporis Domini Sacramentum ad ægros ferenti, aut cum eodem inde redeunti, obuiam fit, dum vel equo, vel curru, vel iumento vehitur, vbi primũ illum id ferentem viderit, inde statim descendat, humi; flexis genibus tamdiù in adoratione permaneat, quò ad ille cũ Sacramento trãsiuit. 5. Ibidem.

18 At verò omnis, siue sacerdos, siue clericus, siue laicus, quicumque eidẽ sanctissimo Sacramento obuiam fiet, pro Christianæ religionis cultu, domũ vsque eius, cui ministrandum est, & ad ecclesiã quoque quo reditur, pia veneratione prosequi, & comitari omninò studeat, nisi necessitate, causave vrgenti vehementer impediatur.

Id omne, vt cuncti fideles studiosè, religiosèque præstent, illos vnusquisque parochus quàm sæpissimè, ac diligentissimè commonefaciat.

19 Familia verò, quæ domi habitat, vbi ægrotus est, sanctissimo Sacramento, ad ecclesiã vsque vel saltem extrà ianuæ fines obuiã procedat cum cereis accensis, & omni alio interiori, & exteriori pietatis cultu, depositisq; planè armis.

Sacra cõmunio ad ægrotũ non deferatur, nisi ad eum, qui verè illã sumpturus est. Si verò aliquando fit, vt dum ad eum parochus venit, morbi vi ità affectũ illum inueniat; vt eam tunc ministrare ritè non possit, collocata pixide super corporale in mensa, eo nomine apparata, paululum moretur, cum genibus flexis, vna cũ cæteris, qui adsunt, ac potissimum cum ægroto ipso sanctè oret: ac posteà recessurus, Eucharistia pixide inclusa, eidem benedicat. Quod si ægrotus ipse id vehementer exoptat, Sacramentũ aperta etiam pixide, liceat ostendere adorandum.

21 Cum quis periculosè ægrotans, ac etiam penè in extremo spiritu sanctissimam Eucharistiam, & Sacramentum extremæ Vnctionis suscepit, si posteà aliquot dies superstes sacram Communionem sibi ministrari petit, eius pio religiosoque desiderio parochus nè desit, modo nè pro viatico iterum in eodem morbo præbeat; cum id à sanctis patribus olim fieri consueuisse traditum sit.

4. quæ ad sanctiss. Euch. Sacr. pert. 22 Aegrotantibus, etiam sine mortis periculo, Sacræ Eucharistiæ frequentius sumendæ, desiderio flagrantibus, iis præsertim, qui dũ integra valetudine sunt, frequenti Sacrorum vsu, se religiosè, salutariterque pascunt, nè parochus, quantum per alias necessarias in parochiali munere occupationes sibi licet, spiritualem illam consolationem, salutareque adiumentum, religiosa præparatione ab eisdem adhibita, deneget.

5. vt suprà. 23 Reus capitis damnatus, quo die pro viatico Sanctiss. Corpus Domini sumpsit; Christo Redemptori, qui pro illius etiam anima sanguinem in ara crucis profudit, à piis iudicibus, magistratibusque illo ipso sanguine redemptis, tribuatur, vt nè eo die supplicio afficiatur, vt multis locis piæ, & laudabilis consuetudinis est.

3. de iis, quę ad Sac. Euch. pert. 24 Perfunctus deferendi Sacramenti munere sacerdos, vbi ad Ecclesiam redierit, fidelibus, qui in eo deferendo præsentesque adfuerant, quam ex illo pietatis officio consequuti sint indulgentiam denuntiet; paucis verbis eos cohortans, vt in religioso eo instituto sanctè perseuerent, tum pronunciata oratione, quæ est de sanct. Sacramento illos dimittat in pace cum benedictione.

25 Indulgentia autem à Paulo Tertio Pontif. Max. corporis Domini sodalitatibus concessa sæpe promulgetur, crebrisque cohortationibus fideles incendantur, quo frequentiores illæ, vbique locorum instituantur, institutæque debitum munus obeant.

4. vt suprà. 26 Quod de Indulgentia à Paulo III. Pontif. Max. corpris Domini sodalitatibus concessa, sæpius promulganda, Concilio Prouinciali tertio sancitum est, id in iis sodalitiis præstetur quibus illa tributa, concessave est.

27 Indulgentia verò à Sanctiss. D. N. Greg. XIII. omnibus, & singulis, quæ in hac prouincia institutæ, instituendæve sunt, corporis Domini sodalitatibus data, cuius concessæ Indulgentiæ exemplum typis impressum, in vltima huius libri parte extabit, vbique in illis, sæpéque promulgetur, ad excitandos in salutari instituto, eiusque munere sollicitè obeundo, fidelium animos.

Quæ ad medicorum officium erga infirmos attinent, quæque alia ad hunc titulum pertinere aliqua ratione poterunt, videantur potissimum in titulo de Sacramento Pænitentiæ, & in titulis aliis, in quibus de sacra Eucharistia mentio extat.

De vasis, instrumentisque ad sacram Eucharistiam ægrotis deuotè afferendam opportunis, cùm eorundem formis.

SVMMARIVM.

1 *AD sanctissimam Eucharistiam ægrotis deferendam tam in Cathedrali, & Collegiata, quàm parochiali Ecclesia pixis vna saltem adsit.* Inst. supp. eccl. Basil. Cath. eccl. coll. & par. libro 2. de sup. quę ad cultum, & admin. sacræ Euc. &c. vsum est.

Duas Pixides vnaquæque parochialis ecclesia saltem habeat, alteram forma maiori ad vsum sacræ Communionis, populo in Ecclesia ministrandæ; alteram minori, qua sanctissimum Sacramentum, ad infirmos deferatur. 4. quæ ad sanct. Euc. Sacr. pert. Ibid.

2 *Pro hac Pixide ad ægrotos deferenda, sacculus sericeus ab vnoquoque diœcesis parocho habeatur ornatissimus, cùm opus erit, adhibendus.*

Sacculus, in quem pixis includatur, cùm sacra Eucharistia, per loca montuosa, prærupteque colles via difficili defertur, è serico villoso, beneque contexto sit, colore autem albo, ritu Romano, sed rubro, more Ambrosiano. Intrinsecus circumuestitus tela bombycina eiusdem coloris, vt est sacculus. Altior paulò sit pixide, qua includitur. Instr. de for. supell. libro 1. de sacculo Pixidis.

Fundum habeat firmiter consutum, benè crispatum, non quadratum, sed rotundum instar rosæ. A summa parte funiculos sericos, eosque solidos, certis foraminibus ita insertos habeat, vt cùm ducuntur, sacculus ita astrictum, bene cohæreat. Qui sacculi ita oblongi sint, vt cum vsu venerit, illis collo appositis, pixis inde pendeat.

3 *Vela præterea duo ad sacræ Eucharistiæ contegendæ vsum, cum ad ægrotos illa defertur tam in Cathedrali & collegiata, quàm parochiali Ecclesia adsint.* Inst. supp. Basil. Cat. eccl. coll. & par. lib. 2. De supp. quę ad cultum & admin. sacræ Euch. &c. vsui est.

Vela maiora ad sanctissimæ Eucharistiæ deferendæ vsum, auro pariter, aut argento intexta, aut si quis velit, etiam aurea, aut argentea, lata sint, vt veli tela, longa cubitis sex.

4 *Vmbella vna in vnaquaque ecclesia, Cathedrali, collegiata, ac parochiali, vsui cùm ad ægrotos Eucharistia defertur.* Inst. de for. supp. lib. 1. de velis Pixidis in fi.

Vmbella, vna scilicet ad sacræ Eucharistiæ contegendæ, altera ad insigniorum processionum officium

vsui,

4. Instr. supp. Eccl. Cathed. Colleg. & paroch eccles. lib. 2. De suppell. quæ ad cultum, &c. vt suprà. Instr. de for. supp. lib. 2. de vmbellis.

vsui, è serico, aut panno, auro, argentoue intexto sint. Vmbella autem minus pretiosa è panno subserico, vel saltem è zambelloto confici poterit.

A superiori parte contectæ sint tela bombycina: vndique verò ornatum habeant duplicium fasciarum, quæ duodecim circiter vncys longè pendeant: ijsque fascijs consutæ sint ab omni parte fimbriæ filamentis satis prolixis. Porrò inter vtrámque fasciam hastile inseratur: quod panno adaptatum, & annexum, rectè extendat latera vmbellæ, Cuius vmbellæ lateribus singulis, hastilia picta, paribus inter se spatiis disposita, quibus illa tolli, & gestari possit, quatuor, plurave pro eiusdem vmbellæ magnitudine supponantur.

Sint verò vmbellæ rubri coloris, vbi ritus Ambrosianus est, & vbi Romanus, albi.

Inst. supp. eccl colleg. & paroch. eccl. lib. 2. tit. de supp. quæ ad cultum, &c. vt suprà. Inst. de for. supp. lib. 2. de vmbellis.

In locis montuosis vbi per semitas, angustosque tramites sanctissima Eucharistia aliquando fertur, vmbella angustior sit, atque eiusmodi, quæ ab vno tantum homine sustineri, portarive queat, quæ vmbella in Collegiata, curata, ac parochiali ecclesia adsit sequentis formæ.

Tertia vmbella, quæ adhibenda est, vbi sæpè per semitas & angustos tramites sanctissima Eucharistia fertur, eiusmodi sit, quæ in orbem ducta, ac non nihil fastigiata, latè per diametrum pateat cubitis circiter tribus: fasciola prætereà circundetur, quæ ex eadem materia constans, filamentis appensis circulatim pendeat.

Inst. supp. eccl. cath. colleg. & paro. eccl. lib. 2. De suppel. quæ ad cultum, &c.

6 Crux, imagoue Christi Domini crucifixi in Cathedrali, collegiata, & parochiali vna, eaque decenter expressa ad infirmos deferenda.

6. Inst. de for. supp. li. 2. de Cruce ad ægrotos ferenda.

Crux, quæ ad ægros fertur, ex auro, argentoue, aut auricalcho, è ligno picto, inauratoque præclarè confecta, eiusmodi sit, in qua Christi Domini imago decorè expressa pietatem excitet.

7. Inst. sup. eccl. cath. colleg. & paroch. eccles. lib. 2. De supp. quæ ad cultum, &c. vt suprà.

7 Laternæ grandiores vsui sacræ Eucharistiæ ad ægros ferendæ in Cathedrali, & collegiata sex, in parochiali quatuor.

Lumina &c. Vide infrà, nu. 9.

8. Inst. de for. supp. l. 2. de laternis.

8 Laternæ ad sanctissimi Sacramenti ferendi vsum comparentur quatuor, quæ ex ligno inaurato, pictove, aut ex tenuissima saltem lamina ferrea constent: in iisque fenestellæ aptè diffusæ, cornu pellucido clausæ existant, ferrúmque præterea intrinsecus promineat cereis inserendis infigendisve accommodatum. Vt autem altè præferantur, hastilibus longitudine quatuor cubitorũ firmiter infixæ hæreãt.

9. Inst. sup. eccl. Cath. colleg. & paroc. eccl. lib. 2. De suppel. quæ ad cultum, &c. vt suprà.

9 Cereo feraria breuiora, deferendis luminibus vsui, cùm sacra Eucharistia defertur, in Cathedrali, & collegiata viginti quatuor; in parochiali duodecim.

10. Instr. de for. sup. l. 2. De cereo. stratis breuiorib.

10 Cereostrata breuiora, quæ vsui esse possint sacræ Eucharistiæ associandę, ea forma apparari debent, quę cereoferariis longioribus præscripta est: at hæc breuiora esse debent, vt cum vsu venerit, cereis insertis, possint manibus gestari. Colore, vel rubro, vel albo, prout ecclesia more vtitur Romano, aut Ambrosiano.

11 Inst. sup. ecc. Cathe. colle. & paroc. ecc. l. 2. De sup. quę ad cultum, &c. vt sup.

11 Tintinnabulum gestatorium vnum, cum sacra Eucharistia fertur adsit in Cathedrali, collegiata, parochialique ecclesia.

Lumina, Tintinnabulum, & decorum vasculum, velo etiam decenter contectum; ac præterea, vbi fieri poterit, vmbellam adhibeant.

Primũ, quę pert. ad Sãct. Sacr. Euchar.

De sanctissimo Sacramento processionaliter deferendo.

SVMMARIVM.

1 *Sanctissimum Sacramentum die festo corporis Christi à quo circumferendum.*

2 *Processiones in celebritate corporis Domini quibus in ecclesiis, & quando fiant.*

3 *Reliquię in illa processione non deferendę.*

4 *Canonici intortitium, & alii ministri cereos accensos deferant.*

5 *Superpelliceo induti.*

6 *Vt solemnitas Corporis Christi à fidelibus religiosius colatur, quid parochus cũ fidelibus ipsis agat.*

7 *Indulgentię quoque concessæ hac præstantibus, euulgandum, videlicet. Ieiunantibus, &c.*

8 *Ea processionis celebritas è fenestris non spectãda.*

Reliqua ad rectam processionis agendæ rationem videantur in tit. de Processionibus, & supplicationibus.

1 DIe festo Corporis Christi Domini, cùm sacro-sancta Eucharistia in solenni supplicatione gestatur, si adfuerit Episcopus, is eo ferendæ Eucharistiæ officio fungatur, si non adfuerit, id munus exequatur solus is presbyter, qui secundum Episcopum, pro eius loci consuetudine, honore cæteris præstat, nisi ex priuilegio, aut consuetudine ad alium presbyterum ea cura pertineat. — Primũ, quæ pert. ad Sac. sãct. Euch. — Cõc. Trid. sess. 13. c. 5. de cultu, &c.

2 Quæ processiones post solennem illam, quæ mane in celebritate Corporis Domini fit, vel eodẽ die, vel reliquis sequentibus septem diebus obiri solent, eæ ne fiant, nisi quibus Ecclesijs Episcopus concesserit, ijsque facultatem tantum det, vt manè, non à prandio habeantur, nisi temporis iniuria impediret, quo minus manè obiri possent. — 2. tit. 2. dec. 7.

3 In solenni illa processione, in qua sanctissimum Domini Corpus per vrbem religioso cultu defertur, ne reliquiæ vllæ, sed illud solum, vt veteris instituti, ecclesiæque Romanæ matris consuetudinis est, pio, religiosóque apparatu, solennique celebritate feratur. — 4. quæ ad sanctiss. euchar. Sacram. pert.

4 Canonici singuli, & qui dignitates obtinent, cùm processiones publicas, illam præsertim solennem, quæ in celebritate sacri diei Corporis Domini agitur, atque alias item in portando sanctissimo Sacramento singulis mensibus constitutas, obeunt, intortitium accensum in manibus, capite aperto, ferant.

Capitulum autem decenti magnitudine, & crassitudine habeat, quot canonicorum numero satis sint.

Reliqui chori ministri cereos item accensos habeant, eósque forma conuenienti.

5 In omni processione, & illa præsertim, quæ solenni die Corporis Domini agitur, clerus sæcularis, superpelliceo mundo, candidóque indutus, vt adsit, præmoneatur. — 4. de processionib.

6 Quò autem religiosius Prouinciæ nostræ fideles sanctissimi Corporis Christi Domini solẽnitatem colant, pietatisque operibus, quæ sacro illius solennitatis tempore præstanda sunt, indulgentias à summis Pontificibus, Vrbano IIII. Clemente V. Martino V. item & Eugenio IIII. — 4. quæ ad sanctiss. Eu. Euch. Sacram. pert.

concessas, consequantur; parochorum cura, sit, die Dominica, solennitatem præcedenti, hæc paterna charitate, grauique sermone illos præmonere, atque hortari.

Primò, vt confessi, vel in solennitate, vel intra octauam, sacram communionem sumant,

Vt pro facultatibus eleemosynam dent.

Vt purè, castéque in orationibus frequentes, atque assidui sint, in pietatisque Christianæ exercitationibus conuersentur.

Vt pridie solennitatis ieiunent.

Vt, & in solennitate, & reliquis deinceps septem diebus ad vespertinum, & matutinum, aliarúmque canonicarum horarum officium, & Missæ solennis sacrũ frequentissimi conueniãt, processionéque solennẽ item supplices obeãt.

7 Vtque ad ea Christianæ pietatis officia fideles magis inflammentur; per eosdem parochos, indulgentiæ, vt infrà exponuntur, ab eisdem Pontificibus vnicuique verè pœnitenti, & confesso datæ, euulgentur.

Ieiunantib. pridie solennitatis, indulgentia concessa annorum centum.

Præsentibus in vesperis primis, Indulgentia annorum etiam centum.

Ijs, qui in solennitate Missæ solennis sacro interfuerunt, indulgentia annorum totidem.

Qui in matutino aderunt, iis indulgentia annorum totidem.

Qui in secundis vesperis interierunt, iis quoque data indulgentia totidem annorum.

Qui primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Completorii officiis aderunt, indulgentia iis datur quadraginta annorum pro singulis horarũ officiis.

Qui intra octauam, vespertino, matutinóque officio, & Missæ solennis sacro aderunt, indulgentia item datur annorum centum.

4. vt suprà. de process. 8 Quod in multis huius Prouinciæ locis religiosæ consuetudinis est; retinere, aut, sicubi non est, introducere Episcopi studeant, vt omnes, tum mares, tum fœminæ sacro solennitatis sanctissimi Corporis Domini, religiosóque die eam processionis celebritatem non è fenestris, neque omninò è superiori loco inspiciant; sed eam prosequantur, omni piæ, religiosæque venerationis studio.

De Vasis, instrumentisque ad sanctissimum Sacramentum in processionibus deferendum necessarijs, cum eorundem formulis.

SVMMARIVM.

1 *Tabernaculum paruulum; vnum in parochiali: in Cathedrali verò & collegiata duo.*

2 *Eiusdem tabernaculi forma ex decreto Prouinciali, & Instructibili.*

3 *Velum vnum in Cathedrali, & Collegiata tantum, & quale.*

4 *Vmbellæ duæ, tam in Cathedrali, & collegiata, quàm parochiali ecclesia, & quales. De vasis, ad sacrã Eucharistiã ægrotis afferendã, num. 4.*

5 *Candelabra, cereo ferariaue duo, cum luminibus. De Processión. numero 9.*

Inst. supp. eccl. Basil. Cathed. & colleg. ecc. 1 *Tabernacula paruula duo: alterum altius, atque ornatius, alterum minori, & altitudine, & ornatu. Amboque ad vsum exponendæ in altari sacræ Eucharistiæ, & in processionibus ferendæ, in Cathedrali, collegiataque Ecclesia.* lib. 2. De supp. quæ ad cultum, &c. Ibid. De suppel. eccl. par.

Tabernaculum paruum ad sacræ Eucharistiæ, in altari exponendæ vsum, & in processionibus ferendæ in parochiali.

2 Tabernaculum autem, quod agendis processionibus, vel exponendæ sacræ hostiæ vsui est, pellucido vitro, vel christallo vndique circundatum sit: lunulámque formæ instructionibus suppellectilis Ecclesiasticæ præscriptæ, huiusmodi habeat, vt aperiri commodè possit, & fragmenta colligi, si quæ fortè ibi relicta sunt. Ipsa autem lunula saltem cum supposito paruulo scuto, ex argento constet. 4. quæ ad sanctiss. Euchar. Sact. pert.

Tabernaculum paruulum sanctiss. Eucharistiæ, sit ex auro, aut argento puro puto, eoque certis locis inaurato aut saltem ex auricalcho conflari debet, quod auri puri specie bene integatur. Instr. de fot. suppel. lib. 2. De Tabern. paruulo sãctiss. Euch.

Forma rotunda sit, & altitudine cubitali, aut maiori, minoriue, pro tabernaculi magni ratione: amplitudine, quæ hostiam amplam commodè capiat.

Distingui debet certis spatiis, intra columellas interiectis: quæ columellæ ornatè fabrefactæ, non impares, ne sacræ hostiæ prospectum à latere impari impediant: sed pares, nempè quatuor, aut sex, aut octo esse possunt: quæ si octo, binæ collocentur.

A summa parte columellarum existere debet ornatus è Zophoro Corintho, quod opus phrygium vocant, & coronidibus constans: ita vt in eo tabernaculi fastigium semisphærale, aut pyramidale nitatur, adiunctis in ima parte fastigii duabus fibulis, siue vncis, quibus fastigium cum Zophoro connectatur, affixa in summo paruula cruce quadrata, aut imagine Christi Domini crucifixi, vel resurgentis.

Pes, quo tabernaculum huiusmodi sustentatur, in orbem latiusculè ductus, forma sexangula, vel octangula sit, quò firmius, & decentius hæreat. Nodus in medio decorè, rectéque ornatus, nihil vel minimum eminens habeat, quo dum capitur, incommodè capiatur, aut digiti quicquam lædantur. A parte inferiori tabernaculi, lamina orbicularis omninò argentea, atque inaurata, pro illius magnitudine esse debet: quæ sensim à lateribus, indéque circum in labiis eminens, fundum constituat, atque eiusmodi, vt, cum vsu venerit, amoueri queat.

In cuius lamina, fundiue superiori parte media, affigi debet parua lunula aurea, vel saltem argentea inaurata, duplex: quæ, breui, tenuique suffulcimento sustentata, à fundo paululum extet; tantulo præterea spacio diuisa, quantulum sacræ hostiæ crassitudo capit: eo item fabrili opere confecta, vt vna alteri in sustentaculo, firmiter, aptéque inserta, aliquando disiungi possit: quò accuratius, si quæ fragmenta hostiæ sacræ in paruulo illius medio spatio remanserint, colligantur.

A parte autem inferiori lamina hęc paruulo, tenuique tubo transuersali constet, per quem spinula argentea ducta, eam laminam firmiter cum tabernaculo planè connectat.

Tabernaculo ita constructo, vas forma orbiculari, illius magnitudini aptè conueniens, à summa parte clausum, & solidum, ab ima verò apertum è chrystallo aut è vitro pellucido pretiosiori apparari debet: quòd intra ipsas tabernaculi columellas inseratur; vnde sacræ hostię prospectus esse possit.

3 *Velum vnum, idque insignius ad sanctissimam Eucharistiã in processionibus solenníoribus ferẽdã, in* Inst. supp. eccl. Basil.

Cathe. & colle. eccles. lib. 2. De sup. quæ ad cultum, &c. Inst. for. sup. l. 2. De velis Pixid. insi. Inst. sup. ecc. Cath. colle. & paroch. eccle. lib. 2. de supel. quæ ad cultum, &c.

cathedrali, collegiatáque Ecclesia paretur.

Vela maiora ad sanctiss. Eucharistiæ deferendæ vsum. auro pariter, aut argento intexta, aut si quis velit, etiam aurea aut argentea, lata sint, vt veli tela, longa cubitis sex.

4 Vmbella vna pretiosior, in solennioribus processionib. adhibenda, eáque tam in Cathedrali, & collegiata, quàm parochiali ecclesia præparetur.

De oratione quadraginta horarum, & sanctissimi Sacramenti asseruatione, feria v. in Cœna Domini.

SVMMARIVM.

Primum, 1 quæ pert. ad Sacr. sãct. Euch.

VT oratio, quam vocant, quadraginta horarum, coram sanctiss. Sacramento, quo frequentissimus populus conuenire solet, qua pietate, & religione instituta est, eadem retineatur, & propagetur, decernimus.

2 Vt Sacramentum in altari, decenter ornato, collocetur: quo tempore, vel Litaniæ cantentur, vel si temporis ratio patiatur, Missa celebretur, neque tamen extrà ambitum templi sacra Eucharistia deferatur, nisi secus videatur Episcopo.

3 Oratio quadraginta horarum, religiosè instituta, vt perpetuò sanctissimè, cum salutarique animarum fructu retineatur, hæc etiam præter cætera, eo de genere alias sancita, constituimus, & decernimus. 4. quæ ad sanctiss. Euch. Sacram. pert.

Primò in ijs solùm Ecclesijs siue sæcularibus, siue regularibus, fiat celebreturve, in quibus sanctissimum Sacramentum asseruatur: nec verò in ijs omnibus; sed in illis tantummodo, quas Episcopus statuerit.

4 Fiat autem in conspectu sanctissimi Sacramenti: quod è tabernaculo repositum, in maiori, aliove, si Episcopus ita censuerit, altari propalam collocetur. Quod, vt cum dignitate, decorè, religioséque agatur, altaris, vel capellæ, vbi exponetur, collocabiturve, ornatus decens sit.

5 Cerei prætereà in altari accensi, ad summum decem, minimum verò sex decenti crassitudine, ac longitudine colluceant: lampades item ne plures, quàm duodecim, aut tredecim, nec verò pauciores, quàm tres; licebit tamen Episcopo ob causam permittere, vt maior luminum numerus aliquando adhibeatur.

6 Orationis initio, cùm sanctissimum Sacramentum palam proponendum est, primùm datis solenniter de more pridie illius diei, vesperi, & iterũ eo die paulò ante cãpanarũ signis, præsens adsit, cùm sacerdos, pluuiali indutus, qui illud religiosè proponat; tùm illius ecclesiæ, vbi oratio futura est, aut totius parochiæ, si ecclesia parochialis est, clerus superpelliceo vestitus, qui in hac functione illum adiuuet.

7 Si verò, qui conuenerint, clerici, vel parochiæ, vel ecclesiæ pauciores sunt, quàm sex; alij aliunde euocentur, vt ne eo numero pauciores adsint; hique cum luminibus accensis, tum homines itidem, parochiæ, in cuius ecclesia, finibusve oratio exponitur, præsertim sanctissimi Sacramenti sodalitati adscripti.

8 Processio in exponendo sanctissimo Sacramento per ecclesiã agatur litanijs, statisque antiphonis, precibus, & orationibus, cum cereis accensis: itidémque in eo reponendo seruetur.

9 Dum illud in altari propositum est, interdiù clerici duo superpelliceo induti, capite aperto, ad altare semper assistant: quorum alter diaconus saltem sit; noctu verò saltem vnus, isque in sacro ordine constitutus.

10 Ad altaris vero capellæve, vbi proposito sanctissimo Sacramento oratio fit, cancellos, affixæ sint tabulæ precum, & orationum, quæ pro temporum, calamitatúmque ratione orantium vsui ex sanctæ Matris, Ecclesiæ instituto accommodatæ, eæque litteris grandiusculis exscriptæ, loco perpetuo sint.

11 Ad excitandam prætereà populi, in stata hac oratione versantis pietatem, hoc curetur, vt aliquando, quo præsertim tempore, quave hora frequens est fidelium ad eam concursus, sermo, isq; breuis, ad piæ meditationis studium inflammandum appositè habeatur.

12 Vt autem ad huius Constitutionis præscrip-

ptum omnia, quæ ad huius statæ orationis vsum, sanctè retinendum pertinent, decorè, rectè, ordinéque agantur: vnicuique vrbis regioni ab Episcopo aliquot viri graues, pietatis, spiritualisque vitæ amantes, & in ijs saltem vnus ecclesiastici ordinis, qui alijs præsit, constituantur: qui in sua quique regione orationis huius curā gerant, quo tempore illam celebrāt. Eorum, præter cætera, munus erit, cùm videre, vt ad huius sanctionis præscriptam normam illa fiat, celebreturve; tùm quibus in Ecclesijs proximè ea futura est, illarum ministris ipsam significare, ac prænunciare.

13 Porrò ad ornatum, atque apparatum huius orationis celebrandæ, ne quid ob sumptus necessarios desit; à parochiæ incolis parocho, in cuius ecclesia illa fiet, adhibitis simul aliquot parochialis viciniæ viris, Episcopo probatis, eleemosynam eo nomine quæritare, & colligere liceat. Quæ eleemosyna, si quæ vmquam ex impensis illis reliqua erit, Episcopi arbitrio in vsum, & ornatum, qui ad cultum spectet sanctissimi Sacramenti, erogetur in illa ecclesia, vel in alia, vbi magis necessaria sit.

14 Nec verò, hoc vel alio prætextu, illo orationis tempore ad eleemosynam excipiendam, colligendamve pelues, aut vasa eiusmodi patula exponantur; sed Episcopi permissu, concessuve capsulas proponi liceat.

15 Orationis huius curatores videant, vt per quadraginta ipsas horas continenter fiat: ac ne ad momentum quidem temporis, nec diu, nec noctu intermittatur.

16 Cui rei, quò cautius prospiciant; supputata parochialis viciniæ incolarum, tum marium, tum fœminarum ratione, illisque in certas ob eam curam classes congruenter distinctis, & dispositis horas statæ orationis pro supputatione inita, & populi partitione facta, ita separatim ordinéque assignent, vt sua hora classes singulæ ad orandum conueniant, & intermissionis nullum spatium relinquatur.

17 Hoc orationis tempore, in ecclesia, vbi illa celebratur, fœminæ à maribus separatæ, tabulato ad instructionum præscriptum interiecto, aut alio intersepto adhibito, orent.

1. vt supra. Interdiu autem mares, quantum fieri potest, separatim à fœminis orent.

Ibidem. 18 Nemini autem eo, præter orantes custodes, huius orationis causa noctu conuenire liceat.

4. vt suprà cum sequ. Ne noctu fœminis orandi stata hora, aditusue in ecclesia detur.

19 Quòd si noctu orantes deerunt, sanctissimū Sacramentum in tabernaculo reponatur.

Quod si fortè ex hac, vel alia causa Episcopi iussu aliquando noctu intermitti contigerit; interdiù compensetur continenti orandi spatio.

20 Cùm oratio noctu celebratur; ne propterea ecclesiæ ostia pateant, sed clausa, pulsantibus, & ad orandum conuenientibus, etiam singulis, aperiantur.

21 In ecclesijs monialium, cùm oratio hæc celebratur, nemo prorsus noctu in illam ad orandum intromittatur.

22 Verùm ibi sanctissimum Sacramentum per noctem in tabernaculo maiori repositum, moniales solum ab interiori ecclesia adorantes, nocturno eo tempore per statas horas in oratione perseuerent; summo verò mane iterum è tabernaculo illud depromatur.

23 Præfinito illo quadraginta horarum tempore, nec verò diutiùs, in ecclesia, vbi concessum est, oratio hæc celebretur. Id verò temporis prorogari ne liceat, nisi Episcopi concessu.

Tamen cum noctu terminari contigerit, ad lucem produci eiusdem iussu licebit, si quando huius orationis initium, & finem noctu fieri minus decenter ille animaduerterit.

24 Per horam, antequàm in vna ecclesia oratio hæc terminetur, in altera, vbi proximè futura est, de more ritè inchoetur.

25 Quæcumque de loco, ecclesiave, in qua exponenda sit sacra Eucharistia pro oratione quadraginta horarum, hac constitutione suprà præscripta sunt, aut de alijs ad cultum, & venerationem sanctissimi Sacramenti, aut ad altaris, capellæve, vbi illud palàm proponetur, apparatum, atque ornatum pertinentibus, ea cum in ordinario orationis huius instituto, & vsu, tum etiam, si quando extraordinariè idem adhiberi petitum, aut concessum erit, inuiolatè, accuratéque seruentur.

26 Oratio, quæ quadraginta horarum dicitur, ne vlla in ecclesia extrà ordinem constituatur, sine Episcopi concessu. Isque eam ita sanctè geri curet, vt pij illius instituti ratio exigit. 2. tit. 2. dec. 16.

27 In ecclesia Cathedrali, quoties oratio quadraginta horarum, vel inchoatur, vel peracto in alijs ecclesijs illius cursu, in eadem iteratur, aliave ratione exponitur, indiciturve; omnis ratio suadet, vt splendidiori luminum apparatu, & maiori cleri frequentia, maioríque populi concursu habeatur atque celebretur. Quare illius orationis initio, quod in ea ecclesia fit, rursúsq; in eiusdē fine, vt episcopo videbitur, cū illius Ecclesiæ clerus, populúsque si quem pro parochiæ ratione peculiarem habent; tum etiam vniuersus vrbis clerus, tam sæcularis, quàm regularis, qui supplicationibus publicis interesse solet, ac sodalitates omnes; & cunctus præterea populus suis parochialibus sanctorum insignibus distinctis, in illam matricem ecclesiam generatim, vniuerséque ad orationis celebritatem conueniant. 4. vt suprà.

Sigillatim verò pro vniuscuiúsque parochiæ viciniæue, in classes distinctæ, ratione, quam Episcopus certam statuerit inieritve, idem tum clerus sæcularis, ac regularis, tum populus statis horis, sibi ordine speciatim attributis, ad eam Basilicam concurrat, more solennium processionum cruce scilicet prælata, & precum, antiphonarū, psalmorúmq; pio, ac religioso cātu; indéque quo ordine processerit, eodem piè, deuotéque redeat.

28 Feria quinta Cœnæ Domini, quò religiosius colatur, & custodiatur locus, in quo sanctissimū Christi Domini corpus recondi solemne est; Episcopus diligenter curet, vt & in Basilica Cathedrali, & in Ecclesijs, tam collegiatis quàm parochialibus semper vnus saltem Sacerdos, aut sacris initiatus, eo sacro loco, tamquam in statione collocatus, excubet, atque euigilet in assidua precatione, sanctáque meditatione. 6. quæ ad diui. off. pert.

De Vasis, & instrumentis, exponendæ sacræ Eucharistiæ vsui, pro oratione quadraginta horarum, necessarijs, eum eorundem formulis.

SVMMARIVM.

1 *Tabernaculum paruum, & cuius formæ. De vasis, &c. ad sanctissimum Sacram. in processi. deferen. num. 2.*
Vela, & qualia. De custodia sanctiss. Euch. numero. 10.

Instr. supp. eccle. Cathe. colleg. & paroc. eccl. lib. 2. De suppello. quæ ad cultū, &c. 1 TAbernaculum vnum in parochiali ecclesia, ad exponendam in altari sacram Eucharistiam; & in processionibus deferendam; in cathedrali verò, & collegiata ecclesia duo sint, ad eundemmet vsum.

Quæ pertinent ad Sacramenti pœnitentiæ administrationem.

SVMMARIVM.

1 *Confessio peccatorum semel saltem in anno parocho facienda.*
Non tamen vsque ad hebdomadam Sanctam differenda. 13.
Confessi in Pascha referendi in librum. De Confessario. num. 37.
Qui eo tempore non communicarint, ecclesiæ ingressu interdicendi.
De Sanctæ Euchar. in eccl. administr. num. 8.
2 *Quod interdictum, vt relaxandum.*
3 *Confessus alienæ diœcesis confessario non approbato, vt inconfessus habendus.*
4 *Confessarij eiusmodi pœna, Decretique publicatio.*
5 *Aegris à medico confessio suadenda, & quid aliud agendum.*
6 *Parochi, & ægroti familiarium officium erga illum ægrotum, 7. in fine.*
7 *Medicus excommunicationem incurrit ægros inconfessos vltra quatriduum visitans, vt que illam euadat, quid faciat. 11.*
8 *Domesticis spiritualis cura ægrotorū cōmendatur.*
9 *Vt Constitutio Pij V. a Medicis seruetur, Episcopi cura.*
10 *Eadem Cōstitutio quotannis semel promulganda.*
11 *Medici iurantes seruare prædictam Constitutionem, excommunicationem euadunt.*
12 *Aegrotis non prorogandum tempus confitendi, nisi Episcopi concessu.*
13 *Cura parochi ne paschalis confessio ad Sanctam hebdomadā differatur. de confessario. n. 10. 11.*
14 *Illius audiendæ tēpore, parochi assistētia, & cura.*
15 *Quæ præparatio à pœnitentib. in illa adhibenda, quæque cauenda, 16. & de Sacramentis, & Sacrament. 13.*
17 *Vtque fideles ad illam sollicitè accedant, quid faciat parochus, & quando.*
Absolutio quibus neganda. De confessario num. 15.
A quib. sacerdotib. audiri nō possit cōfessio, num. 1.
A Sacerdotib. singulis saltem hebdomadis facienda. De Missis sine cantu. 54.
18 *Eò item profecturi, vbi pestis, & hæresis est, confessariique defectus, illam agant.*
19 *Mulier quoque paritura.*
20 *Nauigaturus etiam, profecturus, periculosumque negotium suscepturus, confiteatur.*
21 *Idem faciat ab itinere, nauigatione, belloque reuersus, reque benè successis.*
22 *Pœnitentia publica, publicè peccantib. imponēda. Vbi pœnit. pecuniaria sit danda, quib. locis attribuenda. De confess. 18*
23 *Publica, & solennis in vsum reuocanda, & instructionum præscriptio.*
24 *In reuocandis publicis peccatoribus à peccandi occasione.*
Episcopi cura, & quo præsertim tempore id præstandum.
Ieiunium quale, & quib. dieb. faciendum. De Aduentu, &c. à 2. ad 12.
Confessio in Missa non inchoanda nisi omnib. ad Missæ ministerium necessariis præparatis. De Missis sine cantu, 61.

1 INnocentij Tertij constitutionem, in generali Concilio editam, qua sancitum est, vt fideles, saltem semel in anno, proprio parocho peccata sua confiteantur, inuiolatè omnes seruent. 1. quæ ad pert. ad sacram. pœn. administr. c. omnis vtr. sexus de pœnit. & rem. c. cum infirmis, eo.

2 Si quibus Ecclesiæ ingressu, Christianáque sepultura publicè interdictum est, quoniam confessi, vt est sanctæ matris Ecclesiæ præceptum, sacræ Paschæ tempore corpus Domini non sumpserint, eorū interdicti vinculum non relaxetur; nisi primum cauerint, se tempore eis à parocho præscribendo, & de peccatis confessuros, & sacram Eucharistiā sumpturos esse, & in posterum sanctæ Ecclesiæ præceptis, & huic præcipuè obedientes fore, quod est de confessione, & de communione Paschæ tempore sumenda, Parochus deinde populo significet illos ipsos, quos iam interdicti vinculo irretitos denunciarat; eodem solutos. 3. de iis, quæ ad pœn. sacr. pert.

3 Qui ad confessarium, etiam regularem, in aliena diœcesi commorantem, dedita opera se conferens, peccata sua sit confessus, nisi cōfessarius ille, & ab Episcopo loci, & à confitentis ordinario ad confessiones audiendas probatus erit, ei, tamquam inconfesso, parochus Eucharistiæ Sacramentum nè præbeat: illius præterea ordinarius, cuius confessionem ille sacerdos confessarius non probatus audierit, nè eum patiatur in sua diœcesi confessiones per biennium audire, neque itidem concionari. Ibidem.

4 Quod decretum Quadragesimæ initio à parocho promulgetur quibus locis Episcopo videbitur.

5 Salutarem eiusdem Innocentij Constitutionem, eo item Concilio latam, nos ad vsum reuocantes, præcipimus, vt medici ad ægros, in lecto iacentes, adducti, antequam illorum curam suscipiant, eos planè moneant, vt idoneo confessori de eorum peccatis confiteantur. 1. vt suprà.

Quibus etiam denuncient, se, nisi id quatridui spatio ad summum præstiterint, eorum curationi defuturos,

6 Parochum etiam curabunt certiorem fieri de eo, qui in eius parochia morbo affectus teneatur, qui pro sui officij munere statim ægrum conuenire, & cum eo agere debet, vt per hoc Sacramentum Deo reconcilietur.

7 Iubemus autem medicos, excommunicationis pœna iis proposita, quā iure ipso subeant, si secus fecerint, trāsacto quatriduo ab illorum

curatione omninò abstinere, nisi certò cognouerint, eos postquam in eam febrim, morbumue inciderunt, confessos esse, aut Episcopo, eiuè, cui Episcopus eius rei facultatem dederit, aliud ex iusta causa videatur.

8 Hortamur denique omnes, quos aliqua de ægrotis cura attingat, vt nullā occasionē omittāt inculcādi eis, quæ ad animæ salutem pertineant.

2. tit. 1. decr. 17. De const. n. 8. 9 Quod Summus Pontifex Pius V. propositis excommunicationis, alijsque pœnis iussit, medicos ab ægrotantis curatione post triduum abstinere, nisi eo tridui spatio, de peccatis suis confessus ille sit, id Episcopus curet quàm diligentissimè obseruari. Rationémque præterea aliquam statuat, qua medicis ipsis facilius exploratum esse possit, ægrum peccata sua verè confessum esse.

3. de iis quæ ad pœn. sacr. pert. 10 Grauissima illa à Pio V. Summo Pontifice de Medicis edita constitutio, quotannis semel saltem, de more promulgetur, si id opus esse Episcopus censuerit.

4 quæ pert. ad sacr. pœn. 11 Medici quicumque, vel in vrbe, vel in diœcesi sunt, duorum mensium spatio per singulos Episcopos, si id ante non præstiterint, iureiurando obstringātur, quo spondeāt, se, quod Pij V. Pontif. Max sāctione, de medicis edita, præscriptū est, integrè, inuiolatéq; seruaturos esse.

Qui id iusiurandū præstiterint, nè excōmunicationis pœna, Concilio prouinciali primo decreta; sed ijs tantum pœnis illa Pōtificis Cōstitutione sācitis irretiti teneātur, si cōtra fecerint.

12 Nec verò confessarius sacerdos, confitendi tempus ægrotanti proroget, nisi primum re cum Episcopo, eouè, cui ille id curæ dederit, communicata, prorogationis facultatem, scripto exaratam, ab illo impetrarit.

1. vt suprà. 13 Parochi sæpè cohortentur, & moneant fideles, nè confessionem quæ Paschæ tēpore fieri debet, vsque ad sanctā hebdomadam differant.

14 Caueant Curati, nè ijs temporibus, quibus confessiones frequentiores esse solent, præcipuè per octo dies ante Natalem Domini, & à Dominica Passionis vsque ad Resurrectionis octauam, etiam aliò ad funera, & alia sacra officia vocati, illud audiendæ confessionis munus in sua Ecclesia, sine causa necessaria, prætermittant, aut vllo modo differant.

15 Ad sacramentum pœnitentiæ, quo à peccatis liberamur, nemo sine debita præparatione accedat, vt in spiritu humilitatis, & amaritudine animæ suæ, non expectata confessoris interrogatione, ipse peccata sua confiteri possit: cuius tamen diligentia adiuuandus erit, vbi aliqua in parte deficere videbitur.

5. quæ ad pœnit. sac. pert. In pœnitentiæ sacramento magna humilitas summè necessaria est. Itaque pœnitentes, cum ad confessarium, qui Christi Domini locum in eo ministerio tenet, accedunt, intimo animi dolore, omnique humilitate, non subiectis puluinaribus, si necessitas non postulat, sese ad illius pedes proijciant, ac prosternant, id quod ab Apostolis vsque seruatum est, vt se reos agnoscant, atque profiteantur mortis æternæ.

Dum confitentur, sint manibus iunctis, digitis paulùlum erectis, oculis demissis.

5. quæ ad pœnit. sac. pert. 17 Vt ad sanctū pœnitentiæ sacramentum fideles sollicitè, diligentérque accedant; parochus præstet, vt in hebdomada, quæ quadragesimam proximè præcedit, ad patrum familias ædes, quæ intra parochiæ suæ fines sunt, sigillatim eat, ac videat accuratè, qui obligatione huius Sacramenti suscipiendi, & Sacræ Eucharistiæ Paschæ tempore sumendæ deuincti sint, eorúmque nomina rectè describat: ac singulos præterea, eósque præsertim, qui per rarò confitētur, moneat, vt ne confessionem differāt in postremos illos quadragesimæ dies, quibus sacerdotes, vel ob mysteriorum celebritatem, assidua diuinorum occupatione ab audiendis confessionibus impediuntur, vel frequenti, tunc concursu fidelium defatigati, ita in eo ipso munere præstando ferè opprimūtur, vt tantū, tamque salutare ministerium in frequentissima multitudine vix rectè illis præstare queāt. Proinde Quadragesimæ hebdomadas, pro populi sibi cōmissi ratione, sic partiri curet, vt alias illi viciniæ, familiæve, aut partim viris, adolescentibus, & pueris, partim mulieribus, virginibus, puellisue præstituat, quibus ad confitendum distinctè, atque in tempore accedant.

18 Salutariter ex doctrina Spiritus sancti cautū est, Christi fideles de peccatis confiteri debere, quotiescunque rem, actionemvè aliquam aggrediantur, in qua præsens mortis periculū pertimescendum sit, Quamobrem parochus curet, atque efficiat, vt præter id, quod Pij V. Constit. Decretóque prouinciali de ægrotāte sancitum est, si quis etiam parochialis eò profecturus est, vbi sit, aut pestis, aut hæresis, vbi nullam confessarij copiam habere possit, aut ad bellū iturus sit, pugnam initurus, aut iter in festum, nauigationémque periculosam facturus, antequā viæ, nauigationiuè se cōmittat, peccata confiteatur. 5. quæ ad pœnit. sac. pert.

19 Idem officium præstet de mulieribus proximè parituris.

20 Id præterea cohortetur, vt quis nauigationem, iter longum, negotiumuè periculosum suscepturus, religiosè etiam sumat sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum: & mulieri item proximè parituræ frequentius.

Moneat quoque, sæpenumero, cohortetúrque, vt quoties quis rem arduam, & difficilem, etiam, in qua nullum mortis periculum extimescendum sit, aggreditur, primò confessus itidem faciat, vt tanto Sacramento corroboratus spe erectiori fiat rei benè gerendæ.

21 Cum autem, vel ab itineris, vel à nauigationis, vel à belli, alteriusuè rei periculo, aut à negocij, vt cumque successerit, cura difficili, benè iuuante Deo, liber erit; ad hoc eū hortetur item, vt quam primum piè cōfessus, Deo gratias agat huius sacramenti sumptione, in qua præcipua quædā ratio inest, qua Deo pro immensis in nos collatis beneficijs aliquam gratiam referamus.

22 Iidem, quemadmodum à sancta Tridentina Synodo iussum est, publicè peccantibus, publicam pœnitentiam imponant, neque illud publicæ pœnitentiæ genus, nisi data ab Episcopo facultate, secreta alia commutare audeant. 1. vt suprà. Sess. 24. c. 8 de refor.

23 Studeat Episcopus ad sacrorum Canonum, & Tridentini Concilij præscriptum, pro publicorum delictorū grauitatis ratione, & publicā, & solennem pœnitentiam in vsum reuocare. 3. de iis, quæ ad pœn. sacr. pert. c. pœnitentes, c. in capite cum seq. dist. 50.

Quos verò ita solenniter pœnitere oportet, mense ante Quadragesimæ initium ad se per parochos deferri curet, vt primum ineunte Sess. 24. c. 8

Quadragesima illi pœnitentia affici, tum die Cœnæ Domini Ecclesiæ reconciliari possint, stato solenni ritu.

3. vt supra. Quod in Concilio prouinciali tertio de pœnitentia, & publica, & solenni, sacrorum canonum iure, & œcumenicæ Synodi Tridentinæ authoritate sancitum est, id ad vsum inducatur, vel reuocetur, atque adeò ita ritè, rectéque præstetur prout instructionibus, quæ ad communem totius prouinciæ vsum iussu nostro edentur, ex canonum fontib. sanctorum hominum disciplina, Ecclesiasticisque institutis præscriptum erit.

3. quæ ad pœnit. sac. pert. 24 Episcopi cura præter cæteras illa etiam præcipua esse debet, vt quantum in se est, fideles peccatorum laqueis implicitos à turpissima peccandi occasione sollicitudinis Episcopalis studio, atque officio reuocet, animarumque vulneribus remedia opportuna adhibeat. Ineunte igitur in primis Quadragesima, quam diligentissimè inuestigabit, si qui, vel in vrbe, vel in diœcesi sunt, qui opera carnis sectantes turpiter viuant: si qui item odia, & inimicitias exerceant, si qui alij denique, qui in aliqua peccādi consuetudine, vsuque iactant. Si quos porrò huiusmodi ille compererit, omni ratione, atque officio illos ad id inducat, vt à via, quæ ducit ad interitum, sine mora se abducentes, iter salutis omninò, veréque suscipiant.

Quamobrem eos ipsos, vt pro facti ratione magis expedire iudicabit, vel priuatim ad se accersat, atque adeò instet, quemadmodum ait Apostolus, opportunè, importunè arguat, obsecret, increpet, cum omni patientia, vel seueriori quoque disciplina in eos agat omni iure, omnique officio ad sacrorum canonū, sanctionumq; pontificiarū præscriptum. Nec verò antequam ipse perspexerit istos, ab ea malè agēdi via recessisse, peccandique occasionē, ac publicas offensiones præcidisse promittat (etiam si qui testimoniū cōfessarij offerant) nè in Paschali quidem celebritate Sacram Communionem eis ministrari; quinimò illam tamdiù differri iubeat, quoad eorum veram vitæ emendationē Episcopus cognouerit, immò verò contra eos, qui quoniam, salutaria monita spernentes, in offendiculis perseuerant, neque flagitiosam vitam deserunt, à sanctissimæ Eucharistiæ sūptione reiiciuntur, agat Episcopus, agive iubeat, vt in Concilio Prouinciali secundo agi cōtra illos sancitū est, qui Paschæ tempore Eucharistiæ Sacramentum non sumpserint, si verò in contumacia perseuerauerint, in eos præterea seuerius pro vt iuris est, animaduertat.

Quæ in hoc titulo desiderantur, videantur in titulo de Pœnitentiario. De Confessario, & de obseruandis à Christi fidelibus in Aduentu, &c.

De Pœnitentiario, eiusque examine.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitentiarius in omnibus Cathedralibus Ecclesiis instituendus.*
2 *Episcopi, & quilibet id negligens cui rationem redditur.*
Quando is distributionum particeps sit, vel non. De distribut. 32.
Pœnitentiali præbenda vacante, à quo proponenda. De edicto proponendo in examine præficiendo Ecclesiæ parochiali, num. 5.
Quæ conditiones in pœnitentiarij electione spectandæ. Ibid.

1 Episcopi in suis Cathedralibus Ecclesijs, Tridentini Concilij authoritate, pœnitentiarium intra tres menses instituant, cum vnione præbendę, quæ primo quoque tempore vacauerit. 1. quæ pert. ad sacr. pœn. adm. Trid. sess. 24. c. 8. de Ref.

2 Negligentes proxima prouinciali Synodo prætermissi officij rationem reddent.

De Confessario.

SVMMARIVM.

1 *Confessarii munus qui agant, quique non.* 2.
3 *Is Episcopi iudicio probandi in sua diœcesi, non alterius prælati etiam regularis.*
4 *Quales deligendi, vbi regulares iurisdictionem habent.* 6.
5 *Regularib. approbandis, quid attendendum.* 4
6 *Sine approbatione, confessiones audientes, excommunicati* 2.
7 *Amouendi si malè se gerant.*
8 *Institutiones confessariis præscriptæ in litteris probationis includantur.*
9 *Ea Episcopi diligentia, seruandæ.*
10 *Mulierum confessiones, quando, & vbi non audiant confessarii.*
11 *Aliorum item vbi audiant.*
12 *Qui superpelliceum, ac stolam audiendo adhibeant, & qui alium amictum.*
13 *Quomodo confessiones audiant.*
14 *Absoluendo, manum dextram super pœnitentis caput eleuent.*
15 *Quos non absoluant.*
16 *Fœneratorum conscientiam diligenter examinent.*
17 *Canones poenitentiales sciant.*
Quibus publica imponenda sit poenitentia imponant, quam commutare non possint. De Sacram. Poenitentiæ. num. 22.
Ea, tum solennis in vsum reuocanda, de eadem instructuris, Ibidem numero 23.
18 *Si pecuniaria poena sit imponenda, quibus attribuenda.*
19 *Ne sibi dare curent, quod erogandum est in celebrandis Missis.*
20 *Casus, Summo Pontifici, & Episcopo reseruatos apud se scriptos habeant.*
21 *Ab eis confessarii ipsi non absoluant, absque licentia. 22. Et si regulares sint.*
Casuum Episcopo reseruatorum enarratio.
23 *Eorundem quotannis in Synodo, vel Ianuarii initio promulgatio.*
24 *Ab eis absoluentes excommunicati.*
Absoluendi facultas, scripto danda 24 & quando verbo. 25.
26 *Confessarius quicumque priuilegiorum, scholis, & regularibus concessorum iure, ab eisdem absoluens, suspensionem incurrit.*
27 *Eandem incurrunt absoluentes virtute indulgentiarum Ecclesiis concessarum.*
28 *Casus restitutionis incertorum Episcopo reseruati.*
29 *Vota commutandi facultatem habentes, vt illa commutent.*
30 *Absoluere qui possunt a poenis, & censuris, cum irregularibus non dispensent.*
31 *Confessariorū nomina in tabella relata tibi ponēda.*

32 A regulari prælato quando ad Episcopum deferenda.
33 Quando item confessarii ab Episcopo conuocandi, & monendi. 35.
34 In quibus versetur ipsa monitio.
36 Confessionis testimonium à confessariis pœnitentibus dandum, & cuius formulæ. 38.
37 Confitentium nomina in librum referenda.
Confessarii moneant, quam graue sit abuti sacra scriptura. De abusu sac. script. num. 2.
Antequam confessiones audiant, quid sibi recitari faciant à pœnitentibus. De fid. init. à par. trad. n. 8.
Si ignorãtes reppererint, quid faciãt. Ibid. & nu. 9.
Ad confessiones audiendas examinati, in librum à Cancellario notandi, probati improbatiuè sint. De Cancell. num. 30.
De confessoribus Monialium recurratur ad tit. de cõcionatorib. & confessoribus Monialium.

1. quæ pert. ad sacr. pœn. adminis. sess. 23. 18. de ref. — 1 QVi parochialem Ecclesiam non obtinent, etiam si regulares fuerint, confessiones nè audiant; quemadmodũ statuit Tridentina Synodus, nisi 2 Episcopi scripto approbati fuerint: qui contra fecerint, excommunicat. pœnam subeant.

4. quæ pert. ad sacr. pœn. — Excommunicationis pœnam, Concilio Prouinciali primo, & Sacerdotibus, sine approbationis facultate, ab Episcopo data, pœnitentiæ Sacramentum ministrantibus propositam, ipso facto eos, qui contrafecerint, subire decernimus, & declaramus.

1. vt supra. — 3 In ijs probandis hanc rationem habeant Episcopi, vt pij, benè morati, docti, prudentes, patientes, de animarum salute solliciti, & fideles custodes sint eorum, quæ in confessione dicuntur, prouecta etiam ætate, præsertim illi, quibus confessiones mulierum erunt audiendæ.

4. vt supra. — 4 Confessionis sacræ audiendæ munus sacerdotibus regularibus, quamuis ad illud ob peritiam, scientiámque idoneis, non committatur, nisi à monasterii præfecto testatum litteris fiat, eos vitæ disciplina moribúsque probatos esse, ac dignos propterea, quibus id muneris imponatur, Quo in testimonij genere ipse videat, ne quid testificando admittat, quod religiosæ conscientiæ suæ fraudem labemue afferat.

5. quæ ad pœnit. sac. pert. — 5 In ijs, quæ ad sacerdotes, pro Sacræ confessionis ministerio, vel examinandos, vel probandos pertinẽt, nè prælatus, etiam regularis, & exemptus, se in aliena diœcesi vllo modo ingerat, sed eam omnem illos examinandi, probandiq; curã Episcopo diœcesano planè relinquat.

5. quæ ad sacr. pœn. fac. pert. — 6 Ne in monasteriis quidem, & locis, vbi regulares spiritualem, temporalémque iurisdictionem habent, quisquam Sacerdos etiam regularis, & exẽptus confessiones audiat, nisi primum ab Episcopo intrà cuius diœcesis fines, ea monasteria, locaue sunt, ad id probatus fuerit.

5. vt supra. — 7 Episcopus à cõfessionibus audiendis suspendat, aut omninò amoueat confessarios, etiã regulares iam approbatos, quos pro suæ timoratæ conscientiæ religione viderit in eo munere non ita sincerè, integréque, & cum ædificatione se gerere, quemadmodum & tanti ministerij illis cõmissi sanctitas postulat, & animarũ salus deposcit, quæ suæ fidei concreditæ sunt.

5. de iis, quæ ad pœn. sacr. pert. — 8 Confessariis sacerdotibus præscriptæ è nostris prouincialibus Synodis, instructiones ad prouinciæ vsum, aliæque item, quas eisdem, pro vrbis, diœcesisque suæ rationibus, addi Episcopus censuerit, in litteris includantur, quibus, vel probationis testimonium, vel facultas dabitur illius muneris gerendi.

9 Instructiones ad sacramentorum, & pœnitentiæ, & sacræ communionis, ministrandorum vsum, cultúmque pertinentes, à nobis Concilii prouincialis tertii decreto confectas, atque editas, in sua quisque vrbe, diœcesique Episcopus seruari omni diligentia curet. — 4. vt supra.

10 Sacerdotes, nisi ex causa necessaria, mulieres ante solis ortum, vel post eius occasum, confitentes nè audiant. — 1. vt supra.

Neuè in cellis, sed publicè in ecclesia, in sedibus, in quibus tabella omninò inter confitentem, & confessorem interiecta sit.

Huiusmodi autem sedes in Ecclesijs, ab ijs, ad quos pertinet, constituendas Episcopi quam primum curabunt.

Nec sine causa necessaria in priuatis ædibus cuiusquã maris, vel fœminæ cõfessionẽ audiãt.

11 Omnes verò videant, nè extra Ecclesiam, oratoriumve confessionem audiant, præterquã ægrotantiũ, & virorũ, nisi ob vrgentẽ causam. — 5. vt supra.

12 Episcopus, quo decentius, atque adeò religiosius Sacramẽti huius administratio fiat, presbyteros confessarios, etiam qui alicuius congregationis clericorum regularium, alteriusue societatis regularis sint, ad audiendæ confessionis officium nè admittat, neve illam audire, etiam in suis Ecclesiis, sine superpelliceo, & stola patiatur.

Efficiat, verò, vt reliqui regulares, tam monachi, quam mendicantes, in hoc ministerio habitum, vestitumque adhibeant, quem ex regulæ præscripto in choro ad diuina officia celebranda adhibent; In his canonici regulares congregationis Lateranensis censeantur, cũ ad rochetum, cappam etiam extrinsecus adhibent.

13 Confessarius quicumque, vel sæcularis, vel regularis sit, non stando sed in Sede, tamquã pro tribunali iudex, sedendo, faciã confessionem audiat pœnitentiũ, quales, quales sint, etiã in sũmo aliquo dignitatis gradu constituti; itidẽ faciat, cũ absolutionis sentẽtiã pronũciat.

14 Quod in Ecclesia antiqui instituti, veterisque cõsuetudinis est, rectè omninò seruet, vt dũ absolutionis formulam, precesque adiunctas profert, supra caput pœnitentis manum dexteram eleuet: id quod etiam cum mysterij significatione fit.

15 Caueant confessores, nè ante debitam satisfactionem illos absoluant, quibus cum facultas adsit aliena restituendi, vel legata, quæ ad pias causas facta sunt, persoluẽdi, illique, vt id facerent, superiori confessione præceptum sit, præstare tamen neglexerunt, exceptis iis, qui periculosè ægrotant, quos tamen moneãt, vt quod debent, quamprimum persoluant. — 1. vt supra.

Et, quia interdum in falsi testis manu est, vt non solum facultatibus homines, sed etiam existimatione, ac vita spolientur; idcirco neminem absoluant, qui falsum testimonium in iudicio, alterius detrimento dixerit, nisi prius dato damno, quatenus id sarciri poterit, & violatæ illius existimationi satisfecerit.

Ne illum quidem absoluant, qui post publicum Episcopi monitum de indicandis rebus amissis, quid de ijs sciat, non indicarit, nisi hoc officium ante persoluerit.

16 Iidem omni adhibita diligentia, conscientiam examinent singulorum, qui fœnerantur, & qui iniquos contractus exercent, neque quemquam in his casibus absoluant nisi debita restitutio, aut satisfactio, ex Canonum præscripto prius intercedat.

17 Confessores Canones pœnitentiales benè nouerint, & de pœnit. quam cuique peccato præscripserunt, confitentes admoneant, vt tanto diligentius à peccatis cauere studeant, quanto in pœnitentiis canonum mitigandis benigniorem in se Ecclesiam experiuntur.

5. vt supra. 18 Si pœnitentibus pœnitentia præscribenda est aliqua pecuniæ ratione, nè sibi Sacerdotes confessarij eã pecuniam; sed locis piis attribui curent, vt in officia, operáque pietatis erogetur.

Neque verò huius pecuniæ distribuendæ curam ipsi vllo planè modo, suscipiant.

19 Neque præterea sibi dari curent, si quid eleemosynæ causa pœnitenti erogandum est in

1. vt supra. Missæ sacris faciendis.

20 Confessores omnes casus, Summo Pontifici, & Episcopis quauis ratione reseruatos, scriptos apud se habeant; nè quid per incuriam sibi facultatis assumant.

Cōc. Trid. Sess. 14. c. 7 21 Ad eorum etiam criminum, quæ infra ordine adscribuntur, licentiam resecandam, prohibemus, nè confessores quẽquam vllis ijs criminibus alligatum absoluant, nisi facultas eis ab Episcopo permissa sit. Cuius potestati, & eorum sacerdotum quos ipse ei muneri præposuerit, eiusmodi absolutionem in sua cuique diœcesi reseruamus.

22 Raptores virginum.

Qui moniales violarint.

Qui abortum procurarint.

Qui secundo, vel propinquiori cognationis gradu incæstum admiserint.

Incendiarios, & qui damni, iniuriæve causa vites, vel arbores alienas inciderint.

Ecclesiam polluentes.

Homicidas voluntarios.

Qui parentes percusserint.

Qui locis pijs, infantes exposuerint, cum habeant vnde ipsos alant, neque eorum locorum damnum resarcierint.

Notarios, qui legata, ad pias causas facta, nõ denunciarint, ex nostri decreti præscripto.

Qui ad magicas artes, veneficia, superstitiones, & alia huius generis Eucharistia, sacrisue rebus abutuntur.

3. Ibidem. Qui stateras, mensuras, monetasve adulterauerint corruperintve.

5. vt supra. Ne cõfessarij regulares, eorum peccatorum, quorum absolutio Episcopo reseruata est, vinculis irretitos pœnitentes absoluant, quemadmodum à S. Sede Apost. declaratum est, id eis non liceri, quamuis priuilegiorum suorum authoritate.

23 Cum pro temporum varietate, casuum reseruatione, ab Episcopo aliquando mutari expediat, quo planius illos casus, ei reseruatos, confessarij sacerdotes perpetuò norint, eos Episcopus singulis annis, vel in Synodo diœcesana, vel ineunte Ianuario promulget, ita, vt, quæ illorum casuum promulgatio proximè facta est, vim habeat, quo-ad altera fiat.

24 Ab iis verò casibus, proximè promulgatis, si quis confessarius cuiusuis ordinis sine facultate scripta ab Episcopo data, aliquem absoluere attentarit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat.

25 Si vero ab vno aliquo speciali casu reseruato, & altero item, aut etiã plurib. absoluẽdi facultas aliquãdo sigillatim petetur, verbo, etiam sine scripto, concedi poterit, tum aliàs etiam, quando Episcopus ita faciendum censuerit.

26 Nè facultatum priuilegiorumve iure, quæ cuicũque etiã Rosarij, & Cruce signatorũ scholæ, cõfratriæ, collegiove, etiam laicorũ, quæve collegis, confratribusue in eo ascriptis, ante, vel post Conc. Trid. confirmationem, concessa sunt, confessarius, cuiusuis ordinis, ab ijs casibus, quos sibi Episcopus in sua diœcesi reseruauerit, pœnitẽtes sine illius facultate absoluat. Si contra fecerit suspensionem à diuinis ipso facto incurrat,

27 Quod superiorib. Conc. ex S. Sedis Apost. decreto confessarijs Sacerdotib. & Regularib, vetitũ est, nè pœnitentẽ quemquã ex priuilegiorum, quæ ipsis regularib. aut confratrib. data sunt, vi authoritateque absoluant, idem iis interdictum est, etiam Indulgentiarum litteris, quæ ecclesijs concessæ sunt. 5. vt supra.

28 Casus restitutionis rerum, quæ, incertum est, quibus restitui debent, Episcopo deinceps reseruati sint. 4. vt supra.

29 Episcopus id confessarios Sacerdotes interdum admoneat; vt si quando, quauis facultate, authoritateve eis licebit pœnitentium vota commutare, ne ea illi commutent, nisi in alia maioris pietatis opera, vel Deo gratiora, vel saltem, quæ tantidem valeant. 3. vt supra.

Qua in re iudicanda rationem habeant, & sumptuum, & laborum, & molestiarum, & omnium denique incommodorum, quæ pœnitentes perpessuri erant, si votum, quod sanctè conceperant, re ipsa præstitissent.

30 Ne confessarij sacerdotes, cum sibi facultate, vel ex Iubileo, vel ex alijs Apostolicis litteris concessa, pœnitentium confessiones audire, eosdémque à peccatis etiam grauioribus, quæ admiserunt, & à pœnis item, ac censuris, quibus irretiti sunt, absoluere licet, cum eo, qui irregularitatem incurrerit, dispensent, nisi eius rei facultate illis litteris nominatim expressa. Ibidem.

31 In foribus Sacristiæ cuiusuis Ecclesiæ, vbi confessiones audiri, & confessores plures esse solent, affigatur tabella, in qua nomina, & cognomina confessorum approbatorum descripta sint. 1. vt supra.

Sacerdotum confessariorum, qui probati sint, nomina, in tabella ordine descripta, ad valuas Sacristiæ Ecclesiæ, vbi complures illi habitant, affixa in omnium conspectu sint. 4. vt supra.

32 Vniuscuiusque monasterij regularis præfectus, bis quotannis, semel scilicet ineunte Aduẽtu, iterum Quadragesimæ initio, confessariorum sacerdotum sui monasterij, probatorum, nomina in folio exscripta, ad Episcopum deferat, vt, cum regulares ex vno in aliud monasterium commigrare frequenter soleant, eamque 4. vt supra.

ob causam illorum numerus interdum minuatur, aliunde ipse Episcopus, alios in eo munere gerendo idoneos, ac probatos opportunè habere possit.

4. vt suprà. 33. 34 Episcopus in vrbe, & quo tẽpore etiam visitationem obit, in frequentioribus diœcesanis locis confessarios Sacerdotes, etiam Regulares, aliquando ad se, tum singulos, tum vniuersos conuocet. Iisque primo, cum cæteras muneris, quod susceperunt, partes, grauiter, accuratéque ostendat, tũ præcipuè moneat quantum, quamque graue, vel ad salutem, vel ad perniciem animarũ onus sustineãt: proinde demonstret item, & quam benè notos casus ipsi habere debeant, in quibus absoluendi authoritatẽ nullam habent, & quam studiosè propterea caueãt, nè in messe aliena falcem ponant, & quã cautè item in pœnitentium absolutione agant, cum præsertim, vel de restitutione, vel de occasionibus, quibus ad mortalia peccata aditus fit, abijciendis agitur.

Nè verò facile in eodem peccati genere fideles offendant; hoc etiam illos ipsos; confessarios admoneat, quã prudentes, quàm cautos, quã diligentes in pœnitentijs salutaribus imponendis eos esse oporteat; tum prospicere etiam, vt non solũ vitia, peccatáque fideles fugiãt, sed virtutes, Christianæque vitæ officia, opera, & actiones, cũ Christiani nominis splendore congruentes, suscipiant, ac præstent, maioréisque in via Domini progressus in singulos dies habeãt, proposita vnicuique pro eius ingenio, & conditione, ac statu, benè, sanctéque agẽdi ratione.

Demonstret denique quàm sedulo caueant, vt nè eorum dicta sanctarum cohortationum, paternarumque obiurgationum plena à factis vllo modo dissentiant: ac nè item, audiendis sacris cõfessionib. vllam, nè minimam quidem, auaritiæ in primis suspicionem præbeant.

5. vt suprà. 35 Confessarios omnes, qui in vrbe sunt, tum aliquando per annũ, vt in Concilio prouinciali quarto constitutũ est, tum præcipuè semel hebdomada prima quadragesimæ, iterum Aduentu ineunte, ad se Episcopus conuocari curet, cum ijsque agat, vt eodem Concilio cauetur.

4. vt supra. 36 Confessarius sacerdos, quicumque sit, etiam regularis, nè auditæ sacræ confessionis testimonium scriptum, aut impressum manu sua, suóque sigillo signatum, sibi peccata confessis, dare omittat, tum in Pascha, vt parochis, tum ægrotationis tempore, vt medicis, quod debent, eos præstitisse planè constet.

Ibidem. 37 Confitentium prætereà Paschæ tempore nomina, & cognomina, vt fraudi multiplici occurratur, in librum certum, notato etiam die, & mense referat: quem libro Episcopo petenti, pro debito charitatis studio, non modo non deneget, sed promptè ostendat, atque exhibeat, tradatve.

38 Testimonij verò formula certa ab Episcopo præscribatur: cuius exempla, vbi ars impressoria fit, & vbi opus est, typis impressa, quamplurima vnicuique sacerdoti confessario tradantur.

De Confessionali.

SVMMARIVM.

1 *Confessionale vnum in ecclesia parochiali, & vbi duo pluraue.* 4.
2 *Quot in Cathedrali ecclesia.*
3 *Quot etiam in collegiata.*
5 *Quibus in alijs ecclesijs collocandum.*
6 *Confessionalis forma.*
7 *Pœnitentis scabellum quale.*
8 *Quæ confessionali ipsi affigenda.*
9 *Capsulæ eleemosynariæ propè illud non collocãdæ.*
10 *Quo loco confessionalia constituenda.*
11 *Qui prætereà locus confessarij, & pœnitentis.*

1 Ecclesia parochialis, eique item annexa, in qua confessiones audiri aliquando solent, confessionale vnum habeat, forma in instructionum libro demonstrata, cõstructum, duo verò, eadem forma, & modo, vbi quingentarum animarum, & amplius cura geritur. Ecclesia autem, quæ plures habet confessarios, totidem confessionalia, quot confessarios, habeat, siue parochialis illá sit, siue collegiata, siue Cathedralis. 4 quæ pert. ad sac. pœn.

2 *Primo igitur in Ecclesia Cathedrali confessionalia totidem construantur, quot pro Iubilei, Indulgentiarumue celebritate, aut solennitatum ratione, Sacerdotes confessarios constitui adhiberiue opportunum, aut necessarium videbitur.* Instr. Fabr. Eccl. lib. de confess. num.

3 *In singulis item Ecclesijs collegiatis, sæcularibus, regularibúsque totidem etiam, quot sanè requiruntur, pro confessariorum sacerdotum ratione, qui in frequentiori populi concursu esse, adhiberiuè ibi plerumque solent.*

4 *In vnaquaque prætereà parochiali Ecclesia statuantur confessionalia duo, vt viri, quod sæpè, non sine irreuerentia loci sacræque illius actionis, & offensione piorum cernitur, cum mulieribus nè confusè permixti, neue etiã densè inter se compressi sint, cum ad sacram confessionem frequens concursus est, sed ita distincti, vt hi in vno, illæ in altero confiteantur, quemadmodum in plerisque huius prouinciæ Ecclesijs certus iis ipsis, & distinctus est locus; tũ prætereà, vbi illud non ex prouinciali decreto distingui iussum est, vt vnum parocho, alterũ confessario aliĩ Sacerdoti vsui sit, si quem ab Episcopo probatum, ille aliquando, eiusdem concessu, in frequenti confitentium multitudine adhibere necesse habeat.*

In qua verò parochiali Ecclesia plures parochi, portionarii, aliìue Sacerdotes etiam coadiutores sunt, qui confessionis audiendæ munus exercent: totidem item confessionalia fieri debebunt, quot sanè illi sunt.

Quod verò de duobus confessionalibus, in vnaquaque parochiali Ecclesia statuendis, supra animaduersum est; id etiam præstandum erit in singulis Ecclesijs, quæ licet parochiales non sint; tamen iis ipsis, aut parochiali quouis iure subiectæ, aut annexæ, aut adiunctæ, aut intrà earum fines constitutæ sunt, in quibus aut sacerdos quispiam residere, qui idem confessarii munus obeat, aut parochus, quouis iure, vel quauis causa, debeat, soleatve.

5 *In Ecclesijs item non parochialibus, vbi doctrinæ Christianæ scholæ exercentur, confessionale adhibeatur, vnum saltem, vel duo item, si vtriusque sexus, schola Christiana ibi exerceatur: vel demũ plura etiam, vbi plures confessarii Sacerdotes, tempore scholæ Christianæ, adhibentur ex decreto prouinciali.*

6 *Forma, ad cuius præscriptum confessionale extruendum erit, hæc est, qua seruata, licebit aliqua prætereà ornamẽta adhibere, vt potè in anteriori parte coronides elaboratas, aliuduè ornamẽti genus decẽs.* Inst. Ibid. de forma conf.

Primo ex tabulis sectilibus, vel nuceis, vel certè alterius cuiusuis generis, totum sit, septum scilicet

ijs, & à latere vtroque, & à tergo, & à parte superiori eiusdem intectum: à parte anteriori apertum omninò, neque vllo modo occludatur.

Habeat tamen, præsertim in frequentioribus Ecclesiis ostium ex crate, cancellisue ligneis, inter se vnciarum circiter quatuor spatio distantibus, cum sera, clauique, vt cum confessarius in ea non est, nè ibi cum irreuerentia ministerii, quod ibi agitur, laici, vagique, & sordidi homines sedeant, otioseue dormitent.

Ibi. de basi.

Basis huius confessionalis, vbi sacerdotis confessarii, & pœnitentis pedes innixi hereant, ab Ecclesiæ pauimento alta extet, vnciis ad summum octo; latè cubitis duobus; longè circiter quatuor pateat.

Ibid. de sede confessarii.

Sedes confessarii in eo sit: quæ à basi alta sit cubito, & vnciis circiter tribus, lata à dextera, ad sinistram partem, cubito item, & dimidio, à fronte, ad tergum, vno tantum cubito.

Ibid. de cõfessionalis altitudine.

Totius huius confessionalis structuræ altitudo, à basi vsque ad summũ ducta, cubitis quatuor constet.

Ibid. de assula in qua confess. nitatur.

In parte interiori tabulę intermedię inter confessarium, & pœnitentem, assula item collocetur: in qua ipse confessarius, brachio nixus, hęrere possit: eaque instar repaguli sit, ita vt, & deprimi, & rursus, pro libito, extolli queat.

Ibid de scabella pœn.

7 *A parte exteriori, poenitentis scabellum; ab vna parte latum vnciis quatuordecim, basi innixum, & tabulę intermediæ hærens, accliuiterque ab imo ad summum ascendens, altum à basi extet, cubito, & vnciis viginti. Cuius summitatis tabella leniter accliuis sit: in qua poenitens manibus supplicibus niti possit, dum in confessione genibus flexis est, eademque lata vnciis duodecim; longa cubito vno, & dimidio.*

Ibid. de gradu scabelli.

In vna parte habeat hoc scabellum gradum annexum, super quo poenitens genuaflectat, quod suprà basim emineat vncias octo: latè pateat vncias sexdecim, ea longitudine qua scabellum.

Ibid. de fenestella intermedia.

Fenestellam medio tabulę quæ inter confessarium, & poenitentẽ interiecta est, fiat: cuius pars ima emineat supra sedem confessarii, cubitũ, & vncias octo: quę vnciis sexdecim alta, duodecim vero lata sit.

Hæc verò fenestella diuisa sit in spatia paria tria, relictis in ipsa duab. columellis, seu paruis fulcimentis eiusdem tabulæ.

Cui fenestellæ à parte pœnitentis affigatur lamina ferrea, plena foraminum, quæ singula instar ciceris, minuta, paruaque sint.

Fenestellæ præterea, à parte confessarii, configatur tela tenuis saiæ, aut multitiæ, quem buratum dicũt.

Ibid. de imagine crucifixi.

A parte pœnitentis, quæ exterior est, loco suprà fenestellam, crucifixi imago, in carta religiosè expressa, apponatur.

Ibid. de iis, quæ affigẽda sunt certis confessionalis tabulis.

8 *Tabulæ item, inter confessarium, & pœnitentem interiectæ affigatur, ab illius anteriori parte, alia tabula, quæ transuersè pateat cubitum vnum: ita vt pars paulò maior, ad poenitentem versus, altera ad confessarium versus spectet.*

In huius tabulæ parte, quæ ad confessarium spectat, intus fixa collocetur, & imago aliqua Christi Domini, aut beatæ Mariæ Virginis, & sub ea tum oratio illa præparatoria, impressa ad vsum confessariorum Sacerdotum, cum ad poenitentium confessionem audiendam accedunt, tum forma absolutionis.

Alteri etiam tabulæ, quæ à confessarii altero latere est, neque fenestellam habet, intus affixæ sint litteræ processus in Coena Domini, prout quotannis à sanctissimo Domino Nostro promulgatæ erunt.

In alia tabula, quæ à tergo est, canonum poenitentialium tabella collocetur.

Tabulæ suprà fenestellam, à parte scilicet confessarii apponatur tabella casuum, quorum absolut. omnem sibi Episcopus reseruarit: quique alio quouis iure, vel eidẽ, vel sũmo Romano Pontifici reseruati sũt.

In confeſsionali hæc affixa sint, sacra scilicet imago, litteræ processus die Cœnæ Domini, quotannis editæ, tabella casuum, quos sibi Episcopus reseruarit, forma absolutionis, & orationes præterea præparatoriæ ad sacram confessionem audiendam impressæ. 4. que pert. ad Sacr. pœnit.

9 Ne capsulæ, loculive, colligendæ eleemosynæ causa, siue confessarij vsui, siue ecclesiæ vtilitati ea sit, ac ne ob pium quidem vllũ aliud opus, loco confessionalibus proximo, nedum ipsis confessionalibus, affigãtur, apponanturve. Ibidem.

Inst. fab. ibid. De capsulis eleemosynarii, &c.

Nec in eo confessionali capsulæ, loculive vlli omnino colligendæ eleemosynæ causa, struantur quouis prætextu, aut eidem propè affigantur.

Ibid. Confessionalia quo loco ecclesiæ constituen.

10 *A latere Ecclesiæ, extra capellæ maioris ambitum, loco aperto, patentique confessionalia constituantur, partim à meridionali regione, partim à Septentrionali.*

In aliis etiam Ecclesiæ locis, pro ratione amplitudinis, & situs Ecclesiæ, Episcopi concessu aliquãdo collocare licebit, vt in capellis quibusdam amplè patentibus, aut in earum aditu, vel limine, ita vt confessarius intra clathri septa, poenitens verò extrà sit: quo fiat, vt clathris capellæ arceantur, qui inordinatè concurrentes ad sacram confessionem, nimisque propè alium, qui tunc peccata sua confitetur, vel ipsũ poenitẽtẽ, vel confessariũ facilè interturbãt.

11 *Confessionale in Ecclesia, si ab Euangelii, quod in altari maiori recitatur, latere collocabitur; tunc poenitentis scabellum, & fenestella, à dextera confessarii sit: rursusque ab illius sinistra, cùm à latere Epistolæ illud erit: vt & confessarius à parte superiori Ecclesiæ semper sit, & poenitens aspectu sit ad maius altare, caputve Ecclesiæ versus.*

De Confessarij examine.

SVMMARIVM.

Examinatorum officium in confessariis approbandis, quale.

Quæ ad ordinis Sacramen. pertinent. 46.

1 *Confessariis, quæ interrogationes faciendæ.*

1 PRæter cætera, quæ cum Sacerdotis, & parochi officio, munereve coniuncta ipsis sunt, hæc etiam sigillatim, atque exploratiori ratione perquirantur. 5. de examinandi ratione.

De Sacramenti pœnitentiæ necessitate.

Quare institutum sit hoc Sacramentum, & à quo institutum.

Quæ huius Sacramenti materia.

Quæ forma.

Qui illius effectus.

Qui minister.

Quæ conditiones in eo requirantur,

Quæ regulæ ad dignoscendum, & distinguendum peccatum mortale à veniali.

Quæ pœnitentiæ partes.

Quæ earum partium ratio.

Quid contritio.

Quæ ad veram contritionem sint necessaria.

Quis contritionis fructus & vtilitas.

Qua quisquam ratione se ad contritionem exercere possit.

Quæ signa sint veræ contritionis.

Perquiratur item, quæ confessionis, quæ secunda pars pœnitentiæ est, natura sit, atque substantia.

An diligenter inquirere sciat, & peccatoris circumstantias, & peccati item.

Quæ mutent speciem peccati, & quæ in confessione explicanda sint.

Quæ restitutionem expostulent, quæ radices, causæve restitutionis.

An dubios, suspectosve contractus norint, aut saltem de ijs dubitationes, & quæstiones instituere, inireve sciant.

Quibus criminibus annexæ sint censuræ.

An item illarum peritiam, & vim teneant.

An casus, in quibus irregularitatis macula contrahitur.

An saltem in ijs omnibus, & alijs, quæ ad verum, perfectumve huius Sacramenti pœnitentiæ ministrum pertinent, sciant dubitare, & nouerint consulere peritos, quomodo agendum sit id, de quo iu dubitationem adducunt.

Qui itē ritus, & sacræ ceremoniæ cōfessionis.

Quæ conditiones ad confessionem verè pœnitentis necessariæ.

Qui ordo confitendi, quando quis statim cōfiteri debeat, quando item confessionē iterare.

De satisfactione, quæ tertia pars pœnitentiæ est, quæratur.

Quæ satisfactionis partes.

Quis satisfactionis finis.

Qui fructus, quæve vtilitates satisfactionis.

Quæ in satisfactione requirantur.

Qualis, & quanta pœnitentia pœnitenti imponi debeat.

An salutares, & conuenientes satisfactiones pro grauitate criminum, & pœnitentium facultate iniungere sciant.

An item ex Innocentii III. præscripto, more periti medici sciant infundere vinum, & oleum vulneribus sauciati, ac quale debeant præbere remedium, aut consilium.

An præterea canones pœnitentiales rectè teneant.

Quæ differentia sit satisfactionum pœnitentiarum, &c.

De absolutione indagetur.

Quæ verborum formula requiratur.

Quæ preces, orationesve præterea adhibeantur.

Quis ordo seruandus in absoluendo tam à peccatis, quàm ab excommunicatione, suspensioneve.

De sigillo item confessionis plura quærantur, ac præsertim quæ vis, & quanta sigilli.

Quæ sub illud cadunt.

Ex sanctionibus Ecclesiasticis, Tridentino Concilio, Synodis, tum Prouincialibus, tum etiam diœcesanis indagetur, quæ in illis constituta ad pœnitentiæ Sacramentum pertinent: quæque de cleri, & populi disciplina, & moribus constituta sunt, vt paulò ante in parochorum examine demonstratum est. Sed hactenus de ratione interrogationum, quæ examinandis confessariis Sacerdotibus adhibentur.

Quæ ad Sacramentum Extremæ vnctionis pertinent.

SVMMARIVM.

1 *Extrema vnctio ægroto adhibenda dum integris est sensibus.*

2 *Eo nihil intelligente, quando nihilominus adhibenda.*

3 *Quibus infirmis ministranda, & quibus non.*

4 *Mulieribus, quæ corporis partes non vngendæ.*

5 *A quo Sacramentum hoc ministrandum.*

6 *In eo ministrando parochi diligentia.*

7 *Quando vnà cum sanctissimo Sacramento vasculum olei deferen.*

8 *Negligens ministrare parochus, grauiter plectendus.*

9 *Exemplum Episcopi Malachię.*

10 *Aegroti frequenter visitandi. 23. & sequentibus.*

11 *Hoc sacramentum ministraturus plures Ecclesiasticos adhibeat, vel saltem clericum.*

12 *Accedens stola, & superpelliceo sit indutus.*

13 *Septem psalmos in via recitans.*

14 *Vas sacri olei à laico non deferendum, neque dum vngitur tenendum. 16.*

15 *Vtque illud deferendum, ac delatum vbi collocandum.*

16 *Mensa, quibus rebus instructa, paranda.*

17 *Aeger à parocho consolandus, & hortandus ad cogitationem cælestis beatitudinis.*

18 *Precesque Deo à præsentibus pro eo faciendę.*

19 *Eis quoque explicanda vis, & vtilitates huius Sacramenti.*

20 *Sacramento ministrato, quod parochi, & domesticorum officium.*

21 *Per errorem vno oleo pro alio adhibito quid faciendum.*

22 *Si dubitetur, æger viuus ne sit, an mortuus quibus verbis vtendum.*

23 *Vicarii foranei, vel Præfecti Regionaris erga ægrotos officium.*

24 *Episcopi etiam erga eosdem officium tam per se, quàm per alios præstandum.*

Præsertim verò erga ecclesiasticos quoscumque. De vita Epis. nu. 62.

25 *Fideles morituri à parocho inducendi ad benedictionem Episcopalem petendam.*

Aegris ab Episcopo, vel alio eius nomine visitatis Indulgentiæ concessæ à parocho populo euulgandæ. De Indulgentiis, num. 19.

26 *Vt cura à parochis erga infirmos adhibita constet, librum ipse parochus habeat in quo hęc scribantur.*

Episcoporum officium erga Metropolitanum ęgrotantem, atque defunctum. De vita & honest. Episc. num. 59.

Episcopus ęgrotans quid agere debeat cum suo capitulo. Ibidem. numero 60.

1 EXtremæ vnctionis Sacramentum curet parochus, vt ægroto, dum integris est sensibus, adhibeatur. Primū, quæ pert. ad extrem. vnct. admin.

2 Quod Concilio primo decretum est, vt, dum æger integris est sensibus, Extremæ vnctionis Sacramentum ei ministretur: si tamen, vel curantium negligentia, vel morbi vi, vel repentino aliquo casu sensum omnem amiserit, vt nihil planè intelligat, illius decreti sententia, 3. de iis, quę pert. ad Sacram. extr. vnct.

vetitum

vetitum non esse declaramus, quin hoc Extremæ vnctionis Sacramentum, ei ministrari liceat; si modo adhuc viuat, & dum vsum rationis haberet, pij animi significationem dederit, vt inde iudicari possit, eum hoc Sacramentum petiturum, si adhuc integra mente esset.

4. quę pert. ad ext. vnct. &c. 3 Parochus extremæ vnctionis Sacramentum, sicut his ministrare debet adultis scilicet, periculosè ægrotantibus, propéque moribundis, senio confectis, etiam non ægrotis, in diem morituris: ita istis, ne ministret, nempè pueris, rationis vsu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiscentibus, nauigantibus, peregrinantibus, & iis, qui mox vltimo supplicio mulctandi sunt. Concil. Trid. Sess. 14. De doctr. sacr. extr. vnct. 3.

5. tit. codē. Ne pueris, qui nondum vllum rationis vsum habent, Sacramentum Extremæ vnctionis ministretur.

4. Ibidem. 4 Mulieribus ministraturus, renes ne inungat.

5. Ibidem. 5 Ne alius sacerdos, nisi parochus hoc Sacramentum ministret. Si porrò is impeditus, aut alias in mora est, mortisque periculum instat, tunc sacerdos alius ministret, licet.

4. Ibidem. 6 Idem cum pro ægris parochialis viciniæ suæ semper oret, sacrificiumque offerat, tum si quem ex iis periculosè ægrotare viderit, hoc curet diligenter, vt die, noctúque ad extremæ vnctionis Sacramentum, ei ministrandum præsto sit, & paratus.

7 Cùm autem is ad ægrum, qui à parochiali ecclesia longius abest, grauiter, ac non sine periculo mortis, febri, morbove laborantem, sanctissimum Corpus Domini defert; ne, vbi ad parochiale domicilium ipse redierit, mortem ille prius obeat, quàm ad Extremæ vnctionis Sacramentum, eidem ministrandum, reuerti possit, vasculum etiam sacræ illius vnctionis secum ferat, illam ei, postquam corpus Domini præbuerit ministraturus: si ita, pro morbi ingrauescentis ratione, mortisque periculo faciendum censuerit.

5. Ibidem. 8 At caueat parochus, ne in eo ministrando negligentiam, vllamve moræ culpam contrahat. Alioqui si ad illius ministrationem accersitus, ire neglexerit, cum rationem Deo reddet, tùm pœna ab Episcopo grauiter plectatur.

9 Is porrò ad omnem huius Sacramenti, in tempore administrandi, diligentiam, præterquàm quòd præcipuè curæ suæ, quæ sanctæ sollicitudinis plena est, officio valde admodum perpetuò excitetur; proposito etiam sibi exemplo sanctissimi Episcopi Malachiæ accendatur, qui tam vehementi animi dolore ex eo affectus est, quòd culpa sua mulier quædam, Sacramenti huius gratia fraudata, decesserit, vt totam noctē orando, gemendo, lachrymando consumpserit, lachrymarumque vi, quasi maximo imbre, pro oleo Sancto, quod non ministrauit, mortuam perfuderit. Manè autem exaudiuit Dominus sanctum suum: ita vt illa à morte, tamquam è somno excitata, è lecto sese erigens, Sacramentum hoc ab eo acceperit, ac deinceps à morbo conualuerit.

1. de iis, quę ad sacram. admin. gen. pert. 10 Ægrotos verò, etiam non vocati, inuisant, vt ad Sacramentorum susceptionem inducant; & eorum animabus, quacumque ratione possint, sollicitè consulant.

5. Ibidem. Quod Concilio Agathensi cautum est, id vnusquisque parochus præstare curet, vt Missæ sacrificio peracto, si quos in parochiali vicinia ægrotos habet, frequenter, atque adeò quotidie, quantum per alias suæ curæ parochialis occupationes potest, inuisat, atque eisdem præstet, quæ sunt sollicitudinis, munerisque parochialis officia, prout opus esse viderit.

11 Id Extremæ vnctionis Sacramentum ministraturus, quot commodè potest, presbyteros, & clericos adhibere studeat, superpelliceo indutos: qui ipsum, & ministrantem, & precantem, pietatis, orationisque studio in eo ministerio adiuuent. 4 Ibidem.

Quod si plures habere non potest, vnum saltem omninò adhibeat clericum sibi ministrantem.

12 Accedat autem illud ministraturus, stola, & superpelliceo indutus.

13 Parochus, cùm vel sacrosanctam Eucharistiam, vel Extremæ vnctionis sanctum oleum ad ægrum defert, in via septem psalmos ex animo, piéque dicat, vel alias religiosas preces. 2. tit. 1. decr. 16.

14 Hoc ipsum etiam seruetur, cùm parochus ad sacrum oleum ægris ministrandum accedit, vt ipse scilicet, non laicus homo, illud in itinere deferat. 2. eod. tit. decre. 9.

15 Vas sacri olei, nè sinu, brachiove comprehensum, sed sacculo serico aptè inclusum, chordula serica à collo pendens, piè, reuerenterquè ferat. 4. Ibidem.

16 Cùm aduocatur propè ægrotantis lectum, mensam paruulam, vbi commodè fieri potest, parari; mappaque candida sterni curet: super qua, & vas sit, vbi bombix, seu stuppa ad abstergendas vnctiones, micaque panis ad abstersionem digitorum præparata, & vas alterum aquæ ad manus lauandas, & candela ceræ item parua. Qua in mensa vas sacri olei à parte lecto viciniori ponatur, à laico autem homine ne manu teneatur.

17 Idem cùm ad vngendum infirmum accesserit, diligenter eum consoletur, & hortetur, vt bono animo sit, & à curis, ac desideriis huius vitæ ad cœlestis beatitudinis cogitationem ita erigat, vt abiecto mortis metu, se à Deo in æternam requiem vocari gaudeat. 2. Ibidem.

18 Omnes verò, qui adsunt moneat, vt preces Christo Domino pro eo faciant.

19 Parochus in Sacramento Extremæ vnctionis ministrando ex Catechismi Romani doctrina, ægro, cæterisque præsentibus explicet illius vim, & vtilitates; tum ad animæ salutem, tum etiam ad corporis valetudinem, si hæc ad æternam gloriam profutura sit. 3. Ibidem.

20 Vbi Sacramentum ægro ministrarit, dum ille sermonis, & sensuum vsum non amisit, cum breuibus, & suauibus, ardentibusque verbis excitare ad desiderium vitæ æternæ, & ad spem de diuina misericordia concipiendam, ne opportunè desistat; tum, cùm propè moribundus est, in illius animæ commendatione, quàm maxima potest, intima animi pietate, statas religiosas, sanctasque preces recitet. 4. tit. eod.

Curetque toto eo tempore, vt domestici simul omnes, qui adsunt, pro eo Deum piè precentur.

Vbi hoc officium piè, accuratéque præstiterit, si æger adhuc viuit, aut animam agit, ne eidē

præsens adesse, omniaque salutaria officia præstare omittat. Si verò adesse aliquando non potest, vel quia aliis grauiter ægrotantibus, Sacramenta ministrare necesse habet, vel quia necessariis parochialis curæ occupationibus aliis impeditur, tunc ea pietatis officia illi à sacerdote, si quis alius eo loco est, sollicitè præstari curet.

Ad quod etiam officium, sibi hoc subsidium, cum opus est, comparet, vt confratriæ sanctissimi Sacramenti, aut doctrinæ Christianæ homines aliquos, parochiali sua diligentia, ad consolationis, & spei excitandæ officia, aliaque eiusmodi, instructos adhibeat.

Hoc etiam parochus domesticos, qui ægroti curam habent, moneat, vt ne post extremæ quidem vnctionis Sacramentum, quod ei ipse ministrauerit, corporis curam deserant.

3. eod. tit. 21 Parochus, si per errorem aliud oleum, quàm quod infirmorum est, ad ægrotum vngendum vmquam adhibuerit, etiam si Chrismatis, aut Cathecumenorum sit, vt erratum emendet, olei sacri, quod proprium infirmorum est, vnctionem eidem adhibeat: tuncque Sacramenti formam iteret.

22 Æger, si dum sacro oleo vngitur, extremum spiritum emiserit, parochus vngere desistat. Si verò aliqua morbi vis de repentè illum oppressit, vt dubitetur, viuus ne sit, an mortuus, ea conditione in vngendo vtatur: Si es viuus, per istam sanctam vnctionem, &c.

4. Ibidem. 23 Singulis mensibus, in diœcesi vnusquisque Vicarius foraneus, & in Vrbe præfectus regionarius, aut alius, cui id muneris Episcopus dederit, à suæ regionis parochis de illis perquirat, qui obierint: iisque animam agentibus, an ipsi præsentes adfuerint; an curæ, & pietatis officia omnia eisdem moribundis præstiterint; tum vbi opportunè in mortuorum agnatos, affinesve inciderit, parochialium sacerdotum debitum officium ab illis diligentius recognoscat.

Quod si eos negligentiores esse animaduerterit, vbi primum illos, vt par est, reprehenderit, tum eorum negligentiam, culpamve ad Episcopum deferat.

24 Episcopus pro sua vigilanti cura in vrbe, aut alio loco, in quo ipse sit, cùm ægros grauiter laborantes, præsertim vitæ spiritualis amantes, pietatisque laude insignes, paterna charitate aliquando visitare studeat; tum Episcopalem benedictionem moribundis impertiat.

Hoc officium quoque diligentius, cùm potest, sæpè parochis, sacerdotibus, religiosis viris, ægrotantibus, & moribundis item, præstare idem piè curet.

25 Parochus verò fidelibus propè morituris suggerat, vt, ex hoc sæculo, antequàm migrent, qui præsertim in Vrbe sunt, aut alio loco, in quo Episcopus sit, ad illum, certum hominem mittant, qui eis Episcopalem benedictionem petat.

5. tit. eod. 26 Vt Episcopo, eiusque Vicariis, aut Visitatoribus aliquando constet diligens parochorum in salutaribus illis officiis, quæ fidelibus ægrotantibus illi debent, cura: eorum vnusquisque librum præcipuum habeat; in quo sigillatim, & præscribat singulis diebus parochiæ suæ incolas, qui mortem obierint, & quæ Sacramenta eorum vnicuique ministrarit; & prætereà quando commendationis animæ officium præstiterit, & quo die hæc singula ministrarit.

De vasis, ac instrumentis ad Extremæ vnctionis Sacramentum decenter ministrandum necessariis, cum eorundem formulis.

SVMMARIVM.

1 *Vasculum ex argento, stannoue ab aliis separatum.*
2 *Vbi duo, plura ve. Et de Sacram. in genere, num. 18.*
Eiusdem forma. Ibidem. 21.
Cotyla, & sacculus, eorumque forma. Ibidem.
Illius custodiæ locus. Ibidem. 22.
Clauisque à quo custodienda. Ibidem. 15.

1 *VASCVLVM sacri olei extremæ vnctionis, ex argento, aut stanno pretiosiori sit: idque à reliquis sacrorum oleorum vasculis separatum.* Instr. sac. sup. lib. 2. De vasc. ext. vnctio.

2 *Vasa duo sacri olei infirmorum, cum suis cotylis, & sacculis: Vbi verò plures parochi, animarumve curatores sunt; totidem etiam vasa olei sacri.* Inst. supp. lib. 2. De supp. eccl. Cath. colleg. & paroch.

Quæ ad ordinis Sacramentum, sacramque ordinationem, & ordinandorum examen, atque examinatorum officium pertinent.

SVMMARIVM.

1 *Ordinibus conferendis ratio à Tridentino Concilio præscripta, seruanda.*
2 *Nihil in eorum collatione accipiendum.*
3 *Ordinationes sacræ, quando, & quo loco habendæ.*
4 *Edictum publicè ante ordinationem proponendum, & cuiusmodi: & vbi affigendum.*
5 *Dominico die, edicti promulgationem, & indictionis litteras sub sequente, vrbani, & diœcesani parochi, quid præstent.*
6 *Eo ipso die, & aliis Dominicis diebus per mensem ante ordinationem supplicationesque, quæ aliæ agendæ.*
7 *Dominico autem die ordinationem præcedente pastorales litteræ legendæ, processio agenda, populusque admonendus.*
8 *Ordinibus maioribus, initiandi, mense ante ordinationem Episcopum adeant.*
9 *Primam tonsuram itidem suscepturi.*
10 *Ordinandorum omnium causa, quæ intrà Missarum solennia denuncianda, & vbi.*
11 *Quæque de illis inquirenda, & à quibus.*
12 *Inquisitionis litteræ ad Episcopum mittendæ.*
13 *Feria secunda, quæ ab vrbanis clericis afferenda.*
14 *Feria tertia, quæ item à clericis diœcesanis.*
15 *Ordinandi omnes quas generatim, & quibus de rebus testificatione afferant, antequàm examinentur. 60.*
16 *Prima tonsura initiandi quas sigillatim testificationes deferant.*
17 *Minoribus, & maioribus ordinibus initiandi quas item vltrà prædictas attestationes habeant.*
18 *Subdiaconatum, vel alium sacrum ordinem suscepturi, quæ prætereà testimonia deferant.*
Externi clerici ordinādi, ac Regulares dimissorias,

testimonialesue afferant, & quales, & à quibus obsignatas. 20.

19 *Dimissoriæ litteræ ante ordinationis tempus non concedendæ, & quæ in illis cauenda.*

21 *Diœcesani clerici absentes, quas item testimoniales litteras afferant.*

22 *Dimissoriæ concedenti reddendæ, vbi ordinatio sequuta non sit.*

23 *Eæ, quando recenter ab ordinando impetrandæ.*

24 *Impedimenta, quibus sæculares, & regulares clerici, ab ordinatione repellendi.*

25 *Quales attestationes potissimum afferant ordinandi regulares, quæque alia circa illos indaganda.*

26 *Regulares clerici, quando ordinibus sacris non adscribendi.*

27 *Episcopo impedito, absenteque quid seruandum in concedendis litteris dimissoriis.* 28.

29 *Dimissoriis litteris ab Episcopo concedendis absentibus clericis, quid seruandum.*

30 *Dimissoriæ litteræ à proprio episcopo obtinendæ ab habente dispensationem ordines ab alio suscipiendi.*

31 *Ordinati ab alio, virtute litterarum testimonialium, infra quod tempus suscepti ordinis testificationem proprio Episcopo afferant.*

32 *Et quando eidem Episcopo se præsentent.*

33 *Abbatibus, etiam mitræ iure vtentibus, quando, & quibus tonsuram, & minores ordines conferre non licet.*

34 *Subdiaconatu non initiandi, qui diuinum officium recitare nesciunt.*

35 *Minores ordines suscepturi, in officij B. Mariæ recitatione sint versati.*

36 *Seminarij / Beneficij / Pensionis / Censusue* } *titulo, qui sacris ordinibus non adscribendi.*

37 *Idque quo modo intelligendum.*

38 *Pensionis / Patrimonij / Donationisq;* } *Titulo, quibus sacer ordo conferri potest, quæque ea in re Episcopi cautio.* 40. 41.

39 *Familiari suo, quando sacrum ordinem Episcopus conferre possit.*

42 *Cautio prædicta instrumento publico roboranda, & quibus clausulis.*

43 *Patrimonium, cautioque ipsa, alienari, remitti, proscribique nequit.*

44 *Beneficij cessio / Patrimonij alienatio / Pensionis, & census* } *extinctio* } *vbi sint sequutæ, illorum reuocatio.*

45 *Stata temporum interualla ordinibus conferendis seruanda: quidque agendum vbi contra fieri res suadeat.*

46 *Examinandi ratio Dominis Examinatoribus præscripta:*

47 *Quorum causa illa instituta.*

Examinatores, suscepti oneris grauitatē cognoscāt. 51.

48 *Iureiurando se obstringant.*

49 *Nullum donum capiant, & seqq.*

50 *Omnis culpæ rationem reddituri.*

52 *Indignum non probent, neque dignum reprobent.*

Neminem alteri examinatori commendent. 54.

53 *A prece, examinis initium faciant.*

55 *Ex Examinatoribus qui præsens esse nequit.*

56 *Examen ne quis subeat alterius nomine, caueant.*

57 *Illi, quot examinatores intersint: vltrà Episcopum, vel vicarium.*

58 *Examinandi qualitas corporis, & habitus inspiciendi.*

59 *Vestitu deformi, & tonsura incongrua, accedens, reijciendus.*

60 *Quæ testificationes ab examinando afferendæ, &* supra. 15.

61 *Illæ Cancellario tradendæ, & vbi asseruandæ.*

62 *Cancellarij ea in re officium.*

63 *Examinatores, quid potissimum spectent in parocho futuro.*

Quærendum ab eo, primum, an aliàs examinatus sit supra, num. 56.

Deinde ipsum legere examinatores iubeant. 75.

Posteà verborum constructionem proponant. 76.

Constructionisque sensum ab eo quærant. 77.

64 *Demum interrogationes faciant: & quo ordine.*

65 *Interrogationum ratio,* & 69.

66 *Examine durante, silentio vtendum.*

67 *Quæstionibus proponendis, quales se præbeant examinatores.*

68 *In examinandis, quæ spectanda.*

69 *Quæ primo ab aliis quærenda.*

70 *Quibus libris examinatores vtantur ad illorum doctrinæ experimentum faciendum.*

71 *Interrogationes rerum difficilium quibus non faciendæ.*

72 *Quando, & cum quibus pauciores adhibendæ.*

73 *Episcopi, & examinatorum prudentia in proponendis pluribus paucioribusque quæstionibus.*

74 *Ignari admonendi, vt doctrinis incumbant, & quando periculum progressus faciendum.*

78 *Clerici primæ tonsuræ, minorumque & maiorum ordinum, vt generatim examinandi.*

79 *Primæ tonsuræ clerici, qua ratione sigillatim examinandi.*

80 *Clericorum minorum ordinum quale examen.*

81 *Clericorum item maiorum ordinum examen in genere.*

82 *Subdiaconorum* }
83 *Diaconorum* } *examen in specie.*
84 *Presbyterorum* }

85 *Regularium examen, circa quæ præterea versetur.*

Examinati omnes, tam probati, quàm reprobati in certum librum à Cancellario referendi. De Cancellario, & Notarijs. 30.

86 *Pridie ordinationis diei, conuocatis ordinandis, sermo habendus, & à quo.*

87 *Et cuius tractatus.*

88 *Eodem die Constitutio Pij II. contra clericos edita, qui sine dispensatione extrà stata tempora, &c. promulganda.*

89 *Clerici ordinati, certæ ecclesiæ adscribendi, in qua functiones obeant, ex præscripto.*

91. *Et de Ministris eccles.* 59. 60.

Etiam si ab alio Episcopo ordinati sint, num. 31. 32.

90 *Sintque Episcopi familiares.*

92 *Certæ ecclesiæ, locoue pro adscriptus, etiam alteri ecclesiæ adscribi potest.*

93 *Piè, ritè, religioséque functiones præstandæ.*

94 *An illæ ritè præstentur à Rectore ad Episcopum referendum.*

95 *De illis ita præstitis à quo testimonium faciendū.*

96 *Pœna discedentis ab ecclesia adsignata.*

97 *Absentia clerici adscripti quomodo, & à quo notanda. Et de Punctatoribus.* 32.

98 *Certæ Ecclesiæ adscripti, ad quam ecclesiam conueniant, & quid in illa præstent. Et de fidei mitiis.* 7. *Et de parochiis.* 52.

99 *Ordinati in librũ referẽdi, & qualiter, suprà, 31. 32.*
Et quæ ad beneficiorum collat. pertinent. 35.
100 *Pro singulis litteris testimonialibus ordinum susceptorum, quantum à Cancellario capiendum.*
101 *In eisdem litteris, adscriptionis Ecclesiæ testificatio fiat.*
De quibus aliis in eisdem litteris Cancellarius testetur. suprà. 62.
102 *Clericali militiæ adscribendi, quæ disciplina.*
103 *Clericus futurus, quomodo instituendus.*
104 *Eiusdem mores, progressusque in litteris Episcopo per parochum significandis.*

Sess. 23. per totum. 1 ACcuratè complexa est Tridentina Synodus omnem diligentiæ rationem, quam in conferendis ordinibus adhibere debent Episcopi, vt Ecclesiæ idoneos sacerdotes, & alios ministros habeant. Quamobrem eos tantum admonendos esse duximus, vt idem studium in exequendo præstent, quod in præcipiendo adhibitum esse omnes intelligunt.

Primũ, quę ad sac. ord. adm. pert.

1. Ibidem. Sess. 21. c. 1. de Refor. 2 Quod à Tridentina Synodo sancitum est, ne in conferendis ordinibus Episcopi, & eorum ministri quidquam, etiam sponte, quauis de causa datum, accipiant, id, & ipsi inuiolatè seruent, & à suis cubiculariis, cæterisque familiaribus seruandum curent.

4. quę pert. ad Sacr. ordinis. 3 Sacræ ordinationes, tum statis solum quatuor anni temporibus, nisi ob vrgentem causam, illas alio tempore aliquando, facultate à Sede Apostolica litteris data, haberi necesse sit, tum in Ecclesia Cathedrali, ritu solenni, canonicisque præsentibus, habeantur. Si verò quandoque in diœcesano loco habentur, in illius loci Ecclesia primaria celebrentur, clero eiusdem præsente, vt decreto Tridentino cautum est. Sess. 23. c. 8.

Sess. 7. c. 11. Sess. 14. c. 2. 4 Vt & Episcopo, sacram ordinationem habituro, & iis, qui ordinis Sacramento initiandi sunt, satis temporis detur, quo præstare possint, quæcumque, vel sacri Tridentini Concilij decretis, vel nostris etiam Prouincialibus Constitutionibus, ante stata illius sacræ ordinationis tempora, in iis præsertim, qui maiores ordines suscepturi sunt, præstari iussum est; primò Episcopus, statis illis temporibus eam de more solenniter celebraturus, duobus ante mensibus, aut amplius, minusve, pro diœcesis amplitudine illius habendæ diem litteris indicat: tum Edictum, certa verborum formula conscriptũ, publicè proponi, Ecclesiæque Cathedralis valuis, aliisque vt consuetudinis est, locis affigi, idemque prætereà à singulis parochis promulgari iubeat. Quo edicto omnes quicumque, vel primam tonsuram, vel ordines minores, maioresve suscepturi sunt, ad sacram ordinationem euocet. 4. Ibidem.

Cautum prætereà, vel menstruum, scilicet quod ad Diœcesanos attinet, longius etiam, pro diœcesis amplitudine, spatium præstituat, quò ad se omninò illi singuli, qui prima tonsura, aut aliquo sacro ordine initiandi sunt, ad ante stata ordinationis tempora conueniant.

Certam item diem, sacræ ordinationi proximam, edicat, qua primò, qui in vrbe sunt, tum rursus alteram, qua diœcesani, qui prima tonsura, aut aliquo ordine initiandi sunt, cùm præscripta testimonia afferant, tùm stata examina subituri, præstò sint. Reliqua prætereà omnia, & singula edicat, & commoneat, quæ vel à clericis, qui initiandi sunt, vel à parochis, sacræ ordinationis causam, præstari debent.

5 Proximo autem post illam edicti promulgationem die Dominico, parochi, qui in vrbe sunt; tùm verò diœcesani, vbi primum litteras indictionis diei sacræ ordinationis celebrandæ acceperint, Dominico die, proximè sequenti, in sua quique Ecclesia illas publicè proponant, atque affigant, vnà cum edicto, de sacra ordinatione, & Episcopi etiam litteris pastoralibus, ex præscripta formula, per nos edenda, aut alia ratione, argumentove, cum re, quæ sanctè agenda est, consentaneo, prout Episcopus aliquando expedire censuerit.

6. 7 Quo Dominico promulgationis die, ob sacram ordinationem proximè futuram in singulis ecclesiis parochialibus, vt aliàs decretum est, processio de more agatur; litaniis, supplicationibus publicis, quibus vnusquisque secum mente reputans, quàm pauci operarij in messe multa sint, hoc Deum toto corde exoret, vt, qui dominus est messis, ipse mittat operarios in messem suam, ac lumen Episcopo præbeat, vt in iis deligendis, quos ordinibus adscribat: quos verò Episcopus delegerit, ope diuina illi adiuti, in sanctitate & iustitia ei seruiant, eiusdem gloriam omnibus in rebus sibi proponentes. Quod, vt eo nomine Deum populus supplex sæpius oret, id illam singulis diebus Dominicis per mensem ante sacræ ordinationis tempus, crebra cohortatione, parochi intra Missarum solennia præmoneant: at Dominico die, illam proximè præcedenti, pastorales etiam illas Episcopi litteras de scripto accuratè iterum recitent; tum prætereà, admonitione populum ad illud excitent, vt non modo supplicationes ob eam causam, altero Concilio Prouinciali decretas, piè religioséque tunc obeat, sed illis ipsis statis, qui sequuntur, sacræ ordinationis diebus, frequens in oratione, purè, sanctéque versetur, vt Dei, Sanctorumque ope, piis fidelium precationibus impetrata, & Episcopus ordines iis conferat, quos vtiles operarios ecclesia Dei postulat, & qui ordines suscipient, in dies progressus maiores habeant, in vitę, morumque sanctitate, religione, doctrina, ac prudentia.

Iubeat Episcopus, vt Dominico illo die, qui quatuor stata ieiunij tempora, quibus ordinis Sacramentum ministratur, proximè antecedit, parochi non solum solenne illud ieiunium huius rei causa institutum denuncient; verùm etiam in sua vnusquisque eorum parochiali ecclesia supplicationes, litaniasque piè ac religiosè, vel intus habeat, vel prosequente fidelium multitudine, foris ecclesiam, sicut moris est, obeat: vt Dei, Sanctorumque ope implorata, tum Episcopus in eorum delectu, quibus ordines conferet, Spiritussancti lumine illustretur; tum illi, quibus conferuntur, in vitæ sanctitate, doctrina, religiosisque virtutibus proficiant. 2. tit. 1. dec. 21.

8 Qui maioribus, ordinibus initiari volunt, ij, quod Tridentino decreto iussum est, inuiolatè planè seruent, vt mense scilicet, aut longiori, ante statam sacræ ordinationis diem, temporis spatio, prout, edicto Episcopali præfinitum erit, ad Episcopum se conferant. 4. Ibidem. Sess. 23. c. 7

9 Quoniam verò prima tonsura, vt Catechis-

mi etiam Romani litteris traditur, ad ordines suscipiendos quædam præparatio iis est, qui Dei ministerio dicandi sint, permultum propterea refert, omnem in illa conferenda, & suscipienda, diligentiam studiosè adhiberi. Quamobrem id quoque ab iis, qui prima tonsura initiandi erunt, omninò seruari, ac præstari decernimus, nisi aliquando Episcopus aliud ob causam faciendum censuerit.

10 Præstituto igitur tempore omnium, ac singulorum, tum qui prima tonsura, tum etiam, qui maioribus ordinibus initiandi, ad Episcopum accesserint, nomen, cognomen, parentes, patria, ecclesia parochialis, intra cuius fines quisque ortus, atque illa item, vbi proximè habitarit, rectè notentur, Episcopi iussu. Ac præterea beneficium ecclesiasticum, pensiove, aut patrimonium, illiusve generis census, cuius nomine, titulove quis sacros ordines suscepturus est. Hæc verò ipsa litteris exarata à parocho; ab eove, cui Episcopus id negotij dederit, publicè de illis proponentur die festo inter Missarum solennia in Ecclesia, & Cathedrali, & propria parochiali, & in illa quoque in cuius finibus postremò domicilium habuerit, & vbi præterea Episcopus censuerit. Ac quod ad censum attinet, in ea omninò parochiali Ecclesia, intra cuius limites maior eius census, siue ecclesiastici, siue alterius generis pars posita est, vt denunciari queat, si quæ vel confictio sufficientis census, vel alia fraus subest, vel aliud quamobrem illud beneficium, aliumve censum non pacificè possideat, vel si quæ census illius pars ære alieno, aliove modo obstricta teneatur, vnde is, deinde initiatus sacris, non habeat satis vnde viuat, cogaturque propterea turpiter victum quæritare. Sess. 23. c. 5.

11 Hac adhibita ratione, inquirat diligenter is, cui id muneris Episcopus dederit, de eorum, qui prima tonsura, vel sacris maioribus ordinibus initiandi sunt, natalibus, ætate, vita, & moribus, ac cæteris, quę oportet, à viris spectata probitate.

Nec verò is testimonialibus solùm, quæ eorundem, qui ordinibus initiandi sunt, nomine fient, vel afferentur, contentus omninò sit; sed aliunde, etiam pro officij sui munere, ea omnia de illis studiosè indaget, vt sibi hoc de genere toto, veritas omni ratione constet.

Quinimò quod ad mores illorum inquirendos attinet, testificatio ab iis nulla conquiratur, quos suæ vitæ testes ipsi attulerint, nominarintve; si id testimonij genus ab aliis, spectata integritate viris, rectè haberi queat.

Alia præterea omnis diligens cautio, ac ratio in hac ipsa tum indagatione, tum testificatione ab eo, quem huic muneri Episcopus constituerit, adhibeatur.

12 Litteræ porrò, quibus tota hæc inquisitio, ac testificatio continetur, ad Episcopum rectè obsignatæ ab eo mittantur, cui id illi curæ mandauit. At verò, ne propter eiusmodi, aliamve diligentiam, quam pro sui muneris officio Episcopus, in eorum, qui ordines suscepturi sunt, natalibus, ac moribus, cæterisque id genus perquirendis adhibuerit, eorum quisquam excuset quo minus præscriptas sibi de se, suisque conditionibus, qualitatibusve testificationes certas, infra constitutas, afferat.

13. 14 Quas testificationes afferendi id tempus illis præstitutum sit, quo examen subituri, ordinis suscipiendi causa, ad Episcopum conuenient. Quod sanè tempus Episcopali etiam edicto, significandum illis, qui in vrbe sunt, feriam scilicet secundam hebdomadæ, statam sacræ ordinationis diem præcedentis: diœcesanis autem, aliisve ante feriam quartam hebdomadæ, in quam ipsa sacra ordinatio inciderit, constituimus; id vero, nisi vel pro diœcesis exiguæ, aut amplioris ratione, vel pro numero eorum, de quorum agetur promotione, breuius, aut longius conueniendi tempus, edicto suo Episcopus præscribendum censuerit. Trid. Conc. Sess. 23. c. 7 dist. 24. c. quando.

15 Omnis, quicumque vel primam tonsuram, vel ordines minores, maioresve suscepturus est, ea singula, quæ mox infrà ordine statuuntur, de se litteris, legitimè testata suo Episcopo faciat.

Primò se legitimo matrimonio natum esse, aut ob natalium impedimentum, secum dispensatum esse.

Præterea se, vel origine, vel beneficio ecclesiastico, quod in diœcesi obtinet, vel decennali domicilio, vel alia quauis legitima ratione diœcesanum esse.

Tum à parocho, à ludique magistro, vt Tridentina Synodus œcumenica iubet, aut ab eo, quem in quouis studiorum genere audit, aut si in Seminario adscriptus est, ab illius Rectore, aut ab aliis, quos Episcopus maluerit, obsignatas litteras afferat, quibus de vitæ suæ disciplina, moribusque testatum fiat. Sess. 23. c. 5.

Doctrinæ item Christianæ scholas se frequentare, id testimonij afferat, vel à præfecto illarum, in parochiali vicinia sua constituto, vel ab eo, qui omniũ id generis schòlarũ curæ præest.

16 Hæc præterea testimonia afferet, qui se prima tonsura initiari vult.

Sacro Chrismate confirmatum esse. Trid. sess. 23. cap. 4.

In ecclesia frequentius, religiosiusque versatum esse.

Spe esse, se in clericalis ordinis disciplina permansurum: hoc verò testimonium à parocho, aut ab eo sacerdote habeat, cui Episcopo in disciplina traditus est, postquam clericalis ordinis suscipiendi animũ, voluntatémque ei patefecit.

Sacram item Communionem crebrò per annum sumpsisse.

Licebit tamen Episcopo, etiam sine testimonio, tum sumptæ Cõmunionis, tum frequentatæ scholę doctrinę Christianæ ob causã admittere.

17 Qui verò aliquo minori, maiorive ordine initiandus est, testimonium præter ea, quæ mox supra præscripta sunt, afferat, etiam de his, quæ sequuntur. Sess. 23. c. 5.

De prima tonsura, aut de ordine, quem proximè suscepit.

De illius ordinis functionibus, à se præstitis: idque testificatum habeat à præfecto ecclesiæ, cui adscriptus est. Nec verò etiam regularis, cuiuscumque ordinis sit, admittatur, qui hoc testimonium non attulerit à suo superiore.

De habitu clericali, ad prouincialium, diœcesanorumque Conciliorum præscriptum, post ordinem proximè susceptum, à se assiduè gestato. Quam testificationem à parocho afferat.

De confessione frequentiori ex decretorum prouincialium præscripto, cuius rei testimo- Sess. 23. c. 11. & 13.

nium obsignatum ab aliquo confessario sacerdote, probato ad audiendas confessiones clericorum afferat.

De sacra Communione, vt decretis prouincialibus iussum est, crebrius sumpta. Hoc autem testatum afferat, vel à parocho, vel à præfecto Ecclesiæ, in qua adscriptus est, vel ab alio sacerdote, qui Episcopi iussu ministrarit.

18 Qui subdiaconatum, aliumve sacrum ordinem suscepturus est, scripta præterea afferat, quibus præter cætera testetur.

Sess. 23. c. 5. De se ex præscripta formula, denunciationes in Ecclesia Cathedrali, & in aliis per Episcopum constitutis, publicè die festo inter Missarum solennia factas esse.

Sess. 23. cap. 12. Aetatem item, sanctione Tridentina præscriptam, annos scilicet viginti duos, si subdiaconatum; vigintitres, si diaconatum; vigintiquinque attigisse, si sacerdotiũ suscepturus est.

Sess. 21. c. 2. Censum item, vel Ecclesiasticum, vel laicalem; quem & pacificè possideri, & tantum esse constet, quantum ad vitæ eius sustentandæ vsum satis esse Episcopus censuerit, secundum prouinciæ, vel loci qualitatem.

De Censu præterea denunciationes, præfinitis suprà locis, factas esse, atque ad huius Concilij præscriptum.

Quicumque verò subdiaconus, aut Sacerdos creandus est, id præter alia testificationis afferat, se spirituales exercitationes ad decreti in hoc prouinciali Concilio editi, præscriptum, præstitisse, videlicet.

Subdiaconatum suscepturus, qui diligentius vitæ perpendat rationem cui se illum suscipiendo sanctè obstringit, ac proinde re tota accuratius deliberata, puriori mente, ardentiorique animi voluntate, ad rem tanti momenti accedat, priusquam eo Sacro ordine initietur, aliquem semotum locum adeat, vbi ab omnibus curis, & occupationibus liber, cum omnis ante actæ vitæ suæ peccata, diligenti conscientiæ discussione, ritè confiteatur: tum in salutaribus meditationibus, aliisque spiritualibus exercitationibus totus versetur, duce, & moderatore sibi adhibito, religioso viro, earum vsu perito, quem Episcopus in primis probarit.

In illis autem, vel mense, vel longiori, breuiorive tempore persistat, prout de moderatoris consilio, Episcopus expedire censuerit.

Quas item exercitationes, eodem præscripto, & modo, eo tempore diaconi cum ad sacerdotij gradum accessuri sunt, piè ineant, ac præstent.

4. Ibidem. 19 Sæpè illud, facilèque euenit, vt vel hominis mores mutentur, vel, quod de illius vita minus anteà notum, atque exploratum erat, id posteà aliquo modo patefiat: quo fit, vt, quem Episcopus, superiorve aliquando probarit, dignumque existimarit, aliquo etiam sacro ordine initiari, illum ipsum post inueniat indignum, neque idoneum esse, cui idem, aut maior ordo conferatur.

Sess. 23. cap. 11. Sess. 23. c. 8. Quare vt, & erroribus, multiplicique fraudi occurratur, & planè seruentur decreta illa Trid. vnum, quo vetatur ad superioris ordinis gradũ illos ascendere, qui in inferiori aliquandiu, Episcopi iudicio, versati non sint: quique cum ætate, vitæ merito, doctrinaque maiori non processerint: alterum, quo cauetur, nemini licere ab alio Episcopo primam tonsuram, aut ordinem aliquem suscipere, nisi eius probitas, & mores, ordinarij sui testimonio, primum commendentur. Episcopus, aliusve superior prout pro sua prudentia, pietateque expedire censuerit, in primis videat, nè cuiquam antequam sacræ ordinationis tempus proximè instet, litteras eiusmodi testimoniales, dimissoriasve, pro ordinibus ab alio Episcopo suscipiendis, sine necessaria causa vnquam concedat. Neque item iisdem litteris facultatem det, plures ordines suscipiendi, quam illos ipsos tantum, quos vno, eodemque tempore ab eo suscipi voluerit, ac per sacros canones, conciliaque licuerit.

Præfiniat præterea in illis ipsis certum suscipiendi ordinis, cui quisquam adscribendus est, tempus menstruum scilicet, vel bimestre, vel longius, vt pro loci distantia, pro aliave eiusmodi causa opus esse viderit. Quo præstituto tempore transacto, eas litteras, illo nomine à se concessas, ei imposterum nihil suffragij, nihilque roboris habere iisdem litteris declaret: quas etiam cancellario Episcopali, ab illo, cui concessæ sunt, reddi decernet.

20 Nec verò alienæ diœcesis clerico sæculari, neque vlli omnino regulari, litterarum authoritate, quas dimissorias, testimonialesve hic ab superiore, aut ille ab ordinario suo habet, Episcopus ordinem aliquem, vel minorem, vel maiorem, ac nè primam quidem tonsuram, tempore illarum litterarum præterito, conferat.

Quod si nulllum iisdem litteris spatium temporis præscriptum sit, nè item in sacra ordinatione quemquam promoueat; nisi eas recenter, aut scriptas, aut renouatas, confirmatasve is afferat: atque ità recenter quidem; vt non amplius duobus, tribusve mensibus ante sacræ ordinationis, qua ille proximè initiandus est, tempus, datæ, confirmatæve sint: si modo, aut loci distantia, aut eius, qui ordinem suscepturus est, diuturna ab suo Episcopo superioreve absentia aliaue id generis causa vetustiores has; eiusdem Episcopi iudicio, admitti, probarive non postulet. Idipsum quoque Episcopus in testimonialibus morum litteris cauebit, quas suæ etiam diœcesis clerici, aliive quicumque eo de genere afferent.

Litteras autem eiusmodi, de moribus testatum facientes, ab alienæ diœcesis clericis, regularibusve item, qui sua diœcesi, monasteriove proximè aliquandiu abfuerint, sibi afferri, exhiberive curet, non solum ab eorum Episcopo, superiorive, sed ab illo etiam, apud quem proximè manserint, eiusve auctoritate scriptas, atque obsignatas.

21 Quod idem à suis clericis præstari iubeat, qui in aliena diœcesi, aliquo temporis spatio proximè fuerint.

22 Si vero, qui eo spatio in litteris præfinito, aut si nullum etiam præfinitum sit, duobus, aut tribus post datas, renouatasve litteras, mensibus, ordines non susceperit; tunc litteras illas, vel dimissorias, vel morum testimoniales, eo nomine sibi ab suo ordinario, vel superiore primum datas, vel recenter confirmatas, renouatasue, quamprimum per loci distantiam potest, eidem per se, vel alium restituat, reddatve.

23 Cum autem deinceps ordines suscipere vult, iterum recentes illas ab eo impetret.

Qui item ab suo Episcopo eos suscepturus est, quod ad morum suorum testificationes attinet, à quibus debet, iterum recentes illas ei afferat, exhibeatue.

24 Si quis vna aliqua culpa, impedimentoue, vt infra irretitus tenetur, nè ad sacram ordinationem, contra sacrorum canonum, & conciliorum præscriptum, accedat, vt ne censuras, pœnasue canonico iure illis, qui tales ad eam accesserint, constitutas, subeat. Rursùs diligentiam Episcopus adhibeat, nè fraude, vel dolo quispiam Sacræ ordinationi sese ingerat.

Impedimento irretiti hi sunt.

Dist. 5. c. 1. dist. 51. ca. qui in aliquo. Minores natu.

Trident. sess. 23. cap. 4. de refor. Sacramento chrismatis non confirmati.

Dist. 51. ca. qui in aliquo Trid: sess. 23. per totum. Rudes, & ignari.

Trident. sess. eadem sess. 14. cap. 7. Criminosi.

cap. 1. de bigamis non ord. Solenniter pœnitentes.

Distinct. 51. capit. qui. Neophyti.

De vit. & hon. cler. cap. Ebrietati, & gulæ dediti.

Impudici,

Dist. 51. ca. qui. Lapsi post ordinem susceptum.

Periuri.

Dist. 47. cap. Episcopus. Vsurarij manifesti.

Dist. 51 ca. qui 6. q. 1. infames. Infames,

cap. vnic. de oblat. ad rat. & 51. dist. in summa, & 53. dist. legem. Ratiociniis obligati.

De ser. non ord. & dist. 54. per tot. Serui.

de corp. vit. ord. Corpore vitiati.

51. dist. c. fi. Insigniter deformes,

Dist. 56. ca presbyterorum, & extra eo. Illegitimè nati.

Peregrini, & ignoti. Dist. 51. ca. qui.

Bigami. De bigam. non ord.

Irregulares quouis alio modo,

Suspensi.

Interdicti.

Excommunicati.

Amentes.

Morbo caduco laborantes.

Energumeni.

Non examinati, & probati.

25 In iis quæ œcumenica Synod. Trident. de sacra ordinat. statuit, vberius etiam prouincialium Conciliorum decretis explicata, multa sunt, quorum diligens ratio, etiam in Regularibus habenda est; atque eorum quidem capita quædam præcipua infra hoc decreto complexi sumus. Videat igitur Episcopus, vt quicquid de iis ipsis capitibus, vel eodem Tridentino Concilio, vel Synodis prouincialibus, etiam generatim constitutum est, in illis initiandis quam diligentissimè ab ipso seruetur. 5. de init. ord. sacr.

Culpæ impedimentaue canonica ordinis suscipiendi quarto Concilio enumerata.

Litteræ testimoniales superioris, de quibus suprà.

Testimonium de natalibus, & ætate præscripta Tridentino Concilio. Ses. 23. cap. 12.

Testificatio ordinis proximè suscepti.

Progressio in Ecclesiastica disciplina.

Testimonium bonum.

Denunciatio nominis in Ecclesia.

Adscriptio, & ministerium in Ecclesia, cui adscriptus est.

Exercitatio functionum ordinis suscepti.

Frequentia Sacræ communionis.

Reuerentia, atque obseruantia erga sacerdotes, & superiores.

Interuallum anni inter postremum ordinum minorum gradum, & subdiaconatum, ac rursus inter vnum, & alterum ex sacris ordinibus; nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas, iudicio Episcopi aliud postulet. Ses. 23. 11.

Diligens examen Episcopi, ead. sess. c. 12.

Litterarum scientia, & cantus peritia, ac aliæ instructiones ad ordinis suscipiendi functiones ritè, rectéque obeundas.

Vsus, & peritia recitandi diuinum officium.

Loco tituli, censusue, testificatio præstitæ professionis regularis, præscripta in Concilio prouinciali secundo: vt sequitur.

26 Vt quod Summus Pontifex Pius Quintus in explicatione decreti Tridentini, quod est sess. vigesima prima, capitulo secundo constituit, executionem habeat, Episcopus, nè clericum vllum regularem, neque secularem qui regularium more in communi vitæ disciplina sit, be- 2. tit. 1. dec. cap. 23.

neficiumque ecclesiasticum non habeat, ordinibus sacris adscribat, nisi à superiore fidem ille attulerit, se religionis, cui adscriptus est, professionem confecisse: iuratusque affirmet, scripto, manu sua subsignato, coram Episcopo, se id spontè fecisse, aut ratum habuisse. Illud autem scriptum in archiuo asseruandum Episcopus curet.

5. de iis, quæ pert. ad ord. sac. &c. Sess. 14. c. 3. Sess. 2. c. 3. & 8.

27 Infirma valetudine, aliaue iusta causa impeditus Episcopus si statas sacras ordinationes habere non potest, & aliquem propterea clericum suum ad alium Episcopum mittere velit, à quo alicui Eccles. ordini adscribatur, testimonialibus litteris ei datis, hæc adscribat, & testata faciat, vitæ imprimis, & morum probitatem, doctrinam, qua idoneus, examine habito, iudicatus est; Ecclesiasticum ordinem, quo est proximè initiatus, tum præterea natales, aut dispensationem, si quam super illis obtinuerit: Si verò maiori ordini adscribendus est, ætatem item, & titulum, sufficientemque censum beneficii, vel pensionis, vel patrimonii, quod ille habet. Quicumque clericus non huiusmodi litteras attulerit; quibus ea omnia adscripta, testataue fiant, ordini, cui adscribi vult, nè adscribatur, perinde, ac si nullas Episcopi sui dimissorias litteras impetrarit.

Sess. 21. cap. de reform.

5. de init. ord. sacr.

28 Quod prouinciali tertio Concilio decretum est de ratione seruanda in concedendis litteris dimissoriis ab Episcopo impedito suis diœcesanis pro ordinibus suscipiendis, id locum etiam habeat Episcopo absente.

Sede vacante vt concedendæ litteræ dimiss. Conc. Trid. sess. 7. c. 10. sess. 23. cap. 10.

29 Clericos verò à diœcesi absentes, qui dimissorias litteras petunt, Episcopus ad se, examinis causa euocet: liceat tamen ei aliquando si hoc minus commodè præstari posse censuerit, examen illud speciatim Episcopo delegare, in cuius diœcesi illi morantur; at verò tunc litteras dimissorias nè det, antequam examinis facti litteras, ab eo acceperit, cui illud delegauit.

Sess. 7. c. 11. & 12. de ref.

30 Si cui etiam Sedis Apostolicæ litteris, facultas permissa est, sibi licere ordinis Sacramentum ab alio, quam ab ordinario suo suscipere, is, antequam initietur, etiam sui ipsius ordinarii litteras obsignatas habeat, quibus vitæ suæ mores, disciplina, probitas, & cætera id generis testificata, commendentur.

4. quæ pert. ad sacr. ord. Sess. 14. c. 2. de refor. Sess. 23. c. 3. 8. 10.

31 Clericus, qui à suo Episcopo litteris testimonialibus, dimissoriisue impetratis, ordinem ab alio Episcopo susceperit; mense post illum susceptum, aut longiori, pro loci distantia temporis spatio, in eisdem litteris præscripto, testificationem ordinis, quem susceperit scriptam suo Episcopo afferat: Si verò legitima causa impeditus est, id per alium præstet.

5. de init. ad ord. sac. Sess. 23. cap. 10.

32 At vbi primum poterit, ipse quoque Episcopum conueniat, vt & in eorum, qui ordinibus adscripti sunt, librum referatur, & certæ Ecclesiæ, si nondum adscriptus est, ex Tridentino Decreto adscribatur.

33 Nè Abbates, & baculi, & mitre iure vtentes, aliove eiusmodi priuilegio, & authoritate conferendi minores ordines, munitos, patiatur Episcopus diœcesanus, tonsuram, neque minores ordines, id quod Tridentina Synodus vetuit, aliis conferre, quam iis, qui regulares sunt, & eorum iurisdictioni subiecti, nisi & ipsius Episcopi consensus ante accedat, & illi initiandi à suo Episcopo, vel regulari superiori attulerint litteras dimissorias non generatim, sed speciatim concessas. Nec verò quibusuis Abbatibus id permitti liceat; sed iis tantum, qui Sacerdotio initiati sunt, & statis benedictionis precibus consecrati.

34 Qui subdiaconatus ordini adscriptus est, cum statim lege astrictus sit, canonicarum horarum officium ex Breuiarij præscripto recitandi, nemo ad eum ordinem capescendum recipiatur, qui in horarii illius officii, cuius lege deuinctus tenetur, rectè, ac ritè recitandi vsu peritus non sit. 5. Ibidem.

35 Inferioribus verò ordinibus initiandi, qui nullum beneficium obtinent, versati sint in beatæ Mariæ officii ratione.

36 Nemo titulo seminarii sacris maioribus ordinibus adscribatur, neque titulo item beneficii, aut pensionis, alteriusue census quem ei ad victum, Episcopi iudicio, satis esse non constet. 4. quæ pert. ad sacr. or.

37 Quod alio Concilio vetitum est, ne seminarij titulo, clerico, cuiquam Episcopus ordinem aliquem Sacrum conferat, id decernimus locum habere, nisi cum beneficij, seminario vnionis iure adiuncti, vsui, & cultui ministerium est ab illo præstandum, tuncque certus annuus census constituatur, vnde qui eo titulo ordinem susceperit, sustentari queat Episcopi iudicio. 5. de init. or. sacr.

Nec verò tamen is in illo censu vllum ius habeat, cum primum aliunde habuerit, vnde itidem vitæ suæ sustentationi Episcopi iudicio consultum, & prouisum sit. Quod si aliunde ex parte tantum eius sustentationi prouisum sit, tunc extincta censeatur illa census attributio pro tanta parte, quantam ad illam sustentationem aliunde habet.

38 Pensionis, & patrimonij, quod quis habet, & bonorum item quæ perpetuo, & eo nomine ab aliquo ei donantur, titulo, Episcopus sacrum aliquem ordinem alicui, etiam familiari suo conferre potest. Idque de familiari, etiam si alienæ diœcesis sit, modo post triennium ab initio familiaritatis, si Ecclesiarum suarum, vel necessitatem, vel vtilitatem hoc flagitare iudicarit, vt sacris ille initietur. 5. de init. or. sac. Concilio Trid. Sess. 21. c. 2. Sess. 23. c. 9.

40 At verò etiam, si quis ei, qui sacris initiandus est, verè spondeat certa cautione, se quæ ad vitæ cultum vsui necessaria sunt, suppeditaturum, saltem donec ei aliunde prouisum sit, huic, ob sacerdotum penuriam ab Episcopo sacer ordo conferatur, licet sine alicuius etiam, vel beneficij, vel patrimonij titulo.

41 At verò hæc in primis Episcopus diligentissimè videat, vt pensionem, patrimoniumue illud verè obtineat; vtque ea donatio, sponsioue verè, ac sine fraude, doloue facta sit: eiusque tabulæ, vt ritè, & rectè, confectæ sint; vtque pensio, patrimoniumue, & quæ dono data sunt, tantum inde census percipiatur, vt satis esse possit ad illius honestam vitæ sustentationem: qua in re omni cognoscenda promulgationes adhibeat, & reliquam diligentiam quarto prouinciali Concilio in hoc genere præscriptam. Vide Quartum infra num. 44. 6. quæ ad or. sac. pert.

42 Ne quis patrimonij ab alio cuiusuis condi-

tionis homine assignati, aut promissionis titulo, quæ certa cautione de re omni victu necessaria suppeditanda facta sit, secus ordinibus maioribus initietur; nisi præter cæteras præscriptas cautiones, illud etiam publico instrumento caueatur, ea certa adiecta clausula, vt vterque, & qui patrimonium assignat, & cui assignat iureiurando affirmet, id patrimonium verè possideri, obtinerique, ac nihil prætereà inesse doli, & fraudis, nullumque esse eo nomine contractum initum, nullumque promissum factum; nec verò in posterum aliquid se acturos, facturosue esse, quo minus clericus, qui initiandus est, assignato patrimonio verè, re que ipsa vtatur, fruatur: proindeque, si quid contra actum, gestum, factumue erit, id omne irritum, rescissum, atque planè ipso iure nullum, nulliusque roboris esse velle; si quid autem contra actum erit, ei, prætereà, qui sacris initiatus est, pœna sit, vt statim ipso facto Episcopi arbitrio, ab ordinum, quos suscepit, munere, functionéque suspensus sit: nec aliis maioribus ordinibus ascribi possit.

Sess. 21. c. 2. 43 Verum, nè qui patrimonium assignat aliquo timore deterreatur, quominus illud, vel assignet, aut cautione victus, qui clerico satis sit, præstet: sed quo magis ad id ipsum excitetur, statuimus patrimonium eo nomine assignatum, cautionémque item ità ei vsui annecti, vt qui initiatus est, illud patrimonium, aut cautionem alienare, vel remittere nullo modo possit, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sit adeptus: vel aliunde habeat vnde viuere possit. Sed nec delinquendo amittere, vsque adeo, vt ne grauis quidem criminis, quod ille admiserit, causa præscribi, nec fisco applicari queat: Sed ad eum, qui assignauit, donauit, cauitque, & ad eius hæredes, aut ad alios, qui ab intestato clerico initiato succederent, ipso iure redeat.

4. quæ pert. ad sacr. ord. 44 Episcopus, cum clerum, vt in Concilio prouinciali tertio iussum est, recognoscet, hoc præter cætera videat, an in alicuius clerici titulo, censuue Ecclesiastico, vel etiam laicali cuius nomine is ordinibus adscriptus est, quicquam innouatum sit.

Sique vel beneficij Ecclesiastici cessionem, vel patrimonij alienationem, vel pensionis extinctionem, aut remissionem factam esse compererit, canonum iure, sanctioneque Tridentina agat, vt iuridicè recuperetur, restituaturue, quod vel alienatum, vel remissum, extinctumue ipsi clerico præiudicium adfert ad vitæ sustentationem: aut si quid alia ratione, pactoue commissum, actumue est, quod vel Decreto Tridentino ea de re edito, sacrisue canonibus repugnat, vel fraudem facit: contra quoscumque verò, qui tale quippiam admiserint, idem pœnis agat, iure Canonico constitutis, iisdemque ab Synodo, Tridentina renouatis.

Sess. 21. c. 2. de reform.

4. Ibid. sess. ead. c. 11. 45 Stata illa temporum interualla, ordinibus, tum minoribus, tum maioribus suscipiendis, Concilij Tridentini decreto præscripta, nè facilè, ac passim sine vllo delectu prætermittantur, omittanturve. Quod si de iis aliquid ab Episcopo remitti, dispensariuè contigerit, id in litteris dimissoriis testimonialibusue ordinum, adscripta etiam dispensationis causa testatum planè fiat.

Sess. 23. c. 11. & 12.

5. de examinandi ratione.

In ecclesiæ administratione, vt necessarium ita multiplex est examinis de litterarum peritia & disciplina officium: modo namque ab episcopo, cum ad eorum, qui ordinis sacramento initiandi sunt, tum etiam ad concionatorum, confessariorumque approbationem adhibetur, tum prætereà ad indagandam, perspiciendamque cleri in litterarum studiis rationem, progressionemue; ad aliaque item multa episcopo idem adiumento, atque vsui est: modo autem non solum de illis, qui ecclesiis parochialibus, aliisque curam animarum habentibus, præficiuntur, illud instituitur, & conficitur, sed de iis etiam, quibus beneficia ecclesiastica cuiuscunque generis, vel litterarum Apostolicarum, quæ in forma Dignum, conscribi solent, in auctoritate, vel alio iure conferuntur, quiue ad ea præsentationis, nominationis, electionisue nomine instituuntur. Quamobrem, vt omnis, quacumque causa suscipitur, hæc examinandi ratione per examinatores, vt fieri potest, quàm rectissimè, conficiatur, præter aliqua, quæ præsumi Concilio prouinciali quarto enucleatius decreta sunt, has etiam instructiones conficiendas censuimus: quæ partim ad vniuersum hunc examinandi modum pertinent, partim verò certorum examinum propriæ sunt. Atque iis quidem omnibus pro sua quisque pietate episcopus, & prudentia alias etiam instructiones adiungat, aut de iis aliquid remittat licet, prout è suæ diœcesis rationibus, atque vsu esse viderit.

Quæ instructiones, vt in morem, & vsum inducantur, cura sit eiusdem Episcopi, & Vicarij, qui examini præest.

48. Porrò in primis examinatores, in synodo diœcesana constituti, cum eorum, qui ecclesiis parochialibus præficiendi sunt, examen ineunt, iusiurandi, quo publicè in synodo, quo primum tempore delecti sunt, sese obstrinxerint, memores videant, vt omni humana affectione deposita, munus à se susceptum rectè curent, atque administrent, nè quod sanctè, religioséque spoponderint, violent, & propterea periuri fiant.

49 Examinis causa, occasioneue, nihil quicquam, nè minimum quidem, neque verò post accipiant, alioqui sciant, qui dant, se simoniæ crimen ex sanctione Tridentina subiisse, nec verò prætereà se neque adeo illos, qui dant, absolui licere; nisi dimissis beneficiis ecclesiasticis quæcumque obtinent: ac inhabiles item factos se esse, quibus in posterum ea, vel alia conferantur. Sess. 24. c. 8.

50 De omni verò culpa, in suscepto munere commissa, ij rationem etiam in synodo prouinciali reddant, in eaque grauius auctoritate Tridentini Concilij puniantur. Sess. & c. eod.

Nec verò item, qui examinatores liberè, pro arbitratu Episcopi, ad alios quocumque nomine causaue examinandos asciscuntur, examinis occasione vnquam quicquam, nè esculenta quidem poculentauè accipiant.

Qui contra fecerit, cum indignus deinceps censeatur, qui id muneris gerat, tum alia pœna arbitrio Episcopi afficiatur.

51 Omnes verò examinatores, quicumque sint,

nouerint, sibi munus, vsque adeò graue committi, vt si negligenter, aut malè se vllo modo gesserint, Deo in primis culpæ, in eo munere admissæ, exactam rationem reddituri sint.

Quare non spe, non metu, non præmio, non personarum ratione, non aliquo affectu ducti muneris sibi commissi curam gerant.

52 Proposito sibi in primis timore Dei, nè quemquam, quem indignum norint, probent, rursus quem, experimento, periculoue facto, idoneum, dignumque comperiunt, nè reiiciant. Itaque grauiter, maturè, prudenter, rectéque tum de probando, tum de reiiciendo deliberent.

53 Cum in locum conuenerint, vbi moris est, clericorum experimentum fieri, priusquam aggrediantur, à stata prece, orationéque congregationum vsui præscripta, quæ de libro pronunciet, qui examini præsidet, initium faciant; hoc piè, intiméque precantes, vt Dei ope imprimis illud rectè, prudenter, diuinæque voluntati congruenter conficiant.

54 Nè quempiam, de quo examen, periculumue fiat, examinator alij collegæ vlla ratione commendet.

55 Nè ad alicuius examen accedat, nec verò suffragij ius habeat, nisi Episcopi, Vicarijue iussu ad illud euocatus.

Si quis quempiam priuatim docuerit, qui examen subiturus est, cum id subibit, nè præsens quidem ille adsit, nè dum ad examen adhibeatur: sed alius in eius locum, Episcopi, Vicariique iussu tunc vocetur.

56 Cautio diligens sit, nè alterius nomine quis examen experiatur, experimentumue subeat, quod aliquando factum esse compertum est.

Quæratur itē diligenter de iis, qui ad examen subeundum accesserint, an aliàs institutis de more examinandi quæstionibus, experimentum, periculumue sui fecerint, anque si quid extet, quod de illis compertum, vel deliberatum sit.

Nè examinis initium fiat, nisi præsentes adsint, tum Episcopus, vel Vicarius, tum examinatores ex præscripto Concilij Tridentini, ad minimum tres, cum de beneficio curato, quauis ratione conferendo examen instituitur. Id quod locum etiam habeat deinceps, cum de aliquo maioribus ordinibus initiando, vel de concionatore, confessarioue approbando examen conficitur.

4. quæ pert. ad Sac. ord. Id Episcopus, quantum sibi per occupationes Episcopales licet, maximè curet, vt, cum experimentum, examenue de iis instituitur, qui ordinibus, præsertim maioribus initiandi, quique Ecclesijs parochialib. præficiendi sunt, ipse præsens in eo examine adsit.

5. de ex. rat. 58 Cum quis in examen venerit, eius vultus, & habitus corporis, & vestitus, & incessus, & gestus, & sermo inspiciatur diligenter.

59 Si quis vel clericali vestitu deformi ab ordinis Ecclesiastici decore, aut disciplina alieno indutus, vel sine congrua, pro sui status, & ordinis ratione tonsura accesserit, nè ad vllam examinis, experimentiue rationem ei aditus fiat, nisi decenti veste amictus, & tonsura præscripta ad illud redierit.

60 Nè de vllo quoque initiando, si modo non aliter Episcopus aliquando censuerit, examen, experimentumue antea fiat, quam ætatis, natalium aut dispensationis concessæ, beneficij ecclesiastici, vel pensionis, patrimonijue testificationes scriptas: easdemque à Vicario Episcopali recognitas, illiusque subscriptione signatas, ac probatas attulerit, exhibueritue: nisi aliquando Episcopus eas post examen exhiberi, recognosciue iusserit.

Neque item, nisi alias præscriptas decretis prouincialibus, edictoue Episcopali testificationes dederit.

Nec verò prætereà, nisi de eo à Cancellario Episcopali examinatores audierint, cognouerintue, quæcumque Episcopi iussu inquisitiones de eo factæ, atque ex officio præscriptæ, aliorum litteris significatæ, vel denunciatæ, vel delatæ sint.

61 Testificationes verò omnes, tum ab eo, qui initiandus est, tum ab alio quouis examinis occasione exhibitæ, Cancellario Episcopali restituantur, tradanturue.

2 Cuius si[illegible]llas ipsas in codicem certum, eo nomine confectum, summatim referre, eundemque in Archiuo Episcopali asseruare.

62 Verum testificationes ætatis natalium, ac si de eo, qui maioribus ordinibus initiandus est agitur, patrimonij, beneficiiue Ecclesiastici idem Cancellarius asseruet: ac litteris publicis, quas de eo, qui ordinem susceperit, conficiet, de illis pro ratione sibi præscripta testatum faciat.

63 Cum examen initur illius, cui in curam certa Ecclesia parochialis tradenda est, videant ante examinatores, qui, qualis, & quam numerosus populus sit, cuius parochialem curationem is suscipiet.

Quod sanè re diligenter explorata in examine, quod inibunt, sibi proponant accuratè perspicere, an ad eam curam suscipiendam, gerendamue idoneus omnino ille sit.

64 His omnibus ita præscriptis, examinatores ordine ad interrogationes, quæstionesue veniant. Atque in examine quidem ea ratio teneatur, vt interrogationes, quæstionesue is examinator proponat, quem pro vicissitudinis ratione, & pro doctrinæ disciplinæue genere, modo hunc, modo illum in eo ipso examine Episcopus Vicariusue, examinis præses interrogari iusserit, vt nè vnus alterum vario, multiplicique interrogationum modo certatim interpellet.

65 Interrogationum porrò, & quæstionum rationem examinatores ita teneant, vt illis inter se sic distributis, examinis instituti rationibus prout oportet cumulatè satisfactum sit: atque eorum vnusquisque quo de genere quærere instituerit, ita de eo quærat, interrogetue, vt, quemadmodum par est, illius generis quæstiones, interrogationesue satis explicatæ sint.

66 Silentio, dum examen habetur, vtantur, nec inter se colloquia, confabulationesue habeant: nec mutuas itidem quæstiones, dubiorumque explicationes sibi proponant: sed ad illius de cuius doctrina interrogationibus quæritur, responsiones attenti, animum attentioris studio eidem addant, ad rectè explicandas propositas sibi quæstiones.

Nec verò examinatorem, loco suo interrogantem alius inter turbet; sed vnusquisque expectet, dum sibi ordine, pro quæstionis genere rationeue interrogare contigerit.

67 In quæstionibus, interrogationibusue proponendis, non verbis, non aspectu, non vllo modo seueros, vehementesque se præbeant, vt, qui examen subeunt, seueritate deterriti, animum nè despondeant, memoriaque langueſcant, ac vacillent, non sine aliquo dedecore: at benigni, gratique animi significatione illos, vel differentes, vel respondentes audiant: nec verò quibusdam interrogatiunculis, aliaue vlla ratione interpellent.

Si quid autem vel in differendo, vel in legendo, vel in pronunciando, vel in respondendo eos offendere animaduerterint; ne tunc illos doceant, obiurgentue, ac nè moneant quidem; nisi quid ad examen rectè instituendum, perficiendumue pertineat: sed examine peracto eos breui admoneant, doceantue, si quid necessario illos, tunc admonendos, docendosue duxerint.

68 In omnibus porrò, & singulis examinis interrogationibus spectetur non solum vniuscuiusque eorum, qui examinantur, scientia, sed etiam vsus, iudicium, ingenium, ac solertia.

Examinis autem omnium ea ratio instituta sit.

69 Vt primo de toto vitæ statu, genere, patria, domicilioue eius quæratur, qui examen subit.

An impedimentum aliquod habeat, quo irretitus vel initiari, vel beneficium Ecclesiasticum, cuius nomine experimentum fit, vel prædicandi munus, vel confessiones audiendi suscipere, ac exercere non possit. Quo impedimento, si quis etiam occultè illigatus tenetur, id planè Episcopo saltem patefaciat, nè quisquam illegitimè, vel initietur, vel beneficium consequatur, vel aliud minus suscipiat, geratue.

An in orationis sanctæ studio vsuque versatus.

Quibus meditationibus instructus, Deum tacitus oret.

Qui orationis modus.

Qui illius fructus, quæue vtilitates.

Quot, quibusue partibus illa constet.

Quæ regulæ præparationis ad orationem, & cætera multa eiusdem generis, prout prudens, piusque examinator pro ratione, aut personæ, de qua quæritur, aut causæ, ob quam fit examen, opus esse viderit.

70 His perquisitis examinatores ad scientiæ, eruditionisue experimentum descendant: Vt autem ij certam sibi formulam proponant, qua illorum, qui examinantur, & litterarum doctrinam, & vitæ clericalis disciplinam, & rei Ecclesiasticæ peritiam experiantur, in omni experimenti, examinisue ratione, sacris Bibliis, Catechismo Romano in primis, Concilio Tridentino; sacrorum Canonum decretis, & aliis Pontificiis Constitutionibus, Synodisque tum prouincialibus, tum diœcesis vtantur, vnde suas interrogationes hauriant, quibus prout est illorum ingenij captus, explorent, eorumdem, & scientiam, & Ecclesiasticarum rerum notitiam, atque vsum.

71 Cautio autem sit, vt si dum quis interrogatur, ita rudem, atque ignarum se ostendat, qui rerum facilium, minimarumque nullam scientiam, vsumque teneat, nè aliarum rerum difficilium interrogationibus tempus conteratur.

72 Rursus cum quempiam, quanta doctrina, & vsu litteratè peritus sit, exploratum erit, non est, cur pluribus interrogationibus secum diutius agatur.

73 Nunc igitur vniuersè infrà præscribemus, quæ ad rationem pertinent vniuscuiusque examinis eorum, qui vel ordinis Sacramento initiantur, vel parochialium Ecclesiarum curam, vel alterius beneficii munus suscipiunt, vel Sacræ confessionis audiendæ officium sumunt, vel ad Dei prædicationem mittuntur. At verò speciatim longè plura, atque adeò pauciora, prudentum examinatorum, ac præsertim Episcopi, eiusue, qui examini præest, iudicio relinquuntur, & pro eorum captu, qui ad examen accedunt, & pro ordine, quo quis initiandus est, & pro ratione locorum, quò mittuntur, & pro genere doctrinæ, quam profitentur.

74 Qui verò earum rerum, quæ certis interrogationibus demonstratæ; in hac instructione continentur, se minus eruditos esse ostenderint, eos Episcopus admoneat, vt diligenter in posterum in doctrinis incumbant, atque harum ipsarum rerum in primis peritiam, & scientiam percipere studeant, ita vt cum visitationis munus, aliaue eorum studij, & progressus in litteris recognitio adhibebitur, rectè, peritéque omni eo doctrinæ genere instructi comperiantur.

75 Ac primò quidem eum, de quo examen faciendum est, legere examinatores iubeant, quoad experiundo videant, an ille rectè, expliciteque legat.

76 Post, si ordinis, aut beneficij, aut recognoscendæ clerici cuiusquam in litterarum studio progressionis causâ experimentum fit, grammaticorum more, verborum constructionem proponendi: quo in genere si quid is errat, labiturue, ita vt, nè pro grammaticæ quidem ratione, illorum vsum, peritiamue teneat, nè proptereà eum interturbent, interpellentue, aut impediant, quominus ad propositum grammaticæ instructionis modum redire possit.

77 Tum verborum, quæ legerit, construxeritue sensum ab eo quærant: quem vt rectè eliciat, atque exprimat, quod ei legendum proponunt, eiusmodi sit, quo tota sententia, sensusque perfectus concludatur: nihilque in se habeat, quod sub historiæ intelligentiam cadat, aut ex antecedenti, consequentiuè alio capite explicatio existat; deinde ad alia grauiora eius doctrinæ, disciplinæue experimenta examinatores progrediantur.

78 Qui primam tonsuram, aut minores, maioresue ordines suscepturi, ad experimentum, examenuè accedent, ab vnoquoque eorum vniuersè, ac sigillatim quæratur præterea, an impedimentis, quæ Concilij prouincialis quarti decreto, de initiandis, commemorata sunt, irretiti teneantur; vtpotè, an scilicet sint,

Minores natu.

Rudes, & ignari.

Criminosi.

Solemniter pœnitentes.
Neophyti.
Ebrietati, & gulæ dediti,
Impudici.
Lapsi, post ordinem susceptum.
Periuri,
Vsurarij manifesti.
Infames,
Ratiociniis obligati.
Serui.
Corpore vitiati.
Insigniter deformes.
Illegitimè nati.
Peregrini, & ignoti.
Bigami. Sess. 2. de reform.
Irregulares quouis alio modo.

Quo in genere cautio sit, vt præter alia, speciatim perquiratur ab eo.

An stipendium belli fecerit, vnde cædes hominum extiterit.

An iudicis Criminalis in foro laicali officium gesserit.

An sententiam capitis tulerit.

An criminis, cuius nomine capitis quis damnatus sit, acta, sententiam, testificationesque dictarit, aut conscripserit.

An in eo procuratoris, aduocatique fiscalis munus administrarit, aliáque exercuerit; vnde irregularitatis maculam contraxerit.

An suspensi.
An interdicti.
An excommunicati.
An amentes.
An morbo caduco laborantes.
An energumeni.
An verò non examinati & probati.

Exploretur item, an furtim per saltumue ordinem susceperit.

Inuestigetur præterea, cum quis ordinem aliquem suscepturus ad examen venit, quamdiù est, quò alium ordinem suscepit, vt nemini ad altiorem gradum pateat ascensus, nisi in singulis aliis inferioribus ordinis gradibus congruo temporis spatio perstiterit ad præscriptum Sess. 23. c. 11. Tridentinæ sanctionis.

An vim, & naturam, mysteriaque ordinis, quem suscepturus est, norit.

An item ritus, & cærimonias, quæ ex libro pontificali adhibentur, cum initiantur.

An eorum item significationes sanctiores.

An sacrarum vestium, quibus induuntur, mysteria item, & significata.

An functionum notitiam habeat, ordinis, quo quisque initiandus est.

An earum vsum, exercitationémque rectè teneat, cum in litteris, tum etiam in cantu: in quo experimento adhibeantur cantus periti.

4. quæ pert. ad sac. ord. Quicumque Ecclesiasticum aliquem ordinem suscepturus est, de eo periculum, experimentumue fiat, non solum in litterarũ scientia, verum etiam in cantus peritia, ad ordinis, quem tunc suscipiet, functiones ritè, rectéque obeundas necessaria; tum præterea si sacro ordini adscribendus est, in vsu, ac notitia, quam in recitandis diuini officij horarij laudibus, precibusque habeat.

Qui subdiaconatus ordini adscriptus est, &c. suprà num. 34.

79 Hæc generatim ab omnibus, & singulis explorentur: Nunc præterea sequuntur, quæ sigillatim cuiusque ordinis propria, suo loco præscripta, perquirenda sunt, ita tamen, vt examinatores pro prudentiæ suæ ratione, quæ in ordinis inferioris examine, exploratio neue requirantur, aliquando etiam perquirant ab iis, qui superiori ordine initiantur. 5. vt sup.

De iis, qui prima tonsura initiandi sunt, quæratur, & inuestigetur.

Primũ, quã ob causam se clericos fieri velint.
An secularis iudicij vitãdi causa initiari curẽt.
An contentiosis litibus implicati.
An rixam simultatémque exerceant.

Quod item artificium teneant; quaue in arte, quoue in vitæ genere hactenus versati sint.

An tales sint, qui spem præbeant Ecclesiæ ministros vtiles se fore.

A quo sacerdote, sanctioris vitæ magistro, instituti sint ad clericalis vitæ modum.

An legere & pronunciare, & scribere norint: tum in vtroque genere de iis periculum fiat.

An doctrinæ Christ. præcepta, institutaq. sciãt.

An Epactæ intelligentiam habeant.

Præterea an Sacramentum Confirmationis susceperint.

80 De ijs vero qui minoribus ordinibus ascribi volunt, quæratur experiundoque cognoscatur.

An saltem primordia grammaticæ, & linguam latinam intelligant.

An scientiæ spes tales eos ostendat, qui digni sint, vt ad maiores ordines aliquãdo ascendant.

An versati sint in recitatione officij Beatæ M. Virginis, suprà, num. 35. 5. de init. ord. sacr.

81 Qui verò sacris ordinibus, vtpotè subdiaconatu, Sacerdotio initiandi sunt, cùm ornati exculti que iis virtutibus esse debeant, quæ in clericis inferiorum ordinum requiruntur, sicut ad altiorem ordinis gradum ascendunt, ita virtutum, & probitatis, & doctrinæ quodam quasi ascensu præstare debent. § Qui ver. inferior. 5. de examin. rat.

Quamobrem hoc imprimis examinatores videant, an qui ordinis Sacramento initiantur, per singulos illius gradus, & in vitæ spiritualis disciplina maiorem progressionem fecerint.

An Breuiarium, atque sacra Biblia, an item sanctorum patrum volumina, Concilium Tridentinum, & prouincialia quoque, Synodos Episcopi diœcesani, Catechismum Romanum, Rationale diuinorum officiorum, & libros aliquos, de vitæ spiritualis rationibus conscriptos, sui muneris vsui accommodatos habeant.

82 A Subdiaconis potissimum de ordinum minorum quæratur, & maiorum differentia.

An in minoribus ordinibus probati sint.

De voto item continentiæ, quod subdiaconatus ordini coniunctum est.

De Sacramentorum etiam doctrina, saltem generatim.

Tum eorundem periculum, experimentumue fiat in officij diuini recitandi ratione: suprà num. 78. in fi.

83 Diaconorum examen, experimentumue fiat, præterea aliquanto diligentius de Sacramentorum doctrina.

Experimentum item aliquod fiat in concionibus habendis, ex ratione Concionatorum examini præscripta.

84 Ab

84 Ab iis, qui sacerdotio initiari volunt, hæc sigillatim studiosius perquirantur.

An piè, & fideliter in ministeriis ante actis se gesserint.

An spectata pietate, anque castis moribus.

An præclarum bonorum operũ exemplum, & vitæ documenta ab eis expectari possint.

Hæc præterea quærantur.

Quid sit Missæ sacrificium.

Qui illius sacrificij effectus.

Quæ eiusdem partes.

Quæ mysteria in eo insint.

Quæ sacrarum vestium significationes.

Quæ in eo officio offerendo requirantur.

Vbi, & quando illud fieri non licet.

Quæ dubia aliquando incidere possint.

Quæ explicatione opus habeant, vt illud rectè fiat.

Tum experimentum eorum ex præscriptis infrà regulis fiat.

An sacræ confessionis aliquã peritiã habeant.

An ad alia item Sacramenta rectè, ritéque ministranda idonei sint.

An eorum cognitionem explicatiorem habeant, ex interrogationum præscripto vt inf. de parocho.

An doctrinam item teneant, qua verbum Dei rectè tractare, concionemue habere possint.

Anque de re sacra, christianarũ virtutum officiis, atque de omni re ad salutem necessaria aptè populum instruere, aut docere possint.

Cùm verò à cæteris omnibus, vt præscriptum paulò ante est, qui clericali militiæ adscribuntur, de vitæ spiritualis, sanctiorisque institutis, atque exercitationibus perquirantur, tum maximè ab iis, qui vel sacerdotio initiantur, vel parochialem curam suscipiunt, vel sacræ confessionis audiendæ munus sumunt, vel in tractatione verbi Dei sacrisque concionibus versari volunt. A quibus omnibus & singulis, cùm ad examen veniunt, præter cætera, quæ ad sanctæ & spiritualis vitæ vsum pertinent, ea maximè explorentur, quæ de orandi modo, deque omni sanctarum meditationum, cælestiumue cõtemplationum exercitatione ab aliis, qui in eo genere religiosè sese exercuerunt, tradita sunt. Quæ sequuntur, videantur in titulis sequentibus. De examine eorum, qui præficiendi sunt ecclesiis parochialibus. De confessarii examine. De examine Concionatorum, &c. De examine clericorum ad indagandam eorum in litterarum studiis progressionem, & sacræ Scripturæ interpretum.

5. de init. or. sacr. 85 Regularium examen diligens ab Episcopo fiat, quod potissimum versetur circa litterarum scientiam, & cantus peritiam, ac alias instructiones ad ordinis suscipiendi functiones ritè, rectéque obeundas.

Ac circa vsum, & peritiam recitandi diuinum officium, cætera ad ipsos regulares spectantia videantur suprà, num. 25. & 26.

3. de iis, quę pert. ad or. disac. &c. 86 Conuocato prætereà sæpe per annũ, vt aliàs iussum est ad se clero, aut ipse, aut sacerdos aliquis, vir doctus in ecclesiasticáque disciplina versatus, eius nomine ad illum, remotis laicis, sermones, concionesue habeat de ordinis eorum præstantia, & sanctissimis officiis, de virtutibus, quibus clericalis ordinis homines prælucere debent: de vitiis, quibus in populo offensionem præbere possunt, de omni denique clericali morum disciplina, virtutúmque perfectione. Idem quoque præstet pridie eius diei, quo statas sacras ordinationes habebit, conuocatis illo die tum clericis, qui postridie ecclesiasticis ordinibus adscribendi erunt, tum aliis, quos de clero vrbano tunc accersendos esse censuerit.

Idque præstetur officium, quod ipse Episcopus ex Prouincialibus nostris decretis die sequenti præstare debet, sermone in explicanda clero, populóque doctrina rituum, sanctorumque significatione mysteriorum, quæ tunc in ecclesia publicè ipse agit.

87 Eo sermone, quem pridie illius diei, quo sacra ordinatio celebratur, Prouinciali decreto haberi institutum est, illud in primis spectetur, vt quæ monitiones postero die de libro Pontificali leguntur, disertis verbis, iisque vulgariter conceptis explicentur vberius. 5. de init. or. sacr.

Vnusquisque porrò eorum, qui sacris ordinibus initiabuntur, etiam, atque etiam diligenter admoneatur, quod, quamque sanctum munus suscepturus est.

Verùm eius sermonis vis, in subdiaconis potissimum monendis versetur, quò rectius, dum integrum est, deliberare possint, an castitatem, quæ perpetua illi ordini est annexa, profiteri velint, eóque accuratius propterea in graui illa deliberatione videant, quid Deo auxiliante præstare posse sperent, neque in eo Ecclesiastico spiritalique munere suscipiendo quicquam agnatorum, vel huiusmodi aliena voluntate, sed sua spontanea deliberatione agant: necverò in sacri eiusdem ordinis susceptione, vitę huius commodum, aut aliud quicquam eiusmodi, sed Dei honorem sibi propositum habeant. Huius generis sermo, à quocumque appositè habetur, vtilis ille quidem est, at multis partibus longè vtilior erit, atque opportunior, si eundem Episcopus accuratè, studioséque habuerit.

88 Constitutione Pij II. Pont. Max. Quicumque clerici sine canonica dispensatione, extra tempora, vel ante legitimam ętatem, vel absque dimisso. iis ordinarij sui litteris, se ad aliquem sacrum ordinem promoueri fecerint, ab suorum ordinum, quos susceperint exequutione, ipso iure suspensi sint. Si qua suspensione durante, illorum ministerium, functionesue obierint, statim irregularitatem subeant: ob quam, præter alias pœnas, contra istos canonum iure sancitas, beneficiis etiam ecclesiasticis priuari possunt. Iis igitur pœnis, ne quis facilè illigetur, illam constitutionem quotannis tum in diœcesana Synodo promulgari, tum pridie illius diei, quo sacræ ordinationes habebuntur, edici clericis iubemus, qui initiabuntur. 3. de iis, quæ partim ad ordi. sacr. &c. Bulla edita 15. calend. Decemb. 1461.

89 Quicumque aliquem ecclesiasticum ordinem susceperit, is, vt Tridentino Concilio iussum est, certæ Ecclesiæ adscribatur, in qua functiones, quas ei Episcopus præscripserit, obeat: nec verò alius eidem ordo ante conferatur, quàm ipsi Episcopo fidem, testimoniumque ille attulerit se in Ecclesia, cui adscriptus est, præstitisse præscriptas sibi functiones. 2. tit. 1. dec. 24 Sess. 23. ca. 13. 14. 16.

Si verò aliqua de caussa eodẽ tempore, ex sacrorũ canonũ permissu plures ordines minores

clerico Episcopus contulerit, eidem præscribat arbitratu suo functiones, ad vnumquemque minorem ordinem, quę ille susceperit pertinentes.

5. de init. ord. sac. Sess. 23. c. 16 90 Videat etiam omninò, vt quęcumque eiusmodi titulis ordinauit, etiam familiarem suum, certæ illum ecclesiæ addicat vbi ordinis suscepti functiones, ac munera, vt ipsius Concilij decreto cauetur, ipse verè præstet.

2. tit. 2. dec. 28. 91 Qui certis ecclesijs adscripti sunt, in ipsis diebus ad eas conueniant, & in iis functiones eas præstent, quæ vnicuique eorũ ab Episc. præscriptæ erunt. Si tamen iis diebus aliquãdo ad diuina officia obeunda ad funeraue in alias ecclesias vocabuntur, eò illos accedere permittat Episc.

92 In testimonialibus ordinis, ab vnoquoque suscepti, litteris, fiat testificatio etiam ecclesiæ, lociue pij, cuiuis tum adscriptus est, ex Tridentino decreto. Nec verò, &c.

5. de fruit. ord. sacr. 93 Quicumque clericus, alicui Ecclesiæ adscriptus, vbi ordinis à se suscepti, functiones obeat, memor complurium Sanctorum, qui vel toto vitæ tẽpore, vel multis saltem annis, in alicuius etiã minoris ordinis ministerio, munereue religiosè versati, ad altiorem se ordinis gradum prouehi passi non sunt, eorum recordatione, exẽploque excitatus illud sedulò curet, atque adeò efficiat, vt ordinis, quo proximè initiatus est, præscriptas functiones non elatè, sed humiliter, non rarò, sed frequẽter, non negligenti studio, sed accurata, veréque clericali sollicitudine, & disciplina, piè, rectè, atque ritè præstet. Alioqui si in sanctis iis functionib. negligẽter, contraque ac præscriptũ est, se gesserit; illud norit, eo voluntatis suę testimonio, sibi apud Episcopum aditum præcludere ad altiorem gradum ascendendi.

1. ti. 2. dec. 8. 94 Rector autẽ, in cuius ecclesiã illi conueniũt, tertio quoque mense Episc. referat, vel litteris significet, non solum an huic decreto ab illis obtemperetur, verũ etiã an ea præstentur, quæ superiori prouinciali Concilio illis præscripta sunt, tum de habitu, tum de tonsura clericali, tum de eorum vitæ consuetudine.

5. vt sup. 95 Præfectus autẽ, rectorue ecclesiæ testimoniũ de clerico facturus, qui functiones in sua ecclesia obierit, hæc testificationis suæ litteris speciatim, veréque exprimat, quas scilicet functiones, & quamdiù, & quam diligenter, & quam piè, & quam decenter, rectè, ritéque præstiterit.

4. quæ pert. d Sac. ord. sess. 23. ca. 16. 96 Clericos quoscumque certæ ecclesiæ, pioue loco adscriptos, si ab ecclesię, cui adscripti sunt, clericali statione, sine Episc. facultate, eaque litteris exarata, discesserint, ordinũ suorũ munere, ex eiusdẽ Conc. Trid. sanctione, Episc. interdicat.

4. ibidem. 97 Nec verò proptereà quicquã derogatũ aliis decretis, pœnisue sit, quæ de parochorũ, aliorũue curã animarũ gerentium, cæterorũque residentia præstanda, vel absentia cauenda, puniendaue Trident. decretis, ac nostris Prouinc. Constitut. Edictis prætereà Episc. constitutæ sunt; quinimò illis etiam pœnis, mulctisue contra eos agat Episcopus omni iuris ratione.

2. tit. dec. 28. 98 Curet Episc. vt qui clerici certæ Ecclesiæ ministerio adscripti non sunt, ij Dñicis, festisque singulis diebus in Paroch. Eccles. in cuius finibus eorũ quisque habitat, Ecclesiast. beneficium obtinet, quod residẽtiã nõ requirit aut in ea, quæ Episc. videbitur, Rectori operam, atque adiumentum nauent ad diuina officia celebranda.

Quod altero prouinciali Synodo decretum est, vt clerici, certæ ecclesiæ ministerio non addicti, festis diebus in parochialem Ecclesiam, in aliamue, Episcopi arbitratu conueniant ad diuina officia celebranda, id præstent omnes diligenter, etiam qui sacerdotes sunt: idque tum maximè in solennis Missæ sacro, itidemque in vesperarum officio. 5. de iis, quæ pert. ad ord. sac. &c.

Quo prætereà tempore in eadem Ecclesia sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel in altari adorandum fidelibus publicè exponitur, vel inde in tabernaculo reconditur, vel processionis ritu per Ecclesiam circumfertur, adsint, munusque suum, & operam præstent. Idque omne nisi aliquando Episcopi concessu ei alio loco tunc ministrare inseruireve licuerit.

99 Archidiaconus cuiusque Cathedralis Ecclesiæ, si ea Ecclesia Archidiaconum habeat, sin minus is, qui proximum post Episcopum in ea Ecclesia dignitatis gradum obtinet; intra sex menses librum conficiat, in quo diligenter describat clericorum omnium sæcularium nomina; & quo quisque ordinis gradu sit, ac deinceps reliquorum tam sæcularium, quàm regularium, qui clericatum, vel aliquem ex minoribus, maioribusue sacris ordinibus assumpserit, locum etiam, & tempus. 1. quæ ad Sacramen. ord. admin. pert.

Quicumque verò posthac in nostra Prouincia à suo Episcopo, vel eius permissu ab alio, etiam extrà Prouinciam, in clericalem militiam adscriptus fuerit, vel altiorem ordinis gradum ascenderit, ad mensam ex eo die, quo ordinem susceperit, nomen suum in clericorum librum referendum curet.

Eum autem librum idem diligenter custodiat; in quem quicquid singulis annis retulerit, id Episcopo describendum dabit, vt eius libri exemplum etiam in Episc. ædibus asseruetur.

100 Notarij in litteris dimissoriis seu testimonialibus sacri Concilij Trident. decretum seruent in aliis, quæ merè spirituales sunt, etiam si nullum stipendium eis constitutum sit, nihil omninò accipiant; præter scripturæ mercedem ab Ordinario statuendam. 1. de notariis & scribis. Sess. 21. c. 1.

Pro singulis litteris dimissoriis, quæ pro suscipiendis pluribus omnibusue minoribus, vel etiã maioribus ordinibus concedentur, itemque pro singulis litteris, quibus notarius testatus fuit plures, omnesue ordines alicui collatos esse, decimã partem aurei nummi tãtum ad summum à Cancellario accipi liceat, ac si eæ litteræ de vno tantum ordine suscipiendo, vel suscepto essent datæ. Idque si modo nullum ei salarium pro officij sui munere exercendo constitutum sit; neque ad Episcopum ex notarij cõmodis aliquid emolumenti ex eisdem ordinum collationibus, litterisue dimissoriis, directè, vel indirectè peruenire possit, alioqui gratis omnia dentur, vt est Tridentino Concilio sancitum. 3. de iis, quę ad Episc. fora pert.

101 In testimonialib. ordinis, ab vnoquoque suscepti litteris, fiat testificatio etiam ecclesiæ, lociue pij, cui is tum adscriptus est ex Trid. decret. 4. vt sup.

102 Vbi primum Episcopus, aut parochus aliquem norit, qui vel spontè se clericali militiæ adscribi velit, vel à parentibus adhuc infans destinetur; hoc sedulò curet, vt illorum quò diligentius clericalis disciplinæ, vitæque religiosæ institutis primùm imbuatur, ecclesiã frequẽtius 4. quę pert. ad Sac. ord.

adeat; functiones, quas clerici obeunt, cæteráque id generis ministeria cernat; ipsique parocho, vel alij sacerdoti, quem idem Episcopus maluerit, in disciplinam, curamue traditus, ecclesiasticorum hominum consuetudine vtatur. Sicque multiplici ratione, cùm paulatim, & clericalis vita officijs obeundis, & laboribus suscipiendis assuefiat, tum discat etiam, atque animaduertat, quod vitæ genus, si ordinis Sacramento initiari vult, sequi debeat; proindeque de re tota maturius ante deliberet.

Parochi verò sit, illiusue, cuius curæ Episcopi iussu, traditus est, eum quæcumque clericalis vocationis, institutionisue sunt, aliquando monere, ac docere diligenter.

103 Vt ad ecclesiæ ministeriũ complures instituantur, qui ab ineunte penè ætate ad pietatem, vitæque innocentiam, cum litterarum doctrina coniunctam, accuratè instructi, ei sanctè, vtiliterque post inseruiant; illud vnusquisque parochus valde studeat, vt quamplurimos potest pueros præsertim pauperes, bona indole præditos, qui spem afferant se sacris initiatos, ecclesiæ ministros vtiles fore, ad ecclesiasticæ vitæ normam accuratè erudiat, eosdéque præterea, cum ante, tùm etiam in primis, post susceptam clericalem tonsuram, ac deinceps minoribus ordinibus adscriptos, pro paternæ charitatis studio, optimis moribus, clericali religioni congruentibus, clericaliúmque functionum disciplina bene informet: litterisque item instruat, eos præsertim, qui ab aliis probatis viris, artem litterarum profitentibus, ob inopiam, aliamue causam, commodius, diligentiusque erudiri non possunt.


BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE Lyon

104 Eorum autem singulorum mores, studia, litterarumque processionem Episcopo parochus aliquando significet, vt suo tempore, vel in seminarium coaptari, vel alia quacumque via adiuti, pro ætatis ratione, proque ingenij captu studiis grauioribus se dedere queant.

De Seminario Clericorum.

SVMMARIVM.

1 *Seminarium clericorum instituendum, & vbi adificandum.* 14.
2 *Decima fructuum ei attributa.*
3 *Vnde soluenda.*
4 *Quo tempore soluenda.*
5 *E us augenda facultas.*
Multa etiam adiudicata. De pœnis, nu. 4.
6 *Exactio decimæ intermissa, remissaue restituenda.*
7 *Prætermissa verò ad dimidiam partem decima restricta.*
8 *Exactio ipsa quamdiù duret.*
Taxa præscripta ab Episcopo exigenda. 20.
9 *Quæ, & quot beneficia ab Episcopo Seminario applicanda.*
Simplicia beneficia interim vacantia cui non conferenda.
10 *Quando non valeat applicatio beneficiorum.* 11.
12 *Beneficia nullius diœcesis cui Seminario contribuant.*
13 *Census vnicuique Seminario Prouinciæ præfinitus ad quam summam ascendat.*
15 *Canonici duo ab Episcopo deligendi ad Seminarij disciplinam.*
16 *Canonicique alii duo, & duo ex clero eligendi ad rerum temporalium administrationem.*
17 *Delecti, quando mutari possint.*
18 *Eorum consilium sequi non adstringitur Episc.*
19 *Rationes quotannis Episcopo reddendæ, & quibus præsentibus.*
20 *De Seminarij statu ad Metropolitanum ab Episcopo scribendum.* 21.
22 *Exponēda difficultates eius institutū impedītes.*
23 *Quibus difficultatibus, vt per se, cum deputatis prospiciat Episcopus.*
24 *Seminarium quoties ab Episcopo visitandum: quæque Constitutiones præscribendæ.* 25.
26 *Catechismus Romanus in Seminario prælegēdus.*
27 *Rituum sacrorum, & ecclesiasticæ historiæ studium in eo instituendum.*
Decreta quoque Prouincialia, & diœcesana de clericorum disciplina, in eodem legenda. Quæ generatim ad hæc decreta pert.
Seminarij titulo quis, vt adscribendus. De Sacramentis ordinis. 36.
Ad eiusdem curam, quis non admittendus. De parochiis. num. 14.

MAndatum est à sacro Tridentino Concilio Prouincialibus Synodis, vt quamprimùm in eam curam incumberent, vt Seminarium clericorum, vbicumque id fieri posset, constitueretur, omnique ratione propagaretur. Quamobrem etiam illis facultatem dedit moderandi, & augendi omnia, & singula quæ pij, & sancti huius operis institutionem, & progressionē coadiuuare possint. Sess. 23. ca. 18. 1. de Seminario clericorum.

2. 3 Itaque nos prouinciæ nostræ statu, & ecclesiarum, ac beneficiorum genere diligenter considerato, duximus ad hanc rationem confugiēdam esse, vt detrahamus, quemadmodũ iam nunc detrahimus, decimam partem fructuum cuiuslibet mensæ Episcopalis, & capituli, & quarumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, præbendarum, portionum, abbatiarum, & prioratuum cuiuscumque ordinis, etiam regularis, aut qualitatis vel conditionis fuerint, etiam hospitalium, quæ dantur in titulum, vel administrationem, iuxtà Constitutionem Concilij Viennensis, & beneficiorum quorumcumque etiam regularium, etiam si iurispatronatus cuiuscumque fuerint, etiamsi exempta, etiamsi nullius diœcesis, vel aliis ecclesiis, monasteriis, vel hospitalibus, & aliis quibusuis locis piis, etiam exemptis, annexa, & ex fabricis ecclesiarum, & aliorum locorum etiam ex quibuscumque aliis ecclesiasticis redditibus, seu prouentibus, etiam aliorum collegiorum, in quibus tamen seminaria discentium, vel docentium, ad commune ecclesiæ bonum promouendum actu non habentur, hæc enim exempta esse volumus, præterquam ratione redditũum, qui superflui essent, vltrà conuenientem ipsorum seminariorum sustentationem, seu corporum, vel confraternitatũ, quæ in nonnullis locis scholæ appellātur, & omnium monasteriorũ, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solui solent, & milites cuiuscumque militiæ, aut ordinis pertinentibus, (fratribus sancti Ioannis Hierosolymitani dumtaxat exceptis,) eáque supradictorum fructuum decimam sic detractam, 3. ibidem. Ead. sess. & cap. vel. & quia. c. quia contingit, de relig. domib.

seminarijs, singulis prouinciæ nostræ diœcesibus erigendis, seu iam erectis applicamus, & incorporamus.

Possessores autem huiusmodi beneficiorum ad eandem fructuum decimam non modo pro se, sed pro pensionibus, quas aliis forsan ex dictis fructibus soluant, retinendo tamen pro rata quicquid pro dictis pensionibus illis erit soluendum, omnino teneri volumus, & mandamus eiusdem Tridentini Concilij auctoritate, quibusuis, quò ad omnia, & singula supradicta, priuilegiis, exemptionibus, etiam si singularem derogationem requirerent, consuetudine etiam immemorabili, & quauis appellatione, & allegatione, quæ executionem non impediat, non obstantibus.

Hanc autem fructuum decimam iuxtà maiorem singulorum beneficiorum taxationem, quæ hactenus facta reperiatur, exigi iubemus. Quod si aliqua beneficia non reperiantur taxata; Episcopi de consilio eorum, qui sacræ Tridentinæ Synodi iussu ad id munus delecti fuerint, ea taxent.

4 Quam decimam duobus terminis infrà frequentem annum 1566. & deinceps singulis annis eodem modo solui volumus. Si quis huius anni taxationem, à se impositam exigere cœpisset, eandem exactionem prosequatur; deinceps verò hanc exigendi rationem à nobis præscriptam, seruabit.

5 Præterea damus auctoritatem singulis prouinciæ nostræ Episcopis, vt de eorum, qui huic muneri præfecti erunt, consilio, & Metropolitani scripto consensu, possint eam decimam augere, ac perducere vsque ad decimam veri annui redditus, & imminuere, vel vniuersè, vel sigillatim, atque iis etiam beneficiis, quæ tenuiora fuerint, præsertim curatis, totam omnino exactionem remittere.

5. de Seminario. 6 Seminarij institutio, quàm vtilis sit, ac necessaria, ad cleri disciplinam in singulis ecclesijs propagandam, cum ex Concilij Tridentini decreto facilè intelligi potest, tum ex eo etiam, quod rei illius salutaris ratio aliquando intermissa, damna, & detrimenta non mediocria rei ecclesiasticæ attulit. Cùm igitur in nonnullis prouinciæ nostræ ecclesijs iam omninò, aut aliqua ex parte desitum sit, decimas fructuumue portiones, quæ Concilij prouincialis primi decreto, ex sacro-sanctæ Oecumenicæ Synodi Tridentinæ auctoritate ad illius sustentationem constitutæ sunt, exigi; atque inde in ijs ipsis ecclesiis penè collapsum sit tam salutare institutum; ob eam causam prouinciali hoc decreto id cauemus, vt quæ decimarum fructuumue exactio illo Trident. prouincialique decreto iampridem Seminarij nomine instituta est, de ea nihil planè quicquã per Episcopos remitti liceat, nisi, vt etiam eo ipso Concilio Prouinciali, & nunc hac ipsa sanctione infrà cauetur. Quòd si hactenus quicquam eo de genere, aut planè totũ remissum est, id ad pristinam exactionis rationẽ reuocari, atque omninò restitui iubemus.

7 Vbi verò nihil vmquàm eo nomine exactum est; ibi Episcopus mensium duorum spatio exactionem ad illius Concilij prouincialis primi præscriptum ita planè instituat, vt dimidiam tamen partem decimæ illa non excedat.

8 Atque eam quidem exactionem, sic præfinitam, tamdiù durare decernimus, quò ad seminarium eo censu, iisque redditibus constitutum, atque auctum erit, quos pro locorum diœcesum, censuumque amplitudinis ratione, singulis prouinciæ ecclesijs, re maturè deliberata, infrà præstituimus, ea tamen lege, vt rata parte redditũum, quos iam nunc, aut in posterum beneficiorum accessione, aliaue ratione seminarium possidere, habereue contigerit, tantumdem de exactione remittatur ad eiusdem Concilij, & Tridentini, & Prouincialis primi præscriptum. Sess. 23. ca. 18. vers. suadente.

9 Decernimus item, vt Episcopi ex auctoritate eiusdem Concilij Trident. intra sex menses ecclesiastica aliqua simplicia beneficia, cuiuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint, vel etiam præstimonia, vel præstimoniales portiones nuncupatas, & etiam nondum vacantes, huic collegio, seu seminario applicent, & incorporent: ea videlicet, quæ illis seminario magis opportuna, & idonea videbuntur, sine tamen cultus diuini detrimento, & beneficia obtinentium præiudicio. 1. de seminario. Sess. 23. ca. 18. vers. Nec non etiam locis bened.

Quòd si Episcopi illorum beneficiorum fructus ad pium opus non satis esse animaduerterint, respiciant, si quæ alia sint, quæ seminario attribui possint. Deque his Metropolitanum admoneant, qui, vt res ex sententia confici possit, à sanctiss. D. N. opem implorandam, & eius auctoritatem interponendam curabit.

Hæc autem vnio beneficiorum ex præscripta Concilij Tridentini formula locum habeat, etiam si beneficia sint reseruata, vel affecta: nec per resignationes ipsorum beneficiorum, vniones & applicationes suspendi, vel impediri possint: sed omninò quacumque vacatione, etiamsi in curia effectum suum sortiatur, & quacumque Constitutione non obstante. Succedente verò casu, quo per vniones effectum suum sortientes, vel aliter seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum reperiatur, tunc portio ex singulis beneficijs, vt suprà detracta, & incorporata, ab Episcopo, prout res exegerit, in totum, vel pro parte ad ratam remittatur.

Vt autem seminarium, & suis facultatibus perpetuò sustentari possit, & aliquando breui fore speretur, vt ea exactio denique cesset, ei Episcopus deputatis in consilium adhibitis, decreti Trident. auctoritate tot beneficia simplicia adiungat, attribuatue, quot, ijs etiam supputatis, qui iam quouis nomine, aut iure eidem attributi sunt, redditibus, summam conficiant annui census, mox infrà præfinitam.

At, cùm primùm ad eam summam peruenerit, si quæ beneficia, antequã vacauerint, iure vnionis adiuncta sint, neque dum ea adiunctio, vnioue suum adhuc sortita sit effectum; illam iam nunc rescissam, ac planè irritã esse declaramus.

10 Atque vt quidem ab eo onere quàm citissimè fieri poterit, clerus liberetur, & eximatur; Episcopus caueat, ne beneficia simplicia, qualia sint, quæ interea vacare contigerit, cuiquam conferat, aliiue vsui attribuat: sed quæcumque illa sint, seminario iure vnionis coniungat, nisi fortasse quædã, vel ecclesiæ parochiali, quæ tenuiori censu est, vel alij ecclesiæ, vel loco, operive pio potius attribuenda, adiungendaue

censuerit) pro ratione facultatis sibi canonum iure, Tridētinoque Concilio datæ, ac permissæ.

11 Si contra Episcopus vllo modo fecerit, seminarij detrimento, damnōue, quæ inde inferetur, de suo primum satisfaciat; deinde istiusmodi culpæ norit se in Conc. Prouinc. proximo rationē redditurum; tum præterea illa ipsa beneficiorum collatio, prouisiove quam aliter contra huius decreti præscriptum fecerit, irrita nihilominus statim sit, nullàque omninò.

12 Ne verò in posterum aliqualis controuersia ex eo existat, quod sæpè dubitatur, cui potissimum seminario illam præscriptam decimæ partem certa quædā beneficia in sustentatione conferant, de ijs sic decernimus. Beneficia porrò, quæ diœcesis nullius sunt, illam subministrent, & soluant diœcesis eius Seminario, intra cuius limites ea olim erant, & censebantur. At verò, quæ beneficia in hac, vel in illa diœcesi prædia, bonave habent id præscriptæ decimæ dent Seminario diœcesis, locive, vbi sita est primaria ecclesia beneficij, cui ea prædia attributa olim fuerant: etiam si alia ecclesia, quæ beneficio illi primario adiuncta est, ædificata deinceps sit causa illorum prædiorum. Sin autem in iis prædiis ecclesia antea ædificata est, quàm illa adipisceretur, posteàque vnà cum illis aliis ecclesiæ primariæ adiuncta est; tunc eius contributio ad Seminarium pertineat, in qua prædia vnà cum ecclesia sita sunt.

13 Census verò, quem de Reuerendissimorum Coepiscoporum nostrorum assensu, & consilio vnicuique Seminario Ecclesiarum prouinciæ nostræ, auctoritate huius constitutionis præfinimus, atque adeò præscribimus, certa ratio, æstimatione hæc sit, infrà ordine exscripta.

Metropolitanæ Mediolanensis Ecclesiæ Seminarij sit annuus census nummi aurei sexies mille.

Derthonensis nummi aurei sexcenti.
Laudensis mille.
Aquensis quadrigenti.
Brixiensis bis mille.
Cremonensis bis mille item.
Bergomensis mille.
Astensis sexcenti.
Alexandrinæ quadringenti.
Vercellensis mille.
Albensis sexcenti.
Viginti milliensis ducenti.
Sauonensis trecenti.
Casalensis quingenti.
Vigleuanensis ducenti.
Nouariensis mille, & ducenti.
Placentinæ mille, & quingenti.

Sess. 23. ca. 18. in fi. 14 In omni Seminarij institutione, cura, atque administratione Episcopus se se rationibus conformet decreti Tridentini, quod cum in omnibus partibus exequatur, tum in ea maximè, vt certum locum deligat, vbi collegiatim certus puerorum numerus alatur, atque adeò instituatur litteris, disciplinisque ecclesiasticis.

15 Eligat duorum mensium spatio, qui nondum elegerit, canonicos duos, quorum consilio in iis vtatur, quæ ad puerorum eiusdem Seminarij institutionem, disciplinam, moresque attinent. Ead. sess. & cap.

Ead. sess. & cap. 16 Duos item de capitulo, & duos præterea de clero Ciuitatis deligat, quos adhibeat in consilium, consultationemue administrationis, quæ in rebus temporalibus ineunda sit.

17 Ij porrò omnes, vbi semel delecti sunt, vt ne vnquam, nisi ob causam, quæ cum ratione conueniat, eo munere abdicentur.

18 Meminerit autem Episc. sibi Trident. Concilij decreto omne Seminarij administrandi, beneque gerendi onus impositum esse, quod ipse propterea sustinere, tuerique debet etiā atque etiam diligenter. Eorum igitur, quos delegerit, consilium sequi cùm non cogatur, vbi illorum sententiam de re, quæ in consultationem cadit, audierit, ipse tamē deliberet, statuat, & exequatur, quæcūque pro sua pietate, & prudentia, quæ coram Deo potiora, atque præstantiora esse existimauerit, ad instituti Seminarij optimam tum conseruationem, tum administrationem.

19 Quotannis apud se rationes administrationis supputari omnino curet: qua in supputatione duos à capitulo, totidem à clero ciuitatis ex præscripto Trident. Concilij delectos adhibeat. Sess. 23. ca. 18. vers. Rationes.

20 Præscriptam fructuum portionem Seminarij causa ipse exigat: si quis eam soluere recusarit, aut longius, quàm par est, distulerit; contra illū censuris, & aliis ecclesiasticis pœnis agat, vt planè persoluat, implorato etiā, si ita expedire iudicauerit, magistratus sæcularis auxilio, ad illius Concil. Trid. præscriptum. Nec verò est, cur in ea re optimè exequenda locum, vel gratiæ, vel precibus, vel metui, vel alij humano affectui vnquam relinquat. Ea sess. & ca. vers. etiam vocato.

21.22 De Seminarij statu, progressionéque Episcopus ad Metropolitanum sæpè, aut sexto quoque mense ad minimum litteras det; quibus si quæ difficultates inciderint, quæ optimum illius institutum impediant, in primis exponat.

23 Is verò, ex Concilij Trid. præscripto, quibus rebus potest; aut debet, omnem operam, studiū, aliàsque omnem rationē adhibeat, vt sublatis iis rebus, quæ difficultatē pariunt, Seminarij institutio longè ad optima quæque progrediatur. Ea sess. & c. vers. Postremò.

24 Episcopus ipse tertio quoque mense saltem, nisi iusta causa impeditus sit, Seminariū visitet, in eoque visitationis munere, adhibitis etiam si modo ei videbitur, aliis doctis, & piis viris, tum de magistrorum diligentia, tum de progressibus, quos, & in vitæ disciplina, & in litterarum studiis Seminarij clerus habuerit, acuratè inquirat. 1. tit. 2. dec. 25.

25 Idem certas Seminarij clericis constitutiones præscribat; quas frequenti eorum conuentu in singulos menses legi curet, quo sæpius repetitæ, illorumque mentibus impressæ, seruentur diligentius. Sess. & cap. eod. ver. quę omnia.

26 Is in omni Seminario perpetuus vsus sit, vt Catechismus Romanus pueris, atque adeo adolescentibus prælegatur, & explicetur quàm diligentissimè. Nullàque eius pars prætermittatur, cuius doctrinis eorum animi non imbuantur, vt fieri potest, omni maximo studio. 5. ibidem. Sess. 23. ca. 18.

27 In omni prouinciæ Seminario, vbi commodè potest, præter cætera, quibus, & ad pietatis exercitationem, & ad litterarum doctrinam adolescentum animi erudiuntur, studia etiam sacrorum rituum, historiæque omnis ecclesiasticæ certis statis diebus instituantur, quæ clericalis ordinis hominibus, maximè accommodata sunt ad optimam religiosæ disciplinæ rationem. Sess. & cap. eo.

CONSTITVTIONVM, ET DECRETORVM

Synodalium Prouinciæ Mediolanensis.

LIBER TERTIVS.

Quæ ad beneficiorum Collationem, & prouisionem in eisque conferendis, & collatis simoniæ labem, & auaritiam vitandam pertinent.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiorum collatores, ad eáque præsentandi ius habentes, & eorum ministri nihil accipiant.* 32.

2 *A quibus item conditionibus in conferendo, & præsentando abstineant.*

3 *Contra facientium, & beneficia iisdem conditionibus acceptantium pœna.*

4 *Bulla Pii IIII. de confidentiis tollendis, ubi, & quando publicè legenda.*

5 *Altera Pij V. Constitutio, qua ipsa Pij IV. continetur, quotannis in Synodo promulganda.*
Bullarum ipsarum tenores. De Constit. num. 28.

6 *A præsentatis iusiurandum exigendum.*

7 *Formula eiusdem iusiurandi.*

8 *Iurispatronatus occasione, res pluris minimè vendenda.*

9 *Simoniacæ pactiones vexationis redimendæ causa prohibitæ.*

10 *Simoniæ poenis, qui teneantur.* 12.

11 *Statuta, & constitutiones ecclesiarum, quibus noui canonici sex mensibus inseruire ante teneantur, quàm distributiones percipiant, abrogandæ.*

12 *Illasque sic abrogatas seruantes, ut puniendi.*

13 *Huius rei fraudi ut occurritur.*

14 *Statuta, priuilegia, constitutiones, & consuetudines, quibus cauetur, ut beneficiorum fructus, & distributiones episcopo, vel canonicis, vel alteri dentur, rescindantur.*

15 *Eorum fructuum loco, nihil Sacristiæ dandum.*

16 *Etiam vigore cuiuscumque statuti, post editionem Tridentini confecti.*

17 { *Episcopus. Capitulum Aliiq; Eccles.* } *ipsos fructus retinentes, & exigentes, quibus censuris, & pœnis subiiciantur.*

18 *Ab iis censuris quis absoluat.*
Constitutio Pij V. reuocatoria priuilegiorum recipiendi fructus.
De Constit. 39.

19 *Ubi Sacristiæ, aut fabricæ ante Concilium Tridentinum concessi reperiuntur fructus, & distributiones, eorum pars dimidia tantum attribuenda.*

20 *Constitutio, vel consuetudo, ut nouus canonicus suæ præbendæ fructus primi anni fabricæ Ecclesiæ soluat, ut seruanda, si ei præbendæ onus pensionis impositum sit.*

21 *Ad cuius item præbendæ rationem soluenda.*

22 *Fructus ad sacristiam, &c. pertinentes, in alios usus non erogandi.*

23 *Quando in usus alios conuertere liceat.*

24 *Canonici supernumerarij non præbendati, quando prohibentur, & quando permittuntur.*
Præbenda Theologalis, Pœnitentialisue cui conferenda, & à quo edictum proponendum. De edicto proponendo. 6.
Theologalem præbendam obtinens, quid præstet De Præbend. Theol. 5.

25 *Beneficia Ecclesiastica ambitiosis precibus petentium, & antequàm vacent, postulantium, pœna.*

26 *Ea, mercedis loco, sibi ab Episcopi familiaribus non proponenda.*

27 *Quibus tamen familiaribus conferri possint.*

28 *Per cessionem vacantia, suo familiari, aut cedentis consanguineo per Episcopũ non conferenda.*

29 *In cessionibus beneficiorum admittendis, cautio ab Episcopo adhibenda.*
Constitutio Pij V. de non admittendis resignationibus. De Constitutio. num. 12.

30 *Beneficium certum ordinem, certasque conditiones requirens, cui non conferendum.*
Beneficiis conferendis, quod examen faciendum. De examine præficiend. &c. in fi.

31 *Beneficij titulus à quibus exhibendus, pœnaque non exhibentis.*

32 *In beneficiorum collatione nihil accipiendum est sigilli nomine.*

33 *Notarii merces quanta in conficiendis collati beneficii litteris.*

34 *Beneficii possessio, ut capienda pluribus ecclesiis, & prædiis sub eodem existentibus.*

35 *Beneficiorum vacationes, & prouisiones in certo libro notandæ.*

36 *Beneficiatorum litteræ à quibuscumque obtinentibus Episcopo non negandæ.*

37 *Testimoniũ approbationis suæ beneficiatus non cogẽdus exhibere, cũ idẽ approbauit, qui collaturus est.*
Beneficii, quod à minore obtinetur, administratio nemini committenda, sine permissu Episcopi. Quæ pert. ad bonorum. 9.

38 *Mandatis de prouidendo in forma dignum ad duos executores directis, quæ cautio adhibenda.*
Beneficii Ecclesiastici bona, iuraue usurpantes excõmunicationem incurrunt. De benef. iurisp. nu. 10.
Beneficiis, qui priuari possint. De vita & hon. cler. num. 106.

1. quæ pert. ad col. ben. 1 INTERDICIMVS, & iis, qui ius habent conferendi quæcumque beneficia Ecclesiastica, seu eis prouidendi, aut ad ea eligendi, præsentandi, vel nominandi, & eorum ministris cuiusuis generis, nè quidquam per quamvis causam eius rei gratia ab aliquo, cui ecclesiasticum beneficium quauis ratione tribuatur, nè sponte quidem datum, accipiant.

2 Neve ita detur beneficium cuiquam, vt is ad nutum eius, qui dederit, vel cuiusuis alterius posteà cedat.

Neve in eo dando vlla fructuum pars ab Episcopis, & inferioribus, contra sacrorum canonum instituta, quauis etiam pietatis specie reseruetur.

3 Qui ex iis, quos diximus, secus fecerit, iure, ac facultate eligendi, nominandi, vel præsentandi deinceps vti non possit.

Qui verò beneficium conditionibus eiusmodi acceperit, sciat ex sacrorum canonum decretis, se nullum in eo ius adeptum esse, atque ideo fructus suos non facere: quosve perceperit, sine conscientiæ labe retinere non posse; ad eorumque restitutionem compellatur.

Omnes item ij cæteras pœnas dent, simoniacis à sacris canonibus, & Constitutione Sanctissimi D.N. Pij IV. constitutas, & quas Episcopi prætereà de ijs sumendas iudicauerint.

Bulla Pij 4. edita 16. calen. Nouemb. 1564.

4 Eandem Pij Quarti Constitutionem Episcopi semper in diœcesana Synodo, ac bis quotannis in celebrioribus suæ diœcesis oppidis publicè recitari iubeant.

1. Ibidem. 3. de iis, quę pert. ad ord. sacr. &c.

5 De confidentiis constitutio, quam summus Pontifex, Pius V. tulit, quotannis in Diœcesana Synodo de scripto recitetur, ac promulgetur, loco illius à Pio IV. confectæ ea de re sanctionis, quæ tota posteriori hac continetur.

1. Ibidem. 6 Neminem autem vel præsentatum, vel nominatum, vel electum, vel ab inferioribus prouisum prius admittant, aut instituant Episcopi, quàm infrascriptum iusiurandum ab eo exegerint.

7 Ego N. præsentatus, vel electus, &c. ad beneficium iuro per sacrosancta Dei Euangelia, quæ meis manibus tango, neque me beneficij obtinendi causa, aut, vt ad id præsentarer, vel nominarer, &c. neque quemquam alium meo nomine, aut consentiente, vel sciente me, quidquam collatori, patrono, seu alij cuiquam ea de causa promisisse, aut dedisse, aut compensasse, vel apud quemquam deposuisse.

Neque mutuo dedisse, vel locasse, vel prius mutuò datum, commodatum, locatum, aut quocumque modo debitum remisisse, aut relaxasse.

Nec de domibus, terris, prædijs, redditibus eius ecclesiæ, fructibusve, decimis, aut oblationibus eiusdem præteritis, præsentibus, ac futuris, donationem, remissionem, locationemve fecisse, promisisse, aut iniuisse, aut alium, mandante, vel consentiente me, promisisse, fecisse, aut iniuisse. Ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

1. quę pert. ad ben. col. 8 Episcopi munus erit cauere, ne propter iurispatronatus occasionem pluris aliquanto res, cui illud ius annexum est, vendantur, aut transferantur; si qui verò nihilominus ita vendiderint, pœnas contra simoniacos editas incurrant.

9 Ne redimendæ vexationis specie in causis beneficiorum simoniacæ pactiones intercedant, nemini licere volumus, ad redimendam vexationem, ne in casibus quidem iure permissis, pecuniam dare, quidquamve pacisci, aut transigere, nisi Episcopi consensus accesserit. Cuius partes erunt, & perspicere diligenter, an subsit aliqua fraus: & vbi rem fraude carer[e] iure permissam esse cognouerit, non denegare ei, qui petierit, facultatem se à vexatione liberandi: qui contra quàm decretum à nobis est, fecerit, Episcopi arbitrio plectatur, & quod actum fuerit, irritum sit, ac nullum.

10 Vt omnis ad simoniam aditus intercludatur, statuimus, vt non solum auctores simoniæ, sed eius internuncij, & interpretes, notarij etiam, qui simoniaca instrumenta conficiunt; iisdem pœnis teneantur, quibus addicti sunt ij, qui per simoniam contraxerint. 1. Ibidem.

Ijs etiam pœnis comprehendi volumus eos, qui scientes inter eos, qui contrahunt, simoniacam pactionem intercedere in eorum gratiam sua beneficia obligant.

11 Sacri Tridentini Concilij auctoritate, & Cathedralium, & collegiatarum ecclesiarum statuta, constitutionesve quascumque etiam iureiurando, & quauis auctoritate munitas, consuetudinesque illas, etiam immemorabiles, quæ etsi minus expressam simoniam, at sordidam tamen auaritiam præ se ferant, antiquamus, abrogamus, atque rescindimus; quibus illud inductum est, vt qui nuper in canonicorum Capitulum aliorumve Ecclesiasticorum hominum Collegium adscriptus, Capitulique, aut Collegij iudicio ad ea Canonicalia, aut alia, quę ad eos pertinent, obeunda munera idoneus cōprobatus est; sex tamen mensibus, qui probationum nomine vocantur, choro inseruire ante debeat, quàm distributiones quascumque etiam quotidianas percipiat; aliisque canonicis vel aliis eiusdem Collegij hominibus accrescat, quæ portio sibi, eo temporis spatio inseruienti, iure obueniret. Illudque in perpetuum iubemus, vt in alicuius Ecclesiæ Canonicorum Capitulum, aliudve Ecclesiasticum collegium cooptatus, cum admissus, comprobatusque erit ad muneris sui functiones, is statim particeps sit residentiæ fructuum, quotidianarumque distributionum, quæ ab iis, ad quos spectat, eidem præstentur pro ratione Canonicarum horarum, quarum officium deinceps in Ecclesia ille obierit.

1. tit. 3. de[...] 3. Sess. 24. c. 14.

12 Quicumque illas constitutiones, statuta, & consuetudines, hoc decreto, abrogatas, seruarint; contra eos simoniæ pœnis, quæ canonum iure, & Summorum Pontificum constitutionibus statutæ sunt, ad Tridentini Concilij præscriptum, agatur. Sess. &c. eodem.

13 Nè huic autem decreto fraus fiat, hoc statuimus, vt quoties is, qui in eiusmodi Collegium cooptandus erit, eiusdem Collegij præfectum conuenerit, ad se probandum, huius probationis examen intra octo dies de eo habeatur; alioquin probationis ius Episcopi sit.

Quod si octo illis diebus, habito examine, is probatus non sit, sibique persuadeat id iniustè factum esse, ad Episcopū confugiat, qui habitis de eo examinis quæstionibus, si iniustè repulsam

illum tulisse animaduertit, Capitulum, Collegiumve compellat ad eum recipiendum.

5. quæ ad benef. coll. atti. 14 Authoritate Concilij Tridentini, & Constitutione à Pio V. Pont. Max. edita, iam nunc statuta, priuilegia, consuetudines, & illas denique cuiusuis Ecclesiæ constitutiones rescindimus, planéque abrogamus, quibus cau-[illegible] est vacantium in ea Ecclesia dignitatum, Canonicatuum, præbendarum, portionum, beneficiorum, atque adeo officiorum fructus, vel distributiones etiam quotidianas, quæ inde primò vacationis anno, aut longiori, breuiorive tempore obuenerint, mensæ Episcopali, vel canonicali, aliquo loco omnes, vel partem aliquam obuenire, attribuive, aut in communes vsus cedere, aut inter alios canonicos, ministrosve illius, alteriusve Ecclesiæ diuidi. Hæc tamquam rescissa, penitusque sublata eiusdem Pij Pontificis sanctione, declaramus nulla esse, nulliusque planè roboris.

15 Nec verò loco eorum fructuum, qui eo nomine, vt supra attribuebantur, ne consensu quidem capituli ab Episcopo statui liceat, vt deinceps, qui illiusmodi dignitates, canonicatus, beneficiave qualia qualia sint, consequentur; aliquid vel minimum soluant, conferantve in vsum Sacristiæ, aut fabricæ, aut alterius eiusmodi operis.

16 Quod si post Tridentini Concilij editionem, id vsquam in prouincia statutum, decretumve vllo modo sit, nè tamen quicquam eo nomine accipi, exigi, aut persolui vllo pacto, rationeve liceat, quacumque consuetudine, decreto, statuto, non obstante, nisi Summi Pontificis auctoritate munitum, corroboratumve sit.

Quamobrem nec Episcopus, neque capitulũ, collegium, aliive Ecclesiastici ordinis homines, quorum interest, istiusmodi fructus, distributionesve nè vllam quidem eorum partem retineant, neve illorum cessionem petant, exigantve, nec aliud quidquam, nè eo quidem nomine, quod prædia meliora reddita sint.

Neque etiam ab iis, qui illa beneficia etiam à Sede Apostolica, obtinuerint, iusiurandum exigant, vt tale quicquam obseruent; neve illis ipsis, qui non paruerint, moram, impedimentumve afferant, quo minus illorum possessionem assequantur.

17. 18 Meminerint porrò omnes quicumque contrafecerint, ex illa Pij V. Sanctione, si Episcopus est, suspensionis, si Capitulum interdicti, si alius quispiam excommunicationis pœnam statim subire; cuius vinculo tamdiu irretitus est; quoad restitutione primum facta, beneficium relaxationis, absolutionisve à Sede Apostolica obtinuerint.

19 Vbi verò sex ante Tridentini Concilij editionẽ mensibus, fabricæ, aut Sacristiæ, alteriusve pij loci vsibus distributiones eiusmodi, & fructus concessi reperiuntur, eorum pars tantum dimidia eidem, vel Sacristiæ, vel fabricæ, vel pio loco attribuatur: reliquam autem partem omnem ad illius pontificiæ sanctionis præscriptum ij capiant quorum beneficia sunt.

2. tit. 3. dec. 4. 20 Quibus in Ecclesiis ea, vel constitutio, vel consuetudo est, vt Canonicus nuper creatus, quos fructus præbendæ suæ primo anno percipiet, eos omnes, vel aliquam eorum partem fabricæ Ecclesiæ, aut Sacristiæ, aliiue pio loco soluat; in posterum illa ita seruetur, vt si ei præbendæ onus pensionis, vel reseruationis fructuũ omnium, alicuiusve partis eorum impositum est, is pro rata solum fructuum, quos liberè percipiet, soluat; fideiussore tamen caueat, se reliquam item fructuum illius præbendæ partem soluturum, quamprimum, vel morte, vel concessu, remissioneve eius cui fructus reseruati sunt, quive pensionem obtinet, adipiscetur.

Eam vero fructuum partem, quam soluere debet, nè soluere prius cogatur, quam illorum percipiendorum dies venerit; sed aut fideiussorem det, se eo ipso tempore statim soluturum: aut Episcopus apud aliquem illos sequestri nomine asseruari curet, donec quod piis illis locis debebitur, persolutum erit.

21 Quibus in ecclesiis optionis ius est, vbi dimidia pars fructuum præbendæ in illius vacatione, vel Sacristiæ, vel fabricæ Ecclesiæ soluitur, ea pars pro ratione præbendæ, quæ primo vacauit soluatur. 5. quæ ad benef. coll. att.

Idque ab omnibus præstetur, qui ordine deinceps singuli occasione illius vacationis, vel ad eam ipsam obtinendam optionis iure vsi sunt, vel ad alias consequendas, quæ occasione optionum successiuè vacarunt, ità vt vnusquisque soluat pro rata tantum accessionis redditũum, sibi illo ipso optionis iure factæ.

Hæc porrò solutio, vbi quisque primi anni fructus, ex præbenda quam sibi iam optauit, perceperit, statim ab eo præstetur.

Reliqua item, quæ de parte fructuum dimidia persoluenda olim decretis prouincialibus constituta sunt, ad eorum præscriptum seruentur.

22 Curet autem Episcopus, vt fructus, & cuiuscuis generis prouentus ad Sacristiam pertinentes, nè in alios sumptus, nisi in ipsius Sacristiæ vsum erogentur, ideóque quotannis agnoscat, quomodo distributio & quas in res erogati illi sint. 2. vt sup. tit. 3. dec. 4.

23 Liceat tamen eidem Episcopo de Capituli consilio eos fructus in fabricæ, vel rei alterius, ad eam ipsam Ecclesiam spectantis, vsum aliquando conuertere; si modo Sacristiæ minus tunc opus esse iudicarit.

24 Perlatum ad nos est, in nonnullis prouinciæ huius Ecclesiis clericos aliquos, qui ob beneficia, officiave, quæ in iis obtinent, non solum in choro adesse, sed alia ministeria, aliasque functiones clericales, ibi præstare debent, à Capitulis certo illi canonicorum numero adiungi, eamque ob causam, supranumerarios vocari, hocque ipsum fieri, nulla eis collata præbenda, nulloque sæpè attributo cuiusuis generis emolumento, censuve, ij autem eo solum titulo contenti, cum id sibi sumant, aut inferiora ministeria, quæ antea obire consueuerant, præstare planè recusent, hæc sanè incommoda, grauia illa quidem, accedunt, quod & ecclesiæ debitis munerum functionibus fraudantur, & diuinus cultus minuitur, & labefactatur, & ordo ecclesiasticus, cum vnus plurium partes, officiumque præstare non possit contra ac legibus canonum cauetur, non sine magna offensione, peruertitur, & perniciosæ ambitionis occasio hominibus Ecclesiasticis manifestò datur. 5. quæ ad benef. coll. att.

His porrò incommodis, atque adeò malis, decreti huius prouincialis authoritate occurrendum censuimus. Itaque si quos aliquando, vt iure permissum est, canonicos supra numerarios creari contigerit, id iustis solum causis, ac penè necessariis, iisdemque comprobatis, & per rarò quidem fieri statuimus.

At verò qui in ea ipsa ecclesia beneficij quod ibi obtinet, causa, operam, ministeriumve nauare debet, quod cum canonicali officio, & gradu non conueniat, neque præstari simul possit, suprà numerarium fieri, crearive prohibemus.

1. quę pert. ad benef. collat. Quicumque verò ita adscriptus est, nè à muneribus, ministeriisve, quæ priorum beneficiorum nomine in ea ecclesia à se præstari debent, liber, aut immunis vllo modo sit: immo vt illa præstet, & fructuum multa, & omni alio iure, vt canonibus, decretisue Tridentinis cautum est, Episcopus omninò agat.

25 Qui beneficium ecclesiasticum vacans, multis, & ambitiosis precibus per se, vel per alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, vt per biennium in eum neque illud, neque aliud beneficium conferri possit.

Eandem pœnam illis proponimus, qui beneficia Ecclesiastica, quæ nondum vacent, postularint; præter eas, quæ à sacris canonibus huic iniquitati constitutæ sunt.

26 Monemus, & obtestamur Episcopos, aliosque quibus est ius conferendi beneficia, vt familiaribus suis certam mercedem constituant, nè illi hoc subsidio destituti, beneficia ecclesiastica tamquam suæ operæ, & laboris pretium, præcipuè sibi proponant.

27 Fraudari tamen Ecclesias nolumus probatorum hominum ministerio, si qui sint in eorum familia, quorum doctrinæ, & pietati vtiliter sacrum munus committi possit.

5. quæ ad benef. coll. att. pert. 28 Beneficia quæcumque sint, etiam parochialia, quæ per cessionem vacant, Episcopus nè suo, aut cedentis consanguineo, nec verò item suo familiari conferat, prouideatve, vt Pij V. Pontificis Apostolica sanctione vetitum est.

Nec verò alicui familiari, propinquoue suo ad illius beneficij concursum aditum patefieri permittat.

Quod si aliter vmquam factum erit, cum omnis collatio, prouisiouè rescissa, irrita, nullaque sit, tum prætereà illius Pontificiæ sanctionis pœnæ eo nomine constitutæ locum habeant.

2. tit. 3. dec. 2. 29 Caueant Episcopi, nè passim, atque indistinctè omnes beneficiorum Ecclesiasticorum cessiones admittant; sed in iis solum casibus, qui Summi Pontificis Pij V. litteris expressi sunt, meminerintque excommunicationem, quæ earundem litterarum sanctione contrahitur, Apostolicæ sedi reseruari.

5. quæ ad benef. coll. attest. Sess. 24. c. 12. de refor. 30 Si capellania, etiam simplex, aliudve beneficium, etiam iuris patronatus ex præscripto erectionis, fundationisve, aut alterius constitutionis certum ordinem, aut alias conditiones requiret in eo, de quo vel collationis, vel institutionis, vel alio nomine prouidendum est illud beneficium, nè Episcopus deinceps, etiam pa- Sess. 25. c. 5. de ref. sess. 22. cap. 4. tronorũ consensu permittat, concedatue, vt quisquam sine Sedis Apostolicæ dispensatione illud beneficium assequatur, quod verè eo ordine non sit initiatus, quamuis ætate congrua sit pro illo ordine suscipiendo, neque qui alius conditionibus præditus non sit, & quas illa, vel erectio, vel fundatio, vel constitutio requirit.

31 Qui deinceps Ecclesiastici beneficij possessionem adipiscetur, eius beneficij titulum is, etiam ante non monitus, ad mensem ordinario suo ostendat: quod si secus fecerit, dimidia parte fructuum, & prouentuum vnius anni mulctetur, qui ex eo beneficio singulis annis percipiuntur; tum omnibus iuris remediis titulum exhibere cogatur. 2. tit. 3. dec. 1.

Quod Concilio Prouinciali secundo sancitum est, vt qui Ecclesiastici beneficij possessionem adipiscuntur, eiusdem beneficij titulum etiam non moniti, mensis spatio, ordinario suo ostendant, hoc decreto constituimus, Canonicos etiam tam Cathedralium, quam Collegiatarum Ecclesiarum comprehendere, in quibus iure legitimo, præbendarum optiones fiunt, ità vt à die adeptæ possessionis, optionis instrumentum in Cancellaria Episcopali intra præscriptum temporis spatium exhibere debeant omnino; alioquin contra eos pœna eodem decreto contra beneficia obtinentes sancita, ac aliis arbitratu ordinarij agatur. 5. quæ ad cap. pert.

32 Vt auaritiæ omnis non modo labes, sed suspicio, vel minima ab Episcopi domo, atque ab omni etiam Ecclesiastico foro tollatur; nè deinceps in beneficiis conferendis; aut quauis prouisione dandis quicquam vllo cuiusuis generis, nè sigilli quidem nomine accipi, exigive ab vllo liceat, omni prorsus, si quæ huic decreto repugnet, consuetudine, & superiorum Conciliorum decreto antiquato, & abrogato. 4. de benef. collat. & prou.

33 Notario tamen, cui pro muneris sui laboribus certa merces nulla constituta est, aliquid pro opera, quam in litterarum scriptione ponit, accipere liceat, ad taxæ ab Episcopo præfigendæ præscriptum: ità tamen vt pro omni vniuscuiusque beneficij collati, vel prouisionis nomine dati, scriptura à se confecta, aliove quovis nomine, vel prætextu, plus aureo nummo ad summum nè capiat.

Hoc decreto derogatum est alteri Concilij prouincialis primi, de iisquæ pert. ad collat. beneficiorum. Notariis, cuius tenor videatur infra tit. de Cancellario, & notariis, num. 19.

34 Nè pro beneficij Ecclesiastici possessione adipiscenda, plus quam par est, impensæ quis in compluribus instrumentis, eo nomine conficiendis, vel exscribendis faciat, cum eius bona variis locis sita sunt; id propterea decernimus, & declaramus liberum esse vnicuique cui beneficium aliquod collatum, aut quouis prouisionis nomine datum est, illius solum Ecclesiæ, altarisve, in quo beneficii titulus est, & illorum tantum eiusdem beneficij prædiorum, bonorumve quæ ipse maluerit, possessionem capere: modo eam capiat, tabulis publicè à notario confectis.

35 Liber conficiatur, isque in omni Episcopali archiuo asseruetur; in quo libro diœcesanorum beneficiorum cuiusuis generis, cum vacationis certa dies, ratio, modusque, describatur, tum collationes, ac prouisiones, vt vocant, quæcumque sint, vel à summo Pontifice, vel ab

Episcopo, vel ab vllo quouis alio factæ, literarum, diplomatumve exempla, vel sententiæ summatim explicatæ, prout potius esse Episcopus censuerit, in eundem inferantur. Itidem seruetur de literis ordinum, quibus singuli eiusdem diœcesis clerici initiantur.

36 Capitula verò, & quicumque sint, qui cuiusuis generis dignitates, Canonicatus, aut alia quæcũque beneficia obtinuerint, literas, diplomata, tabulasve ipsas beneficiorum, quæ quouis etiam vnionis iure possident, Episcopo, etiam priuatim postulanti, sine mora exhibeant. E quibus tabulis tum si quid oneris, obligationisve illis inesse apparuerit; tum quidquid aliud expedire idem Episcopus censuerit, id distinctè, explicatèque exscribi iubeat.

Hocque omne, vt ab iis, ad quos spectat præstetur, idem omni ratione efficiat.

37 Nemo cui beneficium parochiale, alteriusve cuiuscumque generis confertur, approbationis de se, etiã institutis examinis interrogationibus, factę, literas, testimoniumve scriptum exhibere, ab Ordinario, cancellariove cogatur, cum qui beneficium collaturus, aut cuiusuis prouisionis nomine daturus est, ille ipse ordinarius est, qui eum approbauit.

38 Fraudes sæpè per eos committi animaduersum est, qui mandati literas Apostolicas quas vocant, de prouidendo, in forma, dignum, impetrarint, ad duos, qui illas deinceps exequantur scriptas, ita vt, si vnus præstituto tempore non exequatur, alter exequi debeat, ij enim ab vno, quoniam idonei non sint, reiecti, ad alium tacita, quam tulerunt, repulsa, confugientes, beneficij, & quod sibi conferri volunt, collationẽ non idonei aliquando surripiunt. Quamobrem omnibus, singulisque notariis, cancellario, actuariisque prohibitum deinceps sit, nè si eiusmodi delegatæ executionis acta confecerint, eorum partem nisi prioris iudicis exequentis consensu, concessiue ad canonum præscriptum adeant: sed temporis, in mandati literis præfiniti, spatio confecto, acta omnia, & singula ab se ob eam causam conscripta, illis ipsis ad alterum istiusmodi executionis iudicem dent, pœnis propositis, arbitratu Episcopi irrogandis: vt hic quid à priore iudice actum, decretumve sit, scire possit nè in beneficio conferendo, surreptio, abreptiove indebitè insit, indeque propterea lites existant.

De beneficiis iurispatronatus.

SVMMARIVM.

1 *Ius præsentandi, eligendi, & nominandi habentes, nihil accipiant.*
A quibus etiam conditionibus præsentando abstineant: Quæ ad benef. collat. pert. num 2.
Iusiurandum à præsentato præstandum, & cuius formulæ. Ibidem. 6. 7.

2 *Præsentatus à quocumque per Episcopum comprobandus.*

3 *Institutio aliter facta, nulla.*

4 *Præsentati non idonei reperti, reiiciendi.*

5 *Qui autem iudicandi idonei.*
Edictum in vacatione præbendæ Theologalis, pœnitentialisve iurispatronatus à quo proponendum De edicto proponend.
A quo item emittendum, cùm alia beneficia iurispatronatus tam ecclesiastici, quam mixti, vacant. Ibid. 6.

6 *In beneficiis iurispatronatus mixti, idem seruandum quod in beneficijs iurispatronatus ecclesiastici.*

7 *Beneficiorum, quorum ius collationis, institutionisve ad inferiores Episcopos spectat, lites, iurispatronatus, causæ omnes, ac controuersiæ ab episcopo cognoscendæ.*
Beneficium iurispatronatus, certum ordinem, certasque conditiones requirens, cui non conferendũ. Quæ ad benef. coll. pert 30.

8 *Res iurispatronatus annexa pluris vendi nequit ob annexionem eiusdem.*
Contra facientium pœnæ. Ibid.

9 *Iura patronatuum ab Episcopo recognoscenda.*

10 *Ius patronatus habentes, si bona, iurave eiusdem vsurparint, excommunicationem incurrunt.*

11 *Decreti huius publicatio cum alio Concilij Tridentini. Ibidem.*

1 INterdicimus & ijs, qui ius habent conferendi quęcumque beneficia ecclesiastica, seu eis prouidendi; aut ad ea eligendi, pręsentandi, vel nominandi, & eorum ministris cuiusuis generis, nè quidquam per quamuis causam eius rei gratia ab aliquo, cui ecclesiasticum beneficium quauis ratione tribuatur, nè sponte quidem datum accipiant. 1. quæ pert. ad benef. collat.

2 Quod Tridentinis decretis, de eo, qui præsentatus est, per Episcopum comprobando, etiã si ad inferiores institutio pertineat, constitutum est; id beneficiis, item vel simplicibus, vel curatis, vel aliis cuiuscumque generis, in quibus etiam electionis, præsentationis institutionisve ius, monachis, aliisve cuiuscumque ordinis regularibus, cæterisve competit, locum habere Episcopus meminerit. 4. quæ de benef. coll. & prouis. Sess. 7. c 13. Sess. 24. c. 18. Sess. 25. c. 9. decret.

3 Quare, si quæ hactenus institutio, sine Episcopali comprobatione facta comperitur, eam irritam, inanem, ac planè nullam declaret. Ac nè imposterum ità fiat, caueat quam diligentissimè.

4 Pro authoritate, canonum iure, & à Concilio Tridentino sibi tradita, Episcopus, si idoneos non compererit, à patronis etiam quibuscumque præsentatos, nè probet, admittatve, neve instituat, nec verò eis vllo quouis nomine prouideat, sed planè illos repellat. 4. Ibidem. Sess. 25 c 9. vers. adhæc. Sess. 24. c. 18. Sess. 25. c. 9.

5 Idoneos porrò nè censeat, quos experimento examinis interrogationibus diligenter facto, & doctrina, & cantus peritia, & aliis qualitatibus; ad rectè, ritèque obeunda munera, ei beneficio, ad quod pręsentatur, incumbentia, coniunctave necessariis, præditos esse non viderit.

Neque illos item, quos pro illius beneficij ratione, legitima ætate, sacrorum canonum iure, Concilioque Tridentino præscripta, esse, ex legitimo documento, testificationeve non cognouerit. Sess. 24. c. 12.

6 In beneficiis, etiam parochialibus iurispatronatus laicorum simul Ecclesiasticorumque hominum, illud Episcopus seruet, atque exequatur, quod de beneficij, quæ iurispatronatus Ecclesiastici sunt, Concilij Tridentini decretis cautum est. Idipsum quoque præstet, etiam si ex vna parte ad ecclesiam, & verò ex duabus ad laicum hominem electio spectet. 5. quæ ad benef. coll. pert. Sess. 24 c. 18.

7 Episcopus quoque, beneficiorum quorum institutionis ius, collationisve ad quoscumque exemptos, aliosve episcopo inferiores pertinet, iuspatronatus lites, causas, & controuersias omnes, quæcumque sint, cognoscat, & definiat: clericum autem præsentatum, qui instituendus erit, ad inferiores institutionis tantùm causâ remittat: nisi iidem inferiores iurisdictionem ordinariam haberent, cuius rigore de controuersiis super iurepatronatus alioqui cognoscere possent.

2. quæ pert. ad collat. benef. Sess. 25. c. 9. 8 Episcopi munus erit cauere, nè propter iurispatronatus occasionem pluris aliquanto res, cui illud ius annexum est, vendatur, aut transferatur: Si qui verò nihilominus ita vendiderint, pœnas contra simoniacos editas incurrant.

3. quæ pert. ad bonorũ, &c. Sess. 25. 9 Episcopi intra sex menses vniones perpetuas, etiam Ecclesiis iurispatronatus factas, & ipsa patronatus iura ex præscripto Tridentini Concilij recognoscant; & traditam eiusdem Concilij decretis de illis rationem diligentissimè seruent.

5. de eccl. earum sup. & fructibus. 10 Vniuersitates, laicive homines, etiam qui iuspatronatus habent, qui bona, censum, iurave beneficij Ecclesiastici, aut loci pij, quocumque modo vsurpauerint, aut eorum possessionem detinuerint, anathema, & aliàs pœnas subeant decreto Tridentino constitutas, non obstante quocumque antiquo vsu, possessioneve.

Sess. 22. c. 11. Sess. 25. de reform. 11 Hoc verò decretum cum illo vulgariter redditum, populo edici, atque promulgari sæpe iubemus, quo diligentius tale crimen caueatur.

Quæ huic titulo congruere præsumuntur videantur tit. superiori.

De edicto proponendo pro examine eorum, qui præficiendi sunt ecclesiis parochialibus, & quibus conferendæ sunt præbendæ Theologales, pœnitentialesque.

SVMMARIVM.

1 *Edictum proponendum in examine præficiendorum eccles. parochial.*
2 *Tempus ei rei exequendæ præscriptum.*
3 *Edictum non omitten. in ecclesiarum curatarum permutatione.*
4 *Concursus loco, quando priuatum examen fieri possit.*
5 *Edictum ab Episcopo proponendum vacante præbenda Theologali, vel pœnitentiali etiam si alteri quam Episcopo collatio pertineat.*
Illud etiam ad pedem emittendum in vacatione parochialium, quarum conferendi ius ad alium, quam Episcopum spectat.
7 *Et in vacatione parochialium iurispatronatus eccles. vel mixti.*

1. de edicto prop. in examine eorum qui præf. sunt par. eccles. Sess. 24. c. 18. 1 QVia Sacrum Tridentinum Conciliũ ad prouinciales Synodos illá cognitionem reiecit, an expediat; vt iis, qui præficiendi sunt parochialibus Ecclesiis, ad examen vocandi sint per edictum, re diligenter considerata, statuimus: vt cum primum Episcopus parochialem Ecclesiam vacare cognouerit, intra triduum ad cathedralis, & vacantis Ecclesiæ ianuam publicum edictum per totos decem dies, vel aliud longius tempus, eiusdem Episcopi arbitrio, propositum esse iubeat; quo omnes initientur, qui volent examinari, vel alios examinandos nominare: vt transacto præstituto tempore, examen confici possit: ac deinde orbato gregi ex ea formula, quæ in dicto Concilio præscripta est, idoneus rector præficiatur.

3 In ecclesiarum curatarum permutatione coram Ordinario facienda, nè locum habeat, quod primo prouinciali Concilio decretum est, de proponendo edicto examinis causa, in vacatione Ecclesiarum parochialium. 5. quæ ad benef. coll. attin.

Si tamen vel parochialium hominum multitudo valde inæqualis est, vel qui permutant, quo tempore parochiales illas ecclesias adepti sunt, examen præscriptum non subierunt, fiat tunc de illis experimentum examinis, sed absque concursu. Idem examen sine concursu adhibeatur, de eo, qui beneficium simplex commutat, cum alio, quod curam animarum habeat; si quando eiusmodi permutatio coram Ordinario fieri iure potest.

4 Quamuis Pij V. constitutione, sublata non sit facultas illa, quæ in Ecclesiis parochialibus conferendis data est, tum Synodo prouinciali addendi, ac detrahendi præscriptæ formæ examinis, tum vnicuique Episcopo, si certis quibusdam de causis pro sua conscientia, cum deputatorum consilio expedire censuerit, loco concursus priuatim aliud examen ineundi: videat tamen Episcopus, nè facultate sibi data abutatur, neque verò illam adhibeat vllo modo, nisi opus esse viderit certis illis expressis causis. Ibidem. Sess. 24. c. 18. vers. Si tamen.

5 Vbi primum præbenda, vel Theologalis, vel pœnitentialis vacauerit, etiam si illius conferendæ ius ad alium, quam ad Episcopum, præterquam ad Sedem Apostolicam pertineat, edictum de more proponatur, quo ad concursum euocentur, quicumque sint, qui illius muneris causa examen subire velint, aliosve nominare, qui subeant. Confecto autem constituti temporis spacio, vniuscuiusque eorum, qui illo nomine conuenerint, periculum, experimentumve in literis, ac doctrina omni, vel diligentissima percunctationum, quæstionumve ratione fiat, Episcopus, adhibitis sibi pro arbitrio suo aliis peritis, probisque viris, tum etiam de illorum vita, moribus, ætate, gradu, ordine ceterisque conditionibus, ad tale munus necessariis, accuratè perquirat. Tum demum Episcopus ipse solum rebus iis omnibus accuratè perpensis, maturè in domino deliberet, & liberè deligat, quem pro conscientiæ suæ religione digniorem, aptioremque existimet, cui tale munus tantique ponderis rectè committatur. 5. Ibidem.

Qua in deliberatione idem videat; vt quod præsertim ad pœnitentiarium attinet, cum peritiam necessariam spectarit, tum maximè vitæ innocentiam, morum grauitatem, spiritualium exercitationum studium, & vsum diuturniorem in audiendis confessionibus, exercitationem, prudentiam, cæterasque religiosæ pietatis virtutes perpendat. Ei autem, quem potissimum elegerit, nec verò alij cuiquam conferatur ab eo, cui ius competit, etiam si capitulũ sit. Sess. 24. c. 18.

6 Vacante ecclesia parochiali, cuius conferendæ ius non ad Episcopum diœcesanum, sed ad

alium, etiam ab Episcopali iurisdictione exemptum & regularem item spectat, edictum de concursu proponat Episcopus diœcesanus, & quicumque examen eo nomine subire volent, ad ipsum conueniant, qui exploratione per examinatores Synodales facta, ex probatis digniorem, & magis idoneum deligat, cui vacans illa ecclesia ab illo conferatur, cuius ius est: si secus fiat, collatio rescissa, nullaque sit.

7 Eadem ratio omnis adhibeatur in parochiali ecclesia vacánte, quæ iurispatronatus est ecclesiastici, vel mixti, cuius institutio non ad Episcopum diœcesanum, sed ad alium quemcumque, etiam exemptum, & regularem item, vt suprà, pertinet: ità tamen, vt quem Episcopus diœcesanus digniorem elegerit, is à patrono præsentetur ei, ad quem spectat institutio.

Si verò ad Summum Pontificem institutio spectat, vel quia in mensibus reseruatis vacauit, vel alia causa, tunc Episcopus digniorem eligat, ex præscripto earundem literarum Pij V. à Summo Pontifice instituendum. Intereà vero dum huius generis examina, & approbationes fiunt, & institutio locum habeat, idem Episcopus diœcesanus idoneum Vicarium qui onera vacantis illius Ecclesiæ sustineat, attributa ei congrua, pro arbitrio suo, fructuum portione, constituat, donec ei rector præficiatur.

Sess. 14. c. 18.

De examine eorum, qui præficiendi sunt parochialibus, & curatis aliis ecclesiis, quibusque alia beneficia conferenda sunt, institutiove facienda est.

SVMMARIVM.

Examinatorum officium in iis approbandis, quibus animarum cura committenda est, quibusque beneficia alia conferenda sunt, quale.

Quæ ad ordinis sacram. pert. 46.

Examinis initio oratio de Spiritu sancto recitanda, & quæ. De foro. Episc. 2.

1 *Examen, periculumque adhibendum in iis admittendis, de quibus rebus fiat.*

2 *In quibus item probentur ij, quibus alia beneficia conferenda.*

Liber examinum prouisionum ecclesiarum parochialium, quæ per examen conf. De cancellario. 30.

5. de exam. ratione, 5. De iis vero.

1 Quæratur igitur ab eis parochialibus præficiendis, experiundoque cognoscatur in primis.

An apti ad sensus percipiendos, non solum, qui ad grammaticæ intelligentiam sumuntur; verum etiam interiores illos, sanctioresque tam ad Christi, Ecclesiæque mysteria, quam ad spiritualis vitæ modum pertinentes.

An sermonem contexere, habereve sciant.

An si quos habuerint, vnde sumpserint, aut quam illis contexendis conscribendisve rationem adhibuerint, & verò si quos apud se conscriptos tunc habeant, eos ostendant, atque tradant.

An in eo genere aliquid ex tempore possint; tunc ex temporaneo breuique sermone periculum fiat, quantum concionando valeant.

Atque si tractationis quidem verbi Dei vsu peritiorem parochum Ecclesiæ parochialis, quæ committenda est, ratio deposcit; examen aliqua ex parte, quæ potior examinatorum iudicio videbitur, ineatur ad interrogationum normam, & concionatorum examen constituta.

Quæratur præterea, an aliàs vnquam animarum curam gesserint; quod si affirment; tum interrogentur etiam, & vbi gesserint, & cur inde discesserint.

An intelligant quanti illud sit animarum curam suscipere, rursusque gerere, quæque partes, ac virtutes illæ sint, quibus bonum & vigilantem animarum curatorem præditum esse oporteat.

An item norint impedimenta omnia, quorum causa interdictum est, nè quis sacramenta ministret, & nè quis suscipiat.

An sacramentorum, præsertim verò, quorum ille minister est, vim, & naturam intelligant; atque hæc sigillatim imprimis interrogentur.

Quæ vniuscuiusque sacramentorum materia; quæ forma item.

Quæ eorum efficiens causa, & principalis.

Quæ causa efficiens instrumentalis.

Quæ causa finalis.

Quæ eorum differentia.

Qui effectus, quive fructus.

Qui eorum ritus, quæve cærimoniæ.

An maximè omnium peritiam teneant audiendæ sacræ confess.

Quos huius generis libros, atque adeo summas habeant.

Tum periculum fiat, quàm valde casuum conscientiæ vsu periti sint, quamque tum in illis, tum in aliis id generis peritè versati, præsertimque in Ecclesiasticis constitutionibus, quæ ad rectum vitæ vsum, populique Christiani mores, & virtutes pertinent.

An nouerint casus, sanctissimo Papæ, & Episcopo item à iure, & ab homine reseruatos.

Atque adeò diligentius, prout opus erit, de singulis interrogentur, quæ infrà præscribentur rationi examinandi confessarios sacerdotes.

Videant prætereà examinatores, an aliquam sacrorum Canonum notitiam habeant, & præcipuè quod ad Tridentinum, & Prouincialia Concilia, Synodosque diœcesanos attinet, an illi hæc norint, quæ sequuntur.

An scilicet doctrinam de præcipuis Christianæ religionis articulis, quos œcumenica illa Synodus Tridentina contra hæreticos definiuit.

An item quæ de residentia præscripsit.

2 An quæ etiam de parochis, parochialibusque ecclesiis, & de diuinorum officiorum cultu, cæterisque eiusdem generis statuit.

An quæ prætereà de clericorum honestate sanciuit.

An cætera denique quæ, vel ad cleri, vel ad populi disciplinam, vel ad aliarum rerum reformationem constituit, quæ parochi scire, beneque nosse intersit.

Ex prouincialibus Conciliis sigillatim quærant.

Quæ de clericalis vitæ honestate, & de parochorum officiis constituta sunt.

Quæ item de Sacramentorum recta administratione, quæ de Missæ sacrificio, quæ prætereà de diuinis officiis.

Quæ

Quæ etiam de Sacramentalibus, & quæ de festorum dierum veneratione, quæ de ecclesiarum cultu, quæ de scholis doctrinæ Christianæ, quæ de populi Christiana institutione, moribusq; disciplina, déque aliis ad parochialis vitæ munus potissimum pertinentibus, sancita sunt.

Ex Synodis diœcesanis, eam ipsam, certis capitibus, distinctam examinandi rationem ineat, prout genus decretorum est, quæ in illis Episcopus confecit.

1 Qui causa beneficij, cuiusuis generis, quod tamen curatum non sit ad examen accedit, de eo hæc inuestigentur.

An canonicarum horarum officium ex Breuiarij instituto, rubricisque rectè recitare sciat.

An doctrina, disciplináque omni instructus, quam ordo deposcit, quo initiari debet, pro beneficij, officij, dignitatisve ratione, cuius causa examen instituitur.

An peritiã item teneat functionũ, quas illius beneficij, dignitatis munerisve ratio postulat,

An teneat quæ scitu necessaria sunt ad functiones illas, vel ordinis, vel beneficij rectè, ritéque præstandas, etiam quæ ad rectè canendi modum, rationemve pertineant.

4. de benef. coll. ad prouis. Quæcumque, & examinis, & approbationis, & collationis, prouisionisve ratio, omnisque alia diligens cautio, in Ecclesijs parochialibus, cuiquam ex decreto Tridentino sancita, adhiberi debet; illa ipsa omnis in capellanijs, cæterisque beneficijs ecclesiasticis, quocumque nomiñe nuncupatis; immò verò in ipsis etiam ecclesiæ, vel cathedralis, vel collegiatæ portionib. quib. ab institutione, vel consuetudine, aliove quouis iure, & nomine, onus, munusve, animarum curæ, vel exercendæ, vel coadiuuandæ incumbit, aut coniunctum est, conferendis, in aliove prouisionis eorum modo, teneatur, ac seruetur omninò.

5. Quæ ad benef. coll. att. Cum aliquis examinatur ad aliquod beneficium ecclesiasticum, cui prouidendum sit, de eo experimentum fiat examine non solum in litterarum scientia; sed etiam in cantus peritia ad illius beneficij functiones, ritè, rectéq; obeũdas; tum prætereà in vsu, ac notitia, quã in recitandis diuini officij horarijs precibus habeat.

De examine, eorum recognoscendæ doctrinæ, & progressionis causa, quibus animarum cura, & alia spiritualia munera, officiáque committi possint.

SVMMARIVM.

Examinatorum officium in indagando cleri in studijs progressu, quale.

Quæ ad ordinis sacram pert. num. 46.

1 *Examen doctrinæ tantum, progressionisve recognoscendæ causa, vt fiat.*

2 *Classes quatuor eorum, qui doctrinæ experiundæ causa examen subeunt.*

3 *Qui primæ classis.*

4 *Qui secundæ classis.*

5 *Qui tertiæ classis.*

6 *Qui quartæ classis.*

7 *Qui inferioris classis.*

Liber examinum factorum ad inuestigandam cleri in studijs progressionem à cancellario habendus. De Cancellario. 30.

1 CVm non certæ curæ, alteriusve beneficij, vel officij, munerisve, sed doctrinæ tantum, aut in literarum studiis progressionis recognoscendæ causa examen alicuius instituitur, diligenti etiam illa, præcipuáque disquisitione, & interrogationibus, suprà variè descriptis, pro vniuscuiusque conditione indagetur illius doctrina, & in ministeriis ecclesiasticis peritia, atque vsus. 5. de exam. rat.

2 Horum verò classes quatuor saltem, vel etiam plures constitui poterunt, quibus pro peritiæ ratione, experimento illorum facto, adscribantur.

3 Primæ classi adscribantur, qui, & perfectè concionandi peritia, & conscientiæ casuum explicationibus se tales ostendant, qui alijs multis prodesse, atque præesse possint, proindeque idonei sint, non modo ad parochi, sed etiam ad Præpositi, Vicarii foranei, vel Visitatoris munus, vel ad Pœnitentiariæ etiam, aut Doctoralis, aut Theologalis præbendæ obeundæ officium dignitatemve, etiam in Ecclesia Cathedrali, assequẽdã, atque ad alia id generis. Supra quæ ad ord. sac. pert. &c.

4 Secundæ classi erunt ascribendi, qui si minus, vt illi concionari perfectè, at mediocriter, tum etiam de suggesto possint; quique in casuum conscientiæ summis studiosè versati sint; & verò Catechismi etiam Romani doctrinam diligenter teneant.

5 Tertiæ erunt classis, qui intelligentiæ tantum assequuntur, vt si minus accurata, doctáque concione, at sermonem de altari saltem, habere, ac Euangelium, prout vsu venerit, enarrare, & explicare possint, & administrationis sacramentorum, & casuum conscientiæ vsu ita periti sint, vt qui frequentius incidere solent, eos aliquo studio adhibito enodare, atque explicare aptè queant.

6 Quartæ classis, qui si non magno literarum studio, aliquo tamen vsu apti sunt ad aliquam Euangelij breuem explicationem, notitiam quandam habent rerum ad docendum populum, quæ saluti necessaria sunt, & ad sacramentorum administrationem, casuúmque conscientiæ explicationem pertinent: itá vt ijs, ob sacerdotum paucitatem, necessariámque causam, aliquando curatio aliqua spiritualis, pro loci ratione, præsertim ad tempus cõmitti possit.

7 In inferiori classe reliqui ascribantur, quorum nulla ratio omninò haberi debeat in curatione animarum committenda, sacramentique ministrandi facultate, neque in sermonibus ad populum habendis.

De parochijs, & parochialibus iuribus, & officijs.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium parochiale obtinens quod iuramentum præstet.*

2 *Fidei professionem emittat. De profess. fid. 5.*

3 *In parochiali resideat, etiam si canonicus sit.*

4 *Etiam si parochialis ab inferiore, & regulari collata sit.*

Coadiutor, quoque 8 & 23.

Eorum substituti, 9. 10.

5 *In ædibus ecclesiasticis habitantes, & seq. ac. 23. & 25.*

1 QVicunque parochiali ecclesiæ præficiendus erit, is primum Episcopo, vt iam in nonnullis huius prouinciæ Ecclesijs consuetudo est, iuret, se sanctæ Sedi Apostolicæ, & Episcopo, eiúsque item successoribus obedientem fore. Tertium, de parochis, §. eod.

Tum prætereà se, ad Tridentini Concilij præscriptam rationem, residentem in æcclesia futurum, quam obtinuerit,

2 Tum iura etiam illius ecclesiæ, se pro viribus conseruaturum, ac defensurum esse.

Bona denique eiusdem se absque legitima auctoritate non alienaturum, quæ verò antea ab ijs, qui illius curam gesserunt, iniustè, vel vendita, vel alio quouis modo alienata sunt, ea quantum in se est, recuperaturum.

3. Ibidem. 3 Quicumque canonicus, parochialem Ecclesiam obtinet, etiamsi vnionis iure, non quidem perpetuò, sed tantum dum ipse viuit, canonicatui, vel præbendæ, quam obtinet, coniunctam teneat: in ea tamẽ parochiali Ecclesia, vt Summi Pontificis Pij V. constitutione sancitum est, resideat; nullique parochiali muneri desit.

5. de Residentia, 5. eod. 4 Episcopi cura sit, iure agere, vt cui parochialis Ecclesia, intra diœcesis suæ fines posita, ab alio inferiore, etiam regulari, qui illius conferendæ ius habet, collata est, is in illius statione resideat, personalisque residentiæ munera præstet. Nec verò id ad illum inferiorem, qui contulit, spectat.

1. de Cler. ædibus. 5 Rectores parochialium, seu curatarum ecclesiarum, quicumque sint, in earum ædibus tantum habitent; ibique cibum, & somnum capiant: nisi aliud Episcopus censuerit ex causa necessaria.

4. de parochiis, &c. 6 Vsu compertum est, non sine magno detrimento salutis animarum gubernatores parochos, dum alia munera quæstus cupiditate, aliave causa ducti suscipiunt, exercentve, multiplicem illam, & assiduam, quam animabus sibi commissis debent, sollicitudinem, parochialésque curas, & officia sæpè intermittere, interdúque etiam plane deserere, aut certè ita aliquando distrahi, & auocari, impedirive, vt illa nempè suo tempore, neque qua debent, ratione, & cura præstent, ac festis præsertim, alijsque diebus, quas maximè horas, & in cõfessionibus audiendis, & in sacræ Eucharistiæ Sacramento ministrando, & in eorum Sacramẽtorum frequenti vsu non instituendo, aut conseruando solũ, sed etiam augendo, & in pascendis verbo Dei fidelibus, & in frequenti sacrificij Missæ oblatione, & in vesperarum officio canendo, & in Christianorum rudimentorum doctrina tradenda, & in componendis controuersijs, conciliandisque suorum populorum inter se animis, & in alijs denique parochialis curæ officijs, ijs opportuno tempore præstandis, ponere deberent, eas horas ob quæstus studium, aliamve causam traducere, vel ad diuina officia, canonicasve horarias preces in alia Ecclesia, in qua præsertim iam canonici sunt, obeundas, vel ad musici partes, officiumque gerendum, vel ad litterarum ludum exercendũ, ac ad disciplinas etiã profanas pueris, adolescentibusue tradendas. Quamobrem hæc decernimus.

Qui dignitatem, vel canonicatum habet, & parochus etiam est, aut alia quacumque ratione animarum curatione astrictus est, si in ædibus parochialibus non habitarit, ibi cibum, somnúmque capiendo, vt de parochis superioribus Cõcilijs prouincialibus, & in hoc etiam decretũ est, aut si officijs suprà descriptis, alijsve, quæ tamquam animarum curator parochúsque in Ecclesia parochiali præstare debet, obeundis aliquo modo defuerit, aut ea non statis, & ab Episcopo præscriptis horis, aut non illa, qua cæteri parochi debent, ratione omnino præstiterit: Episcopi arbitratu, & pœnis parocho iam constitutis, & grauioribus mulctetur, puniaturve ex præscripto etiam sanctionis à Pio V. Pont. Max. eo de genere, octauo Idus Iulij 1568. editæ.

Sess. 6. c. 2. Sess. 7. c. 3. 7 Parochialis curæ munera, atque officia non per alios, sed ipsimet parochi, animarumve curatores obeant, ac præstent, nisi sint qui aliquando iusta causa ab Episcopo approbata; impediantur, aut etiam prohibeantur. Si quis non paruerit, tum fructibus beneficij mulctetur, pro rata temporis, & officij sui prætermissi, tum alijs etiam pœnis plectatur, arbitratu Episcopi. c. Quia nõnulli, de cler. non residen. Const. Pii V. cupientes, de Constitutionibus, nu. 19. Sess. 21. c. 1. de Refor.

8 Sacerdotes capellani, alijve, quocumque nomine nuncupati, etiam canonici Ecclesiæ Cathedralis, collegiatæve, qui vel institutione, vel consuetudine, vel alio iure, parochum, aliumve animarum curatorem in eo curationis munere adiuuare debẽt, ab Episcopo in illius Ecclesiæ, vbi eiusmodi cura geritur, statione manere, resideréque ac sua munera per se obire cogantur.

9 Quòd si per aliquam causam, parochis, aut ijs capellanis aliquando in debito Ecclesiæ munere præstãdo, aliorum opera vti liceat, hoc eodem residentiæ personalis iure æquè illi adstringãtur, qui in eorum locum substituti, ei parochiali, alijve eiusmodi Ecclesiæ vicariam operam, ministeriumve præstare debent.

10 Nec verò eorum quemquam facilius, quàm ipsos parochos, rectoresve ab Ecclesiæ cura, stationéque parochiali abesse, neque rursus vlli suo muneri deesse Episcopus patiatur, cùm hi quoque eadem residentiæ, & muneris sui præstandi lege astricti teneantur.

11 Ne item parochus, vel alius quivis sacerdos, qui animarum curam quouis nomine gerit, cantoris, aut musici munus, partesve in Ecclesia Cathedrali, nec verò in alia suscipiat, exerceatve, nisi aliud ob causam Episcopus iudicauerit.

12 Neque præterea literarum ludum domi suæ, aliove loco aperiat, exerceatve, nisi ob parochi inopiam aliquãdo aliud Episcopus scripto concesserit: qui tamen hoc munus extra parochiæ suæ fines exercendi, nullo modo facultatẽ det.

13 Neque pueros, sibi in disciplinam traditos, certa pacta mercede, domi suæ vllo modo suscipiat, atque alat. At clericos, qui sibi adiumento sint, litteris, disciplináque ecclesiastica erudire curet, item pauperes aliquos parochialis curæ suæ pueros, qui ad idem aspirent, quive aliam nullam facultatem prima ipsa litterarum rudimenta percipiendi habent, si eius rei potestatem, scripto exaratam, ab Episcopo habuerit.

14 15. 16 Neve ad Seminarij quidem curam, vel ad Vicarij munus, vel ad sanctæ etiam Inquisitionis officium, nec verò ad aliud quicquã opera sacerdotis curam animarum gerentis, Episcopus ita vtatur, vt ab Ecclesia, beneficiove, in eius curam tradito, diutius absit, ac muneri debitæ residentiæ personalis desit. 5. de Residentia.

17 Ne parochus, animarumve curator ob senectutem, aut ob aduersã valetudinem, cœlive grauitatem, ab eo residentiæ munere excusetur. Si verò eius inualetudo id generis est, quæ curari possit: atque eo loci, vbi ecclesia parochialis sita est, non datur, nec aliunde facultas medici, & medicamentorum, tunc parocho ex infirma illa valetudine laboranti, Episcopus curationis causa facultatem dare possit, qua liceat ei tribus, quatuorve mensibus ad summũ, loco propinquiori, in quo eiusmodi necessaria nõ desint, manere, vbi valetudinem curet. Intereà ad illius Ecclesiæ parochialis curam gerendam Vicarium Episcopus constituat, parochi sũptu,

18 Nec prætereà simultatis, odijve solum causa parochum ab ecclesiæ parochialis statione, locove abesse permittat, ac ne inimicitiarum quidem, quæ vel leues, vel fictæ sint, causa, prætextuve. Si verò vnquam graues illæ erunt, ac veræ, ortæque postquam parochialis curæ munus obit, idque sine culpa parochi, permittere Episcopus poterit illum inde abesse, locóque propinquo, vbi tuto sit, morari, eo solum tempore inimicitiarum, non tamen vltra annũ, etiã si diuturniores anno sint inimicitiæ.

Sess. 21. c. 1. de Refor. 19 Cùm antea iure canonum, tum nuper Concilij Tridentini decretis, & Synodorum prouincialium constitutionibus iussum est, vnumquemque parochum animarumve curatorem in ecclesia sibi commissa, Dominicis, aliisque præcipuè festis diebus stata hora Missæ sacrificium celebrare; Sacramentorum administratione, verbique Dei prædicatione populum pascere: doctrinæ Christianæ rudimenta docere, vespertinas preces, aliáque diuina officia canere, vel recitare, publicam sæpè orationem, ac processiones varias cum populo suo obire, pacẽ conciliare, controuersias componere, pauperũ, & egentium, miserabiliúmque hominum curam paternam gerere, aliáque munera studiosè, & accuratè, agere, quæ cum parochialis officij ratione coniuncta sunt; tum illis diebus maximè, in quibus populus artibus, operibus, & negotijs mundanis non est distentus, occupatusve, facilius, ac fructuosius præstare possunt. (11. q. 3. gloria Episc. 43. dist. sicut.) Quæ omnia, prout cautum est, & quemadmodum certè oportet, constituto tempore is parochus exequi nullo modo potest, qui non sine animarum sibi commissarum detrimento constitutis illis horis parochiali ecclesiæ non inseruit; sed ea relicta ad ecclesiam Cathedralem, vel collegiatam, vbi canonicatum, aut aliud residentiæ beneficium iam obtinet, frequenter nimis accurrit, non sine ea auaritiæ suspicione, & cupiditatis illarũ distributionũ, quas capiet; propterea quod ibi in diuinis officiis, Missáque solenni præsens adsit festo præsertim die quo pluribus in ecclesijs, vel duplicatæ, vel certè maiores, quàm alijs diebus dari solent. Quamobrem hoc decreto Episcopos id monemus, ne quem, parochum, animarumve curatorem, qui in Cathedrali, collegiatave ecclesia dignitatẽ, aut canonicatũ habeat, aliudve beneficium, aut officiũ, cui personalis in choro residentiæ onus iniunctum sit, deinceps, dominicis, festisve diebus, ecclesiæ commissæ statione relicta, in choro illius Cathedralis, collegiatæve præsentem adesse, distributionúmque quotidianarum participem vllo modo, pactove fieri patiantur: sed parochiali ecclesiæ, statis horis, operam, curam, muneráque suscepti parochialis officij vsque adeò præstare cogant, vt ei nulla stata hora desit, nullúmque officium omnino prætermittat, suæ curæ, sollicitudinique commissum.

20 Ecclesia parochialis, si eo loco sita est, vbi minor pars hominũ parochialiũ habitet, multóque plures illi sint, qui extrà vrbis, municipij, locive mœnia, vbi illa est, domiciliũ habeant; eo tamẽ loco parochus in statione parochiali maneat, vbi ecclesia est. Parochialibus verò, qui lõgius absint, Episcopi officio, & auctoritate succurratur ad Concilij Tridentini præscriptum.

21 Si quis parochus, etiam vrbanus, parochiale domicilium non habet, vbi habitet: intra illius fines domum conducat, quàm proximè potest ecclesiæ, cuius curationi præest; si intrà fines domus non est, quam conducere possit, extrà, vbi propius ecclesiæ potest; conducat: idque iudicio Episcopi. 3. de parochis.

22 Quod Concilio Prouinciali tertio de ædibus parocho, parochiale domicilium nullum habenti, conducendis, decretum est; idem etiam de socij, adiutorisve, ad munus parochiale ob quamvis causam ei adiuncti, dative habitatione decernimus, & constituimus. 4. de parochiis.

23 Episcopus verò cùm ijs, quibuscum oportet, omni iure agat, vt ædes ecclesiæ parochiali, quàm maximè potest vicinas, & parocho, & coadiutori, quamprimum illi tradat, aut si ita opus esse censuerit, ædificent: intereáque domicilij conducti pensionem, sumptumve vni, & alteri item suppeditent.

Parochum autem, qui quacumque de causa parochialis curationis socium, vel adiutorem habet, tum ipsum, tum illum item in habitatione parochiali manere, ac residere cogat, & fructuum mulcta, & alijs prætereà pœnis, arbitratu suo irrogandis.

24 Parochus, cui ob imperitiam, aliamve ob causam sacerdos alius socius, coadiutor adiunctus est ad parochialem curam gerendam, ipse etiam in propria ecclesia residens adsit, & officia, quorum munus eis interdictum non sit, gregi sibi commisso is etiam præstet. 3. de parochis, §. eod. Sess. 21. c. 6.

25 Si verò præ domicilij parochialis angustia vnus, & alter item illius habitatione vti, episcopi iudicio, nullo modo potest, tum eorum alterum, quem ipse Episcopus, proposita sibi maiori illarum animarum, vtilitate, delegerit, in domo parochiali, alterum in domicilio proximè conducto, aut tradito habitare, residereve Episcopus iubeat, cuius sit efficere, vt id omne, & de domo eorum alteri tradenda, ædificandave, & de ea interim conducenda, planè à quibus debet, præstetur. 4. de parochiis, &c.

26 Parochiarum distinctio, quæ familiis, non certis finibus, facta est; & parochis ad Sacramentorum administrationem, & populo ad illorum susceptionem magnum incommodum afferre solet. Quare Episcopi, sublata intrà sex menses diuisione parochiarũ per familias facta, eas certis limitibus, terminisque describant. 1. de iis, quę ad Sacram. adm. gen. pert. Ses. 24. c. 13

27 Qua in ecclesia duo, plu resve parochi in animarum cura gerenda constituti sunt, cùm ex parochialibus, vel portionibus, vel functionibus, quas præstare debent, sæpe inter eos rixæ, contentiones, ac dissidia, & spiritualia populis damna existant; indéque populis offensionum exempla, scandaláque afferantur; Episcopus, vt huic rei, à parochiali cura alienæ, & parochorum disciplina indignæ, occurrat, certos parochialis viciniæ limites pro illorum numero, ædibus, aut vijs perpetuò distinguat; quos ita distinctos in curam eorum vnicuique pro limitum distinctione tradat, ita vt intra suos quisque fines parochialem curam gerat. 4. Ibidem. Ses. 24. c. 13 ver. in iis.

28 Si quę verò parochialia officia in illa ecclesia obiri oportet: quorũ officiorũ fũctiones rectè diuidi nõ posse, aut nõ expedire cẽsuerit, illa ab iis singulis æquè, cõmuniterve præstari decernat.

29 Distributa autem parochialis curæ officia, si eorum vnus, aut impeditus est, aut adiutore, adiumentove ob fidelium, qui suæ curæ sunt, multitudinem, aliamve ob causam opus habeat, ab altero, alijsve sine vlla mora, exceptione excusationeve, prout Episcopus, vel statuerit, vel iusserit, obeantur item, ac præstentur.

30. 31 Vbi verò ea perpetuæ parochialis curæ partitione minus salutariter prospectum, consultúmque fore idem censuerit; eorum vnum, morum grauitate, curæque gerendæ peritia, atque vsu præstantem, alteri, alijsve præficiat. Emolumenta item extraordinaria, aliáque id generis, vnde discordiarū semen in illis existit, in vnum, vt nonnullis locis moris est, collata, certo stato tempore inter eos diuidi iubeat, aut aliqua denique ratione, quàm potiorem duxerit, obuiam eat istorum, & discordiæ, & negligentiæ, qua fit, vt alter in alterum sæpe parochialis muneris curam reijciat.

32 Nec verò vllo vmquàm modo patiatur, permittatuè, illos certa quadam hebdomadarum partitione, aliave ratione inter se inita, munus Missæ sacrificii in parochiali ecclesia faciendi, aut reliquas parochialis officij functiones, quæ ab vtroque etiam diebus eisdem vtiliter præstari possunt, ita inter se diuidere, vt ab vno tantum eorum, alternatim scilicet, vel per hebdomadas, vel alia temporis vicissitudine præstentur. Non enim ferendum est, vt cui Ecclesiæ parochiali complurium sacerdotum, ministrorumve stipendia, alimentave olim attributa sunt, quo diligentius, & cautius illorum copia tum diuinorum officiorum cultui, tum alijs ministerijs, ad spiritualem populi curam necessarijs, opportunisve consultum esset; illi, aut auaritiæ studio, aut dissidio, negligentiave ducti, vel onus sibi impositum minoris, quàm par est, æstimantes, perinde ei ecclesiæ deseruiant, ac si non plures, sed vnus tantum parochus, animarumve curator constitutus in illa esset.

1. de iis, quę ad Sacramentorum admin. gen. pert. Seß. 21. c. 4. 1. ibidem.

33 Quod præterea Tridentina eadem Synodo decretum est, vt ecclesiarum rectoribus tot sacerdotes adiungantur, quot, & ad Sacramenta parochianis administranda, & ad diuinum cultum satis esse possunt, id Episcopi omni diligentia exequantur.

34 Quæ parochiales ecclesiæ partem habent sui populi extra mœnia vrbium, vel oppidorum, vel alibi, quo fiat, vt parochus, præsertim nocturno tempore, illis hominibus Sacramenta commodè administrare non possit; in illis Episcopi, aut eam partem commodiori parochiæ vniant, aut etiam inuitis Rectoribus, & Constitutione Alexandri III. & decreto Concilij Tridentini, nouas constituant parochias.

Seß. 21. c. 4. ver. in iis verò. 6. de parocho & parochiis.

35 Quibus locis, ex Concilii Tridentini præscripto parochias nouas institui, erigive liceat; Episcopus etiam in parochijs, quæ Regularium quouis modo sunt, illas constituat, certa fructuum portione attributa, ad præscriptum Constitutionis Pij V. Pontificis.

1. vt supra.

Seß. 21. c. 4.

36 Illis autem sacerdotibus, qui de nouo erunt ecclesiis recenter erectis præficiendi, congruens assignetur portio, arbitrio Episcopi, ex fructibus ad ecclesiam matricem, quomodocumque pertinentibus, & si necesse erit, compellant populum ad ea subministranda, quæ sufficiant ad vitam noui Rectoris sustentandam.

37 Quæ ecclesiæ vel cathedrales, vel collegiatæ peculiarem parochiam habent, neque eius parochiæ curatio ad certas personas ex officio pertinet, in iis curet Episcopus, vt quibus ea ipsa cura committetur, certum stipendium, aut emolumentum ad eorum vitam honestè sustentandam, ipsius Episcopi arbitrio, à Capitulo, vel ab iis, ad quos spectat, attribuatur. 1. tit. 1. dec. 8.

38 Illud Episcopus sollicitudinis studio exequatur, vt quibus ecclesijs parochialibus, inopia laborantibus, nulla adhuc ratione satis suppeditatum est adiumenti; iis, aut beneficiorum ecclesiasticorum adiunctione, vnioneve, aut primitiarum, decimarumve attributione, aut parochialis viciniæ incolarum symbolis, collectisve, aut alia, quæ sibi videbitur, commodiori ratione omnino succurratur, ad Concilij Tridentini præscriptum. 4. de parochiis, &c. Seß. 21. c. 4 Seß. 24. c. 13

39 Cùm Ecclesiæ alicuius parochialis, eiúsque Rectoris necessitati Episcopus primitiarum, decimarúmque assignatione, aut parochialium symbolis, collectisve prouidendum esse ex decreto Tridentino censuerit, ad id præstandum illos ad eiusdem Tridentini, & Prouincialis decreti præscriptū compellat, propositis arbitratu suo pœnis, atque etiam interdicto generali, præsertim vbi ipsi parochiales id præstare promiserint, spoponderintve. 6. de parocho, &c. Seß. 21. c 7

40 Ecclesia parochialis, ne deinceps cuipiam per sex menses commendetur, sed vel titulo conferatur, vel, si iurispatronatus est præsentatus, electusve, qui ad illius curam gerendam idoneus, disquisitione de more facta, repertus est, ad Concilij Tridētini præscriptū instituatur. 4. de benefic. collat, &c.

41 Intereà verò dum vacat, ex eiusdem Concilij decreto, Vicari⁹ cōstituatur, qui illā regat. cap. nemo, de elec. in 6 Seß. 24. c. 18

42 Curandum est omni diligentia, vt salutarem fructum capiat fidelis populus ex laboribus, & officijs, quæ à parocho diebus Dominicis, & festis inter Missarum solennia, aut diuina officia, vel alia quacumque occasione præstari, etiam ex Tridentino Concilio debent. Quamobrem Concilij etiam Tridentini auctoritate, vt in ecclesiam parochialem frequenter, saltem Dominicis, & maioribus festis diebus fideles conueniant, Episcopus eos, quorum pastoralem curam gerit, diligenter, ac sæpius moneat; litteras propterea eo de genere ab eodem Episcopo edendas, ac etiam instructiones, nostra cura, ad communem prouinciæ vsum conficiendas, sæpè populo, prout vsu venerit, parochus de scripto recitabit. 4. quę pert. ad Missæ Sacr. Seß. 22. de obser. & euit. in celeb. Missæ.

Et canonum ratio, & disciplina Ecclesiastica id maximè postulat, vt ad ecclesiam parochialē fideles quàm frequentissimè conueniant, id quod ab Episcopis accuratè eos moneri œcumenica Synodus Tridentina, piè, salutaritérque decreuit. Eius decreti auctoritate, vt pro eo, quòd debemus, planè obtemperemus, in vsúmque prouinciæ nostræ inducamus, quod bene agendi rationibus, vsuique optimè consultum esse animaduertimus; litteras monitionis eo de genere infrà explicatas hoc Prouinciali Cōcilio sexto edimus, quas in omni parochiali totius Prouinciæ nostræ Ecclesia certis festis diebus, quos pro suæ diœcesis ratione Episcopus præstituerit, de more promulgari decernimus; quò di- 6. De Parocho, &c.

ligentius parochiales admoniti, cum officij religiosi partes facilè intellexerint, quas suæ quique ecclesiæ parochiali debent, incitata quadã voluntatis propensione exequantur, quod de Sacrosancti illius Concilij sententia eos salutariter, & quàm sæpissimè monitos esse volumus. Id verò non hac nostra solùm Prouinciali cohortatione, monitionéque contenti, prouinciæ nostræ Episcopi præstandum curent; sed omni alia præcipua pastoralis curæ ratione, quam eius rei vsui accommodatiorem, potiorémque esse censuerint.

Porrò monitionis huius nostræ litteras, quò faciliùs, planiúsque populus intelligat, indéque partes officij sui, non solum cognoscat, sed rectè exequatur, eas in vulgarem etiam sermonem totas de verbo ad verbum conuerti, vel summatim vulgariter explicari, & ita fidelibus enunciari, iidem curent, prout diœcesis suæ rationibus magis expedire viderint.

6. Formula lit. Monit. de Conc. ad par. Eccl. c. Vt Dominicis, de paroch.

43 Fuit olim tanti apud antiquos patres ille frequens in Ecclesiam propriam parochialem fidelium conuentus, vt ad hanc disciplinã populi Christiani institutioni valde accommodatam retinendam, certis Decretis, cautio aliqua adhibita sit. Primò enim hoc iussum est, vt Dominicis, festisque diebus parochi antequã Missam celebrẽt, Plebem interrogent, an alterius parochiæ fidelis adsit, qui proprio contempto presbytero ibi Missam audire velit, quẽ si inuenerint, statim inde eijciãt, & in parochialẽ suam Ecclesiam ad Missam audiendam redire compellant. Deinde illud planè vetitum fuit, alienæ parochiæ fidelem à parocho ad Missam non recipi, nisi in itinere fuerit, & placitum ibi habuerit. Cuius veteris disciplinæ restituendæ in vsumque reuocandæ desiderio flagrans olim Sũmus Pont. Vrbanus VI eo de genere Apostolica sanctione diligentissimè cauit: & nuper sacra Tridentina Synodus œcumenica ab Episcopis fideles non solum hoc moneri voluit, vt frequenter ad proprias parochiales ecclesias saltẽ Dominicis diebus, festisque maioribus accedant: sed illud etiam diligenter ostendit, vnumquemque teneri, vbi cõmodè fieri potest, Parochiæ suæ interesse ad audiendum verbum Dei, ac proinde id præterea statuit à Parochis, animarúve curatoribus inter Missarũ solẽnia aliquid ex ijs, quæ in Missa leguntur, exponi, & sanctissimi illius sacrificij mysteriũ aliquod explanari, plebes sibi commissas salutaribus verbis pasci, easdémque doceri, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, in lege Domini erudiri, & sacra eloquia illis explanari, tum in vnaquaque ecclesia parochiali pueros fidei rudimẽtis instrui. His igitur eiusdẽ Tridentinæ Synodi decretis, & veteri salutari exẽplo adducti cùm populum Vrbis, Diœcesis, Prouinciæque Mediolanensis nostræ, rebus ad salutem necessariis instructum per bona opera ad præmiũ sempiternum perducere summopere in Domino cupiamus, hac nostra monitione eos vniuersos, & singulos cohortamur, ac per viscera misericordiæ Iesu Christi obsecramus, atque obtestamur, vt quamuis in suis vicinijs, oppidis, & suburbijs, oratoria, capellas, aliasve ecclesias habeant, vbi sanctissimo Missæ sacrificio interesse possint, frequenter tamen Dominicis saltem, alijsque solennibus festis diebus ad suã quique parochialem ecclesiam conueniant: vbi à parocho, cui eorum cura commissa est, verbo Dei pascantur, fidei Christianæ rudimentis, alijsque animarum saluti necessarijs præceptis erudiantur, ad sanctissima Sacramenta religiosius percipienda instruantur, ad eorundéque frequentem vsum, vt illa sacra Synodus optat, paternis eius cohortationibus, in dies magis inflammentur; tum ab eodem item audiant, qui dies festi, si qui in hebdomadam inciderint, colendi, quæ vigiliæ, ieiuniáque seruanda sint, discant ab ipso; item quæ Christianæ pietatis officia in illis religiosè colendis præstari oporteat: ac quæ præterea supplicationes, processionesve, aut stationes, orationes, indulgentiæ, iubilea indicantur, quæ matrimoniorum denunciationes fiant, quæ item pro ratione temporum admonitu, iussuve Episcopali ad diligentiorem eorum institutionem promulgentur. His, atque adeò alijs fructibus, qui ex paternis parochi, vel in cohortando, vel in monendo officiis existunt, eos carere continget, qui ad Missam ijs diebus in suam parochialem Ecclesiam non conueniunt. Immò verò, quòd hoc audiendæ illis diebus Missæ parochialis munus à fidelibus minus diligenter præstatur, & à quibusdam planè negligitur, multa incommoda inde existunt. Hinc in plerisque sæpè fidei articulorum, & Dei, sanctæque matris Ecclesiæ præceptorum, quæ ad salutem consequendam Christianum hominem nosse oportet imperitia, festorum dierum cultus neglectus, debita Christianæ pietatis opera non exculta, non cognita Christiana familiarum institutio, languescens sacerdotum parochorum omne officium, eorum aliquis contemptus, sanctissimorum institutorum, & sacrorum canonum violatus vsus: hinc denique in Ecclesijs parochialibus, quæ à maioribus tanto pietatis studio ædificatæ sunt instaurandis, ornandis, sarctis, tectisque habendis cura, multis ex partibus neglecta, in illisque nulla, aut penè exigua Ecclesiastica ad diuina officia obeunda necessaria suppellex. His tot, tantisque malis, atque incõmodis vnusquisque occurrere studeat, id diligenter exequendo, quod sanctorum patrum suadet auctoritas, quod Tridentina Synodus moneri iubet, quod ex illius iussu nos de vniuscuiusque vestrum salute solliciti paternis vocibus cohortamur, & monemus in Domino.

9. q. 2. c. in dominicis.

Sess. 22. de obser. &c.

Sess. 22. c. 8

Nec verò quemquã aliquod, vel ex parochialis ecclesiæ aliqua distantia, vel ex pluuia, frigore, æstu, temporumve vicissitudine incommodum ab hoc officio deterreat: Immò verò ad illud diligentius exequendum, prout in Domino confidimus, se quisque eorum accendat necesse est, qui salutis suæ memores huius rei grauitatẽ, eorũ, quæ cõmemorata sunt, ratione perpendent, quique aliquando secum animo reputabunt non solum parochialem ecclesiã sibi datã esse, in qua primũ baptismo suscepto Christo Domino renati, aliisque Sacramẽtis aluntur ad perpetuam salutẽ; sed parochũ etiã sacerdotem sibi loco parentis esse debere, quem diligant, colãt, atque obseruẽt: hoc sibi proponẽtes illum pro fidelibus sibi commissis apud Deum internunciũ, ac deprecatorem esse, diuinæ legis

interpretē, dispensatorē mysteriorum Dei, Christianæ vitæ, & morum disciplinæ magistrum, à quo omne petant piè, rectéque agendi consiliū, ac denique ministrum fore omniū quæ ad salutem eis necessaria sunt. Huic autem nostræ monitioni etsi omnes pro præcipua suæ salutis cura audientes esse debent, in primis tamen patresfamilias, tutores, ludi magistros, cæterósque aliorum moderationi, curationiue præfectos cohortamur, diuináque contestatione admonemus, vt de sua, & aliorum, quorum curam gerunt salute solliciti, primū ipsi hæc paterna monita amplectantur, tùm illos etiā crebris cohortationibus, ad illa exequenda inflāment: idque curent, vt non solum Missæ, & diuinorum officiorum tēpore illi in parochialem ecclesiā conueniant, verùm etiam, vt institutas, in ea doctrinæ Christianæ scholas, statis illis diebus frequentent,

3. de parochis. 44 Parochus ne vllum testificationis genus è libris suis parochialibus descriptum, cuiquam tradat, nisi Episcopi concessu.

Id verò nisi scriptum aliquod sit, quo, petenti testificatio fiat de eius ætate, vel natalibus.

45 Dominicis diebus, parochus non solum festos dies populo denunciet, sed etiā illum sæpè doceat, quæ officia, tum in illis, tum in eorum vigiliis colendi, ab eo religiosè præstari oporteat. Eidem prætereà significet, atque indicat Stationes, & Indulgentias, quæ Episcopi iussu promulgandæ erunt, & publicam, si quæ aliquando, ob aliquam causam indicta est, orationem, & processiones, & officia mortuorum in sua parochiali Ecclesia obeunda, si quæ eiusmodi in eam hebdomadam inciderint, vt fideles parochi sui voce moniti, aut illis intersint, aut si minus possunt, facta sanctorum illorum officiorum significatione campanarum sono, cùm iam ante commoniti intelligant, quæ precationes, quæve officia in Ecclesia fiant, ipsi etiam quamuis absint, vel domi, vel alio loco, vbicúmque sint, piè Deum precentur.

6. quæ ad funera pert. In omni Ecclesia Cathedrali, & Parochiali singulis Dominicis, anniuersaria, quæ in hebdomadam proximè sequentem, in ea Ecclesia celebranda erunt, fidelibus denuncietur. Idem de septimo, & trigesimo, & alio eiusmodi officio præstetur: qua in denunciatione, parochus cohortatione illos excitet ad orādum pro mortuis, proposita etiam humanæ vitæ conditione.

3. vt suprà. 46 Et quoniam præcipit Apostolus, vt fiant omnium primum obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate, Ideò parochus, fideles ijs ipsis Dominicis diebus hoc moneat, vt antequam, ab Ecclesia discedant, pro omnibus infrà descriptis, ter orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam sanctè precando dicant.

Pro fidei Christianæ, & sanctæ Ecclesiæ propagatione, & pro summo Pontifice Romano.

Pro Episcopo suo, & reliquis pastorib' animarū.

Pro Principibus, & Magistratibus.

Pro peccatoribus, vt flagitiorum suorum pœnitentes, à Deo veniam petant, & à malè agendo auersi, ambulent in via Domini.

Vt hæretici redeuntes ad sanitatem Catholicæ Ecclesiæ præceptis erudiantur.

Vt infideles ab impietatis errore liberentur, Christi Domini fidem amplectantur.

Pro defunctis, præsertim quorum corpora in illa parochiali ecclesia quiescunt, vt à pœnis Purgatorij liberentur.

Tum prætereà, si quod malum, vel calamitas impendet, itidem fiat.

Tum denique si quid est, quod vel Episcopi admonitu, iussu e, vel suæ parochiæ hominum, aliquo incommodo laborantium, rogatu, vel alia eiusmodi causa, tunc maximè sanctis orationibus opus esse animaduerterit.

47 Parochus in sua quisque parochiali Ecclesia singulis festis diebus stata hora vesperarum officium peragat: idque ea ratione, vt si vnum pluresve habeat, quibus adiutoribus vtatur, illis officij psalmos, & preces, vt ritus est, canat; sin minus quempiam adiutorem habet, voce alta, & clara ita recitet, vt ab ijs, qui præsentes in Ecclesia adsunt, exaudiatur.

Id verò caueat, ne quicquam, vel minimum, quod ad statam illius vespertini officij rationem pertineat, vlla causa omittat.

Quibus verò adiutoribus id faciat, vide tit. Quæ ad ord. sacr. pt. num. 98.

48 Tridentini Cōcilii auctoritate Episcopus regulares, ad quos animarū cura, quouis iure pertinet, compellat, vt in ecclesiis, in quibus animarum cura exercenda est, Dominicis, & aliis diebus eodem Concilio præscriptis, sacram concionem habeant: doctrinæ Christianæ pueris rudimenta tradant, tum alia parochorum munera præstent. 3. vt suprà. Sess 5. c. 2. Sess 24. c. 4

49 Cùm nullū pietatis officiū Parochus in eorum, qui fidei, curæque suæ commissi sunt, salute adiuuanda, prætermittere vllo vnquā tempore debeat, tum hoc etiam, audita parochialis cuiuspiam incolæ morte, præstet, vt statim psalmum, De profūdis, sanctè dicat, & omni animi pietate, mentéque supplici, orationem, ad hoc officii genus pertinentem, habeat, vt diues in misericordia sua Deus, illius animæ misereatur, cuius etiam ipse in die iræ rationem est redditurus. Vt verò à fidelibus pro mortuo oratio fiat; idem signum det campanæ sono quo significatur, Aue Maria.

50 Clericus, quem apud se parochus habuerit, eiusmodi sit, vt non solum Missæ inseruire, sed alia etiam omnia præstare possit, quæ veteri canone decreta sunt. 3. de parochis. cap. 3. De vita & hon. cler.

In omni verò parochiali Ecclesia clericum talem parochus habeat, vt est canonum iure, & prouincialib. nostris Conciliis præscriptum, sin autem parochus, præ parochialis ecclesiæ tenui redditu, clericum sibi in altari ministrantem sustentare non potest, neque alii sunt, qui sustentent, populi sit, totam sustentationem, aut partem, quæ deest, subministrare. 4. quę pert. ad Sacr. ord.

51 Cum omni pietatis ratione coniunctum est, diuinarum precum horaria officia, sicut in cæteris, ita in parochialibus ecclesijs solenniter anniuersarijs potissimum solennitatib. concelebrandis, per parochos præstari, cùm & id antiqui instituti fuerit, & populum festis illis, præsertim celebritatib. eò conuenire sancitum sit; & vt idem in vsum reuocetur, per episcopos 4. de paroch.

diligenter fideles moneri sacra Tridentina sanctione semel, atque iterum cautum sit. Quare die Natali Domini, festo item Circumcisionis, qui est octaua, in Epiphania, Pascha Resurrectionis, Pentecoste, & Ascensione, in Annúciatione, & Assumptione B. Mariæ Virginis, die natali sancti Ioannis Baptistæ, Beatorum Apostolorum, Petri, & Pauli, & in solennitate omnium Sanctorum, ac festo die Sancti, Sanctæve cuius nomine ecclesia parochialis nuncupatur, à parocho, & Missæ sacrificium, & Matutinum, reliquáque precum diuina officia, vt in ecclesijs collegiatis fit, solenni ritu fiant, cananturve, in ijs scilicet ecclesijs parochialibus, vbi id decenter præstari posse Episcopus censuerit.

52 Ijs verò ipsis diebus, mox suprà præscriptis, singuli sacerdotes, & reliqui inferioris ordinis clerici, in parochialem ecclesiam, intrà cuius fines habitant, si eo tempore diuinis officijs in alia ecclesia interesse non debent, ad Matutinum, & ad reliqua horaria diuinarum precum officia, Missarúmque solennia celebranda conueniant.

4. de parochiis, &c.

53 Parochi in vrbe, & in oppidis, saltem insignioribus constituti, vt a reliquis sacerdotibus animarum curam non gerentibus, internoscantur, caputium, quod est proprium eorum insigne in humeris ferant, cum domo exeunt, suprà exteriorem vestem cum processiones, aliásque eiusmodi publicas actiones obeunt, suprà superpelliceum, licet tamen Episcopo ab hoc decreto eximere, qui in ecclesijs Cathedralibus dignitatem, canonicatumve item legitimè obtinent, quamdiu illam, illumve retinebunt, non autem si qui deinceps vlla quauis causa, modove obtinuerint.

54 Parochum vrbanum ægrotantem, & is, qui vicinior est parochus, & cleri in illa regione, vbi æger est, Præfectus; diœcesanum verò itidem, & vicinior parochus, & Plebanus, vel Archipresbyter, vel Præpositus in cuius Plebaniæ, aut Archipresbyteratus, Præposituræve finibus ægrotus habitat, statim inuisant, cum eius ægritudinem, morbumve acceperint, tum post crebrò ad eundem veniant, illáque omnia officia præstent, quæ ad animæ salutem ei tum maximè necessaria sunt, sacram Eucharistiã, &, cum opus erit, sacrum extremæ vnctionis oleũ idem Parochus vicinior eidem ministret, & illius morientis animam Deo religiosis precibus commendet. Eius mortui funus vniuersi illius regionis, in qua ille habitarat, Præpositurave, Plebanatus, aut Archipresbyteratus Parochi obeant, nisi foraneus illius regionis Vicarius minorem numerum statuendum censuerit.

2. ti. 2. dec. 25.

Primò item post eius obitum die, eorum vnusquisque pro ipsius animæ salute Missæ sacrificium faciat. Quòd si eo die pro mortuis fieri ex Ecclesiæ instituto vetitum sit; alio proximo die, quo interdictum non sit, omnino fiat.

Decẽ prætereà ad summũ dierum spatio omnes in ecclesiam conueniant, quæ eis a clericorum regionis Præfecto, aut Vicario foraneo præscribetur. Qua in ecclesia pro mortuo Rectore Missam conuentualem solemni ritu celebrent; tùm supplicationibus, & precibus Deum piè, sanctéque orent, vt orbato gregi rectorem dare velit iuxtà cor suum.

Quicumque verò eiusmodi pietatis officia præstiterint, eorum nomine, causave nihil, neque exigant, nec petant.

Is verò cui vacantis ipsius parochialis Ecclesiæ administratio commissa est, fideles illius parochiæ incolas sæpè hortetur, vt omni intima animi pietate à Deo Rectorem precentur, qui illius Ecclesiæ curationem gerere rectè possit.

55 De cura parocho ægrotanti præstanda in ijs, quæ ad salutem animæ pertinent iampridem in altero Concilio prouinciali constitutum est. Et quoniam charitatis officium est, rationẽ etiã haberi curationis corporis, hoc decreto itidem statuimus, vt cùm parochiæ alicuius sacerdos in febrim, morbumve inciderit, si præsertim suorum neminem habet, cuius opera, adiumentove subleuetur, propinquior parochus nullum à se officium desiderari patiatur, quod ad eius valetudinem rectè curandam necessarium fuerit. Atque in primis Vicarium foraneum, si parochus ægrotus in diœcesi est; si in vrbe, Episcopum, de eius ægrotatione certiorem faciat. 6. de Parocho & parochiis.

56 Quò instructiores in suis officijs parochi sint, ob eámque rem diligentiores: cura Metropolitani sit, vt quemadmodum canone Toletano inscribitur, officiorum parochialium liber conficiatur, atque emittatur ad communem parochorum prouincialium vsum. 6. Ibidem.

57 Cùm animarum salutis, vitæque spiritalis curam parochi paternam gerant, illis tamquàm parentibus debetur amor, obseruantia, cultus, atque obedientia. Si igitur hoc ipso honore dignantur, illud certè etiam æquissimum est, atque adeò cum omni ratione coniunctũ, vt cùm primum eorum aliquis ad ecclesiæ sibi in titulum, curamve traditæ, stationem venerit, aliqua externæ obseruantiæ significatione ab ijs suscipiatur, ad quorum parochialem curam accedit. Quare fideles, vbi primum ab Episcopo litteras formatas acceperint de parocho, qui parochiali eorum ecclesiæ præfectus fuerit, diem certum statuant, quo ei aduentanti frequentes ad parochiæ fines obuiam facti, eundem, vt moris olim fuit, suscipiant, atque ad ecclesiam deducant, perpetua illum dilectione, amore, obedientia, atque obseruantia prosequentes. 5. quæ ad benef. colla. art.

50 Litteræ autem firmatæ, quas Episcopi nomine Cancellarius de parocho conscribat, eiusmodi erunt, quæ à Vicario foraneo, aliove publicè legantur.

Filij dilectissimi. Vestræ isti parochiali ecclesiæ parochus præfectus est, presbyter N. quem ætate, vita, moribus, doctrina, virtutum disciplina, prudentia, aliisque rebus ad istius parochialis curæ bene gerendæ rationẽ opportunis idoneum esse, examine rectè confecto, cognitum est. Vestræ igitur partes sunt, debito honore, ex decreti prouincialis præscripto illum suscipere, neque solum externa quadam obseruantia, sed intimo, atque ex animo illum loco parentis diligere, & colere, præceptisque eius, atque monitis concordi voluntate, libentique animo parere. Quod sanè facere cùm vestra potissimum intersit, tum quò ac curatius faciatis, nos Episcopali nostra auctoritate, paterna charitate vos vniuersos, & singulos monemus. Valete in Domino.

4. de Parochiis, &c.

59 Oblationum institutum iam pridem ab Apostolicis vsque temporibus Apostolico etiam canone sancitum, sanctissimorúmque Pontificum Melchiadis, Fabiani, & Gregorij Constitutionibus, & Conciliorum prætereà decretis communitum, quò grauius his temporibus à fidei, doctrinæque Catholicæ hostibus exagitatur, & languescente pietatis studio, quò magis à fidelibus negligitur; hoc diligentiùs seruari, atque ad executionis vsum, vbi intermissum est, reuocari conuenit, cùm præsertim, & ad diuinum cultum illud pertineat, & populis salutare sit, ad expiandáque peccata vtile. Quare Episcopi in sua quique diœcesi, & suis, & concionatorum sermonibus, & omni alio persuadendi, cohortandique officio, omnique iuris ratione illud, vbi est, retineri; ac vbi negligitur, restitui studiosè ad sacrorum Canonum præscriptum ita curent, vt in solennitatibus scilicet Domini, diebúsque Dominicis, ac festis item, quos coli, aut præcepti, aut consuetudinis est, omnis Christianus aliquid, prout pro sua quisque pietate deuotionéque maluerit, Deo offerre procuret: idque in Ecclesia vel cathedrali, cum ad Missæ sacrificium, quod solenniter celebratur, vel in parochiali cùm à parocho conuenit.

60 Quo in officio seruetur, vt quod antiquæ ecclesiasticæ consuetudinis est, primo mares, deinde fœminæ offerant.

1 quæ pert. ad bonorum, &c.

Cum pro cuiusque ecclesiæ consuetudine populus ad oblationes inuitatur, id grauiter, & modestè faciendum est.

Nec eo vasis, aut sacculi genere pecuniam accipiant, in quo quid quisque dederit, cerni possit, vt fideles pietate adducti, non pudore quodammodo coacti, eleemosynam afferant.

Quæ cum ad subsidium sacerdotum, vel aliorum pauperum, vel ecclesiarum reparationem, & ornatum sit instituta, eam populus liberaliter præbere debet.

4. vt supra.

61 Sacerdoti, Missam celebranti, oblationis accipiendæ causa ab altari paulum se remouere licet: at inde longè discedere, ac per ecclesiam vagari, eámque quasi circuire, nullo modo liceat.

Instruct. sup. eccl. lib. 2. 3. de iis, quæ pert. ad Missæ sacrif.

Ad eum autem vsum parata sint vasa duo, tam in cathedrali, & collegiata, quam parochiali ecclesia.

Ne patena, cum oblatio fit, sed Crux, aut sacra aliqua imago offerentibus, fidelibus, ad osculandum præbeatur.

4. vt supra.

62 Quo gratius autem Deo sit, quod offerunt, ad id præstandum accedant fideles intima animi pietate, spirituali hilaritate, sancta charitate, omnique Christianæ deuotionis testificatione.

63 Offerentium autem, prout sanctæ institutionis est, commemoratio in Missæ sacrificio fiat.

c. obligationes dist. 90. c. quia in omnibus de vsur.

64 Ab ijs verò oblationes nè accipiantur, vt antiquo etiam canone vetitum est, qui scilicet inter se iniquo animo dissidentes, inimicitias exercent, qui vsurarii, meretrices, sacrilegi, raptores, quive alio nomine publicè, notoriéque criminosi sunt.

4. vt supra.

65 Quicquid porrò oblatum erit, præter illorum dierum oblationes, oblationumve partes, quæ ad Episcopos ipsos iure spectant, quæue ad sacerdotes, vel ad Ecclesias, vel ad ecclesiarum fabricas, vel ad scholas, vel ad eiusmodi pia collegia, Episcopali, aut alia legitima authoritate, concessuue propriè, ac expressè iam pertinent, aut in posterum quouismodo, aut iure spectabunt, id omne, si in Ecclesia cathedrali oblatio fit, in illius ecclesiæ, alteriusuè pii loci, aut operis vsum, vt Episcopus iusserit conuertatur, si verò in parochiali, aliave ecclesia offertur, quidquid datum, oblatumve erit, parochi sit, in cuius parochiali, aut in alia ecclesia, intra parochiæ fines sita, oblatio fiet.

66 Capellanis verò, aliisque sacerdotibus, & aliis item, præter cathedralem Ecclesijs, earúmque fabricis, ac scholis, pijsque eiusmodi collegijs, atque aliis quibusuis, ius parochiale non habentibus, oblationes deinceps inter Missæ sacrum accipere, aut exigere omninò interdictum sit: nisi quibus hæc facultas ab Episcopo, aut aliàs legitimè data erit.

67 Si cum parocho de oblationibus diuidendis quisquam pactiones fecerit, vt sibi, aliique sacerdoti liceat oblationes recipere contra quam præscriptum est, hæc pactio irrita sit, ac planè nulla; neque propterea aliter, quàm suprà præscriptum est, oblationes alii exigere, accipereve liceat; tum prætereà parochus ipse, & alius Ecclesiæ rector, & sacerdos item, aliusve, qui pactum inierit, quive pactioni consenserit, grauiter puniantur.

68 Quæcumque deinceps oblationes, siuè pecunia, siue cereis, siue alio eleemosynæ genere in Missæ sacrificio à populo fient, eæ, & fiant, & à Sacerdote accipiantur, dum canitur Antiphona, quæ offertorium appellatur.

Quod si Missa non conuentualis est semper tamen; tum etiam fiat, accipiaturve proximè, antequam hostiæ, & calicis oblatio fiat.

69 Si quid verò aliquando non intra Missarum solennia, sed alio tempore offerri contigerit: curet Episcopus restitui sanctum vsum, & oblationi illi, & offerentibus benedicendi statuta prece, atque oratione in libro sacerdotali, aut rituali præscripta.

70 Qui verò oblaturi sunt, Missæ sacrificio, in quo oblatio fiet, & ab initio piè, deuotéque intersint: nec verò inde abeant; nisi, vbi peracto sacrificio benedictionem sacerdotalem demũ acceperint, quæ in fine Missæ de more fit.

71 Videat Episcopus, vt eleemosynarum, & aliis cuiusvis generis piis oblationibus quæcúmque à populis fiunt, certam rationem præscribat, qua, & mane potius, quàm à prandio fiant: & illæ non popularibus spectaculis, non commessationibus, aut tumultibus, non clamoribus, aut prophanis actionibus, quæve vllam offensionis speciem præbeant, sed precibus, Litanijs, Hymnis, atque ijs pietatis officijs præstentur, quæ decent eiusmodi religiosas actiones, officiave, & quæ respondent veteri sanctitati, ac disciplinæ huius instituti.

72 Ne imagines cereæ, voti causa, ecclesijs, pijsque locis oblatæ venditari vllo modo possint, ac nè confractæ quidem, etiam vetustate temporis, nisi concessu Episcopi, in vsum Ecclesiæ conuertendæ.

Nec verò vllas eiusmodi, vel alterius generis oblationes, vel eleemosynas, antequam illæ perceptæ sint, vendi, locari, aut contractus

vllos, pactionesve etiã secretas eius generis iniri cuiquam, etiam parocho, vllo pacto, modove liceat, pœna graui proposita, Episcopi arbitrio irroganda.

Quæ huic titulo congruere possunt ad parochos pertinentia, videantur in titulo de vita, & hon. cler. De Canonical & paroch. ædibus, & in indice verbo. Parochus.

De Vicariis perpetuis, & Temporalibus coadiutoribusve.

SVMMARIVM.

1 *Stipendium Vicecurato Cathedralis, collegiatæque ecclesiæ attribuendum.*
Stipendij ipsius summa ex decretis Prouincialib. arbitraria. Ibid. & De benef plural. num. 2. & de parochijs. 41.
Ex constitutione vero Pij V. ad aureos quinquaginta redacta. De constit. 51.
2 *Vicarij perpetui in Ecclesijs Monialium Monasteriis annexis constituendi.*
3 *Vicarij temporales ecclesijs parochialibus vacantibus deputandi, qui, & quamercede. De Parochiis. 40. 41. & Conc. Trid. sess. 7 c. 2. sess. 7. c. 5. 7 sess. 21. c. 6. sess. 24. c. 18. sess. 25. c. 16.*

1 QVæ Ecclesiæ, vel cathedrales, vel collegiatæ peculiarem parochiam habēt, neque eius parochiæ curatio ad certas personas ex officio pertinet, in ijs curet Episcopus, vt quibus ea ipsa cura committetur, certum stipendium, aut emolumentum ad eorum vitam honestè sustentandam, ipsius Episcopi arbitrio, à Capitulo, vel ab ijs, ad quos spectat, attribuatur. 2. ti. 1. dec. 8 Sess. c. 7. Sess. 14. c. 9

2 In parochialibus Ecclesijs, quæ Monialium monasterijs annexæ sunt, perpetui Vicarii ex formula Tridentini Concilij præscripta, ab Episcopis constituantur. 1. de Concionat. &c. Monial. Sess. 7. c. 7

De beneficiorum permutatione.

SVMMARIVM.

1 *Permutatio ecclesiarum parochialium quando examen requirit.*

1 IN Ecclesiarum Curatarum permutatione, coram ordinario facienda, nè locum habeat, quod primo prouinciali Concilio decretum est de proponendo edicto examinis causa in vacatione ecclesiarum. Si tamen vel parochialium hominum multitudo valde inæqualis est, vel qui permutant, quo tempore parochiales illas ecclesias adepti sunt, examen præscriptum non subierunt, fiat tunc de illis experimentum examinis, sed absque concursu. 5. quæ ad benef. collat. attin.

Idem examen sine concursu adhibeatur de eo, qui beneficium simplex commutat cum alio, quod curam animarum habeat: si quando eiusmodi permutatio coram ordinario fieri iure potest.

De beneficiorum pluralitate.

SVMMARIVM.

1 *Parochialia beneficia plura obtinentium pœna.*
2 *Fructus ipsorum quibus attribuendi.*
3 *Beneficia quæ incompatibilia.*
4 *Beneficium secundum obtinens, vt puniendus, si primi beneficii censum exegerit.*
5 *Duo beneficia simplicia, quando sine dispensatione Sedis Apostolicæ obtineri possunt.*

1 QVicumque plures parochiales ecclesias retinentes intra tempus à Sacro Tridentino Concilio præstitutum non dimiserunt, eos Episcopi intra duos menses beneficiis omnibus ecclesiasticis iam ipso iure priuatos esse declarent. 1. de Resid. Sess. 7. c. 4. 5 Sess. 14. c. 17.

2 Fructus verò, & quos ex eodem decreto suos facere non potuerunt, & qui deinceps quamdiu vacauerit ecclesia percipientur, fabricæ, vel ornamentis eorundem beneficiorum, vti magis expedire censuerit Episcopus, iam nunc attribuimus, excepta tamen congrua portione, idoneis Vicariis ab episcopo assignanda: quos ipse facta declaratione, statim in illis ecclesijs constituere debebit. c. Ordinarii de off. ord. in 6.

3 Beneficium etiam simplex obtinenti, quod ad vitæ sustentationem satis est, si alterum simplex aut ecclesia etiam parochialis, aliudve beneficium cuiusuis generis conferatur, vbi is alterius beneficii cuiuscúmque generis illud sit, possessionem pacificam adeptus est; aut si per eum steterit, quominus duobus mensibus, quos à die, quo alterum collatum est, præstituimus, illam adipiscatur, primum ipso iure vacare censeatur: cui vacanti prouideatur. Cum ex Tridentini Concilij sententia vnum, & alterum item ab illo simul retineri nullo modo liceat. 4. de benef. collat. & prouis. Sess. 24. c. 17. de Ref.

4 Beneficij quacumque auctoritate deinceps collati, vnde satis ad victum sumitur, possessionem pacificam quis adeptus, si nulla sibi facultate, dispensationeve legitima concessa, beneficij prioris, quod obtinebat, censum exegerit, illius duplum ad Ecclesiæ vsum restituat, tum alia ratione etiam mulctetur, plectaturve Episcopi arbitratu. 4. Ibid.

5 Quod Synodi Tridentinæ auctoritate quarto concilio prouinciali nostro permissum est, simplex beneficium habenti, alterum etiam eiusdem generis, quod personalis residentiæ munus non requirat, ob honestam illius vitæ sustentationem conferri, id ita locum habeat, vt ne tamen eo prætextu, causave vitæ honestæ sustentandæ, plura, quam duo, beneficia simplicia vni, eidemque conferri liceat, sine concessu, permissuve Sedis Apostolicæ. Ses. 24 c. 17 5. quæ ad benef. collat. attin.

De beneficiorum vnionibus.

SVMMARIVM.

Quæ, & quot beneficia Seminario applicanda. De Semin. cler. 9.
Quando illa potius Ecclesiæ parochiali, quàm Seminario vnienda. Ibid num. 10.
Vnio beneficiorum Seminario fieri etiam potest, antequam vacent. Ibid. 9.
Vnionis ipsius vis. Ibidem.
1 *Vniones perpetuæ ab Episcopo recognoscendæ.*
Parochiæ vnius pars, quando alteri parochiæ vnienda.
De Parochijs. 34.

1 quæ pert. ad bon. &c. Sess. 7 c. 6. sess. 24. c. 13 Sess. 25. c. 9

1 EPiscopi intra sex menses vniones perpetuas, etiam ecclesiis iurispatronatus factas, & ipsa patronatus iura, ex præscripto Tridentini Concilij recognoscant: & traditam eiusdem Concilij decretis de illis rationem diligentissimè seruent.

De pensionibus, & pensionariis.

SVMMARIVM.

Pensionis extinguendæ causa, quid seruandum. Quæ ad benef. coll. pert. 9.

Pensionis onere grauatam præbendam obtinens, quid agat, vbi primi anni suæ præbendæ fructus ecclesiæ soluend sint. Ibid. 20.

Pensionarii, ad recitandum officium paruum Beatæ Virg. obligati. De constit. 23.

Pensiones Cancellariis Episcopalibus assignatæ tolluntur. De cancellario 27.

De examine, & Inquisitione in promouendis ad Cathedrales Ecclesias.

SVMMARIVM.

1 *In prouinciali Synodo præscribenda examinis, & inquisitionis formula promouendorum ad cathedrales.*
2 *Formula eiusdem examinis, & Inquisitionis.*
3 *Inquisitio diligens de fide, vita, & moribus, à quo fiat, & à quo de eisdem testificatio fiat. 7.*
4 *De natalibus, etiam ætate, corporis habitu.*
5 *De doctrina item; & quale examen in eo fiat.*
6 *Fidei professionis emissio.*
Formulæ prædictæ à Pio X. confirmatio. De constit. 3.

1. de exam. & Inquis. in promou. ad Cath. Eccl. Sess. 24. c. 1 de Ref. sess. 6. c. 1.

1 QVoniam statuit sancta Tridentina Synodus, vt in prouinciali Synodo forma examinis, seu inquisitionis, aut instructionis natalium, vitæ, ætatis, doctrinæ, atque aliarum omnium qualitatum, quas sacri canones, & ipsa Tridentina Synodus in promouendo ad Episcopatum postulant, præscribatur; nos hanc formulam Sanctissimi Domini nostri arbitrio comprobãdã proponimus.

2 Cum examen de aliquo ad Episcopatum prouinciæ nostræ promouendo, faciendum erit, Episcopus, in cuius diœcesi is maiorem eius anni partem versatus fuerit, mandato à Summo Pontifice accepto, ex quinque probatis, & doctis, ac iuratis, omniquè exceptione maioribus testibus, de eius fide, vita, & moribus cognoscat in hunc modum.

An sit bonæ existimationis

An hæresis nomine, aut schismatis suspectus sit.

An hæreticorum libros legerit habeatve.

An cum hæreticis versatus fuerit, aut eis aliquo modo fauerit.

An statuto ecclesiæ tempore confiteatur, & Eucharistiam sumat, ac Missæ intersit.

An sacris ordinibus sit initiatus, & quãpridẽ.

An sit criminosᵘ, vel vitio, aut infamia notatᵘ.

An cum aliquo inimicitias gerat capitales, & præsertim in loco Episcopatus.

An filios habeat non legitimos, & cuius ætatis, & quot.

An familiã suã prudẽter, & catholicè regat.

An bigamus sit.

An excommunicatus, aut suspensus.

An apostata.

An ei publica pœnitentia imposita fuerit.

4 De Natalibus verò, ætate, gradu, & corporis habitu à duobus, vel tribus testibus fide dignis, vel ex instrumentis publicis hoc modo cognoscat.

An legitimo matrimonio natus sit. ead. sess. 24 c. 1.

An hæretici filius, neposve.

An trigesimum annum confecerit. c. cum in cunctis. de elect.

An in vniuersitate studiorum magister, siue doctor aut licentiatus in Sacra Theologia, vel iure Canonico meritò sit promotus, aut publico alicuius academiæ testimonio idoneus ad alios docendum ostendatur.

Et, si regularis fuerit, an à superioribus suæ religionis similem fidem habeat.

An aliquo vitio, vel insigni deformitate corporis, & in qua parte laboret.

An comitiali morbo teneatur.

5 De doctrina autem sic periculum faciat.

Adhibitis tribus Theologiæ, totidémque iuris Pontificii peritis, quos, si ibi non fuerint, ex vicinioribus locis accersat, promouendum vndecúmque euocatum interroget.

Quid differant inter se sacramenta veteris, & nouæ legis.

Quot sint ecclesiæ sacramenta, & quo modo singula nominentur.

Quæ sit eorum materia, forma, minister.

Quod officium Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, quodve minorum ordinum.

Quæ præcepta diuina, quæve consilia euangelica.

Duos item locos ei proponet interpretandos, alterum veteris, alterum noui testamenti, à mane ad vesperam dato spatio cogitandi.

Quibus interpretatis, percunctantibus etiam aliquid de iure pontificio, ità respondebit, vt etiam si Theologus sit, tamen se iuris canonici in iis, quæ ad Episcopi munus pertineant, non omnino rudem esse ostendat.

6 His confectis, ex formula præscripta à Sanctiss. D. N. coram eodem Episcopo fidei professionem faciat.

7 Quod si promouendus in pluribus ciuitatibus, vel diœcesibus proximum triennium moratus fuerit, eius fidem, vitam, & mores illi etiam Episcopi, in quorum locis sex menses manserit, à Summo Pontifice admoniti, vel ab eo, qui processum confecerit, rogati, suo testimonio comprobent, idque scriptum ad eundem mittant, à quo processus confectus sit.

Is vero acta hæc omnia in publicum instrumentum relata, ad Sanctissimum Romanum Pontificem, obsignata quamprimum mittat.

De loco Episcopalis Cathedræ in Cathedrali Ecclesia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopalis Cathedra, vbi in ecclesia collocanda. Ad illius ornatum, nec pallia, nec alia Altaris indumenta adhibenda. De Missis fine cantu. 41.*

1 SI qua in Cathedrali Ecclesia Episcopalis Cathedra loco depresso est, vel ita collocata, vt in populi conspectu non sit; id curet Episcopus, vt quod & à patribus, & a beatissimo patrono nostro Ambrosio institutum est, & ab Vrbano primo Pontifice Maximo declaratum, illa ponatur conspicuo, & eminentiori loco: vt inde velut è throno speculationis suæ, ipse populum intueatur; rursusque ab eodem conspiciatur. 1. de iis, quæ pert. ad orn. & cult. eccl.

De vita, & honestate Episcoporum, & certis Episcopalibus officijs.

SVMMARIVM.

1 *Vita episcoporum qualis.*
2 *Episcopi dignitatem suam qua ratione retineant.*
3 *A Principibus honorandi.*
4 *Eis clericus maledicens, vt punitur.*
5 *Laicorum nimiam familiaritatem.*
6 *Atque conuiuia vitent.*
7 *Iidem, alijque inferiores qua formula iusiurandum præstent.*
8 *Vestitus eorum qualis.*
9 *Anulum vnum adhibeant. Eoque quando vtantur.* 10.
11 *Mula, equusve episcopalis, vt induendus, quibusque ephippijs, & calcaribus vtatur Episcopus.*
Quot item equos alat, 18.
12 *Rochetum quando, & vbi induat.*
13 *Tunica talaris qualis, & quando cum mozeta, ac Rocheto induenda.* 12.
14 *Vestes priuatæ quales.*
15 *Viatoriæ item quales.*
16 *Quales ieiuniorum diebus, & in ecclesia adhibendæ.* 17.
18 *Supellex episcoporum qualis, qualisque cubiculorum apparatus.*
19 *Domus qualis item: quæque picturæ, & imagines, in ea.*
20 *Mensa qualis: eiusque benedictio ante, & post.* 23.
Qui ad eam non recipiendi. 22.
21 *Lectio in ea, & qualis.*
24 *Familia in regenda episcopi officium, familiaque ipsa quota.*
25 *Familiares quales.*
Clerici familiares, quibus in rebus non occupandi.
26 *Eidem familiæ qui præficiendus.*
Qui etiam deligendus ad deferendum episcopo, quæ emendanda sunt. 36.
27 *Familiares arma non ferant.*
28 *Illorum qui vestitus.*
29 *Reliqua familiæ disciplina.*
30 *Institutio.*
31 *Custodia.*
32 *Visitatio.*
33 *Confessariorum deputatio.*
34 *Aegrotantium cura.*
35 *Familiarium merces.*
36 *Fraternæ correctio instituenda, certæque regulæ præscribendæ de familiæ disciplina.*
Regulæ ipsæ in tabella redactæ, publicè proponendæ.
37 *Episcopi officium, & mores.*
38 *Orandi certa hora ab eo constituenda.*
39 *Orationisque vespertinæ institutum introducendum.*
40 *Preces horarias quomodo recitet, & seq.*
41 *Festis diebus ecclesiæ non desit. Impeditus domi officium opportunè recitet*
43 *Confessarium habeat & qualem.*
44 *Lectio, & studium sacrarum litterarum.*
45 *Audientia qualis.*
46 *Quæ per se, & quæ per Vicarios agat.*
47 *Reliquum tempus, vt ab eo conseruandum.*
48 *Sacerdotes duo ab Episcopo deligendi, qui eum admoneant, quidquid in eo desideratur.*
49 *Episcopus item Prouinciæ aliquis eligendus, cum quo pastorales administrationes communicentur, quod etiam fiat, cum ad Episcopum Prouinciæ diuertitur.* 50. *in fin.*
50 *Episcopi officium erga negligentem coëpiscopum.*
Quod etiam erga familiam suam supra, num. 36.
51 *Cum coëpiscopo, quæ conferat.*
Ea in re episcoporum aliorum exempla.
52 *Hospitalitas ab episcopis in quos exercenda. Quæ pert. ad hon. &c. num.* 40.
Pupillorum, viduarum, & aliorum egentium quam curam gerat. 64. *Et de Causidicis, num.* 8.
53 *Hospitio excipiendis illustribus, & diuitibus, quid ab episcopo seruandum.*
54 *Eleemosynis dandis sit promptus Episc. eleemosynariúmque deputet.*
55 *Episcopus hospes, vt excipiatur, vt etiam accedens ad actionem solennem extra Prouinc.* 62.
56 *Coëpiscopo aliqua difficultate laboranti vt subueniendum.*
57 *Nuncius ab Episcopo mittendus quotannis Romam.*
58 *Nuncij ipsius qualitates.*
59 *Officium Episc. erga Metropolitanum ægrotantem, & defunctum.*
60 *Episcopus ægrotans quid agere debeat cum suo capitulo.*
61 *Quomodo etiam communicet.*
Episcopi officium erga ægrotos, & moribundos. Quæ pert. ad sacr. extr. vnct. num. 24.
63 *Præsertim erga ecclesiasticos quoscumque, & qua ratione.*
64 *Eius cura de annona tempore penuriæ, & de pauperibus.*
65 *Subsidium charitatiuum, quando, & quomodo exigat.*

1 PIe, ac sapienter Sancta Tridentina Synodus, duce Spiritu sancto, Ecclesiæ vtilitati consuluit, cum Episcopis, & reliquo clericorum ordini certas officiorum vias, rationésque præscripsit, quibus intelligerent, se, cum in Dei militiam adscripti sint, non ad commoditates, aut voluptates, sed ad labores, ac sollicitudines vocatos esse, & in iis numerari, quos dedit Deus, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores, & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. 1. de vita, & honest. Episcoporũ, & cler. Sess. 25. c. 1. de refor. Eph. 4.

Quare ipsis diligentissimè prouidendum est, nè à recta viuendi via, & ab officij sui ratione deflectant; neve quidquam præseferant, quod non simplex, castum, integrúmque sit, vt modestiæ, frugalitatis, benignitatis, & quæ nos Deo tantoperè commendat, sanctæ humilitatis, ac virtutum

virtutum omnium cæteris exempla præbeant: est enim vberrima docendi, ac pascendi ratio eorum, qui pietatem, quam profitentur, vitæ integritate,& innocentia comprobant,& quæcumque verbis alios docent, ea factis exprimunt suis, non iam quæ sua sunt, quærentes, sed,quæ Iesu Christi.

Id autem cum omnium clericorum professio requirat, tum maximè Episcoporum dignitas postulat, qui cum sint mundi lumina, religionis, ac pietatis exemplo cæteris prælucere debent: neque committere, vt vlla in parte Dei lucem, in ipsis collocatam propriis tenebris obscurare videantur.

1. Tim. 3. Qua in cogitatione obeundi sui muneris, illam Episcopi perfectam imaginem, digito Dei ab Apostolo descriptam,assiduè sibi proponent, Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium,prudentem,ornatum,pudicum,hospitalem,doctorem, non vinolentum, non percussorem,sed modestum;non ligitiosum, non cupidum, sed domui suæ benè præpositum.Hæc autem clericorum, maximéque Episcoporum studia, & officia, si reliquorum oculis, auribusque obuersabuntur,profectò efficient, vt illi glorificantes Patrem,qui in cælis est,magis etiã vitæ exemplis,quàm doctrinæ præceptis ad imitationem virtutis incitentur.Itaque nos,qui eo consilio huc conuenimus, vt quæ à Sacra Tridentina Synodo sancita sunt, exequentes,prouinciæ nostræ mores ad optimam Christianæ religionis disciplinam conformaremus, ecclesiasticis hominibus certas rectè, piéque viuendi formulas constituimus;quas partim à sacra Tri- Sess. 22. c. 1. dentina Synodo summatim expositas,latius explicauimus, partim haustas ex veterum canonum fontibus,eiusdem Concilij auctoritate reuocauimus ad vsum, vtilitatemque nostrorum hominum: nonnullis etiam additis, quæ maximè ad huius temporis,statum rationémque pertinere videbantur.

1. de dignitate ab Episcopo retinenda. 2 Alienum est valde ab Episcopali dignitate, si Episcopi in consuetudine Principum sese deprimant, & abiiciant.

Nè igitur Principibus accũbentibus stent ipsi.

Nè eo quidem nomine, quod sumpto à Principibus cibo, Deo gratias agere debeant.

Neque inter Missam, pacem, aut Missale illis exosculandam præbeant.

Sess. 24. c. 17. Denique seruent cætera omnia,quæ illis sacra Tridentina Synodus ea de re grauissimo decreto præcepit.

Sess.& cap. eisdem. 3 Principes autem summo studio cohortamur, vt meminerint Episcopos eos duces esse, quorum cura, & vigilantia fideles ad cœlorum regnum dirigantur.

1. Ibidem. 4 Qui clericus episcopo,vel alij superiori cuiusuis generis, quem reuereri,& colere debet, maledixerit,episcopus in eum ex sacris canonibus animaduertat.

4. de Episc. 5 A nimia laicorum familiaritate meminerint abstinere.

6 Laicalia conuiuia fugiant.

5. quæ ad cler. discip. att. 7 Quod ab Episcopis, Prælatisve ob dignitatem, qua præcellunt ex instituto fieri decet, vt manu ad pectus admota, si quando oportet iusiurandum præstent, id sanè vbique, & semper, ita ritè seruent, nisi causæ grauitas, prout iure cautum est, aliter postulat:cætera videnda in tit. de vita, & hon. cler.

8 Episcopus non prophano ornatu,aut apparatu, sed fidei,& vitæ splendore sibi auctoritatem quærere debet. 1. de episcopi vestitu.

Itaque in vestitu sericum non adhibeat.

Non pretiosis pellibus vtatur.

Vnguenta nè sumat,neve alias odorum suauitates consectetur.

9 Sit annulo episcopali contentus.

10 Annulo autem episcopali semper vtantur, & vbique tum domi, tum foris, tùm in sua, tùm in aliena diœcesi, vt perpetuò se ecclesiæ suæ sponsos meminerint. 4. de episcopis, 5. annulo autem.

11 Nè mulæ, aut equo episcopali stragulum, & ornamentum ex villuto, aut serico, sed ex corio factum, aut lana adhibebit. 1. vt supra.

Ephippiis, aut calcaribus, aut frænis inauratis non vtetur.

12 Lineam tunicam, quam rochetum appellant, ex decreto Innocentij III. in Concilio generali, in Ecclesia, & in publico habeat.

Rochetum etiam,& mozetam induant,cùm per diœcesim iter faciunt: interiorem verò tunicam breuiorem, ac mantellum viatorium adhibeant liceat.

Si quando contigerit, vel legatum Pontificum, vel Cardinalem S. R. E. vel Metropolitanum huius prouinciæ aduentare, aut diuertere in aliquam prouinciæ diœcesim, aut in ea diutius etiam commorari;tunc Episcopus diœcesanus, cum ei obuiam prodit, aut congressum,colloquiumve cum eo habet,aut denique in eius conspectu præsens,siue publicè, siuè priuatim adest, ne rochetum detectum ferat, sed superiori veste contegat. 5. de Episcopo, &c.

Eundem honorem tribuat,deferatue Apostolico suæ ecclesiæ Visitatori, & illi item, qui in ea regione internuntius Apostolicus est.

13 Sine talari tunica, quæ ad collum adstricta sit, ac mozeta, neque è cubiculo exeat, neque quemquam nisi ex familia, admittat:neque eum vestitum ante noctem, vel nisi dimissis omnibus, deponat. 1. vt supra.

Vestitu vtantur ad Concilij prouincialis primi præscriptum talari scilicet tunica, collo adstricta, rocheto,& humerali indumento,quàm mozetam dicunt,ita vt nè domi quidem in vllius conspectu se exponant, nisi eo Episcopali vestitu induti. 4. de Episcopis.

Rochetum etiam, & mozetam induant, &c. suprà num. 12.

14 Vestes, quibus priuatim vtetur, tales omninò sint, vt modestiæ, & grauitati consulatur. 1. vt supra.

15 In itinere quoque tam in diœcesi, quàm extrà, eum vestitum habeat, ex quo illum esse Episcopum appareat, & suprà num. 12. vers. rochetum.

16 Sexta quaque feria, tum præterea in Vigiliis, in Aduentu, in Quadragesima, vestitum induant nigro colore, iis diebus exceptis quibus ex ritu ecclesiæ nullum mœstitiæ signum vestibus ostendere debent: aliis autem, violacei coloris vestimenta adhibeant. 4. de Episcopis.

17 Cappam episcopalem, cum in Ecclesia, vel ad diuina officia, vel ad conciones, vel ad sacras lectiones, vel ad alias eiusdem generis actiones,accedunt,omninò induant.

1. Ibidem. De Episcopi suppell. Sess. 25. c. 1. de reform.

18 In eius suppellectili nihil aureum, aut argenteum sit, præter leuissima, ac tenuissima quædam instrumenta, ad cibum ori admouendum comparata.

Nihil auro, argentove ornatum.

Nihil sericum, aut serico distinctum.

Non colorum varietas.

Non aulæa, non tapetia.

Nihil acu pictum.

Nihil variè textum.

Nihil studiosius elaboratum.

Denique non pluris sit artificium, & maius pretium quam rei necessitas postulet.

Simplici tantum corio, aut panno mensas, aliave sternere liceat.

Signa, & tabulas prophanarum rerum reiiciat. num. 19.

In ædibus duo tantum loca vestiri possint, quæ attributa sint.

Episcopo alter eius valetudinis causa, alter eorum gratia, qui ad Episcopum conueniunt.

Liceat etiam & hospitum gratia, qui accipiendi sunt, habere necessarios apparatus, non tamen diuersi generis, nec maioris pretij, quàm eos, qui ad ipsius vsum conceduntur: ita vt in omnibus humilitas, & modestia episcopalis eluceat.

E quos nè alat, nisi necessarios.

19 Domesticam omnem luxuriam, in ædificiis extruendis magnificentiam, picturas, & inania ornamenta, ac delitias excludat.

Caueat denique nè quid in eius domo appareat, quod non simplex ac purum sit, quod non Dei zelum, & omnium inanium rerum contemptionem testetur.

Cum in iis, quæ ad priuatum vsum, cultumque requiruntur, eam moderationem adhibuerit, vt sordes, & superuacaneum sumptum fugerit, omnem operam, & artificij splendorem ad publicum Dei templorum cultum, & ornamentum conferat.

4. de Episcopis.

Ab Episcopali domo absit omnis picturæ ornatus, quæ prophana sit.

In atrio Episcopos ordine pingi curet, qui præcesserunt; si minùs omnes, eos saltem, qui sanctitatis, aut doctrinæ, aut rerum episcopalium gestarum laude clari sunt.

In cubiculis omnibus, reliquisque domus locis frequentioribus nè desit aliqua imago sacra.

In hortis, ædibus, aliisve ecclesiarum, aut ecclesiasticorum hominum locis, si signa, &c. tit. De vita, & hon. cler. num. 105.

1. De Episcopi mēsa.

20 Accumbens Episcopus mensæ benedicat.

Et quàm decet frugalitatem, & temperantiam adhibeat.

Sess. 25. c. 1.

In ea, præter primam escam, & vnum iurulentum cibum, alterum lacticinium, & duo fructuum genera, vnum, aut alterum, vel, vt aliquid consuetudini, & hospitum stomacho indulgeamus, tertium ad summum simplicis obsonij ferculum tantum ei apponi liceat; etiam quorumuis hospitum causa.

Bellaria, placentæ, omniaque saccaro artificiosè condita, cæteraque escarum lenocinia, exquisita etiam vinorum genera prohibentur.

21 Adhibeatur verò in eius mensa lectio sacrorum librorum; vt conuiuæ non solum corporis cibo; sed etiam epulis animæ recreari possint.

Lectio in mensa potissimum sit ex sacra scriptura, & pastoralibus libris, & vitis sanctorum Episcoporum, qui Episcopale munus egregiè gesserunt. 4. De Episcopis.

Die autem consecrationis suæ, vt alias vtiliter in Concilio Oxoniensi sancitum est, formulam illam promissionis suæ, in ipsa consecratione de pontificali libro prolatam, annis singulis in mensa legi curent; tum certis etiam aliis solennibus diebus, vt diligentius præstent, quò crebrius illa lectione quasi moniti, videant Episcopalis muneris partes.

Tridentini item Concilij decretum in Sess. 23. editum, cap. 1. & Concilij prouincialis primi sanctionem de vita episcoporum, & hanc præterea sæpè sibi recitari curent, tum maximè aliquando, quibus diebus, vnà cum familia omni, cibum capiunt.

22 Parasiti sanniones, scurriles ioci, & maledicta non admittantur. 1. vt supra.

23 Quemadmodum autem benedictio cibi caput; sic actio gratiarum clausula esse debet; vt Dei laudes, sicuti par est, vsquequaque celebrentur, & omnia eius benignitati accepta referantur.

24 Episcopus domui, ac familiæ suæ benè præsit; curetque, vt honestas decorumque seruetur tam in internis, quam in externis, qui enim domum suam regere nescit, nec Dei Ecclesiam rectè gubernabit. 1. De Episcopi familia.

Familiæ numerus is tantummodo sit, quo simul ecclesiæ vtilitati, & Episcopi necessitati consulatur.

25 Eum autem vehementer hortamur, vt in familia, quamplurimos possit, habeat clericos, qui nonnisi clericali vestitu vtantur, & in illis, si commodè fieri possit, ad minimum duos sacris initiatos, & bonæ existimationis; qui vigilantem, orantem, in opera misericordiæ incumbentem, ac diuinarum literarum mysteria scrutantem Episcopum studiosius attendant: eiusque actionum, & sanctæ conuersationis quasi testes sint, & imitatores.

Familia Episcoporum Ecclesiæ sumptibus sustentata, in domibusque ministrorum Dei educata, cæteris proposita esse debet, ad imitationem christianarum virtutum. Quamobrem eiusmodi sit, quæ præluceat vitæ, & morum exemplis. 4. De Episcopis.

In ea nè sint rixosi, impudici, blasphemi, factiosi, scurræ.

Nè Episcopi consanguinei, nisi eadem viuendi disciplina, qua cæteri vtantur. Sess. 2. de modo viuendi, &c.

Neque item, qui parochialem curam gerunt.

Neque rursus, qui in alio residentiæ munere adstricti; illis exceptis, qui licet Episcopo operam nauent, possunt tamen debitas ministerii sui functiones in Ecclesia præstare.

Veruntamen nè, & facultati detractum ideò sit, qua canonicos duos habere secum Episcopo, per sacros canones licet.

Cubicularij, præ cæteris ætate sint, moribusque graues, & boni testimonij. c. ad audiētiam de cleric. non resid.

Adsintque omninò ex primi Concilij decreto, clerici, qui Sanctæ Episcopalis vitæ, religiosarumque actionum sint, nō solum testes, sed

imitatores etiam; atque adeò eiusmodi qui, vt ad Sanctissimum Pontificem Eugenium III. S. Bernardus scitè scribit, præcipitem etiam frænarent, dormitantem excitarent: quorumque libertas excedentem corrigeret, extollentem reprimeret constantia, & fortitudo nutantem firmaret, erigeret diffidentem; quorumque sanctitas ad omnia bona incitaret.

Qui clerici sunt, vel sacris initiati, vel sacerdotes, eorum opera ne Episcopi vtantur ad officii alicuius, quod sacerdotali, clericaliue ordini minùs conueniat, actiones.

1. de Episcopi familia. 26 Habeat deinde Ecclesiasticam personam, spectatam, & probatam, quæ præfecta sit moribus familiæ, ac de omnium salute sollicitam; spiritualem curam sustineat, eamque bonis, & piis artibus, ac litteris præsertim sacris, pro cuiusque sensu, & intelligentia, erudiendam curet.

1. de Episcopi familia. 27 Familiares arma nè ferant, nisi in itinere, vel necessitatis causa; idque Episcopi arbitratu.

28 Sericum, aurum, & argentum, colorumque varietatem omninò excludentes, nigrum tantummodo, vel fuscum colorem vestibus adhibeant. Quibus scissis, aut prætextis ad elegantiam non vtantur.

Calcei inaniter non incidantur.

Non sint turgidæ caligæ, non virgatæ, non sectæ, aut ac pictæ, sed simplices, & vnius coloris, ac generis.

Denique talis sit domesticorum omnium vestitus, vt ex eo etiam appareat, illos esse ministros ministrorum Dei.

4. de Episcopis. 29 Nè quisquam de familia vllo vmquam die prætermittat rei diuinæ interesse, nisi necessariò impeditus sit; ijs qui de familia sunt, præsertim clericis, certus ieiunij dies in singulas hebdomadas instituatur.

In Aduentu item curetur, vt familia ieiunet, saltem feria quarta, & sexta.

Ieiunet familia pridie diei consecrationis Episcopi, in vigiliis item Sancti Cathedralis Ecclesiæ, ac Patroni Ciuitatis, si quando huius nomine nuncupatur Cathedralis.

Vnusquisque de familia singulis mensibus confessus, sacram Eucharistiam sumat, vnà cum reliquis, qui in familia sunt.

In Aduentu, vt Siluerij Pontificis decretum est, & prætereà in Quadragesima singulis diebus Dominicis, sacram Communionem salutariter accipere studeant, clerici præsertim, & vitæ spiritualis studiosiores.

Duobus ante diebus, quàm sacra communio fiat, paterna cohortatione ab Episcopo ea de re familia præmoneatur.

30 Singulis hebdomadis, bis minimum, qui de familia sunt rudiores, & Christianæ fidei doctrina, & literis ab aliquo instituantur, cui id curæ Episcopus dederit.

Quo loco domestici, & exteri, domi ante cubiculum Episcopi conueniunt, eo loco liber, aut de vitis Sanctorum, aut de spiritualis vitæ exercitationibus conscriptus, in mensa sit, vt, qui conueniunt, lectioni incumbere possint: nec verò inanibus confabulationibus se dedant.

Dùm familia cibum capit, lectio etiam adhibeatur.

Ne familia otiosa sit, ne inertiæ, aut desidiæ dedita; sed, aut in obsequio Episcopi, aut in honestis exercitationibus occupata.

A nugis abstinens, silentium, cum modestia coniunctum, seruare studeat.

Abstineat autem vnusquisque qui in famulatu Episcopi est, cùm à flagitiosorum hominum consuetudine, tum à locis, vbi turpiter viuatur.

Ne quis prætereà foris pernoctet.

Ne rerum nouarum curiositates sectetur. Ne, quæ iocularia sunt, quæ ridicula, vnde cachinni, risusque solutiores excitantur, loquatur.

Conuiuia publica, commessationes laicales, frequentemque laicorum hominum consuetudinem vitet.

Libros ne habeat de rebus iocosis, scurrilibus, ridiculis, obscœnis impurisque conscriptos.

31. 32 Super custodia familiæ Episcopus perpetuò stet, tum etiam bis quotannis visitet; semel ineunte quadragesima; iterum initio aduentus, eiusque mores paternè inuestiget, ac videat, vt vnusquisque religiosæ, vitæque spiritualis institutis congruenter viuat. Si quos ad Christianas virtutes progredi compererit, eorum studia, progressionesve spiritualis vitæ adiumentis excitet; qui verò à bene agendi studio auersi sunt, illos moneat, atque obiurget, ac, si contumaces, incorrigibilesque inuenerit, domo eiiciat.

33 Rursus Episcopus familiæ suæ confessarios sacerdotes, viros spiritualis vitæ vsu exercitatos, constituat: quibus etiam tamquàm clericalis disciplinæ, & sanctæ institutionis magistris illa vtatur.

Episcopo Missam celebranti, vel audienti frequens familia adsit.

Cùm in Ecclesia ad diuina officia ipse accedit, familiam quoque secum adesse iubeat.

Nihil denique omittat, vt omnes domestici in omni benè, sanctéque agendi officio se contineant.

34 Familiarium prætereà, cum ægrotant, magnam habeat curam.

Prouideat, vt illorum salutis animarum ratio in primis habeatur, tùm valetudinis recuperationi per medicum consulatur: neque verò impensis parcatur, ita vt ægrotantibus omnia ad conualescendum necessaria suppeditentur.

Illos etiam aliquando inuisat, tum salutaribus consiliis, & benignitatis officiis consoletur, quod Episcopalis charitatis officium, etiam infimis familiæ suæ præstet.

35 Vniuscuiusque autem de sua familia, rationē in mercede constituenda habeat, pro virtutum, meritorumque, & pro ecclesiasticorum fructuum dispensationis sibi creditæ ratione.

36 Vt autem familiam suam in bene viuendi regulis, atque officiis perpetuò contineat, deligat aliquem ex suis virum prudentem, spiritualisque vitæ studiosum, cui id planè mandet, vt quæ in moribus familiæ emendationem aliquando desiderant, ea quamprimum sibi referat animo simplici, ac puro, vt ipse, prout opportunum esse viderit, remedium adhibere possit. 9. de Episcopo, episcopali iurisdi. & foro.

At prætereà quò diligentius familiæ suæ institutioni consulat, cùm fraternam etiam correctionem in ea instituendam curet, tum verò frequentes spiritualium rerum collationes, & alias exercitationes, disciplinæ etiam regulas ex Conciliorum Prouincialium decretis præscribat.

Quas regulas in tabella ordine descriptas ipsi familiæ in conspectu propositas certo loco affigi iubeat. Cùm verò aliquem in ea adscribet, illas eidem proponat, antequam in familiam illum adscribat.

4. De Episcopis. 37 Vt, quò sponte nos contendere studemus, eò etiam sanctis legibus, & cohortationibus, quasi stimulis incitati, adiutrice in primis Dei gratia, studiosius properemus, non solùm illis vitæ Episcopalis legibus, quas nobis in Concilio Prouinciali primo constituimus, insistere; sed longius in dies nos progredi oportet; cum ij scilicet nos simus, quibus proposita Christi Domini vita, nullus definitus sit progrediendi terminus. In hoc igitur Concilio Prouinciali quarto hæc etiam illis addenda censuimus.

Primò Episcopi sibi, & gregi attendentes, in omnibus, vt est Apostoli præceptum, laborent, ac ministerium suum impleant; cunctaque ad Dei voluntatem administrare vigilanter studeant; constanti virtutum Episcopalium officio.

Sicut autem præstantibus virtutibus Christianis, populi, quorum curam gerunt, ab ipsis instituendi sunt, ita optimam illam, quæ in Episcopali animo castissimo, ad diuinasque suscipiendas illuminationes idoneo, inesse debet, vitæ institutionem, euangelicis literis explicatam, non verbis solum declarent, sed sanctissimis factis, è charitatis fonte manantibus, comprobent, exemplisque virtutum suarum in omnem sanctæ, veræque Christianæ vitæ vsum illos conformare diligenter curent.

38 In oratione, sanctisque meditationibus, cùm eos frequentes esse oporteat, certam sibi horam quotidie sumant, quam in contemplationum diuinarum studio, exercitationeque attentissimis religiosæ mentis cogitationibus ponant. Qua oratione non sibi ipsis tantum diuini luminis illustrationem deposcant; sed etiam pro fidelibus suæ curæ commissis, humiles preces fundant; eorum peccata deplorando, pioque gemitu, & religiosa supplicatione Deum orando, vt disiectis peccatorum nubibus, pluuiam, & rorem suæ diuinæ gratiæ, ac misericordiæ effundat in hæreditatem, & agrum ecclesiæ suæ.

39 Domini item suæ orationis vespertinæ institutum introductum retinere studeant, ad quam ipsi, si modo aliquando impediti non sint, conueniant, tum planè familia omnis.

Missæ sacrificium, &c. vsque ad 5. Diuinas laudes. (Vide in titu. de Missis sine cantu ab Episcopo celebran. num. 2. & 5.

40 Diuinas laudes, precesque horarias piè, decorè, studiosè, deuotéque quantum eis Deus dederit, ac supplici mente recitent; ne verò quicquam aliud agendo, debitum hoc munus obeant, id pro religionis studio valdè caueant.

41 Dominicis verò, festisque diebus ne Ecclesiæ desint, nisi infirmitate impediti, ad Concilij Aurelianensis præscriptum, atque aliis item diebus, quò frequentius per alias quotidianæ pastoralis solicitudinis occupationes licebit.

42 Quod si in Ecclesia non possunt, impediti, domi tamen diuinum officium non continenter, sed aptis, conuenientibusque horis recitare studeant. Si verò ne illis quidem horis licebit aliquando per negotia, videant, vt præueniendo potius, quàm tardando diuinis laudibus satisfaciant.

43 Confessarium sæcularem, aut regularem deligant, adhibeantve, qui vir sit sacra scientia, prudentia, spectatis moribus, & vitæ sanctitate insignis: cuius etiam studio, & consilio, & precationis spiritu in rerum grauiorum deliberationibus aliquando vti possint.

44 Ne omittant etiam sacræ Theologiæ, sacrorumque canonum, aliarumque Ecclesiasticarum doctrinarum officio, munerique Episcopali propriè congruentium, studiis quotidie statis horis operam dare, quotidiéque aliquid ex sacris bibliis, potissimùm Episcopali fidei, religionique commissis studiosè legere; gentilium autem libris, vt Carthaginensis Concilij canone vetitum est, ne operam dent.

45 Officij prætereà sui esse putent, eos excipere, atque audire, qui ipsos, vel tamquam Iudices, vel tamquam parentes, vel consultores, adiutoresve adeunt.

Itaque his peractis, quæ ad diuinum cultum, religionis officia, & ad animi, spiritusque pia studia spectant, omnibus adeuntibus se faciles, benignosque præbeant, ita tamen, vt ne à grauitate recedant.

In adiutorio omnibus satisfacere studeant: ac ne infimos homines audire negligant, sed hos vel in primis, cùm adsunt, ad se accersant.

Expediant statim, quæ rectè possunt: omnibus, vel re, vel consilio, vel consolando, prodesse studeant.

46 Quæ ipsi possunt, ac debent, ad spiritualem curationem, & gubernationem diuinumque cultum spectantia, hæc per se in primis præstare studeant: cætera, quæ inferiora sunt, potius per Vicarios, ministrosve alios exequantur.

47 Auditorij negotiis postquam satis temporis dederint, tunc à prandio diem etiam distribuant, vt reliquis conficiendis operá ponatur.

Quicquid autem temporis animi relaxationi aliquando ob valetudinem dabitur; id omne, vel in spiritualium librorum lectione, studiove, vel in consuetudine, & colloquio piorum, & eruditorum hominum, spiritualisque vitæ amantium ponere studeant.

48 Pro ea, qua Episcopus abundare debet, præstanti cura, proque illa perfectionis Episcopalis ratione, ad quam omnes eius rationes referuntur, nihil vel minimum ei prætermittendum est, quo munus, quod multiplex, graueque gerit, non modo sustinere, sed explere salutariter possit, aliorum etiam subsidiis ad officij sui executionem comparatis. Quamobrem duos sibi sacerdotes pietatis zelo flagrantes, spiritualique vsu peritos, ac prudentes pro conscientiæ suæ religione, secreto in Ciuitate deligat, quorum sacerdotum officium in primis sit, Episcopum assiduè omni charitate, & humilitate, omnique 6. de Episcopo, &c.

debitæ obseruantiæ officio priuatim sincerè admonere quicquid in eo, vel desiderare, vel opus esse viderint, cùm ad omnis disciplinæ, tùm verò ad sacri Tridentini, nostrorumque Prouincialium Conciliorum perfectam, atque absolutam executionem.

49 Ob eam etiam causam aliquem Prouinciæ Episcopum item deligat, qui cùm aliquando per literas pastoralis administrationis suæ rationes, consilia, omnemque Ecclesiæ commissæ bene gerendæ modum, familiariter communicet, ita vt hoc subsidio sibi in omni deliberatione, atque actione opem, atque adiumentum paret.

Vicini quoque Episcopi ad muneris sui functiones rectè progredientes, exemplis se in dies ad id excitent, vt vno, eodemque spiritu, parique diligentia, immò verò sancta quadam, pastoralique piæ æmulationis contentione ipsi curæ suæ partes exequantur; cùm hæc accensi studij coniunctio ad constituendam, perpetuoque communiendam omnem disciplinam permultum intersit.

50 Sin autem fratrem Episcopum, cuius diœcesis finitima est, aliquid vel in officij pastoralis partibus, vel in Tridentinis, Prouincialibusve decretis exequendis, vel in aliis officiis pastoralibus aliquid prætermittere animaduerterit, cum eo fraternè agat, vt omni vigilantia, decretorum, munerisque Episcopalis executionem præstet, quæ eorum cuique præscripta est.

51 Si quando autem ad Episcopum Prouinciæ diuertet, cum eoque congredietur, illud sibi magnum, præcipuumque negocium propositum sit, vt cum eo Ecclesiæ suæ administrandæ rationes conferat, constitutionesque ineat: id quod sanctissimos Episcopos fecisse memoriæ proditum est.

52 Nec verò has solum rationes ineat; sed etiam longè diligentiores, quò accuratius commissa officia exequatur.

4. De Episcopis, &c. 53 Hospitio, mensave recipiendis etiam illustribus, & locupletibus hominibus, ne præscriptam Episcopalis frugalitatis normam deserat, vt exemplo suo ipsi quoque hospites incitentur ad frugalem vitæ modum.

54 Eleemosynis dandis promptus ita sit, vt, præter illas, quas per eleemosynarium, aliosve largiri solet, ipse etiam, misericordiæ visceribus indutus, manu sua in pauperes episcopali liberalitate conferat.

5. De Episcopo Episcopali iuris, & foro. 55 Quod de episcopo excipiendo Clemens Pontifex, & martyr, Apostolica quadam Constitutione scribit, & B. Ambrosius studiosè seruauit, id episcopi prouinciæ nostræ ad vsum reuocare studeant, vt episcopum, qui aliunde venerit, benignè hospitio accipiant; cum eoque agant, vt die festo, si permanserit, sermonem in primis habeat. Est enim inquit, idem Clemens, hospitis hortatio grata, atque vtilis. Hoc prætereà, etiam si ille renuat, facere cogant sancta quadam in charitate, vt populo benedicat.

56 Si quando aliquem ex Coepiscopis nostris in belli, famis, pestis, aut alias eiusmodi necessitates, aut difficultates, quas Deus, pro sua pietate prohibeat, publicas, vel priuatas incidere contingat; reliqui Prouinciæ nostræ episcopi opem illi afferre ne differant tum orationibus & publicis supplicationibus, tum elemosynarum, vt quisque poterit, largitione.

Tùm omnem etiam aliam rationem quisque ineat, qua fratris Episcopi, ac eius etiam populi laborantis calamitatibus, largè atque opportunè succurratur.

57 Quod Episcopus sanctè iuratus in sua consecratione promisit se singulis annis visitare limina Sanctorum Apostolorum, Petri, & Pauli; cùm longè ab Vrbe Roma absit, nec propterea id personalis residentiæ munere adstrictus, quotannis facilè præstare possit, certum saltem nuncium ex iusiurandi præscripto ad Vrbem Romam mittat, qui id obedientiæ officium nomine suo præstet. 6. de Episcopo, &c.

58 Is verò, quem miserit, constitueritve rectè instructus sit cognitione rerum ad Ecclesiæ suæ statum pertinentium, vt, & cleri sui disciplinam, & populi in via Domini progressionem, & omnis Ecclesiæ, diœcesisque suæ rationes Pontifici, aut iis, quibus ille mandarit, quàm rectissimè exponat.

59 Metropolitanum, si quando febri, morbove periculosè laborauerit, Decanus Episcopus Prouinciæ, alijque Episcopi duo Prouinciales, qui propius adsunt, de illius inualetudinis periculo à Vicario illius certiores facti, nulla mora interposita, inuisant, fraterna charitate consolentur, salutaribusque consiliis opportunè iuuent. Si verò illum obire contigerit, eius funus, exequiasque itidem solenni cerimonia ritè concelebrent, iis omnibus piè, rectéque seruatis, quæ hoc de genere constituta sunt: eoque accuratius, quò præstantior est Archiepiscopalis dignitas.

60 Si quando ex febri, aliove morbo Episcopus laborat, ægrotationis initio, ac deinceps aliquando, prout expedire censuerit, Cathedralis Ecclesiæ suæ Capitulum, cum quo de spiritualis, sanctæque vitæ officiis, ac studiis colloquia salutaria ineat, ad se conuocet. Quod verò à sanctissimis Episcopis huius Prouinciæ, præsertim Ambrosio, Eusebio Vercellensi, Gaudentio Nouariensi, aliisque factum esse memoriæ proditum est, id proposito etiam ad imitationem illorum exemplo, Episcopus exequatur, vt cùm periculosè ægrotans propediem mortem obibit, Cathedralis Ecclesiæ Capitulum, clerumque ante conuocet, cui cum pacem, charitatem, sanctarumque virtutum disciplinam suadeat, eamque quasi hæreditariam quandam disciplinam relinquat, tum & vniuersè, & sigillatim religiosis eorum precibus, sanctis sacrificiis, seseque intimè commendet.

61 Episcopus cùm ægrotans in lecto iacet, frequentissimè tamen sacræ Eucharistiæ pabulo se salutari reficiat, ac recreet, cui saltem cùm primum, & cum pro viatico illam sumet, & semper denique, nisi cum ipse secùs iusserit, vniuerso clero, & Capitulo cathedralis Ecclesiæ prosequente, Archipresbyter, aliusve deferat, & ministret, qui secundum Episcopum primariam dignitatem sacerdotalem obtinet.

62 Si quando Episcopus ad actionē solemnem, quæ in alia Prouinciæ Ciuitate, locove celebratur, accedit; itidem excipiatur, vt eum excipi decretum est, cùm ad Concilium Prouinciale

venit; ac prætereà obuiam ei procedat Episcopus, ad cuius Ciuitatem venit.

63 Episcopus, ad quem vniuersi cleri sui cura, etiam paterna refertur, zelo charitatis accensus, si quem Ecclesiasticum hominem etiam minoris ordinis intra alicuius parochialis viciniæ fines ægrotantem audierit; ipse, aut alius, eius nomine inuisat, & consoletur paternis, & consiliis, & officiis, quæ si illi præstare debet, certè multò accuratius, atque adeò ardentiori dilectione exequatur erga eos, quos habet Basilicæ suæ Cathedralis ministros, & Parochos in animarum salute procuranda adiutores.

Quò verò cumulatius id præstet; sollicitudinis paternæ zelo id etiam curæ suscipiat, vt, cùm in statis vrbis regionibus, tùm in diœcesis partibus distinctis, præter parochum, vel proprium, vel propinquiorem, de quo in altero Concilio alias cautum est, certos etiam sacerdotes charitate flagrantes, vitæque spiritualis moribus, & vsu præditos decernat, quorum munus sit ægrotantibus clericis cuiuscumque ordinis sint, præsertim ope destitutis, præcipuam operam, sollicitudinem, & curam nauare si qua opus esse viderint, cùm in primis ad piè, sanctéque iuuandam animæ salutem, tùm ad corporis bene curandi rationem.

64 Episcopus, qui totis in Christo visceribus egentium curam gerere debet, cùm cæteras rationes ineat, quibus in difficultate annonæ populi sibi commissi egestas subleuetur, tum verò quàm diligentissimè caueat, vt in rei frumentariæ inopia Ecclesiastici homines frumentum, aliudve alimenti genus, quod ad subleuandam annonam pertineat, ne supprimant, abscondantve. At prætereà eos omnes, & singulos pœnis propositis, omnique iuris remedio cogat, quicquid frumenti habent, siue proprium, siue alienum in priuatis, aut Ecclesiasticis ædibus reconditum, apud Ecclesiasticum hominem, quem, si ita expedire censuerit, eo nomine ipse constituat, sine dolo, & fraude scripto profiteri, eidemque frumenti illius omnis numerum, & conditionem, rectè, sinceréque denunciare. Et verò, si quando annonæ grauitas, difficultasque ita tulerit, id omne frumentum venditioni exponi iubeat, ac vendi, quo pretio illius annonæ temporibus in foro frumentario vendi solet.

a. tit. 3. dec. 13. 65 Episcopus, qui causis, iure permissis, subsidium charitatiuum exacturus est, antequàm illud sibi persolui curet, clerum, eiusve procuratores, aut negotiorum gestores conuocet, eisque cùm causam exponat, quamobrem illud petere, atque exigere cogatur, tùm humaniter eosdem cohortetur, vt sibi spontè subueniant. Ne verò, maiorem summam sibi solui curet, aut patiatur, quam Benedicti XII. Constitutione, cuius initium est, Vas electionis præscriptum est: idque nisi consuetudinis ratione aliud obseruatur. Qui contrà fecerit, hæc ei pœna sit, vt, & restituat quod perceperit, & aliam prætereà pœnam, iure expressam, luat Superioris arbitratu.

De vita, & honestate clericorum, eorumque studiis, & spiritualibus occupationibus.

SVMMARIVM.

Vita clericorum, qualis. De vita & hon. Episc. num. 1.

1 *Edictum ab Episcopo proponendum de clericali habitu deferendo, certa constituta pœna.*

2 *Quod edictum vbi adhuc propositum non sit, proponendum, & extendendum ad existentes extrà prouinciam, & in gymnasiis publicis.*

3 *Habitum clericalem qui deferre non possint. 2.*

Tonsura à quibus deferenda, & cuius forma.

4 *Eiusdem præscripta forma, pro cuiusque ordinis ratione.*

5 *Coma, & Barba* } *studiosè non nutrienda: eaque à superiori labro rescindenda.*

6 *Vestitus clericalis, qualis, cuiusque coloris.*

7 *Vestitus exterior, qualis.*

Qualis item interior. 9.

Quando vti liceat habitu breuiori. 11. & 20.

8 *Toga, Mantelletumve* } *quale, quibus concedatur, & quibus prohibeatur.*

10 *Pallium, seu ferrarolum* } *quale, & quam ob causam concedatur.*

12 *Caligæ, Calcei, Crepidæ* } *quales.*

13 *Torques, Armillæ, Monilia, Annulus* } *eisdem prohibentur.*

14 *Annulus tamen quibus, & quamob causam concedatur, & quando deponendus.*

15 *Quæ alia Episcopis præscripta, ad clericos quoscumque extendenda.*

16 *Vestes clericales, monachalesque personati induentes, puniendi.*

17 *Vestitus clericalis domi, qualis item foris. 19.*

18 *Qualis in ecclesia.*

20 *Qualis in itinere. & 11.*

21 *Clericis vestis lugubris vetatur; aliteriusve formæ, quæ à clericali differat.*

22 *Superpellicea eorum qualia; ex decreto Prouinciali, & instruct. suppellectilis Ecclesiæ, & quando adhibenda.*

23 *Qui illa habere debeant.*

24 *Eis indui, vbi non morentur.*

25 *Clericorum, qualis incessus, qualesque mores. 69.*

Sacerdotes simplices, quando celebrent, & quando curati. De Missa paroch. num. 1. Et de Missa sine cantu, num. 29.

26 *Si suspensi fuerint, quando communicent.*

Alienæ diœcesis, qua ratione admittantur ad celebrandum. De Missis sine cantu. 30.

Diaconi, subdiaconi, & alij clerici, quando confiteantur, & cui; & quando Eucharistiam sumant. De Sacr. Eucharist. in Eccles. administr. num. 33.

Ordinationis tempore alieni Ecclesiæ adhibentur. Quæ ad ordin. Sacr. 89.

Parochum adiuuent in diuinis officiis celebrandis, & Missis decantandis. Ibidem. num. 98. Et de parochiis, num. 52.

Et in docenda Christiana doctrina. De fidei initiis, num. 7.

Monitiones ad sacerdotalem, clericalemque disciplinam, officia, & partes attinentes in Synodo diœcesana legendæ, & quæ. De monitionibus, &c. per totum.

1. de clericorum vestitu, & reliq. vitæ rat. Sess. 24. ca. 6.

EPiscopi, ex sacri Trident. Concilij auctoritate per edictum ad mensem ab eis proponendum, moneant omnes, & quæscumque ecclesiasticas personas, quæ aut sacris initiatæ sint, aut dignitatis, personatus, officia, beneficiaue qualiacumque ecclesiastica, etiam simplicia obtineant, etiam si studij causa absint, & in gymnasiis publicis, aut vbiuis locorum sint; vt qui in prouincia manent ad duos menses, qui verò extra prouinciæ fines, ij ad quatuor clericalem habitum sumant, ordini suo, ac dignitati congruentem; hac constituta pœna, vt qui non paruerint, si in sacris ordinibus sunt, ab omni ordinum suorum munere sint suspensi, & beneficiorum suorum omnibus anni vnius fructibus iure ipso priuati sint: quos episcopus piis locis arbitrio suo attribuet. Sin autem beneficium ecclesiasticum nullum obtinent, aliàs pœnas luant, Episcopi iudicio. Si qui autem post mensem translacto tempore in edicto ad clericalem habitum sumendum præscripto, eum, vel non suscepisse, vel susceptum abiecisse conuicti fuerint, officiis, ac beneficiis ecclesiasticis priuentur, & seuerè præterea ab Episcopo puniantur.

Clem. 1. quoniam, de vi. & hon. cleric.

3. de iis, quę partim. ad or. fac. &c.

2 Episcopi, qui aut priuata monitione, aut edicto publicè proposito, vt ex Tridentini Concilij auctoritate à nobis prouinciali prima Synodo mandatum est, eos non monuerint, qui ecclesiastica quæuis beneficia obtinent, aut sacris ordinibus initiati sunt, vt clericalem habitum induerent mense post huius Concilij promulgationem, propositis edicto etiam publico pœnis, quæ ipsis Conciliis sancitæ sunt, eos moneant, vt etiam si extra prouinciam, & in gymnasiis publicis sint; mensis spatio, clericales vestes, ordini suo congruentes decenter induant, ac deferant. Quos autem ad id temporis non sumpsisse, aut semel sumptas, deinde abiecisse cognouerint, illos pœnis in monitione expressis afficiant, eosque iterum monitos, si in contumacia permanserint, beneficiis Ecclesiasticis, quæ obtinent, omninò priuent. Episcopi verò, qui iam eos beneficia Ecclesiastica obtinentes, semel, atque iterum monuerint, si ij præscripto tempore clericalem habitum non induerunt, vel indutum deposuerunt, pœnam in monitione edictam, omnino exequantur, eosque etiam beneficiis ecclesiasticis priuent, aut priuatos declarent.

Ne cuiquàm, antequàm prima tonsura is initiatur, clericalem habitum sumere liceat, sine Episcopi concessu, eoque scripto dato.

1. vt sup.

3 Presbyteri, diaconi, subdiaconi, cæterique clerici, clericali tonsura sint insigniti, ad eam formam, quam ratio vniuscuiusque ordinis, episcopi arbitrio postulabit. Ita sint abraso capillo, vt tonsura conspicua sit omnibus.

5. quæ ad cler. hone. attin.

4 De tonsura clericali decretum in Concilio prouinciali primo confecimus; sed, vt, pro ordinis, quo quisque initiatus est ratione illam magnitudine distinctam, conspicuè ferat, certam, atque præfinitam illius formam hoc decreto describi placuit, quam omnes ita seruare iubemus, vt neque ea minorem, nec verò etiam maiorem quisquam omnino, Episcopo inferior gerat, quacumque dignitate ille præditus sit.

Sacerdotalis igitur tonsuræ forma in orbem ducta, latè, & amplè pateat vnciis quatuor.

Diaconalis vncia vna minor.

Subdiaconalis, aliquanto angustior, quàm diaconalis.

Minorum denique ordinum corona lata sit vndique vnciis duabus.

Vncia autem mensura est ad præscriptum instructionum fabricæ ecclesiasticæ.

5 Comam verò, & barbam, ne studiosè nutriant: capillis simplicem cultum adhibeant. 1. de Clericorum vestitu, &c.

Barba ab superiore labro ita recidatur, vt pili in sacrificio Missæ, Christi Domini corpus, & sanguinem sumentem non impediant.

6 Ne in habitu clericali, aut studiosus exquisita cultus elegantia, aut nimis abiecta negligentia, & affectatæ sordes appareant.

In omni vestitu color tantum niger adhibeatur, nisi fortasse alium colorem requirat dignitatis gradus.

Omnem habitus, & ornamenti nouitatem clerici fugiant.

Ne serico vestimento, aut ornamento domi, aut foris vtantur.

Iubemus verò illos laneum, & ei ordini decorum vestimentum adhibere.

Reticulum, aut subbiretum, vt vocant, ne ferant: nisi valetudinis causa, & sine redimiculis.

Camisas ad collum, & ad manus crispas, & rugosas, vel artificio elaboratas reiiciant.

Collare quod dicunt, simplex, ac modicè latum, honestè reclinetur.

7 Externa vestis simplex, ac talaris erit, quæ neque à ceruicibus in tergum reflectatur; sed apto ad collum modo decentissimè annexa sit.

8 Toga verò, quod mantellum vocant, aut æquetur cum tunicæ longitudine, aut nemini permittatur: nisi sit ex numero Prælatorum, quibus ex dignitatis gradu, iudicio Episcopi debeatur.

Vt quod de mantelleti vsu aliàs prouinciali Synodo per nos decretum est, exequutionem habeat, decernimus; vt ne quiuis alij, nisi Abbates, Referendarij, & Prothonotarij eo breuiori vtantur, quàm tunica talaris interior sit. Metropolitanæ autem nostræ, & aliarum huius Prouinciæ Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, Præpositis item, & aliis clericis, ecclesiastica, aut doctoratus dignitate præditis, exterioris tunicæ, seu mantelli vsum concedimus, quod tamen interiorem tunicam talarem longitudine adæquet. Reliquis autem clericis, qui hoc decreto nominatim expressi non sunt, mantelleti, & mantelli vsu interdicimus. 2. tit. 5. dec. 31.

9 Interior eiusdem generis ad talos demittatur, quæ tamen pro hominum genere; proque loci natura, ac conditione, Ordinariorum arbitrio, in aliquibus moderanda relinquimus. 1. vt sup.

10 Pallium, quod ferrarolum appellant, ne sumant nisi per pluuias: tùm verò nec à collo plus duobus digitis emineat: neque eo sine talari toga, vel tunica vtantur.

11 Verùmtamen, si iter faciendum sit, illis vti liceat habitu contractiore, & ad iter accommodato, sed simplici, & in quo honestas, & decorum ordinis eluceat.

12 Turgidis caligis, & dissectis abstineant.

Calceos, & crepidas ad elegantiam non incidant.

13 Torques, armillas, ac monilia respuant.

Annulum non induant, nisi quibus propter officij munus aut honoris gradum sit iure concessus: quo loco, & unico, nec magni pretij contenti sunt.

4. De vita, & hon. cle. 14 Nulli sacerdoti, clericoue annulum, nisi ea dignitate prædito, in qua conferenda ille sibi traditur, gestare liceat: tuncque vnum solum, & digito dexteræ manus quarto. Eum verò, dum Missæ sacrificium facit sacerdos, deponat.

5. vt sup. 15 Quæcumque autem de Episcoporum mensa, eiusque benedictione, & cibis, lectione, & gratiarum actione, suppellectili, auro, argento, & serico; cubiculorum apparatu, ædificiorum magnificentia, superuacaneis sumptibus, priuata moderatione, templorum cultu, & ornamento, familiæ cura, & institutione, eiusque vestibus, eorumue modo, colore, & ornamentis, equorum numero, & si quæ alia decreta sunt, quæ non sint Episcoporum tantum propria, eadem à clericis quibuscumque cuiusuis conditionis, ordinis, & dignitatis sint, accuratè seruari iubemus; etiam si in alienis ædibus, aut cum propinquis habitent.

Meminerint autem in quibusdam, quæ Episcopis permissa, ipsis communia esse possunt, eo maiorem sibi moderationem adhibendam esse, quo dignitatis gradu Episcopis sunt inferiores.

16 Si quis personatus, vestes clericales, aut monachales, vel ad eorum formam induerit, & is, qui eas assumpserit, & is, qui accommodarit, grauos pœnas subeant.

4. de vita, & hon. cl. 17 Vestes, quas domi priuatim clericalis ordinis homines induent, eiusmodi sint, quæ non colore, non vlla habitus specie à clericali modestia discrepent.

18. 19 Cùm in ecclesia versantur, quo tempore superpelliceum induere non debent, ne sint sine toga exteriori, præsertim horis, quibus diuina celebrantur, aut populus ad ecclesiam accedere solet: nec verò absque ea, etiam in diœcesanis locis prodeant, nisi cùm eos pedibus iter facientes, viæ difficultas, & longitudo aliter cogit.

20 Si quò iter equo faciunt: ne absque viatoria veste exteriori equitent, succincta interiori tunica, aut alia contractiori, decenter adhibita.

21 Clericus, qui amictu clericali indutus, incedit, ne in propinquorum, nec parentum quidem obitu, vestes lugubres more laicorum induat, gestétque, neque verò vestis formam, aut panni genus, quo clerum vniuersum vti moris est, commutet; sed pium erga propinquos mortuos charitatis studium, officiúmque præ se ferat omni alia ratione, quæ cum clericalis ordinis decoro, dignitatéque omninò conueniat.

1. Communia de rat. diu. off. Superpellicea latis sint manicis, non angustis, instar rocheti.

4. vt suprà. 22 Superpelliceis, cum ministerij vsus postulat, omnes vtantur, quæ non lacera sint, non sordida, non ita elaborata, vt artificij ornatus in humeris nimius appareat.

Superpelliceum è tela lini, aut cannabi puri sit, eáque non rudi, sed candida, non crassiori, sed tenui potius. Instr. supp. eccl. lib. 2. De superpellicco.

Manicis ita oblongis, vt crispatæ vsque ad digitos summos pertingant; quæ esse possunt cubitis circiter duobus, vel circa, latè autem patentibus in orbem cubitos circiter quatuor.

In ipso ore forma rotunda potius, quàm quadrata, latum pro capitis crassitudine.

A pectore nullo modo scissum, aut dissectum.

Longè ductum infrà genua, atque adeò ferè vsque ad crura media.

Latè pateat ab extremis oris in ambitum cubitis circiter tredecim vel circa, ab humeris cubitis octo circiter; ita vt aptè consutum, & crispatum decenter appareat, pro humerorum latitudine, corporisue crassitudine.

A nulla parte, neque nimis, neque affectata artificiosi operis elegantia elaboratum, ab humeris præsertim, non specioso artificij ornatu.

23 Singuli autem prætereà, præsertim, qui in aliquo minorum saltem ordinum sunt, proprium superpelliceum habeant: quo, & in ecclesia, cui adscripti sunt, & alibi, cum ipsos suis fungi muneribus contigerit, vti possint. 4. vt sup.

24 Ne sacerdos, neue clericus cuiusuis ordinis pro foribus Ecclesiæ stet, aut officinas obeat; aut via incedat, aut extrà ecclesiam exeat, superpelliceo indutus, nisi cum processiones, aut aliud Ecclesiasticum munus, & officium obit, quod superpelliceum requirat. 5. de iis, quæ pertin. ad or. Sac. &c.

25 In omni item incessu, statu, gestu, vultu ordinem suum sacerdos, & clericus profiteatur, omni clericalis vitæ actione, religiosi animi mores exprimens: qui in ecclesiastici ordinis hominibus elucere debent. 4. ibidem.

26 Sacerdotes Missæ celebrandæ munere suspensi, impeditiue frequenter, & verò præsertim diebus Dominicis, ac festis sacram Communionem sumant. 6. quæ ad cleri. dist. attin.

27. 28. Clericorum arma sunt orationes, & lachrymæ. Idcircò edicimus ne clerici arma cuiusuis generis ad offensionem, vel etiam ad defensionem ferant; exceptis cultellis ad domesticum vitæ vsum accommodatis: nisi fortè extrà ciuitatem suspectis locis iter eis faciendum sit. 1. De armis ludis, spectaculis & eiusmodi à clerico vitandis.

29 Quod si Episcopus probabili, iustáque de causa id eis permittendum iudicauerit; tunc, scripto impetrata venia, ipsis vti liceat, non tamen publicè, nisi rei, aut facti necessitas postulet.

30 Omninò balista, hastis, & sclopeto, telis, aliisque huius generis instrumentis ipsis interdicimus.

31 Clerici personati non incedent.

32 Choreas priuatas, aut publicas non agent, nec spectabunt.

33 A venatione abstinebunt.

34 Fabulis, comœdiis, & hastiludiis, aliisue profanis, & inanibus spectaculis non intererunt; ne, aures & oculi, sacris officiis addicti, ludicris, & impuris actionibus, sermonibusque distracti polluantur.

c. Episcopus, dist. 35. ca. clerici de vi. & ho. cl.

35 Clericalis ordinis hominibus omni genere saltationis, & ludi, præsertim verò aleæ, & tesserarum, ac talorum interdicimus.

Prohibemus etiam globos, qui malleis ligneis impelluntur: itē follis ludū, idest, pilæ maioris.

36 Nec solum ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores esse nolumus: : aut quemquam ludentem in ædibus suis permittere.

37 Si autem valetudinis interdum causa parua pila, aut alio non indecoro eiusmodi exercitationis genere vti contigerit, nec publicè id faciant; nec pecunia intercedat in ludo, nec quidquam, quod facilè pecunia æstimari possit.

c. a crapula de vita, & hon. cler.

38 Non in commessationibus, & ebrietatibus; sed vt sobriè viuamus prædicat Apostolus; ideò clerici minus honestis conuiuiis nè intersint: neue ad bibendum quemquam incitent.

Quod si interdum solemnibus festis diebus, vel cum sacrorum, aut exequiarum causa in vnum congregantur, aliqui sint inuitandi, nè plures sex, & eos clericos, ad suam mensam adhibeant.

2. tit. 2. dec. 33.

39 Quoniam superioris Concilij constitutione vetitum est quo tempore, vel sacrorum, vel funeris, exequiarumue causa in vnum clerici conueniunt, non plures ad mensam, quam sex, eosque clericos adhiberi, cū id multis locis facilè præstari non queat, propterea quod Ecclesiæ sæpè longius inter se distent, graueque sit clericis de itinere fessis, manè ad Ecclesiam suam reuerti; ideò liberum sit parocho, tot conuiuas habere, quot sanè in mensam adhibere par esse iudicauerit, & pro temporis ratione, laicum etiam hominem, quem christianæ pietatis studiosum, etiam sacerdotali conuictu, consuetudineque dignum norit, à mensa non excludere: modo ea seruentur, quæ in parochialibus conuentibus de frugali, clericalique modestia nostris Constitutionibus præscripta sunt: tùm sacra item lectio in mensa perpetuò adhibeatur.

Quod verò de mensæ frugalitate, & ferculorum numero aliàs superiori Concilio decretum est, id omninò sic seruetur, vt etiam si vel vniuersitati, vel cuiuis alij, pacto, consuetudineve, aut vltima quauis voluntate certis quibusdam diebus cibum à Sacerdotibus parari oporteat; in eo ab illa Decreti ratione ne vllo modo discedat, nec sacra lectio in mensa desit.

1. de vita, & hon. cler.

40 Sacerdotem, clericumque cuiusuis ordinis in canticis, hymnis, psalmis, cæterisque Ecclesiastici cultus officiis, religiosa modulatione concelebrandis, diuinisque laudibus sanctè concinendis ita versari conuenit, vt voce sua, sacris dicata abuti non debeat ad prophanas cantiones, & modulationes, atque ad voluptarias, delitiosasque laicorum oblectationes. Quam ob rem caueat, nè in nuptialibus, laicalibusue conuiuiis, aut mensis canendò operam suam nauet, nè vllo quidem, vel cognationis, vel amicitiæ, familiaritatis, obsequij, alteriusue rei causa, cum præsertim clericalem hominem inter epulas canere veteri canone planè interdictum sit.

Omnis etiam sacerdos, clericusue publica conuiuia; & commessationes eiusmodi vitet, quibus sæpè fit, vt contēptui sit ecclesiastici ministerij dignitas.

41 Vt flagitij occasionem, quæ in cauponis & tabernis deesse non solet, clericis adimamus, cauponarum aditu, & vsu eis omninò interdicimus, nisi in itinere, necessitatis causa: quo loco cum mulieribus nè discumbant. 1. Ibidem.

42 Monemus autem Episcopos, & vehementer hortamur, vt in singulis eorum ciuitatibus curent parandum vnum aut alterum publicum, & honestum diuersorium, quo suarum diœcesum clericis rusticanis necessitatis causa conuenire liceat.

43 Nec in eo hospitio improbis, aut nequam hominibus locus sit: neue fœminis vllo modo: sed tantum clerici, ac religiosi viri, si fieri possit, in eo recipiantur.

44 Nè, cum neces, & cruciamenta improbis hominibus magistratuum iudicio illata multitudini spectanti proponuntur, vllo modo ecclesiastici ordinis viri intersint; nisi eorum pia opera, consolandisque officium vsui futurum illis sit, qui ad supplicium ducuntur. 4. de vita, & hon. cler.

45 Qui Deo militat, implicare se negotiis sæcularibus prohibetur; idcircò edicimus. 1. de negociis sæcularib. à cler.

46 Nè clericus sacris initiatus, aut ecclesiastico beneficio præditus, coram iudice sæculari aduocati, aut procuratoris nomine causas agat: nisi ab aliis in iudicium vocatus, suam vel ecclesiæ suæ, propinquorum etiam, si necesse erit, & miserabilium personarum causas, ab Episcopo facultate prius scripto, concessa, tueatur. fug. c. 1. de postulādo. c. peruenit 86. dist.

47 Ne in prophanis negociis officium tabellionatus exerceat. c. sicut no clerici vel Monac.

48 Nè artem medendi faciat.

49 Nè in negotiationibus, & mercaturis se interpretem, & medium interponat.

Negotiationem etiam omnis generis omnino prohibemus.

50 Artes verò honestas concedimus, vt aliquid manibus suis lucretur, quo sibi, quæ ad victum necessaria sunt, comparare possit.

51 Nè aliena prædia, lucri causa conducat. 86. dist. per tot.

52 Nè aliorum tutelam, aut curam suscipiat. 86. dist. peruenit.

53 Nè pro aliis fideiubeat. c. peruenit & cap. constit. de fid.

54 Nè alicuius Principis, aut alterius negotiorū procurator sit, sine facultate ab Episc. prius per litteras impetrata, singulis annis renouāda.

55 Nève parum memor ordinis, ac dignitatis suæ, sit in famulatu laicorum, etiam Principum, eorumve, quibusuis aliis obsequiis, nisi cui ex causa, & ad officium, sacerdotali munere non indignum Episcopus huius rei potestatem ante scripto fecerit. c. sacerdotibus ne cler. vel monac. &c.

56 Huiusmodi autem licentiæ, scripto permissæ, quotannis renouentur; alioquin irritæ, ac nullæ sint.

Nève præcursor, aut assecla fœminarum, aut eis discumbentibus adsistat, aut ancilletur.

57 Qui huiusmodi sæcularia negotia exercendi facultatem, seu dispensationem impetrarit, intra duos menses episcopo exhibeat.

Qui concessas ante Sacri Tridentini Concilij confirmationem; auctoritate generalis Bullæ Sanctissimi Domini Nostri Pij IIII. Pont. Max. non admittat.

58 Quæcumque in hac vniuersa, quæ ad vitam, & honestatem clericorum pertinet, parte, variis titulis expressa, præcepta continentur efficiat Episcopus, vt ea omnia ab omnibus, ad quos spectat diligenter, & inuiolatè seruentur.

59 Qui verò clericus, cuiusuis etiã gradus, ordinis, dignitatis, in aliqua re iis non obtemperarit, is salutari pœnitentia, aut pecunia, aut suspẽsione ab ordinum munere, & beneficiorum administratione, aut ipsis etiam beneficiis, aut carcere, aut exilio, aut pluribus simul ex iis pœnis, aut etiam grauioribus pro modo culpæ Episcopi arbitratu mulctetur.

Qui iterum in eadem re peccarit; duplicata is pœna pro ratione criminis ab eodem plectatur.

5. quæ ad cler. hon. att.

60 Quæ in Concilio prouinciali primo iis, qui sacris ordinibus, & Sacerdotio initiati sunt, quique ecclesiasticum beneficium obtinent, de sæcularibus negotiis fugiendis constituta sunt, eadem pœnis iisdem, vel aliis, quas arbitratu suo Episc. edixerit, irrogaritue, illis præscribimus, qui minorum ordinũ clerici sunt; etiam si nullum beneficium obtinent, si modo clericalem vestitum deferunt, cum præsertim iam inde vsque à teneris annis se religionis pietatisque institutis, & disciplinæ ecclesiasticæ moribus, imbuant, oportet, qui in sortem Dñi vocati sunt

Atque in iis quidem, quæ illis vitanda sunt, hæc etiam cautio sit, nè sine Episcopi concessũ, eoque litteris exarato laicis in seruitute, famulatuve operam nauent.

Nec verò cuiquam clerico etiam facultatem det Episc. in aliqua re inseruiendi, quæ clericalis vitæ rationibus, pietatisque officis non admodum conueniat.

2. tit. 2. dec. 32.

61 Clerici in eo officio ne se exerceant, vt vllas mulieres etiam quauis dignitate illustres, doceant legere, scribereve, aut canere, alioue cuiusuis generis musico instrumento sonare nisi ij sint, quibus ætate moribus & vita probatis Episcopi iudicio id permissum est, facultate ab eodem scriptis data.

Nè libris item, de musico cantu obscœnè, vel parum pudicè scriptis illi vtantur.

3. de iis, quę pert. ad or. Sacra. &c.

62 Qui in sacerdotio sancto constituti sunt ad offerendum illud Deo acceptabile Corporis Domini Sacrificiũ, sicut eam functionẽ gerunt, qua nulla maior excogitari potest; ità in omni sacerdotalis vitæ officio sic se gerant, vt morum etiam præstantia, & splendore alios alliciant, atque excitent ad debitum sacerdotio honorem illis præstandum.

Ses. 14. c. 5.

63 Episcopus autem, cuius in primis est sacerdotalem dignitatem tueri, vt laici homines discant illos, tamquam parentes, ab ipsis vnicè in in Christo diligi, & coli etiam debere, cum hoc sæpe, prout vsu venerit, monendos fideles sibi commissos, curet, tum efficiat, vt vbicumque, vel publico, vel priuato loco sint, semper illis à laicalis ordinis viris debitus tribuatur locus, & honor.

64 Idem domi prætereà suæ nè patiatur sacerdotem quemquam abiectius se gerere, quàm sacerdotis dignitas postulat.

65 Sacerdotes verò morbo, senectutisue incõmodis affectos, qui sacerdotale munus præstare nequeunt, inopiàque premuntur, in locum aliquem cogi curet, aut alio modo eis consulat, & prouideat: vbi victus ex fidelium eleemosynis, aliaue ratione suppeditetur, ne ostiatim miserrimè mẽdicent non sine sacri ordinis contumelia.

66 Magna, & salutaris populo fidei vtilitas ex eo existit, cum clerus is est, qui doctrina & vitæ moribus præluceat.

Quare in præcipuis curis Episc. cum hæc esse debeat, eius tum ad studia, tum ad ecclesiasticæ disciplinæ cultum progressiones, omni paterna sollicitudine ille adiuuare studeat.

67 Itaque Episc. inferioris ordinis clericos adulescentes, qui spẽ aliquã præbent, posse eos longius progredi ad doctrinarũ eruditionem, ne patiatur ætatem, quæ ad discendum apta est, frustra consumere: sed in iis litterarum initiis, ac studiis tẽpus ponere iubeat, quibus aditus eis, & progressio fiat, vel ad Theologiæ scientiæ, vel sacrorum canonum peritiam, ad ecclesiasticarumque rerum cognitionem

68 Parochos verò, & alios prouecta ætate clericos, qui apti sint, iis studiis, atque exercitationibus adscribat, vt & in sacrosancti euangelij sensibus iis potissimum cognoscendis, ac percipiendis versentur, qui ad populum Christiana disciplina, moribusque informandum pertinent, & in comparanda etiam doctrina se exerceant, quæ in explicandis est conscientiæ casuum quæstionibus.

69 Iubeat Episcopus clericos frequenter audire magistros, qui casus conscientiæ in monasteriis, vel vbiuis, eius iussũ interpretentur. 1. quę pert. ad sac. pœn. administr.

70 Reliquos autẽ, de quibus aut ob ingrauescẽtem ætatem, aut ob ingenij tarditatẽ, ob aliámve causam, ad literarũ doctrinam capescendam exigua progressionis spes est, in id saltem incũbere iubeat, vt in Romano, vel alio breuiori probati auctoris Catechismo, pro eorum ingenij captu instruantur: iique si rudiores, iam olim sacerdotio, alicuiue sacro ordini adscripti sint, in sacrificij Missæ mysteriorum & sacrorum rituum, statarũque cæremoniarũ cognitione, & in sanctioribus earũ significationibus, atque in sui ordinis ecclesiasticarum functionum disciplina, breui aliqua institutionis ratione erudiantur. 3. de iis, quæ pert. ad or. sacr. &c.

71 Hanc autem diligentiã, & in vrbe, & in diœcesi Episc. exequatur, tum omni, qua poterit, ratione, tum aut opera publicè docentiũ, theologorumve, seu magistrorum, qui in singulis Cathedral. collegiatisque insignium oppidorũ ecclesiis ex Trident. Decr. iam instituti, instituendive sunt; aut adiumento regularium, in monasterijs sacras literas interpretantiũ, siue hoc ipsum munus bonarũ artium disciplinis clericos erudiendi suscipientium, aliqua illis studio suo erogata, attributave eleemosyna, vel si opus erit, ab ijsdẽ etiã Clericis, contributa, aut secularium sacerdotum, quos in sua vrbe, diœcesiue peritiores probatiorésque habuerit studio. Ses. 5. c. 1.

72 Quorum sacerdotum charitati, ac diligentiæ clericos imperitiores, aut singulos, aut complures simul, litteris, & Clericalium virtutum disciplina instituendos commendabit.

73 Diligẽtiæ huius fructus quò vberior existat, is aliquando per annum, doctis adhibitis viris, illorum singulorum ad studia progressiones, prout expedire existimarit, recognoscat omni paterna sollicitudine, & diligenti ratione, institutis etiam per Sacerdotes homines doctos

pro studij ratione, & disciplinarum, quibus se eorum quisque dederit interrogationibus.

74 Cognoscat etiam aliquando progressum, quem in sacrarum cærimoniarum rituumque disciplina ijdem fecerint, opera adhibita sacerdotum ecclesiasticarum cærimoniarum vsu peritorum, à quibus eos ex alterius prouinciali Synodi decreto instrui iussent.

2. tit. 1. dec. 29. 75 Episcopus sacerdotes aliquot vitæ integritate, & scientia probatos in vrbe deligat, à quibus Clerici inferioris ordinis sæpè conuocati, vitæ Ecclesiasticæ moribus instruantur.

76 Eos autem ipsos Clericos vniuersos, semel atque iterum saltem quotannis Episcopus ad se item conuenire iubeat; vt progressiones intelligat, quas quisque eorum ad litterarum cognitionem, tùm ad vitæ spiritualis disciplinā fecerit.

3. Ibidem. 77 Deinde, vt non solùm in litterarum studiis, atque exercitationibus verum etiam in disciplinæ morum officiis clerus se studiosius cōtineat, in diésque magis ad Clericales virtutes progrediatur, idem, & inferioris ordinis Clericos, vt altera prouinciali Synodo iussum est, & Sacerdotes prætereà, modo vniuersos, modo partem eorum, modo certos aliquos singulos ad se aliquando conuocet; illorúmque vniuscuiusque vitæ rationes, christianarum virtutum exercitationes, & progressus cognoscat adhibitis sacerdotibus, in vitæ spiritualis, clericaliumque virtutum disciplina exercitatis.

78 Conuocato, prætereà sæpè per annum, vt aliàs iussum est, ad se clero, aut ipse, aut sacerdos aliquis, vir doctus, in ecclesiasticáque disciplina versatus, eius nomine ad illum, remotis laicis, sermones, concionesue habeat de ordinis eorum præstantia, & sanctissimis officijs, de virtutibus, quibus clericalis ordinis homines prælucere debent, de vitiis, quibus in populo offensionem præbere possunt, de omni denique Clericali morum disciplina virtutūque perfectione.

Quod sequitur vsque ad sequ. decretum videatur in titulo, quæ ad ordinis sacramentum, num. 86.

79 Cleri autem sui, & doctrinæ, & disciplinæ ratio omnis quo sibi exploratior sit, singulorum tum sacerdotum, tum inferioris ordinis clericorum nomina, vitæ rationem, studia, exercitationes, progressiones, statum omnem denique certo libro notari mandet.

4. de vita, & hon. cle. 80 Illud autem vnusquisque Clericus sæpè repetat, se nón ad inertiam atque ignauiam, sed ad spiritualis, & Ecclesiasticæ militiæ labores vocatum esse.

Sciat propterea id in officio suo positum esse, vt cùm vel in officijs diuinis obeundis, vel in frequentandis Ecclesijs, quod debet tēpus consumpserit; si quid sibi reliquum est, id omne non in rerum sæcularium colloquijs, prophanisque actionibus, sed in diuinarum litterarum studiis, & in cælestium rerum contemplationibus, & sanctis, pijsque officiis traducat.

81 Quare vnusquisque huius prouinciæ Episcopus, & alij item, qui illius nomine, atque auctoritate visitationis munus obibunt, videant, atque inquirant diligenter, quibus in rebus tempus Clerici consumant atque in iis potissimum, quæ ab illis agi, curarique debent, qui in Dei cultum se dediderunt.

82 Quod si Clericos aliquos otiosos esse compereriint, inita aliqua ratione, salutaribus eos occupationibus, & Ecclesiastico homine dignis incumbere procurent, ac prouideant omninò, nè isti ad suæ salutis discrimen, & aliorum offensionem otio abutantur.

83 Omnes prætereà, & singulos clericalis ordinis homines hoc decreto monitos esse volumus, vt ad eos se crebrò conferant, qui in sacerdotio constituti, in spiritualis vitæ studijs, & exercitationibus versati, atque eiusmodi sunt, de quorum consilio vitam ad omnes sanctè, religioséque agendi rationes instituant.

84 Ab illorum autem, qui in vitiorum luto volutati, se maleficijs pascunt, familiaritate abstinere, cum eos omnes iubemus, tum præcipuè minorum ordinum clericos, qui nondum ætate confirmata sint, neque firmo virtutum robore muniti, procliuius ad vitia prolabuntur.

85 At illud non modo prohibemus, sed diuina contestatione obsecramus ecclesiastici ordinis homines, eos præsertim, qui in Sacerdotij gradu constituti sunt, quiue animarum curam gerunt, vt quos in vitiorum fæce versari animaduerterint, cautè, & sapienter studeant à peccatis, flagitiisque deterrere, & ad virtutem cohortari; eisdémque in scelerum gurgite laborantibus opem ferre, verbis, consilijs, exemplis, atque ita quidem, vt dum illos iuuare conantur, nè se familiaritate inquinent.

86 Quo diligentius cleri in omni ecclesiastica disciplina progressus constet, vnusquisque sacerdos, & cuiusuis ordinis clericus, de frequenti sacramentorum vsu, de functionibus in Ecclesia præstitis, de lectionibus, studiorumque progressione, de cæteris exercitationibus, sibi præscriptis, testimonium ab iis singulis, quibus ex præscripto accipere oportuerit, singulis mensibus, vel alio stato tempore per Episcopum statuendo, afferant, idque ad constitutam rationē.

87 A Sacerdotibus, ab ijsque etiam, qui prouectiori ætate sunt, hoc si nunquam per ipsos anteà præstitū est, omninò præstari peroptamus, vt cum omnis ante actæ vitæ suæ peccata diligenter, ritéque confiteantur, tum spiritualium exercitationum, prout ijs, qui subdiaconatum, vel diaconatum, vel sacerdotium suscepturi sunt præscriptum est, studium aliquando suscipiant, quo diligētius in via salutis sibi prospiciāt.

88 Malitiæ ac negligentiæ Clericorum, qui quas debent, Canonicas horas dicere omittunt occurrere cupientes ex decreto Leonis X. in Lateranensi Concilio mandamus, vt clericus quicumque Curatum, vel sine cura Ecclesiasticū obtinens beneficium, si post sex menses ab eo die, quo illud obtinuerit, sine iusti impedimenti causa diuinum officium non dixerit, beneficiorum fructus suos non faciat, sed eos, tamquam iniustè perceptos, in eius ecclesiæ fabricam, vel pauperum eleemosynas erogare debeat. 1. de Canonicis horis non intermitt.

89. 90 Si verò, canonicè admonitus eadem negligentiā, ac malitiā, perstiterit, beneficio priuetur.

91 Officium autem omittere, vt beneficio priuari possit, is iure dicatur, qui quindecim dierum spatio bis illud omiserit.

Quæ pœna ab iis, qui plura obtinent beneficia, toties repetenda est, quoties huius delicti

conuicti

conuicti fuerint: quamquam illud grauius est, quod eos omissi officij rationem Deo reddere oportet.

92 Qui verò, sacris initiati, beneficium Ecclesiasticum non habent, si diuinum prætermiserint officium, præter graue peccatum, quod committunt, grauiter etiam ab Episcopis in eos animaduertatur.

3. de iis, quę pert. ad or. sacr. &c. 93 Quod ex Concilio Lateranensi vltimo à nobis prouinciali prima Synodo contrà Clericos iussum est, qui Ecclesiastica beneficia obtinentes, Canonicarum horarum officium intermiserint, id ex Pij etiam V. Pont. Max. constitutione, qua hoc diligentius cautum est, contrà eosdem Episcopus agat.

Ad cuius etiam constitutionis præscriptum eum item mulctet, qui pensionem habens Canonicarum horarum officium de Beata Maria Virgine dicere omiserit,

4. Ibidem. 94 Sacerdos, clericusue sacris initiatus, aut ecclesiasticum beneficium obtinens, horarum Canonicarum officio cum adstrictus sit, meminerit se febri, morbove aliquo, vel aduersa valetudine leuiter aliquando laborantem, non iustam propterea excusationem habere, quamobrem illud intermittat, omittatue.

Itaque si quando corporis infirmitate affectus est, ipse pro sua conscientia rectè videat quid præstare possit, ac nè omittendo grauiter peccet, & beneficij, si quod habet, fructus suos non faciat.

1. qui libri potissimum a clericis legendi. 95 Clerici, postquam decimum quartum annum attigerint, vt legem Domini, in cuius sorte sunt, dies, noctésque meditari possint, habeant sacrorum librorum, si non copiam, certè necessarium delectum; omninò verò Testamentum vetus, & nouum, Catechismum Romæ edendum, cum primum in lucem prodierit, Sacrum Tridentinum Concilium, Constitutiones has nostras, & Diœcesanas proprij Episcopi, Calendarium festorum dierum, quod Episcopi in sua Diœcesi singulis annis edendum curabit.

4. de vita & honest. cl. 96 Parochi verò, vt Ecclesiasticos ritus cognoscere, rectéque curam animarum ministrare possint, præter eos libros, quos suprà diximus, sibi etiam comparent Homiliarium ab Episcopo eligendum, summam Antoninam, vel aliam ab Episcopo delectam, & quos prætereà ab eis legi Episcopus iusserit.

Hortamur autem, vt in lectione Pastoralis Sancti Gregorij, & sancti Ioannis Chrysostomi de Sacerdotio assiduè versentur.

97 Ne clerici apud se libros habeant, aut legant, quorum lectione benè agendi studium, morum disciplina, & timor, charitasque Dei languescere possit: quales libri sunt, qui res, vel inanes vel iocosas, vel scurriles, ridiculasue, vel impuras continent.

98 Rerum nouarum curiositates fugiant: tum nè, quæ ridicula sunt, vnde cachinni, risusque solutiores existunt, loquantur.

5. quæ ad cleri discip. attinent. 99 Reliqui autem Ecclesiastici homines, vtpotè clerici inferiorum ordinum, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, si iurare, necesse habent, id tactis sacris litteris agant.

In causis porrò leuibus, vbi opus est, iurent, manu scilicet pectori admota, si modo superior præsens non adest, quo præsente, contactis scripturis iusiurandum præstent.

100 Rectores parochialium, seu Curatarum Ecclesiarum, quicumque sint, in earum ædibus tantum habitent, ibique cibum, & somnum capiant: nisi aliud Episcopus censuerit ex causa necessaria. 1. de cleric. ædibus.

Clerici, nè de nocte post primam horam, nisi est iusta causa, & cum lumine, domo exeant.

101 Quoniam non solum malum cauere, verùm etiam omnem mali suspicionem fugere oportet, nè in cuiusque offensionem incurramus, in ædibus ad Canonicorum, aliorumue Clericorum domicilium, & vsum ædificatis, aut aliis, in quibus ipsi habitant, fœminas quascumque etiam quouis sanguinis, cognationis, aut affinitatis vinculo eis coniunctas habitare prohibemus: nisi Episcopus in alicuius vrgenti necessitate, aliter faciendum esse duxerit, cuius conscientiam in hoc valde oneramus.

102 Nè parochi, aut omninò clerici, quauis etiam dignitate præditi, Ecclesiæ, etiam si commendata sit, ædes, aut earum partes in vrbe, aut in oppidis positas, in quibus ipsi habitare soleant, aut debeant, vllo modo Laico locent: nisi Ecclesia magnâ prematur inopiâ, & ea domus commodè Episcopi iudicio diuidi possit.

103 Si verò ædes extra vrbem, & oppida ruri sitæ sint, locandi facultatem habeant, modò earum diuisio eiusdem Episcopi iudicio rectè, & commodè fieri possit.

Caueat etiam Episcopus, nè in vrbe, aut extra, huiusmodi ædes, vel aliæ ab Ecclesia seiunctæ, vel etiam si patrimonij sint, ac propriæ, locentur ijs, quorum fidem, vitam, moresve suspectos esse iudicauerit.

104 In quibus Ecclesiarum ædibus ad Rectoris vsum, & domicilium, constitutis, & laici prætereà, facultate impetrata habitant, in iis, nè propter nuptias quidem saltetur, neve comœdiæ, aut spectacula agantur. 1. tit. 1. dec. 14.

105 In hortis, ædibus, aliisve Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum hominum locis, si signa, imagines, aut picturæ sunt, quæ procaces, vel vllo alio modo aliquam obscœnitatis, turpitudinisve speciem præ se ferunt, ita reconcinnentur, vt offensionem oculis nè præbere possint, aut tollantur, aut deleantur ex omni loco, vbicumque extant, neque in posterum eiusmodi aliquo modo effingantur, aut pingantur. 3. de ijs, quæ partim ad ord. sacram. &c.

106 Si quem cuiusuis ordinis Clericum Episcopus concubinam, mulierem ve eo nomine suspectam habere, aut illius consuetudine, commerciove vti, compererit, in eum pœnis à sacris Canonibus, vel statutis Ecclesiæ suæ impositis animaduertat: quod si monitus speciali monitione secundo deliquisse repertus fuerit, tertia pars fructuũ, prouentuumque suorũ beneficiorũ, quo ipso facto priuatus existit, iuxtà Decretũ Sacri Trid. Concilij fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi applicetur. 6. quæ ad cleri discip. attin. Sess. 25. c. 14

Si autem in eodem delicto perseuerans secundæ monitioni non paruerit, omnibus suorum beneficiorum fructibus priuatus, prædictis locis similiter applicandis, ab ipsorum etiam administratione eiusdem Episcopi arbitrio suspendatur, & distributiones quoque quotidianas quas alioquin interessendo diuinis perciperet, amittat. Sess. 21. c. 6. de Refor.

Et si ita suspensus nihilo magis resipuerit, in eum episcopus pro contumaciæ pertinacis ratione, culpæve grauitate sententiam priuationis omnium beneficiorum proferat, & indignus, atque inhabilis ad quæcumque beneficia, & officia declaretur, & præter prædictas pœnas excommunicatione, & aliis ad præscriptum eiusdem Concilij, & pro ipsius Episcopi arbitrio plectatur.

Liberum autem erit Episcopo, monitiones has facere, tum in Visitatione, tùm aliis etiam temporibus, inter vnam, & aliam monitionem, tempus, quod sibi videbitur, interponendo, procedatque ex denunciatione, vel ex inquisitione, vel ex officio, vel alio quouis modo: & prædictam executionem nulla exemptio, aut appellatio, siue ante, siue post diffinitiuam sententiam vllo casu suspendat.

Sess. 21. ca. 21. cap. 1. 107 Hæc eadem, quæ de concubinatu, vel aliis impudicitiæ sordibus Clericorum statuta sunt, seruanda erunt, etiam si quis clericus modo cum vna, modo cum alia impudica muliere deliquisse comprehendatur.

108 Quoniam clerici in fornicationem prolapsi, quorum peccatum eiusmodi notorium est, per sententiam, seu per confessionem factam in iure, aut per euidentiam rei, quæ tergiuersatione aliqua celari non possit: aliquando tamen ante, & sæpè numero post pœnitentiam actam, ordinis, quo initiati sunt, proprium munus sine dispensatione obeunt: quippe cum fortasse non animaduertant, neque Dei offensionem, neque Canonicum impedimentum, quo ob tale crimen sese deuinciunt: idcirco Clerum cùm sæpissimè, omnique studio, periculi huius Episcopi commonefaciant, tùm hoc etiam diligenter curent, vt ij ipsi Clerici, vsque adeò manifesta concubinatus, fornicationisue labe contaminati pœnitentiam verè peragant, & ordinis sui muneris, à quo suspensi sunt, fungendi facultatem dispensationemve ante obtineant, quàm illud ipsi obeant: alioqui meminerint ij, qui in malè agendi consuetudine perseuerantes, antequam pœnitentiam præstiterint, & cuiuscumque vel peccati, vel offensionis publicè occasionem præciderint, ordinis sui functionem ministeriumve Episcopo inuito executi sint, se prætereà irregularitatis maculam, quæ à solo summo Pontifice deleri potest, suscipere. Si verò præstitâ etiam pœnitentia, & peccati, offensionisque publicæ, remotâ, præcisâque occasione, id ipsum egerint, nullâ saltem impetratâ ab episcopo dispensatione, qui eam concedere potest, norint se peccato mortali illigari.

109 Episcopus Clericum alienum, qui in propria diœcesi deliquerit, & ad suam diœcesim confugerit, proprio illius episcopo petente, & sibi de clerici, qui deliquit, citatione, & contumacia, aut condemnatione fidem mittente comprehendi, & ad illum mitti curet, idque sumptibus petentis.

110 Qui, impetrata ab ecclesia discedendi facultate, aliquandiu abfuerit, mensis saltem spatio, postquam redierit, episcopum de suo ad ecclesiam reditu certiorem faciat, quod si neglexerit, perinde censeatur, ac si non legitimè abfuerit.

Cætera ad parochos Sacerdotes, & alios Clericos pertinentia, videantur in tit. de Parochiis, de Canonicalibus, & parochialibus, & copiosius in Indice, verbo, Parochus, Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, Clerici.

Finis Libri Tertij.

CONSTITVTIONVM, ET DECRETORVM

Synodalium Prouinciæ Mediolanensis.

LIBER QVARTVS.

De Ministris Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Ministris Ecclesiæ omnibus certa muneris ratio præscribitur.*
2 *Canonici tres initio anni deligendi, qui de officialium, & ministrorum creandorum moribus inquirant.*
3 *Suum munus ipsi per sese obeant.*
4 *Ministrorum singulorum officia quæ hac prima prouinciali Synodo explicanda.*
5 *Munera alia communi iure, vel Ecclesiarum statutis illis attributa seruanda, vel restituenda. Idque Episcopi cura censuris propositis.* 8.
6 *Canonici duo ab Episcopo adhibendi ad assignandum singulis proprium munus, quibus certum attributum non est.*
7 *Beneficiis quibuscumque immunibus pristina munera restituenda imponendaue, aut ea vnienda.*
9 *A quibus absentiæ facultatem petant.*
10 *Quibus ipsa licentia non prosit.*
11 *Canonicorum pactio, collusio, remissione sublata.*
12 *Quando permittatur cum limitatione ex Quinto.*

- *Ob idque certa constituenda hora. De religiosa in sacris locis conuersatione. num. 5.*
63 *Infideles, &c. eiicere.*
64 *Populum impedire, nè ad Sacerdotem celebrantem propius accedat.*
65 *Campanas pulsare.*
66 *Dormientes, vendentes, deambulantes, &c. monere, & expellere.*
67 *Mendicantes excludere.*
68 *Ecclesiam verrendam curare.*
69 *Bruta expellere.*
70 *Aliaque indecentia amouere,*
71 *Lectoris in ecclesia munus quale.*
72 *Pueros Christianam doctrinam edoceat.*
73 *Exorcistæ munus qui exercere possint.*
74 *Exorcismos memoriæ mandent.*
75 *Ne exorcizent Episcopo inconsulto, & facultate scripto non impetrata. 78.*
76 *Episcopus verò, id non permittat, nisi ætate, & moribus exorcizaturi probatis.*
77 *A quibus exorcizaturus caueat, & quæ seruet.*
79 *Antequam exorcizare incipiat, quid perquirat.*
80 *Nullum donum capiat.*
81 *Vbi exorcizet.*
82 *Et quibus præsentibus, quibusque absentibus præsertim si mulier exorcizetur.*
83 *Quando exorcismus adhibendus.*
84 *Duobus eodem tempore non adhibendus.*
85 *Vt hoc munus religiosè exerceatur quid agendum si inferior, vel Sacerdos sit.*
86 *Energumeni, antequam exorcizentur, confessi sint.*
87 *Mulieris energumenæ caput, corpusve, vt non tangendum.*
88 *Liber in exorcizando, qui adhibendus.*
89 *Regulæ exorcismorum tabella notatæ, vbi proponendæ. 90.*
91 *Acoluthi functiones subdiaconum, & Diaconum assectari illisque inseruire. 92.*
93 *Lumina accendat, & deferat.*
- *Vrceolos vini, & aquæ pro Missa præparet.*
94 *Acoluthi muneris restituendi ratio. 95.*
Comitetur Episcopum, & quando 96.

1. de Ministris Eccl. & diuin. officiis.

NE studium, ac pietas eorum, & qui celebrãt, & qui audiunt diuina officia, perturbetur, neque quisquam alieni muneris partes vsurpet, sed suum quisque officium diligenter exequatur, omniaque vt debent, in domo Dei ordine fiant: decreto Sacri Trident. Conc. obtemperantes, quod in prouincialibus Synodis certam diuinis officiis, & Eccl. ministris formulam pro cuiusque prouinciæ ritu, & moribus præscribi voluit, hæc statuimus.

Ses. 24. cap. 12. 1. communia. de Ministr.

2 Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum capitula, quibus ius est creandi cuiusuis generis officiales, & ministros in eisdem Ecclesiis, initio anni semper tres deligant Canonicos, quorum munus sit, cum huiusmodi creatio facienda erit, prius diligenter, de eorum, qui creandi erunt, moribus inquirere; deinde coram Episcopo iurare eos, quod ipsi sciant, probos, idoneos, & dignos esse, qui ei muneri præponantur. Quod si aliter officiales creentur, eorum creatio nulla & irrita sit.

Conc. trid. ses. 24. c. 12 in fine.

Ses. 24, c. 13. ver. omnes verò.

3 Archidiaconi, & Archypresbyteri, alijque in dignitate ecclesiastica constituti, Canonici, & reliqui ecclesiarũ ministri in Sacris Eccl. officiis munus suũ ipsi obeant, non per alios exerceant.

4 Singulorum autem munera, atque officia, ad res diuinas obeundas pertinentia, hac Synodo explicanda illa quidem videbantur, sed quoniã, quæ ijs de rebus Sacrorum Canonum legibus olim explicata sunt, ea partim vsu eorum neglecto obscurata sunt, partim pro varia, & locorum, & temporum ratione iam pœnè omninò mutata videntur, non certa quædam præcepta tradi, ac præscribi facilè possunt, ad quorum sanè rationem omnis vniuscuiusque eorum munerum regula, atque vsus dirigeretur, eam ob causam his nostris decretis, ea tantum munera præscribenda censuimus, quæ ad Ecclesiarum, quæ in nostra prouincia sunt, administrationem hoc tempore pertinere, maximè viderentur.

5 Sed quæcumque alia etiam munera, vel communi iure, vel probatis cuiusque Ecclesiæ Constitutionibus, vel dignitatum, personatuum, portionum, aliorumue officiorum Ecclesiasticorum institutione, ipsis Ecclesiæ ministris in officiis diuinis attribuuntur, ea omnia magna cura, summáque diligentia studeant Episcopi ab omnibus seruari, & quæ antiquata sunt, ad vsum reuocari.

Nec verò ab iis præstandis cuiquam se propterea excusare liceat, quòd his nostris constitutionibus ex ijs officijs aliqua aliis ministris, vel alio nomine appellatis, adscripta sint.

6 Quòd si aliqua dignitas, personatus, aut officium in Ecclesia fuerit, cui neque ab institutione, neque à iure communi, neque à propriis constitutionibus, quæ probatæ sint, neque his decretis proprium munus in diuinis officiis sic attributum, aut quod sit non satis constet; Episcopi, duobus adhibitis de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter à capitulo deligatur, assignent singulis dignitatibus, & officiis proprium munus, quemadmodum cum sententia sacrorum canonum, & cum propriæ ecclesiæ probatis constitutionibus, & cum his sanctionibus pro ratione loci magis congruere iudicabunt.

7 Cæteris etiam beneficiis, quæcumque iam ab Ecclesiasticis officijs immunia reperiuntur, siue canonicatus, siue clericatus, siue etiam simplicium nomine appellentur, ijs Episcopus pristina munera restituat: ac si non constat satis, qualia ea essent, pro fructuum ratione onera imponat, aut Missis, diuináque officia celebranda; aut si clericatus, simpliciave beneficia sunt, minorum etiam ordinum functiones obeundi ad diuini cultus propagationem. Nec verò tamen vetamus, quin talia beneficia vnire Episcopo liceat ex facultate, sibi communi iure, Concilióque Tridentino permissa.

8 Ea verò officia, & cætera, quæ in diuinis rebus à nobis hac Synodo præcipiuntur, Episcopi, propositis censuris, & aliis pœnis efficient, vt ab omnibus ea ratione, qua dictum est, diligenter præstentur.

9 Ne multis Ecclesiæ ministris eodem tempore absentibus diuinus cultus deseratur; Canonici, & qui præterea choro, vel Ecclesiæ addicti sunt, quo tempore eis à iure communi, vel à sacro Tridentino Concilio permissum est, Ses. 24. ca.
vt ab Ecclesia abesse possint; à Præsidente cho- 12.
ri, si triduo reuersuri sunt, si diutius absfuturi, ab

ordinario facultatem discedendi petant.

Si quid præterea ab eo, qui discessurus est, eius Ecclesiæ constitutiones requirunt, in eo constitutionibus pareat.

10 Nemini autem ita prosit absentiæ licẽtia, vt eo tẽpore distributiones quotidianas percipiat.

c. consuetu. dinem, de cler. non resid. in 6. sess. 24. ca. 12. sess. 22. cap. 3. Ex Quarto etiam de distribut. §. si verè.

11 Nixi etiam constitutione Bonifacij VIII. & Tridentini Concilij auctoritate decernimus, vt nulla canonicorum, aut aliorum pactio, remissio, vel collusio fiat; factaue vim habeat, nullumue statutum, aut consuetudo, quæcumque illa sit, valeat, quibus aut absenti quauis de causa eius diei, vel sacræ horæ, in qua muneri suo defuerit, aut omnino cuiquàm contra, quàm iure communi, & eiusdem Tridentini Concilij, & his nostris constitutionibus definitum sit, distributiones quotidianę dari possint. Si datę fuerint, qui acceperit, suas non faciat, sed eas restituat, quæ iure ipso accrescant aliis inseruientibus, qui huiusmodi pactioni, remissioni, collusioni, vel præbitioni assensi non fuerint, nisi ex constitutionibus Ecclesiæ probatis, alteri debeantur. Si verò omnes consenserint, vsibus Ecclesiæ iam tunc addictæ intelligantur.

12 Declaramus autem in his excipi eos, qui ob infirmitatem, vel aliam necessitatem, aut manifestam Ecclesiæ vtilitatem ex ipsa Constitutione Bonifacij, aut sacris canonibus, vel Tridentina Synodo excusantur.

13 Efficiant Episcopi intra sex menses, vt in Ecclesiis Cathedralib. & Collegiatis, in quibus vel nullę, vel tenues sunt distributiones quotidianę, tertia fructuum pars omnium dignitatum, & canonicatuum, aliorumque redditUum, quemadmodum à Tridentino Concilio præceptum est, in quotidianas distributiones conuertatur.

Sess. 21. c. 3.

1. de off. eius qui choro præest.

14 In Cathedralibus, & collegiatis ecclesiis, qui choro præsidet, vigilet diligenter, ne quid prætermittatur in diuini officij institutione, vel progressione, vel in reliquis, quæ ad probatam chori rationem pertinent, & aliis quæ communibus, vel propriis constitutionibus in diuinis officiis obeundis præscribuntur. Neue absurdè, indecorè, vel præposterè quidquam fiat. Si qui suo officio non satisfaciant, eos grauiter, & amanter obiurget: si non resipuerint, iubeat punctatorem in libro illos describere, & ad Episcopum deferre, cui dignas pœnas pendant.

15 Sin ipse in suo munere obeundo negligens fuerit, ab Episcopo, vel ab alio, qui ecclesiæ præsit, puniatur.

16 Si quæ autem ecclesia non habet, qui huic muneri nominatim præpositus sit, vel si habet, is non adsit in choro, Præsidentis officio fungatur, qui primo chori loco tunc sedet ex iis, qui dignitates, aut canonicatus in ea Ecclesia obtinent.

4. quę pert. ad sanc. Missæ sacr. & diu. offic.

Præfectus chori, vbi ex antiqua, probataque ecclesiæ institutione nominatim nemo est, neque alius item, quem huic muneri Episcopus præfecerit, eiusmodi officio fungatur, vt primo Cõcilio Prouinciali cauetur, qui digniori chori loco sedet: Id verò quò ad alium ei muneri Episcopus arbitratu suo præposuerit. A quo officio quandocumque eum amouere, tùm rursus confirmare Episcopo liberum sit. Qui autem ex antiquo probato instituto gerit, si ei curæ, ad vigilantiæ minus aptum, aut negligentem, aut alias non rectè, vtiliterque munus suum præstantem animaduerterit, illum amouendi, & eidem muneri, illius loco, alium præficiendi, ius item; & facultas omnis eidem Episcopo liberè competat.

17 Qui dignitates, aut personatus in Ecclesiis obtinent, & Canonici nominis, ac institutionis suæ memores ea pietate, & assiduitate diuina officia colere debent, vt alij eorum exemplo ad studium, & amorem diuini cultus accendantur, 1. de ijs, qui dignit. Personatus, aut Canonicatus habent.

Itaque auctoritate etiam Tridentini Concilij præcipimus, vt, cùm in choro psallendum est, ipsi quoque quantum honoris gradu cæteris præstant, tanto studiosius psalmis, hymnis, & canticis, vnà cum aliis modulantes, Dei laudes concelebrent; cui officio si defuerint, pro absentibus habeantur, & earum horarum, quas ea ratione non obierint, distributionibus mulctentur. Sess. 24. ca. 12.

18 Constituatur ex Canonicis Sacerdotibus hebdomadarius, qui diebus infrà statutis Missam, & Vesperas canat: cui octauo die succedat alius eiusdem ordinis: idque semper, aut in orbem fiat, aut alio modo pro Ecclesiæ consuetudine.

19 Is, si suo officio defuerit, trium dierum distributionibus careat, quas Episcopus arbitrio suo, vel cæteris, choro operam dantibus, diuidat, vel in locorum piorum vsum conferat: tributa tamen aliqua parte canonico, qui collegæ munus expleuerit.

20 Reliqui canonici decoro cantu, antiphonas exordiantur, quas Mansionarius dictarit.

Si celebranti Episcopo, aut alia Pontificalia exercenti, diligenter non adstiterint, & inseruierint, pœnam subeant, quæ ei videbitur. Sess. 24. ca. 12.

21 Quibus canonicatibus, præbendis, dignitatibus, aut personatibus, & officiis adiunctum est munus aliquod presbyteri, diaconatus, aut subdiaconatus; qui ea obtinent si, quemadmodum à Tridentino Concilio præscriptum est suo officio per se non fungantur; priuentur eius officij distributionibus, in quo muneri suo defuerint, nisi legitimè impediti, impetrata licentia ab eo, qui choro præsederit, vel superiore ordinario, per alios satisfecerint. sess. 22. c. 4. sess. 24. c. 12.

22 Quibus autem canonicatibus, ac portionibus non est annexus ordo presbyteratus, diaconatus, & subdiaconatus, ij Episcopus, cum consilio capituli, singulis singulos ordines annectat, quemadmodum à Tridentina Synodo præscriptum est. sess. 24. c. 12.

23 Quod de ordine sacro annectendo, iam pridem decreto Concilij Prouincialis primi ex Tridentina Synodo constitutum est, id in executionis vsum ita ab Episcopo inducatur; vt, vel presbyteratus, vel diaconatus, vel subdiaconatus, non ipsis quidem canonicis, sed canonicatibus, & portionibus singulis, quæ in Cathedrali Ecclesia sunt, annectatur: nec verò annexionis decretum locum habeat in illis canonicatibus, præbendisue, quibus in fundatione iam certus ordo annexus est. 5. de initiand. ord. Sac. Ibidem.

24 Quod autem canonicorum saltem dimidia pars, cautum est, vt sacerdotio, presbyteratuve initietur, in ea, cùm dignitates non sess. 22. c. 4.

censeantur, totidem canonicatus sacerdotales constituendi sunt, quot præscriptam illam dimidiam partem conficiant.

25 Vbi primùm vnicuique, vel canonicatui, vel portioni sacer aliquis ordo annexus ab Episcopo est, ad eum ordinem suscipiendum canonicus etiam, qui iam illud obtinebat, compellatur.

26 Si quis autem monitus, non susceperit, priuatus ab illo declaretur ad eiusdem Tridentini Concilij præscriptum.

1. vt sup.

27 Canonici quo tempore diuina officia celebrantur, non habeant capitula, nisi fortasse aliter euidens necessitas postularit. Qui contra fecerint, distributionem ne capiant eius horæ, in qua id commiserint.

Neque etiam diebus festis capitula habeantur, nisi probabilis causa intercesserit.

1. de officio Magistri chori, & cærem.

28 Chori, vel cærimoniarum magister, siue alio huiusmodi nomine appelletur, qui diuinis officijs celebrandis tamquam magister est, denunciet officium simplex, vel solenne celebrandum.

Quãdo de Dominica, vel de festo, vel de feria.

Quæ antiphonæ, orationes, psalmi, lectiones recitandæ, aut canendæ.

29 Quando standum, sedendum, caput submittendum, aut flectenda genua.

30 Omnes ecclesiæ ministros sui officij admoneat.

Adolescentes, vel rudes, quibus Euangelium, Epistola, vel aliquid eius generis publicè recitandum sit, prius in Sacristia audiat, & erudiat.

Eum omnes audiant, qui non audierint, ab eo, qui choro præsidet, corripiantur; & si opus erit, ad Episcopum deferantur.

31 Tabellam in sacristia figendam conficiat, in qua præscribat quid à singulis canonicis, vel aliis beneficiatis in singulis horis per hebdomadam, aut etiam per plures dies recitandum, cantandumve sit. Qui, quo tempore, & ordine Missam celebrare, vel horas dicere, aut alia munera obire debeant.

Qui autem, quod ei tabella præscriptum fuerit, non fecerit; in quam horam peccarit, eius distributiones amittat.

32 Si magister in officio suo deliquerit, à Præsidente chori obiurgetur, & ab ordinario puniatur pro delicti modo.

33 Si in aliqua Ecclesia non fuerit huiusmodi officium, Episcopus, capitulo adhibito, ad id constituat clericum aliquem probatis moribus, & in diuinis officijs exercitatum, cui stipendium det, communibus etiam sumptibus, si opus erit.

34 In qua verò ecclesia fuerint Magister cæremoniarum, & Magister chori distincti, suas cuique munerum partes ex his regulis Episcopus, de capituli consilio, arbitrio suo attribuat.

1. de officio sacristæ.

35 Sacrista habeat custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum & totius thesauri ecclesiastici.

Vasorum, vestimentorum, instrumentorum, & ornamentorum omnium altarium, & reliquorum omnium munditiæ, nitorique consulat. Eiusdem curæ sunt, lumina, cera, & oleum.

36 Vinum, hostias, candelas, & cereos, cæteraque è sacristia necessaria ad diuina officia præparet.

37 Aquam benedictam singulis hebdomadis, vel etiam sæpius, si opus erit, ipse renouet, vel ab aliis renouandam curet.

38 Altare maius, & omnia alia, præcipuè diebus festis, decenter ornet.

39 Hora congrua ipse, vel alius eius vice, campanæ sono det signum matutini, Missæ, & aliarum horarum canonicarum.

40 Habeat in sacristia tres tabellas; vnam, in qua omnes Missæ, & officia pro mortuis, & reliqua descripta sint, quæ ex imposito onere, ac munere, quacumque de causa in ea ecclesia celebrari oporteat; alteram, in qua vniuscuiusque dignitatis, canonicus, præbendæ, capellæ, altaris, seu alterius beneficij & officij eius Ecclesiæ in Missis, & aliis diuinis officiis obeundis debita munera contineantur; tertiam, quam suprà diximus à magistro chori conficiendam esse. Curétque, vt quæ tribus his tabellis præscripta sunt munera, à quibus debent, omninò præstentur.

41 Eiusdem officium erit operam dare, vt è sacristia sermones de inanibus, profanisque rebus, multóque magis iurgia, rixæ, & turbæ omnes arceantur.

42 Laicos ibidem versari ne patiatur.

43 Nemini permittat, vt sacris vestibus induatur, nisi tunc, cum ei Missa celebranda sit.

In ijs, qui primo, qui secundo loco, qui deinceps Missam celebrare debeant, ordinem tabulæ seruandum curet.

Si quis autem suo tempori præstò non fuerit, vel ei, quem absens suo nominè substituerit, vel proximo post absentem, suo arbitrio, Missæ locum det.

Duobus autem ad summum, potestatem faciat eodem tempore parandi se ad Missæ celebrationem.

44 Mansionarij, qui chori sunt quasi quædam columnæ, totum ferè horarum, ac diuinorum officiorum pondus sustinentes, munus suum accuratè obeant. 1. dè officio Mansionarij.

46 Cùm oportuerit, ad lectorile accedant, vt antiphonas, responsoria, gradualia, & alia huius generis canant.

Solennibus festis diebus, & quoties opus erit, pluuialia induant, nisi alij nominatim huic officio præfecti sint.

47 Si muneri duo defuerint, illius horæ, in qua non satis fecerint, distributione priuentur, & alij eius arbitratu, qui choro præsidet, illorum officij partes suscipiant.

48 Iidem, vt muneri suo commodius satisfacere possint, ab ijs oneribus liberentur, quibus ad chori vtilitatem, magistri cæremoniarum, & eius, qui choro præsit, arbitrio leuandi videbuntur: neque quo tempore diuina officia in choro fiunt paruam Missam celebrent, nisi necessitas postularit.

49 Eisdem episcopi honestum stipendium constituendum curent. Quod si illis etiam dantur distributiones, eodem tempore, quo canonici, pro officij, & laboris modo eas percipiant.

50 Ex mansionariis duo in singulas hebdoma-

das deligantur; idque in orbem fiat, nisi aliud probatus ecclesiæ mos requirat.

51 Horum alter officium ordiatur, & perficiat, consistens in medio choro, vel ad lectorile, quod ab ea parte sit, vbi is fuerit: Missam etiam festis diebus semiduplicibus canat, nisi alij sint ei muneri præpositi.

Alter psalmorum tonum instituat pro tempore, & antiphonarum, quæ vbi legendæ fuerint, ab ipso tantum, vel solum ab alio legantur. Diebus verò festis in decantandis antiphonis, canonicis, & aliis voce præeat: & quæ cantanda, vel legenda sint, ipsis indicet. Is, antequam officium inchoetur, chorum ingressus, libros præparet; Miss. m. psalmos, antiphonas, & alia, quæ vsus requisierit, inueniat.

52 Mansionarij in suo munere contumaces, vel negligentes, pro modo culpæ, iudicio eius, qui choro præsit, distributionibus careant.

1. de offic. custodum. Custodes ecclesiæ, vel quicumque alio nomine id negotium curant, obseruent diligentissimè, & clericos, & laicos, contrà decorum, & honestatem ecclesiæ delinquentes, eosque sui officij moneant; ac si non resipuerint, ad chori præfectum, vel episcopum deferant.

53 Omnia, quæ ecclesiarum honestati, ornamento, decorove officere possint, prohibeant, & arceant.

54 Neve quemquam noctu in ecclesia morari sinant.

55 Maximè autem vigilent, ne altaria spolientur, aut quidquam ex ecclesia surripiatur.

1. de functionibus. Minorum ord. ad vsũ reuocãdis. Sess. 23. c. 17. 56 Episcopi ex Tridentini Concilij præscripto veteres sacrorum ordinum functiones, quibus in locis intermissæ sunt, ad vsum reuocandas omni diligentia curent.

57 Atque ideo in Cathedralibus saltem ecclesiis, sex mensium spatio, singulis minoribus ordinibus instituant aliquos, quibus ex eiusdem Concilij formula stipendium attribuant; vt non ea solum munera, quæ illis infrà præscribimus in eisdem ecclesiis expleant; verum etiam cætera, quæ sacris antiquorum canonum decretis ad eos pertinere Episcopi cognouerint; ac, si quæ item alia ad cuiusque ecclesiæ vtilitatem, dignitatemve eisdem pro temporis ratione imponenda duxerint.

58 Quibus sic constitutis, licebit episcopo ab eorum officiorum, quæ ab iis deinceps præstanda erunt, munere alios liberare, quibus id oneris ex nostris constitutionibus suprà impositum est.

4. quæ pert. ad Sacr. Ord. Sess. 23. c. 17. 59 Vt & minorum ordinum functiones ad vsum reuocentur, & per eos tantum præstentur, exerceanturve, qui in illis constituti, adscriptive sunt, ad Tridentinæ Constitutionis præscriptum, hæc decernimus.

Vbi fabricæ ecclesiæ, capitula, monasteria, vniuersitates, confratriæ, collegiave item cuiusuis generis, ac alij prætereà quiuis homines, laicum custodis, aut monachi, vel alio nomine, certis etiam olim, huic muneri attributis bonis, fructibus, redditibus, aut alio quouis modo, nomineve, etiam pro libito suo, constituta mercede, habere, adhibereve solent, qui ecclesiam custodiat, aperiat, claudatve, campanas pulset, aliasve huiusmodi ecclesiasticas functiones obeat, aut alius census est, quauis ratione huic sustentationi attributus, eius laici hominis loco, clericus deligatur: qui pro ratione ordinum minorum, quos susceperit, earum functionum munus præstet: atque is constitutam illi mercedem, aut attributos fructus, redditusve capiat: qui si satis non sint, illa, vel capitula, vel monasteria, vel collegia, vel alij, vt suprà, ad quos vllo modo pertinet, quod deest suppleant.

60 Minorum ordinum functiones, ac munera à singulis clericis pro eorum, quibus initiati sunt, ordinum ratione præstentur, quæ non solum Concilio nostro prouinciali primo præscripta sunt, verum etiam cætera, quæcumque ex sacrorum canonum legibus, & comprobatis ecclesiasticæ disciplinæ monimentis, & ecclesiarum huius prouinciæ rationibus, vberius, & copiosius expressa, ordinéque tradita, ad totius prouinciæ vsum à nobis edentur.

Idque præter functiones, quas Episcopus ad eos, quauis ratione pertinere decreuerit, vel ad cuiusque ecclesiæ dignitatem, vtilitatemve illis imponendas, tribuendasve censuerit, vt est eodem primo Concilio decretum.

61 Tabella verò ex earum omnium functionum præscriptarum ratione, in omni ecclesia Cathedrali, collegiata, & parochiali sit, quæ in sacristiæ loco certo, perspicuoque proponatur, vt clerici adscripti, suas quique functiones nosse, atque exequi ritè possint.

61 Ostiarius fores ecclesiæ custodiat. 1. de Ostiario.

62 Ecclesiam suo tempore claudat, & aperiat.

63 Infideles, hæreticos, excommunicatos, & alios, quibus iure interdictum est, ab ecclesia arceat, & eiiciat.

64 Ne populum propius ad sacerdotem, rem diuinam facientem, accedere patiatur.

65 Campanas pulset.

66 In ecclesia dormientes, vendentes, ementes, deambulantes, colloquentes, aliave ratione officia diuina perturbantes, & quouis modo indecorè, atque irreuerenter se habentes, moneat, si pertinaces sint, expellat, aut ad superiorem deferat.

67 Mendicantes excludat.

68 Ecclesiam verrendam curet.

69.70 Bruta denique, canesve expellat: quidquidve in ecclesia dedecet amoueat.

71 Lector in ecclesia prophetias, quæ in Missa legendæ sunt, & lectiones pronunciet, quæ ex veteri, & nouo Testamento in matutinis dicuntur. 1. de Lectore.

72 Pueros, si ita Episcopo videatur, prima fidei rudimenta doceat.

73 Nemo energumenis manus imponere, aut causa eiicendi dæmones exorcismos legere audeat, nisi exorcistæ ordine sit initiatus. 1. de exorcista.

74 Is exorcismos memoriæ mandare studeat, idque ex libris, Episcopi iudicio comprobatis, & cùm res postulauerit, vt eo munere fungi oporteat, id ne agat, nisi consulto, & consentiente Episcopo.

76 Episcopus autem memini, ne sacerdoti quidem permittat, vt id muneris exequatur, nisi eius ætatem, & mores probarit.

77 Caueat etiam, ne intercedat vllus in exorcismis quæstus, neve vlla curiosa percunctatio, præsertim, quæ ad diuinationem pertineat.

4. quæ ad sacr. vel ad sac. comm. pert.

78 Primo prouinciali Concilio aliqua de exorcistis constituimus, in quibus ad illius muneris, rectè gerendi rationem, hæc prætereà præscribenda censuimus. Ne igitur sacerdoti, clericove sæculari, aut regulari, exorcismum energumenis adhibere liceat, nisi is exorcizandi facultatem scripto exaratam ab episcopo impetrarit.

Quam facultatem, vbi quis probatus obtinuerit, hæc, quæ mox infrà ordine præscribentur, accuratè seruet, atque exequatur.

79 Antequam exorcizare aliquem aggrediatur, perquirat in primis energumeni, energumenæve vitam, ac mores, tùm exploret actiones, & medicum, si expedire censuerit, consulat, adhibeatve, vt videat, an quod ab illo, illave agitur, fiat morbi alicuius, aut bilis atræ vi; an verò spontè, ac dissimulanter, an denique dæmonis, malorumque spirituum vexatione.

Videat item, an ille excommunicationis vinculo irretitus vnquam fuerit, anque absolutionem ritè acceperit.

80 In hoc exorcizandi munere, eiusve occasione, non modo quæstum fugiat; sed nè doni, aut muneris quicquàm, vel minimum capiat.

81 Ne in ædibus laicalibus, locisve priuatis, sed in ecclesia, loco aperto, & conspicuo; neque in omni quauis ecclesia, sed in iis solum, quas certas Episcopus statuerit.

82 Neque in conspectu multitudinis; non remotis tamen arbitris, sed præsentibus viris honestis, atque ætate grauibus, in iisque vno saltem, vel duobus ecclesiasticis hominibus.

Mulieri autem energumenæ, cùm exorcismum adhibet, id præstet, duobus ætate vitaque probatis viris, tùm fœminis etiam, itidem probatis, præsentibus, iisque omnibus, si fieri potest, energumenæ consanguineis, aut affinibus.

Mares autem alios præsentes adesse, ne omninò patiatur; nisi vnum ecclesiastici ordinis hominem.

83 Nè ante ortum, nec verò post occasum solis quemquam exorcizet.

84 Nè duos simul eodem tempore, sed vnumquemque sigillatim, ac separatim.

85 In huius muneris functione, grauiter, piè, & religiosè in primis se gerat.

Quamobrem pridiè illius diei, quo alicui exorcismum adhibere inceperit, se ieiunio, & oratione præparare studeat; Tùm confessus conscientia ab omni culpa, pura, ac munda, magna cum humilitate, & fide, memor potestatis, quam à Domino accepit, expellendi dæmones, ad id munus obeundum accedat.

Si sacerdos autem est, antequàm exorcismum inchoet, Missæ sacrum faciat, si id commodè præstare potest.

86 Energumenis verò exorcismum nè adhibere incipiat; nisi illi primùm confessi sint: ad hocque eos cohortetur, vt omnis ante actæ vitæ peccata diligenti conscientiæ discussione confiteantur.

Tum sæpè moneat, vt precibus, orationi, & sanctis meditationibus, & pietatis studiis, atque exercitationi se dent; religiosas ecclesias, vbi sanctorum reliquiæ reconditæ sint, certis diebus piè visitent; ieiunia præterea, & in sexta quaque in primis feria, quo die passionis Iesu Christi Domini memoria recolitur, religiosè amplectantur.

87 Caueat, dum exorcizat, nè energumenæ mulieris capiti corporive, nisi cum magna honestate, atque cautione manum adhibeat: neve energumenam, energumenumve altari imponat: neve quicquam aliud agat, quod offensionem præbeat.

88 Ne aliis verò exorcismis, precibus, ritibusque ad id munus vtatur; nisi ad libri, Episcopi iudicio comprobati, rationem præscriptam.

89 Cui nihil ab eo addi, detrahi, aut mutari fas sit.

90 Præscriptas has regulas, quò diligentius seruet, tabella descriptas, eo loci sibi proponat, vbi potissimùm id munus geret.

91 Exorcistæ munus, cùm sit energumenis manum imponere, à quibus, vt mali spiritus eiiciantur, ieiunia, & orationes Christi Domini testimonio adhiberi iuuat: eos porrò clericos, qui in exorcistarum numero ascribentur, curet Episcopus in ieiuniis, & orationibus frequentius se exercere. 5. De initian. ord. sacr.

92 Acoluthus subdiaconos, & diaconos ad altaris obsequium assectans eis inseruiat. 1. De Acolutho.

93 Lumina accendat, & deferat.

94 Vrceolos vini, & aquæ ad Missæ sacrificium paret.

95. 96 Vt Acoluthi munus, quod præter cæteras functiones fuit, Episcopum comitari ad eam ipsam functionem, aliqua ex parte restituatur; curet Episcopus clericos, quos in eo ordine adscripserit, eam in loco, vbi ipse est, aliquando præstare, vt opus esse censuerit; præsertim, cùm ad aliquod Episcopale munus obeundum accedit. Siquè complures eiusdem ordinis sunt; rationem certam ineat, vt per regiones distincti, in orbem id muneris præstent. 5. De initian. ord. sacr.

Videatur etiam Titulus de Missis, & Vesperis Pontif. Et de Missis Conuentualibus, & seq.

Communia de ratione diuinorum officiorum, deque quibusdam aliis diuinis officiis, ab horis canonicis.

SVMMARIVM.

1. *Diuinis officiis celebrandis formula præscripta.*
2. *Nihil apocryphum legendum in diuinis officiis.*
3. *Ea, ex Calendarij præscripto celebranda, & iuxtà Breuiarij Romani formam.* 9.
4. *Calendarium ipsum à Magistro chori singulis annis edendum.*
5. *Si non constet, ad quem ea editio pertineat, ab Episcopo deligendus, qui illud conficiat.*
6. *Quando illud emittendum.*
7. *A quo prius recognoscendum.*
Antiphonarij libri, Episcopo curante emendandi. 10.
8. *Ecclesiæ inferiores regulam Cathedralis Ecclesiæ seruent.*
11. *Officiorum communium signum non dandum ante signum Cathedralis, vel matricis Ecclesiæ.*
12. *Diuinorum officiorum causa certa hora campanis pulsandis præscribenda pro temporum ratione.*
13. *Horæ Canonicæ quotidie in choro dicendæ.*

1. Communia de ratione diuinorum offic.

1 2 VIDEANT Episcopi, aliis doctis & piis viris adhibitis, ne quid apocryphum legatur in diuinis officiis, & quò ad eius fieri possit, à communi Romanæ Ecclesiæ officio ne discedatur.

3 Diuina officia ex ordine Calendarij, & Ecclesiæ instituto celebrentur: nec ea ratio sine iusta causa mutetur.

4 Quamobrem à Magistro chori Cathedralis Ecclesiæ, vel alio, cuius id munus sit, edatur singulis annis Calendarium dierum festorum, quo singulorum dierum officij ratio præscribatur.

4. quę pert. ad Sanctiss. Missæ sacr. & diui. officia.

5 Calendarium, quod ex Concilij prouincialis primi decreto, pro certa diuini officij recitandi ratione, quotannis edi oportet, si minus constat, à quo confici, edive debeat; Episcopus deligat, constituatve, qui hoc præstet, neque id cuiquàm recusare liceat.

6 Ita verò, à quo debet, in tempore conficiatur, vt & mense saltem ante Natiuitatem Domini in lucem emissum sit.

7 Ante verò quàm prodeat, Episcopo tradatur, qui recognoscat, aut ab aliquibus, quos eius rei peritos delegerit, recognosci iubeat.

1. vt suprà.

8 Omnes inferiores ecclesiæ, quæcumque illæ sint, diuinorum officiorum rationem dirigant ad regulam Calendarij Cathedralis Ecclesiæ, neque ab ea discedant. Si quæ verò ecclesiæ diuinorum officiorum alios ritus habent, Apostolica auctoritate concessos, eis vtantur; verumtamen ea quoque, quæ hic de diuinorum officiorum ratione præscribuntur, vbi Apostolicæ concessioni expressè non aduersentur, inuiolatè seruent.

2. tit. 2. dec. 11.

9 Episcopi curent, in sua quisque diœcesi, vt officia diuina, quæ singulis canonicis horis præstari debent, & publicè in Ecclesia, & priuatim à singulis sacerdotibus, clericisve inferioris ordinis, qui illa obire debent, celebrentur, & peragantur, ad præscriptam Breuiarij Romani nuper editi, rationem: nisi tamen ecclesiæ eiusmodi sint, in quibus ex veteri consuetudine, vt summi Pontificis Pij V. literis, eo nomine confectis, cautum est, alius ritus, aliaque ratio adhibeatur. Si verò secus à quibusdam factum erit, cùm isti, vt eisdem summi Pontificis literis nominatim sancitum est, horarum canonicarum officio, quod debent, non satisfaciant; eos ipsos Episcopi pœnis iis mulctent, quæ Lateranensi Concilio à Leone X. & Prouinciali Synodo superiori, contra clericos constitutæ sunt, qui canonicarum horarum officium intermittunt.

Bulla, inf. de Const. num. 4.

Sess. 9. c. 9.

6. quæ ad diui. offic. pert.

10 Libri, qui certis antiphonarum modulationibus olim notati, ex Breuiarij nuper editi præscripto nondum emendati sunt, in sua quisque diœcesi episcopus curet, vt quamprimùm, & accuratè emendentur, atque accommodentur ad Breuiarij noui editionem.

11 In vrbibus, oppidis, aut vicis nullum signum communium officiorum campana detur ante signum Cathedralis, vel cuiusque loci matricis ecclesiæ, nisi episcopo aliud videatur: maximè verò sabbato hebdomadæ sanctæ, & in Angelica salutatione matutina, meridiana, & vespertina: qua in re matutinum excipimus, quod non vbique eodem tempore dici soleat. 1. vt suprà.

12 Episcopus pro temporum ratione, ac vicissitudine certam horam, certumque interuallum pulsandis campanis præscribere curet, quibus diuinorum officiorum significatio detur. Quæ certa, interuallisque distincta pulsationis ratio in tabella edita ordine notetur, vt & vrbanis, & diœcesanis ecclesiis vsui rectè accommodata, vbique eadem ad præscriptum eiusdem episcopi seruetur. 4. Ibidem.

13 Horæ canonicæ omnes quotidie in choro dicantur: quæ ratio neque concione, neque solenni Missa, neque alia causa impediatur, nisi euidens necessitas intercesserit, de qua iudicium sit Episcopi. 1. Ibidem.

14 Iisdem prætereà, Dominicis, festisque aliis diebus, quibus officium duplex peragitur, diuina singularum horarum canonicarum officia, psalmi scilicet, hymni, antiphonæ, responsoria, & reliquæ horariæ preces, non verbis recitentur, sed stata modulatione canantur. 1. Ibid. 5. iisdem.

15 In matutino tamen officio, & Prima, si ita episcopo videbitur, præterquam in anniuersariis festorum dierum solenníoribus celebritatibus, canora, distincta tamen vocum pronunciatione psalmos dici liceat; at hymni, antiphonæ, responsoria, & reliqua eiusmodi; tum prætereà psalmi ad laudes stata omni cantus modulatione omninò pronuncientur.

16 Vbi verò, vel instituti, vel consuetudinis est, festis diebus, matutini etiam, vel primæ psalmos, aut aliis prætereà ferialibus diebus reliquarum horarum psalmos, & omne officium cantu præstari: illud institutum, consuetudinemve perpetuò retineri iubemus.

17 Si verò quid aliquando inciderit, quamobrem diuina officia diutius, quàm temporis ratio postulat, protracta sunt; tùm Episcopi concessu, iussuve horaria sextæ, & nonæ officia, si minus stato cantu possunt, verbis solum, distinctè tamen, & in choro pronunciari, & præstari licebit.

Festis verò, Dominicisque diebus, & aliis, quibus concio, aut solennis processio, aut sacra ordinatio habetur, si matutinum officium media nocte non dicatur, ita saltem anticipata episcopi iudicio hora inchoetur, vt & aliarum deinceps horarum officia, & Missas singuli sacerdotes, & Missam conuentualem collegiatim, tempore suo, ex instituto peragant, & concioni interesse possint.

18 De sancto, cuius sacrum corpus, aut caput, aut brachium, aut crus, aliæve sacræ reliquiæ, Episcopi iudicio insignes, asseruantur, duplex officium fiat, in ea tantum ecclesia, vbi reconduntur, nec verò in aliis, nisi regulis Breuiarij

Romani id præscribatur, aut alia causa grauis episcopi iudicio insit.

19 De sanctis item, quorum altaria in aliqua Ecclesia sunt, duplex in ea tantum ecclesia fiat, idque tunc solum, quando scilicet ex antiqua, probataque consuetudine, vel iusta alia causa Episcopus censuerit faciendum.

20 De iis, qui beati dicuntur, neque sedis Apostolicæ auctoritate in sanctorum numerum adscripti sunt, horarium diuinarum precum officium ne fiat, nisi consulta eadem Sede Apostolica, facultateque literis Pontificiis concessa.

21 Officia diuina, sicut alia semiduplicia sunt, quædam duplicia, alia simplicia: ita pro eorum ratione certam regulam in iis singulis celebrandis adhiberi oportet. Quare Episcopus duobus de capitulo, quorum alter ab ipso, alter à capitulo deligatur, aliisque ecclesiasticis hominibus rituum scientia, & vsu peritis, quos ipse delegerit, in consilium adhibitis, cantus modulationem, luminum numerum, & qualitatem, vestium apparatum, campanarum sonum, ministrorumque rationem pro illorum ritu præscribat, in iis scilicet, quæ adhuc Conciliis prouincialibus præscripta non sunt, donec alio tempore in Concilio prouinciali certa eorum ratio statuatur, vt ritè, & diuino cultui congruenter omnia præstentur.

22 Quæcumque verò, aut in hoc, aut in superioribus Conciliis prouincialibus de festis duplicibus seruari iussum est; & in ecclesiis, ritu Ambrosiano vtentibus, cùm pro illius ritus ratione nulla sit simplicis, aut semiduplicis, aut duplicis officij distinctio, sed tantum solennis, aut non solennis, in festis iis locum habeant, quæ licet ex præcepto, consuetudineve non colantur, officio tamen solenni celebrari in Calendario, aut Breuiarij rubricis præscribetur.

23 Nec horæ aliquæ Beatæ Virginis, ne in Ma-
1. Ibidem. tutino quidem, in choro omittantur, exceptis diebus, & locis, quibus ex ratione officij eas prætermittere licet.

24 Quibus in Ecclesiis diuinum canonicarum
4. Ibidem. horarum officium de Beata Maria Virgine recitari, aut solet, aut debet, earum clerus vniuersus illud in choro præsens pariter recitet, atque officium, quòd de Domino dicitur: id verò ita, vt singulas horas canonicas vnius officij, cum singulis alterius, ex Breuiarij Romani præscripto, ordine coniungat.

25 Quicumque ab vnius horæ officio de Beata Maria abfuerit, distributione illius horæ perinde mulctetur, ac si ab horæ eiusdem officio, quod de Domino recitatur, abfuerit.

1. Ibidem. 26 Horæ ita commodè diuidantur, vt manè aliquod interuallum si id fieri potest, sine detrimento diuini cultus, detur canonicis, & aliis ad studium diuinæ Scripturæ, aut sacrorum canonum.

3. de iis, quæ ad diui. offic. pert. 27 Ne in choro, Ecclesia, sacristia, quod ad diuinorum officiorum rationem, ritumve pertinet, quicquàm alius iubeat, nisi chori Præfectus, vel is, cui pro officij, quod gerit, ratione, id muneris competit, pœna ei constituta, Episcopi arbitrio.

4. Ibidem. 28 Dignitatem obtinenti, & canonico item, & alij cuicumque chori officiis adstricto, almutiam, superpelliceum, cappam, aut aliud canonicale, aut proprium sui ordinis vestimentum, pro temporis, vel diuini officij, quod obit, vel pro sui in Ecclesia, chorove muneris ratione, non induto, distributio statæ canonicæ horæ ne detur, in qua hic, illeve sine eiusmodi indumento adfuerit.

29 Ne quis canonicus, dignitateve præditus, aut ecclesiæ cuiusuis minister, clericusve quicumque, dum horariis diuinarum precum officiis interest, aut processiones, funera, vel functiones ecclesiasticas obit, superpelliceo, aliove sacro indumento indutus, chirothecis etiam manus induat.

30 Chorus ita, vel sepiatur, vel constituatur, vt tempore diuini officij laicis aditus in eum esse non possit, vel saltem à clericis seiuncti sint. 1. Ibidem.

31 In choro, vel omninò in ecclesia nemo ministret sine superpelliceo aut cæteris indumentis, quæ pro ratione officij requiruntur. 1. Ibidem.

Superpellicea latis sint manicis, non angustis, instar rocheti.

32 Candelæ, & cerei in Missa, & aliis diuinis officiis ea exiguitate ne adhibeantur, quæ in tanto mysterio dedeceat; & adstantibus offensionem adferre possit. 1. Ibidem.

33 Curent iidem, vt ex eo more pulsandi in tenebris sanctæ hebdomadæ ad repræsentandam creatarum rerum perturbationem in passione creatoris, omnis licentia, & indecorus tumultus amoueatur. 1. Ibidem.

34 Triduo illo hebdomadæ sanctæ, quo ex sanctæ Ecclesiæ Romanæ consuetudine strepitus, & fragor fieri solet ad significandam in Iesu Christi passione illarum rerum omnium commotionem, is semel tantum post extremam matutini officij orationem adhibeatur, ad rubricæ Romanæ præscriptum. 4. Ibidem. Inst. supp. eccl. lib. 2. De suppell. quæ Missæ Conuent. diuinorum offic. processionumque vsui communis est, in cath. colleg. & paroch.

35 Cura verò sit eorum, qui ecclesiis præsunt, cauere, vt à populo religiosa vij, merentisque animi meditatione, ille fiat.

36 *Crotala, siue crepitacula lignea tria saltem in Basilica Cathedrali; in Collegiata duo, totidemque in parochiali Ecclesia ad vsum pulsandi, loco campanarum, in tenebris hebdomadæ sanctæ habeantur.*

37 *Crotala lignea, quæ ex vsu Ecclesiæ in hebdomade sancta tenebris adhibentur, ex tabula sectili nucea, querneave fiant: longitudine verò sesquicubitali, & latitudine cubitali constent. A summo habeant foramen, per quod manus inseritur, lamina ferrea munitum; tum prætereà laminas quatuor, quinqueve ab vtraque parte affixas, ex ære, seu ferro, vel totidem pilas ex ligno, rotundas, fune appensas, sonum ex percussione reddentes.* Inst. for. supp eccl. lib. 2. De Crotalis ligneis.

38 *Candelabrum triangulare ad vsum sustinendi candelas in tenebris hebdomadæ Sanctæ, præterquam in Metropolitana: idque in Cathedrali, collegiata, & parochiali ecclesiis, ritu Romano vtentibus.* Inst. supp. eccl. lib. 2. De suppell. quæ Missæ Conuentualis, &c. vt suprà.

39 Plena sanctissimis mysteriis, cum sit consecratio episcopi, præter multa, quæ de tempore, loco, & formula eius, patrum institutis præcepta sunt, illud à Felice IV. Pontifice Maximo constitutum etiam est, vt anniuersarius eius consecrationis dies celebraretur. 3. de iis, quæ ad diui. offic. pert.

40 Quod institutum, iamdiù intermissum, vt in hac prouincia ad vsum reuocetur; statuimus, ab vnoquoque episcopo anniuersarium consecrationis suæ diem solenni ritu agi.

41 Si verò in consecrationis diem festus dies inciderit, cuius festi diei officium ex instituto ecclesiæ transferri non liceat, consecrationis celebritas in alium diem transferatur, quo agi liceat.

4. quę pert. ad Sanctiss. Missæ sacr. &c. 42 Quod ex Felicis IV. Pontificis Maximi, sanctione in Concilio prouinciali tertio decretum est, episcoporum prouinciæ consecrationes quotannis solenniter celebrari; id ita deinceps præstari decernimus. Die anniuersario consecrationis, si Dominicus, vel festus sit, episcopus solenni celebritate de eo Dominico, festove die Missam celebret; adiunctis pro se orationibus, in Missali Romano, nuper edito, præscriptis.

43 Si verò consecrationis anniuersarius dies in feriam, aut festum simplex cadit, Missæ sacrificium solenne de consecratione, prout in Missali Romano, faciat.

44 Quo consecrationis die episcopus exemplum etiam sequatur, atque amplectatur, sanctissimorum episcoporum, Pontificumve, qui suscepti muneris curam, onus, & sollicitudinem in memoriam reuocantes, anniuersario eo die non solum sacrificio, religiosisque precibus diuinæ bonitati gratias agere non destiterunt: sed concionibus, pastorali charitate plenis, clerum, populumque expositis multiplicis suæ curæ partibus, excitare voluerunt, cùm ad opem, sibi à Deo implorandam, tùm ad omnia religiosæ pietatis officia colenda.

45 Vtque consecratio Episcopi à sacerdotibus, etiam sacrificiis, & à reliquo clero piis precibus recolatur: in Calendario anniuersario, die suo, notetur: tùm populo etiam, vt moris est, denuntietur, vt is quoque sanctius illum diem veneretur: tùm pro charitatis officio, quo erga Episcopum, & patrem esse debet, vehementius excitetur ad preces pro illo piè adhibendas.

6. quæ ad diui. offic. pert. 46 Pro Episcopo, qui pater, magister, duxque cleri, & populi est, si quando ex febri, aliove morbo laborans decumbit, omnis debitæ pietatis ratio deposcit, supplicationem, orationemve, & publicè, & priuatim sanctè celebrari. Quamobrem, cùm occasio tulerit, eius Vicarij officium erit, certis diebus illam instituere, atque indicere: ita vt cùm in vrbis, tùm etiam si ægritudo diuturnior erit, in diœcesis omni Ecclesia, tam collegiata, quàm parochiali, pro Episcopo ægrotante à clero, populoque prece religiosâ oretur, & ab vnoquoque sacerdote in sacrosancto Missæ sacrificio stata etiam oratio frequenter fiat.

47 Quo die sanctissimus Pontifex consecrationis, coronationisve insignia accepit, pietatis ratio postulat in eo precationem à clero pro illo piè adhiberi. Quamobrem omnis sacerdos quo die summus Pontifex consecratus, coronatusve est, in Missæ sacrificio stata illa oratione, Deus omnium, loco suo in Missali adscripta, pro eo precetur: atque ob eam quidem causam consecratio Pontificia, cùm in Calendario anniuersario die suo notetur, tùm etiam de more denuncietur, vt reliquus etiam clerus, & populus itē excitetur, ad preces pro illo piè adhibendas.

48 Summo Pontifici vniuersalis Ecclesiæ Pastori, & parenti, si quando illum ægrotare contigerit, id charitatis officium, prout morbi grauitas tulerit Episcopus præstari curet, vt ob eam causam in Cathedrali, Collegiata, parochialique vnaquaque Ecclesia, clerus, populusque certa stata hora pro ipso Pontifice oret.

49 Si quando autem is ex hac vita migrarit, nuncio certo moris allato, id curet; vt cùm in omni ecclesia campanarum sono, vt pro mortuis fit, de more pulsetur; tùm in Basilica Cathedrali, Ecclesiisque collegiatis, Missa solennis, & officium pro eo mortuo ritè, piéque celebretur.

50 Sacerdotes verò, quo die eorum vnusquisque sacerdotio initiatus est, illum etiam quotannis recolant Missæ sacrificio, & precibus. 3. de iis, quę ad diu. offic. pert.

51 Quo die aliqua ecclesia, vel Cathedralis, vel collegiata, vel parochialis consecrata est, is singulis annis solenni ritu agatur, & Missæ sacrificiis, & diuinis officiis, & decenti illius Ecclesiæ ornatu.

52 Quòd si certus consecrationis dies ignoratur, non est tamen de consecratione dubitatio; illius diem certum Episcopus statuat.

53 Qui constitutus dies consecrationis Ecclesiæ Cathedralis, in Calendarium quotannis referatur; stataque eius celebritas ab vniuerso clero agatur.

54 Collegiatæ verò, & parochialis Ecclesiæ dedicationis dies celebretur ab illius ecclesiæ clero.

55 Curet autē episcopus ne eo die, mane saltem, quo tempore diuina fiunt, si ecclesia parochialis sit, fideles quicūque in illius ecclesiæ cuius anniuersarius consecrationis dies celebratur, finibus habitant, seruilis operis quicquā faciant: neque tabernas, officinasve aperiant, quò frequentiores conueniant ad illius officij celebritatem.

56 Sexta quaque feria, in singulas hebdomadas, paulò ante horā nonam, signum in vnaquaque Ecclesia cāpanæ sono detur, quo fideles admoniti, eadem hora, Iesu Christi Domini passionem omni intima mentis pietate recolāt; terque orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ex animo pronunciantes, quadraginta dierum Indulgentiam quam in sua quisque Episcopus diœcesi concedet, consequantur. 2. tit. 2. dec. 10.

57 Religiosis Christianæ pietatis institutis, in vsum introductis, cùm ad sanctè agendi studiū, adiutrice in primis Dei gratia, progressio maior in dies esse soleat: curet Episcopus, vt singulis sabbatis; sāctissimæ Virgini, Deique Matri Mariæ dicatis diebus, stata illa, & solennis, quæ veteri ecclesiæ instituto, perpetuoque vsu de ea dicitur Antiphona, Salue Regina, vel alia pro ratione temporis, in parochiali, tum vrbana, tùm diœcesana vnaquaque Ecclesia à Parocho, & reliquis illius parochiæ clericis, quibus ab episcopo iussum erit, sub vesperū, ante crepusculum scilicet, piè, religioséque canatur, conuocatis etiam, certo campanæ signo, fidelibus. 3. de iis, quæ ad diu. offic. pt. 1.

58 Postridie illlius diei, quo omnium fidelium defunctorum commemoratio fit, ex antiquæ ecclesiæ instituto, & diuinum officium, & Missæ sacrum pro mortuis ritu solenni in ecclesia Cathedrali ab Episcopo, & Capitulo fiat pro suæ vrbis Episcopis; qui mortem obierunt. Reliqui prætereà singuli sacerdotes pro iisdem illo ipso die sacrum faciant.

59 Die proximè sequēti, pro mortuis canonicis, & aliis

& alijs de capitulo Ecclesiæ suæ à singulis capitulis, & Cathedralis, & collegiatæ Ecclesiæ fiat.

5 quæ ad diuin. offic. pert.

60 Vt Passio Christi Domini Redemptoris, à fidelibus in hora redemptionis suæ digna veneratione coleretur, illud in ecclesia sancta perpetuò institutum, religiosóque vsu, ac solenni ritu piè retentum est, vt in feria sexta Parasceues, in qua idem Christus Dominus mysterium Crucis expleuit, certa stata hora ab vniuerso clero, & populo, certis peractis precibus, & orationibus adoretur. Sed quoniam factum est, vt in multis prouinciæ locis non post, sicut instituti, ritúsque veteris est, sed ante statas illas preces ea adoranda proponatur, aut saltem adoratio fiat à multo populo, anteaquàm ex ritu ecclesiæ solenniter proponatur, & à clero adoretur: nos, vt, quod non sine mysterij significatione ecclesia instituit, ad statæ horæ vsum, solennéque adorationē reuocemus; id statuimus, vt in omni prouinciæ ecclesia Cathedrali sacrosanctæ crucis, per quam redempti sumus, adoratio religiosè celebretur, recitato scilicet de passione Euangelio, & peractis illis statis precibus, & orationibus, vt instituti ratio postulat. Quare vnusquisque prouinciæ episcopus efficiat, non solum, vt stata ea hora in sua Basilica Cathedrali præstetur; sed caueat etiā, vt in omni ecclesia collegiata, & parochiali, in omnique oratorio societatum, vbi fit ea adoratio, non antè, quam in eadem basilica cathedrali, primariave, si locus diœcesis sit, celebretur.

61 Nec propterea concionator desistat, quin pro sanctæ ecclesiæ vsu ad excitandam populi fidelis compunctionem eo sacro die eam de suggestu proponat, & ostendat.

Quin etiam curet Episcopus, concionem illam statim post recitatam passionem Domini haberi; nisi aliter aliquando magis expedire censuerit.

62 Et quoniam sacra ea feria Christus Dominus humiliatus est pro nobis patri, vsque ad mortem, mortem autem crucis; illius humilitatis imitatores in sanctissimæ crucis stata illa adoratione ità esse oportet, vt quod antiqui ritus est, non tantum genibus flexis, sed prostrato humi corpore humiliemur, quò significantius eo corporis habitu fixam, constantémque animi nostri humilitatem demonstremus: ideo Episcopus curet, vt corporis prostratione, quæ Christianæ humilitatis index est, ea solennis adoratio celebretur.

63 Episcopus, in cuius diœcesi ecclesiæ, locave olim ordinis Humiliatorum extiterunt, vbi Pij Quinti Pontificis constitutione, certus sacerdotum numerus præfinitus est, in eo euigilet, vt ne, fratribus illius olim ordinis decedentibus, illæ ecclesiæ debitis officijs, ac muneribus defraudentur: sed cum eorum aliquis mortem obit, in eius locum sacerdotem aliū subrogari curet. At in quibus ecclesijs certus numerus constitutus non est; efficiat, vt quot anteà sacerdotes ibi sustentari consueuerant, totidem retineantur. Atque id quidem omne is exequatur, pœnis etiam, & censuris, arbitrio suo propositis, vt nihil planè pereat, quod earum ecclesiarum cultui debetur.

64 In capella, canonicatu, aliove beneficio etiam simplici, quod quis vna cum alio incompatibili ex legitima dispensatione iam obtinet: Episcopus constitutis etiam Vicarijs, certáque fructuum parte attributa consulat, & prouideat, vt ea beneficia debitis ministerijs, debitóque cultu non fraudentur.

Idem efficiat, si eiusmodi beneficijs quis ob aliud legitimum etiam absentiæ impedimētum munera sua non præstet.

65 In Diuinis officijs, aut omninò in Ecclesijs, nec profana cantica, sonive, nec in sacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppressæ, quàm ore expressæ, aut denique lasciua vlla canendi ratio adhibeatur. 1. de Musica, & Cantorib. sess. 24. c. 12. sess. 22. de obseru. & euit. &c.

66 Cantus, & soni graues sint, pij, ac distincti, & domui Dei, ac diuinis laudibus accommodati: vt simul & verba intelligantur; & ad pietatem auditores excitentur. 1. Ibid.

67. 68 Cantores, vbi fieri potest, clerici sint, omninò autem in choro clericalibus vestibus, & superpelliceo vtantur.

69 Nec verò etiam ecclesiasticus homo cantoris, sacristæ, custodis, clerici, in Missæ sacrificio ministrantis, munus, aliamve ecclesiasticam functionem, in quauis ecclesia suscipiat, nisi illius vniuscuiusque muneris in ea ecclesia gerendi ab Episcopo facultatem scriptam, quotannis renouandam, vita etiam, ac moribus ab eodem probatus, impetrarit. 4. quę pert. ad Sacr. ord.

Qui aliter susceperit, obierit ve, qui item aliter, quàm præscriptum est, conduxerit, aut receperit, pro modo culpæ, arbitratu Episcopi puniatur.

De organista item, vel laico, vel ecclesiastico homine idem constitutum, sancitumve sit.

70 Cùm clerici desunt, qui cantorum in diuinis officijs partes præstent, ita vt laicos homines ad id muneris aliquando mercede conduci, adhiberive necesse sit; tunc ij non solum in Missa solenni, & diuinis officijs, id quod in compluribus huius prouinciæ ecclesijs vsu seruatur, sed & in processionibus, & in funeralibus, & in alijs ecclesiasticis actionibus ad quas, vel in ecclesia, vel foris adhibentur, cùm id munus gerunt, habitu clericali, superpelliceóque decenti, ad Conciliorum prouincialium præscriptum vtantur: vita prætereà, & moribus ab Episcopo, scripto ante probati sint. 4. quę pert. ad sanct. Missæ sacrif. & diu. offic.

71 Nec verò contra quàm præscriptum est, cuiquam laico in ecclesia musici, cantorisve munus illis diuinis ecclesiasticisve officijs, aut in ecclesia, aut foris concelebrandis committatur: nec rursus ille suscipiat, geratve, pœnis, mulctisve propositis, arbitratu Episcopi; eas autem pœnas luat, tùm qui susceperit, tùm qui commiserit, dederit, conduxerit, permiseritve, quicumque sit, siue capitulum, siue fabricæ administratores, siue rector ecclesiæ, siue confratriæ præfecti, siue alius quispiam, ad quem id pertineat.

72 Organo tantum in Ecclesia locus sit; tibiæ, cornua, & reliqua musica instrumenta excludantur.

73 Et si hymnis, psalmis, & canticis, suis vicibus organo canatur, omnes tamen eorum versiculi in choro distinctè pronuncientur.

74 Organista, Dominicis, festisquè diebus Episcopum ad diuina officia aduentantem, vbi primū pro basilicæ foribus est, decora, grauique organi modulatione excipiat: neque sonare de- 5. quæ ad diuin. offic. pert.

sistat, quousque ad altare genibus flexis orauerit, locóque suo sederit.

Idem præstet, cùm peractis de more officijs inde discesserit,

Item dum ille Missæ sacrificium, aut vesperarum officium solenniter celebraturus, aliove Pontificali munere perfuncturus, vestes sacras induit, nec quicquàm canendum à choro est.

Hoc verò omne agat semper cùm in diuinis officijs, ad quæ Episcopus conuenit, organa pulsanda sunt.

1. quando. & quomodo ad diuina officia conue. sess. 24. c. 12. in fine.

75 Cùm in ecclesiam ad diuina officia diurna, vel nocturna conueniendum erit, id campanæ sono significetur; ea interposita mora, qua omnes facilè possint conuenire.

Signo audito, qui dignitates in ecclesia, etiam si præfecti sint, personatusve, aut canonicatus habent, cæterique omnes, qui interesse debent, præparent se ad diuinas laudes: & maturè ad ecclesiam progrediantur.

Ingressi in ecclesiam, factisque ad Sacrosanctam Eucharistiam, vel vbi ea non seruatur, ad altare maius precibus, recta in sacristiam proficiscantur.

Quo loco, retenta talari veste, superpelliceum assumant, & reliquum vestitum ad sacrum munus necessarium, quod vt seruos Dei decet, tacitè, & modestè faciant.

In ingressu chori ad Matutinum, & alias horas, & diuina officia, is ordo seruetur.

Vt paulò post vltimum campanæ signum ad rem diuinam faciendam, vniuersis in sacristia paratis, pulsetur paruula campana qua egressus sacerdotum ad Missas celebrandas significari solet, vt omnes, qui in ecclesia, vel circum eam sunt, diuini officij celebrationem instare intelligant.

Posteà omnes de sacristia ordine procedentes exeant.

Et vbi se ad altare humiliter inclinarint, suum quisque locum in choro adeat.

Ibi flexis genibus, & submissa voce saltem orationem Dominicam dicant. Deinde dato signo, vel pronunciato, Pater noster, per hebdomadarium, ad initium officij omnes surgant, & officium inchoetur.

Qui verò in ecclesia, vel circum eam, aut in sacristia fuerit, & eo ordine chorum ingredi neglexerit, dimidia parte distributionum illius horæ priuetur, nisi aliqua de causa, quæ ei, qui choro præsidet, vel ordinario probetur, impeditus fuerit.

Si quis ausus fuerit inchoare officium, priusquàm eo ordine in chorum conuenerint, & distributionem illius horæ amittat, & grauiori etiam pœna ab Episcopo plectatur.

Si quis autem alijs in choro iam consistentibus, aduenerit, idem institutum seruet, & in sacristia, & in choro.

Si quis non venerit ad matutinum ante finem capituli de beata Maria virgine, cùm de ipsa officium celebratur; alioqui ante finem psalmi, Venite exultemus; in alijs etiam horis ante finem primi psalmi, pro absente habeatur, illiúsque horæ distributione careat.

In Missa verò, nisi venerit ante finem vltimi Kyrie eleison, eandē negligentiæ pœnā subeat.

Si quis, cùm possit initio officij, vel supplicationum conuenire, aduentum suum in extremum à nobis præfiniti temporis punctum de industria distulerit; absentis loco habeatur.

76 Omnes in choro diuina officia, vt temporis ratio postularit, alternis vocibus canant, recitent, attentéque audiant. 1. Quomodo versandū in choro. sess. 24. c. 12. in fi.

Id non cursim, non perturbatè, non oscitanter, sed leniter, distinctè, ac studiosè faciant.

In choro pro temporis, & officij ratione ex instituto, & more ecclesiæ sedeant; stent, flectant genua, caput aperiant, & submittant, cæteráque eius generis adhibeant. Omnes verò æquè idem faciant.

In choro etiam in matutino officio, clericali birreto; non pileo vtantur; alioqui moneantur à Præsidente chori, vel ab eo, qui proximo loco sedet: & nisi paruerint, pro absentibus habeantur.

Facessant somnus, risus, ioci, rixæ, colloquia.

Nè vagentur in choro, vel ecclesia.

Neve locum mutent, nè occasione quidem genua flectendi,

Nè in choro, vbi communi officio opera datur, priuatim officium dicant.

Neve litteras, libros, aliave scripta legant.

Nè exeant, nisi diuino officio confecto, nè causa quidem de communi re agendi, si necessitas nō coëgerit: cúmque à præfecto venia petita.

Si, cùm diuina celebrantur officia, sacerdoti, vel clerico, vel ministro, interdum per ecclesiam necessariò sit incedendum, grauiter, & modestè id faciat. Neque cum vllo sermonem habeant de rebus inanibus.

Qui dignitates, aut personatus habent, canonici, & alij omnes, qui aliquid in his commiserint, si moniti à Præsidente chori, non resipuerint; & horæ illius distributione careant: & pro modo culpæ alias pœnas dent, Episcopi, aut eius qui Ecclesiæ præsit, arbitratu.

77 Post diuinum officium in Choro flexis genibus submissa voce saltem orationem Dominicam dicant. 1. Quomodo à Choro receden.

Tum vel surgente, vel signum dante hebdomadario, consurgant omnes.

Et inter se cōsalutātes, & ordine procedētes, simul exeant; & de more ante altare se inclinēt.

Eodémque ordine ad Sacristiam progrediantur; vbi modestè, & quietè superpelliceum exuant, non in Ecclesia.

Qui secus fecerit, monitus à præfecto Chori, nisi resipuerit, distributionem illius horæ nè capiat: & ab Ordinario pro modo culpæ plectatur.

78 Chori disciplina, plena religionis est, plena pietatis, ac proptereà sanctè ab ijs obseruanda est, qui in eum locum conueniunt ad Dei laudes concelebrandas. 5. quæ ad diuin. offic. pert.

Quare, præter illa, quæ in Concilio Prouinciali primo, de illius cultu præfiniuimus, hæc admonemus, quò religiosius non modo excolatur, sed multis partibus augeatur sancta eiusdem Chori institutio.

Primò, vt studio quodam intimæ pietatis, cuius splendor foris etiam eluceat, vnusquisque, vel Canonicus, vel alius minister, quicumque sit, qui Chori officijs astrictus est, ad Chori disciplinam sese instruat.

Anteà verò, quàm eo conueniat, paululum

attentè secum cogitet, & loci illius sanctitatem, & conueniendi causam, & diuinarum laudum, quarum munus angelorum est, officia, quæ castissimè ab omnibus concelebrari oportet.

Hac ipsa in cogitatione firmiter inhærens, nè quicquam quidem mente, animóque concipiet, ab eius loci religione alienum, nè dum aget, quod Dei oculos offendat.

Paret se proptercà etiam atque etiam diligenter sancta intimi animi meditatione, & religiosa oratione, vt exteriorem quoque cultum diuinorum officiorum salutariter exequatur.

Dum superpelliceum, qui amictus ex tela linea candida constat, induit, cogitet, quam personam sustineat, nempè à sordibus labeque puram, qualem vestitus ille indicat.

Cùm almutiam pelliceam, quod insigne Canonicorum est, humeris, vel brachijs, prout moris est, Canonicus imponit, eam cogitationem suscipiat, in se restinctas, ac planè mortuas esse oportere rerum mundanarum affectiones, atque cupiditates, vt eius rei significans est illa animalis inter mortui pellis, quam de more induit.

Si verò, vt plerisque in Ecclesijs instituti, consuetudinisve est, cappam induit, quæ humeros contegit, & brachia quasi deuincit, ex eo amictu intelligat, se repressas, quasique deuinctas habere oportere appetitiones, ac se totum ad Dei voluntatem accommodare.

Cum igitur ijs chori vestibus indutus, alium vestitum, quo foris vtitur contegat, sicque aliā personam habitu gerat; caueat, nè quicquam etiam in Sacristia, agat, admittatve, quod cum actione non rectè conueniat, ob quam illum habitum induit.

Ne in colloquiis quidem, ab ea actione alienis se occupet: nisi curæ præsit, quæ id necessariò postulet.

Abstineat autem semper, sed maximè, dum chori vestibus indutus est, vbicumque sit, vel in sacristia, vel alio loco, à iocis, à ridiculè dictis, facetiisve, à cachinnationibus, à verbis futilibus, atque inanibus, quæ temerè, & imprudenter effunduntur.

In Chorum nè properanter, quasi distributionū quæstu incitatus, accedat, sed graui incessu.

Dumque ad Chorum procedit, quàmquam alij comes adiunctus, at quasi solus accedat, in ea meditatione fixus, vt secum cogitet, se ad Chorum, nempè ad sancta sanctorum, vt canone antiquo cautum est, & ad publicæ orationis sacrificium accedere.

Cum in Choro est, animum, mentemque ab omnibus curis, perturbationibus, & cogitationibus, à rei, quæ geritur, sanctitate alienis, quoad eius fieri potest, abducat, seseque totum in Dei cultu colligat.

Illud etiam cogitet, quàm ob causam eò sese contulerit, tum sibi statuat se in conspectu Dei omnipotentis, & in corona innumerabilium angelorum, & sanctorum esse.

Quam in cogitatione videat, perpetuóque reputet se eo loci consistere, vt Deo sanctissimum cultum, venerationémque tribuat, atque ab eo, & sibi, & alijs omne bonum deprecetur.

Consideret verò ipsum Deum, tamquam patrem, & redemptorem amātissimum, optimum, sapientissimum, misericordissimum, quique omnia intuens vbique & semper est.

Tùm cordis castitatem, benéque orandi donum, & gratiam à Deo supplex petat, orationisque suæ sacrificium simul cum meritis Iesu Christi, & sanctorum, eius præsertim, cuius memoriam ecclesia illo die celebrat, ad gloriam sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, & ad suam, proximorumque vtilitatem dirigat.

Cum psallendum est, primùm psalmi argumentum, mente, animóque concipiat.

Obseruet prætereà, quis in psalmo loquatur, an Deus, an ecclesia, an pœnitens, an aspirans ad perfectionem.

Attendat item, ad quem præcipuè salutarem affectum psalmus referatur.

Cùm ita se religiosè parauit, magna animi attentione se ad verba, sententiásque psalmi accommodet; ità vt laudet, gemat, extimescat, sicut psalmorum voces indicant: & quod denique ore profert, animo primùm concipiat.

Tùm verba singula notet, interpretationem studio assequatur, vnde mens, animusque ad aliquem salutarem affectum incendatur.

Ad verba etiam adiungat animo cogitationem, vel amoris, vel reuerentiæ; vel humilitatis.

Atque ita quidem affectum aliquem excitet, vt si de virtute verba psalmi profert, desiderio accendatur imitationis; si de peccatis, intimè doleat, quòd in eo statu ipse fuerit, aut certè proximi eius. Et sic de alijs item, quæ psalmo significantur.

Eam porrò attentionem initio vniuscuiusque psalmi, orationis, & aliarum diuini officij partium, tùm singularum horarum canonicarum renouare, atque excitare studeat; præsertim dùm illa verba, quæ ad sanctæ orationis spiritum inflammandum valent, pronunciat, *Deus in adiutorium meum intende*, &c.

Itidem faciat, cum aliorum se cogitationibus distrahi animaduertit.

In fine etiam vniuscuiúsque psalmi sese excitet illis verbis, *Gloria Patri*, &c.

In conclusione item orationum, cum dicitur. *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, spe sancta ergà illum, redemptionis nostræ auctorem sese confirmet.

Et quoniam attentio valde admodum excitatur, si quæ quisque profert, rectè intelligat: ideò in ea potissimum expositione psalmorum assiduè versetur, quæ non varia sit; sed quæ tota in excitandis, exercendisque sanctis affectibus versetur.

Cum autem magnus psallendi fructus in psalmorum affectibus versetur, siuè quis in Choro, siuè priuatim, siuè submissa, siuè alta voce oret: idcirco certos sibi locos psalmorum præfiniat, quibus omnis hæc ratio concludatur.

Loci præcipui, præter cæteros, hi sint, vnde salutares affectus existunt, laus Dei, memoria bonorum nostrorum, commemoratio nostræ miseriæ, & reprehensio malè agentium.

Psalmorum verbis, cum Dei bonitas prædicatur, ad illius dilectionem, & ad gratiarum actionem de beneficijs, quæ à diuina benignitate proficiscuntur, se toto animo accendat.

Cum illius infinita sapientia, potentia, commemoratur; admiratione afficiatur: tum intimè

gratuletur, cum aliquid Dei auxilio bene gestum narratur.

Cùm bonorum memoria recordatióque psalmorum vocibus excitatur, desiderium quoddam concipiat, illa sibi, & alijs consequendi; tum illa eadem à Deo petat, tùm in Deo spem animo capiat fore, vt diuina eius ope, non modo quæ bona sunt, quæque salutaria, assequatur; sed quæ mala, ac quæ perniciē afferūt, vitet.

Aliquando etiam intimè in Domino gaudeat, se bona, Deo iuuante, adeptum esse, & mala cauisse.

Ex miseriarum commemoratione, timorem concipiat, dolorem, ac humilitatem, cum suas cognoscit infirmitates.

Ex reprehensione malè agentium, agnoscat zelum diuinæ vindictæ, & indignationem contrà nequitiam. Atque ità quidem ex salutaribus his affectibus fructum psallendi vberrimum capiet.

Peroratis psalmis, absolutóque Canonicarum horarum officio paululum tacitus consistat, genibúsque flexis veniam deprecetur, & negligẽtię, & distractionis, alicuiusve culpę, quã in eo precationis officio admiserit; túmque hoc oret, vt pro Christi, totiúsque Ecclesiæ meritis, orationis suæ obsequium, ac ministerium gratum sit, atque acceptum.

In eo psallendi officio, cùm ea mentis attentio, & salutaris affectus, tùm corporis decens compositio requiretur.

Ideò, præter ea, quæ de genibus flectendis, de capite inclinando, de stando, de sedendo, ac de cæteris partibus in primo Concilio constituta sunt, quædam etiam in Choro cauemus; quæ, vt potè minùs decentia, & à loci illius cultu aliena, vitari oportet, ea verò tabella descripta sunt, quæ cura nostra edetur, ac in singulis sacristiis Ecclesiarum, tùm Cathedralium, tùm Collegiatarum, tùm parochialium affixa perpetuò sit.

Tùm verò etiam hæc ipsa monita, alia tabella descripta, itidē in singulis Sacristijs habeãtur.

1. de Matutino, & prima. 79 Matutinum officium, vel media nocte, vel saltem eo tempore instituatur, vt sub ortum solis absolutum sit, vel ea hora, quam Episcopus præscripserit: ea tamen habita ratione, vt verè matutinum dici possit; & aliæ horæ, Missæ, & officia, maturè perfici queant. Sed prætereà eorum Canonicorum, & clericorum commoditati consulatur, qui propè ecclesiam non habitant.

80 Matutinum Vesperi non dicatur, exceptis tamen diebus octauæ festi & solemnis diei Corporis Domini Iesu Christi, cæterisque diebus, quibus ex Romanæ Ecclesiæ instituto est permissum in ijs Ecclesijs, vbi hæc consuetudo seruatur.

Matutinum in Choro Ecclesiæ celebretur quouis anni tempore.

At si tamen vehementia frigora sint, vel aliæ vllæ iustæ causæ intercedant, de licentia Episcopi in sacristia, vel honesto alio eius Ecclesiæ loco dici possit.

81 Prima oriente sole dicatur, vel paulò post, pro consuetudine ecclesiæ.

4. Quæ pert. ad 82 Horæ sextæ, & nonæ item officia diuina, antè, aut post Missæ conuentualis sacrificium, pro ratione temporum, & officij diuini, ad præscriptum rubricæ Missalis Romani celebrentur; nisi aliquando vrgens causa incidat, quamobrem illa alio tempore, quàm præscriptum est, in choro tamen, celebrari, peragique Episcopus iusserit. sanct. Missæ sacrif. & ad diu. off.

83 Diebus Dominicis, festisque alijs, quibus officium duplex peragitur, canonicus hebdomadarius, dum vesperarum officium obit, celebratve, pluuiale induat: tùm etiam duo ecclesiæ ministri pluuialibus induti adsint, eáque munera præstent, quæ præstari moris est.

84 Quoniam supellex, quæ canonicis, cæterisque Cathedralis, & Collegiatæ, ecclesiæ ministris in diuinis officijs celebrandis vsui est, libello instructionis ecclesiasticæ supellectilis præscripta, cum supellectile, quæ in Missis conuentualibus adhibenda, permixta est; ideò de ea ipsa supellectile infrà oportunè agetur, tit. de supellectili, quæ canonicis, cæterisque Cathedralis, Collegiatæ, & parochialis ecclesiæ ministris in Missis conuentualibus diuinisque officijs vsui est. Deque supellectile, quæ in processionibus adhibenda est.

85 Sicut sancta mater ecclesia, pro temporum, officiorúmque ratione, sacrarum vestium apparatum, ornatúmque coloribus distinctum esse voluit; ita quemadmodum etiam Missalis Romani rubrica præscribit, in omni ecclesia & altare, & sacerdos celebrans; sique solenniter fit, diaconi etiam, & subdiaconi, & alij eiusmodi ministrantes, sacro vestium amictu, vt pro ecclesiarum facultatibus fieri potest, induantur: qui, colore distinctus, diuinorum officiorum ritui, & temporum rationi conueniat. 4. vt suprà.

86 Libri item, seu volumina ad vsum diuinorum officiorum in Cathedralibus, collegiatis, & parochialibus ecclesijs, cùm aliis voluminibus ad Missam conuentualem decantandam, aliosque vsus pertinentibus, coniuncta sint, de illis propterea commodius post titulum de supellectili, &c. tractabitur.

Ad hunc Tit. facere etiam possunt Tit. de Missa & Vesperis Pontificalibus, De Missis conuentualibus, De Missa parochiali, & Missis sine cantu.

De Missa, & Vesperis Pontificalibus, vel Episcopo præsente ab alijs cantandis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus quibus diebus solennem Missam canat. & s q.*

2 *Quibus vesperas, & Matutinum obeat, ac concionetur.*

3 *Episcopo solenniter Missam celebranti adsistat sacerdos pluuiali indutus.*

4 *Cui alteri is assistat, vel non.*

5 *Assistentis munere nemini attributo, quid ab Episcopo præstandum: Quique exempti ab officio Assistentis.*

6 *Quando alij Canonici eidem assistant, quæque non assistentibus constituta pœna; & vbi; quibusque in actionibus Episcopalibus. Et de Ministris eccl. numero. 20.*

7 *Eodē Episcopo Missam solennē celebrãte, à quibus Pluuialia, Planetæ, & Dalmaticæ induendæ,*

& à quibus non celebrandum. 9.

In illo etiam Altari eo die ab alio sacerdote non celebrandum. De Missis sine cantu ab episc. celebr. num. 4.

8 *Quæ alia cæremoniarum ratio seruanda.*

10 *A quo Euangelium canendũ, & libro assistendũ.*

11 *In benedictione Episcopali impartienda festis diebus, maioribúsque solennitatibus, quod officium Diaconi, alteriusve.*

12 *Missæ, Vesperæ, & alia diuina officia Pontificalia in Calendarium referenda, & festo præcedente denuncianda.*

Vt Principes, & Magistratus Missæ, & Vesperis Pontificalibus, ac supplicationibus intersint, Episcopi cura. De fest. dier. cultu. 24.

Quæ, quotuplexque supellex Missarum diuinorum officiorum ministeriorúmque Episcopalium propria. De supellectile Missarum, &c. Episcop.

Quæ item, ac quotuplex aliorum ecclesiæ ministrorum Episcopo solenniter diuina officia celebranti inseruientium. Ibid.

13 *Episcopo absente, vel impedito, quis eius loco, ijsdem diebus solennibus cantet.*

14 *Quibus diebus Missæ sacrificio, & diuinis officijs intersit.*

15 *A quibus ad ecclesiam deducendus, & reducẽdus.*

Quod item officium organistæ, erga Episcopum in ecclesiam aduentantem, orantem, vestes sacras induentem, & de ecclesia abeuntem. De diu. off. numero. 74.

16 *Eidem assistentes canonici duo.*

17 *Ante ipsum in Missa, quando canonici coronam faciant.*

18 *Benedictio ab Episcopo facienda, & quo ritu post Missam, ac Vesperas, 11. 12.*

19 *Diuinis officijs, quibus Episcopus intersit, ipse initium faciat.*

20 *Supellex adhibenda in Missis, & diuinis officiis, Episcopo præsente canendis, quæ & qualis.*

1. De Missa solenni. 1 EPiscopus Missam maiorem, & vesperas, nisi impediatur, paschalibus, & alijs maioribus festis diebus cãtet.

4. Quæ pert. ad sanct. Miss. sacr. & ad diu. off. Ea fuit olim vigilantissimorum, sanctorúmque Episcoporum religiosa pietas; vt non modò in solennioribus anniuersarijs celebritatibus; sed ferè in singulis festis, & Dominicis diebus, ijsque præsertim in Aduentu, & Quadragesima solenniter Missæ sacrificium celebrarent. Quod institutum cùm refrigesceret, aliquando Innocentius Tertius, Pont. Max. vehementer doluit. Cui sanè rei, in prouincia nobis commissa, prospiciendum, atque consulendum est pastorali cura nostra, iàm sanctionibus Tridentinis, auxiliante Christo Domino, excitata ad reuocandam, restituendámque ac studiosè retinendam pristinæ pietatis disciplinam, atque vsum. Et si igitur multiplicibus alijs Episcopalibus curis, ijsque varijs, & quæ etiam ad continendos in obedientiæ, disciplinæque Christianæ officijs populos attinent, pluribus hoc tempore Episcopi distinentur; at solennioribus tamen diebus, quibus religionis Christianæ mysteria celebrantur, in diuinis officijs, sacrisque solenniter faciendis, illos frequentius, ac studiosius versari oportet.

Itaque his solennibus, festisque diebus infrà ordine præscriptis, quibus & patrum monimentis, & veteri rituum, cæremoniarúmque Romanarum codice, coquè comprobato, & antiqua, religiosáque nonnullarum huius prouinciæ cathedralium consuetudine, ab Episcopis, prout etiam ipsa Christianæ religionis mysteria postulant, solenniter fieri traditum est, Missæ sacrificium solenni, pontificalique cæremoniarum ritu ab eisdem celebretur.

In sanctissima Natiuitate Domini nostri Iesu Christi.

Die solenni Circumcisionis, quæ est octaua Domini.

Die solenni Epiphaniorum.

Feria quinta in Cœna Domini.

Die sanctissimo Paschæ Resurrectionis.

Die sanctissimæ Ascensionis.

Die sanctissimo Pentecostes.

Die solennitatis sanctissimi Corporis Christi Domini.

Die Natalis sancti Ioannis Baptistæ.

Die festo sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli.

Die Assumptionis Beatissimæ semper virginis Mariæ.

In solennitate omnium sanctorum.

Die festo sancti, sanctæve, cuius nomine ecclesia cathedralis dedicata est: & die prætereà festo præcipui patroni ciuitatis.

Die consecrationis ecclesiæ anniuersario.

Die item consecrationis suæ anniuersario.

Die primo Synodi diœcesanæ.

Diebus statis, quibus sacras ordinationes solennes Episcopus habebit.

Diebus prætereà alijs pro consuetudine suæ Ecclesiæ, tùm alijs item, quibus ex graui præsertim causa Missæ sacrificium solenni ritu celebrare eorum vnusquisque censuerit.

2 Quò studiosius autem religiosa sua sollicitudine, sanctissimæque pietatis exemplis fidelium animos, atque mentes ad religionis Christianæ officia Episcopi inflamment; hoc etiam pro pastoralis officij munere curent, vt quibus diebus Missarum solennia in Basilica Cathedrali concelebrant: ijsdem, quod antiqui instituti, consuetudinisque fuit, & vesperarum officium, & matutinum solenni ritu ipsi obeant. Tùm prætereà ijs diebus, vt religiosi cultus exemplo, sic sacra pastorali concione, aut sermone intrà Missarum solennia fideles sibi commissos pascere nè vllo modo omittant. Fideles verò quò magis à pastoribus suis religiosæ vitæ exemplis, consilio, spectatisque virtutibus adiuuantur, eò vehementiùs se in omnem benè, sanctéque agendi partem excitare; tùm cumulatius Christianæ disciplinæ officia præstare eos oportet. Quare festis his diebus, cùm frequentissimi ad Missarum Episcopalium solennia conuenire studeant; tùm è sacra benedictione Episcopali aliquem salutarem fructum, largiente Domino, consecuturi, nè ante inde discedant, quàm ab Episcopo illam demisso, humilique animo, & genibus flexis de more acceperint. Vt id sanè omni studio illi præstent, cùm eos crebrò præmonere, tùm graui sermone cohortari parochi sollicitè curent.

3 Episcopo, & ei, qui in Ecclesia dignitate 1. Ibidem.

prædītus sit, & canonico, die festo solennem Missam celebranti, adsistat sacerdos, qui adsistens dicitur, pluuiali indutus.

4.Ibidem. 4 Quod de assistente, pluuiali induto, in Concilio prouinciali primo decretum est, itâ dumtaxat, locum habere decernimus, vt Episcopo & alij, Episcopalibus insignibus vtenti, is adhibeatur; alij præterea nemini.

5.Ibidem. 5 Si adsistendi munus nemini attributum est, Episcopus cum capitulo attribuat; vel certos eligat sacerdotes, qui id in orbem obeant: cuius officij immunes sint hebdomadarij, Magister chori, & Punctatores.

4.Ibidem. 6 Episcopo, in vrbe etiam, extrà Ecclesiam Cathedralem, pontificalia munera obeunti, vt potè consecranti, vel reconcilianti ecclesias, cœmiteriave, aut ordines sacros, aut confirmationis sacramentum, aut sanctissimam Eucharistiam frequenti populo ministranti, aut alia huiusmodi munera pontificalia exercenti, cùm is iusserit, assistant, inseruiant, ministrentve, quicumque ex iis, qui dignitates obtinent, & de capitulo, ac reliquo ecclesiæ clero eidem Episcopalia munera in Ecclesia Cathedrali exercenti inseruire, assistere, ministrareve solent, aut debent. (Côc. Trid. sess. 24.c.12)

7 Quibus in Ecclesijs Cathedralibus dùm vesperarum, aliarumve canonicarum horarum officia, Missarumque solennia ab Episcopo solenniter fiunt; canonici item, quique dignitatem obtinent, pluuialia, aliasve sacras vestes pro libri pontificalis Romani ratione non induunt; in ijs ex eiusdem, & aliorum item de ceremonijs ritè conscriptorum, probatorúmque librorum præscripto ad vsum introducatur, aut intermissus reuocetur ille, Episcopalibus officiis conueniens, pluuialia aut dalmaticas, aliumve sacrum vestitum, vt potè planetas, certis statis diebus induendi mos. Itaque vbi illa indumenta totidem non sunt, quot pro induentium numero esse deberent, quàm primùm ad officiorum pontificio, solennique ritu, vt decet, celebrandorum, vsum comparentur communi vniuersi Capituli sumptu: nisi iure, aut consuetudine, aliave ratione à sacristia, vel à fabrica, vel à singulis canonicis eum sumptum præstare oportere Episcopus consueuit; tuncque à quibus debetur, planè præstetur temporis spatio, quod idem Episcopus præscripserit.

8 In cæteris quoque omnibus, quæ ad ceremoniarum rationem, ritúmque pertinent, regulæ in libro pontificali, cæremonialique item probato de diuinis officiis, pro temporum ratione, ritu Rom. præscriptæ diligenter, & accuratè omnino seruentur. Id autem omne præstari, atque in vsum omninò introduci, Episcopi cura sit.

9 Dùm in ecclesia Missæ sacrificium siue cantu, siue absque cantu Episcopus facit, nè intereà ab alio sacerdote in ea fiat, quò ad ille, sacro peracto, de more benedixerit: nisi aliquando secus ob vrgentem causam permittendum duxerit. Quod institutum, cùm Missæ Conuentuales ab alijs celebrantur præsertim festis solennibúsque ecclesiarum diebus vbique tùm maximè in oppidis, pagisve in vsum introduci idem Episcopus curabit.

10 Archidiaconus, etiam si sit sacerdos, vel præbendam etiam sacerdotalem, præter Archidiaconatum, obtineat, Missæ sacrum solenniter Episcopo celebrante, vt & in Metropolitana & in alijs huius prouinciæ ecclesijs compluribus moris est, suique muneris, euangelium canat; vel, vbi ex consuetudine id non seruetur, omninò vt Diaconus, diaconalibus vestibus indutus, Episcopo assistat. Archipresbyter autem officio assistentis ad librum seruiat; nisi ex consuetudine Præposito, vel alteri, dignitate sacerdotali prædito id competat. Cui muneri, qui sine legitima causa, ab Episcopo approbata, defuerit, distributionibus illius diei sibi debitis, & grauius ex contumacia eiusdem Episcopi arbitratu, mulctetur.

11 Quod religiosi instituti, piæque consuetudinis sunt, & in compluribus adhuc huius prouinciæ Ecclesijs aliqua ex parte retinetur, pontificalique libro antiquo traditur, de diaconi, alteriusve ministri & chori officio in Episcopali benedictione, id ad vsum vbique reuocari, pastoralis curæ est, cùm præsertim ad inflammandam fidelium pietatem, præparandámque in ea Episcopali benedictione attentionem attineat. Itaque diebus Dominicis, festisque cùm Episcopus benedictionem de more impartiet, diaconus, vel alius minister, ad quem de more pertineat, cuive Episcopus iusserit, ad populum conuersus, his cantu solenni pronunciandis vocibus præeat. *Humiliate vos ad benedictionem.* Tùm à choro respondeatur. *Deo gratias.*

In maioribus autem solennitatibus aliquanto id solennius præstetur, ritu scilicet, qui in antiquo libro Pontificali ità præscriptus est, vt chorus primò dicat. *Princeps Ecclesiæ pastor ouilis, tu nos ben dicere d gneris.* Tùm diaconus respondeat: *Humiliate vos ad benedictionem.* Post clerus humili voce concinat *Deo gratias s mper agamus.* Demùm Episcopus solenniter benedicturus, dicat præscriptas, pro temporum ratione, orationes, quæ ex libro antiquo pontificali descriptæ, edentur.

12 Solennes Missæ, Vesperæ, aliaque diuina officia, quæ ab Episcopo ritu pontificali solenniter celebrabuntur, quo populus frequentior conueniat; cùm in Basilica Cathedrali, tùm in Ecclesijs collegiatis, & parochialibus item Ciuitatis die festo proximè præcedenti denuncientur: cúmque ob causam in Calendarium anniuersarium referantur, vt ordine descriptæ sunt in Concilio prouinciali quarto. (6 Quæ ad diu. off. pert.)

Si quæ autem Missæ, aliave officia, ob causam, quæ extrà ordinem inciderit, aliquando pontificali ritu, solennique celebranda erunt, Episcopi iussu, ijs in tempore significentur à quibus populo denuncianda sunt.

13 Cùm Episcop9 statis præscriptis dieb9 quibus debet, vel quia abest, vel morbo, aliave causa occupatus distinetur, Missam, vesperasve, aut alia diuina officia solenniter non celebrat, tunc eius loco hoc præstet, qui in ecclesia cathedrali primam sacerdotalem dignitatem obtinet. Hic verò si aliquando abest, aut impeditus est; is, qui post illam sacerdotalem item dignitatem, vel canonicatum obtinens aliis dignior non impeditus, adest, id munus obeat. 4.Ibid.

14 Episcopi, quàm sæpissimè possunt, solenni Missæ, ac diuinis officijs intersint. Diebus verò 1.De Missa solenn.

Dominicis Aduentus, & Quadragesimæ, nisi legitima causa intercesserit, omninò nè desint.

15 Episcopum ad celebrandam, vel audiendam Missam, ad aliave diuina officia solennia venientem, canonici deducant, & reducant.

5. Quæ ad di. off. pert. 16 Episcopus pro cæremoniarum ratione, rituve, cum Missæ conuentuali, aut diuinis chori officijs in Basilica cathedrali, vel in alijs Collegiatis ecclesijs interest, & item cùm processiones agit, aliave eiusmodi; adhibeat sibi assistentes duos de capitulo, qui ei, etiam cùm ponticale officium non celebrat, in omnibus his, alijsque actionibus, assistentium munera omnia præstent.

4. Ibid. 17 Missæ sacrificium cum solenniter, præterquàm pro mortuis fit, cui episcopus præsens adsit, canonici, & aliqua illius ecclesiæ dignitate præditi, quo tempore Hymnus, *Gloria in Excelsis*, & Symbolum item, & alia eiusmodi canuntur, ad Episcopum ordine veniant, in cujus conspectu corona facta, tunc simul cum eo singulas illas Missæ partes dicant, pro cæremoniarum ritu, ac ratione.

18 Peracto Missæ conuentualis sacrificio, vesperarum officijs in ecclesia absolutis, in quibus Episcopus præsens aderit, diebus Dominicis, ac festis, & alijs item, quibus ex cæremoniarum Romanarum vsu, ritúque moris est, solenniter ipse benedicat.

Quod sanè etiam præstet peractis solennibus processionibus, alijsque id generis officijs.

6. Quæ ad di. off. pert. 19 Episcopus diuinorum officiorum, quibus præsens in Ecclesia adest, initium, statis precibus, versibusve faciat, orationésque statas ipse dicat, binis accensis luminibus in eius conspectum allatis.

20 Hæc supellex eadem est, quæ Canonicis, cæterisque ecclesiæ Cathedralis ministris in peragendis diuinis officiis necessaria est; de qua sequenti titulo dicetur.

De supellectili Missarum, diuinorum officiorum ministrorúmque Episcopalium propria: déque indumentis Ecclesiæ ministrorum Episcopo solenniter diuina officia celebranti inseruientium, cum eorundem præscriptis formulis.

SVMMARIVM.

1 *Supellex Episcopalis in diuinis officiis, vt distribuitur.*

2 *Apparatus altaris maioris Episcopo celebrante, & cuius formæ, & quotuplex. 6. 7. 8. 9. Cuius materiæ, & Speciei & coloris. 11. 12. 13.*

3 *Vestes, indumenta, ornamentave episcopalia Missarum, diuinorum officiorum, ac ministeriorum solennium vsui necessaria, quæ, & qualia, quotupliciáque 6. 9. Cuius materiæ, operis & coloris. 11. 12. 13.*

4 *Indumenta ecclesiæ ministrorum, Episcopo solenniter diuina officia celebranti inseruientium, quæ item, cuiusque formæ, ac quotuplicia. 6. 10. Cuius materiæ, operis & coloris, numero. 11. 12. 13.*

5 *Reliqua supellex, Missæ, diuinorum officiorum, aliorúmque ministeriorum Episcopalium solennium vsui, quæ, qualis, & quotuplex. 6. Cuius materiæ, operis, & coloris, num. 11. 12. 13.*

6 *Supellex, quæ Missarum, & officiorum Episcopalium vsui propriè, vt suprà, addicta, pro varietate colorum quintuplex esse debet.*

7 *Supellex indumentorum, quæ è lino, byssove confecta, ministerijsque Episcopalibus addicta, & in simplici numeratione suprà mox posita, ob munditiem, necessariúmque lauationis vsũ multiplicia esse oportet, exponitur, videlicet.*

8 *Indumenta linea altaris quot.*

9 *Indumenta linea episcopalia quot.*

10 *Indumenta linea vsui ministrorum episcoporum inseruientium quot.*

11 *Sacræ vestes, & indumenta quæ eiusdem materiæ, & coloris.*

12 *Vestes atque indumenta eiusdem quidem coloris, sed materiæ diuersæ.*

13 *Indumentorum ornamenta, materia, colore, opere, artificiove inter se, vt maximè potest, conuenientia.*

Vasa, vestes, indumenta, ornamentave supradicta omnia, ad quem apparatum non adhibenda. De Missis sine cantu. 41.

Ea neque in Missis, neque in diuinis officiis adhibenda, antequam sint benedicta. Ibid. 45.

Et à quo illa benedicenda. De sacramentalibus numero .....

1 SVpellex, Episcopali vsui solum addicta, hæc erit, quæ infra commonstrata, partim ad altaris maioris apparatum attinet; partim præcipua, ac propria est vestium Episcopalium, ad Missæ sacrificij, & diuinorum officiorum, ministeriorúmque sacrorum solennem celebritatem vsúmque necessarium, partim ex indumentis est, quibus vtuntur, quicumque Ecclesiæ ministri Episcopo solenniter celebranti ministrant; partim verò, quæ reliqua supellex est, ex multiplici genere constat: quod infrà exprimitur titulo suo. Inst. supp. eccl. lib. 2. de supp. Missa, &c.

2 Altaris maioris sequens apparatus est: cuius forma eadem est quæ infrà tit. De supellectile, quæ Canonicis cæterisque Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatæ ministris, &c. præscripta est. Inst. supp. eccl. lib. 2. De apparatu alt. maioris Ep.

Crux.

Candelabra septem, cum operculis ternis extinctoriis.

Emunctoria duo.

Tabella secretorum vna.

Mappæ, quas tobalæas dicunt.

Mappa, seu tobalæa maior vna.

Pallium.

Velamentum ad ornatũ frontispicij Altaris.

Tela stragula, Altaris.

Tapetia, seu stragula bradellæ, & graduum altaris, & plani item, quod à fronte, & ab vtroque eius latere est.

3 Vestes indumenta, &c.

Caligarum par.

Caligæ Episcopales ità longæ esse debent, vt vsque ad genua protensæ, ligulis in ea parte astringantur; quemadmodum cum mysterij significatione conueniens est. Inst. for. sup. lib. 2. de caligis Episc.

Sandaliorum par.

Sandalia, calcei scilicet, quibus Episcopus ad Missæ sacrum solenniter faciendum vtitur, è solea integra subtus constent: à parte autem Ibidem de Sandaliis.

superiori decenter ornata: quæ fenestrata etiam supernè olim fuisse non sine mysterij ratione, Innocentius III. Pont. ostendit.

Amictus vnus cum fascia, seu auriphrygio.

Inst. for. sup. eccl. ibidem de Amictu.

Amictus, qui quoniam humeris imponitur, superhumerale etiam appellabatur, eiusmodi, vt olim fuit, esse debet, cui fascia assuatur, quæ tamquàm collare quoddam, circa collum super casulam aptetur.

Fimbria porrò fasciæ condecenter exornata sit: cui propterea tres Cruces annectantur; vna in medio, & in vtroque capite duæ. Longa sit fascia hæc cubitum circiter vnum, & vncias sex: lata vncias circiter septem.

Porrò amictus, è tenui candidaque tela linea sit: pretiosior è subtiliori.

Longitudine esse debet cubitorum circiter duorum: latitudine autem sesquicubitali. In duobus eius angulis anterioribus assuuntur funiculi: qui Crucis instar supra pectus transuersi, indéque in tergum ducti, moxque reuocati, cõnectuntur, vt nè suo loco amictus moueatur.

Si verò amictus sine fascia adhibetur; in eius medio Crux vnciarum duarum longè ab extremitate digitis duobus supernè, acu, aliave ratione affigetur. Extremitates autem amictus, præterquã ex ea parte, quæ collũ ambit, aliquo modesto opere exornabũtur: cæteræ eius partes, vt illæ superioris amictus, fasciam habentis.

Albæ cum suis Grammatis, seu auriphrygiis.

Inst. for. sup. ibid. de Alba, &c.

Alba, quam candidã vestem, camisium etiam à colore vocant, è tela tenui, candidáque sit; illa pretiosior è tenuiori, longè autem quatuor cubitos producta, & succincta, cùm à lumbis vndique redundet, tùm ad pedes vsque pertingat. Latè præterea cubitos quatuor, ac paulò ampliùs, circúmquaque pateat.

Manicas habeat longitudine sesquicubitali, latitudine ab humeris penè cubitali, quæ vsque ad manus sensim angustius ducantur.

Consuta autem sit non artificioso, sed simplici acus opere: in extremis verò manicis, & in summa veste, aliquid duntaxat sit, acu paululum, ac tenuiter elaboratum.

Et ab ima parte aliquantulum reflexum.

In ima parte albæ à fronte, & à tergo, itidem in extremis eius manicis, quadræ particulæ, quas grammatas, seu auriphrygium appellant, panni serici, qui coloris, & panni eiusdem, vt casula sit, rectè assuantur.

Quæ grammatæ circumquáque fimbrijs densis exornatæ sint.

Vbi verò Albæ, sine auriphrygio, seu grammatis adhibentur, amplè ab ima parte circũquáque pateãt cubitos sexdecim; sicque paulò, & latiores, & longiores sint, quam aliæ grãmatis ornatæ, vt circũplicatæ, ac succinctæ, ad lumbósque reflexæ rugarum, crisparumve decorem exhibeant.

Cingulũ, seu Zona, cũ suo succinctorio.

Inst. ibid. de Cingulo.

Cingulum, quæ Zona ab Innocentio III. appellatur, ex candido lino, vel cannabi tenui sit confectum; longitudine cubitorum circiter septem. Cuius cinguli capita globulis eiusdem materiæ inserantur, filamentorum manipulis appensis, quos floccos dicunt.

Cingulum verò Episcopale à sinistro latere duplex, vt vocant, succintorium, seu succingulum, quo scilicet Stola cum cingulo connectitur, habere debet pro ratione mysterij.

Crux pectoralis, ad collum appendenda. Ibidem.

Stola.

Stola, quæ item orarium, & palla linostina à Damaso vocatur, extrinsecus materiæ colore cum planeta congruat, intrinsecus autem tenui serico vestitur eiusdem coloris item. Ibidem.

Longè cubitis circiter sex, ità vt infrà genua producatur: latè autem pateat vncijs sex; ab vtráque autem extrema parte sensim latiusculè patens lacinijs, seu frangijs, ornatur, quæ longitudine sint vnciarum trium: cui prætereà Cruces tres annectantur, vna in medio, reliquæ duæ in eius partibus extremis.

Vnaquæque verò Crux paruula sit, forma quadrata: quæ ab omni parte vncijs circiter tribus constet.

Stolæ Sacerdotali nihil appendatur, Episcopali verò, & diaconali, ab vtraque media eius parte funiculi serici, eodémque colore, & flocculis laciniatis ornati annectantur; iisque ad illius rectè connectendæ vsum.

Tunica.

Tunica Episcopalis, quam Tunicellam dicunt, è serico tenuiter contexta esse debet: paululò angustior, & breuior, quàm Dalmatica infrà descripta. Ibidem de Tunicella.

Dalmatica.

Dalmatica Crucis formam præbere debet, ità vt non recisis manicis, sed ad manum vsque protensis, iisdémque latè patentibus, cõficiatur. Ibidem de Dalmatica.

Episcopalis amplioribus manicis, quàm diaconalis, hæc latioribus, quàm subdiaconalis, quæ Tunicella vocitata, illas angustiores habere debet.

Ex eadem materia Episcopalis constet, qua Tunicella Episcopalis.

Longa esse debet cubitis duobus, & vncijs sexdecim, atque eiusmodi, quæ infrà genua protendatur, vncijs circiter decem; lata verò à summo, seu ab humeris cubito vno, & vncijs circiter quatuor, ab extremis oris vndique patens cubitis circiter quinque, vel amplius, vt eius latitudo cum mysterij significatione conueniat.

Diaconalis verò, & Tunicella Subdiaconalis lineis, seu fasciolis coccineis ornatur, à fronte, & à tergo, hinc inde à summo, vsque ad imum ductis.

Auriphrygio prætereà insignitur, nempè quadris particulis, auriphrygio contextis, inter lineas coccineas illas in extremitate à tergo, & à fronte assutis.

Extremitates huius vestis omnes, præter eam, quæ circa collum est, fimbria cum modicis filamentis exornantur. Interior autem pars tela eiusdem coloris tecta sit.

Chirothecarum par.

Chirothecæ Episcopales contextæ esse debent, & circulo aureo insigniter in extrema parte ornatæ. Inst. ibid. de Chiroth. Episcop.

Planeta.

Casula, quam alij phelonium, & planetam etiam ab ampla latitudine dicunt, cubitos tres, & paulò amplius latè patens sit; ità vt ab hume- Ibid. de Planeta.

ris proiecta, complicationem vnius saltem palmi infrà vtrúmque humerum recipere possit. Longè autem cubitos totidem, aut aliquanto longius demissa sit, vt penè ad talos vsque pertingat.

Fasciam item latam vncijs octo ad minimum, quæ assuta sit, ab anteriori parte vsque ad extremum, dependentem habeat: cui altera fascia transuersalis in summa propè parte, & à fronte, & à tergo adiuncta, Crucem vtrinque exprimat.

Subireta mitralia quatuor.

Ibid. de Subireto. Subiretum mitrale non è serico, sed panno laneo fit: idémque forma rotunda, nō quadrata.

Mitræ pretiosæ binæ.

Ibid. de Mitra. Mitra, quæ pretiosior est, è serico auro intexto, gemmis, & margaritis, acusqué opere ornata, Episcopalis dignitatis splendorem præsefert.

Altera simplex è tela lini purissimi, eáque tenui, & candida conficitur, colore autem albo.

Circulo aureo circumamicta à parte, qua induitur caput: cornua item duo à summo præseferens, vnum à fronte, alterum à tergo: duas etiam lineas in humeris pendulas habet: quarum extremitates, seu fimbriæ, lacinijs constant.

Annulus Episcopalis insignior.

Ibid. de annulo. Annulus Episcopalis, ex auro puro puto solidè conflatus, palam habet cum gemma pretiosiori, in qua nil sculpti esse debet.

Gremiale.

Ibid. de Gremiale. Gremiale, longè constet cubitis circiter duobus, latè cubito vno tantum, & vncijs item circiter duodecim, intrinsecus tenui serico eiusdem coloris vestitum; vndique verò cinctum laciniarum auro, argentove intextarum ornatu.

Baculus Pastoralis.

Ibid de Baculo Pastorali. Baculus pastoralis à parte ima præacutus, à medio totus rectus, à summa retortus esse debet.

Orario, aut sudario non ornatur, si Episcopalis est: quo insigni Abbatialis ab illo distinguitur.

Longitudine recta est cubitorum trium, & vnciarum duodecim: pars verò illius retorta, totidem vnciis, aut paulò altius eminet.

A summa rectitudinis parte, est crassitudine orbiculari vnciarum circiter septem: quæ propè ad imam partem descendens, paulatim diminutam, vncijs quinque constat: in ipsa verò planè ima parte ferro, vel argento, aliouè metalli genere præacuitur.

Pars recta baculi integitur laminis solidis argenteis, nulla cælatura ornatis: retorta, laminis item argenteis cælatura elaboratis, & fabri argentarij iudicio inauratis.

Connectitur autem cum illa parte recta, aliquo cælati argenti opere, certis locis inaurato: quod sexanguli formam exhibens, sacris imaginibus ornatur.

Manipulus.

Pluuiale.

Ibid. de Pluuiali. Vestis, quæ pluuialis vocatur, semicircularémque formam exhibet, ad imos vsque talos protenditur, longitudine scilicet cubitorum trium, & vnciarum circiter sex constans, & pro semicirculi ratione latè patens.

A fimbrijs ornatum laciniarum habet: à parte solum anteriori tota ab summo ad extremum vsque aperta, hinc & inde auriphrygio, sacris etiam imaginibus intexto, decoratur: à posteriori parte insigne, quod capucium dicunt, breuibus admodum lacinijs, ornatu verò auriphrygiato, qui anteriori respondeat. A summa verò parte anteriori, tantùm fibula inconsuta connectitur: intrinsecùs autem serico tenui, aut panno bombycino eiusdem coloris circumuestitur.

Pectorale, ad pluuialis connectendi vsum. Ibid. de Pectorali.

Pectorale, ornamentum scilicet illud, quo ante pectus pluuiale connectitur, duobus vncinis subiectis, ex argento inaurato conflatum esse debet, cui lapis aliquis pretiosus inseratur, aut sacra imago.

4 Indumenta Ecclesiæ ministrorum, &c. quorum forma partim supra descripta est, num. 3. & partim infrà describetur. Inst. supp. eccl. ibid.

Pluuiale Sacerdotis, assistentis ad librum.

Tunicellæ duæ, vsui duorum assistentium Diaconali vestitu.

Amictus, vsui Diaconi vnus: in Ecclesia Metropolitana duo, cū suis fascijs, seu auriphrygijs.

Amictus item, vsui Subdiaconi, vnus: in Metropolitana duo, cum suis fascijs, seu auriphrygiis.

Alba Diaconalis, vna item: at in Metropolitana duæ, cum suis grammatis, seu auriphrygijs.

Alba Subdiaconalis, vna etiam: duæ verò in Metropolitana, cum suis grammatis, seu auriphrygijs.

Cingulum Diaconale vnum: item in Metropolitana duo.

Cingulum Subdiaconale, vnum: in Metropolitana duo.

Dalmatica Diaconalis vna: in Metropolitana duæ.

Tunicella Subdiaconalis vna: at in Ecclesia Metrop. duæ.

Stola Diaconalis vna: in Metropolitana duæ.

Manipulus Diaconalis, vnus: in Metropolitana duo,

Manipulus Subdiaconalis vnus, in Metropolitana duo. for. Inst. sup. de vel Subd.

Velum Subdiaconale ad vsum ferendi Calicis, patenæve sustinendæ.

Velum Subdiaconale fascia scilicet illa, quæ Subdiacono vsui est ad contegendum Calicem, cum illud instructum in altare defertur, ex velo fit, auro, aut argento intextum; à lateribus ornatum fimbrijs; à capitibus etiam filamentis aureis, aut argenteis, aut certè auro, & argento admixto.

Longè fit cubitos sex; latè verò patens, quanta est veli propria latitudo.

Pluuiale, vsui sustinentis librum.

Pluuiale prætereà, vsui sustinentis candelam accensam.

Pluuiale vsui ferentis baculum.

Velum vsui Capellani sustinentis mitram.

Vela item, seu continentiæ, vsui, ministeriove portantium indumenta, ornamentave Episcopalia, cùm Episcopus scilicet illis, vel induitur, vel exuitur: eaque duodecim,

Vela ministerialia, nempè fasciæ illæ, quæ à collo pendent ministrorum, Mitram, aliave indumenta Episcopalia ferentium, vel susti-

nentium; longitudine constent cubitorum circiter sex, latitudine tàm ampla, quanta est tela, è qua confecta sunt.

Confecta autem esse debent è velo candido bombacino, eoque tenui admodum, à capitibus filamentis sericeis albis ornata.

5 Reliqua supellex &c.

Inst. for. sup. lib. 2. de Patena. Calix, ex auro puro, puto, aut si præ facultatũ tenuitate non potest, ex argento puro puto itidem conficiatur; eóque inaurato ab omni parte interiori, & exteriori: cuius pes ex auricalcho inaurato permitti potest, si præ inopia ex auro, argentove fieri non potest.

Qui pes amplè, pro illius magnitudine ità pateat, vt firmissimè, vbi collocatur, hærens, cadere non queat: forma autem, aut octangula, aut sexangula, aut alia eiusmodi sit.

In cuius pedis superficie imagines appareant, quæ tamen manum non impediant, aliqua sacræ passionis mysteria significantes, nulla expressa sint signa ad ornatum inanem spectantia.

Nodus in medio decorè, rectéque ornatus, nihil, vel minimum, eminens habeat, quo, dùm Calix capitur, incommodè capiatur, aut digiti quicquam lædantur; præsertim quo tempore in Missæ sacro, ille, indice, & pollice coniunctis, manu teneatur.

Cupa aliquantulum in fundo angusta, sensim vsque ad summum labrum latior fiat.

Labrum eiusmodi sit, vt neque extrinsecùs, neque intrinsecus vllo modo reflectatur.

Calix maior, pretiosior scilicet, ex auro puro puro puto, & piarum imaginum cælatura insigniori, qui ad Missæ Sacrum solenniter faciendum adhibeatur, amplè in orbem pateat vncias saltem octodecim: ab imo autem vsque ad summum altitudine sit vnciarum quatuordecim: ampliori verò etiam in Ecclesia Cathedrali, collegiata, ac parochiali insigni.

Calix minor, qui in Missæ non solennis sacro vsui est, amplitudine in orbem ducta vnciarum quatuordecim, altitudine duodecim.

Vas ad vsum abstergendi Calicis, infrà de Corporalibus.

Patena.

Inst. fabr. suppel. lib. 2. de Calice. Patena eodem auri, aut argenti genere, quo Calix est: quæ si argentea est, inaurata vndique esse debet, nihil artificiosè elaboratum; ac nè circulum quidem, circino profundiusculè ductum, vllo modo habeat.

Labrum extremum circulare, itàtenue admodum, vt adiumentum inde sit ad Sacræ Hostiæ fragmenta rectè, faciléque colligenda.

Illam mediam tenuem concauitatem habeat, quæ amplitudinem libri Calicis ferè adæquet.

Patena maior, & pretiosior, quæ Calici grandiori conueniat, amplè in orbem pateat vncias triginta octo, vel amplius, pro amplitudine Calicis: minor verò triginta duas.

Velum Calicis.

Ibid. de velo Calicis. Velum Calicis ab omni parte cubito, & vncijs duodecim, ac paulò amplius latè patens sit: ab oris vndique opere serico, auro, argentove tenuiter ornatum.

Pretiosius autem auro, & argento contextum sit, fimbrijs itidem aureis, aut argẽteis adhibitis.

Sacculus Calicis.

Sacculus Calicis, & patenæ è lino sit; vel ex cannabi latè tam patens, longéque productus, vt minimè arctè calicem capiat. Ibid. de Sacculo Calicis.

Ab altera parte clausus erit, & tota tela, quantum lata est, crispata, & in orbiculum consuta, & connexa: aut etiam ita consutus erit, vt duo anguli fiant, sicut communiter fit; tunc enim transuersus calix in ipsum Sacculum constringendus est.

Theca Calicis.

Theca lignea, ad Calicem itidem, vna cum Sacculo condendum, comparata, simplici opere, nullóque profano ornatu, ità conficiatur, vt ad Calicem, vnà cum patena capiendum apposita sit, operculo etiam adhibito, quo compressè claudatur: intrinsecùs laneo panno, aut holoserico, quem villutum dicimus, extrinsecùs corio circumuestiatur, cui etiam linea siue cingulum ex corio ad eam gestandam insertum, adhibeatur. Ibid. de Theca calicis.

Corporale.

Corporale è tela linea pura, & candida sit, ac simplex item, nihilque elaboratum, & nihil sericum intextum habeat, ab oris autem acus opere simplici punctim solùm retortum sit. Longè autem vncias triginta ad minus pateat: latè totidem, ità verè complicatum, vt nulla eius extremitas appareat. Ibid. de Corporal.

In Cathedrali, & collegiatis aliqua corporalia esse debebunt, ampliora, pro altaris maioris amplitudine.

Sacculus Corporalis.

Sacculus Corporalis à fronte sit; crúce, vel alia sacra imagine in medio intexta; à tergo etiam ex eadem materia, & colore: intrinsecùs verò subserico, aut tela tenui candida circumuestitus: latè verò vndique pateat circiter dimidio cubito, vel paulò amplius. Ibi. de Sacculo corpor.

Ab oris verò inserantur funiculi serici, cum globulo, quo astrictus claudatur.

Vas ad vsum abstergendi Calices, & lauandi corporalia.

Vas ex auricalcho confectum, aut æneum paretur, instar peluis, binis manubrijs constans; atque ab vno labro, ad aliud cubito vno, & vncijs octo, pluribusve, pro ratione Ecclesiasticæ supellectilis, vndique amplum, oréque eminenti, per quod, quasi per canalem, aqua inde paulatim in sacrarium effundi possit. Ibid. de vase ad abstergend. Calices, & lauãdi corp.

Quod vas vsui solum sit abstergendi Calices, & lauandi corporalia.

Capsulæ Corporalium, & purificatoriorum.

Capsulæ Corporalium è specioso ligno, aut certè condecenter ornato sint; intùs serico, aut tenui panno lineo circumuestitæ, forma verò quadrata. Ibid. de capsulis corporalium.

Capsulæ purificatoriorum itidem vestitæ, atque expolitæ.

Purificatorium.

Purificatorium è tela non crassa admodum, neque tenui nimis, & simplici acus opere confectum, latitudine sit vnciarum circiter octodecim ad minimum: longitudine totidem, nec verò minùs. Ibid. de Purificator.

Cui purificatorio Crux paruula in medio acu appingatur.

Capsulæ purificatoriorum.

Capsulæ item, vt supra.

Hamulæ, seu vrceoli quatuor.

Ibid. de Hamulis. Hamulæ non ex argento, stanno, auricalcho, aliove metalli genere, sed è Christallo pellucido, non picto, & denique ab omni parte sordibus puræ, & suo quæque operculo stanneo argenteove aptè cõtectæ: pretiosiores autẽ aureo.

Peluis vrceolorum.

Ibid. de Peluicula. Peluicula Hamularum, è stanno Britannico puriori fit: pretiosior, auro, aut argento saltem: opere autem cælato, piam speciem exprimente: fundo intrinsecùs constet lato, ac plano, neque elaborato, quo firmius hamulæ impositæ hæreant.

Missalia duo.

Ibid. de Missali. Missale, opere Librario benè, firmitérque compactum, & conglutinatum, tenuioribus tabellis sectilibus, corio intectis, operiatur. In quo corio nihil profani elaboratum, impressumve extet; sed Crucis insigne, aliave sancti pia imago. Ad Missalis autem ornatum folia inaurata existant.

Pretiosius porrò, & operimento prætereà coriaceo inaurato, & forma ampliori constet; tùm litteris etiam insignioribus impressum.

Liber Missarum Episcopalium, cantus modulatione notatarum.

Signaculum Missalis.

Ibid. de Sign. Missalis. Signaculum Missalis, cornu transuersale, vnde funiculi pendent, habeat è sericis filamentis confectum, atque ità latum, vt eiusdem Missalis crassitudinem adæquet. Funiculos verò sericos duodenos, colore diuerso distinctos pro officij ratione, atque vsu: ac longè ita ductos, vt Missalis longitudinem vix quinque vncijs excedat. Pretiosius verò signaculum è cornu transuersali constet, quod solidum aurum aut argentum sit, idque inauratum.

Ibid. de integũ. Missalis. Integumentum Missalis.

Integumentum Missalis ità longè deductum sit, vt ab ima parte etiam reflexum, octo vncijs superet coriaceum Missalis operimentum: à summa verò nihil omninò extet.

Latè prætereà patens, vt ab vtroque latere intrinsecus reflecti commodè queat. Subuestiatur tela linea, aut bombycina, præter partem, quæ infrà pendens, eodẽ panno reflexo, ornatur.

Huius integumenti extremitates, quæ Missale à lateribus, & à capite circundant, lineæ sericæ opere textili, quæ verò ab ima parte lacinijs sericis ornantur.

Pretiosius autem integumentum habeat extremitatum ornatum, & linea, & lacinijs, auro, argentove intextis, insigniorem.

Puluinar Missalis.

Ibid. de puluinari Missalis. Puluinar, quod Missali libro supponitur, plenum sit non pluma, non tomento, lanáque concisa, sed lana solida, pilisve ceruinis.

Longè patens cubito, & paulò amplius; latè vncijs circiter decem, & octo ornatum ab vnoquoque angulo laciniatis fibulis: consutum simplici opere: sed partes extremæ consutæ integantur ornamẽto eiusdem generis, & coloris.

Cui puluinari nihil aliud, ac nè scabellum quidem, subijciatur: nisi cum Sacerdoti, oculorum aspectu laboranti, opus est ad Missale altius tollendum. Porro scabellum, puluinari aliquantò angustius, vtrinque quatuor baculis, transuersaliter inter se exigua linea lignea in medio connexis, firmatur.

Puluinaria ad quem vsum non adhibenda; Vide tit. de Missis sine cantu, &c. num. 44.

Pontificalia duo.

Signacula Pontificalium bina.

Integumentum Pontificalis vnum.

Instrumenta duo, vsui candelæ sustinendæ; cum suis emunctorijs. Ibid. de instr. Candelæ sustinẽdæ, &c.

Instrumentum, quod vsui est sustinendæ per Capellanum candelæ, in Missis, officijsque pontificalibus, ex argento, pretiosius ex auro, aut argento inaurato fiat: manubrio longitudinis vnciarum quindecim, & à summa parte orbiculo constet: cui media intus lunula infixa inhæreat ad candelæ imponendæ vsum.

Thuribula bina.

Acerræ binæ.

Cochlearia bina.

Thuribulum, acerra, & cochleare, ex auricalcho singula sint artificiosè cælata, atque ornata periti artificis iudicio. Pretiosiora autem ex argento, aut ex auro, vbi per facultates fieri possunt. Ibid. de Thuribulo, &c.

Quod sanè thuribulum, cum quadruplici catenula, & operculo eiusdem metalli, vbi ritu Romano fiat; at Ambrosiano more, cum catenula triplici, sinéque operculo, adhibetur. Longitudo porrò catenularum sit cubitorum duorum, & vnciarum circiter duodecim.

Vestitus Sedis Episcopalis.

Sedes Episcopalis, vt ex patrum instituto, collocatur loco conspicuo, atque illustri, ita vestitu decenti pro solennitatum ratione ornari debet. Ibid. de vestitu Sedis Ep.

Porrò vestitus eius sit è pannis sericis rasis, non villosis, nec auro, argentove intextis. Illius gradus tapetibus, pannisve laneis sternantur.

Scabella picta, vsui assistentium Episcopo.

Scabella ministrorum, Episcopo assistentium è tabellis sectilibus populeis abiegnisve constent; cubito, aut paulò amplius altè constructa, tum forma quadrata, quo firmius hæreant, decorè prætereà picta. Ibid. de Scabell. assist. Episc.

Faldistorium.

Faldistorium non amplum, neque altè extructum, vt sedes, Cathedráque Episcopalis, sed longè depressius esse debet: nec prætereà à tergo, neque à lateribus, quicquam habeat, quo sedens Episcopus nitatur. E quaternis lignis nuceis, binis scilicet ab anteriori, totidémque à posteriori parte inauratis, laminarum argentearum tegmine ornatis; iisque singulis ab omni laterali angulo, formam capitis leonini, paululum prominentis, in summo exhibentibus, decorè, aptè, firmiterque constans, sedile coriaceum habeat solidum, idémque non pluma, sed tomento, pilisve minutim concisis plenum. Ibid. de Faldist.

Integumentum faldistorij.

Integumentum faldistorij, subuestitum esse debet tela bombycina. Ibid. de integum. fald.

Ità verò dissectum; vt sedili tantum inhærens à reliquis partibus vsque in pauimentum defluat.

Puluinaria faldistorij, duo, vnum ad sedendi, alterum ad genua flectendi vsum.

Puluinaria faldistorij, vnum genuflexionis,

Ibid. de puluin. fald.

alterum sessionis vsui è serico villoso constent. Eorum longitudo sesquicubitalis erit; latitudo porrò cubitalis.

Abacus.

Mappa Abaci.

Candelabra Abaci bina.

Sustentacula Mitrarum bina.

Vasa seu hydriæ ad abaci ornatum tria, aut plura.

Peluis magna seu bacile vnum, aut duo.

Vrceus magnus, quod bocale dicunt, vnus, aut duo.

Ibid. de Abaco, & cæteris.

Abacus, mensa scilicet illa, in qua vasa magna, ex auro, argentove conflata, ad ornatum insignia, & rei diuinæ necessaria ac vestimenta quædam Mitræque, atque alia id generis exponuntur, è tabulis sectilibus, populeis, abiegnisuè politè confecta, longè pateat cubitis quinque, pauloue amplius, pro Ecclesiæ magnitudine, Chorive ratione, latè cubitis duobus, & vncijs duodecim: altéque item extruatur cubitis & vncijs totidem.

A tergo autem gradibus duobus pluribusve constet pro vasorum ratione. Suffulciatur porrò binis, ternisve tripodibus, querneis, aut nuceis, ad sustentationis firmitudinem.

Abaci mappa, è lino pretiosiori, byssove eleganter contexta, ita vndique pateat, vt à fronte, & à lateribus ad pauimentum vsque pertingat: tùm à tergo, si fieri potest, abaci gradus aptè contegat. Si minùs, altera eiusdem generis adhibenda est, qua gradus sternantur.

Vasa item, ad abaci ornatum in gradibus exposita, ampullari forma sint, prout in vasis sacrorum oleorum confectioni dicatis, demonstratur infra suo loco, altitudine cubitali, aut paulò maiori constent.

Quæ verò in medio collocantur, aliquanto altiora esse debent.

Ex auro præthereà, aut ex argento conflentur, in quibus profana cælatura nulla extet, sed pia, ac religiosa.

Pelues aquariæ, seu bacilia, quos fontes appellant, ex eodem etiam metallo, eadémque cælatura, tum amplitudine sesquicubitali, per diametrum ducta.

Vrcei eiusdem item cælaturæ, metalli, ac magnitudinis prætereà, cum peluibus aquarijs conuenientis decoris.

Mantilia ad vsum abstergendi manus, quatuor: Duodecim alia, numero. 9.

Ibid. de linteo ad vsum abst. ma.

Linteum, quod manibus abstergendis, in Missæ sacro vsui est, ex lino tenui contextum, longitudine bicubitabili, latitudine verò sesquicubitali constet: tùm prætereà vno, & altero capite ornatum lacinijs, & filamentis eiusdem materiæ, & ab extremitatibus lateralibus acus opere simplici, punctim retortum sit. At illud, quod Missæ Episcopalis vsui erit, cum è lino pretiosiori, tùm amplitudine maiori, atque ornatu insigniori existere debet.

Lectionarium ad vsum Missæ solennis in Ecclesia Metropolitana.

Integumentum Lectionarij.

Epistolarium.

Integumentum Epistolarij.

Ibid. de libris lection. &c.

Euangelistarium.

Integumentum Euangelistarij quintuplex 6. cuius materiæ, & coloris;

Hi libri, nempè Lectionarius, Epistolarius, & Euangelistarius, & characteribus litterarum insigniores, & opere librario benè compacti, conglutinatiuè, & decorè, firmitérque operti sint ad diuturnitatis vsum, tum ità ornati, vt de Missali demonstratum est.

Ad ornatum prætereà, illud piè accommodatum esset, si sacræ mysteriorum imagines, in ijs libris certo loco impressæ, minio, & auro expolirentur.

Integumentum porrò eorum librorum tale esse debet, quale integumentum Missalis demonstrauimus,

Ibid. de integum. lectorilium.

Integumentum ambonis, vel suggesti.

Integumentum Lectorilis.

Integumentum Lectorilis statarij longè protenditur ferè vsque ad pauimentum: latè patet, vt lectorilis structura; à parte, in qua libri appositi hærent, corio vestitur.

Integumentũ lectorilis gestatorij latũ, vt est pannus, quo vestitur: lõgum ad pauimentum vsque suggesti ambonisve integumentũ, longitudine esse debet, qua est ipsius suggesti opus; latitudine, quæ vndique illud totũ complectatur.

Vas gestatorium aquæ benedictæ.

Ibid. de vase gestat. aquæ benedictæ.

Vas gestatorium aquæ benedictæ, vsui officiorum Episcopalium accommodatum, ex argento; eoque certis partibus inaurato confectũ, piæ etiam alicuius cælaturæ speciem præbeat. Ex eodem item metallo, non inaurato tamen, eodémque pio opere cælatum, adhibeatur in Ecclesijs Cathedralibus, collegiatis, & parochialibus item, cæterisque aliqua ratione insignibus: at ex ære, aut auricalcho cõflatũ, in Ecclesijs, cẽsus tenuitate laborãtibus, permittitur.

Aspergilla duo.

Pannus lineus, seu Sabarium ad abstergendũ caput baptizati vsui in baptismis solennibus.

Ibid. de panno ad abst. caput bap.

Pannus, seu Sabarium, quod ad baptizati caput abstergendum adhibetur, è tela byssina, quod pretiosius, vsui ministerij Episcopalis est, constare debet; è tela verò linea, quod ab alijs adhibebitur. Erit verò circumquáque aptè, decoréque fimbriatũ è tela vel byssina, vel linea. Longitudine erit cubitorũ trium; latitudine verò tanta, quanta est telæ, è qua constat latitudo.

Ampulla Chrystallina balsami, cum cochleari argenteo.

Peluiculæ item ad vsum multiplicis ministerij Episcopalis, quatuor, sexve.

Ibid. de peluicula, &c.

Peluicula, vsui variorum Episcopalium ministeriorum ex argento conflata, profũda concauitate constet, tum amplitudine sit vnciarum duodecim, per diametrum ducta.

Forfices ad vsum sacræ ordinationis, bini.

Ibid. de Forfice, &c.

Forfex ex ferro, at certis locis inaurato, conflatus, vnciarũ duodecim longitudine constet.

Vasa tria, vsui sacris oleis conficiendis; vnũ scilicet, in quo sacri Chrismatis, alterum, in quo sacræ extremæ vnctionis; tertium, in quo Cathecume norum oleum consecratur.

Ibid. de vasis sacr. oleor.

Vasa Basilicæ Cathedralis, in quibus sacra olea conficiuntur, ex argento, aut saltem è stanno Britannico, eoque puro puto, & pretiosiori conflentur, forma ampullari sint: quæ ventre amplo, & turgido confecta, à summo, vsque ad collum, sensim orbiculari accliuitate, sine vllo cæla-

cælaturæ opere ascendentia, ore hianti, patuloque extent, ab extremo in angustum paulatim vsque ad pedem deducta, opere sphærali concludantur: cui pes à summa parte angustè, ab imò latius patens, firmissimè hæreat.

Geminis ansis constent: quæ cælaturæ speciem in ea parte exhibeant, in qua cum vasibus annectuntur.

Operimento integantur semisphærali, quod in fastigio paruulam Crucem affixam habeat; ità autem annexum, vt à fibula argentea, stanneáve, qua annectitur, totum à tergo pendeat: vt nè eo elato Episcopi consecrantis manus in Crucibus, super oleis conficiendis impediatur.

A fronte aptè, ac firmiter in superiori propè ventris parte, paruulus tubus agglutinatus hæreat, vnde oleum defluat, isque eiusmodi sit, qui ab imo patulus, sensim angustè ascendens, pari cum vasis altitudine, & à summo paululum incuruus ore angustiori extet.

Vasa tria, præscripta forma conficiantur: vnũ, in quo Sacri Chrismatis: alterum in quo Sacræ extremæ Vnctionis; tertium in quo Cathecumenorum oleum consecretur. Singula vasa distincta sint inscriptione literis grandiusculis inauratis expressa.

Singula autẽ vasa olei, magnitudine sint, quæ cum Basilicæ Cathedralis ratione conueniat: sed eiusmodi tamen, quæ in consecrationis ministerio commodè, & gestari, & tractari possint.

Ibid. de vasc. min. Vascula prætereà sacrorum oleorum ministratoria totidem.

Vascula ministratoria totidem sint, quot vasa sacrorum oleorum, inscriptionibus etiam distincta, eadem forma, è stanno, aut argento itidem, nec verò è vitro confecta; eaque longè angustiora; quæ olei pondo, minora duo tantum capiant; à tergo solum ansata.

Vasculum item vnum, tripliciter inter se distinctum, vsui sacri olei Cathecumenorum scilicet, Chrismatis, & infirmorum, in variis ministeriis episcopalibus.

Vela tria serica, vnum ad vsum contegendi vas Chrismatis, alia duo ad integenda vasa, vnũ olei infirmorum, alterum cathecumenorum.

Ibid. de velis vasorũ sacri olei. Vela, quæ superiora tria vasa triplicis sacri olei contegant, cum illud die Cœnæ Domini conficitur, longitudine circiter cubitali sint, latitudine quanta est veli; illudque vasis Chrismatis è serico albo, reliqua duo ex rubro.

Candelabrum vnum } Vsui sacræ ordinatio-
Vrceoli etiam } nis Acoluthorum.

Liber exorcismorum, vsui sacræ ordinationis exorcistarum.

Hic liber exorcismorum, vt cæteri libri Ecclesiastici, opere librario decenter confectus, operimento tegatur, quod supra aliis voluminibus præscriptum est.

Liber Epistolaris, vsui sacræ ordinationis Subdiaconorum.

Liber Euangelistaris, vsui sacræ ordinationis Diaconorum.

Instr. fabr. lib. 2. codẽ capite. 6 Supellex, quæ Missarum, & officiorum Episcopalium, &c.

Cum porrò sacras vestes, indumentave, & altaris, & Episcopi celebrantis, & ministrorum esse debeant coloris conuenientis officio, & Missæ diei, ex instituto sanctæ matris Ecclesiæ, quæ coloribus quinque vti consueuit, albo scilicet, rubro, violaceo, viridi, atque nigro, fit, vt pro hac colorũ varietate in diuinis officiis instituta, quintuplex sit sacrarũ vestiũ, & indumentorum apparatus, suprà nominatim expositus.

Vestes igitur sacræ, indumenta, ornamentave quæ ordine infrà numerantur, quinque singula esse debent, colore scilicet diuerso, vtpotè albo, rubro, violaceo, viridi, & nigro, exceptis quibusdam indumentis, nominatim infrà commonstratis, quæ quadruplicia tantùm sunt, quoniam nigro colore non adhibentur.

Pallium Altaris.

Velamentum frontispicij Altaris.

Caligæ } Hæc indumenta quadruplicia
Sandalia } tantum erunt, quia nigro colore esse non debent.

Auriphrygium, seu fascia amictus.

Grammatæ, seu auriphrygium albæ.

Stola.

Tunica.

Dalmatica.

Chirothecæ, quarum scilicet paria quatuor tantũ erunt, quia nigro colore non adhibentur.

Planeta, seu Casula.

Gremiale.

Manipulus.

Pluuiale.

Pluuiale assistentis Sacerdotis.

Tunicellæ vsui assistentiũ Diaconali vestitu.

Auriphrygium amictus Diaconalis vnum, in Metropolitana duo singulorum colorum.

Auriphrygium item amictus Subdiaconalis, vnum: in Metropolitana duo singulorum colorum.

Grammatæ, seu auriphrygium albæ Diaconalis, vnum; in Metropolitana duo.

Grammatæ, seu auriphrygium albæ Subdiaconalis, vnum: in Metropolitana duo.

Dalmatica Diaconalis, vna: in Metrop. duæ.

Tunicella Subdiaconalis, vna: in Metrop. duæ.

Stola Diaconalis, vna: in Metropolitana duæ.

Manipulus Diaconalis, vnus: in Metr. duo.

Manipulus Subdiaconalis, vnus: in Metropolitana duo.

Pluuiale vsui sustinentis librum.

Pluuiale item vsui sustinentis baculum Episcopalem. Hoc verò indumentum quadruplex tantùm esse debet: quoniam in officiis pro mortuis non adhibetur baculus.

Pluuiale prætereà, vsui sustinentis Candelam accensam.

Velum Calicis.

Sacculus Corporalis.

Signaculum Missalis.

Puluinar Missalis.

Signaculum Pontificalis.

Integumentum Pontificalis.

Vestitus Sedis Episcopalis.

Indumentum faldistorij.

Puluinaria faldistorij.

Integumentum Lectionarij.

Integumentum Epistolarij.

Integumentum Euangelistarij.

Integumentum ambonis, vel suggesti.

Integumentum Lectorilis.

7 Supellex indumentorum, &c. Instr. supp. eccl. Bas. Cath. lib. 2. cod. cap.

8 Primò igitur Altaris induméta linea, byssinave

vsui Missis Episcopalibus sunt, quorum tota summa erit numero infrà mox notato.

Mappæ maiores, tres.

Mappæ minores, sex.

9 Amictus octo.

Albæ totidem.

Corporalia sex, cum suis pallis.

Purificatoria duodecim.

Mantilia ad vsum abstergendi manus, numero duodecim.

Mappæ abaci tres.

Sabaria ad vsum baptismorum solenniū tria.

10 Amictus Diaconales octo: in Ecclesia Metropolitana, sexdecim.

Albæ Diaconales totidem: in Metropolitana, vt supra, sexdecim.

Amictus Subdiaconales octo: in Metropolitana, sexdecim.

Albæ Subdiaconales octo: in Metropolitana etiam sexdecim.

Inst. supp. eccl. lib. 2. de conuenientia indument. & orn.

11 *Exposuimus apparatum omnem sacræ supellectilis, tum simplicem, tum duplicem, tùm triplicem, tùm denique quintuplicem, multiplicemve. Cuius vniuersi apparatus vestes, atque indumenta, quoniam quædam non colore solum, sed materia, è qua confecta sunt, conuenire inter se debent; ac rursùs alia, quamuis panno, materiave ab illis differant, tamen eodem colore, vt illa sint, oportet; tùm præterea quædam illorum indumentorum ornamenta sunt, quæ ratio postulat, vt ornatu, materia, colore, & opere, artificiove, vt plurimum inter se singula respondeant: benè est, vt exposito tam multiplici apparatu, commonstremus etiam, quæ sacra indumenta colore, & materia; ac quæ item colore solum cum illis conuenientia esse debeant; & quæ denique ornamenta, materia, colore, & opere, inter se, vt maximè fieri potest, congruere debeant. Atque apparatus quidem, qui eadem materia, eodemque colore simul constare debet, est sacrarum vestium, atque indumentorum, quæ ordine infrà nominatim notantur.*

Sacræ vestes, & indumenta eiusdem materiæ, & coloris.

Pallium.

Planeta.

Stola Sacerdotalis.

Manipulus Sacerdotalis.

Pluuiale.

Auriphrygium, seu fascia amictus Sacerdotalis, Diaconalis, & Subdiaconalis.

Grammatæ, seu auriphrygium albæ Sacerdotalis, Diaconalis, & Subdiaconalis.

Sandalia.

Caligæ, quas olim hiacinthino colore fuisse proditum.

Gremiale.

Dalmaticæ Diaconales.

Tunicellæ Subdiaconales.

Stolæ Diaconales.

Manipulus Diaconalis.

Manipulus Subdiaconalis.

Auriphrygiū, seu fascia amictus Diaconalis.

Auriphrygium item amictus Subdiaconalis.

Sacculus Corporalium.

Puluinar Missalis.

Integumentum Missalis.

Integumentum librorum, Euangelistarij, Epistolarij, Lectionarij.

Integumentum Lectorilium statariorum.

Integumentum Lectorilium gestatoriorum.

Integumentum ambonis, suggestiuè,

Integumentum faldistorij.

12 Dalmatica } Episcopalis.
Tunicella }

Chirotecæ Episcopales.

Velum Calicis.

Integumentum Sedis Episcopalis.

Velum frontispicij Altaris.

Vela, seu continentiæ Subdiaconales.

13 Cruces frontispicij pallij.

Cruces planetæ.

Cruces Stolæ Sacerdotalis, & Diaconalis.

Cruces manipuli Sacerdotalis, Diaconalis, & Subdiaconalis.

Cruces fasciæ amictus.

Auriphrygium pluuialis.

Grammula, & fasciæ Dalmaticę Diaconalis.

Grammula, & fascia Tunicellæ Subdiaconalis.

Ornamentum puluinaris Missalis.

Ornamentum sacculi Corporalium.

Ornamentum integumenti Codicum.

Laciniæ singulorum integumentorum, & puluinarium conuenire etiam debent cum coloribus ornatus, itá scilicet, vt aurum cum auro, aut argentum cum argento, & sericum cum colore ornatus, pannive conueniat.

De Missis sine cantu ab Episcopo celebrandis.

SUMMARIUM.

1 *Episcopus, quibus diebus Missam priuatim celebret.*
2 *Et vbi.*
3 *Eo celebrante eius familiæ adsistentia.*
Episcopo Missam celebrante in eadem Ecclesia à nemine alio Sacerdote celebretur. De Missa, & Vesp. Pontif. num. 9.
4 *Quo in Altari Episcopus celebrauit, à Sacerdote alio eo die non celebrandum.*
5 *Quando verò is non celebrat, intersit, quidque etiam ea in re caueat.*
6 *Quæ supellex in eisdem Missis adhibenda.*

1 CUM Pontifices, vt inquit Apostolus, ex hominibus assumpti, pro hominibus constituantur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerant dona, & Sacrificia pro peccatis: Episcopus Dominicis, & reliquis festis diebus, nisi iure impediatur, Missam celebret. 1. de freq. diuini sacrificii oblatione. Heb. 2.

Missæ sacrificium frequentius celebrare studeant, Dominicis verò, festisque diebus, nè id præstare omittant, ex Concilij prouincialis primi decreto.

2 Hoc verò ipsum facere curent crebrius in Ecclesia, quàm in priuatis oratoriis. 4. de Episcopis.

Tùm præterea Missæ sacrificium facere studeant, quibus diebus Ecclesias, Altaria, aut Campanas consecrabunt, aut cæmeteria, eaque reconciliabunt, & alia eiusdem generis Episcopalia munera obibunt, illis præterea diebus, quibus Ecclesiastica beneficia conferent, & generalia clericorum, qui initiandi sunt, & confessariorum examina habebunt, cæterasque denique grauiores consultationes, & deliberationes inibunt,

3 Episcopo Missam celebranti, vel audienti, frequens familia adsit.

3. de iis, quę pert. ad Missæ sacrif.

4 Quod ad Episcopalis ordinis obseruantiā in Ecclesia institutum est: id deinceps seruetur; vt quo in Altari Episcopus Missæ sacrificium fecit, nè illo die in eodem alius quiuis sacerdos faciat, nisi illius concessu.

4. Ibidem.

5 Cum autem ob causam sacrificium non faciunt, religiosè intersint.

Nec verò, cum adfuturi sunt, Sacerdotem Capellanum, sacri faciendi causa indutum, ad Altare in mora esse velint, aut expectare patiantur; dùm ipsi aliis rebus incumbunt. Prius autem sacrum facere, aut impediti, ei interesse studeant, quàm alias occupationes, actionesve externas suscipiant, gerantve.

6 Eadem supellex adhibenda, quæ suprà titulo de supellectile Missarum, &c. Episcopalium præscripta est; iis exceptis, quæ Missis Pontificalibus celebrandis, & aliis ministeriis Episcopalibus agendis, cæremoniali Romano designata reperitur.

Quæ hic desunt, videantur in titulo de vita, & hon. Episcopor.

De Missis Conuentualibus, tam in Cathedrali, quàm in Collegiatis, & aliis Ecclesiis celebrandis.

SVMMARIVM.

1 *Missa, Dominicis, & festis duplicibus à quo in Cathedrali, & collegiatis canenda.*
2 *Diebus aliis à quibus id præstetur.*
3 *Eam non celebrans, vt mulctetur.*
4 *Impeditus, quid faciat.*
5 *Diaconus, & Subdiaconus sacris vestibus induti festis diebus, & quando ferialibus Canonico Sacerdoti celebranti ministrent. Vbi etiam ferialibus diebus sic induti omnino inseruiant. 6.*
6 *Quando Canonicorum loco alij duo suffici possint.*
7 *Episcopi officium in deputandis qui inseruiant in munere Subdiaconali, & Diaconali. 10.*
8 *Canonici Diaconi, & Subdiaconi, quibus diebus sacram Eucharistiam sumant.*
9 *Iidem quid amittant deficientes in ministrando pro officij sui munere.*
10 *Munere verò nemini assignato, à quo assignādū. 7.*
11 *In eleuatione corporis Domini cum Missa Conuentualis, vel parochialis celebratur, pulsanda campana. 12.*
12 *Dumque ea celebratur, ab alio Sacerdote Missæ sacrum non faciendum. De Missa, & Vesp. Pontificalibus, num. 9.*
13 *In Missa Conuentuali, quid canendum.*
14 *Symbolum totum à choro cantandum.*
15 *Quando plures Missæ cantandæ.*
16 *Pœna Capitulo illas omittenti.*
17 *Missa in aurora Natalis Domini, canenda.*
18 *Absens ab ea Missa quid perdat.*
Missæ Conuent. quando, vbi, & à quibus pro defuncto Episcopo cantan. De funere Episcopi 4.
19 *Pro Canonicis defunctis à Capitulo celebranda.*
Pro parocho defuncto quando, & à quibus. De Parochijs. 54.
Pro Papa, quando, vbi, & à quibus. De ratione diu. offic. 49.
Quæ supellex in Missis Conuentualibus celebrandis est adhiben. sequenti titulo exponitur.

1 DIEBVS Dominicis, & festis duplicibus Canonicus hebdomadarius Missam maiorem cantet: nisi iis diebus ij, qui in Ecclesia dignitates obtinent, id munus obibunt, vel Ecclesiæ instituto, vel Episcopi iussu. 1. De Missa solenni, §. diebus verò.

2 Aliis diebus, nisi de more, vel instituto Ecclesiæ id munus sit Canonicorum, quod seruari iubemus, idem præstabunt Mansionarij, aut alij Sacerdotes ad id designati.

3 Qui Sacerdos Missam solennem in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata celebrare debet, & suo muneri defuerit; nisi legitimè impeditus, eius rei facultatem à Præsidente Chori, vel Sacristia impetrarit; in singulas vices soluat decem solidos, in vsum Ecclesiæ, vel Sacristiæ erogandos, arbitrio Episcopi, vel ei dandos, qui illius loco celebrarit.

Ecclesiastica dignitate, aut Canonicatu præditus, si in Ecclesia, vbi eam, eumve obtinet, Missas Conuentuales, pro ratione ipsius, aut dignitatis, aut Canonicatus ad Episcopi ex Tridentini Concilij auctoritate, præscriptum, celebrare contempserit, vel neglexerit; non solum triduì distributionibus; vt superiori Synodo prouinciali sancitum est, mulctetur; verùm etiam ab ordinis sui munere suspendatur, ipsius Episcopi arbitratu. 2. tit. 2. dec. 4.

Quæ hoc de genere nos primo, & altero Prouinciali Concilio statuimus, id prætereà decernimus, vt quicumque Canonicus hebdomada sua, aliove tempore, quo, vel suo nomine, vel hebdomadarij vice, vbi legitimè per alium potest obiri munus, aliquod officium præstare debeat, in tempore non conuenerit, aut officij sui munus, neque ipse, neque eius nomine, si legitimo impedimento distinetur, alius eius Ecclesiæ Canonicus præstiterit, vel Præfectum de impedimento certiorem in tempore non fecerit, aliqua distributionum portione mulctetur, Episcopi arbitratu. 3. de iis, quæ ad diu. offic. pert.

Quo Decreto astringi etiam eos omnes volumus, qui etiam si Canonici non sint, aliquod in Ecclesia munus obire debent.

4 Qui impeditur, quo minùs Missam celebrare possit, Sacristam moneat in tempore; vt accepta eius excusatione, curare possit, vt ab alio Missa celebretur. 1. Ibidem.

5 Diaconus etiam, & Subdiaconus eisdem ministrent, sacris vestibus induti. 1. de Missa solenni.

Aliis verò inferioribus, vt ministrent Diaconus, & Subdiaconus sacris vestibus induti, in maioribus saltem Ecclesiis, vbi id fieri poterit, Episcopi curabunt.

Dominicis, & festis, & aliis item diebus, quibus officium duplex peragitur, Canonici duo, vnus, qui Diaconale, alter, qui Subdiaconale ministerium præstet, Canonico Sacerdoti Missam Conuentualē celebranti, ministrent. Sicubi verò aliis etiam diebus per Canonicos id præstari solet, id deinceps etiam seruetur perpetuò. 4. quę pert. ad Sanctiss. Missæ sacr. & diu. offic.

6 Vbi verò præ paucitate Canonicorum, illis Canonicis duobus in Missæ Conuentualis sacrificio ministrantibus, numerus eorundem, qui in Choro adsint, congruus Episcopi iudicio non erit: liceat eidem Episcopo alios duos non Canonicos statuere: qui illis duplicis officij diebus qui tamen ex præcepto, consuetudineve non

coluntur, loco Canonicorum, Diaconale, & Subdiaconale ministerium obeant.

Omninò autem diebus etiam ferialibus Diaconus,& Subdiaconus,Dalmaticis induti, Missæ inseruiant in Cathedralibus, & Collegiatis ecclesiis quibuscumque, nisi vbi Episcopus censuerit, ministrorum numerum adeò exiguum esse, vt id fieri non possit.

7 Cuius item Episcopi ius sit decernere, qui munus huiusmodi præstare debeant; si modo illud iam attributum perpetuò ex institutione, vel consuetudine non sit.

1. Ibidem. Sess.23.c.13. 8 Curet Episcopus, vt quemadmodum admonuit Sacra Tridentina Synodus,& Diaconi, & Subdiaconi,saltem Dominicis,& festis solennibus diebus, cum altari ministrauerint, Sacram Eucharistiam sumant.

9 Diaconi,vel Subdiaconi,qui ex iure,statuto, vel consuetudine certis diebus altari ministrare debent; si defuerint, eius horæ distributionem nè capiant:quorum vices subeant ij, quos Chori præfectus iusserit,quibus detur aliqua pars distributionis, quæ absentibus est adempta.

10 Vbi nemini nominatim id munus in ea Ecclesia impositum est,quibus Diaconis,vel Subdiaconis, Chori præfectus id negocij dederit, illud suscipiant; dùm singulis præbendis propria munera ab Episcopo assignabuntur:vel alij Diaconi, & Subdiaconi constituentur, qui eo fungantur officio.

2.tit.2.dec. 6. 11.12 Cum Corpus Iesu Christi Domini sustollendum est in Missa conuentuali, & in ea item Missa,quæ in vnaquaque parochiali Eccl.à parocho celebratur, tùm signum sono Campanæ detur, cuius soni significatione fideles, qui in Ecclesia Missæ sacrificio tunc non intersunt, admoniti, ad tanti, tamque magni mysterij, ac beneficij recordationem animum excitantes, mente supplici,religiosas preces piè adhibeant.

3.de iis,quæ pert. ad Missæ sacrif. 13 In Missæ Conuentualis sacro,Introitus,Gradualia, Offertoria, & alia id generis canantur, quæ Ecclesiæ instituto, ad eam sacrificij Missæ actionem,quæ fit, propriè accommodata sunt.

Si quando autem, quo tempore Sacerdos secreto agit, aliquid canendum videtur, nè quicquam canatur,quod etiam illi actioni aptè conueniens, Episcopo non ante probatum sit.

Itidemque quod ad probationem attinet, in aliis diuinis officiis seruetur.

14 Symbolum verò fidei totum à Choro, non alternatim organo canatur.

3. Ibidem. 15 Missæ conuentualis sacrum pro diei festi,feriæve ratione nè in Cathedralibus, Collegiatisque Ecclesiis omittatur, propterea quòd eodem die à capitulo etiam pro mortuis, vel ex Decretis nostris Prouincialibus, vel ex legatis defunctorum,vel alia de causa fieri debeat:sed tunc,vt Honorij III. Constitutione cautum est, & semel pro feriæ, festiue diei ratione, Missæ Conuentualis sacrum fiat,& iterum eodem die pro mortuis.

4.vt suprà. Quibus diebus,ex Missalis Romani rubricarum præscripto, in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis,Missas duas Conuentuales celebrari oportet, eæ ambæ canantur;tùm cantu item celebretur, si quæ prætereà alia Missa eodem, vel alio die ex consuetudine, legatove pio,vel alio iure ibi cani debet,

16 Quod si Capitulum præstare omiserit, neglexeritve, non solum illius diei, in quo huic muneri defuerit,verùm alterius etiam diei distributionibus mulctetur: & alio die suppleantur omissa.

17 Quod pij, religiosique instituti in Ecclesia fuit,quemadmodum ex sanctorum patrum monimentis ex antiquo Cæremoniali Codice accepimus, vt nocte Natalis Domini Missa, quæ in aurora celebratur, sicut illa in media nocte, & altera in die ipso Natali caneretur; eadem in omni Prouinciæ nostræ Cathedrali, & Collegiata Ecclesia,sub auroram etiam canatur,præsenti omni clero,qui diuinis officiis interesse solet, aut debet. Ibidem.

18 Quicumque defuerit,illa distributionis medietate mulctetur, legitimo impedimento cessante, quam proportionabiliter amitteret, si à Missæ sacrificio solenni, quod media nocte fit, abesset. Idem quoque præstetur in parochiali quacumque Ecclesia, vbi aliæ duæ eiusdem diei Missæ canuntur.

19 Canonici mortui funus, eiusve,qui eiusdem Ecclesiæ, in eave dignitatem obtinebat, Capituli sumptibus à reliquis Canonicis fiat; tùm pro eius animæ salute Missa Conuentualis celebretur; & vnusquisque item Canonicus,minsterve eiusdem Ecclesiæ, qui sacerdos sit, Missam itidem pro eo celebret. 2.tit.2.dec. 14.

Quæ hic fortè desiderabuntur, videantur in titulo de ministris Eccles. De diuin. off. & de Missa,& Vesp. Pontifical.

De supellectile, quæ Canonicis, cæterisque non solum Cathedralis, sed etiam Collegiatæ Ecclesiæ ministris in Missis Conuentualibus, diuinisque officiis, & aliis ministeriis vsui est.

SVMMARIVM.

1 *Supellex in Missis Conuentualibus adhibenda, vt partitur.*
2 *Apparatus Altaris maioris, qui, & qualis.*
3 *Supellex ad vsum sacrificij Missæ Conuentualis, & diuinorum officiorum, quæ, & qualis, forma videnda in titulo de supellectile Missarum Episcop. &c. num. 2.*
4 *Supellex propria Missæ tantum, quæ, & qualis. Eius forma videnda ibidem.*
5 *Supellex Missæ Conuentualis, & diuinorum officiorum vsui communis, quæ, & qualis: formæ hic non appositæ, videantur in prædicto titulo.*
6 *Libri, seu volumina ad vsum diuinorum officiorum in Ecclesia Metropolit. & Collegiatis, pro ritus Ambrosiani ratione, quæ, & qualia.*
Libri, seu volumina ad vsum diuinorum officiorum in aliis Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis Ritus Romani, quæ, & qualia.
Libri Sacri ad vilem, & sordidum vsum non auertendi.
7 *Supellex, quæ multis ministeriis sacris communis est, quæ, & qualis.*
8 *Multiplicis apparatus supellectilis ratio.*
9 *Quæ supellex duplicanda.*
10 *Quæ triplicanda.*
11 *Quæ quintuplicanda.*

12 *Supellex linea multiplicanda, etiam ob commutationis vsum.*
13 *Indumenta linea Altaris in Missis Conuentualibus quotuplicia.*
14 *Indumenta linea Sacerdotalia in Missis Conuentualibus, quot item.*
15 *Indumenta linea vsui ministrorum in Missa Conuentuali inseruientium, quot.*
16 *Indumenta linea vsui variis ministeriis quotuplicia.*
Quæ supellex, quæque indumenta eiusdem materiæ, & coloris. De supp. Miss. &c. Epist. n. 11.
Quæ supellex eiusdem quidem coloris, sed materiæ diuersæ. Ibid. 12.
Quæ indumentorum ornamenta, materia, colore, opere, artificioue inter se, vt maximè potest, conuenientia. Ibid. 13.
Vasa, vestes, indumenta, ornamentaue supradicta, & alia, ad quem apparatum non adhibenda. De Missis sine cantu. 41.
Ea, neque in Missa, neque in diuinis officiis adhibenda, ante quàm sint benedicta. Ibid. 45.
Et à quo benedicenda. De Sacramentalibus. 75.
Suppellex omnis qua munditia asseruanda. De Sacristia. 23.

Inst. supp. eccl. lib. 2. & primo supp. quæ Canonicis, &c.

1 EXposita supellectile, quæ Episcopali vsui propriè addicta est; sequitur, vt dicatur de supellectile, quæ Canonicis, cæterisque Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatæ Ecclesiæ ministris in peragendis diuinis officiis necessaria est.

Hæc porrò ordine distincta, partim ad altaris maioris apparatum, partim ad Missæ Conuentualis, & diuinorum officiorum vsum, partim ad cultum, & administrationem Sacræ Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum, partim ad alia Ecclesiastica ministeria, & alia item speciatim ad funeralia officia, alia denique ad Sacristiam pertinent.

Hic sanè distinctionis modus, in reliquarum etiam Ecclesiarum, prout earum vniuscuiusque ratio tulerit, supellectile commonstranda, præfiniendaque seruabitur. Primò autem loco supellectilis apparatus simplex exponetur.

2 Apparatus altaris maioris est, qui sequitur, scilicet.

Crux.

Inst. for. supp. lib. 2. de Cruce.

Crucis porrò, quæ, vel super altari maiori, vel super tabernaculo sanctissimæ Eucharistiæ collocabitur, forma penè quadrangula erit: cuius tamen pars inferior paululum oblonga, in tubulum desinet: vt, cùm ad vsum processionũ, aliarumque Ecclesiasticarum actionum opus erit, à sui possit fulcimento commodè eximi. Ea autem magnitudine Crux erit, quæ cum altaris amplitudine, aptè, decoréque conueniat. Ex aureis, aut, si minus per facultates possit, argenteis, laminis Crux altaris maioris erit in Basilica Cathedrali, Ecclesiisque Collegiatis: hæcque vsui solemniorũ dierum, atque officiorum: altera autẽ ex auricalcho inaurato condecenter cęlata, elaboratave, aliis diebus adhibenda. Ex hac item materia, vel ex argento, illa etiam erit, quæ in aliis Ecclesiis, præsertim parochialibus, super altari maiori collocabitur.

Fulcimentum, quo aptè Crux in Altari sustineatur, ex auro, aut argento, aut saltem ex auricalcho, aut denique ex ligno inaurato, in Ecclesiis scilicet, quarum census tenuis est, eleganter, decoraque forma confectum, ad congruentem altitudinem surgens, arctè, atque aptè tubulo infigatur.

Crucis item, quæ in Altari minori ponetur, cùm fulcimentum, tùm forma eadem, aliquantoque minori esse poterit, sed exemptilis esse non debet. Materia si minùs aliquando ex auricalcho, pretiosiorive metallo, & ex ligno esse poterit picto, decenterque inaurato.

Crux porrò capituli, vel illa, quæ in processionibus, in mortuorum exequiis, aliisque sacris, & Ecclesiasticis actionibus de more præfertur, hastile habeat benè firmum, idemque decenter pictum, cui aptè inseratur.

Vbi verò, vt in Ecclesia Ambrosiana moris est, à Capitulo, alioque Ecclesiastico Collegio, vel à parochis, aliisve animarum curatoribus, Crucem forma quadrata, quæ duobus cubitis, paulove amplius altè latéque pateat, in illis Ecclesiasticis actionibus, sine hastili, sed breui manubrio eiusdem metalli proferri, is quidem mos, sanè quàm vetus, vsuque probatus, planè retinendus est.

Candelabra sex, cum suis operculis extinctoriis binis.

Instr. for. suppell. lib. 2. de Candelabris.

Candelabra Altaris maioris, quæ etiam aurea olim fuisse animaduertimus, si ex auro per facultates, fieri non possunt, saltem ex argento conficiantur ad vsum solemniorum officiorum, ità vt & metalli genere, & opere cum Cruce congruant. Alia verò, quæ vsui quotidiano sunt, ex aurichalcho constare poterunt: è quo metallo in omni Ecclesia adhiberi conueniens est. Ex ligno autem opere tornatili confecta, in reliquis Altariis minoribus aliquando permittuntur, si ex auricalcho, pretiosiorive màteria per facultates fieri non possunt.

Candelabri basis, quem pedem dicunt, rotunda, vel triangularis potius existat; atque vt maximè fieri potest, cum illa congruens, quæ Cruci subiacet. Sic verò vndique pateat, firmaque sit, vt præ cerei crassioris, qui imponetur, pondere, aut longitudine Candelabrum non vllo modo corruat.

Eiusdem scapus, opere cælato, rectè, piè, decenterque elaboratus, sensim angustius ascendat in altitudinem, quàm Altarij Ecclesiæque ratio requirit.

Rursusque in summitatem circularem, decorè patulam, desinat. In qua summitate candelabri acumen teres extet, cui vasculum itidem ex argento, vel auricalcho insigi possit: in quo vasculo cerei inserantur.

Et quoniã vsu venit, vt quæ cãdelabra ex auro, argentove sunt, facilè vacillent, atque inclinentur; ac ferè etiam particulæ, ex quibus, simul conglutinatis, illa fabricata sunt, dissoluantur; vtile erit, virgam ferream per totum candelabri scapum transire: quæ virga, in superiorem partem exiens, locum vasculo præscripto, candelæve insigendæ præbeat.

In parte autem inferiori ità claudatur lamina ferrea, in orbem versatili, vt particulas omnes, quæ candelabri scapum constituunt, aptè constringat, iunctasq; simul, ac rectas planè teneat.

Candelabrũ cerei paschalis ex laminis argen-

teis, aut ex auricalcho, aut saltem, ob Ecclesiæ inopiam, è solido ligno, opere tornatili, totumque inauratum, ac piè ornatum, altitudine constet cubitorum fere quinque.

Basi prætereà firmissima suffulciatur, vt vbi moris est, quemadmodum olim fuit, statis illis diebus in media Ecclesia ante altare maius collocetur. Si verò pensile adhibetur, nulla basi opus est.

Cantharus, quod candelabri genus est, in Ecclesia Ambrosiana ex auro vel ex argento, vel ære fusili, auricalchove esse potest prout Ecclesiæ, in qua adhibetur, ratio postulat.

Breuior, quàm cætera candelabra: ac leuior item: scapo prętereà subtiliori constet, quo facilius manu apprehendatur. Base triangulari, & reliquo ornatu sit, qui decentem speciem exhibeat.

Candelabra ad vsum processionum, & metallo, & forma existant, vt illa, quæ vsui sunt Altaris maioris, sed longitudine aliquanto breuiori, & crassitudine minori item, esse poterunt.

Emunctoria duo.

Inst. for. suppell. Ibid. de emunctorio & operculo.

Emunctorium ex eodem metallo, è quo sunt candelabra: longitudine vnciarum duodecim.

Operculum ad vsum restinguendi cereos è tenui lamina, quam tolam vocant, constet: forma prætereà decenti.

Tabella secretorum.

Ibid. de Tabella secretorum.

Tabella secretorum non quernea, non nucea, neque denique è ligno subobscuro sit; sed ex abiete, aliave id generis arbore albicanti, nè pagina agglutinata obscurescat.

Latè aliquanto amplius pateat, quàm longè: à parte anteriori coronicibus vndique decorè ornetur.

A mensa Altaris aliquanto altius sustineri debet aliquo fulcimento, decorè confecto, vt secretorum pagina, propius ad oculorum conspectum accedat. Atque hæc quidem vsus quotidiani.

Illa verò solenniorum dierum, speciosior esse debet; ità vt, & coronices auratas, aut præclarè pictas, & paginam secretorum maiusculis literis impressam, & eius imagines, litterasque illas grandiores, minio, auroque splendescentes habeat.

Mappæ minores duæ.

Mappa maior vna.

Inst. Ibid. de Mappis, &c.

Mappæ, quæ vela, velaminave, aut Syndones aliàs dicebantur, supernam Altaris partem contegentes, è lino, aut, vbi lini copia non est, è cannabi sint.

At illæ pretiosiores, vsui solennium dierum, Episcopaliumque officiorum, è tela linea item, vel cannabina, sed longè tenuiori contextæ; reliquæ vsus quotidiani, è tela eiusdem generis, non crassa nimis, nec verò rudi, sed eiusmodi, quæ opere textili, benè, firmiter, ornatéque confectæ sint.

Verùm nullæ porrò Mappæ Altaris, ab vlla parte, bombacio, cærulei, alteriusve coloris elaboratæ sint.

Grandiores porrò Mappæ ea sint longitudine, vt ab vtroque Altaris latere profundius circiter, tribus digitis, quàm planum bradellæ demissæ sint.

Latitudine verò totam altaris mensam contegant, ac gradum item, qui super altari est.

Si modo in altari præsertim maiori, ob tabernaculi impedimentum separatim operiri, obtegive commodius non fit.

Eæ prætereà Mappæ, quæ minores adhibentur, integræ, atque vt olim, eiusmodi existant, quibus tota, integraque illa superior altaris pars, seu mensa consternatur; eæque inter se distinctæ sint, ac sanè separatæ omninò.

Pallium.

Pallium, seu palla, vestimentum scilicet, quod ante altare tenditur suspensum, paulò longiùs, quàm altare patere debet; eoque altius, vt ab ima parte paululum sub coronice scabelli eiusdem Altaris occultetur. Ibidem, de Pallio.

A superiori parte, palmum à summo distante, laciniis, quas frangias dicunt, auro, sericoue elaboratis pro colorum ratione, ex Ecclesiæ ritu præscripta ornetur.

Intrinsecùs tela bombicina, aut alia tenui materia vestiatur, quæ à superiori parte palmo vno excedat, vt sub mappis reflecti possit.

Instruatur etiam à summo intrinsecùs paruulis, minutisque annulis æreis, ferreisve, quibus suspendatur, affixum telari Altaris.

Cui pallio, ab exteriori parte, Crux, aut imago sancti, sanctorumve, quorum nomine Altare dicatum est, aut alia sacra effigies, aptè, rectéque, in medio assuatur.

Id quod antiqui instituti esse, ex eo etiam accepimus, quod Zacharias Pontifex pallam auro intextam, Natiuitatis Domini Nostri, Iesu Christi imagine ornatam, Beati Petri Apostoli altario obtulit.

Pallium pretiosius, vtpotè vsui solenniorum officiorum, ac dierum, sit è serico, auro, argentove intexto, nempè opere Attalico, quod brocatum dicunt, vel acu decorè picto.

Illud verò quotidianum ex alio serici genere, aut subserico. Idque etiam in Ecclesiis permittitur, quarum tenuis census ferre non potest illum pretiosioris pallij sumptum.

Pallia autem, quæ humiliora, aut depressiora iam extant, quam Altaris altitudo requirit, altiora fiunt, in summa parte additamento eiusdem panni, materiave facto, aptéque connexo: quod laciniæ, quam frangiam vocant, aut alterius rei ornatu decenti obtegatur.

Quæ verò pallia breuiora sunt, quoniam Altaria longius ducta sunt, ea aptè reconcinnari poterunt, aut produci aliis pro longitudinis Altarium ratione, additis, decenterque annexis, eiusdem, alteriusve panni, sericive, aut materiæ fasciis.

Velamentum ad ornatum frontispicij Altaris.

Velamentum, quod ad ornatum frontispicij Altaris in Missæ sacro adhibetur, superiorique parti pallij in ipso Altari, tamquàm frontale quoddam obtenditur, eiusmodi sit, vt demissum vsque ad serica filamenta, quæ pallio assui solent, vel paulò infrà perueniat.

Longè prætereà pateat, vt adæquet altare, aut paulò amplius. Eius extremitas, quæ in hominum conspectu est, fimbria decorè exornetur.

E pretiosa tela linea, eaque tenui admodum confectum, per latitudinem lineis, acu, aliave ratione elaboratis, aptéque certo interuallo dispositis, distinctè ornatum appareat.

Ibid. de Tela Stragula Altaris.

Pretiosius porrò, quod solemnioribus diebus officiisque vsui erit, insignius esse debet, auro scilicet, argentoque contextum.

Tela Stragula Altaris.

Tela Stragula Altaris, longitudine, ac latitudine sit, quæ totam illius mensam vndique contegat, & paulò amplius item laciniis breuioribus, ab omni parte decorè cincta.

Colore viridi sit. Quotidiana è lino, cannabive: illa verò vsui solennitatum è serico, aut è subserico.

Tapetum bradellæ Altaris.

Ibid. de Stragulis bradellæ, & graduum Altaris.

Stragula bradellæ, & graduum Altaris, plani item, cum opus est, tapetia sint, aut panni lanei, iique pretiosiores, pro solennitatum ratione, proque Ecclesiarum dignitate.

Latè, longè, & amplè ità pateant, vt & bradella, & Altaris gradus eorum operimento consternantur omninò, atque adeò ampliùs, saltem cubito vno.

Tabellæ orationis de sancto, cuius nomine Altare, capellaue maior nuncupatur; duæ; vna à dextro, altera à sinistro latere clathrorum altaris, capellæve, extrinsecùs affigendæ.

Tabellæ item duæ orationum de sancto, sanctisve, quorum insignes reliquiæ in eo Altari reconditæ sunt.

3 Suppellex ad vsum sacrificij Missæ Conuentualis, & diuinorum officiorum,

Amictus Sacerdotalis cum suo auriphrygio, seu fascia.

Alba Sacerdotalis, cum suis auriphrygiis, seu grammatis.

Cingulum Sacerdotale.

Manipulus Sacerdotalis,

Stola Sacerdotalis,

Planeta.

Pluuiale.

Amictus Diaconalis, cum auriphrygio, seu fascia.

Amictus Subdiaconalis, cum fascia, seu auriphrygio.

Alba Diaconalis, cum suis grammatis, seu auriphrygiis.

Alba Subdiaconalis, cum suis grammatis, seu auriphrygiis.

Cingulum Diaconale.

Cingulum Subdiaconale.

Dalmatica Diaconalis.

Tunicella Subdiaconalis.

Manipulus Diaconalis;

Stola Diaconalis.

Manipulus Subdiaconalis.

Velum Subdiaconale ad vsum ferendi Calicis patenæve sustinendæ.

Suppellex propria Missæ tantum.

Calix. Patena. Velum Calicis. Corporale cum palla.

Sacculus Corporalis.

Purificatorium.

Hamularum, seu vrceolorum paria duo.

Peluicula vrceolorum.

Missalia tria.

Integumentum Missalis.

Signaculum Missalis.

Puluinar Missalis.

Lectionarium ad vsum Missæ solennis in Eccles. Metropolit. tantum.

Integumentum Lectionarij.

Epistolarium.

Integumentum Epistolarij.

Euangelistarium.

Integumentum Euangelistarij.

Integumentum ambonis, vel suggesti.

Cereostata octo, cum suis operculis extinctoriis.

Tabella gestatoria pacis offerendæ.

Sudariolum ad nares expurgandas, cum opus est in Missæ sacro.

Funiculus, cum globulo, vnde sudariolum pendeat.

Crepidarum mundarum paria terna.

Suppellex Missæ conuentualis, & officiorum vsui communis.

Thuribula duo.
Acerræ binæ. } ad thurificationis vsum.
Cochlearia bina.

Pluuialia tot, quot sanè quidem sunt Ecclesiæ Canonici, & dignitate præditi, & Mansionarij, aliique id generis ministri, Episcopo celebrante in Cathedrali: in Collegiata verò tot, quot vsui sint in vesperis solemniorum celebritatum, pro Ecclesiarum more, ac ritu.

Planetæ etiam totidem, quot Canonici, & alij sunt, qui Sacerdotales præbendas habent, certis statis diebus adhibendæ, ex libro cæremoniarum in Cathedrali tantùm.

Dalmaticæ Diaconales, quot Canonici alijve, qui Diaconales præbendas obtinent in Cathedrali tantùm.

Tunicellæ Subdiaconales, itidem, vt proximè suprà.

Canthari etiam in Ecclesia Metropolitana, bini, in Collegiatis etiam Ecclesiis ritus Ambrosiani, bini.

Eius forma supra num. 2.

Candelabrum Cerei Paschalis, forma ibid.

Stragulum sedilis, in quo Sacerdos Missæ sacrum faciens, & ministri aliquando assident.

Instr. fort. suppell. l. 1. de strag. sedilis Sacer.

Stragulum sedilis, in quo Sacerdos Missæ Sacrum solenniter faciens, considet, è panno laneo, aut serico raso in Basilicis insignioribus,

Ita verò latè, longéque pateat, vt à tergo etiam sedile contegens, capite celebrantis paulò altius extet, & infrà ad pauimentum vsque propè pertingat.

Ibid. de Aulæis.

Aulæa, pannive plures, ad vsum ornandæ capellæ maioris, & Chori, aut Basilicæ, Ecclesiæve, solemnioribus festis diebus: idque potissimum in Cathedrali; in Collegiata verò, si per Ecclesiæ facultates, potest.

Aulæa, in ornanda Ecclesia siue ex corio, siue ex lana constent, nè profanis imaginibus humanis, aut belluarum picturis; sed religiosis, piisque figuris, mysterij sacri historiam significantibus, contexta sint, & ijs potissimum, quæ Christi Domini, vel Sancti; cuius nomine Ecclesia, Capellave nuncupatur, res gestas exprimunt.

Lectorilia stataria Chori duo.

Lectorilia minora gestatoria, in Cathedrali tria, in Collegiata duo.

Ibid. de Lectorilibus,

Lectorilium genera duo; alterum sit, posita Columella lignea, aut aliquo alio apto fulci-

mento, cum basi congruente; & decora, aut etiam armario exstructo pro recondendis libris ad vsum Chori, suprà quod fulcimentum tabula lata, & longa, quantum satis sit ad capiendum apertos libros, decliui positura, collocatur.

Aut verò sit tamquàm duplicis faciei, vt ab vtraque tabulæ, quæ supernè in culmen coeant, duobus libris imponendis locum præbeant, è nuceo ligno erit artificiosè exculto, & alio etiam præsertim picto, aut inaurato.

Alterum gestatorium magis est, & duplex, cuius partes sunt, ex longis, & angustis asserculis confectæ per clauum in vtraque media parte fixum, quo coniunguntur, in vnum coeant, cum tollitur, & gestatur, & cum ponitur ad lectionem suprà, & infrà deducuntur, suprà verò corio vtrinque affixo tenentur, ad libros capiendos, aptè composita.

Huius quoque ligna ornatum, & artificium desiderant.

Hac eadem forma alia, & lectorilia fiunt; nisi quod plicatilia, vt ità dicam, non sunt, & loco corij, lignis tenentur in superiori parte.

Lectorilium integumentis circumsuantur serica lineæ cum filamentis suis, ab vtroque quidem capite per vncias tres prolixis, ab aliis autem partibus breuioribus, & modicis, telaque subter tecta sint, ità longa verò, & vtrinque ad terram vsque demittantur, lata paulò magis, quàm ipsa lectorilia.

Integumenta lectorilium statariorum.

Integumentum lectorilium gestatariorum.

6 Breuiaria, forma grandiori, tria saltem in Metropolitana: in Collegiata duo.

Calendaria anniuersaria, seu perpetua, tria item in Metropolitana: in collegiata duo.

Psalteria præthereà cum hymnis, tria saltem in Metropolitana: in collegiata duo.

Libri de hymnis, musica modulatione notatis, tres saltem; duo in collegiata.

Antiphonaria de Dominicis tria, in collegiata duo.

Antiphonaria de Sanctis tria: in collegiata duo.

Antiphonaria ferialia tria: in collegiata duo.

Lectionaria matutinalia, tria: in collegiata duo.

Homiliaria, tria: in collegiata duo.

Lectionaria, ex libro Genesis ad officia Quadragesimæ, post horam Tertiam, & Nonam, duo in Metropolitana tantum.

Lectionaria item de Exodo, ad officium Dominicarum Quadragesimæ, post primam Missæ orationem, ex Prouerbiis Salomonis, duo item in Metropolitana tantum.

Lectionaria item ex sermonibus Sancti Ambrosij, ad officia Dominicalis Quadragesimæ, duo in Metropolitana tantum.

Lectionaria item de vitis sanctorum, in statis quibusdam vigiliis, duo tam in Metropolitana, quàm collegiata.

Pontificialia, tria: in collegiata duo.

Cæremonialia, tria: vnum, quod dicitur, Romanum, alterum Ambrosianum, tertium Paridis de Grassis: in collegiata duo, vnum Ambrosianum, alterum Romanum.

Sacramentalia quatuor in collegiata duo.

Processionalia, seu libri Litaniarum processionumue, quinque pluresve: item in collegiata duo.

Libri ad vsum funerum, & officij mortuorum, quinque pluresue item: in collegiata duo.

Libri cantus Ambrosiani, varietate tonorum distincti, ad vsum lectionum, psalmorum, & id generis aliorum, numero tres, in collegiata duo.

Libri, in quibus hymnus, Gloria in Excelsis Symbolum, & Sanctus, musicis notis descripta sunt, numero tres: in collegiata duo.

Libri de cæremoniis Missæ, tres item: in collegiata duo.

Libri de computo Ecclesiastico, duo: tam in Metropolitana quam Collegiata.

Breuiaria forma ampla; in Cathedrali tria, in collegiata duo.

Calendaria perpetua; in Cathedrali tria: in collegiata duo.

Diurna, aut psalteria, cum hymnis, in Cathedrali tria: in collegiata duo.

Hymnaria, musico cantu exscripta, in Cathedrali tria: in collegiata duo.

Lectionaria matutinalia, in Cathedrali tria: in collegiata duo.

Homiliaria matutinalia, in Cathedrali tria, in collegiata duo.

Antiphonaria de sanctis, duo item
Gradualia de Dominicis, duo.
Gradualia de sanctis, duo.
Manualia duo.
Martyrologia duo.
Libri de officio mortuorum, duo etiam.
Ritualia duo.

Processionalia, in Cathedrali tria, pluraue: in collegiata duo, plurave.

Pontificalia, in Cathedrali tria: in collegiata duo.

Cæremonialia in Cathedrali totidem: duo scilicet Romana; tertium Paridis de Grassis: in Collegiata totidem, vnum scilicet Romanum, alterum Paridis de Grassis.

Sacerdotalia duo, tam in Cathedrali, quam collegiata.

Rationalia diuinorum officiorum, duo item.

Libri de Cõputo Ecclesiastico, duo quoque.

Libri prætereà, ijque probati de Musico cantu, modulatione diuinorum officiorum, in Cathedrali tres, pluresve: in collegiata duo pluresve. Instr. for. supell. lib. 2 de lib. &c.

Volumina diuinorum officiorum vsui addicta, vtpotè Breuiaria, Lectionaria, & alia id generis, suprà enumerata, planè eiusmodi sint, quale Missale paulò ante demonstrauimus. 1. tit. 2. dec. 21.

Libri sacri, veteris, & noui testamenti: volumina item Sanctorum patrum, nostræ fidei interpretum, tùm scripta etiam Ecclesiastica, quibus & res, & verba diuina consignata sunt, & si temporis vetustate omninò consumpta, ad rerum tamen vilium, ac sordidarum vsum nè vllo pacto conuertantur; sed in ignem potius conijciantur.

7 Vas vnum vsui aquæ Dominicis diebus benedicendæ in Cathedrali, & Collegiata. Instr. for. supell. lib. 2 de vasis instrumentis, quæ in Sacrist. &c.

Vas ad vsum aquæ benedicendæ paretur, quod non luteum, non testaceum, fictileve sit, sed æreum stannoque intrinsecus illitum, binis ansis, & ore patenti, amploque constans; fun-

do item paulò, quàm os, angustiori, ita tamen vt firmiter vas hærere possit.

Vasculum gestatorium aquæ benedictæ in Cathedrali, & Collegiatis forma. De suppell. Miss. Epis. num. 5.

Aspergillum item.

Peluis grandiuscula gestatoria, vna saltem, tàm in Cathedrali, quam Collegiata, ad vsum lauationis manuum.

Vrceolus ad eundem vsum grandiusculus vnus item.

Polubrum, vas scilicet lauandis manibus Sacerdotis, & vasculum item aquæ infundendæ aptum; cum is extrà Missæ sacrum aliqua sacra ministeria obit, condecenti, congruentique inter se opere sint, ac magnitudine: ex argento autem conflentur, aut saltem è stanno pretiosiori, tùm piæ alicuius cælaturæ; aut incrustationis ornatu constent.

Mantile grandius ad manus abstergendas, in Cathedrali, & Collegiata.

Ibidem. Mantilia grandiora, quæ præter ea, quæ in Sacristia appendenda sunt, ad abstergendas manus, extrà Altaris vsum parari debent, filo non crasso nimis intexta, & ab omni parte condecenter exornata sint; tùm ab vtroque etiam capite filamentis adiunctis, longè pateant cubitis tribus: latè verò, quanta sanè est telæ latitudo.

Vasa, vsui excipiendi oblationes duo saltem in Cathedrali, ac Collegiata, quæ Curata sit, forma. De Parochiis, &c. 60.

Superpellicea ad vsum varium ministeriorum Sacerdotalium: in Cathedrali quatuor, sexve: in Collegiata tria, quatuorvè.

Superpellicea, vsui clericalium ministeriorum, tria: plurave in Cathedrali, totidemque in Collegiata. De vita, & hon. cler. num. 22.

Inst. sup. ecc. lib. 2. De ratione multiplicis apparatus. 8 Quoniam verò pro ratione officij diuini, quod modo solennius, modo minùs solenniter fit: prout diei vel celebritas, vel commemoratio, vel solennitas quæ agitur, requirit, illud planè conuenit, vt sicut ei diei, aut solennitati, officium omni ex parte consentit: ita ex Sanctæ Matris Ecclesiæ vsu apparatus respondeat sacrarum vestium, & materia, è qua confectæ sint, pretiosiori, & ornatu insigniori, & colore item, qui vt suprà in supellectile, vsui Episcopali propriè addicta, enucleatius præscripsimus, conuenire debet cum officio, quod agitur.

Quare iam commonstrato simplicis supellectilis apparatu, regulæ tradendæ sunt supellectilis, quæ pro officij vsu, multiplicanda est.

At primò quidem de ea, quæ si materia, & ornatus spectatur, alia duplex, alia triplex, apparanda est.

Quæ porrò supellex duplex esse debet; illius ratio hæc est, vt vna sit vsui quotidiano: altera vsui solenniorum dierum, eaque, & pretiosiori materia, & ornatu insigniori. Res igitur, quæ sub hanc duplicis supellectilis regulam cadunt, hæ sunt, vtpotè.

Crux.
Candelabra sex.
Emunctoria duo.
Tabella secretorum.
Mappa maior.
Mappæ minores.
Tela stragula Altaris.
Taperum bradellæ Altaris.
Cingulum Sacerdotale.
Cingulum Diaconale.
Cingulum Subdiaconale.
Hamularum paria duo.
Peluicula vrceolorum.
Tabella gestatoria pacis offerendæ.
Thuribula duo.
Acerræ binæ.
Cochlearia bina.
Cereostata bina.
Conopæum tabernaculi maioris.
Vmbella processionalis.
Vasculum gestatorium aquæ benedictæ.
Aspergillum.
Peluis ad vsum lauationis manuum.
Vrceolus grandiusculus.

10 Quæcumque autem res infrà demonstratæ sunt, hac regula comprehenduntur, vt triplices esse debeant, cum singulis diebus pretiosiori, & materia, & ornatu respondere conueniens sit: ita scilicet, vt quæ minùs pretiosæ, minusue insignes existunt, vsui quotidiano sint: quæ verò aliquanto pretiosiores, in festorum dierum officio: quæ denique longè insigniores, & materia, & opere, & ornatu, in solennitatibus, vt par est, maioribus adhibeantur.

Atque hæc quidem sunt.

Pallium.
Velamentum ad ornatum frontispicij Altaris.
Amictus Sacerdotalis, cum fascia.
Alba Sacerdotalis, cum auriphrygio.
Manipulus Sacerdotalis.
Stola Sacerdotalis.
Planeta.
Amictus Diaconalis cum fascia, seu auriphrygio.
Alba Diaconalis, cum fascia, seu auriphrygiis.
Amictus Subdiaconalis, cum fascia, seu auriphrygio.
Alba Subdiaconalis, cum grammatis, seu auriphrygiis.
Dalmatica Diaconalis.
Tunicella Subdiaconalis.
Stola Diaconalis.
Manipulus Diaconalis.
Manipulus Subdiaconalis.
Velum Subdiaconale.
Velum Calicis.
Sacculus Corporalis.
Integumentum Lectionarij in Basilica Metropolitana.
Integumentum ambonis, vel suggesti.
Integumentum Missalis.
Puluinar Missalis.
Integumentum Lectorilium gestatoriorum, & statariorum.

11 Atque hæ quidem res, sigillatim suprà enumeratæ, sub rationem triplicis supellectilis cadunt. Nunc sequitur regula, qua comprehenduntur indumenta, ornamentave sacra, quorum suprà expositorum vnusquisque apparatus, tùm qui pretiosior, tùm rursus, quis minus pretiosus, tum item qui quotidianus est, quintuplex requiritur, pro instituta in diuinis officiis colorum varietate, ita scilicet, vt quotidiani vsus appa-

ratus sit vnus, albo colore, alter rubro, tertius, violaceo, quartus, viridi, & quintus nigro. Hæcque item regula sit de apparatu tùm solennium dierum, vel officiorum, tùm solennitatum etiam maiorum. Indumenta verò quintuplicis huius apparatus, sunt: scilicet.

Pallium.
Velamentum frontispicij altaris.
Auriphrygium amictus Sacerdotalis.
Auriphrygium Albæ Sacerdotalis.
Manipulus Sacerdotalis.
Stola Sacerdotalis.
Planeta.
Pluuiale,
Auriphrygium amictus Diaconalis.
Auriphrygium item amictus Subdiaconalis.
Grammatæ, seu auriphrygium Albæ Diaconalis.
Grammatæ, seu auriphrygium item albæ Subdiaconalis.
Dalmatica Diaconalis.
Tunicella Subdiaconalis.
Stola Diaconalis.
Manipulus Diaconalis.
Manipulus Subdiaconalis.
Velum Subdiaconale ad vsum ferendi Calicis, patenæue sustinendæ.
Velum Calicis.
Sacculus Corporalis.
Signaculum Missalis.
Integumentum Missalis.
Puluinar Missalis.
Integumentum Lectionarij.
Integumentum Epistolarij.
Integumentum Euangelistarij.
Integumentum Lectorilium statariorum.
Integumentum Lectorilium gestatoriorum.
Integumentum ambonis, vel suggesti.

Pluuialia tot, quot Canonici, & dignitate præditi Mansionarij aliive id generis ministri. Sed hæc triplici tantum colore, scilicet albo, rubro, & violaceo.

Planetæ etiam totidem, quot Canonici, dignitate præditi, aliique, sunt, qui Sacerdotales dignitates obtinent: Sed triplicis tantum vt suprà, colore albo, nigro, & violaceo.

Dalmaticæ item, quot Canonici, alijve Diaconales præbendas, obtinentes, triplici etiam colore, vt suprà.

Tunicellæ Subdiaconales, ibidem vt suprà.

12 Indumenta è lino, bysso, cannabiuè, confecta, quæ ministeriis ecclesiasticis addicta sunt, cùm munda in primis, nitida, candida, ab omnique labe pura, atque integra non sine mysterij etiam significatione ex patrum traditione esse debeant; ac proinde crebrò purgari, lauarique opus sit; vt, dum lauantur, quæ sordida sunt, alia nitida non desint ad vsum sacrorum ministeriorum; multiplicia, ac plura, ob mundiciem retinendam sanè quidem illa esse oportet. Ponemus igitur mox infrà, singula eiusmodi indumenta, eorumque enumeratorum totam summam.

13 Mappæ maiores sex, tam in Cathedrali quàm Collegiata.

Mappæ minores duodecim.

14 Amictus viginti.

Albæ viginti.

Corporalia, decem & octo in Cathedrali: in Collegiata duodecim

Purificatoria triginta sex in Cathedrali, in Collegiata vigintiquatuor.

Mantilia ad vsum abstergendi manus in Missæ sacro in Cathedrali vigintiquatuor: in Collegiata duodecim.

Mantilia in Sacristia appendenda ad vsum lauationis manuum, in Cathedrali duodecim: in Collegiata octo.

Sudariola ad vsum purgandi nares, cum opus est in Missæ sacro, in Cathedrali triginta, in Collegiata duodecim.

Funiculi sudariolorum cum globulis, in Cathedrali decem, in Collegiata sex.

Mappæ quinque in Cathedrali vsui altaris, mensæve, vbi sacerdos sacris vestibus induitur, in Collegiata tres.

Sacculi lintei, vsui vniuscuiusque calicis, bini tàm in Cathedrali, quàm Collegiata.

15 Amictus Diaconales, viginti.

Albæ Diaconales, totidem.

Amictus Subdiaconales, viginti item.

Albæ Subdiaconales, totidem.

16 Superpellicea in Cathedrali quatuor, sexvè ad varia sacerdotalia ministeria, in Collegiata, tria, quatuorvè.

Superpellicea vsui Clericalium ministeriorum in Cathedrali tria, pluraue: in Collegiata totidem,

Sabaria ad vsum abstergendi caput infantum baptizatorum, in Cathedrali sex, pluravè: in Collegiatá curata quatuor pluravè.

De Missa parochiali, & aliis infrà limites parochialis Eccles. celebrandis, deque Concione & Vesperis parochialibus.

SVMMARIVM.

1 *Parochi, quot saltem diebus Missam celebrent cuiuslibet hebdomadæ.*
In elevatione parochialis Missæ, signum campanæ dandum. De Missis Conventual. 12.
2 *Missa, hora populo magis commoda celebranda.*
3 *Pœna contendentis, vt contrà id fiat.*
4 *Missæ parochialis hora, & signa.*
5 *Vbi plures Missæ in parochia celebrantur, vt distribuendæ.*
Tabella ob id conficienda: & à quo, vbi proponenda. 9.
6 *Missa in aurora celebrata, alia ante parochialem non celebranda: & à quo aliquando concedendum, vt celebrari possit.*
7 *Quando neque etiam in aurora celebrari permittatur.*
8 *Hora præscripta celebrationi Missarum, à quo, & quando mutari possit.*
Missam nemini celebrare liceat Dominicis, festisque aliis diebus, nisi absoluta parochi Concione. De Missis sine cantu. 34.
Nisi parochus antè fieri permittat certa præscripta hora. Ibid. 35.
Eodem etiam concionante, à nemine celebrandum. De prædic. Verbi Dei. 13.
Punctator quibus in Ecclesiis deputandus causa ce-

1. de frequ. di. sacr. obl. sess. 23. c. 14. CVratis verò, vt prætereà ter in hebdomada, aut eò etiam sæpius, quò, vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem diuini sacrificij vsum postulabit, Missam celebrare nè omittant, præcipimus.

1. Quæ pert. ad celebr. Missæ. Neuè, si parochi sint; cuiusquam gratia, metuuè Missam anticipent aut differant: sed illam ea potissimum hora celebrent, quæ populo magis accommodata sit. Neuè concionem, quam in ea habere debent, vllo modo omittant.

3 Quod, si fortè quispiam imperio quodam, aut contumelia, aut minis, aut vi contenderit, vt sacerdos quidquam contra, quàm hoc decreto sancitum est, faciat: si clericus sit, & beneficium obtineat, eo priuetur; si non habet beneficium, ne habere quidem ad quinquennium possit: si laicus, re ipsa iam tunc excommunicationis pœnam subeat: neque ad decennium feudi, aut emphyteusis nomine quidquam ab Ecclesia consequi possit.

4. Quæ per. ad sanct. Missæ sacr. & diu. off. 4 Missæ parochialis sacrificium die festo, circiter duabus post solis ortum horis: aliis etiam diebus ea hora, quæ populo vniuerso, pro loci ratione, Episcopi iudicio magis accommodata erit, in omni ecclesia parochiali celebretur, datis semper ante statis campanæ signis, iisque horæ dimidiæ interuallo disiunctis, vt in tempore populus conuenire possit.

4. Ibidem. 5 Si præter parochum, alius etiam sacerdos est, qui in ea Ecclesia Missæ sacrificium facere debet; is omni die in aurora celebret; vt qui iter facere, vel aliud quidquàm, ruri præsertim agere necesse habent, interesse possint; neque proptereà omittant.

Si verò plures sunt sacerdotes, qui ibi, aut in eiusdem parochiæ finibus, Missam celebrent, tunc, vt decretum est Prouinciali primo Concilio, vnam in aurora, reliquas deinceps debito interuallo distributas, postremam verò, quò tardius potest, prout populo commodius erit, celebrent ad præscriptum tabellæ à Rectore parochialis ecclesiæ, vel ab alio conficiendæ, cui Episcopus id munus dederit: nisi dies festus sit, quo, excepta illa prima, quæ in aurora celebratur, nullam omninò celebrent ante peractum Missæ parochialis sacrificium, etiam in Ecclesiis, capellis, oratoriisvè sæcularibus, etiam Scholarum & Confratriarum, etiam laicalium intra fines vniuscuiusque parochiæ constitutis: nisi parochus, ob causam, certa præscripta hora, ante facere concesserit.

7 Quod si die festo etiam per illud Missæ sacrificium, quod in aurora fit, populus à parochiali Missa auocetur: tunc Episcopus illud, etiam festo die, post Missam parochialem fieri, celebrariuè iubeat.

8 Episcopi verò facultas, & iudicium sit, id omne, quod ad Missæ celebrandæ horam spectat, pro temporum, locorum, causarumque ratione aliter statuere, permittere, ac iubere.

9 Proinde tabella, in qua certa omnis illa celebrationum distributio, dies scilicet, hora, & altare, tùm sacerdos, qui celebrare debet, aptè descripta appareat, in Sacristia loco conspicuo proposita, atque affixa sit.

10 Parochi populum frequenter hortentur, vt in sua parochia festis diebus Missam audire nè omitant. 1. Quæ per. ad cel. Missæ.

Quæ hic desunt, videantur sequenti Tit. de Missis sine cantu, &c. & De Parochiis, &c.

De supellectile Ecclesiæ parochialis, quæ in Missis cum cantu, & diuinis officiis, & aliis sacris ministeriis adhibetur.

SVMMARIVM.

1 *Supellex parochialis Ecclesiæ, quo item ordine demonstratur.*
2 *Apparatus altaris maioris, qui, & qualis: qualitas, seu forma videnda in Tit. de Supell. quæ Canonicos, &c. num. 2.*
3 *Supellex indumentorum parochi ad vsum Missæ parochialis sine cantu, quæ, & qualis: forma videnda in tit. de supell. Missarum Episcop. num. 2.*
4 *Supellex indumentorum, quæ communia sunt, vsui parochi, & reliquorum clericorum, non solum in solemni Missæ parochialis sacro cum cantu; sed etiam in aliis diuinis officiis ministrantium, quæ, & qualis forma videnda. Ibid. numer. 3.*
5 *Supellex reliqua propria Missæ tantum, quæ, & qualis: forma. De supell. Miss. Episc. num. 5.*
6 *Supellex, quæ Missæ, & diuinorum officio communis est, & qualis. De supell. Miss. Episc. & de diuin. offic.*

7 *Libri, seu volumina diuinorum officiorum in Ecclesia parochiali Ritus Romani.*
8 *Libri seu volumina ad vsum diuinorum officiorum in Ecclesia parochiali Ritus Ambrosiani.*
Libri sacri ad vilem, & sordidum vsum non auertendi. De supell. quæ Canonicis, &c. num. 6.
9 *Supellex, quæ multis ministerijs sacris cōmunis est.*
10 *Supellex rerum, quæ ad solemniorum dierum rationem, vsumque pretiosiores, cum adhibendæ sint, duplices esse debent.*
11 *Supellex sacrarum vestium, indumentorumve suprà nominatorum, quorum apparatus quintuplex esse debet.*
12 *Numerus indumentorum lineorum.*
13 *Indumenta linea altaris maioris.*
14 *Indumenta linea Sacerdotalia in Parochiali Missa sine cantu.*
15 *Indumenta linea in Missis cum cantu.*
16 *Indumenta linea vsus variorum ministeriorum.*
Sacræ vestes, & indumenta, quæ eiusdem materiæ, & coloris. De supel. Missarum Ep sc. 11.
Vestes, atque indumenta eiusdem coloris, sed materiæ diuersæ. Ibidem. 12.
Indumentorum ornamenta, materia, colore, opere, artificiove inter se, vt maximè potest, conuenientia. Ibid. 13.
Vasa, vestes, indumenta, ornamentave supradicta, & alia ad quem apparatum non adhibenda. De Missis sine cantu. 41.
Ea, neque in Missa, neque in diuinis officiis adhibenda, antequam sint benedicta. Ibid. 45.
Et à quo benedicenda. De Sacramentalibus. 75.
Supellex omnis qua munditia asseruanda. De Sacristia. 23.

Collegiatæ Ecclesiæ supellectilem proximè exposuimus: Nunc sanè locus est eodem ordine dicendi, de supellectile Ecclesiæ parochialis.

Atque primo quidem de apparatu Altaris maioris.

Crux.
Candelabra sex, cum operculis extinctoriis binis.
Emunctoria duo.
Tabella secretorum.
Mappæ minores binæ.
Mappa maior.
Pallium.
Velamentum, ad ornatum frontispicij altaris.
Tela stragula Altaris.
Tapetum bradellæ Altaris.
Tabella orationis de Sancto, cuius nomine Altare, capellave maior nuncupetur.
Tabellæ item duæ de sancto, sanctisve, quorum insignes reliquiæ in eo altari reconditæ sint,

Ibid. de supell. indumentorum Parochi ad vsum Missæ parochi. sine cantu.

3 Amictus, cum auriphrygio, seu fascia.
Alba cum auriphrygio, seu grammatis.
Cingulum.
Manipulus.
Stola.
Planeta.

Ibid. de supell. indument. quæ comm. sunt sui Parochi, &c.

4 Amictus, cum auriphrygio, seu fascia.
Alba, cum auriphrygio, seu grammatis.
Cingulum.
Manipulus.
Stola.
Planeta.
Pluuiale.
Amictus Diaconalis, cum auriphrygio, seu fascia.
Amictus Subdiac. cum auriphryg. seu fascia.
Alba Diaconalis cum auriphrygio.
Alba Subdiaconalis cum auriphrygio.
Cingulum Diaconale
Cingulum Subdiaconale.
Dalmatica Diaconalis.
Tunicella Subdiaconalis.
Manipulus Diaconalis.
Stola Diaconalis.
Manipulus Subdiaconalis.
Velum Subdiaconale ad vsum ferendi Calicis patenæ, sustinendæ.

Inst. sup. ecc. par. l. 2. de supell. reliq. prop. Missæ tantum.

Calix.
Patena.
Velum Calicis.
Corporale cum palla.
Sacculus Corporalis.
Purificatorium.
Hamularum, seu vrceolorum paria duo.
Peluicula vrceolorum.
Missalia duo.
Integumentum Missalis.
Signaculum Missalis.
Puluinar Missalis.
Lectionarium ad vsum Missæ solennis in Ecclesiis parochialis Ritus Ambrosiani.
Integumentum Lectionarij.
Epistolarium.
Integumentum Epistolarij.
Euangelistarium,
Integumentum Euangelistarij.
Integumentum suggesti.
Cereostata quatuor.
Opercula eorum restinctoria totidem.
Tabella gestatoria pacis offerendæ.
Sudariolum ad nares expurgandas, cum opus est in Missæ sacro.
Funiculus, cum globulo, vnde sudariolum pendeat.
Crepidarum mundarum par vnum, si quando opus est, Sacerdotem celebraturum, calceos luto inquinatos deponere.
Tintinnabulū gestatoriū, vbi appensū non est.

Ibid. de supell. quæ Missæ, diuinorum off. &c.

6 Thuribulum, Acerra, Cochlear — ad Thurificationis vsum.
Canthari bini in Ecclesiis Ritus Ambrosiani,
Candelabrum Cerei Paschalis, vnum.
Crepitacula lignea bina, ad vsum pulsandi in tenebris hebdomadæ Sanctæ.
Candelabrum triangulare, ad vsum sustinendi candelas in tenebris hebdomadæ sanctæ in Ecclesiis Ritus Romani.
Tapetia, aut Stragula, ad ornatum sedilis, in quo Sacerdos Missæ Sacrum solemniter faciens, & ministri aliquando assident.
Aulæa, pannive plures, ad vsum ornandæ, capellæ, altarisve maioris, aut Ecclesiæ, in solemnioribus festis diebus, si modo Ecclesiæ facultates possint.
Lectorile statarium Chori, vnum.
Lectorilia gestatoria duo.
Integumenta Lectorilis statarij.
Integumenta Lectorilium gestatoriorum.

Ibidem de libris, seu volumin diuin. offic. in Eccl. par. Rit. Romani.

7 Breuiaria, duo; quorum alterũ ampla forma.
Calendarium perpetuum vnum.
Diurna, aut psalteria cum hymnis.
Hymnarium musico cantu exscriptum, vnum forma ampla.
Homiliarium, vnum Matutinale.
Antiphonarium de Dominicis, vnum.
Antiphonarium de sanctis, vnum.
Graduale de Dominicis, vnum.
Graduale de Sanctis, vnum.
Martyrologium, vnum.
Liber, de officio mortuorum, vnus.
Rituale, vnum.
Processionale, vnum.
Pontificale, vnum.
Ceremoniale, vnum.
Sacerdotale, vnum.
Rationale diuinorum officiorum, vnum.
Liber de computo Ecclesiastico, vnus.

Ibidem de libris, seu volumin. ad vsum diuin. offic. in eccl. par. Ritus Ambros.

8 Breuiaria duo: quorum alterum forma ampla sit, alterum parua.
Calendariũ anniuersariũ, vel perpetuũ vnum.
Psalteria cum hymnis, duo, vnum forma grandiori.
Liber hymnorum, musica modulatione notatorum, vnus.
Antiphonarium de Dominicis, vnum.
Antiphonarium de Sanctis, vnum.
Antiphonarium feriale, vnum.
Homiliarium, vnum.
Pontificale, vnum.
Cæremonialia duo, vnum Ambrosianum, alterum Romanum.
Sacramentalia, seu Ritualia duo.
Processionalia, seu libri Litaniarum, & processionum duo.
Libri ad vsum funerum, & officij mortuorum duo.
Liber cantus, varietate tonorum distincti, ad vsum lectionum, psalmorum, & id generis aliorum, vnus.
Liber vnus de cantu Hymni, Gloria in excelsis, Symboli, & Sanctus.
Liber vnus de Cæremonijs Missæ.
Liber vnus de computo Ecclesiastico.

Ibid. de supell quæ multis ministris com. est.

9 Vas vnum, vsui aquæ benedicendæ diebus Dominicis.
Vasculum item vnum gestatorium aquæ benedictæ.
Aspergilla bina, è quibus vnum ornatius.
Peluis grandiuscula gestatoria, vna, ad vsum lauationis manuum.
Vrceolus, ob eundem vsum, grandiusculus, vnus item.
Mantile grandius, ad manus abstergendas.
Vasa vsui excipiendi oblationes, duo.
Superpellicea, vsui vario Sacerdotalium ministeriorum.
Superpellicea vsui ministerijs clericalibus.

Inst. sup. eccl. Ibidem.

10 Commonstrato simplicis supellectilis apparatu; est præterea alius, ex ijs rebus constans, quæ duplicentur necesse est, cum singulas, quæ vsui quotidiano sunt, easdem & materia, & ornatu insigniores adhiberi solemnium dierum celebritas pro officii solemnitate postulet.
Sunt igitur, hæc, quæ duplici numero apparari debent.
Crux.
Candelabra quatuor, cum suis operculis duobus restinctorijs. Tabella secretorum.
Mappæ minores.
Mappa maior.
Amictus Sacerdotalis, cum fascia, seu auriphrygio.
Alba Sacerdotalis, cum auriphrygio, seu grammatis.
Stola Sacerdotalis.
Planeta Sacerdotalis.
Manipulus Sacerdotalis.
Cingulum Sacerdotale.
Amictus Diaconalis, cum fascia, seu auriphrygio.
Alba Diaconalis, cum auriphrygio, seu grammatis.
Stola Diaconalis.
Cingulum Diaconale.
Dalmatica Diaconalis.
Amictus Subdiaconalis cum fascia, seu auriphrygio.
Alba Subdiaconalis, cum auriphrygio, seu grammatis.
Tunicella Subdiaconalis.
Cingulum Subdiaconale.
Hamularum paria duo.
Peluicula vrceolorum, seu hamularum.
Calix.
Patena.
Tabella gestatoria pacis offerendæ.
Thuribulum.
Acerra.
Cochlear.

11 Pro instituta in diuinis officijs colorum varietate, apparatus singulorum indumentorum, tàm ad vsum quotidianum, quàm ad solemnioris officij celebritatem suprà expositorum, quæ infrà nominatim ponuntur, quintuplex esse debet; nempè vnus colore albo, alter rubro, tertius violaceo, quartus viridi, quintus nigro.
Quæ sanè indumenta, hæc sunt.
Pallium.
Velamentum frontispicij altaris.
Auriphrygium amictus Sacerdotalis.
Auriphrygium Albæ Sacerdotalis.
Manipulus Sacerdotalis.
Stola Sacerdotalis.
Planeta.
Pluuiale.
Auriphrygium amictus Diaconalis.
Auriphrygium amictus Subdiaconalis.
Auriphrygium Albæ Diaconalis.
Auriphrygium Albæ Subdiaconalis.
Dalmatica Diaconalis.
Tunicella Subdiaconalis.
Stola Diaconalis.
Manipulus Subdiaconalis.
Velum Subdiaconale, ad vsum ferendi calicis, sustinendæque patenæ.
Velum Calicis.
Sacculus Corporalis.
Signaculum Missalis.
Integumentum Missalis.
Puluinar Missalis.
Integumentum Lectionarij in Ecclesijs ritus Ambrosiani.
Integumentum Epistolarij.

Integumentum Euangelistarij.
Integumentum ambonis, vel suggesti.
Integumentum Lectorilis.

In Parochialibus Ecclesijs, vbi frequentius Missæ Conuentualis sacrum fit, rationi conueniens est, apparatum albi, & rubri coloris non modo pro officiorum ratione, celebritatéque duplicem, sed etiam triplicem esse, vt tertia eorum indumentorum supellex, sit minùs pretiosa, vsui Missæ Conuentualis per hebdomadam aliquando celebrandæ.

15 Lintea item indumenta quæ ob causas, supra in Basilica Cathedrali expositas, plura etiam in parochiali Ecclesia esse oportet, hæc sunt, quæ omnia supputata, infrà numero notantur.

16 Mappæ maiores quatuor,
Mappæ minores duodecim.
17 Amictus duodecim.
Albæ duodecim.
Corporalia octo cum pallis.
Purificatoria decem & octo.
Mantilia ad vsum abstergendi manus in Missæ sacro, octo.
Mantilia in Sacristia, ad vsum lauationis manuum quinque.
Sudariola ad nares expurgandas, cùm opus est, in Missæ sacro, sex.
Funiculi sudariolorum, cum globulis, tres.
Mappæ Altaris in Sacristia, tres.
Sacculi singulorum Calicum bini.
18 Amictus Sacerdotales, duodecim.
Albæ Sacerdotales, totidem.
Amictus Diaconales, duodecim
Albæ Diaconales, totidem.
Amictus Subdiaconales, duodecim.
Albæ Subdiaconales, totidem.
19 Mappæ longiores scamnorum quatuor, plurave.
Mappæ breuiores subter sanctissimam communionem, dum ministratur, sustinendæ, tres.
20 Superpellicea Sacerdotalia, duo.
Superpellicea Clericalia, duo item, triave.
Sabbaria, quatuor.

De Missis sine cantu in quibuscúnque Ecclesijs, & à quocúnque Sacerdote celebrandis.

SVMMARIVM.

1 *Abusus in celebratione Missæ tollendi.*
2 *Missam qui celebrare, celebrantemve exhibere tenentur, ab Episcopo cognoscendi.*
3 *Missæ celebratio, quibus in locis, & qualiter, ac quando prohibetur.*
4 *Facultas in oratoriis celebrandi, ad sex menses concedenda.*
5 *Longiori tempore, vt concedenda.*
6 *In priuatis Oratoriis, & Ecclesiis aliis nuper extructis, qua moderatione impartienda.*
7 *In Missarum facultate concedenda, quid cauẽdũ.*
8 *Quid etiam exprimendum.*
9 *Quando facultas renouanda.*
10 *Missæ celebrandæ muneri quilibet Sacerdos satisfaciat.*
11 *Quando aliquo die prætermittere possit.*
12 *Missę vbi plures celebrari debent, à quo curandum vt illæ certo ordine celebrentur. 15. & 21.*
13 *Missam an per alium celebrare possit Capellanus.*
14 *Missam qui ad certum Altare celebrare debet, ad aliud non celebret.*
15 *Missæ celebrandæ in Altaribus inter se disiunctis.*
Clericus certus sustentandus, & à quo, qui Capellis, & altaribus inseruiat: isque clericus, quas prætereà functiones obeat.
16 *Clericus is, vbi constitutus non erit. Missa à nullo Sacerdote celebranda.*
16 *Missa pro mortuis in singulos menses à quo beneficiato celebranda.*
17 *Missas, legatorum iure celebrandas, Episcopi celebrari curent.*
18 *Missarum reductio à quo, & quàm ob causam facienda.*
19 *De Capellarum oneribus, Missarúmque numero, quid statuere possit Episcopus.*
Hora populo commoda Missæ celebrandæ. 57.
20 *Quo autem tempore non celebrandæ.*
21 *Iis celebrandis ordo seruandus.*
Missæ parochialis, hora, & signa. De Missa parochiali 4.
Missæ altera in Ecclesia parochiali, an dicenda in aurora. Ibidem. 5.
Missæ aliæ in parochia celebrandæ, vt distribuendæ. 12. 21.
Missarum Tabella conficienda, & vbi proponenda. Ibid. 9.
22 *Missarum liber: & vbi retinendus.*
23 *Punctator constituendus.*
24 *Missarum notatio à quo recognoscenda.*
25 *Merces non danda Capellano sine facultate.*
Quidque illi detrahendum ob seruitium omissum, vt expendendum, eo sequ. strato. 26.
26 *Depositarii eligendi, qui mercenariis Capellanis mercedem soluant: contrà quos Capellanos, & alios suo muneri deficientes, vt agatur.*
27 *Missarum causa eleemosyna non flagitanda, sed in capsulam deponenda.*
Capsæ eleemosynariæ Missarum qui, & à quo præficiendus, & quod illius officium. Ibid.
28 *Monitio Parochi in erogatione eleemosynæ pro Missis celebrandis.*
29 *Missam quando Sacerdotes etiam non obligati, celebrare tenentur.*
30 *Missarum celebratio prohibita Sacerdotibus alienæ Diœcesis absque litteris dimissoriis, & quibus. Etiam in Regularium Ecclesiis. numero. seq. infi.*
31 *Literæ ipsæ à quo, & quomodo comprobandæ, in eaque tùm Parochi, tùm Vicarii foranei officium.*
32 *Missæ celebratione, qui etiam Sacerdotes interdicantur.*
33 *Missas plures eodem die celebrandi facultas concessa tollitur.*
34 *Missa in oratoriis, capellis, & Ecclesiis intra limites Parochialis non celebranda festis diebus ante Concionem Parochialem.*
35 *Nisi parochus ante fieri permittat certâ præscriptâ horâ.*
36 *Missæ celebratio in Monialium Ecclesiis quando vetita.*
37 *Suspensionis celebranti in Monialium Ecclesiis præscripta moderatio.*
Missę celebratione suspensi sacerdotes quibus

diebus Communionem sumant. De vita, & hon. cleric. 26.

38 *Missa de Beata Virgine, quando celebranda.*

39 *Collectæ in Missa quot dici possint.*

40 *Ornamenta, & instrumenta altarium qualia in celebratione Missæ, & quot.*

41 *Vasa, Pallia altarium, & alia Sacra indumenta, ornamentaue quibus non commodentur, & ad quem apparatum non adhibenda.*

Purificatoria, & Corporalia, qualia. Vide tit. seq.

Vinum album in celebratione Missæ adhibendum, supra, num. 40.

42 *Calices ad sacrificium Missæ quales.* 43. *Vrceoli quales item.*

44 *Hostiæ à quo non conficiendæ.*

Supellex alia omnis in celebratione Missæ, quæ, qualis, quotuplex, adhibenda, parandáque. Vide tit. seq. 45. *Ea non adhibenda, antequam sit benedicta; & à quo benedicenda. De Sacramentalib. 75.*

A quibus illa paranda. De Eccl. fabrica. 73.

46 *Missæ nouæ in celebratione abusus tollendi.*

47 *Missam nouam celebraturus, imperitique alij Sacerdotes, à quo instituendi.* 49.

48 *Ante illius approbationem ab illis, non celebrandum.*

50 *Magister cæremoniarum in vnaquáque Plebe constituendus, & quod illius officium.*

51 *Missæ cæremonias an teneant Sacerdotes, periculum ab Episcopo faciendum.*

52 *In celebratione Missæ quæ à Sacerdotibus seruanda; quæque vitanda.* 56. 57. 60.

53 *Missa non memoriter dicenda.*

54 *Non operto capite Confessio, & oratio ante illam.*

55 *Ea à Sacerdotibus perlegenda, antequam ad altare accedant.*

56 *Iisdémque sacris vestibus indutis cum nemine colloquendum.*

57 *Non alicuius gratia retardanda. Eáque nondum absoluta non discedendum.* 77.

58 *Pœna contendentis, vt contra Sacerdos agat, quàm suprà decretum est.*

59 *Missâ peractâ gratiæ agendæ.*

Ministri Ecclesiæ quæ parent ad ministerium Missæ. 61.

60 *Iidémque à quibus abstineant, ante peractum sacrum.*

In Missæ ministerio, & ad cereos ferendos laici non adhibendi. De process. 32.

62 *Missam celebranti Sacerdoti assistat Clericus, quoque habitu indutus.*

63 *Clericus is probandus, & à quo, facultatémque scripto obtineat quotannis renouandam, & de diu. off. 69.*

64 *In Missæ sacrificio ministrans, nil recitet.*

65 *Illius officium cum præsentibus Missæ sacro: & in pulsando tintinabulo.* 71.

66 *Missæ initio, Psalmus, Iudica me Deus, & in fine, quod Euangelium recitandum.*

67 *Missale nouum Romanum in Missa adhibendum.*

Dum Missa celebratur, qui longè sint ab altari, & à quo id cauendum suprà 65.

68 *Cum oblatio fit, Crux non autem patena adhibenda.*

69 *Profanum nihil in Missa euulgandum.*

70 *Missale, pacisue instrumentum per quem præbeatur exosculandum.*

71 *In eleuatione Corporis Domini, tintinabulum à Clerico pulsandum.*

72 *Missam vt audiant filii familias famulique festis diebus parochi cura.*

73 *Viduæ non excusantur* / *Nec puellæ nubiles.* } *ab illius auditione quocunque tempore, & De fest. dier. cultu. nu. 18.*

74 *Populus à parocho hortandus, vt in parochia festis diebus Missam, Concionémque audiat.*

75 *Missæ audiendæ rationem docens Parochus, quid populum admoneat.*

76 *Fideles in Missæ auditione quomodo se habeant: quando stent: quando genua flectant.* 77. *in fi.*

77 *Ne discedant ante Euangelij recitationem.*

78 *Criminosi notorij, Missæ sacro non intersint: ob idque quid à sacerdotibus agendum.*

Missæ de mortuis, pro defuncto Episcopo à parochis & sacerdotibus singulis nouem mensibus celebrandæ. De funere Episcopi, num. 9. Et quando pro defuncto Papa. De diu. off. nu. 49.

A quibus item, & quando pro mortuis Canonicis, & Parochis. De funerib. num. 54.

1 PRæcepit Sacra Tridentina Synodus, vt, quæcúmque in Missæ celebrationem irrepserunt, à tanti sacrificij dignitate aliena, ea Episcopi tollere sedulò studeant. Quamobrem nos eiusdem Concilij decretum exequentes, vt sanctissimum Missæ sacrificium, in qua illa Deo patri placens hostia, Iesus Christus in odorem suauitatis offertur, singulari religione, ac pietate, & à sacerdotibus celebretur, & à populo colatur; hæc statuimus. 1. quæ pert. ad cel. Miss. sess. 22. Decr. de obs. & euitan. in cel. Miss.

2 Episcopus nosse studeat omnes, qui in quauis ecclesia Missam celebrare, vel sacerdotem, qui celebret, exhibere debeant; cogátque suo officio satisfacere.

3 Nullus sacerdos, quemadmodum à Tridentina Synodo statutum est, in priuatis ædibus, & omninò extra Ecclesiam; & oratoria, quæ diuino tantum cultui dicata, & à locorum Episcopis designata, ac visitata sint, Missam celebret. Cætera, quæ sequantur, vide Tit. De Ecclesijs simplicibus, & oratorijs. numero. 12. 13. 14. 15. 1. Ibid. sess. ead. & decret.

Nemo clericus, vel laicus in suis sæcularibus ecclesijs, capellis, vel oratorijs, quàmuis ab ordinario probatis, etiam si iuris patronatus sint, quemquam Sæcularem, vel Regularem Sacerdotem celebrare patiatur, qui scriptam celebrandi facultatem, singulis sex mensibus renouandam ab Episcopo non impetrarit.

4. 5 Quæ Missas celebrandi facultas sexto quoque mense ex superioris Concilij decreto renouanda est; ea vel longiori temporis spatio arbitratu Episcopi concedi, vel semel concessa, prorogari possit. 1. Tit. 2. decr. 2.

Quod si quis onus accipiat ad tempus, vel perpetuò ibidem celebrandi, vel eisdem locis inseruiendi; hunc non generatim, sed nominatim eorum locorum causâ eiusmodi facultatem impetrare volumus. Qui contrà præscriptam rationem vel celebrarit, vel, vt celebretur, permiserit, grauiter puniatur. 1. Ibidem.

4. Quæ pert. ad sanct. Miss. sacr. & diu. offic. sess. 22. de obs. in cel. Miss.

6 Episcopus omnibus Missam in oratorio priuato celebrandi facultatibus hactenus concessis, certos limites, modúmque præfiniat; ita vt præter causas, quas magnas, & vrgentes is iudicauerit, in ipsis priuatis oratorijs Missam celebrari ex facultatibus illis deinceps nõ liceat; nisi hoc fuerit à sede Apostolica indultum. Quã moderationem diligenter adhibeat item, si quando in posterum eiusmodi facultatem concedendam censuerit.

1. Ibid.

Nè in oratorio, ecclesiauè, quæ vel nuper exstructa est, vel in posterum extruetur, Missæ celebrandæ facultas detur, permittaturuè, nisi saluo iure, ac planè sine præiudicio Ecclesiæ Parochialis; nisi ob causam Episcopo quandoque aliter videatur.

7 Episcopus in facultate quauis Missarum celebrandarum concedenda, prorogandauè videat, nè ab vllo sacerdote plus muneris, quàm ab eo præstari possit, suscipi concedat, aut permittat: tùm maxime perpendat, si Parochus est, qui sibi eam facultatem dari petit, an per hebdomadam possit, & suscipiendo nouo celebrandarum Missarum muneri, & ei, quod in Ecclesia Parochiali, ex Tridentini, aut primi nostri prouincialis Cõcilij præscripto, aliauè quacúmque obligationis causa iam debet, satisfacere, & alia præterea officia obire, quibus diebus, aut ad festorum celebritatem, aut ad funus, exequiasuè euocatum eo illum conuenire, Missásque celebrare contigerit. Quod si per ipsum hæc omnia, singuláque præstari non posse viderit, nè potestatem ei faciat noui muneris eo nomine suscipiendi; nisi ob inopiam in Ecclesia Parochiali diebus ferialibus, rarius aliquanto parochialis muneris nomine, quã Concilio Prouinciali primo iussum est, ideóque in alia, vel in eadẽ Ecclesia Parochiali, alio nomine per hebdomadam, ijs ipsis, scilicet ferialibus diebus; celebrandi facultatem permitti, necessarium Episcopus duxerit: cuius religiosæ conscientiæ id relinquimus.

8 In litteris concessæ, prorogatæuè facultatis suscipiendi, vel retinendi muneris, Missam singulis, vel certis, statisque diebus, aut ex certa obligatione celebrandi, exprimantur, & altaris, capellæuè, & Ecclesiæ vbi illud situm est, nomen, & locus, & eleemosynæ emolumentũ quod inde capitur: statim item dies, & numerus

Vide infrà. num. 10.

Missarum, quas ibi celebrare statis illis diebus debebit ex onere à testatoribus, alijsuè aut ab Episcopo imposito pro facultate, quam is à iure communi, vel Tridentino Concilio habet. Tùm etiam exponatur, si quo alio præterea nomine ipse adstrictus sit Missam alio loco celebrandi: idque etiam à parochialis curæ munere, legati, alteriusvè obligationis causâ: qua in Ecclesia item, & altari, quibus item certis, vel statis diebus illud præstare debeat, & quantum inde emolumenti, eleemosynævè consequatur. Tùm postremò certum ei facultati concessæ, vel prorogatæ tempus præfiniatur.

9 Nec verò in illo celebrationis munere ei perseuerare liceat, expleto temporis spatio, Episcopi litteris præscripto; nisi facultas iterum confirmata, renouatáque sit, aut prorogata ad aliud certum tempus literis item, & ad præscriptum etiã Conciliorũ nostrorũ prouincialiũ.

10 Quilibet Sacerdos, quod suscepit, muneri Missæ sacrificij faciendi, satisfaciat omninò.

11 Nec verò cuiquàm, qui quotidiano eo munere astrictus quouis modo est, nè semel quidẽ in hebdomada, vt alibi Missam celebret, id prætermittere vllo prætextu liceat; nisi aliquãdo eius, cui id curæ Episcopus dederit, aut si nemini dederit, rectoris, præfectiuè Ecclesiæ consensu, Sacerdotem alium ante in locum suum substituerit, qui id præstet, quod in ea Ecclesia ipse debet.

12 Sin autem certis hebdomadæ diebus, Sacerdotes cõplures in eadem Ecclesia ob aliquã cuiusuis generis causam, rationemvè, Missæ sacrificium facere debent; id vt statis, certisque ijs ipsis diebus illi omninò præstent, curet planè rector Ecclesiæ, aut, si præsertim Ecclesia collegiata, vel aliàs frequens est, alius, quem ei curæ Episcopus præfecerit. Quod si alij item Sacerdotes sunt, qui in illa Ecclesia, incertis tamẽ diebus, munus impositum habent Missæ celebrandæ, tunc idem Rector, præfectusve, capellanis sacerdotibus vocatis, réque cũ eis tractata, certos vnicuique dies præscribat, quibus in ea Ecclesia Missam celebrent: vt singulis, si fieri potest, hebdomadæ diebus, Missarum celebrationes, rectè, atque ordine distributæ, peragãtur.

13 Qui capellas obtinent, ipsi per se, nõ alij eorum nomine, Missæ sacrificiũ, diuináque officia, quæ illarum rectores præstare debẽt, in illis celebrent; si modo vel aliud Ecclesiasticũ beneficiũ, quod residentiæ personalę minus requirat, nõ habeant; eóque impediti, debita ijs capellis officia gerere nõ queant; vel eandẽ institutione, dotationeve, aut legato, aut donatione, aut facultate ab Episcopo impetrata, in illis obeundis Capellani officijs aliena opera, ministeriove vti possint, vel alia quauis ratione, causave impediti sint.

Singula verò, ob quæ capellanus aliquis se à debito capellani officij munere immunem putet, asseratve, quo minùs per seipsum præstet, ab Episcopo cognoscantur, ac probentur item.

14 Quicumque Sacerdos in Altari certo Missam celebrare debet, si in alio celebrarit; nè, quod debet, præstitisse censeatur; nisi Episcopi, alteriusuè, cui ille id curæ commiserit, iussu, concessu, permissuuè aliquando fecerit.

15 Si eodẽ tempore, & in eadẽ Ecclesia Missæ plures aliquando, etiã pro mortuis, celebrandæ sũt, in Altaribus ità inter se disiũctis celebrẽtur, vt Sacerdos alter ab altero non perturbetur, neque si fieri potest, audiatur: sin autẽ hac de causa tẽpus non patietur, eo die Missas omnes, quæ debent celebrari, in aliũ potius diẽ aliquæ differãtur, vt huic decreto pareatur, quod ad religiosum cultum illius sanctissimi Sacrificij spectat.

Quibus etiam in Capellis, Altaribusuè quocumque vel tituli, vel deuotionis, & legati nomine Missæ Sacrificium fit, in ijs item singulis certum aliquem Clericum, qui Sacerdoti Missam celebranti inseruiat, sustentari iubemus. 4. Quæ pert. ad sacr. ord.
Quamobrem, vbi non cõfratriæ, scholæuè, non Monasteria, Ecclesiasticæue fabricæ, aut locorum piorũ Curatores, neque alij sunt, qui hoc Clericalis sustentationis munus ibi præstare vltrò velint, aut, qui iure debeant; pro earundem Capellarum, Altariumve ratione præstetur, si

ex tituli nomine in ijs Missa celebratur, eorum sumptibus, qui titulum gerunt; si ex legato, cuius certa summa sit, mercede ex eo detracta: si ex deuotione, aliouè nomine, illorum impensis id præstetur, quorum nomine illud Missæ Sacrificium fit, siuè locorum piorum homines illi sint, siue Sodalitates, siue Vniuersitates, siue priuatus aliquis. Si verò Capellæ, Altaris, aut legati, census vsque adeò exiguus, ac tenuis est, quo Clerici sustentandi onus sustineri non possit, ea ratio ab Episcopo ineatur, vt contributione vndique ex ijs Capellis, Altaribusvè, quæ in eadem Ecclesia, vel, si ità necesse sit, etiam quæ in Parochiæ finibus sunt, pro ratione reddituum, vel muneris facta, huic Clerici sustentationi satisfiat: Qui Clericus omnibus illarum Capellarum, & Altarium Sacerdotibus in Missæ Sacrificio ministret.

Quibus autem Clericis, ita, vt suprà, prouisum erit, pro ratione Minorum Ordinum, quos susceperint, ecclesiasticas functiones ijs in Ecclesijs, vbi sustentationem capiunt, ipsi præstent.

16 Quibus verò in Ecclesijs tempore ab Episcopo præstituendo non erit constitutus Clericus, Clericali habitu indutus, qui Sacerdoti Missam celebranti ministret, quique Ecclesiasticas Minorum Ordinum functiones, illarum Ecclesiarum vsui, & cultui necessarias, pro ratione Ordinis à se suscepti, obeat: in ijs à nullo Sacerdote celebretur: nisi rei facultatem ex vrgenti causa concedendam Episcopus iudicarit.

2. Tit. 2. decr. 5. Qui Ecclesiasticum beneficium obtinet, cui id oneris iniunctum est, vt Rector, vel toto anno, vel certis diebus Missam celebret; is singulis mensibus saltem semel Missam, quæ de defunctis dicitur, pro illis mortuis celebret, qui, vel illud dotarint, vel aliquid ei legarint, vel donarint; idque nisi sæpius pro mortuis celebrare debet, vel ex institutione, vel ex alia oneris sibi iniuncti ratione.

9. Quæ ad Miss. pert. 17 Vt quæ pia legata ad remedium animæ à fidelibus relicta sunt eo nomine, vt Missæ pro se, de defunctis celebrentur, executionem, prout pia eorum voluntas deposcit, rectè habeant, id Episcopus quàm diligentissimè curet.

Sess. 22. c. 6. de refor. Sess. 25. c. 4. de ref. 18 Quibus autem in Ecclesijs ob multa, variáque defunctorū legata Missas vsque adeò multas celebrari oportet, vt pro ratione singulorum dierū, quos testamento, aliavè vltima voluntate testatores præscripserint, muneri, quod eorum pijs voluntatibus debetur, satisfieri non possit; aut eleemosyna eo nomine adeò tenuis est, vt non facilè inueniatur, qui velit huic se muneri subijcere, idem Episcopus in Synodo Diœcesana re accuratè cognita, & perspecta, statuat quicquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Ecclesiarum vtilitatem viderit expedire; ita tamen, vt in singulis Missis, quas iure reductionis celebrari continget, eorum defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute, legata ad pios vsus reliquerunt: debitæ autem commemorationi satisfiet per intentionem applicationis Missarum, per preces in secundo, Memento, & per Collectas faciendas in illis Missis, in quibus Collectæ fieri possunt. Cæterum intelligendum est, fructuosiores esse, magisque prodesse preces, & orationes ab Ecclesia pro defunctis institutas cùm applicatione Sacrificij, quàm applicationem solam, licet recompensari possit per maiorem deuotionem, vel eius, qui dicit Missam, vel eius qui facit dici, vel per intercessionem sanctu, cuius suffragium in Missa imploratur.

19 Episcopus de Capellarum oneribus, déque Missarum numero fundationis iure, aliouè nomine illis adiuncto, ne Concilij Tridentini, quod piarum voluntatum relictis legatis solum prospexit, auctoritate quidquàm statuat: sed eo de genere, quod iure cautum est, id planè seruet, atque decernat. Sess. 25. c. 4.

20 Missæ nec ante auroram, nec post meridiem; nisi ex causa iure permissa celebrentur. 1. Vt suprà.

21 In Ecclesijs, vbi plures Missæ celebrari solent, is ordo seruetur, vt pro populi commoditate, prima diluculo, reliquis deinceps debito interuallo distributis, postrema autem, quò tardius liceat, celebretur. Quòd si eodem tempore, pluribus locis Missa celebranda sit, rationem ineant Episcopi, nè sacerdotes inter se, alius ab alio perturbentur.

22 Quò citiùs, atque exploratius Episcopus sciat, eorum, qui sacri faciendi causa aliquid piè, vel legarunt, vel dederunt, voluntati per illos quorum interest, verè satisfactum esse; ac rursus si quid ea in re neglectum, aut omissum, prætermissumvè est, id opportunè vt fiat, prospicere, cauerèque possit; hæc decernimus, ac statuimus. 4. Vt sup.

In vnaquáque ecclesia liber deinceps singulis annis, vel alio certo tempore renouandus, perpetuò sit; in quo, & anno, & mense, & die primum notato, vnusquisque siue parochus, siue capellanus, siue alius sacerdos, qui quouis obligationis nomine in ea ecclesia Missæ sacrificium fecerit, in singulos dies, vbi id perfecerit, manu sua subscribat; & nominatim breuiter exponat, se illud præstitisse, aut parochialis ecclesiæ; aut capellæ, legatiuè pij, aut anniuersarij, aut funeralis officij nomine. Cui præterea libro singulis diebus subscribat is, quem in quálibet Ecclesia Episcopus statuerit: qui item, si ipse est, qui Missæ sacrificium eo quouis nomine fecerit, ipse item manu sua subscribat, quoties aliquam eo nomine Missam celebrarit.

Is liber tuto Sacristiæ loco asseruetur

23 Quibus verò locis, ecclesijsvè Missæ plures, quam tres quotidie celebrātur; Episcopus, præter has cautiones, punctatorem etiam secretum, vbi opus esse viderit, constituere item poterit: idque secretò etiam, si ità expedire videbitur, qui iuratus in singulos dies notet, si qui erunt, qui debito Missæ celebrandæ muneri defuerint.

24 In vrbe verò aliqui Ecclesiastici viri, ab eodem Episcopo probati, in diœcesi item, Vicarij foranei, alijvè ab Episcopo etiam constituti, libros Missarum celebrationibus notandis præscriptos, sæpè etiam de improuiso recognoscant: inspicientque prætereà notationes, per punctatorem occultè factas: ac singulis mensibus, aut tertiò quoque mense, cum vnoquoque capellano præstiti muneris sui rationes inibunt, tùm etiam illis testimonium scriptum initæ rationis dabunt.

25 Nec verò cuiquàm capellano non titulari, qui munus celebrandi certis, statisque diebus aut ad certum tempus, aut in perpetuum susceperit, quicquam mercedis, eleemosynæuè ex legatis pijs, aliauè quauis ratione, à quibusuis soluatur, neque id exigat absque Episcopi, eiusuè, cui id curæ ille dederit, mandato, eóque scripto: quod ne detur, nisi pro ratione præstiti muneris, cuius testimonium scriptum ab eo, quo suprà, re ipsa exhibuerit.

Anno autem expleto, vel breuiori temporis spacio, quicquid ob prætermissum celebrandarum Missarum munus, capellano tribui non debet, id omne fabricæ ecclesiæ præfectis, aut corporis Domini confratribus, in ea ecclesia constitutis, vbi ille Missarum muneri defuerit, aut alijs depositarijs soluatur, ab Episcopo constitutis: vt quot Missas celebrari ab eo prætermissum est, totidem eo nomine ab alio sacerdote celebrentur; aut ad ipsum in ornamentorum, quæ eisdem altaribus, capellisvè vsui sint, apparatum erogetur, prout Episcopus expedire existimauerit.

26 Vt autem & hoc diligentius præstetur, & sacerdotibus consulatur, qui ob Missæ celebrandæ munus susceptũ, ac præstitum, eleemosinas sibi debitas, magno cum negocio, sæpéque cum detrimento ab ijs, qui tribuere debent, consequuntur: Episcopus, vbi expedire viderit, certos aliquos, probatósque homines depositarios deligat, quorum munus sit, illas exigere, custodire, tum statis temporibus pro ratione suprà præscripta, capellanis sine mora soluere.

Et quoniam qui capellas, altaria, aliauè beneficia ecclesiastica in titulum obtinent, quibus Missarum munus aliquod incumbit, non ab hæredibus eorum, qui legata pia reliquerunt, vel ab alijs eiusmodi; sed ipsi per se fructus capellarum, altariumuè suorum exigere solent; cum ijs sequestri ratione, omnique alio modo Episcopus agat: vt, si muneri suo illi in celebrandis Missis defuerint; fructuum restitutio locum habeat, eaque ad præscriptam, vt suprà rationem, piè, vtilitérque erogetur. Quàm sequestri, & mulctæ rationem omnes adhibere debent, vt opus fuerit, cum capellanis quoque illis, qui etiam legati nomine, vel alia eiusmodi causa Missas celebrandas ad certum tempus, vel in perpetuum suscipiunt.

27 Qua in Ecclesia, pro frequentiori, qui ob festi diei, indulgentiæuè celebritatem, aut ob perpetuum populi, ac præcipuum deuotionis studium fit, ad eam concursu, eleemosyna, & crebrior, & vberior, Missæ celebrandæ nomine datur; in ea nè cuiquam sacerdoti eiusmodi eleemosynam, ob Missæ celebrationem, vllo modo, aut prætextu flagitare, ac nè spontè quidem oblatam accipere liceat. Verùm vnusquisque sacerdos illam in capsula, certo ecclesiæ loco, aut pro Sacristiæ foribus eo nomine collocata deponendam curet. Cui capsulæ statis illis frequentioris concursus diebus, Rector ecclesiæ, aliusuè, cuius interest, aut is, cui Episcopus hoc munus dederit, certum aliquem clericum, spectata probitate præficiat, cujus sit illis diebus apud capsulam assidere; tum sigillatim, ordinéque notare, quæ Missarum, aliarúmque precum nomine eleemosyna detur, accipiaturuè, vt pro illius notationis ratione Rector, aut Sacrista, aut ille, quem Episcopus constituerit, sacerdotibus illius ecclesiæ, alijsvè ad diuina officia concelebranda, eo celebritatis nomine euocatis, statim præscribat; quid pro eleemosyna oblata vnusquisque eorum illis diebus præstare debeat, quò plenius eorum qui obtulerint, voluntati satisfiat.

Sess. 22. De obs. & euit. in cel. Miss.

Peractis autem diuinis officijs, quæ eleemosyna eo nomine in capsulam coniecta est; illam idem vel ecclesiæ rector, vel alius, vt mox suprà sacerdotibus ità distribuat, vt eorum vnicuique partem, pro ratione ministerij, officijuè præstiti, ex Episcopi præscripto, congruam tradat. Quicquid autem supererit, è capsula depromptum, apud virum probum, quem Episcopus delegerit, deponatur; vt, aut in aliam, quæ in eadem ecclesia fiet celebrationem Missarum piè conferatur; liceat tamen in alias res erogari, necessario comparandas ad Missæ sacrificij cultum decentiùs in ea ipsa ecclesia peragendum; si ob ecclesiæ inopiam ità Episcopus concesserit. Cuius etiam iussu, in Tabellam Sacristiæ referantur, si quæ commemorationes eo nomine, pro ijs qui piè contulerunt eleemosynam, deinceps faciendæ erunt ab ijs, qui in ea ecclesia Missæ sacrificium facient.

28 Qui verò parochi propè eas ecclesias habitant, ij, iubente Episcopo populum, suæ curæ commissum, diebus præsertim, qui proximè præcedunt illos certos dies frequentioris eleemosynæ, moneant, constituta eleemosynas eiusmodi recipiẽdi ratione, quas eleemosynas Missarum celebrationi dare quisque velit, eas non sacerdotibus, aut clericis tradat, vel alijs, sed in capsulam deferat, eo nomine constitutam.

29 Tridentini etiam Concilij auctoritatem sequuti, præcipimus sacerdotibus reliquis, cuiuscunque gradus, conditionis, & dignitatis illi sint, vt Dominicis, & reliquis festis diebus, Missam celebrare nè omittant.

1. De frequen diu. sacr. obl.
Sess. 23. c. 14

30 Clericis alienæ diœcesis rei diuinæ faciendæ facultatem nè permittat Episcopus; nisi ostendant litteras testimoniales, seu dimissorias Ordinarij sui, duobus tantum mensibus ante, si in Prouincia, si extrà Prouinciam in Italia, quatuor; sex verò si extrà Italiam datas; vel si eæ antiquiores sint, afferant etiam scriptum testimonium de vita, & moribus ab ijs Ordinarijs, in quorum diœcesi post illud tempus aliquamdiu permanserint.

1. quę pert. ad cel. Miss.
Dist. 75. c. extraneo, de cle. per tuæ.
Sess. 2. c. 16. de refor.

31 Quod patrum decretis, & Tridentino Concilio sancitum est, vt nè alienæ diœcesis Clerici absque commendatitijs litteris ab vllo Episcopo recipiantur, quò faciliùs illud executionem habeat; parochus quispiam, vbi primùm cognouerit in parochia sua ecclesiasticum hominem alienæ diœcesis, vel domicilium constituisse, vel apud aliquem diuertisse, vel in caupona hospitio exceptum esse, vt aliquot dies commoretur; quàm citissimè poterit, octo ad summum dierum spatio eius nomen, & patriam si in vrbe est, Episcopo, eiusvè Vicario, sin autem in diœcesi, foraneo Vicario illius regionis denunciet. Eorum autem cuiúsque curæ sit, illum ad se accersere, mandaréque litteras commendatitias sibi ab eodem ostendi: quas

Sess. 2. de obl. in cel. Miss.
1. Tit. 2. decr.
Sess. 23. c. 16
Sess. 22. de obseruandis & euit. in celeb. Missæ.

tamen Vicarius foraneus non comprobabit, nisi consulto Episcopo. In ijs autem comprobandis ea seruentur, quæ superiori item Prouinciali Synodo hoc de genere constituta sunt.

3. De iis quæ pert. ad Missę sacr. Quod primo prouinciali Concilio interdictum est, ne peregrino sacerdoti sine dimissorijs, testimonialibusvè litteris Missæ sacrum facere liceat, id ei vetitum sit in Regularium etiam cuiusuis ordinis ecclesijs.

32 Sacerdotes, qui publicè, & notoriè criminosi fuerint, à Missæ celebratione arceantur; nisi emendata vita, sceleris maculam eluerint.

1. Ibidem. Sessio. 22. de obs. & euit. &c. 1. Ibid. 5. quæ ad di. off. pert. 33 Facultates, cuicumque ab Episcopis ad hanc diem concessæ, plures Missas eodem die celebrandi, posthàc irritæ, ac nullæ sint.

Grauia pericula, offensiones, atque adeò sæpè iniurias sanctissimo Missæ sacrificio fieri compertum est, quòd sacerdotes quidam non semel tantum, sed pluries in die illud offerant. Quod nè in posterum fiat, præterquàm salutari illo die Dominicæ Natiuitatis, quo vnusquisque sacerdos non sine magna mysteriorum significatione ter celebrare debet, decreti huius auctoritate vetitum sit, ne ob vllam necessariam causam; neque etiam ob parochialis, alteriusuè ecclesiæ egestatem: neque ob sacerdotum penuriam, nec verò ob locorum distantiam Episcopus cuiquam sacerdoti pluries in die diuinum illud Missæ sacrificium offerendi facultatem det, aut permittat; cum beatus admodum sit ille sacerdos, qui semel tantum in die illud dignè obtulerit. Si quæ verò eius generis facultas anteà vel certo loco, vel sacerdoti data est, eam planè statim rescissam, irritámque ac nullam omninò esse iam nunc decernimus.

1. Ibidem. 34 Nemini sine facultate, ab Ordinario scriptis impetrata, in oratorijs sodalitatum, quas confraternitates vocant, alijsvè ecclesijs, capellis, aut oratorijs sæcularibus, quæ parochialis ecclesiæ finibus continentur, Missam celebrare liceat Dominicis, & reliquis festis diebus; nisi absoluta concione, quæ inter Missam in parochiali ecclesia habebitur.

3. De iis, quæ pert. ad Missæ sacrif. 35 Quod prouinciali primo Concilio à nobis decretum est, vt in Ecclesijs quæ intrà parochialis ecclesiæ fines sunt, Dominicis, & festis diebus Missæ sacrum nè fiat, nisi absoluta parochi concione, quæ manè inter sacrificium Missæ habetur, id seruari iubemus; nisi parochus ante fieri permittat, certa præscripta hora.

2. Tit. 2. dec. 3. 36 Nè in Monialium Ecclesijs, ac nè in ijs quidem, quæ Episcopi curæ subiectæ non sunt, sæculari cuiquàm sacerdoti, etiam si vbique celebrandi facultas generatim, nisi à sede Apostolica ei data esset, Missæ sacrum facere liceat, præterquàm cui nominatim id ab Episcopo cōcessum est. Qui contrà admiserit, à Missæ celebratione suspensus sit eiusdem arbitratu.

3. Ibidem. 37 Sacerdotem in Monialium Ecclesijs sine Episcopi concessu, Missæ sacrum in posterum facientem, propositam altero nostro prouinciali Concilio suspensionis censuram, non ipso facto subire, vt constitutum est; sed ab Episcopo illi infligendam decernimus.

1. Ibidem. 38 Die Sabbati semper Missa de beata Virgine celebretur; nisi diei solemnitas vel ecclesiæ institutum interdum obstiterit: quo casu eius omninò commemoratio fiat; nisi, & id Ecclesiæ instituto impediatur.

39 Nè plures tribus, vel ad summum quinque orationes, seu, vt vocant, Collectæ dici possint; nisi vbi ecclesiæ institutum aliud postulet.

40 Ornamenta, & instrumenta altarium pro celebratione Missæ, pura, ac munda sint, præsertim corporalia, ac purificatoria: quamobrem etiam vino albo (vbi possit,) tantummodo ad Missæ sacrificium sacerdotes vtantur.

Quot autem esse debebunt, infrà docebitur.

41 Nemo vasa, vestes, vel alia ornamenta, sacris addicta, aut omninò quidquàm ex sacra supellectile profanis hominibus, aut ad profanum vsum commodare audeat: qui ità commodarit, grauiter arbitrio Ordinarij puniatur. 1. De Ecclesiis, & earũ cultu.

Quæ pallia, aliaque sacra indumenta Altarium vsui aut ornatui addicta sunt; ea ad sedis Episcopi, alteriusvè hominis ecclesiastici, vel laici quauis dignitate prædìti apparatum, aut ad funeris, exequiarumvè pompam, aut aliarum rerum, quæ profanæ sint, vsum, siue ornamentum nè adhibeantur. 2. Tit. 2. dec. 19.

Nè cœnotaphijs, aut quas vocant, tumbis, pallia altarium adhibeantur. 4. De funer. & exeq.

Puluinaria Missalium vsui addicta, ne Episcopi quidem, ne dùm alterius cuiusquam genibus, cubitisvè, vllo loco, nec verò in ecclesia supponantur: neque præterea ad vllum profanum vsum adhibeantur. 5. De Ecclesiis, earum supell. & fruct.

Ac ne ad suggesti quidem ornatum pallia altarium vsui sint; Curandum igitur erit, quàm citissimè per facultates ecclesiæ fieri poterit, vt pro solemnium temporum, festorúmque dierum ratione, ornamenta suggestis ipsis propriè apposita, comparentur.

42 Calices, ex metalli genere, iure permisso, adhibeantur, eoque pretiosiori, quantum per facultates licuerit. 1 quę pert. ad celeb. Mis. c. vt Calix, de cons. dist. 1.

43 Vrceoli, qui ad sacrificij vsum adhibentur, quo distinctius, atque certius aqua à vino dignosci possit, nè è stanno, argento, aliouè metalli genere sint, sed planè è vitro, eóque perlucido aut è Christallo confecti: itidem operculum oris habeant. 4. quę pert. ad sanct. Missę sacr.

44 Hostias pro sacra Eucharistia conficienda non laicus homo, nec verò fœmina faciat. 2. Tit. 1. dec. 20.

45 Quæ vestes, & ornamenta cuiusuis generis, ad vsum sacrum comparata, ecclesiæ instituto benedici debent, ea in Missæ sacrificio, cæterísque diuinis officijs nè prius adhibeantur quam solemnibus precibus ab Episcopo, vel ab alio, qui auctoritatem habet, benedicta sint.

46 Tollant Episcopi sumptuosa conuiuia, ludos, choreas, & omne inanium oblectamentorum genus, cæterósque omnes abusus, qui populi temeritate, aut sacerdotum auaritia in nouæ, vt vocant, Missæ celebrationem irrepserunt; & in eos, qui in hoc genere aliquid peccarint, Episcopus grauiter animaduertat. 1. quę pert. ad celebr. Mis. ses. 22 de obser. & euit. in cel. Miss.

47 Magister cæremoniarum Cathedralis Ecclesiæ eos, quibus prima Missa celebranda sit, & qui præterea sacerdotes minùs peritè celebrāt, Missæ ritibus, ac cæremonijs instituat, qui si huic muneri obeundo vnus par esse non poterit, alijs idoneis sacerdotibus Episcopus eas officij partes delegabit. 1. Ibid.

48 Neque cuiquam primam Missam celebrare liceat, qui ab ijs institutus non sit.

49 Primam Missam Sacerdos celebraturus; à cæremoniarum magistro, vt iussum est, primo prouinciali Concilio, institutus Sacrarum cæremoniarum disciplina, Missæ sacrificium antè nè faciat, quàm illum Episcopus, aut is, cui ipse id curæ dederit, illis ritè obeundis cæremonijs satis instructum nouerit, ac probarit. 1. De iis, quæ pert. ad Missæ sacrif.

50 In vnaquáque Plebe Episcopus duos, vnúvè saltem sacerdotem, ecclesiasticorum rituum vsu peritum, constituere curet, qui alios sacerdotes, & clericos cæremoniarum, quæ in Missa, & in diuinis officijs ritè obeundis requiruntur, disciplina instruat diligenter. Qua in re libellus de Missæ cæremonijs adhibeatur, qui nostra cura conscriptus in lucem prodibit. 1. Tit. 1. dec. 12.

51 Vt exploratum sit, an Sacerdotes statatum cæremoniarum vsum, peritiámque teneant; ipse Episcopus, cùm aliquando Missæ sacrificio, quod illi faciunt, alios peritos sacerdotes præsentes adesse iubeat; tùm aliquando singulos euocet, eorúmque in Missæ sacrificio ritè faciendo exercitationem, ac peritiam per examen, experiundouè cognoscat. 4. que pert. ad sanct. Missæ sacrif. sess. 22 de obser.

52 Præcipimus autem, vt Sacerdotes in Missæ celebratione cæremonias, à Romana ecclesia institutas, ad vnguem seruent: neque alias adhibeant. 1. que pert. ad cel. Mis. Sess. 22. De obs. in cel. Miss.

Vt ab omni indecoro, & absurdo capitis, oris, & reliqui corporis motu abstineant.

Vt, cum eleuatione peracta, sacra hostia mouenda, vel sumenda erit, ità moueant, nè iterum sustolli videatur.

Vt præter institutum Ecclesiæ Romanæ ijs, quæ secreto, vel quæ palam dicuntur, quidquàm addi, vel detrahi non liceat.

Vt, quæ palam pronuncianda sunt, distinctè, & clara voce dicant,

Vt Secreta, quæ vocantur, secretò etiam pronuncient.

Vt neque tardius, neque celerius, quam par sit, verba proferant.

Vt propter erroris casum, qui in omni Missæ parte grauis, in Canone grauior, in ipsa verò consecratione grauissimus est; Missam legant; non memoriter dicant, aut canant.

54 Vt operto capite celebrare non audeant.

Vt, quò puriores ad diuinam rem faciendam accedant, saltem singulis hebdomadis peccata sua confiteantur; nisi eos ob mortalis peccati culpam frequentius id facere oportuerit.

Vt, antequàm celebrent, se colligant; & orantes mentem in tanti ministerij cogitatione defigant. Quod, vt commodius fieri possit, curent Episcopi, vt in singulis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum Sacristijs singulæ Cellulæ ad hunc Sacerdotum orandi, & meditandi vsum, instituantur.

55 Vt, antequàm ad Altare accedant, Missam, perlegant, & singulas partes ita præparatas, & notatas habeant, vt celebrantes, neque errent, neque hæreant.

Vt Sacris vestibus induti, cum nemine colloquantur; neque loquentibus dent aures, mentémque, & oculos ab omnibus amoueant, quibus distrahi possint. neque è Sacristia exeant; nisi cùm ad Altare eundum erit: quod tùm grauiter, & modestè fiat.

Vt pileum, biretum, aut subbiretum, chirothecas, sudariolum, aut quodcumque denique huius generis in Altare nè ponant.

57 Vt ibi nè in mora sint Sacrificio, cuiusuis expectandi gratia.

Neuè ob eandem causam, Missa inchoata, subsistant, aut eius initium repetant.

Neuè si Parochi sint, cuiusquam gratia, metuvè Missam anticipent, aut differant: sed illam ea potissimum hora celebrent, quæ populo magis accommodata sit. Sess. 22. De obse. in cel. Miss.

Neuè Concionem, quam in ea habere debent, vllo modo omittant.

58 Quod si fortè quispiam imperio quodam, aut contumelia, aut minis, aut vi contenderit, vt Sacerdos quidquam contrà, quam hoc decreto sancitum est, faciat, si clericus sit, & beneficium obtineat, eo priuetur: si non habet beneficium, ne habere quidem ad quinquennium possit; si laicus, re ipsa iam tunc excommunicationis pœnam subeat: neque ad decennium feudi, aut emphyteosis nomine quidquam ab Ecclesia consequi possit.

59 Vt peracta Missa, pro summi beneficij munere, Deo gratias agant.

60 Nè Sacerdotes, cum in fine Missæ fuerint, vel eorum ministri, recedant ab altari: Nevè vasa, aut linteolos sacros colligant.

Ne cuiquam rei tollendæ, vel mouendæ causa manus admoueant.

Ne candelas restinguant: nisi absoluto Euangelio, quod post benedictionem dicitur.

61 Ministri candelas accendant, Missale, & Vrceolos, & alia, quæ ad Missæ ministerium requiruntur, prius suis locis in Altari collocent, quàm eò Sacerdotes accedant: quem nisi his omnibus præparatis, confessionem ordiri omninò prohibemus.

Sacerdote rem diuinam faciente, ministri per Ecclesiam ne vagentur; neuè dent operam collocutionibus, aut candelis venditandis; sed composito corpore, nullo gestu, modestè, vt debent, Sacerdoti adsistentes inseruiant,

62 Celebranti Sacerdoti vnus saltem minister adsistat, isque Clericus, vbi possit, & talari veste, & superpelliceo indutus. 1. Vt sup.

Clericus Sacerdoti Missam celebranti ministrans, semper indutus sit superpelliceo puro, & mundo, eóque non lacero, neque vlla alia ratione indecenti; si contrafecerit: tùm ipse, tùm Sacrista, tùm Ecclesiæ præfectus, tùm Sacerdos etiam, qui sibi ministrare permiserit, plectatur, arbitratu Episcopi. 4. Quæ pert. ad sanct. Missæ sacrif.

63 Clericus nè Sacerdoti in Altari autè ministret, quàm in illius ministerij functione ritè instructus sit; & ab eo probatus qui in vrbe, aut etiam in singulis vrbis regionibus, & in vnaquáque Plebe cæremoniarum muneri ex secundi prouincialis Concilij decreto, præfectus est. 4. Quæ pert. ad sacr. ord.

64 Clericus qui in Missæ sacrificio ministrat, dum eam functionem obit, ne preces horarias, neuè aliud quicquàm de libro aliouè officio recitet; sed toto intimæ pietatis studio ad ministerium attentus sit, quod tunc piè, religioséque exequi debet. Sextum, Quæ ad Miss. pert.

65 Nè verò quis, vel vir, vel mulier gradibus Altaris hæreat, aut propè Altare sit, dùm Sa- 3. De iis quæ pert. ad Miss. sacrif.

crum sit. Ideò Sacerdos celebraturus hærentes inde se longius abduci iubeat; quo celebrante, hoc ministrans Clericus præstet.

4. quę pert. ad sanct. Miss. sacrif. Cùm Sacerdos ad Altare accesserit, Missæ sacrificium facturus; Clericus, qui tunc illi ministraturus est, vbi alius non sit, qui tunc hoc officium præstare possit, circumspiciat modestè astantes, & si quempiam animaduerterit marem, vel fœminam incomposito corporis habitu, aut aliàs contrà præscriptas regulas prouincialibus nostris concilijs, cum iniuria, vel irreuerētia sanctissimi illius sacrificij interesse, moneat grauiter, vt opus erit: neque Sacerdos ante Missæ initium faciat, quàm omnes qui adsunt, quemadmodum etiam Tridentino Concilio Curæ Episcopi commissum est, decenter composito corporis habitu declarauerint, mente etiam, ac deuoto cordis affectu, non solum corpore adesse. Missa verò iam inchoata, si quid eiusmodi fiat; hoc idem officium admonendi itidem ille minister Clericus præstet modestè, & grauiter. Si quis verò ab ijs de eiusmodi monitus non resipuerit, quàm primum eorundem cura deferatur ad Episcopum, vt iure cum eo efficacius agatur.

Sess. 22. de obser. & euit. in sacr. Miss.

4. Ibidem. 66 Missæ initium Psalmus, Iudica me Deus, & in fine, Euangelium Sancti Ioannis Euangelistæ, In principio erat, &c. dici ne vmquam omittatur; nisi, cùm aliter in Missarum rubricis notatum est. In cæteris item nè quid addatur, nec verò detrahatur, ac ne quicquam mutetur; sed ad vnguem id omne dicatur, quod in Missali nuper Pij V. Pont. Max. iussu edito præscriptum est.

67 Si quem Parochum, aliumuè Sacerdotem Missali Romano, quod item Pij V. Pont. Max. iussu editum est, Episcopus ad Missæ sacrificium deinceps non vti comperit, à Missæ celebrandæ munere illum, arbitratu suo suspendat: tùm pro culpæ, contumaciæuè ratione, alijs prætereà pœnis afficiat.

3. Vt suprà. 68 Nè Patena, cùm oblatio fit, sed crux aut sacra aliqua imago offerentibus fidelibus ad osculandum præbeatur.

4. De verbi Dei præd. 69 Nec Parochi, Sacerdotesuè alij intrà Missarum solemnia quicquàm quod profanum sit, quodque ad rerum huiusmodi enunciationem attinet, de altari populo pronuncient, aut euulgent.

4. Quæ pert. ad sanct. Miss. sacrif. 70 Caueatur, cùm in Missæ Sacrificio, quod etiam sine cantu fit Missalis, aut Euangelistarius liber, aut pacis instrumentum cuiquam, vel Principi, vel Magistratui, vel alij ad osculandum præbeatur, nè id munus per laicum hominem, sed per clericum præstetur.

71 Quod prouinciali secundo Concilio iussum est, in Missa Conuentuali, & Parochiali cùm Corpus Domini eleuatur, signum sono Campanæ dari: in alijs Missis id ità præstetur, vt tunc paruulum tintinnabulum, aut à latere Altaris appensum, aut è Sacristia allatum, à Clerico ministro, certis distinctis ictibus, pulsetur.

1. Quæ pert. ad celeb. Miss. 72 Moneant Parochi frequenter patresfamiliàs, vt filios, & famulos, quos in bestijs pascendis occupant, saltem diebus festis Missæ iubeant interesse.

1. Ibidem. 73 Viduæ ob maritorum mortem, ad summum nè mense amplius sint sine Missæ auditione. Qua in re nulla valeat excusatio cuiusuis consuetudinis, quàm irritam decernimus. Eas item Episcopi etiam censuris ecclesiasticis id facere cogant.

74 Parochi populum frequenter hortentur, vt in sua Parochia festis diebus Missam audire nè omittant. Sess. 24. c. 4. Sess. 22. de obs. in celeb. Miss. & Sess. 24. c. 4.

Moneántque eum diligenter, debere vnumquemque vt à Sacra Tridentina Synodo traditum est, in Parochiam suam, vbi id fieri commodè potest, conuenire ad audiendum verbum Dei.

75 Cùm audiendæ Missæ rationem populum Parochus docet, quo ex propitiatorio illo sacrificio vberiorem ille fructum capere possit, hoc eum sæpè admoneat, vt campanæ signo dato, quo fideles ad Missæ Sacrum vocentur, sese quisque colligens, si sibi alicuius mortiferi peccati conscius est, summo ex eo dolore affectus, vitæque emendandæ certo, stabilique proposito suscepto, supplex à Deo veniam petat. 3. Vt suprà.

76 Fideles, cùm Missæ intersunt, eodem vestitu sint, quo in publicum prodire solent: & ita se componant, vt corporis habitu animi religionem præ se ferant. 1. Ibidem. Sess. 22. de obseru.

Ne in foribus Ecclesiæ, vel extrà subsistant, nisi necessitatis causa.

Aperto capite sint.

Et quo tempore à Sacerdote Confessio dicitur, & grauiora Missæ mysteria peraguntur, sint flexis genibus.

Ne ità propè ad altare accedant, vt indecorum sit, & Sacerdos perturbetur.

77 Nè prius discedant, quàm Sacerdos Euangelium, quod post benedictionem dicitur, absoluerit.

Missæ ità fideles intersint, vt in omni eius parte genibus flexis sint; nisi cùm Euangelium pronunciatur, quo tempore stent omnes, ac ne mulieribus etiam tunc sedere liceat. 3. Ibidem.

78 Episcopus efficiat, vt qui publicè, notoriéque criminosi sunt, sacris nè intersint, vt Tridentino decreto sancitum est: idque vel monendo agat, vel iubeat, à Sacerdotibus Missæ sacrum, illis præsentibus, non inchoari, quò ad ipsorum admonitu, se inde abduxerint, vel alia quauis ratione seuerius agat, vt illius decreti executioni sit omninò locus. Tùm prætereà, nisi vitæ emendatione suscepta, isti confessi in Sacro Pascha Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum susceperint, contrà eosdem agatur, prout Canonum iure in illos agi sancitum est, qui in Pascha non communicant. Ibid. Sess. 22. De obs. in celeb. Miss.

Quæ hoc in titulo desiderabuntur, videantur in titulo de Missa Parochiali, & de Parochiis.

De Supellectile Altaris minoris in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali Ecclesia, tàm dotati, quàm indotati: Deque supellectile ad vsum celebrationis Missarum in eisdem tàm dotatis, quàm indotatis Altaribus. Et de Supellectile Ecclesiæ simplicis.

SVMMARIVM.

1 *Supellex Altaris minoris dotati in Basilica Cathedrali, Collegiata, Parochiali, Ecclesiaque*

simplici, & Oratorio, quæ & qualis.

2 *Res, quarum apparatus pro diei ratione duplex, & pro colorum varietate idem quintuplex esse debet.*

3 *Lintea indumenta quot.*

4 *Supellex Altaris minoris indotati, ob necessariam tamen causam permissi in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali, simplicique Ecclesia, & Oratorio, quæ, & quotuplex.*

5 *Supellex vsui communium Altarium minorum in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali Ecclesia, tàm dotatorum, quàm indotatorum: quæ & quotuplex.*

Vestes, & indumenta eiusdem materiæ, & coloris. De Supell. Missar. Episc. num. 11.

Indumentorum ornamenta, materia, colore, opere, artificionè inter se, vt maximè potest conuenientia. Ibid. num. 13.

Vasa, vestes, indumenta, ornamentauè supradicta omnia, ad quem apparatum non adhibenda. De Missis sine cantu. 41.

Ea non adhibenda, ante quàm sint benedicta. Ibid 45.

Et à quo benedicenda. De Sacramentalib. 75.

Supellex omnis quamunditia asseruanda. De Sacristia. 23.

Inst. super Eccl. Basil. Cat. Colleg. Paroch. & Eccl. simpl. lib. 2.

1 SEquitur Supellex Altaris minoris in Cathedrali Basilica, Collegiata, Parochiali, & Ecclesia simplici positi, proprios annuos redditus, aut censum, aliuduè emolumentum ex legato, aut aliundè habentis, vt ibi Missæ Sacrum fiat. Quæ porrò supellex vniuscuiusque scilicet Altaris minoris apparabitur hæc, vt infrà.

Crux vna.

Candelabra duo, cum suis operculis extinctorijs.

Emunctorium, Vnum.

Altare portatile, cum scilicet Altare ipsum consecratum non est.

Tabella Secretorum.

Mappæ minores duæ.

Mappa maior.

Pallium;

Velamentum frontispicij Altaris.

Tela Stragula Altaris.

Tabella orationis de sancto cuius nomine Altare vocatur.

Tabella orationum de sancto, sanctisuè: quorum insignes reliquiæ in eo Altari reconduntur.

Amictus, cum fascia, seu auriphrygio;

Alba cum suis grammatis, seu auriphrygijs.

Cingulum.

Manipulus.

Stola.

Planeta.

Calix.

Patena.

Velum Calicis.

Sacculus Calicis.

Theca Calicis.

Corporale, cum palla.

Sacculus Corporalis.

Capsulæ binæ vsui corporalium.

Purificatorium.

Capsulæ binæ vsui purificatoriorum.

Vrceolorum paria duo.

Peluicula vrceolorum, vna.

Missale vnum.

Integumentum Missalis.

Signaculum Missalis.

Puluinar Missalis.

Mãtile ad manꝰ abstergẽdas in Missæ Sacro.

Sudariolum ad nares expurgandas.

Funiculus cum globulo.

Crepidarum mundarum par.

Cereostrata bina.

Opercula eorum restinctoria, totidem.

Tintinabulum gestatorium, si quando, vt suprà, Altari appensum non est.

Armarium proprium, aut loculus proprius armarij proprij in Sacristia: in quo Calix, Patena, corporalia, & purificatoria, & cætera id generis: tùm prætereà, in quo sacræ vestes, ornamentauè ad huius Altaris vsum reponantur.

Qualis, cuiusuè formæ sit omnis supradicta supellex, videatur tit. de Supellectile, quæ Canonicis, &c.

2 In hac Altaris minoris supellectile, ratio habenda est rerum tantum, quæ pro vsu quotidiano, festorumque dierum celebritate duplices esse debent, & pro colorum distinctione, singulæ prætereà quintuplices.

Pallium.

Auriphrygium, seu fascia amictus.

Auriphrygium Albæ.

Manipulus.

Stola.

Planeta.

Velum Calicis.

Sacculus Corporalis.

Integumentum Missalis.

Puluinar Missalis.

Harum sacrarum vestium, & indumentorum apparatus vterque vnus scilicet, vsus quotidiani, & alter pretiosior solemniorum officiorum, quintuplex esse debet; ità vt vniuscuiusque apparatus indumenta singula sint numero quinque, nempè vnum colore albo, alterum rubro, tertium violaceo, quartum viridi, quintum nigro.

3 Lintea prætereà indumenta, quæ ob causas suprà in Altari maiori Cathedralis, Collegiatæ, & Parochialis, ac simplicis Ecclesiæ exposita, plura etiam in minori esse oportet, hæc sunt nomina, singuláque supputata.

Mappæ maiores tres.

Mappæ minores sex.

Amictus duodecim.

Albæ totidem.

Corporalia quinque.

Purificatoria decem & octo.

Mantilia minora, ad manus abstergendas in Missæ sacro, sex.

Sudariola ad nares expurgandas, sex.

Funiculi Sudariolorum, cum globulis, tres.

4 Si quod verò Altare minus Episcopus, ob necessarium vsum, ornatumuè, aut construendum, aut quod constructum est, permittendum censuerit; nec vlla tamen ratio sit, qua ad illud instruendum, atque ornandum omnis illa supellex mox suprà in Altari minori demonstrata, parari possit; aut breui temporis spatio id omne genus præstari non queat; vt tamen intereà, dùm reliqua supellex apparabitur, oportuno

tempore illud apparatũ, ornatumuè esse possit; supellex saltem exigua infrà notata, comparanda erit.

Crux vna.

Candelabra duo.

Pallia saltem quinque ex diuersis coloribus, pro instituto Ecclesiæ.

Altare portatile, si Altare ipsum consecratum non sit.

Mappæ breuiores, tres.

Mappæ longiores, duæ.

Tabella orationis de sancto, cuius nomine Altare nuncupatur.

Tabella item orationis de sancto cuius reliquiæ insignes in eo Altari reconduntur.

5 In Basilica cathedrali sæpè contingit, & Canonicos, & alios Sacerdotes, solo deuotionis studio, non ex aliquo, vel pij legati; vel dotis Altaris, tituliuè onere, in Altario maiori, aut minori Missæ sacrum facere: quò fit, vt nisi alia sacrarum vestium supellex in Sacristia sit, necesse habeant vti sacro vestitu, qui propriæ Missæ Conuentualis cultui addictus est, indéque eueniat, vt illius vestitus pars, & Planeta præsertim, frequenti vsu conteratur, attritúque laceretur, & corrumpatur: sicque cum reliquis Missæ Conuentualis indumentis, cum Dalmatica scilicet, & Tunicella, quæ attritæ non sunt, minus decorè conueniant. Rursus Altare indotatum, in eadem Basilica, vt suprà aliquando permissum, vt plerúmque fit, supellectilem non habet necessariam ad Missæ sacrum faciendum: sæpéque etiam hoc accidit, vt quod Altare dotatum est, tota illa præscripta supellectile ob census tenuitatem, aliamuè causam instrui non potest, aut saltem ad eam comparandam longius temporis spatium requirit. Ideò, vt huius, & illius Altaris ornatui, atque apparatui ad Missæ Sacrum necessariò subueniatur; vtque vestitus Missæ Conuentualis vsui addictus, integer totus, & inter se congruens conseruetur; simúlque eorum Sacerdotum vsui prouideatur, est sanè conueniens, in eadem Basilica Cathedrali, præter proprium vniuscuiúsque Altaris apparatum, aliam etiam Sacrarum vestium supellectilem comparari, quæ vsui communi sit, & illorum Canonicorum, Sacerdotumuè, & Altaris indotati, & dotati etiam aliqua tamen apparatus parte egentis.

Hæc porrò supellex tanta sit saltem, quanta vnicuique Altario minori suprà præscribitur.

In Ecclesia Collegiata apparatus prætereà communis esse debet vsui Missæ Sacri, sine cantu faciendi in Altari tàm maiori, quàm minori: prout & hic ipse apparatus, & quantus esse debeat, suprà demonstratur, & præscribitur in Basilica Cathedrali, ob causas eo loci expositas.

Apparatum prætereà communem in Ecclesia Parochiali esse conueniens est, vsui Missæ Sacri etiam ab alijs Sacerdotibus sine Cantu faciendi: prout suprà dictum est.

De Residentia Episcoporum, Canonicorum, Parochorum, & aliorum Ecclesiæ Ministrorum ac beneficiatorum quorumcumque.

SVMMARIVM.

1 *Absentium Episcoporum fructus, Ecclesiæ fabricæ, vel pauperibus, & quando hospitalibus applicandi. 3.*
Eorum, exigendorum cura ad quos pertineat. 4.
2 *Episcopi residentiæ adstricti.*
Residere impediti, quos sua absentiæ causam doceant.
5 *Absentia Episcoporum, à quibus, & cui significanda.*
Curati inferiores residere quoque personaliter tenentur. De Parochiis. numero. 7.
Etiamsi Canonici sint. Ibid. num. 3.
Coadiutores. Ibid. 24.
Substituti. Ibid. numero. 9.
Non residentes, qua pœna puniendi. Ibid. 7.
Et à quo Episcopo denunciandi, infrà 20. 23.
Non residentium fructus, Episcopi cura, quibus attribuendi: & quomodo satisfiat Ecclesiæ, si absentia durante, beneficia cessa fuerint. 7.
6 *Absentiæ eorumdem licentia à quo petenda, & qua ratione concedenda. 19.*
8 *Episcoporum negligentia in prædictis coercetur.*
9 *Edictum contrà curatos non residentes infrà quod tempus ab Episcopo proponendum. Et quod tempus ad residendum præscriptum.*
10 *Contumacia eorundem, vt plectenda: & quibus absentium fructus adiudicandi.*
11 *Edictum aliud contra Curatos non residentes studii causa infrà mensem proponendum: & cuius tenoris.*
12 *Licentiæ eisdem idm concessæ, studiorum causa, quæ validæ, quæque non.*
13 *Concedendæ in posterum scripto, & quibus conditionibus dandæ, & ad quod tempus. 14.*
Absentes studiorum causa quid amittunt. De distribut. 34.
Ne à residentia distrahatur Parochus, quæ munera non suscipiat. De Parochiis, &c. num.
14 *12. & seqq.*
15 *Ab eodem residentiæ munere non excusati beneficia litigiosa habentes.*
16 *Neque ordine non initiati, quem beneficia requirunt.*
17 *Nec qui tertiam partem fructuum in distributiones contulerunt.*
Nec Parochi, ob inualetudinem, cœliuè grauitatem. De Parochiis. 17.
Nec ob leues inimicitias. Ibid. 19.
Nec ob aliud beneficium personalis residentiæ. Ibid. 6.
18 *Et qui alii.*
19 *Absentiæ concedendæ facultas, qua ratione ab Episcopo moderanda, & supra 15. & 16.*
Pœnarum, Curatis, & aliis non residentibus præscriptarum innouatio. Quæ ad ord. Sacr. pert. num. 96. 97.
Fructus Parochialium incompatibilium quibus assignandi. De benef. plural. numero. 2.
20 *Beneficiati alii residentiæ adstricti, vt puniantur muneri suo deficientes; & illis subtrahendi fructus, quibus applicandi.*
21 *Et à quibus Episcopo denunciandi. 22. 23.*
Canonici, & alii beneficiati in Cathedralibus, & Collegiatis non residentes, per quos ad Episcopum deferendi, 21.
Absentes Canonici quid perdant. Residentes verò quid lucrentur. De distribut. per totum.
Quando alios substituere possint. De Ministris Eccl. 21.

Absentia trium mensium, vt plectenda. De Punctat. 44.

14 Absens ex facultate, rediens, quid faciat.

1.De Resid. sess. 23. c. 1. de refor. sess. 6. c. 1. de refor.

1 DEcreuit Sacra Tridentina Synodus, vt ij, qui non legitimè à suis Ecclesijs absessent, pro rata temporis absentiæ, Ecclesiarum, quibus præessent, fructus suos non facerent: sed vt in fabricam Ecclesiæ, aut in pauperes loci erogarent: quod si non exequerentur; statuit, vt eorum superiores ecclesiastici, omissas ab illis huiusmodi officij partes ipsi susciperent.

2 Si qui igitur prouinciæ nostræ Episcopi post confirmationem Concilij Tridentini in Ecclesijs suis, ex eiusdem Concilij præscripto, non resederunt; neque Metropolitanum, aut eo absente, antiquiorem Prouinciæ Episcopum intrà mensem docuerint causam suæ absentiæ, Sanctissimi Domini nostri, vel Metropolitani, vel antiquioris Episcopi scripto comprobatam esse, aut se fructus illos, ijs, quibus eiusdem Sacri Concilij decreto propterea debebant, persoluisse; nos illam ipsam fructuum partem iam nunc Hospitali vniuscuiúsque ciuitatis, cuius illi sint Episcopi, quod maioribus prematur sumptibus, in vsum pauperum loci erogandam, assignamus. Et si id Hospitale intrà duos menses eos fructus, auctoritate superioris Ecclesiastici non exegerit; alteri Hospitali eiusdem Ciuitatis, quod in eorundem fructuum petitione iudicio præuenerit. Quod si, aut nullum in ea sit Hospitale, aut quæ sunt Hospitalia, sex mensibus eos fructus non exegerint, fabricæ Ecclesiæ attribuimus.

Sess. 23. c. 1. de refor.

Si qui verò posthac abfuerint; fructus, quos suos non fecerint, iàm nunc eisdem locis, qua supradictum est, ratione, adscribimus; nisi ipsi Episcopi intrà tres menses à die absentiæ iis, quibus ex Concilij decreto debent, persoluerint.

4 Itaque mandamus Hospitalium, & fabricarum ministratoribus, ac procuratoribus, cum denunciatione etiam periculi eorum conscientiæ, vt totam summam sine vlla vel pactione, vel remissione primo quoque tempore exigant.

5 Statuimus etiam vt ex Capitulo singularum Cathedralium Ecclesiarum tres primi præsentes, singulis sex mensibus, Metropolitanum, vel, eo absente, eundem antiquiorem Prouinciæ Episcopum certiorem faciant, an eorum Episcopi in suis Ecclesijs resideant. Et qui, & quamdiu ab eis abfuerint; sin minùs, ijdem distributionum vnius mensis fructus suos non faciant.

1. vt suprà. Sess. 6. c. 1.

6 In reliquis etiam inferioribus curatis beneficiis, si qui post confirmationem Concilij abfuerunt sine licentia, ab Ordinario scripto permissa, quam ad mensem eidem Ordinario exhiberi volumus; vel non probarint, se eos fructus, quos pro rata temporis absentiæ suos non fecerunt ijs, quibus ex eiusdē Tridentini Concilij decreto debebantur, soluisse; eos omnes iā nunc reficiendis, & ornandis eorum Ecclesijs attributos esse decernimus.

7 Quam attributionem Episcopi quorum conscientiæ hoc onus imponimus, ad sex menses, implorato etiam, si opus sit, Principū, & Magistratuū auxilio, omninò exequendā curabūt.

Quod si contigerit eos, qui propter absentiam à suis beneficijs, fructus suos non fecerint, ipsis beneficijs posteà cessisse; curent Episcopi, vt vel ex fructibus pensionum, si quæ illis, qui cesserint, fuerint reseruatæ; vel ex eorum bonis, cuiuscúque illa generis sint, satisfiat Ecclesiæ.

8 Qui si in his negligentes fuerint, sciant se prima quoque Prouinciali Synodo prætermissi huius officij rationem reddituros esse.

Si quid intercesserit, quamobrem id minus exequi possint, ad Metropolitanum referant; vt ad rem conficiendam ipse quoque suam operam conferat; & in ea auctoritatem Sanctiss. D. N. interponendam curet.

Nè Episcopus, propterea quod sibi liberum, integrúmque est facultatem permittere, qua liceat aliquem ab Ecclesia commissa, beneficiove personalis residentiæ abesse, ea potestate, facultateve deinceps ob cuiusvis generis causam vtatur: sed in illa concedenda modum, & rationes adhibeat concilij Tridentini sanctione præscriptas. 5. De Resid.

9 Quoniam verò multorum, beneficia curata obtinentium, ea est contumacia, vt neque decretis Tridentini Concilij, neque constitutione Sanctissimi D. N. Pij. IIII. neque Episcoporum edictis moniti, adduci possint, vt beneficiorum suorum residentiæ præsentes satisfaciant; statuimus, vt Episcopi, ad mensem edicto proposito iubeant omnes qui in eorū ciuitatibus, diœcesibusve beneficium eiusmodi in titulum, vel commendam obtinent, si in prouincia illi sunt, ad duos menses, si extrà ad tres, ad eadem beneficia, accedere, in iisque residere: ea proposita in edicto pœna, vt, qui non paruerint, etiam si præter curatum illud beneficium, dignitates, personatus, aut canonicatus in Ecclesijs etiam cathedralibus obtineāt, præter pœnas, quæ eodem concilio, & Pii Quarti constitutione contra non residentes propositæ sunt, ordinum suorum munere, officiove suspensi, & eo beneficio iure ipso priuati censeantur.

1. De Resid. Sess. 6. c. 1. Sess. 23. c. 1. Const. Pii 4. edita 7. cal. Dec. 1564.

10 Transacto tempore in edicto præstituto, Episcopi eos, qui non resideant, propositam priuationis pœnam subijsse declarent.

Interim verò eos fructus, quos suos absentes non facient, ijdem Episcopi suo arbitratu, aut Ecclesiarum fabricis, aut pauperibus loci adiudicent.

11. 12 Intrà mensem publicè edicant Episcopi, vt quibuscunque studij causa non residendi in beneficijs curatis licentia permissa est, eam suo quisque Episcopo intrà spacium trium mensium exhibeat: qui si illam à die confirmationis sacri Concilij Trid. ad diem regulæ, à S. D. N. Pio IIII. latæ compererit; nisi, quemadmodum ab ipsa præscribitur, ordinarij consensus accesserit, nullam, & irritam declaret: proptereáque eum, qui huiusmodi facultatem impetrarit, ex decreto Concilij Tridentini residere cogat in ipso beneficio. 1. Ibidem.

13 In ijs autem facultatibus absentiæ studiorum causa, quæ deinceps concedentur, hæc necessario ponenda sunt.

Vt verè in publico, celebrique Gymnasio, Theologiæ, vel sacris Canonibus studeant.

Vt minores

Vt minores sint triginta annis, aut fuerint; cùm in publico gymnasio iisdem studiis operā dare cœperunt, quæ nunc cupiunt absoluere.

Vt illud beneficium, antequàm sacrum Tridentinum Concilium à S. D. N. Pio iiij. confirmaretur, obtinuerint.

Vt intrà annum, ad ordinem saltem Subdiaconatus promoueantur.

Vt singulis sex mensibus Episcopo scriptum sui Doctoris exhibeant, quo is ipsos in eo studij genere proficere testetur. Quod etiam Episcopus secretò ab aliis cognoscere studeat.

Quod si omnes suprascriptæ conditiones in licentia expressæ non fuerint; aut is, qui impetrat, qualitates omnes, quæ in scripta licentia requiruntur, non habeat; aut quæ ipsi seruanda proponuntur, deinceps non præstiterit; facultates irritæ, ac nullæ sint: &, qui impetrarit, sciat se fructus suos non fecisse, neque facere; ac pœnis, quæ non residentibus propositæ sunt, teneri.

Concedatur autem ad quinquennium tantum, ab eo die numerandum, quo eum in publico Gymnasio Theologiæ, aut sacris Canonibus constet operam dare cœpisse.

3. de iis, quę partim ad ordin. sacr. &c. 14 Ne à diœcesi Clerico cuipiam, neque ab Ecclesiæ suæ residentia alij, Ecclesiasticum beneficium obtinenti, quod quacumque ratione personalis residentiæ munus iure, vel consuetudine requirat, studij causa abesse liceat, nisi eius rei facultate literis ab Episcopo permissa.

Quibus sanè literis hæc Episcopus nominatim adiungat: ac præscribat iis, qui ad locum alienæ diœcesis studij causa proficiscentur.

Vt & regulas nostro prouinciali primo, & secundo Concilio de habitus ratione, frequentique Sacramentorum vsu, Clericis præscriptas, & reliqua nostris item Prouincialibus, ac suis diœcesanis Synodis decreta, ad honestam Clericalis vitæ disciplinam pertinentia, & alia, si quæ præterea sibi eo in genere illi præscribenda videbuntur, seruet diligenter.

Vt de iis præscriptis rebus, ab eo præstitis scriptum testimonium ab Episcopo loci, quò studij causa profectus est: de literarum autem progressione ab Doctoribus, quos audit, ad tempus, primo nostro Prouinciali Concilio præscriptum, sibi exhibeat.

Vt dimissorias eiusmodi literas decem post diebus, quàm ad Gymnasij locum venit, eiusdem loci Episcopo exhibeat: de qua exhibitione ad mensis spacium sibi testatum faciat.

In iis sic præscriptis rebus, si is nulla legitima causa impeditus, defuerit, nè dimissoriæ literæ ei suffragentur; sed irritæ planè sint, ac nullæ.

Quicquid præterea Prouinciali prima Synodo de Parochis, studij causa literas dimissorias expetentibus, constitutum est, id etiam omne inuiolatè seruetur.

De Resid. 15 Personalis residentiæ munus, vt re vera per eos præstetur, qui illius generis beneficia Ecclesiastica obtinent, omnem rationem, Canonum iure, Tridentinisque sanctionibus præscriptam Episcopus ineat.

A quo munere non excusetur, neque qui beneficium, Ecclesiamvè habet, de cuius titulo adhuc lis, & controuersia pendet.

16 Nec verò item, qui nondùm sacerdotio, aut eo ordine, quem beneficium illud requirit, initiatus est: Nec præterea, qui iusta aliqua causa, impedimentovè distinetur, quo minùs eo initietur.

17 Nec verò à residentiæ munere liberi sint, qui tertiam partem fructuum, qui sibi ex dignitatibus obueniebant, quas in Ecclesiis Cathedralibus obeunt, in distributiones contulerint. Imò verò ij cætera etiam, quæ Tridentino decreto in Sessione 24. promulgato, ipsis præscripta sunt, præstare ab Episcopo cogantur. 5. Ibid.

18 Ne ille quidem excusetur, cuius Ecclesia, aut beneficium eiusmodi est, vnde omnis, aut certè magna pars fructuum, aliquo modo reseruata, ad alium peruenit.

19 Nè Episcopus, propterea quod sibi liberum, integrumque est, facultatem permittere, qua liceat, aliquem ab Ecclesia commissa, beneficiovè personalis residentiæ abesse, ea potestate, facultatevè princeps ob cuiusuis generis causam vtatur: sed in illa concedenda modum, & rationes adhibeat, Concilij Tridentini sanctione præscriptas.

20 Præterea, qui Ecclesiastica quæcumque beneficia obtinent, in quibus etsi curata non sunt, tamen residere iure, vel consuetudine debent; si muneri suo defuerint, in eos Episcopi, & illis pœnis, quæ à sacro Tridentino Concilio statutæ sunt, & aliis arbitrio suo seuerè agant: fructusque quibus ex eodem Concilio mulctandi erunt, piis locis attribuant. 1. Ibid. Sess. 6. c. 2. Sess. 22. c. 12.

21 Vt autem Episcopi pœnas de contumacibus in hoc genere possint sumere, statuimus; vt in singulis Collegiatis, & Cathedralibus Ecclesiis, singulis tribus mensibus, tres primi ex Capitulo, præsentes, Canonicorum, & eorum, qui præpositi Ecclesiis, & aliorum qui in eis huiusmodi beneficia possidentes, non resideant, nomina ad Episcopum deferant. 1. Ibid.

22 Parochi verò Episcopum admoneant, si qui intrà fines suæ Parochiæ, eiusmodi habentes beneficia, quæ personalem item residentiam requirant, non resideant.

23 Vicarij etiam foranei eandem diligentiam adhibeant, si qui curati, in regione sibi ab Episcopo commissa, non resederint.

Qui huic officio deerit, sicuti Episcopo videbitur, plectatur.

24 Qui impetrata ab Ecclesia discedendi facultate, aliquamdiu abfuerit, mensis saltem spatio, postquàm redierit, Episcopum de suo ad Ecclesiam reditu, certiorem faciat: quod si neglexerit, perinde censeatur, ac si non legitimè abfuerit. 2. Tit. 2. decr. 36.

Quæ hic desiderantur, videantur in Tit. de Parochis, &c. De Ministris Eccl. & de Punctatoribus, & Distrib.

De Punctatoribus Cathedralium, & Collegiatarum, ac aliarum omnium Ecclesiarum.

SVMMARIVM.

1 *Punctatoris creandi mos quibus in Ecclesiis retinendus.*

2 *Punctatores quatuor, vbi, à quibus, & ad quid, creandi.*

Qu-

- Eisdem delectis, præscripta triplex tabella ante iusiurandum prælegenda. 8.

3 Tabella ipsa triplex de diuinis officiis, processionibus, capitulis, & modestia in eis seruanda, & de pœnis erratorum causa subeundis.

4 Ea quando Capitulo legenda: quoque Ecclesiæ loco affigenda.

5 Illi addere Episcopo liceat.

6 Iusiurandum à quibus Punctatoribus præstandum, & quando.

7 Et qua formula.

8 Punctator non iuratus, id munus gerens, mulctandus.

9 Quo tempore perseueret in eo officio.

10 Punctator capitularis quos notet.

11 Aliquem iniuria notans, qua pœna mulctandus.

12 Libros punctationum custodiat, & eos, quibus, & quando exhibeat.

13 Sacris horis intersit, & impeditus, alterum facultate substituat.

14 Punctator Episcopalis quam ob causam creandus. Et qualis. 16.

15 Iuramento præstito, quos & ipse notet.

17 Ad suscipiendum id officium, qui cogi possint. Canonicum, vel alium in Capitulo, vel Ecclesia iniuriantem Episcopo deferat. Quæ ad Capitula pert. num. 9.

18 Punctatoris Capitularis, & Episcopalis officium quale, ex decretis Concilij Quarti.

19 Punctatio ab illis facienda qualis. Collatio eorum librorum. 33.

20 Errata primæ Tabellæ, vt notentur. Et quorum erratorum Episcopus admonendus.

21 Errata secundæ, & tertiæ Tabellæ qualiter item notentur.

22 Erratum eiusdem triplicis Tabellæ notare omittens, vt mulctandus.

23 Mulcta cui adiudicanda.

24 Punctatores, diuinis officiis expeditis, errata præfecto chori, Canonicis præsentibus, & vbi exponant: quando omitti possit. 28.

25 Errati se expurgare volens, coram quibus id faciat.

26 Se expurgans, cum Punctatoribus non contendat

27 Præfecti Chori in ipsa contentione dirimenda officium.

28 Erratorum expositio, Canonicis præsentibus, quando omittenda.

29 Punctator inferiorum ministrorum qui, & à quo constituendus.

30 Illius officium quale.

31 Is etiam iuret: trimestri officium gerat: & cætera Punctatoribus, & Thesaurariis Capitularibus præscripta seruet. 42.

32 Punctator alius creandus, qui errantes in cultu officiorum, vel festi diei, vel funeris, vel anniuersariorum, vel processionum, &c. notet. Is quando iuret. 6. & quomodo. 7. Errata committens in processionibus, vt notandus. De process. num. 16.

33 Punctatores Capitulares, & Episcopales, quando inter se libros punctationum conferant: & supputationem firment.

34 Discrepantia aliqua in eisdem libris existente, vt dirimenda. 33.

35 Supputatio quando, & quomodo fienda eius, quod vnusquisque habere debet ex Capitulari censu.

36 Supputationi prædictæ qui subscribant.

37 Detractio pro ratione absentiæ, & erratorum, vt facienda.

38 Eiusdem detractionis calculis qui item subscribant.

39 Supputationis signatæ tabulæ Capitulo, vel Thesaurario tradendæ.

40 Capitulum verò, Thesaurariusuè, quomodo, & quando distributiones partiatur.

41 Supputationis, & solutionis ratio suprà præscripta seruanda in quouis distributionum censu, qui ad mansionarios, &c. pertinent.

43 Et qui ad hanc ministrorum supputationem adhibendi.

44 Supputatio quotannis fiat totius temporis, quo Canonici, Ministrique absentes fuerint.

45 Absentes à choro tribus mensibus reperti, & distributionibus, & præbendæ fructibus mulctandi: & quid si vlterius abfuerint.

1 PVnctatoris creandi morem in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis retineri iubemus. 1. de offic. punctat.

2 *Punctatores quatuor ex decretis Conciliorum Prouincialium creandi sunt: duo scilicet, qui Canonicorum absentiam, & errata in diuinis officiis notent: quorum alter à Capitulo, alter ab Episcopo deligatur: Tertius, qui singulorum Mansionariorum, Capellanorum, Sacristarum, custodum, aliorumque ministrorum absentiam, erratáque obseruet, & signet. Quartus, qui peccantes in præscriptas ab Episcopo leges de præstandis, ac cauendis in festi diei, funeris, anniuersariorum, processionum, &c. celebratione similiter notet: de quibus omnibus infrà, num. 9. 14. 29. & 32. vberius explicabitur.*

3 Cùm & Tridentinis sanctionibus, & nostris etiam Prouincialibus Decretis, multa salutariter de diuinis officiis, functionibusque Ecclesiasticis, atque aliis eiusdem generis constituta sint, vt ad eorum præscriptum omnes, singulique Prouinciæ nostræ Canonici, Capitula, & dignitate præditi, reliquique omnes Ecclesiarum ministri, chori officijs quocumque iure, nomine, titulo, modovè astricti, sese conforment; diuinaque officia, processiones, funeralia, & alia, quæ ecclesiastici muneris, ecclesiasticarumque functionum sunt, rectè obeant; ad eaque non solum constitutis horis, ac præscripto modo conueniant; verùm etiã in ijs ipsis piè, deuotéque versentur, & persistant: suis quoque functionibus, muneribusque satisfaciant: tùm prætereà ex eorundem decretorum præscripto Canonici Capitula habeant: ad ea conueniant item: in illis denique vt par est, rectè versentur: ac rursus ab omnibus, & singulis erratis, quæ notata caueri, sancitum est, prorsùs abstineant: triplicem Tabellam ordine explicatam, ex decretisque Prouincialibus breuiter descriptam, & quæcumque in earum vnaquaque vel vniuersè, vel sigillatim, aliavè ratione præscripta sunt, propositis suo loco pœnis, accuratè seruari, in executionisque vsum introduci sancimus. 4. de distr.

4 Tùm prætereà eandem, cùm de scripto statis quibusdam diebus frequenti Capitulo, & reliquis, quorum interest, legi, pronunciarique mandamus: tùm in omni Sacristia, etiam Paro-

chialium Ecclesiarum, certo conspicuo loco, decorè affixam, in omnium conspectu proponi, perpetuoque retineri sancimus.

5 Singulis verò iis tribus Tabellis pro Ecclesiæ, diœcesisque suæ rationibus, ab vnoquoque Prouinciæ nostræ Episcopo, ex præceptionibus suis, probatisvè Ecclesiæ statutis, alias prætereà erratorum notas, Punctationesvè, prout opportunum ipse censuerit, addi perpetuò liceat.

1. De offic. Punctatoris. 6 Is in mensem, vel in aliud certum tempus, pro cuiusque Ecclesiæ consuetudine à Capitulo constitutus iuret, se in officio suo obeundo fidem, ac diligentiam præstiturum.

4. De distr. Quod de Punctatorum iureiurando in Concilio Prouinciali primo sancitum est, id & ab iisdem, & ab vnoquoque item Punctatore, qui vel festi diei, vel funeris, vel anniuersariorum, vel processionum, vel aliorum denique diuinorum Officiorum causa, etiam in Collegiatis, aliisvè Ecclesiis constitutus est, præstetur, non modo cùm Punctatoris officium suscipiunt; verum etiam in publico diœcesanæ Synodi conuentu qui habebitur, dùm ipsi id officium gerunt; quò religiosius vnusquisque eorum excitetur ad debitum in munere suo obeundo officium, cum fidelitate coniunctum, adhibendum. Iurisiurandi formula hæc sit.

7 *Ego N. Punctatoris officium, quod suscepi, per hæc sancta Dei Euangelia iuratus, sanctè promitto, ac spondeo, me fideliter, & sincerè, quantum in me est, executurum: sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia:* vel si iuret super sacras reliquias. *Et hæc sanctorum pignora.*

8 Punctatoribus singulis, vbi primùm delecti illi sunt, præscripta illa triplex Tabella, duobus de Capitulo præsentibus, ante legatur, quàm iusiurandum præstent.

Si quis autem Punctator non iuratus, id munus inierit, aut gesserit, mulctetur pro modo culpæ, Episcopi arbitratu.

9 Vniuscuiusque Punctatoris Officium, ac munus deinceps trimestre sit: quod tempus ab Episcopo, & ab Capitulo, suo cuique Punctatori prorogari liceat.

1. De offic. Punctat. 10 Studiosè exploret, & in libro Punctationum notet omnes, quicumque ij fuerint, qui sacras horas, & diuina officia non obierint: quique contrà, quàm his, aliisvè Constitutionibus præscriptum est, in choro quidquàm fecerint. Qua in re is nullius non odio, non amore, non spe, non metu moueatur.

11 Si aliquem iniuria notarit, de suo ei satisfaciat; si verò notandum prætermiserit; de suo item tantundem det; quod in Ecclesiæ vsum conuertatur; & integras vnius hebdomadæ distributiones amittat.

12 Libros Punctationum diligenter custodiat, & Episcopo, & Capitulo singulis mensibus exhibeat: & quoties id Episcopus, vel Capitulum postularit.

13 Quo tempore is in Officio Punctatoris permanserit, Sacris horis, & officiis omnibus intersit; nisi absit de eius licentia, qui choro præsidet: quo tempore alium, ab eodem chori præfecto probandum, substituat, qui suo muneri satisfaciat. Si secùs fecerit, pro singulis vicibus vnius diei distributionem amittat.

14 Vt autem hoc officium melius exerceatur, nemini que aliquid iniustè, aut remitti, aut adimi possit; præter delectum à Capitulo, alter Punctator ab Episcopo creetur.

15 Is suprascripto iureiurando apud Episcopum præstito, altero in libro omnes, qui suo muneri defuerint, notet.

16 Episcopus deligat ad id Punctatoris Officium, quem voluerit, idoneum Clericum.

17 Eidem Episcopo facultas sit, de ea Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, in qua Punctator creandus sit, omnes, quoscumque libuerit, propositis pœnis suspensionis à diuinis, & aliis suo arbitratu, cogendi, vt id munus suscipiant, & obeant.

18 Punctatorum, quos Episcopus, Capitulumque ex præscripto primi Prouincialis Concilij constituerit, cura, & officium sit, tùm Capituli vniuersi, tùm vniuscuiusque dignitate præditi, Canoniciuè absentiam, & errata notare. 4. De distr.

Vnusquisque eorum, quod ad notandi rationem attinet, in iis omnibus, & singulis, quæ Conciliorum Prouincialium, & primi præsertim decretis, eo de genere præscripta sunt, sui muneris, curæque partes præstet.

Accuratè in primis, rectéque notet, non eos solum singulos, qui statis Canonicis horis à choro abfuerint; verùm etiam vnumquemque, contrà decretorum Prouincialium, & Tabellarum præscriptum in choro, in processionibus, in funeralibus, diuinisque aliis officiis errantem, peccantemvè.

19 Absentiæ nota, punctatiouè, qua punctatores vtantur, vna, eademque sit, & aliqua ratione ab iis notis distincta, quæ erratis notandis vsui erunt.

20 Errata singula, in prima Tabella descripta, vna, eademque punctationis ratione notentur: nisi erratum aliquod eiusmodi sit, ob quod, præter distributionum mulctam, alia etiam pœna, arbitratu Episcopi proposita est. Tunc enim huiusmodi erratum sigillatim, accuratéque per Punctatores notetur: ac de eo hebdomadæ, aut mensis ad summum spacio Episcopus certior fiat, qui errati pœnam exequatur.

21 Quicumque errata in secunda Tabella adscripta commiserit, eius errata, prout sunt, enucleatè, explicatéque notentur: vt pro culpæ ratione, à chori præfecto, ex facultate sibi data, aut ab Episcopo mulctetur, puniaturuè.

Idem notandis tertiæ Tabellæ erratis, ad Capitulum pertinentibus, per eosdem seruetur.

22 Si quod erratum triplici Tabella notatum ab vllo quouis, aut etiam ab vniuerso Capitulo committi Punctator vllus animaduerterit: idemque sciens libro suo notare prætermiserit: pro prætermissæ, omissæuè cuiuslibet notæ, aut punctationis ratione, de suo tantundem det, quod ad Ecclesiæ vsum conuertatur.

23 Quæ distributiones ab Episcopo, Sacristiæ, aut alij loco pio adiudicentur: tùm aliam etiam grauiorem pœnam, pro culpæ ratione, eiusdem Episcopi arbitratu, pendat.

24 Vnusquisque prætereà Punctator singulis diebus, cùm diuina officia peracta sunt, quos pro absentiæ, aut erratorum ratione, in choro notarit, eos præfecto Chori, præsentibus aliis

de Capitulo, qui eo loco tunc adfuerint, in Sacristia, aliovè loco, vbi Superpellicea, Canonicalesvè Cappas & induunt, & exuunt, cùm primùm eò Clerus, Collegiatim à choro redierit, nominet, errataque singula exponat.

25 Si quis verò erit, qui aliquam absentiæ suæ, alteriusvè facti causam afferat, quamobrem se contrà præscriptas regulas quicquam non egisse, admisissevè, nec propterea absentiæ, vlliusvè errati pœnam commisisse putet: id tunc Chori præfecto coram Punctatoribus planè significet.

26 Nec vero si Punctator contradicat, is cum illo non modo non contendat, neque verbum vllum commutet; sed ne respondeat quidem: imò verò statim inde secedat.

27 Præfectus autem, cæteris, præter Punctatorem, semotis, de re tota deliberet: atque, si ità planè rem se habere manifestè compererit, vt nullam, vel absentiæ, vel errati culpam ille commiserit, illius punctationem in choro notatam, deleri iubeat. Si verò ità sanè non constiterit; in librum punctationum omninò referri mandet. Quod si quæ, vel difficultas, vel ambiguitas erit; Vicarius Episcopi consulatur, qui totam rem statim sine forma iudicij, liberè arbitratu suo statuat, vt primo Concilio sancitum est.

28 Sin autem hæc, notatos, errataque in Sacristia, aut alibi Canonicis, Capitulouè nominandi, seu exponendi ratio, aliquid, vel incommodi, vel turbæ, vel dissensionis, vel rixæ, offensionisvè afferat, aut punctatores ipsos ab officij sui libertate deterreat; Episcopo integrum sit, illam omittere, rescindere, atque abrogare, vt magis expedire censuerit.

29.30 Punctator præterea, qui, vel idem, vel alius sit, ab Episcopo constituatur; cuius officium erit, singulos Mansionarios, Capellanos, Sacristas, custodesvè, aliosque Ecclesiæ ministros, Chori officiis adstrictos, qui statis horis ab illis abfuerint, quivè contrà Tabellarum præscripta, aliavè, vt suprà, errata commiserint, diligenter obseruare; eosdemque in Choro quàm primùm notare. Idem statis diebus notet, pro absentiæ, & erratorum, quæ in Tabellis explicata sunt, ratione, Clericos, Ecclesiasticosque homines, Tridentini, aut Prouincialis decreti auctoritate, Cathedrali, vel Collegiatæ Ecclesiæ adscriptos, vt ij, quamuis residentiæ distributionum, quibus mulctari possint, participes non sint; tamen à chori præfecto, salutari aliqua pœnitentia afficiantur, ac corrigantur; tùm etiam pro culpæ, negligentiæ, errativè grauitate, Episcopi iudicio plectantur.

31 Hic item Punctator iuret; officium tribus mensibus gerat; absentes, & errantes obseruet, notet; notatosque in Sacristia nominet; & statam in libro punctationem seruet; & in suo munere cætera omnia, quæ aliis punctatoribus præscripta sunt, præstet.

3. de iis, quę ad diuin. offic pert. 32 Vt erratis, quæ in diuinorum Officiorum cultu committi solent, in Collegiatis non solum, sed in aliis etiam quibusuis Ecclesiis, & alibi occurratur, vbi, vel festi diei, vel funeris, vel anniuersariorum, vel processionum, vel aliarum rerum causa plures Clerici conueniunt, Episcopus certas Tabella descriptas, eorum omnium leges, quæ à Clero in illorum officiorum, & processionum functionibus, aut caueri, aut præstari debent, diligenter præscribat. Quæ leges, vt seruentur, eam ineat rationem; vt quibus in Ecclesiis, vel officiis Præfectus est, & Punctator item; hic si in eorum cultu erratur, errata notet; ille errantes mulctet: vbi verò non est, cùm illa officia, processionesvè ibi obiri contigerit, aliquis ex Clero, qui ad ea obeunda conuenerit, certus & punctator sit, qui in eo officiorum cultu errantes notet; & alius præfectus, cui hæc erratorum ratio, errantiumque mulcta sit commissa.

33 Singulis hebdomadis ambo punctatores libros inter se conferant; & si qua in re discreparint, Episcopus, vel eius Vicarius illico omnem eorum controuersiam sine vlla forma iudicij, sublato quocumque etiam appellationis impedimento, dirimant. 1. de offic. punctat.

Singulis hebdomadis, vt est primo Concilio Prouinciali decretum, punctationum suarum libros conferant inter se punctatores illi, quorum alter ab Episcopo, alter à Capitulo, ex eodem Prouinciali primo Concilio delectus est: ex qua collatione, tùm quicquid pro suæ quemque personalis in choro residentiæ munere præstitisse; tùm rursus pro absentiæ, erratorumvè ratione, quoties officio suo defuisse, diligenti punctationum supputatione facta, constiterit: id firmum, ratumvè vsque adeò sit, vt eo collato in singulas hebdomadas calculo, tribus primis vniuscuiusque mensis diebus, Canonicalis ministerij, aut operæ, quam quis in choro præsens, mense proximo superiori rectè, & ritè obierit, certa, firmaque supputatio à præfecto chori, & à punctatoribus constituatur: qui præterea eo nomine constitutæ illi supputationi subscribant. 4. [de] dist.

34 Eam verò cautionem punctatores adhibeant, vt cùm in libris conferendis aliquid compertum esset, quod vllo quouis modo discreparet; antequàm illa punctationum, distributionumvè supputata ratio constituatur, quæ stata, firma, & subscriptione munita sit, Episcopum, aut eius Vicarium consulant, qui ex Concij Prouincialis primo decreto, sine vlla forma iudicij, omnem controuersiam dirimat.

35 Ad certæ illius collatæ, & constitutæ supputationis rationem; mense Octobri, aliovè, singulis annis, omne, quod ex communi Capituli censu habere quis debet, rectè pro vniuscuiusque Ecclesiæ more supputetur.

36 Cui supputationi, calculouè, præfectus Capituli, & alter Chori, item Punctatores, Canepariur Capituli, &, si ità Capitulo videbitur, duo item alij, à Capitulo delecti, præsentes adsint.

37 In eo omni calculo cautio omninò sit, vt vnicuique verè detrahatur, quod detrahi par est, pro ratione dierum, & horarum Canonicarum, quibus à Choro, diuinisque officiis abfuerit: nisi illum iis causis abfuisse contigerit, ob quas Tridentina Sanctione, Constitutionibusque Prouincialibus quis, licet absens, in præsentibus tamen censetur.

Tùm detrahatur item pro ratione erratorum, si quæ ille commiserit.

38 Huic supputationi ità initæ, ac detractæ,

præfectus Capituli, & item Chori, & illi duo à Capitulo delecti, ac punctatores item subscribant.

39 Tabulæ verò, syngraphæ, aut scripta huius sic initæ, & subscriptione obsignatæ supputationis, Thesaurario, Caneparioue Capituli tradantur, vt quod vnicuique debetur, statis temporibus, pro illius constituti calculi ratione persoluat. Aut eidem consentienti, quantum quisque pro illius supputationis ratione habere, capereuè debet, tantundem cedat è Communi residentiæ censu.

40 Nè Capitulum, &c. Quod hic deest, vsque ad sequentem §. Hæc omnis ratio, remissum fuit ad seq. tit. de Distribut. num. 22. tamquàm opportuniori loco.

41 Hæc omnis ratio in supputatione, & solutione distributionum Capitularium suprà præscripta, pœnæque ibidem propositæ, locum etiam habeant, in quouis distributionum censu, qui ad Mansionarios, Sacristas, custodes, aliosvè chori ministros, & inferiores Canonicis, quocumque nomine nuncupatos, pertineat.

42 Itidem, vt suprà, de eorum ipsorum Punctatoribus, Thesaurariis, Caneparijsvè si quos à Capitulari censu, Thesaurario, Canepariouè, & punctatoribus distinctos habuerint, decretum sit.

43 At loco eorum duorum, qui de Capitulo ad supputationem adhibendi sunt, alij itidem duo ex ipsis inferioribus Chori ministris distributionum censum à Capitulari, Canonicaliuè separatum habentibus, adhibeantur: ijque ab iisdem, ad quos census pertinet, eligantur.

44 Ex punctationum libris, annis singulis expletis, iubeat Episcopus ab eo, cui ipse id curæ dederit, diligenter rationem inspici dierum, quibus vnusquisque vel dignitate præditus, vel Canonicus, vel Sacrista, vel custos, aliusvè Ecclesiæ minister, Chori officiis adstrictus, ad illa non conuenerit.

45 Qua perspecta, & supputata etiam ratione, si quem diutius tribus mensibus à Choro abfuisse comperERit; quamvis in vrbe, oppidouè, in quo Ecclesia est, manserit; illum tamquàm absentem, præter distributionis amissionem, fructibus etiam præbendæ, & aliis item pœnis, pro contumaciæ grauitate, ex Concilij Tridentini sanctione, contrà eos, qui amplius trimestri spatio absuerint, edita, mulctet.

Quæ huic Titulo desunt, videantur in insequenti Tit. de Distributionibus.

De distributionibus dandis, vel subtrahendis: & subtractis: quibus applicandæ.

SVMMARIVM.

1 *Tertia fructuum, dignitatibus, &c. Obuenientium pars, in distributiones diuidenda.*
Distributiones quotidianæ si nullæ, aut tenues, ex dicta tertia parte augendæ. De Ministris Eccl. num. 13.
2 *Vbi id nondum actum est, ab Episcopo præstandum.*
3 *A qua tertia parte conferenda, qui liberi non sint.*
4 *Tertia eiusdem partis fructuum in distributiones conuertendæ æstimatio, qua taxa facienda.*
5 *Qui illius participes sunt.*
6 *Qui non.*
7 *Distributiones quotidianæ vbi nullæ, aut tenues, aliquibus horis Canonicis, & Officiis extraordinariis attributæ sunt, quid faciat Episcopus.*
8 *Distributionum tenuitate dignoscenda quæ ratio habenda.*
9 *Distributionum percipiendarum ad ius admitti petentes Canonici iuramentum præstent.*
10 *Iuramenti formula.*
11 *Examinentur etiam in cantus scientia: quæ quanta esse debeat in vnoquoque, præsertim in Choristis. 18.*
12 *Examen, vbi, & coram quibus; & qua ratione fiat: quidque in eo attendendum. 17.*
13 *Examine peracto, qualiter approbatio fiat.*
14 *Mansionariorum, & aliorum ministrorum probatio, à quibus, & quomodo fiat.*
15 *Dignitatem etiam primariam obtinentis periculum, à quo, & quibus adhibitis & qualiter faciendum.*
16 *Probatio aliter facta, nulla.*
19 *Idoneo aliquo non inuento, timore, causauè alia, octo dierum spatium dandum ad iterandum examen.*
20 *Iniustè repulsus, aut protractus, Episcopum adeat, à quo quid agendum.*
21 *Distributiones quotidianæ à quo, & quomodo diuidendæ.*
22 *Eæ non soluendæ ante statum solutionis communis tempus.*
23 *Solutionis stata die adueniente non soluendæ, Syngrapha, & solutionis mandato, non acceptis.*
24 *Plus, vel tempestiuè soluens quid amittat.*
25 *Capituli Chorique Præfectus. Punctatores. Canonici alij duo eidem solutioni, vel distributioni dandæ absenti, vel erranti consentientes, vt puniantur.*
26 *Plus etiam, vel tempestiuè solutionem accipiens, restituat, & triplo mulctetur.*
27 *Restituat etiam donata, remissauè contra præscriptum Conciliorum.*
28 *Capitulum donationi, remissioniuè ipsi consentiens, vt puniendum.*
Solutioni distributionum Capitularium ratio suprà præscripta pœnaque ibi propositæ, locum habeant in censu distributionum, qui mansionarios, &c. De distributionibus à n. 22. ad 29.
Distributiones quotidianæ non dandæ absentibus, etiam ex licentia. De Ministris Eccl. num. 10.
Pactio, remissio, collusiouè Canonicorum, aliorumvè con rà facta nulla. suprà 28. Ibid. num. 11.
Distributiones ab absentibus acceptæ, restituendæ. Ibid. & 27.
Quibus dandæ distributiones quotidianæ. Ibid.
29 *Qui absentes legitimè impediti distributionibus gaudeant.*
Et qui non. Et de Ministris Eccl. num. 12.
Quæ distributiones dandæ, iis, qui præsentes adsunt processionibus. De Procession. num. 27.
30 *Absens à Choro, ob celebrationem Missæ, quando distributiones perdit.*
31 *Ordinem non suscipiens, quem debet, easdē amittit.*
32 *Pœnitentiarius, quando eas percipit, & quando priuatur.*

33 *Peregrinationis causa absentes, eas non percipiunt, & quando præbendæ fructibus etiam mulctantur.*

34 *Studiorum causa absentes, eis non gaudent, nec tertia præbendæ parte in eas conuersa.*

Parochus Canonicatum, beneficiumve aliud obtinens, personalis residentiæ, festis diebus in Parochiali residens, eas non percipit. De Parochijs. num. 19.

Distributiones quotidianæ, Canonicis, & Ministris, loco pœnæ, in sequentibus casibus subtrahendæ. De Resid. num. 5.

Canonici Cathedrales, non admonentes Metropolitanum absentiæ Episcopi, qui distributionem vnius mensis amittant. Ibid.

Admoniti, à Chori Præside, vt suo muneri satisfaciant, si non resipuerint, punctandi. De Ministris Eccl. num. 14.

Dignitates, & Canonicatus obtinentes, si cum aliis non cecinerint, qua distributionum parte mulctentur. Ibid. num. 17.

Canonicus hebdomadarius, suo muneri deficiens, trium dierum distributionibus careat. Ibid. num. 18.

Præcipuè si Missas Conuentuales non celebrarit. De Missis Conuent. num. 3.

Idem, si in tempore etiam non conuenerit, vel alium non substituerit, aliqua distributionum parte mulctetur. Ibidem.

Canonici, Presbyt. Diacon. & Subdiaconi suo officio per se non satisfacientes, quibus distributionibus careant. De Ministr. Eccl. num. 21.

Canonici, citrà necessitatem Capitula habentes, diuinorum officiorum tempore, quibus distributionibus mulctentur. Ibid. num. 27.

Qui non fecerit, quod ei in Tabella, à Chori Magistro confecta præscriptum fuerit, distributiones amittat horæ, in quam peccarit. Ibidem, num. 31.

Punctator notandum prætermittens, integras vnius hebdomadæ distributiones amittat, ex primo: ex quarto verò, qualiter puniatur. De Punctatoribus, num. 11. & 12.

Is omnibus horis non assistens, vel alium non substituens, pro singulis vicibus vnius diei distributione careat. Ibid. num. 13.

Qui in Ecclesia, vel circum eam, aut in Sacristia existens, ordine Chorum ingredi neglexerit, qualiter puniatur. De diuin. offic. num. 75. vers. Qui verò.

Audens inchoare officium, prius quàm ordine in Chorum Canonici conuenerint distributionem horæ illius amittat. Ibid. vers. Ausus.

Ad Matutinum, & alias horas tardè veniens, quando distributionibus priuetur. Ibid.

Ad Missam item non veniens ante finem vltimi Kyrieeleyson, vt plectatur. Ibidem.

Differens aduentum suum in extremum præfiniti temporis punctum, quando pro absente habendus. Ibidem.

Pileo in Choro item vtentes, quando pro absentibus habendi. Ibid. 76.

Dignitates, & Canonici, in Chori leges peccantes, & non resipiscentes distributione illius horæ quando careant. ibid.

Ordinem in recedendo à Choro præscriptum non seruantes, distributiones illius horæ non capiunt. ibid. num. 77.

Diaconi, & Subdiaconi Altari non ministrantes, vt tenentur, eius horæ distributione careant. De missis Conuent. num. 9.

In supplicationibus generalibus, qui non venerit, ante inuocationem sanctissimæ Trinitatis, pro absente habendus. De Processione. num. 2.

Extrà Canonicales ædes pernoctans, vnius diei distributione feriendus. De Canon. ædib. num. 7.

Absens à Missa, quæ nocte Natalis Domini celebratur, qua distributione mulctetur. De Missis Conuent. num. 17.

Capitulum Missas canere omittens, quibus diebus sunt plures cantandæ distribution. priuetur. ibid. num. 15. & 16.

Non vtenti vestibus, & insignibus suis, quæ distributio adimatur. De diu. offic. num. 28.

Absens ab officio B. Virginis, mulctandus vt absens ab officio de Domino. ibid. num. 25.

Thesaurarius, quod non debet, aut plus, vel ante tempus soluens distributiones, vt plectatur. suprà num. 24.

Distributiones easdem tempestiuè recipiens, qua pœna afficiendus. suprà num. 26.

Capitulum, remissioni, collusioniuè consentiens, distributionibus plectatur Episcopi arbitrio. suprà num. 28.

Ecclesiasticus quiuis non confici curans instrumentum super solutione sibi facta, dimidia parte fructuum vnius anni mulctandus. Quæ pert. ad honor. num. 15.

Recusans acceptare officium à Capitulo commissum, quid amittat. De iis quæ ad Capitula pert. num. 18.

Mansionarij suo muneri deficientes, qua distributione priuentur. De Ministris Eccl. num. 47.

Iidem contumaces, negligentesvè, vt castigentur. ibid. num. 51.

Distributiones Canonicis, & aliis Ministris detractæ, quando aliis inseruientibus attribuendæ. Suprà num. 6. 28. & de Ministr. Eccles. num. 19. De Missis Conuent. 9. & de Processi. num. 27.

Quando, Ecclesiæ, Sacristiæ, fabricæ, Hospitalibus, aliisvè locis piis applicandæ, suprà num. 1. 6. 21. 24. 26. 28. De Ministris Eccles. num. 11. & 18. De Missis Conuent. num. 3. De Punctatoribus. 22. 23.

1 QVibus in Ecclesiis tertia pars fructuum, reddituumve dignitatibus, personatibus, officiisque obuenientium, nondum ex Tridentino decreto in distributiones diuisa est; id Episcopus, vbi expedire censuerit, præstet. Diuisione verò facta, quicumque ex Episcopi præscripto, functiones, ministeriumque debitum quolibet statuto die non expleuerit, distributionem illius diei amittat, quæ Tridentini Concilij iussu, fabricæ Ecclesiæ, aut piorum locorum vsui, Episcopi arbitratu, attribuatur. 4. de distr. Sess. 21. c. 3. Sess. 22. c. 3.

2 De distributionibus item quotidianis ex tertia illa parte fructuum, decreto Tridentino præscripta, vel constituendis, vel augendis, vbi nondum illud actum est, quàm primùm Episcopus præstet. 4. de distr. Sess. 21. c. 3.

3 Episcopus, quæ decreta de tertia fructuum parte in Concilio, & primo, & quarto, olim confecimus, ità præstet; vt, nec qui sacris ordi- 5. Quæ ad distr. pert.

nibus initiati non sunt, nec qui distributiones non capiunt, ab illa præscripta tertia parte conferenda liberi immunesvè sint.

4 Tertiæ porrò partis, quæ in distributiones conuertenda est, fructuum æstimatio fit, non veteri taxa, etiam in Codices Capitulares relata, sed tanti sit, quanti census, redditusvè præbendarum reuera valet, deductis primò pensionibus, aliisque oneribus legitimè impositis, pro ratione temporis quo durauerint.

5 Cuius tertiæ partis percipiendæ ius habeant omnes Canonici tùm qui præbendam obtinent; tùm qui sine illa sunt, dum ij statis diebus suum in Ecclesia munus præsentes obierint.

4. de distrib. 6 Parochus verò, qui Canonicatum, dignitatemuè, ac simul Ecclesiam Parochialem legitimè obtinens, residentiæ Parochialis munus obit, vt litteris Pij V. Pont. Max. sancitum est, illius, vel dignitatis, vel Canonicalis præbendæ, fructus, redditusuè capiat: ac tertiæ eius partis nè particeps sit, quæ, eiusdem Tridentinæ sanctionis auctoritate, in distributiones conuersa, sibi absenti obuenire non potest, nec debet: sed aliis præsentibus, chorique officia obeuntibus accrescat: aut Episcopi arbitratu, fabricæ Ecclesiæ piisuè locis attribuatur, ad eiusdem Concilij Tridentini præscriptum. (Sess. 22. c. c.)

4. Ibidem. 7 Quibus etiam in Ecclesiis, vel Cathedralibus, vel Collegiatis, quamuis reliquis diuinis officiis congruus quotidianarum distributionum census assignatus sit, aliquibus tamen Canonicis horis, aut cæteris officiis, etiam extraordinariis, quauis auctoritate institutis, nullæ quotidianæ distributiones adscriptæ, attributæuè sint, aut si attributæ sint, exiguæ illæ quidem, atque vsque adeò tenues, vt verisimiliter negligantur, in iis Episcopus vel de communi residentiæ, distributionumque quotidianarum censu, si amplus sit, certam portionem, arbitrio suo congruam, Capituli, ac reliquorum, qui eiusdem census participes sunt, consensu detrahat, eamque ipsam statam vnicuique ex illis Canonicis horis, officiisuè attribuat, adscribatuè perpetuò; vel omninò ipse auctoritate, & facultate sibi eodem Tridentino Concilio data, quemadmodum etiam à sancta Sede Apostolica declaratum est. Decretum itidem illud Tridentinum exequatur; vt scilicet è fructibus, redditibusuè cuiusuis generis, qui dignitatibus, Canonicatibus personatibus, aliisuè obueniunt, congruam partem, quæ tamen tertiam non excedat, arbitrio suo statuat; quam in quotidianas distributiones conuersam, singulis his diuinis officiis, horisuè Canonicis, quibus nulla, vel tenuis tributa est, certam distribuendam perpetuò assignet; vt stata ea, congruaque portione constituta, vel adiuncta, illæ deinceps verisimiliter non negligantur. (Sess. 24. ca. 15. de ref.)

8 In distributionum autem tenuitate dignoscenda, ratio semper habeatur, tùm Canonicorum, tùm aliorum omnium, quibus illas percipiendi, si residentes munus suum obeant, ius competit: siuè illi modo præsentes residentiæ munus veræ præstent: siue absentes, ob legitimam etiam causam, impedimentumuè, residere, ea cessante, deberent, aut possent.

4. Ibid. cum seq. 9 Vt diuinis Officiis obeundis, quò ad eius fieri potest, apti, & idonei Ministri adscribantur: cùm aliqui deinceps in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis se in Canonicorum residentium Collegium cooptari, & ad ius distributiones percipiendi admitti petunt, hæc seruentur.

Primò, vt ab ea re omnis ambitio absit, qui cooptandus erit, hoc iureiurando obstringatur.

10 *Ego N. per hæc sancta Dei Euangelia iuro, me neque precibus, neque precio neque alia ratione egisse, aut aliàs curasse, quò minus hoc experimentum integrè fideliterque fieret: sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.*

11 Deinde periculum, experimentumuè fiat; an qui se cooptari petit, ad omnia ea rectè in cantus modulatione præstanda idoneus sit, quæ aliquo modo, aut tempore ad eius munus, partesuè pertinere possunt: hocque pro ratione, & diuersitate presbyteralis, diaconalis, & inferioris etiam functionis.

12 Id verò fiet in conuentu Capitulari, duobus ex Capitulo adhibitis, qui primò iurati, se nihil fraudis in ea re sibi commissa, facturos esse, hoc præstent: vt ei, de cuius cooptatione agitur, certos locos, scriptauè, quæ cantu enuncient, primùm assignent; tùm propius assistendo videant, nùm is modulatione, aliouè modo erret.

13 De eodem autem approbando posteà agetur, resque occultis suffragiis permittetur: quibus statim deliberetur, ac decernatur.

14 Cum de Mansionarij, aut alterius Ecclesiæ ministri, qui Canonico inferior est, cooptatione agetur: is etiam, præscripta Canonicis cooptandis ratione, à Capitulo Canonicorum probetur. Cui probationi quatuor, pluresuè, eiusdem Ordinis ministri, à præfecto Capituli peritiores delecti, interesse possint; quorum de eo cooptando sententiam Capituli præfectus rogabit: tum illis remotis, de approbatione, aut reiectione Capitulum decernet, suffragiis occultè latis.

15 De eo autem, qui in Ecclesia Cathedrali post Episcopum, aut etiam in Collegiatis primam dignitatem obtinet, experimentum, periculumvè fiat ab Episcopo solum, eiusue Vicario adhibito in consilium præfecto Chori, & Canonico vno ex Capitulo illius Ecclesiæ, in qua is, de quo agitur, dignitatem habet, & aliis præterea peritis viris, quos aliundè adhiberi Episcopus maluerit. Quibus verò in Ecclesiis antiqui, probatique instituti est, de eo etiam à Capitulo examen, experimentumvè fieri; id huius decreti auctoritate non abrogetur, sed Capitulo præscripta suprà in Canonicis probandis ratio, in ipso etiam probando seruetur.

16 Si cooptatio, probatiouè vlla fiet, illis, suprà præscriptis rationibus non seruatis, irrita sit, ac planè nulla.

17 In ipso probationis examine, in primis Ecclesiæ magis, minusuè insignis ratio aliqua habeatur.

Non solum de ea facultate periculum fiat, quæ ab arte, & ab exercitatione proficiscatur: sed de ea quoque quæ est à natura; videndumque cùm cuiquam natura alicui impedimento sit, quo minus obire munera sua si non perfectè; at saltem aliquo modo possit.

Porrò moderatio adhibeatur, vt in iis quidem

modulationum generibus, qui cooptari vult, se ex tempore peritum præbeat, atque exercitatum, quæ in eius officio frequentiora sunt: quæ verò rarius incidunt, præstare quidem aptus sit, sed congruo spacio temporis dato ad eius generis rationem præuidendam.

18 Præterea, quibus vniuersæ Chori psalmodiæ onus sustinendum est, in iis mediocrem peritiam, artisque cognitionem sufficere, existimari non conuenit: cùm iis verò, quibus id non incumbit, mitius agi debet: in Chori Magistro perfecta ars, & peritia omninò requiretur: eadémque distinctio, & ratio habenda est de voce, & eiusmodi naturæ adiumentis.

19 Si timore, aut aliqua alia perturbatione factum esse præfectus suspicatus erit, vt quis minùs idoneus visus sit, is nè reiiciatur, sed octo dierum spacio, certa alia dies constituatur, qua rursùs periculum fiat: ne iterum id timoris, aut aliud nomen eiusmodi prætendi possit.

20 In iis verò, qui iniuria se repulsam tulisse putabunt, aut amplius octo diebus protracti erunt, seruetur decretum nostrum, in Concilio Prouinciali secundo promulgatum,

1. De officio Thesaurarii. 21 Thesaurarius Capituli, siuè alius quocumque is nomine dicatur, qui quotidianas distributiones partitur, curet ipsas vnicuique distribuendas pro rata parte laboris, & officij, ex iuris & harum constitutionum præscripto, & ex ordine librorum punctatoris.

Is distributiones eorum, qui absentia, vel errati causa notati fuerint, nè persoluat; si id fecerit, tantundem de suo det, quod in Ecclesiæ vsum conferatur, & ob eam causam etiam vnius mensis distributiones amittat.

4. de distr. 22 Ne Capitulum, aut Thesaurarius, Canepariusuè Capituli, aliusuè quicumque, qui distributiones partitur, cuiquàm de Capitulo, aliijuè Chori Ministro, etiam qui præsens diuina officia obierit: nè eo quidem nomine, quod distributiones iam suas residentiæ munere eum fecisse constet, ante stata solutionis tempora persoluat, vel eo nomine cessionem alicuius exactionis ante faciat,

23 Cùm verò solutionis stata dies venerit, nè cuiquàm item soluat cedatuè, nisi Tabellam illam, Syngraphamuè acceperit, cui à præfecto Capituli, & à præfecto item Chori, & à Punctatore etiam Episcopali, & ab altero item Capitulari, & ab aliis prætereà duobus subscriptum sit, si quos supputationi Capitulum constituerit, ac prætereà, nisi mandatum solutionis, cessionisuè à præfecto Capituli acceperit, ab alioué, ad quem de more spectat.

24 Si verò plus soluerit, vel cesserit, quàm supputationis ratio tulerit, aut antè soluerit, cesseritué, quàm certæ illius supputationis Syngrapham subscriptione vt supra, obsignatam acceperit: vnius mensis distributionibus, & aliis, arbitratu Episcopi mulctis, Sacristiæ, aut sodalitati Corporis Domini in ea Ecclesia constitutæ, alioué pio loco attribuendis, plectatur.

25 Quibus pœnis, mulctisuè præfectus etiam Capituli, & Chori item, & Punctatores, atque ad supputationem ità delecti illi duo Capitulares, qui eiusmodi solutioni, cessioniuè vllo modo assenserint, afficiantur.

Quam mulctam pœnamque iidem subeant, si alio quouis modo in eo assenserint, vt cuiquam soluatur, cedaturuè distributio aliqua illorum dierum, aut horarum Canonicarum officiorumuè, quibus, vel præsens ille in Choro non adfuerit, vel erratum huiusmodi in diuinis officiis contraxerit, vt Prouincialibus Decretis, aut præscripto Tabellæ, aut alio quocumque iure censeri in absentibus debeat.

26 Qui verò, vel ante solutionis, cessionisuè, & Syngraphæ tempus; vel plus quàm sibi debeatur, vllo quouis modo, pactouè acceperit; is ab Episcopo & restituere cogatur, & triplo mulctetur, quod locis piis, eiusdem Episcopi arbitratu, attribuatur.

27 Si verò vlla cuiusuis generis causa, causæuè specie, aut prætextu cuiquàm distributiones aut ab vniuerso Capitulo, aut ab eorum singulis contra Prouincialia nostra decreta, & præscripta dari, donari, remitti, aut quauis collusione concedi contigerit; nè illas quisquàm capiat; si perceperit, retinueritué, ne suas faciat; sed restituere cogatur.

28 Capitulo autem, quod tacitè, vel expressè ei rei consenserit, pœna sit, vt distributiones aliquot, Episcopi arbitrio, aut Sacristiæ, aut confratriæ Sanctissimi Corporis Domini in ea Ecclesia constitutæ, aut aliis piis locis attribuendas, soluat.

29 Neque distributiones item illi, quicumque sint, percipiant, qui infirmitate, necessitate, aut manifesta Ecclesiæ vtilitate occupati, impeditiuè non adsunt in Choro, si anteà nullo legitimo impedimento distenti, personale Canonicatus sui munus obire non consueuerant; hoc enim addendum censuimus decreto, quo in Concilio prouinciali primo hoc ipso de genere cautum est. 5. Quæ ad distr. pert.

30 Quicumque dum alicuius statæ horæ officium in Choro peragitur, Missam celebrando, tunc à Choro abfuerit; illius horæ distributionis tanquàm absens, particeps nè sit, vt à sancta sede Apostolica declaratum est. Id verò nisi præ absentia Sacerdotum, qui in Ecclesia tunc Missæ Sacrificium faciunt, necessitas aliquando inciderit, vt præfectus Canonicum aliquem Sacerdotem è Choro exire, à stataeque horæ officio abesse, Missæ celebrandæ causa, iubeat; aut nisi à Sede Apostolica aliter concessum fuerit. 4. de distr.

31 Aliqua dignitate præditus, & Canonicus, aliusuè quicumque, qui etiam ob causam, vt putà, ob litem eiusdem beneficij sui Ecclesiastici, sibi illatam, contestatamuè, ordinem Sacrum, illi Ecclesiasticæ suæ dignitati, Canonicatui, beneficioué annexum suscipere distulerit; nè distributionum quotidianarum, antequàm illum suscipiat, particeps sit, cùm debiti sui muneris, cuius causa illæ debentur, partes obire, præstareuè non possit.

32 Pœnitentiarius, tamquàm in Choro præsens, distributionum particeps sit, quo tempore in audiendis confessionibus versatur, non eorum solum, qui in casibus Episcopo reseruatis, peccarent, sed aliorum etiam quorumcumque. 5. Quæ ad dist. pert. Trid. Conc. Sess. 24. c. 8

Nec verò illas, quasi præsens, capiat, cùm manè aliquando ante statam diuinorum officiorum horam, quò opportunius pœnitentibus

satisfaciat, eorum confessiones audit; & de quo deinceps tempore illa celebrantur, ipse intereà Missæ Sacrificium facit, aut priuatim horarium Canonicale officium præstat: etiam si id in fraudem non faciat.

33 Qui peregrinationis causa absunt, ne iure quidem, facultateuè statutorum Ecclesiæ, cui personalis residentiæ operam, ministeriumque debent, distributionum participes sint. Imò etiam si trium mensium spacio diutius absunt, non propterea excusantur, quo minùs fructuum præbendæ amissione mulctentur, aliisuè pœnis eiusdem Concilij, de diuturniore absentia sancitis.

34 Qui studiorum causa quacumque facultate absunt, nè distributiones quotidianas eo ipso absentiæ tempore: nec verò illam præbendæ suæ partem tertiam, in eius generis distributiones, Tridentini decreti auctoritate, iam conuersam capiant.

Itidem de quotidianis distributionibus, eaque tertia parte cautum sit, etiam si à Sede Apostolica facultas absentiæ, ob studia data sit.

De iis, quæ ad Capitula Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum pertinent.

SVMMARIVM.

Capitula diuinorum officiorum tempore, à Canonicis non adhibenda. De ministris Ecclesf. numero 27.

1 *Capitulum in singulas hebdomadas habendum, & quid in eo tractandum.*

2 *Eius initium ab oratione de Spiritu sancto faciendum.*

3 *Ei quando Episcopus intersit; & quod in eodem illius officium.*

4 *Capitulo exempto, quando illud conuocare Episcopo liceat.*

5 *Canonici conueniant: & quando discedant.*

6 *Quomodo in eo sedeant: & loquantur.*

7 *Iocosa, & scurrilia verba omittenda.*

8 *Rixæ, vt tollendæ.*

9 *Contumelia ibi aliquem afficiens Episcopo deferend. à quo vt plectendus,*

10 *Quæ inter canonicos sedendi, & incedendi ratio.*

11 *Capitulares deliberationes qua ratione fiant.*

12 *Capitulares ordinationes à Cancellario capitulari in librum notandæ.*

13 *Liber is asseruandus.*

14 *Cancellarius Capitularis, vbi constitutus non est, constituendus: & quis, qua mercede, & ad quod tempus.*

15 *Notarij opera, quibus in actionibus Capitulum vtatur.*

16 *Instrumenta ab eodem confecta, in Archiuum referenda.*

17 *Iuramento non obstante, de non reuelandis negotiis Capitularibus, quæ nihilo minus Episcopo significanda.*

18 *Officium à Capitulo commissum, non recusandum.*

19 *Recusantis, quæ pœna.*

20 *Recusandi causam habens, Episcopum adeat.*

21 *Officia, à Capitulo commissa, quanto tempore exerceantur.*

22 *Capituli bona nulli ex Canonicis locanda.*

23 *Neque etiam propinquis, sine facultate.*

24 *Excepta decimarum exactione, ex licentia Episcopi.*

25 *Capitularibusque ædibus.*

Bona alia Ecclesiastica quibus item non locanda. Quæ pert. ad bonorum, &c. num. 8.

26 *Fructus Canonicatuum, & præbendarum vacantium à quibus recipiendi.*

27 *Constitutio Pii V. de eisdem fructibus seruanda.*

28 *Fructuum Ecclesiasticorum controuersiis vt occurritur.*

29 *Præbendam Sancti alicuius nomine appellandam.*

30 *Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum Decreta prouincialia Episcopo curante seruent: Voluminaque conciliorum prouincialium custodiant.*

31 *Contrafacientia ab Episcopis plectenda.*

32 *Episcoporum eorumdem in hoc negligentiæ ratio reddenda.*

Capitulum ius habens conferendi præbendam Theologalem, cui, & qualiter illam conferat. De Edicto proponendo pro examine eorum quibus par confer. num. 5.

Beneficii titulus exhibendus à Canonicis Cathedral. & Collegiata Ecclesia. Quæ ad benef. coll. pert. num. 31.

33 *Capitulum sede vacante Vicarium deputat, ac Oeconomum, & quales.*

Oeconomus alter ab Episcopo constituendus, Quæ pert. ad bonorum, &c. num. 22.

34 *Eundem Vicarium electum quando mutare liceat.*

35 *Electus qui censendus.*

36 *Oeconomus, & officiales alii electi non mutandi.*

37 *Vicarii substituti à quo deputandi.*

38 *Vicarius, & officiales, amouendi, rationem reddant suæ administrationis.*

Capituli officium Episcopo non residente. De Residentia, num. 5.

Eo laborante quale. De diuin. off. 46.

Quale item eo mortuo. De fun. Episc. 1.

Pro summo Pontifice laborante, quale item officium. De diu. offic. 48.

Quale eodem defuncto. Ibidem. 49.

Quale pro Canonicis mortuis. De funeribus. 52.

Capituli eiusdem sumptibus funus faciendum. Ibidem.

Capituli officium in assignando singulis dignitatibus, & Canonicatibus proprio munere. De Minister. Ecclesf. 6.

In eligendo Episcopo assistentem. De Missa & Vesp. Pontif. 5.

In conficiendo bonorum Ecclesiæ suæ Inuentario. Quæ pert. ad bonorum, &c. 1.

In præficiendo Bibliothecæ Canonicum. De Bibliotheca. 7.

In recognoscendis bonorum locationibus, Quæ pert. ad bon. &c. 10.

IN singulas hebdomadas Canonici cuiusuis Ecclesiæ Capitulum habeant: in quo, cùm quæratur, an superioris Concilij decreta de diuinorum officiorum ratione seruentur: an si qui item errores in sacrarum Cæremoniarum ritu commissi sint, tùm legatur pars 1. tit. 1. dec. 13.

aliqua earum rerum, quæ de vita, & honestate clericorum nostris constitutionibus præscriptæ sunt, vel illarum, quæ Catechismo Romano, aut aliis item libris expressæ ad Christianæ pietatis doctrinam, vitæque Ecclesiasticæ disciplinam, & rationem, pertinent: tùm etiam in aliis spiritualis vitæ exercitationibus ipsi versentur: idque omne, prout Episcopo, Capitulive præfecto visum erit. Quo in Capitulo, nè quidquam aliud, quod ad rerum temporalium curam, ac procurationem pertinet, priùs agatur, geraturve, quàm ea tractationis ratio habeatur, quæ tota in rebus spiritualibus posita sit.

3. de iis, quę ad ca. pert. 2 In omni Clericali conuentu, quem vel publicè, vel priuatim Episcopus, aut alij quiuis Ecclesiastici homines habuerint, à stata illa oratione quæ de spiritu sancto dicitur, aut ab alia ad congregationis vsum accommodata, ille, aut is, qui conuentui præest, initium faciat: neque conuentus dimittatur, nisi perorata ab eodem altera eiusdem generis oratione.

3 Quo facilius Episcopus in Ecclesia sibi commissa, & diuinum cultum augere, & Canonicorum concordiam, mutuamque charitatem conseruare, & Canonicalem disciplinam tueri possit; singulis mensibus, aut saltem sæpè in anno, Canonicali Capitulo interesse studeat, vel eo loco, vbi haberi solet, vel alio, quo illud is ad se conuocare maluerit: conuocet autem cuiusuis rei causa, ob quam expedire iudicarit. Quo in Capitulo aliquando videat, an quæ de diuinorum officiorum cultu præscripta sunt, rectè, ritè, ordine, atque cum dignitate gerantur.

An item, si quæ in Capitularium rerum, tum spiritualium, tùm temporalium tractatione irrepserint, quibus pastorali sua cura consulendum sit.

An inter Canonicos controuersiæ sint, an dissidia.

An præscriptæ Capitulo leges inuiolatè seruentur.

Tum denique moneat, agatvè, quæ, & pro muneris sui officio, & pro rerum agendarum ratione expedire censuerit.

Sess. 25. ca. 6. de ref. 4 Quòd si Capitulum exemptum sit, possit Episcopus ex Decreto Concilij Tridentini, illud conuocare arbitrio suo, eo solo casu, quando ipse vult aliquid Canonicis proponere in re, quæ ad suum, suorumve commodum non spectat, & tunc in loco illo dumtaxat, in quo anteà solitum fuit Capitulum conuenire.

5 Canonici ad Capitulum statim diebus accedant, & aliis item diebus extrà ordinem eo vocati conueniant omnes; neque cuiquam, illo per præfectum non dimisso, ante discedere liceat, nisi ex causa Præfecto probata, missionéque ab eodem impetrata. Qui contrafecerit arbitrio Præfecti mulctetur.

6 Si quis Canonicus in Capitulo non suo loco, & ordine sedere, sententiamve dicere, aut dicentem alium interpellare ausus fuerit: hæc ei mulcta sit, quam Præfectus ei irrogarit: & prætereà ne ius eidem sit in illo, neque in duobus deinceps sequentibus Capitulis sententiæ dicendæ.

7 Neque verò cuiquam locus sit, iocosè, & scurriliter in Capitulo loquendi.

8 Si rixæ, & contumeliæ inter aliquos Canonicos, vel Ecclesiæ ministros, altercationesvè obortæ sint; eos præfectus, adhibitis, si opus fuerit, aliis duobus, tribusve de Capitulo, statim reconciliare studeat.

9 Quos tamen, & alios item omnes, qui aliquem eiusmodi Ecclesiæ Canonicum, aliumve ministrum, quouis modo contumeliosis verbis in Capitulo, aut in Ecclesia affecerint; idem, & Punctator Episcopalis, aut eorum alter, ad Episcopum referat, qui pro culpæ ratione illos, qui deliquerint, plectat arbitratu suo. Sin autem Præfectus, punctatorvè huic referendi officio defuerit: eiusdem etiam arbitrio puniatur.

10 Canonicis, quibus in Ecclesiis alia non est, eaque probata consuetudo, hæc sit sedendi, publicéque, & collegialiter incedendi præscripta ratio. Primum locum post eos, qui in illis aliqua præditi dignitate sunt, teneant Canonici, qui Presbyterales; secundum, qui Diaconales; tertium, qui Subdiaconales præbendas, Canonicatusuè obtinent.

Qui ordo seruetur, etiam si presbyter Canonicus aliquis præbendam, Canonicatumuè presbyteralem post obtinuit, quam Diaconus quispiam, aut Subdiaconus Canonicus. Itidem iuris sit Diacono, ratione Subdiaconi. In Canonicis autem, presbyterales præbendas obtinentibus, is loco prior sit, qui tempore etiam prior, Canonicatus, præbendæuè possessionem adeptus est. Hæcque ordinis ratio à Diaconis teneatur: eademque prætereà à Subdiaconis.

11 Cùm de rebus patrimonij Capitularis de locationibus, de contractibus, de officiis auferendis, ac de aliis item præfecti iudicio grauioribus, in Capitulo deliberandum est, earum rerum deliberatio, ac tractatio tùm suffragiis occultis permittatur, tùm illæ res, quò maturius consultentur, in vno Capitulo propositæ, in alio deliberentur. 4. quę pert. ad ca. Cath. & Colleg. Eccles.

Si verò res eiusmodi est, quæ diutius differri non patiatur: triduo saltem ante Capitulum indicatur: singulisque Canonicis res, & causa significetur, de qua, in eo Capitulo consultatio, ac deliberatio futura est. Quod si prætereà res sit eiusmodi, quæ instet, atque vrgeat, neque longius vllo modo protrahi debeat, ita, vt nè triduo quidem consultatio expectanda sit, tunc Capituli Præfecto liberum, & integrum sit, breuioris temporis spatio, Capitulum conuocare, modò, vt suprà, vnicuique de Capitulo, qui non absit, nunciari rem iubeat, de qua deliberandum, & consultandum sit.

12 Vbi ex instituto Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ est; qui Cancellarij Capitularis officium, munusque gerat, is officio suo, cùm in cæteris verè satisfaciat, tùm in eo etiam, vt eiusmodi Capituli acta, & quas vocant, Capitulares ordinationes actionesuè in librum certum, notatis singulis diebus, sine mora referat.

13 Quilibet in archiuo Capitulari diligenter asseruetur.

14 Vbi verò non est, à Capitulo deligatur vnus de Capitulo, qui certa, si opus est, ex Capituli vniuersi Censu constituta mercede, id Cancellarij munus per biennium gerat: quo tempore confecto, alter in eius locum eligatur, & itidem deinceps.

15 Notarij autem officio, atque opera Capitulum in iis potius actionibus vtatur, quæ ad caussas, lites, instrumentaue publica conficienda, aut ad alia eiusdem generis pertinent.

16 Qui notarius, eiusmodi Instrumentorum exemplum, publica auctoritate roboratum, curante in primis Canonico Cancellario, in archiuum, ante annum confectum, referat.

17 Quo iureiurando Canonici, etiam ex statutis, & constitutionibus Ecclesiæ probatis inter se obstricti, alienaue ratione spondent, se nihil quicquam, quod in Capitulari, Canonicaliue conuentu agitur, patefacturos, aut diuulgaturos esse, decernimus, atque declaramus, eo non obstrictum, aut impeditum quemquam esse, quo minùs ad Episcopum deferat, si quæ, vel Capituli, vel Canonicorum, aliorumue, qui de Capitulo sunt, errata sint: quæue emendationem, correctionemue desiderent: atque adeò quæcumque eo de genere sibi patefieri, denuntiariue ille iusserit: tùm etiam, si quæ alia ab eodem sciri, cognosciuè expedierit, tum ea maximè, quæ superioribus Conciliis ad Episcopum deferenda esse, decretum est.

4. vt sup. 18 Ne cui officium, quod sibi Capitulum commiserit, recusare liceat, nisi legitima de causa quæ latis occultè suffragiis Capit. probetur.

19 Qui aliter recusarit, quantum pecuniæ caperet per sex menses Ecclesiæ assiduè inseruiendo, tantumdem amittat,

20 Qui verò sibi iniuriam à Capitulo fieri putat ad Episcopum confugiat, qui rem omnem cognoscat, & definiat. Vbi autem hoc in genere Episcopus plus iuris habet, nè propterea hoc Decreto quicquam ei detractum sit.

21 Quæcumque aut Thesaurarij, aut custodis, & aliorum id generis officia muneraue à Capitulis vel Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ, aut ab aliis, siue Canonicis, siue inferioribus eiusdem Ecclesiæ ministris committuntur, nè plus biennio ab illis, quibus illorum cura, procuratioue commissa est, geratur: nisi de Episcopi consensu, Capitulum, quandoque aliter iudicarit. Hoc autem Decreto nè quicquàm propterea illius Ecclesiæ priuilegio, aut probatæ, institutæque consuetudini derogatum si; quà à Capit. ea munera longiori tempore alteri committere liceat.

4. vt sup. 22 Ne liceat Canonicis, aliisuè de Capitulo bona redditus, & prouentus, aut exactiones, emolumentauè, etiam incerta, ad Capitulum quouismodo spectantia, per se, vel per interpositam personam, nè ad modicum quidem tempus, conducere: alioqui contractus omnes irriti sint, ac nulli: & tam locatores, quàm conductores Canonici, Episcopi arbitratu puniantur.

23 Idem sancimus de eorum propinquis, & consanguineis secundo, vel arctiori gradu iunctis, nisi, quod ad has attinet, cognita Ecclesiæ vtilitate, Episcopus id scripto concesserit.

24 Exactionem tamen decimarum Capituli, etiam ab iis de Capitulo suum ad vsum conduci liceat, facultate ab Episcopo data, cùm grauis causa vrgebit.

25 Ac ædes etiam capitulares habitandi causa.

26 De fructibus Canonicatuum, & præbendarum vacantium, à Canonicis, aut à Capitulo recipiendis, Constitutio à Pio V. Pont. Max edita, ab iis quorum interest, seruetur omninò.

27 Vtque in vsum, consuetudinemque introducatur, ac planè seruetur, id Episcopus pœnis, mulctisque agat. Neque quo minus id præstetur, nullum obstet priuilegium, vllum statutum, neque vlla planè consuetudo, vt ea ipsa constitutione cautum est. 3. Ibid.

28 Vt litibus, & controuersiis, quæ vbique in hac prouincia permultæ, & variæ de fructibus beneficiorum inter hæredes Sacerdotis, Clericiuè mortui, & illos existere solent, qui in ea beneficia succedunt, planè occurratur; cùm in ea, illa Iulij III. Pont. Max. Constitutio, eo ipso de genere edita, in vsum, moremque inducta numquàm sit, ius commune in toto hoc genere omninò seruari decernimus, sublata quacumque etiam consuetudine, stiloue etiam quauis Episcopali, Archiepiscopaliuè auctoritate confirmato. 5. De Eccl. earum supell. & fruct.

29 Cùm præbendæ Canonicales distinctæ non sint, nisi obtinentium nomine, iisque vbi optionum vsus est, modo has, modo illas optent; sæpè fit, vt earum bona, prædiaque confundantur: ac iura propterea aliquando intereant. Quamobrem Episcopus curet; vt quod in nonnullis etiam huius Prouinciæ Cathedralibus Ecclesiis consuetudinis est, non possidentis, sed sancti alicuius nomine, quod earum vnicuique de Consilio Capituli Ecclesiæ, de cuius præbendis agitur, semel imposuerit, singulæ distinctè appellentur. 4. vt sup.

Hac autem in re hoc caueatur, vt nè, qui eas obtinuerint, titulo sancti, quo illæ nominantur, ipsi appellentur: quippè cùm ea titulorum ratio, ex instituto, vsuque amplissimis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus presbyteris solùm conueniat.

30 Quorum Capitulorum Episcopi Conciliis Prouincialibus Mediolanensibus interesse, & Constitutiones, Decretaque illis Conciliis edita, seruare solent, aut debent: ea Capitula, siue Cathedralium, siue Collegiatarum Ecclesiarum in Prouincia nostra sint, etiam si quæ ab Episcopi, Metropolitanique iure, se quocumque modo exempta, sedique Apostolicæ immediatè subiecta esse prætendunt: cùm illa, sicut eorundem Episcopi, vt à sancta Sede Apostolica declaratum est; Conciliorum Prouincialium Constitutionibus, & sanctionibus, & decretis astricta sint, illas planè vniuersas, ac singulas amplectantur, suscipiant, seruent, atque obediendo exequantur: tùm vniuersè eadem Capitula, tùm sigillatim singuli, quicumque de Capitulo sunt. Idque vt præstetur, efficiat Episcopus omni ratione, omnique iuris remedio. 4. vt supra.

31 Quod si quæ Capitula, aut si qui de Capitulo contrà fecerint, ab eorum Episcopis, pro modo culpæ, contumaciæuè plectantur.

32 Si quis verò Episcopus id efficere neglexerit, vt ab suis Capitulis, atque ab iis, qui de Capitulo sunt, singulis, Prouincialium Conciliorum Constitutiones, decretaue in executionis vsum verè, & integrè inducantur: norit se in proximo Concilio Prouinciali negligentiæ huius rationem redditurum esse.

33 Capitulum. Sede Episcopali vacante, Vicarium constituat, confirmetuè, qui omninò iu- 6. Quæ ad Cap. pert.

Seß. 24.ca. 16. ris Canonici Doctor sit: quod si huiusmodi vir, in Collegio Capituloue non extat, alium de Capitulo, qui quam maximè potest, idoneus sit, deligere poterit.

Seß. & c. eod. 34 Eidem Vicarium, semel electum, mutare ob causam licebit, modo alium octo dierum spatio constituat: alioquin illius eligendi facultas ad Metropolitanum, aut ad eius antiquiorem Suffraganeum, Sede Metropolitana vacante, pertinebit.

35 Electione verò in controuersiam, aut in dubium adducta, is electus censeatur, qui à Capituli maioris parte delectus fuerit.

36 Ne verò Oeconomus, cæteriuè officiales semel electi à Capitulo mutentur; nisi ea electio etiam viuente Episcopo ad Capitulum pertineat.

37 Vicario autem, aliisuè officialibus absentibus, substitutorum electio ad Vicarium, non ad Capitulum spectet.

Seß. 24.ca. 16. de ref. 38 Cùm Vicarius, aliusuè ex officialibus à suo munere amouendus erit, fas sit Capitulo Vicarium ipsum, officialesuè ad reddendam rationem administrati muneris compellere; eosque pro modo culpæ, etiam non expectato nouo Prælato, punire, qui nihilominus eandem administrationis rationem, quam Sede Vacante reddiderint, exigere possit, atque in eos, quamuis per Capitulum absoluti essent, animaduertere, vt iuris erit.

Quæ hic desiderantur, videantur in Tit. De Ministris Eccl. De diu. offic. Quæ pert. ad benef. collationem, &c. & de Vita, & hon. Clericorum.

De Archiuo Capitulari.

SVMMARIVM.

1 *Capitula Cathedralium Ecclesiarum Archiuum habeant, quod eis & Episcopo commune sit.*
Collegiatarum etiam Ecclesiarum Capitula, alterum Archiuum habeant. Ibidem. & quæ pert. ad bon. &c. 2.
2 *Archiuum vnumquodque duobus clauibus occludendum.*
Quæ differentes inter se sint. 6.
3 *A quibus illæ seruandæ, & nu. 9. in fine.*
Eæ successoribus tradendæ. 8.
4 *Eidem Archiuo Canonici duo præficiendi: iique qualiter constituendi. 6.*
Quando vnus tantum, vel plures deputandi. 9.
7 *Archiui Præfecti, scripta omnia asseruent: & quo testimonio.*
Scripta omnia Archiui successoribus consignanda, & qualiter, num. 8.
10 *Quæ instrumenta, & scripta in illud deferenda: & à quibus infrà quod tempus; & quorum sumptibus, & Quæ ad capitula pert. 16.*
Inuentaria bonorum mobilium, & immobilium, iurium, redditusum, ecclesiarum omnium in illud deferenda. Quæ pert. ad bonor. &c. numero 2.
11 *Liber instrumentorum, & scriptorum in eo existentium.*
12 *Scriptum aliquod vt describendum.*
Liber actorum Capitularium in eo asseruandus.
De iis, quæ ad Capitula, &c. pert. 12.

Qvibus in Ecclesiis, vel Cathedralibus, vel Collegiatis Archiuum eiusmodi, non sit, ab Episcopo instituatur. 1. quæ pert. ad bonorum &c. §. At verò.

2 Archiua singula duobus clauibus occludantur.

3 In Ecclesiis Cathedralibus, earum vnam Episcopus, alteram Capitulum custodiat. In Collegiatis, alteram Præfectus, alteram Capitulum seruet.

4. 5 Canonici duo à Capitulo constituantur, qui Capitularis Archiui curæ præsint: hique singuli claues singulas habeant, inter se differentes, ità vt vni sine altero Archiuum ingredi non liceat, 3. De iis quæ ad ca. pert.

6 In illis autem constituendis ea ratio ineatur, vt in illa cura gerenda duo semper versentur: quorum vnus, qui biennio gesserit, creato in eius locum altero, ab illius curæ munere abeat: alter autem, qui vno solum anno: sicque perpetuò deinceps seruetur.

7 Archiui Præfecti scripta omnia in Archiuo recondita, periculo suo asseruanda, accipiant, idque publici instrumenti testimonio; si quid verò fortuiti casus acciderit, id obseruetur quod iure cautum est.

8 Quam quisque eorum clauem Archiui habet, eam, & scripta fidei suæ commissa, munere suæ curæ biennalis confecto, successori eadem ratione tradat; idque Canonico aliquo præsenti à Capitulo delecto.

9 Nihil tamen derogatum sit hoc decreto consuetudini illi, si vsquàm est, vt vnus tantum, vel plures Canonici Capitularis Archiui curam gerant; neque item decreto primi Prouincialis nostri Concilij vt in Archiuis, quæ communia sunt Episcopo, & Capitulo, altera clauis penes Episcopum custodiatur.

10 Instrumenta, & reliqua scripta, ad singulas Cathedralis, aut Collegiatæ Ecclesiæ præbendas pertinentia, quæ apud vnumquemque, qui vel dignitatem, vel Canonicatum in ea obtinet, aut in posterùm obtinebit, extabunt: is ea, aut illorum exempla, Notarij testimonio roborata, in Capituli Archiuum, mensis spatio deferat. Sin autem aliqua, quo tempore is dignitatem, aut Canonicatum obtinet, confecta alij habeant, is, suis, eorumuè, qui ad id se obstrinxerunt, aut alias iure tenentur, sumptibus illa in Archiuum referat.

Quæcumque autem instrumenta, aut scripta, ad præbendam aliquam spectantia, in posterum conficientur; Canonicus, vel dignitatem, personatumuè obtinens, ad cuius præbendam illa quacumque ratione attineant, ea, illorumuè exempla, publico Notarij testimonio munita, mense postquam confecta erunt, in idem Archiuum deferat.

Quæ autem instrumenta scriptauè singulorum, qui præcesserunt, Canonicorum, dignitatemuè obtinentium, tempore conscripta, ad eorum præbendas spectantia, Episcopus, pro Ecclesiæ vtilitate, exscribenda censuerit, Capituli sumptibus descripta eodem deferantur.

Quod si Capitulum ad illos, qui iis successerunt, qui instrumenta illa, aut scripta confici curarunt, aliqua ratione id pertinere asserat, iudicet Episcopus, cuius sumptibus id præstari debeat. Qui huic decreto, à Capituli Præfecto admonitus,

admonitus, non paruerit, arbitrio Episcopi mulctetur, & mulctatus etiam compellatur id ipsum præstare.

11 In eo itidem Capituli Archiuo liber vnus sit, in quem instrumenta, & scripta cuiusuis generis, quibus singulorum Canonicatuum, præbendarumuè bona, iurauè notata sunt, referantur.

12 Scripti alicuius exemplar ex Archiuo promi, describiuè ne liceat, nisi Capituli consensu. Si verò alicuius scripti exemplum aliquando exscribi oportet, id in Archiuo, si potest, alias in loco Capituli, aliquo ex Præfectis Archiui præsente, describi liceat: neque vllo alio prætereà modo.

Cætera, quæ adhunc Tit. pertinere aliquo modo poterunt, videantur in Tit. superiori, & de Cancellario, &c.

De Bibliotheca Ecclesiastica.

SVMMARIVM.

1 *Bibliothecæ Ecclesiasticæ vtilitas.*
2 *Ea vbi, & quo modo constituenda.*
3 *Index alphabeticus librorum in ea existentium, cum illorum exarationis tempore 6.*
4 *Is Index vbi asseruandus.*
5 *Voluminum quæ habenda cura.*
7 *Eidem Bibliothecæ Canonicus præficiendus, & à quo, & ad quod tempus.*
8 *Illam Episcopus inuisat.*
9 *Illius augenda quæ cura.*

1. De Bibliotheca. SIcut in libris sacris, voluminibusq; Sanctorum, & aliis Ecclesiasticis cuiusuis generis Codicibus, copiosè, sumptuoséque comparandis, diligens fuit, accurataque maiorum industria: ita in iis ipsis asseruandis, illorum qui successerunt non negligens studium, nec verò cura minor esse debet: cùm ex iis manuscriptis, rectéque exaratis voluminibus, in tanta librorum corruptela, his præsertim temporibus, per hæreticos introducta, plurimum adiumenti rebus ecclesiasticis publicis afferatur, & ad Catholicæ doctrinæ veritatem tuendam, & ad coarguendam illorum vitiosè illa deprauantium, temeritatem.

2 Bibliothecæ igitur Ecclesiæ, vbi Ecclesiastica volumina, aliiuè Codices sunt, certus locus, vbi nullus constitutus est, in Episcopalibus, aut in Canonicalibus, aliisuè Ecclesiæ ædibus, curante Episcopo constituatur. Quo in loco Armaria aliquot exstruantur, eaque sitibus distincta, in quibus Codices, & volumina, quæcumque ibi extant, non aceruatim, sed ordine disponantur.

3 Index prætereà fiat, in quo, pro disciplinarum genere, aut pro alphabeti ratione, volumina singula notentur.

4 Isque index certo loco in perpetuum asseruetur, notatis etiam deinceps ordine aliis libris, quicumque in posterum eidem bibliothecæ, quouis modo accesserint.

5 Volumina, quæ pro vetustate, carie, situuè obsordescunt, librario opere poliantur.

Dissoluta, & malè compacta, conglutinentur.

Ab operculo nuda, asseribus, corioue, tegantur.

Vetustate, alioue modo consumpta, reconcinnentur, & ad perpetuitatem opere recenti, nouisque librariis integumentis instaurentur.

6 Si prætereà quo anno vnumquodque volumē, manu exaratum sit, animaduerti potest, id etiam breuiter eo indice notetur: tùm prætereà quo charactere scriptum, vt ex iis antiquitas colligi possit, quæ aliquando vsui, & vtilitati Ecclesiasticæ publicæ esset, ad emendatam voluminum impressionem.

7 Episcopus de consilio Capituli, Canonicum aliquem, vsu peritum, litterarum studiosum, & instruendæ, augendæque Bibliothecæ cupidum constituat: qui illius curæ diligenter præsit. Illius verò officium duret eiusdem Episcopi arbitratu. Si qua tamen in Ecclesia probatæ consuetudinis est, à Capit. Bibliothecarium deligi, ab eodem deligi non vetatur.

8. 9 Cura verò Episcopi omninò sit Bibliothecam aliquando inuisere: sique per eum, & per Canonicos ratio aliqua iniri potest, qua in Bibliotheca librorum Ecclesiasticorum copia augeatur: id sollicite curetur, vt eiusmodi librorum apparatu, publicæ Episcopali Canonic. Clericalique commoditati, atque vsui consultum sit.

De Canonicalibus, Parochialibus, & Clericalibus ædibus

SVMMARIVM.

Aedes Ecclesiasticæ à mulieribus non habitandæ. De vita & hon. cler. num. 101.
Quibus non locandæ: etiam si patrimoniales sint. Ibid. 102. & 103.
Quando, & vbi locari possint. Ibid. 103.
In eisdē locatis spectacula non agēda. Ibid. 104.
Neque in eis, earumque hortis obscœnæ imagines tolerandæ. Ibid. 105.
Prope easdem non habitent mulieres infames. De Religiosa in sac. loc. conu. num. 12.
1 *Aedes Canonicales à Canonicis habitandæ.*
2 *Ab eisdem etiam reparandæ.*
3 *Quæ à Canonicis non habitantur, aliis tantum Canonicis locari liceat.*
4 *Ex licentia tamen Episcopi,*
5 *Earumdem Canonicalium ædium atrium claue vna claudendum: & à quo illa seruanda.*
6 *Eius ianua quotâ hora claudenda, aperiendauè.*
7 *Extrà Canonicales ædes pernoctans, vt mulctandus.*
Aedes Parochiales à Parochis, curatisuè inhabitandæ.
Vbi desint, ædificandæ, & quorum sumptu.
Interim conducendæ, & quorum impensa.
8 *Aedes Clericales, qua hora Clerici nocte non exeant.*

CAnonici Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum habitent in Canonicalibus ædibus, in quibus commodè Episcopi iudicio commorari possunt: qui inspectis ædibus, si quid reparandum, instituendumve sit ad habitationis commoditatem, pro modo fructuum præbendæ: ab eo, qui Canonicatum obtinet, reparari, ac restitui iubeat. 1. De cler. ædib.

3 Quo facto, curet, vt in illis ædibus habitent.

Ex quarto etiam quæ pert. ad ca. 5. Idem in fi. Ibid.

4 Quibus si abesse, etiam iusta de causa contigerit, nemini præterea, nisi Canonicus sit, in eis habitandi facultas concedatur, sine iussu Episcopi.

Ædes.

5 Quarum ædium atrium, vbi claudi potest, vna claue concludatur: quę à Decano, vel alio, Episcopi, & Capituli arbitratu, asseruetur.

6 Quota autem hora atrij ianua, aperiri, claudiuè debeat: quidque ad honeste ibi viuendum, pro loci ratione, requiratur, iudicium sit Episcopi.

1. De Cleric. ædib.

7 Clerici, nè de nocte post primam horam, nisi ex iusta causa, & cum lumine, domo exeant.

3. De iis, quæ partim ad ord. fac.

8 Qui in ædibus Canonicalibus habitat, si foris pernoctauerit, non probata causa ab Episcopo, aut ab eo, cui is id curæ dederit, vnius diei distributione mulctetur, præter pœnam, qua pro culpæ ratione ab ipso Episcopo afficietur, cui decreto nè in iis locus sit, qui ab vrbe, oppidouè, vbi Canonicale domicilium est, absunt.

De Ecclesiis, Sacrisuè aliis locis, & eorum cultu.

De Ecclesiarum fabrica, tàm ex decretis Prouincialibus, quàm Instructionibus fabricæ: & aliis quæ fabricam ipsam consequuntur.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiæ, Capellæ, Altaria ædificanda ad præscriptum Instr. fab.*
2 *Ecclesia noua qua facultate, & ratione ædificanda.*
3 *Situs eiusdem: & à quo deligendus.*
4 *Aedes Episcopales, Canonicales, & Parochiales eidem vicinæ sint.*
5 *Custodum verò, & Sacristæ, vbi, & qua ratione exstruendæ.*
6 *Area Ecclesiæ vbi, & quo modo fabricanda.*
7 *Amplitudo eiusdem quanta.*
8 *Ecclesiæ forma.*
9 *Crucis instar forma existat.*
10 *Parietes exteriores quales.*
11 *Frontispicium cuius ornatus.*
12 *Atrium.* } *quæ in Ecclesia, quæ eius parte, & cuius formæ construenda.*
13 *Porticusuè, aut*
14 *Vestibulum.*
15 *Tectum, &*
16 *Pauimentum quale.*
17 *Ostiorum quæ forma.*
18 *Valuæ eorumdem quales.*
19 *Eadem ostia, quo Ecclesiæ loco non exstruenda.*
20 *Fenestræ cuiusmodi.*
21 *Vtque muniendæ.*
22 *Quæ non tolerandæ.*
23 *Scala, & gradus, quando ad Ecclesiæ ingressum ædificandi, & quot, ac quales.*
24 *Capella maior vbi, & quomodo fabricanda.*
Sub ipsius Capellæ arcu Crucifixus collocandus, numero 29.
25 *In eadem Capella Sacrarium exstruendum, & qua ratione.*
26 *Altaris maioris situs.*
27 *Forma.*
28 *Graduum eiusdem numerus, & forma.*
30 *Chorus vbi, & qualiter ædificandus.*
Tabernaculi sanctissimæ Eucharistiæ in Altari maiori collocatio, eiusque forma. De custodia sanctæ Euch. num. 4.
31 *Capellarum, & Altarium ædificandorum locus nemini dandus absque licentia.*
32 *Capellæ minores, vel hemicycli cum Altaribus in Ecclesia Crucis instar extructa à capite brachiorum qualiter ædificandæ.*
33 *Quo spacio.*
34 *Capellæ, hemicycline, cum Altaribus à lateribus Capellæ maioris, quando ædificari possint.*
35 *Situs earum. 36.*
36 *Spacium 39. 41.*
37 *Capellæ, hemicyclinè quando ibi exstrui non possint.*
38 *Capellæ, cum Altaribus, à lateribus Ecclesiæ, vt ædificandæ.*
Et cuius structuræ. 50.
39 *Earum inter se quæ conuenientia.*
Quod item spatium. 41.
Pauimentum, quale. 48.
Gradus quales, & quot. 49.
Altarium earumdem situs. 51.
Forma item: cum bradella. 52.
40 *Capellæ cum Altaribus vbi ædificari non possint, ædificatæuè destruantur.*
42 *Capellæ, vbi angustia loci, prædicto modo fieri non possint, vt fabricentur.*
43 *Altaria sola cum hemicyclis, quando ædificãda.*
44 *Quando item sine hemicyclis, columnis tantum erectis, construenda.*
45 *Quando illa, præscripta latitudine minora, permitti poterunt.*
46 *Eo in casu, vbi cancelli collocandi.*
47 *Capellæ, quando, & quo modo intrà Ecclesiam ædificandæ.*
53 *Capellæ, & Altaria* } *maiora, & minora in quibus inter se conueniant.*
54 *Altarium structura qualis.*
Altaria iam ædificata breuiora, & angustiora, vt reconcinnanda, 70.
55 *Tegumentum quale.*
56 *Fenestella vrceolorum qualis.*
57 *Clauus ferreus appendendi bireti.*
58 *Tintinabulum.*
59 *Cancelli clathrati quales, & vbi figendi.*
60 *Coronix lignea, & cuius forma.*
61 *Telare, quale.*
62 *Gradus ligneus à posteriori parte Altaris, & qualis.*
63 *Mensa Altaris maioris, & minoris consecrandi.*
64 *Mensa Altaris consecrati, vt tegenda.*
65 *Mensa Altaris non sacrati, vt cooperienda.*
66 *Vtque in ea lapis sacer collocandus.*
67 *Fenestella reliquiarum.*
68 *Lapis sacer, Altareuè portatile, cum capsa, qualis.*
69 *Lapis ipse alio transferendus, vt amoueatur.*
Cautiones quædam de omni Ecclesiastica ædificatione. De Monasterio Monialium.
71 *Altare vnumquodque, indumenta, & ornamenta propria habeat; & quæ: cuiusque formæ. 72.*
Quibus instructum sit, foribus patentibus, De ornatu sacrorum locorum, num. 3.
73 *Supellex omnis ad Altaris cultum, & Missæ vsum à quo paranda.*

74 *Quando eidem vsui capellaniæ, & altaris redditus applicandi.*
75 *Quando subtrahendum seruitium.*
76 *Altarium omnium vrbis & diœcesis, tituli, emolumenta, iura, & onera, in librum describenda.*
77 *Translata item altaria omnia, ac transferenda cum titulis, viribus, & oneribus notanda. num. 40.*
78 *Ac quicquid deinceps accesserit,*
79 *Onerum etiam commutationes diminutionesuè describendæ.*
80 *Dies quoque notandi, quibus legentium commemoratio facienda est.*
81 *Onera Altarium omnium in Tabella referenda.*
82 *Altaria deinceps exstruenda, cum titulis, emolumentis & oneribus annotanda.*
Ne tamen propè sepulchra exstruantur.
De sepulchris, num. 8.
Altaria, vt munda semper sint, Rectoris cura.
De ornatu sacrorum locorum. 7.

3. De iis, quæ pert. ad orna. & cult. Eccl.

QVæcumque ad Ecclesiarum, Capellarum, Altarium ædificationem, & ornatum ad sacrorum indumentorum, vestiumuè apparatum, ad omnem sacrorum vasorum supellectilem, & ad alia eius generis pertinent; ea ædificentur, construantur, & fiant ad præscriptam formam, quæ instructionibus nostris, eo nomine ad communem Prouinciæ vsum conficiendis, exprimetur. Id verò omne seruetur, quantum per facultates præstari licet; nisi aliquando Episcopus aliqua de causa aliter censuerit.

4. De Eccl. fabr.

1 Noua Ecclesia ne ædificetur inconsulto Episcopo, & scripta facultate ab eo non impetrata: qui præter alia, quæ in nouis eiusmodi ædificationibus requiruntur, videat in primis diligenter, an situs decens, honestusque sit; an capax populi; an item disiunctus ab ædibus, vt possit circundari: curétque omninò ita illam ædificari, nè ab antiquo more, probataque traditione discedatur; vt Sacerdos in Altari maiori Missam celebrans, orientem spectet.

Instr. fabr. lib. ca. 1. De situ Eccles.

3 Ecclesia cùm ædificanda est, primum Episcopi iudicio, & de Architecti, quem is adhibuerit, probarituè, consilio locus huic ædificationi accommodatior eligi debet.

Qua in re valdè spectetur, vt vbicumque illa exstruatur, loco editiori aliquanto fiat.

Si verò, vbi exstruenda est, loci positura plana omninò tota sit, deligatur saltem in ea situs, qui ità extet, vt exstructa Ecclesia, tribus, aut ad summum quinque gradibus ad eam ascendatur.

Sin autem ne hoc quidem loci natura patiatur, cum partem nullam sic extantem, paulóque eminentiorem habeat, id subsidij comparetur structura basium Ecclesiæ: quæ in altum ductæ, naturalem illam loci planitiem, ità superent, vt ad Ecclesiæ pauimentum illis tribus quinque gradibus ascendatur.

In situ prætereà deligendo, ea etiam cautio adhibenda est; vt, &, quò maiori in veneratione Ecclesia habeatur, & quò ad eius fieri potest, ab omni strepitu, vnde diuinorum officiorum interturbatio existit, longius absit, illius positura loco sit, qui ab omni luto, cœno, spurcitia, ab omnique sordium genere, à stabulis, caulis, cauponis, officinis ferrariis, emporiis, atque ab omni foro venalitio procul distet: ac nè è regione quidem istiusmodi locorum propè sit.

Cautio item sit, vt situs eiusmodi quæratur, vbi Ecclesia exædificari queat, insulæ instar, nempè ab aliarum ædium partibus interuallo aliquot passuum, vt infrà loco de Platea demonstratur, disiuncta, ac separata, quemadmodum antiqui instituti est, ratioque certè postulat. Id verò, cùm vbique tùm in pagis locisuè, vbi ædificia crebra non sunt, commodius agi poterit.

4 At illud tamen ab Ecclesiasticæ ædificationis ratione alienum non est, vt ab aliquo latere domicilia ministrorum Ecclesiæ præsertim verò Episcopalia, Canonicalia, & Parochialia sint, non illa quidem habitationis ædificio, parietibus Ecclesiæ inhærentia: sed muris, per illud areæ, distantiæuè spatium ductis, coniuncta, sacrarumque ædium situi vicina, vt Concilij Carthaginensis Canone cautum est. Ibid. De vicinitate & coniunct. ædium Eccles. cum situ Eccles.

5 Ministrorum autem, qui custodes, sacristæuè dicuntur, habitatio, vt res ecclesiasticæ eorum fidei commissæ, ab omni sacrilegij, furti, incendiiuè periculo tutiores sint Ecclesiæ, aut Sacristiæ, adiuncta, locouè eiusdem Sacristiæ superiori, vt in nonnullis Ecclesiis est, exstrui potest. Qua in exstructione hæc videnda sunt. Primò, vt huius habitationis structura, nè Ecclesiæ prospectus impediatur, aut offendatur: neuè Ecclesiæ fenestris, luminibusuè obstruatur, aut impedimentum afferatur.

Deinde vt nè eiusdem habitationis prospectus vllus, aut fenestra fiat, vnde in Ecclesiam introspectetur.

Præterea ianua nè sit, qua iter aditusuè per Ecclesiam patefiat, ad quotidianum, priuatumque rerum domesticarum importandarum, exportandarumuè vsum: sed qua tantum ad diuina officia, & munera sua obeunda ab illis, in Ecclesiam conueniatur.

6 Ponenda præterea cura est, vt ne loco humido, vliginosouè Area Ecclesiæ deligatur: nec verò propè colles, aut decliuia loca, quo aut torrens, aut alia aquæ vis fortè defluens, detrimentum ædificio afferre possit. Ibidem de Area Eccl.

Si quando tamen in cliuo ædificari necesse est: ibi hominum opera planities fiat, quæ respondeat magnitudini futuræ Ecclesiæ, à cuius tergo, latereuè spatium itidem planum cubitorum duodecim, & amplius, pro ædificij ratione intersit ad excisam, præruptamuè rupem: hæcque etiam firmo pariete muniatur, effossis præterea hinc inde canalibus, per quos aqua interdum confluens, aliò deriuetur.

7 Situs præterea Ecclesiæ amplitudo ità patens esse debet, vt non solum multitudinem populi, locum incolentis, vbi Ecclesię, vel Parochialis, vel Collegiatę, vel Cathedralis ędificatio futura est: sed frequentiam etiam homi- Ibid. De Amplitud. situs Eccl.

num, interdum ad solemnitates confluentium, capere queat. Qua in re ratio illa negligenda non est, vt vnicuique homini tantum spatij esse possit, quanta est ab omni parte mensura vnius cubiti, & vnciarum octo: idque præter spatium, quod columnæ pilæuè, ac parietes capiunt.

Ibid. de Eccles. for. cap. 2.

8 Atque hæc quidem breuiter de Ecclesiæ situ; sequitur illius exædificandæ forma: quæ, cùm multiplex esse possit, ad eam sanè deligendam, pro situs ratione, proque ædificationis amplitudine, Architecti periti consilium Episcopus adhibere debebit.

At verò illa huius ædificij ratio, iam inde ab Apostolicis ferè vsque temporibus ducta, potior est, quæ Crucis formam exhibet, vt planè ex Sacris Basilicis Romanis maioribus, ad eum modum exstructis, perspicitur. Illa porrò ædificij rotundi species, olim idolorum templis in vsu fuit; sed minus vsitata in populo Christiano.

Ecclesia igitur omnis, ac illa præsertim, quæ insignem structuræ speciem requirit, ita exædificanda potius erit, vt Crucis instar sit: quæ cùm multiplex, tùm oblonga esse potest: hæc in frequentiori vsu, reliquæ minus vsitatæ sunt.

Ea igitur, quæ Crucis oblongæ similitudinem præ se fert, ædificatio, vbi potest, in omni Ecclesia, vel Cathedrali, vel Collegiata, vel Parochiali, quæ exstruenda est, seruetur. Vbi verò situs, de consilio Architecti aliam potius, quàm longam ædificij formam postulat, ad illius præscriptum modum, Episcopi iudicio comprobatum, eiusmodi structura Ecclesiæ fieri poterit.

Ibid. de modo Eccles. ædif. instar crucis.

9 Hæcque ipsa Ecclesia, siue vnam tantum, siue tres, siue quinque vt dicunt, naues habitura est, Crucis instar, cum alia multiplici ratione, & modo, tùm hoc vno constare potest, exstructis scilicet extrà Capellæ maioris ingressum duabus ab vtroque latere Capellis; quæ ad brachiorum, similitudinem productæ, à toto Ecclesiæ ædificio, pro amplitudine extent; ac foris aliquantulum, pro Architecturæ ratione, promineant.

Inst. fab. de parietib. exter. & frontispicio cap. 3.

10 Reliqua autem, quæ ad structuræ genus, ad parietes benè materiatos, eorumque firmitudinem, incrustationem, tectoriumuè opus, aliaque id generis attinent, pro Ecclesiæ exædificandæ modo, proque regionis, lociuè conditione, iudicio Episcopi, ac de Architecti consilio diligentius statuentur. Illa tamen ratio, in parietibus extrinsecùs habeatur, vt qui à latere, & à tergo sunt, in iis nulla imago exprimatur: qui à fronte, eo decentiorem, augustioremque aspectum præ se ferent, quo sacris imaginibus, picturisuè, sacram historiam exprimentibus, ornatiores erunt. In frontispicij igitur pio ornatu pro structuræ Ecclesiasticæ ratione, proque ædificij magnitudine Architectus videat, vt cùm nihil profani appareat; tùm rursus splendidè pro facultatibus exprimatur, quod loci sanctitati conueniat.

11 Illud verò, præter cætera adhibeatur, vt in vniuscuiusque Ecclesiæ, præsertim Parochialis, frontispicio à superiori scilicet parte ostij maioris, extrinsecus pingatur, aut sculpatur decorè, religioséque imago beatissimæ Mariæ Virginis, Iesum Filium in complexu habentis: à cuius latere dextero exprimatur effigies sancti sanctæuè, cuius nomine illa Ecclesia nuncupatur; à sinistro alia item Sancti, vel Sanctæ, cui præ cæteris Parochiæ illius populus venerationem tribuit: aut saltem, si totum id triplicis imaginis opus fieri non potest, sancti, sanctæuè solius tantùm figura fiat, cuius nomine ipsa Ecclesia appellatur. Quod si vel Annunciationis, vel Assumptionis, vel Natiuitatis Sanctæ Mariæ titulum, diemuè festum ea Ecclesia habet; beatissimæ Virginis effigies exprimatur, quæ mysterij rationi conueniat. Vt verò à pluuia, & temporis iniuria perpetuò defendatur: id structuræ opere, solerter prospicere, Architecti erit.

Cætera porrò, quæ aut sculpturæ, aut picturæ opere, aliisque grauibus, ac modestis ornamentis, frontispicij Ecclesiæ maiestatem augustam, religiosamque reddunt, Episcopus, Architecto etiam, si opus est, adhibito, viderit, prout ecclesiasticæ ædificationis, quæ struetur, ratio poscet.

In vniuscuiusque item Ecclesiæ, præsertim Parochialis frontispicio, à superiori scilicet parte ostij maioris, Sacræ imagines exprimantur ad præscriptum instructionum, quas de fabrica Ecclesiastica edidimus. 4. De Eccl. fabr.

12 Atrium prætereà in fronte Sacræ ædis, pro areæ ratione, proque ædificij ecclesiastici structura fiet, de Architecti consilio intus ab omni parte porticibus cinctum, alioque decenti architecturæ opere ornatum. Inst. fab. lib. 1. De Atrio Porticu, & Vest. Ibidem.

13 Si verò præ situs angustia, aut præ tenui censu id exædificari non potest; porticus saltem à fronte itidem exstruenda curetur.

Quæ porticus, columnis marmoreis, aut pilis lapideis, lateritiisuè erecta, longitudine omninò Ecclesiæ latitudinem adæquet.

Lata autem, atque alta ita esse debet, vt longitudinis suæ rationi rectè, conuenienterque respondeat.

Hac forma in vnaquaque Ecclesia Parochiali porticum extare conueniens erit.

14 Si per inopiam nè id quidem præstari potest; hoc saltem prorsus curetur, vt antè ianuam maiorem, vestibulum eiusmodi exstruatur, quod duabus tantum columnis, vel pilis, aliquantulum ab ea distantibus, ex ædificatum forma quadrata sit; tantumque spatij habeat, vt paulò latius, quàm Ecclesiæ ianua pateat. Ibidem.

Qua in Parochiali Ecclesia porticus non est, neque item præ inopia exstrui potest: hoc in ea omninò curetur, vt antè ianuam maiorem vestibulum exstruatur, quod duabus tantum columnis aut pilis aliquantulum ab ea distantibus exædificatum, Parocho in baptismi administratione, vsui esse possit. 4. De Eccl. fab.

Quò in vestibulo nemo tamen consistat ad Missam audiendam, qui in Ecclesia esse possit.

15 Et quoniam tecti magna est habenda ratio, proptereà quod omne ędificium tueatur: si quidē eo sublato, aut malè confecto, putrescit materies, labascunt parietes, omnisque sensim dissoluitur, Instr. fabr. lib. 1. De Tecto cap. 5.

structura; certè in Ecclesia tegenda, quæ sacris imaginibus, omnique pio ornatu, & religioso apparatu, ad perpetuitatem exstruitur, diligens, ac singularis industria requiritur Architecti. Qui quamcunque tecti, vel displuuiati, vel testudinati, vel laqueati formam, pro ædificij ratione delegerit, videat in primis, vt & materia lignea fabrilis, nempè tigna, canterij, templa, asseres, & alia id generis, ex quibus illud constat, & contiguatio omnis benè firma sit.

Tegendi autem tecti ratio, cùm & pro regionum vsu, & pro ædificiorum modo diuersa sit, ipse viderit, quæ Ecclesiæ exstructioni sit accommodatior. In Ecclesiarum autem, quæ insigni structura exædificantur, & amplo censu sunt, tectis operiendis, tegulas, si minus æreas, vt olim, at saltem plumbeas, adhiberi conueniet.

Laqueata tecta in Ecclesiis construi, cum basilicarum quarumdam Romanarum vsus docet; tùm mysterij significatio suadet: fornicata tamen fieri non alienum erit, pro locorum consuetudine, quo tutiora ab incendio ædificia sint, qualia sanè fornicato opere tecta, in Basilicis vrbis, & prouinciæ Mediolanensis insignibus, atque antiquis cernuntur.

Cautio verò in eo adhibenda erit, vt tecti proiectura eiusmodi fiat qua stillicidia ab imis parietibus arceantur, proculuè sint; idque aptè, ac decenter, prout certo structuræ opere potest fieri, Architecti cura erit.

Ne item suggrundiis ob stillationem diuturnam detrimentum parietes aliquando capiant; eorum fundamenta, vbi primum è terra exstare incipiunt, pauimentis lithostratis benè consolidatis, suggrunda latius aliquando productis, sternantur: tùm verò terra congesta inde procul perpetuò amota sit.

Nè præstereà iidem possint per pluuiam stillicidiis penetrari: si fortasse aliquando tegulæ, imbricesuè corrupti fuerint, in illorum summitate, quæ tecti trabibus subiacebit, structura, loricauè testacea, cum coronis prominentibus adhibeatur, quæ tecti etiam proiecturam adiuuabit.

Inst. fab. li. 1. cap. 1. De Pauimento.

16 Atque hactenus quidem de tecto; nunc sequitur pauimentum, quod in Ecclesia non spicatum, non è laterculis coctilibus, non alio lateritio opere, nisi vitriato sit; sed in insigni saltem Ecclesia, capellisque maioribus, & aliis præclaræ structuræ, marmore, alioue solido lapide, stratum sit, opere item tessellato, aut scutulato, politè confecto, aut musico item; In aliis verò Ecclesiis, & Capellis, vbi hoc non potest, silicibus expolitis, vel opere testaceo confectum. In pauimento, quale illud sit, neque pictura, neque sculptura Crux exprimatur; nec verò prætereà alia sacra imago, historiauè, ac nè alia item, quæ sacri mysterij typum gerat.

Inst. fab. li. 1. ca. 7. De ostiis.

17 De ostiis, & antepagmentis sacrarum ædium multa à sapientibus Architectis præscripta sunt, quæ pro Ecclesiæ ædificandæ ratione, proque structuræ modo seruari accuratius debent. Illud verò caueatur, vt à superiori parte, nè illa arcuata sint, cùm à portis vrbium dissimilia esse debeant; sed quadrangula, qualia in Basilicis antiquioribus conspiciuntur. Nec verò humili structura depressiora sint, sed duplo altiora, vt architecturæ ratio fert, quàm latitudo pàtet.

Superiori parti coronix decenti opere adiungi potest, è qua rotundum, instar hemicycli, & scaphæ emineat: vbi sacræ imagines vt supra præscriptum est, sculpantur, aut pingantur, vt in antiquis, iisque insignioribus Basilicis Mediolanensibus perspicitur.

A fronte Ecclesiæ ostia exstruantur: imparia verò sint, ac planè totidem, quot naues, è quibus Ecclesia constat. Media autem nauis, si è pluribus nauibus Ecclesia constet, tria ostia, vbi præ amplitudine potest, à fronte habeat, si verò ex vna tantum, hæc omninò ostia tria à fronte habeat; nam pluribus ostiis, cùm ob alia multa, tùm ob virorum, mulierumque distinctionem, ad Ecclesias ingressum patefieri debere, indicant Basilicæ Romanæ.

Ostium medium à cæteris, & laxamento, & ornatu præcipuè distingui debet, præsertim in Basilica Cathedrali: vbi illud sculptura leonum exornari decet, exemplo templi Salomonis, qui in basibus illos sculpi iussit, vt præsulum indicaret vigilantiam: idipsumque in complurium huius Mediolanensis Prouinciæ Basilicarum Cathedralium ianuis, ità exstructis, præclarè cernitur.

18 Ostiorum Ecclesiæ valuæ eiusmodi esse debent, quæ non tàm ornatum, quàm firmitudinem ostentent. Porrò è cypresso, aut cedro fieri conueniens esset; si minus, è nuce, vbi potest, fiant, opere fabrili ornatæ, quod non picturæ tenuitatem imitetur; sed sculptura piè expressum aliquantisper emineat: laminis autem æneis illas, quæ insigniotis Ecclesiæ sunt, vestiri; operéque sacrarum imaginum cælato ornari conuenientius erit, cum Basilicarum Romanarum valuas non modo æneas, sed argenteas, argentouè illitas, aliquando exstitisse memoriæ proditum sit.

Hæ ostiales valuæ, & pessulis, & seris, & clauibus grandiusculis à parte anteriori firmiter munitæ sint: ab exteriori autem parte nullo modo. Vbi vero id aliquando fieri necesse sit, in vnius tantum ianuæ, quæ à latere maioris ianuæ est, valuis ostiolum paruulum exstrui liceat, iisdem instrumentis extrinsecùs munitum, firmiterque compactum.

19 A tergo autem, nec verò prætereà à lateribus vllum Ecclesiæ ostium exstruatur; nisi quo ingressum fieri necesse est, vel ad Sacristiam, vel ad campanile, vel ad cæmeterium, vel ad ministrorum Ecclesiæ domicilia.

Neque item propè Altare vllum, vel è regione eius laterali, alioue eiusmodi loco, qui illud recta spectet: indeque sacris Altaris ministeriis, aut impedimenti, aut irreuerentiæ, perturbationisuè periculum aliquando existere possit.

20 Hæc de Ostiis satis sint, cùm alia multa Architecti periti iudicio relinquantur. Superest de fenestris, quæ pro ratione Architecturæ proque modo, & magnitudine ædificij in Ecclesiis, & in Capellis struentur.

Inst. fabr. lib. 1. c. 8. De fenest.

Neque est, cur de earum longitudine, ac latitudine quicquàm, aut de forma hoc loco multa tradantur, cum potius ab architectonica arte huius generis præceptio sumenda sit.

Ea autem in Sacrarum ædium fenestris forma, vel plurimum seruata est, vt à parte superiori paululum rotundæ, à lateribus aliquantò intrinsecus latiores appareant, quàm extrinsecùs, prout etiam mysterij ratio, à patribus demonstrata, suadet.

In media Ecclesiæ naui, vbi per tecti eminentioris altitudinem potest, tùm in nauibus etiam inferioribus, laterales fenestræ fient, eæque impares ab vtroque latere: atque in vniuscuiusque intercolumnij medio ità ordine exstructæ, vt recta sibi respondeant, neque à Zophoro, epistyliouè tecti valdè distent.

Vnde verò lumen præcipuè Ecclesia, & Capella maior excipiat; fenestra orbicularis ampla pro modo Ecclesiæ, instar oculi, à fronte suprà ostium maius exædificetur, atque extrinsecùs ornetur pro structuræ modo.

In aliis nauibus à frontispicio item fiant forma oblonga, Architecti iudicio.

Verùm lumen etiam excipi potest ad Capellæ, & Ecclesiæ vsum, è tholo, ex vmbilico scilicet fastigiatæ fornicis, lanternis vndique factis.

In Capella maiori, ac prætereà in singulis minoribus, pro earum magnitudine, ac modo, ab vtroque latere, eæ item fiant, vt vtrinque lux præbeatur.

Si verò à lateribus lumen excipi nullo modo potest, neque satis est, quod ab orbiculari, aliisuè frontispicij fenestris imbibitur, quoduè aliunde excipitur; è pariete, qui à tergo capellæ est, recipiatur.

Cautio autem adhibeatur, vt nullam Altaris cuiusuis partem, nè minimam quidem, fenestræ posterioris parietis occupent: tùm maximè, nè Altare, quod eidem parieti propè sit recta spectent, aut vllo sanè modo supra Altare sint.

Cæterum si aliundè lumen commodè, & decenter sumi non potest; tunc fenestra, quæ necessariò suprà Altare exstruenda est, ab ima parte paulò accliuius foras prominens, opere testaceo, aut tabula solida marmorea, æreauè strata, eiusmodi sit, vt aqua foras omninò defluat: intrò verò nè gutta quidem penetret.

Cautio item sit, vt, si montoso, alioue loco, vbi ventorum vis maxima esse solet, Ecclesiam exædificari contigerit, ità fenestræ vndique à Septentrione præsertim, Architecturæ rationibus fiant, vt à nulla parte Ecclesiæ detrimentum, neque periculum sacris Ministeriis, neque incommodū fidelibus orantibus existat.

Fenestræ, omninò altè, atque ità exstruantur, vt inde, qui foris stat, introspicere non possit. Vbi autem necessariò, fenestra minus alta, quàm præscribitur, aliquando exstruatur necesse esset, quod facile vsu veniet in veteribus Ecclesiis resarciendis, ea muniatur vitreis valuis, quæ nullo modo aperiri possint, nè introspectetur.

21 Fenestræ autem omnes, quales quales sint, clathris ferreis, vbi potest, muniantur; adiuncto etiam opere vitreo, & pellucido, neque vlla ex parte picto, nisi imagine tantum sancti, cuius nomine Ecclesia, capellauè nuncupatur, vt lumen illustrius, ad illius Capellæ, Ecclesiæuè vsum excipiatur. Sint item extrinsecus filis æreis, instar retis vndique septæ.

Quæ operis vitrei, sepimentiuè exstructio ornatior esse potest, pro ædificij modo. In Ecclesiis autem, quibus ob inopiam vitreo opere confici non possunt, sint opere saltem telæ instructæ.

At è quocumque genere, opereuè sint, eiusmodi tamen esse debent, vt aperiri, aut amoueri aliquando possint ad omnis vaporis in Ecclesiæ, Capellæuè ambitu conclusi, exhalationes.

Fenestræ in Ecclesiis, præsertim Parochialibus clathratæ existant, nisi præaltè exstructæ ità sint, vt sine clathris etiam ab omni violento, aut furtiuo, alioue per eas ingressu tutæ admodum sint; vitro etiam vel tela saltem muniantur. 5. De Eccl. fabrica.

22 Nulla in Ecclesia fenestra permittatur, è qua foris stans, Missam quis possit spectare. Ibidem.

23 Iam verò est, vt de Ecclesiæ scala, & gradibus aliqua instructio sit, cùm ad illam, editiori loco exædificatam, ascendi necesse sit. Inst. fab. li. 1. ca. 9. De Eccles. scala & gradib.

Si igitur loci situs, vbi Ecclesia exstruenda est, ità è planitie eminet, vt scala, quæ pluribus gradibus constet, opus sit; tunc illa, pro Ecclesiæ modo latè patens, è marmore, aut è solido saltem lapide, struatur, gradibus totidem, quot ad ascendendi vsum, commoditatemque necessarij sunt. Qua in re videndum est, vt illi, & numero impares existant, & quinto, tertioue quoque gradu planum fiat, quod pro ascensus ratione cubitis circiter tribus congruenter pateat.

Si verò præ ascensus altitudine ordines graduum plures statui oporteat, hęc etiam ratio habenda est, vt illi quoque numero impares extēt,

Gradus autem singuli altitudine sint vnciarum octo, latitudine circiter cubitali, aut paulò ampliori, pro structuræ genere.

24 Nunc verò, quoniam quæ exposita sunt, omnia ferè ad exteriorem Ecclesiæ fabricam pertinent, sequitur, vt de interiori dicatur. Ac primo quidem loco de Capella, & Altari maiori.

Situs igitur huius Capellæ in capite Ecclesiæ, loco eminentiori è cuius regione ianua primaria sit, deligi debet: eius pars posterior in Orientem versus rectà spectet, etiam si à tergo illius, domicilia populi sint.

Nec verò ad solstitiale, sed ad æquinoctialem orientem omninò vergat.

Si verò positio eiusmodi esse nullo modo potest, Episcopi iudicio, facultatéque ab eo impetrata, ad aliam partem illius exædificatio verti poterit: tuncque id saltem curetur, vt nè ad Septentrionem, sed ad Meridiem versus, si fieri potest, planè spectet.

Porrò ad Occidentem versus illa exstruenda erit, vbi pro ritu Ecclesiæ à Sacerdote versa ad populum facie, Missæ sacrum in Altari maiori fieri solet.

Capella hæc fornicata sit; musico prætereà opere, aut alia illustri picturæ, structuræ vè specie, pro Ecclesiæ, quæ ædificatur, ratione, ac dignitate, decorè ornata.

Eius pauimentum exstruatur, Ecclesiæ solo altius pro situ loci, proque ratione item Ecclesiæ; quæ si Parochialis est, altius vnciis octo ad minimum, aut cubito vno ad summum; si Collegiata, vel Cathedralis, aut certè Parochialis insignis, hæc altitudo nè minor sit cubito, nec verò maior cubito itidem, & vnciis prætereà sexdecim. Vbi verò in Capella maiori locus subest, quæ Confessio dicitur, ad illius loci altitudinem, huius pauimenti altiùs exstruendi, ratio aptè, & decenter referatur.

Gradus ad Capellæ maioris ascensum è marmore, lapidevè solido, aut è lateritio opere, vbi nulla copia lapidis marmorisvè est, confecti sint; iique numero impares, vnus scilicet, tres, aut quinque pluresvè pro altitudinis ratione.

Quorum singulorum graduum altitudo nè maior sit vnciis octo; latitudo autem, nè minor sexdecim; nec verò maior cubito.

Si pauimenti Capellæ altitudo paulò minor sit cubito; ad ascensum tres gradus ædificentur, pari altitudine.

Si verò ea altitudo cubitum aliquanto excedit, gradus quinque; sin autem illa ob confessionis locum longè maior est, totidem fiant, at impares numero, quot ad ascendendi vsum necessarij sunt: iique singuli æqualem itidem altitudinem habeant, pro ratione vnciarum, quibus altum est eiusdem Capellæ pauimentum: sed numquam tamen maiorem illis octo vnciis.

4. De Eccl. fabr. 25 In vnaquaque Ecclesia, in qua Missa celebratur, sacrarium vnum sit, in Capella maiori, aut propè Sacristiam, aut in ipsa Sacristia, si Ecclesia frequens est, opportuno loco exstructum.

In Parochiali verò, præter illud quod fontis baptismalis viui est, alterum etiam loco eiusmodi; nisi si pro redditum tenuitate, proque exiguitate populi, illud vnum satis esse Episcopus censuerit.

Inst. fab. lib. 1. c. 11. De Altari maiori. 26 Altare maius, Capellæ suæ loco ità constitui potest, vt ab ipsius Altaris gradu infimo vsque ad cancellos, quibus illa septa, sepiendavè est, spatium intersit cubitorum octo, atque vbi potest, Ecclesiæque amplitudo pro decori ratione postulat, etiam plurium; vt id spatij commodo vsuique sit Clero frequenti, ad Missæ solemnis sacrum, diuinorumque officiorum celebritatem aliquando conuenienti. Idque propterea, vbi opus sit, si à tergo Capellæ extrinsecus situs est, vbi illius spatium produci possit, vsque adeò producatur; vt tantum spatij Capellæ detur, quantum suprà præmonstratum est; si hoc non potest, atque præ loci exiguitate, angustiaque illius Altaris Capella non tantum spatij in Ecclesiis Parochialibus Collegiatisvè habet; tunc ille inter Altaris imum gradum, & cancellos situs interiectus, spacio esse debet, cubitorum ad minimum quatuor; vt saltem in Missæ solennis sacro pro cæremoniarum, quæ obeundæ sunt, ratione, spacij locus congruus detur, & Sacerdoti celebranti, & Diacono, & Subdiacono, aliisque Clericis in eo ministrantibus.

Cui angustæ, breuique Capellæ, vt ab anteriori parte illud, saltem cubitorum quatuor, spatium, interuallumvè detur; ea, si opus sit, iniri potest ratio, vt illius planum, gradusque eiusmodi sint, reconcinnenturvè, qui è Capella ipsa exstantes, forisque aliquantulum decorè prominentes, octangulii, aut sexanguli formam præbeant.

Sin autem extrà illius fines intercolumnia sunt, siqué id Ecclesiæ amplitudo postulat, illud ipsum spatium parari, capivè poterit, eiusdem Capellæ pariete, vsque ad prima illa intercolumnia producto.

Vbi denique præ angusti situs, locique finibus exiguum, aut nullum ferè spatium esse potest; id saltem omninò præstandum est, vt Altare pariete, qui ab illius tergo est, propius admoueatur; & à clathris, si illud quatuor cubitorum spatium habere nequit, distet saltem pro situs ratione, quàm maximè potest; ità tamen, vt ab ipso etiam pariete procul sit, cubito vno, & dimidio.

27 Sit autem Altare maius à scabelli solo altitudine cubitorum duorum & vnciarum octo, & ad summum decem; longitudine cubitorum quinque ac plurium, pro Ecclesiæ, Capellævè magnitudinis ratione; latitudine verò cubitorum duorum, & vnciarum duodecim, ac plurium item, pro longitudinis, & situs modo.

28 Prætereà si à lateribus, & à fronte spatij satis datur, gradus tres adhibeantur, vnus scilicet, quem per se bradella facit, tum alij duo, ipsa bradella inferiores: qui duo, è marmore, solidouè lapide fieri debent; aut si id non potest, è lateritio opere: latéque pateant vnciis ad minimum sexdecim; viginti verò, si potest, ac plus item, vbi decorè, pro spatij ratione fieri possit. Ibid. De gradib. Altar. maior

Gradus verò tertius, qui ex ipsa bradella existit, è sectilibus tabulis esse debet. Bradella autem à fronte Altaris cubitos duos, & à lateribus etiam producta, vncias sexdecim latè pateat: ità vt à tribus partibus illud complectatur.

Altitudo item singulorum graduum, sit vnciis octo.

Vbi verò, pro Ecclesiæ, Altarisque Maioris amplitudine, gradus plures esse possunt, ibi quinque extrui poterunt latitudine, & altitudine mox præscripta.

29 Sub ipso autem Capellæ maioris fornicato arcu, in omni Ecclesia, præsertim Parochiali, Crucis, & Christi Domini, in ea affixi imago, ligno, aliovè genere, piè, decoréque expressa, proponatur, aptéque collocetur. Quo loco, si minùs rectè pro humili arcus, fornicisvè depressione, collocari potest: parieti, qui tunc suprà ipsum arcum est, extrinsecùs inhærens affigatur, sub tecto laqueato: aut certè super ianua clathrati cancelli Capellæ omninò ponatur. Inst. Ibid. De situ imag. crucifixi.

Crucis, & Christi Domini, in ea affixi, imago ligno, aliovè genere, piè, decoréque expressa, sub ipso Capellæ maioris fornicato arcu, in omni Ecclesia, præsertim Parochiali propo- 4. De Eccl. fabr.

natur, aptéque collocetur. Vbi autem præ depressiori, humiliorique fornicis structura eo loco poni decorè non potest, alia ratione in ipso Capellæ maioris ingressu, omninò statuatur.

Inst. fab. lib. I. c. II. De cho.

30 Chori præterea locus, à populi statione, vt vetus structura, & disciplinæ ratio ostendit, seclusus, cancellisque septus, cùm ad Altare maius esse debeat, siue ab anteriori parte, vt antiqui instituti est, illud circundet; siuè à posteriori sit, quia, vel Ecclesiæ situs, vel Altaris positio, vel regionis consuetudo sic postulat, vsque adeò latè, longéque vbi pro situs spatio potest, patere, etiam in hemicycli, vel in alterius formæ, pro ratione Capellæ, Ecclesiævè modum, Architecti iudicio debet; vt, & amplitudine, & ornatu item decenti, Ecclesiæ dignitati, Clerique multitudini aptè respondeat. De tabernaculo vid. pag. 66.

4. de Cap. & Alt.

31 Capellarum, & Altarium locus, nè in vlla quauis Ecclesia, quouis nomine cuiquàm, absque Episcopi auctoritate detur.

Inst. fab. lib. I. c. 14. De Capel. & Altar. minorib.

32 Hæc breuiter de Altari, & Capella maiori, deque adiunctis dicta sint. restat separatim alia instructio de Capellis, & Altaribus minoribus, præter ea, quæ suo loco demonstrata, maioribus, & minoribus Capellis, Altaribusvè communiter conueniunt.

Primùm igitur cum Altaria plura exædificari oportet, & Ecclesia, instar crucis exstructa, abside constans, duo quasi brachia habet; tunc à capite vnius, & alterius brachij locus aptè conueniens erit, vbi Altaria duo ædificentur; vnum à dextro, alterum à sinistro; si modo spatium sit, pro modo latitudinis, infrà præfinitæ.

33 Is locus, si Capella cum Altari ibi exstruenda est, latè patere debet cubitos ad minimum nouem, & vncias octo. Si verò ad hemicycli formam parietis concauitas facienda est, cui Altare inhæreat, eius loci latitudinem esse oportet cubitorum saltem sex, & vnciarum sexdecim.

34 Quæcumque etiam Ecclesia, siuè tribus nauibus, siuè vna tantum constat, extrà suæ Capellæ maioris situm, ab vtriusque lateris capite locum habet, sicut suprà mox præfiniuimus, ità patentem, vbi in vno, & altero item latere, pro modo, formaque præscripta, Capella, & Altare decorè, aptéque exædificari possit, aut ad hemicycli saltem speciem parietis concauitas fieri queat, cui Altare innixum hæreat; cùm in eiusmodi Ecclesia, præter illas duas, quæ à brachiis sunt, aliæ etiam Capellæ, cum Altaribus exstruendæ sunt, in vtriusque illius lateris capite exædificari poterunt; nisi illis, quæ in capitibus brachiorum sunt, vicinæ nimium sint, contrà, ac infrà præscriptum est.

35 Quarum Capellarum, vnaquaque siuè in dextero, siuè in sinistro latere, ità extruatur, vt, vbi plures naues sunt, in medio nauis sit, in cuius capite est.

36 Vbi verò ex vna solum naui Ecclesia constat, in medio parietis spatio struatur, quod inter Capellam maiorem, & angulum Ecclesiæ interiectum est; ita tamen, vt hæc à maiori Capella saltem distet cubitis duobus: si modo ædificij ratio pro oneris, quod sustinet, grauitate, structuræque forma spatium maius non postulet.

Si verò ad hemicycli formam in parietis concauitate Altare collocandum est; id etiam in medio illo, vel nauis, vel spatij, vt suprà, interiecti fieri debet, sic tamen, vt Altari maiori non valde propè exstruatur, quo minùs Sacerdos in vno celebrans, ab alio, qui Sacrum in altero facit, impediri, perturbarivè queat.

Id igitur omne, quod de Capellis, Altaribusque in vno, & altero item latere, à capite Ecclesiæ exstruendis, mox præscriptum est; in Ecclesiis locum habere potest, vbi Capella maior exstructa, & Altare ibi situm, ità existit, vt intus sit spatio cubitorum salem quatuor.

37 Quibus verò in Ecclesiis præ situs angustia Altare maius Capellam non habet; aut si habet, vsque adeò illa exigua est, vt Altare in ea exstructum, foras in Ecclesiam versus promineat; indeque Altaria, quæ à lateribus sunt, facile prospiciantur: tunc ab iis partibus, lateribusvè, quæ ab illarum capite sunt, etiam si spatium pro ædificationis ratione suprà præscriptum, aptè, ampléque interiectum esset, Altaria tamen fieri non debebunt: tùm quia minus decenter exstarent: tùm quia dum in vno Altari Sacerdos sacrum faceret, ob propinquitatem, alterum sacerdotem, in alio celebrantem, impediret, aut interturbaret.

38 Vbi item Altaribus compluribus opus est, illorum ædificationi locus tertius propterea aptus erit, nempè Ecclesiæ latus vtrumque, vnum scilicet, quod ad meridiem: alterum, quod ad Septentrionem vergit.

Quo in vtroque latere, Capellæ cum Altaribus exstrui poterunt, quæ ab Ecclesiæ corpore exstent, forisque promineant: sed in illis exstruendis eæ infrà præscriptæ rationes seruari debebunt.

Vt Capellæ, æquè inter se distantes, exædificentur: tamque lato spatio inter vnam, & alteram interiecto, vt ab vniuscuiusque Capellæ vtroque latere fenestræ exstrui possint: vnde lumen aptè, apertéque excipiatur.

Si verò ità inter se distantes exstrui non possunt, coniunctæ tamen ità fiant, vt, semicirculi, aut semioctanguli forma prominenti spatium in extrema parte inter se præbeant, vnde lux à lateribus recipiatur.

Vt in Ecclesia, quæ nauibus pluribus constat, è conspectu intercolumnij omninò rectè sint: nè ipsis columnis, pilisvè earum prospectus impediatur.

In Ecclesia autem, quæ vnam tantum nauim habeat, medium planè respiciant, quod inter vnum & alterum arcum, tignumvè est, quo tectum opere fornicato, aut laqueato suffulcitur, sustineturvè: aut si Capellæ latitudo superet latitudinem eiusmodi spatij, neque illud fieri queat: summitate arcus Capellæ, ad perpendiculum tignum sustineatur.

39 Capellæ minores omnes, vna, eademque latitudine, longitudine, & altitudine constent: ac demùm omni ex parte, quò ad eius fieri potest, sibi inuicem conueniant. Quæ verò tamen sunt in capite brachiorum Ecclesiæ, Crucis

formam exhibentis, eæ pro ratione situs, vt cæteris aliquantò ampliores, sic forma illustriori etiam esse poterunt; modo inter se illæ, vna alteri, omni alia ex parte respondeant.

40 Nè subter suggestum, vnde, vel Organo sonatur, vel Euangelium, Epistolavè pronunciatur, aut concio habetur, vndevè canitur, vllo modo Capellæ minores, Altariavè exædificentur.

Nè inter pilam structilem, columnamvè, aut arcum, tignumvè, quo tectum suffulcitur, in ingressu Ecclesiæ primo loco situm, & parietem, qui ab anteriore Ecclesiæ parte est, Capella vlla exstruatur; nisi illa tantumquæ in Ecclesiis, vbi animarum cura geritur, Baptisterij collocandi causa, nominevè sine Altari exædificanda est.

Altaria, Capellævè à pariete, qui in frontispicio Ecclesiæ è regione Altaris maioris est, nullo modo exædificentur: neque item alio in loco, in quo Sacerdos celebrans terga vertat Capellæ maiori.

4. de Cap. & Altar. Altaria omnia amoueantur, quæ subter suggestum, aut organum exstructa sunt; aut columnæ, pilæve hærentia; aut aduersa Altari maiori; aut Ecclesiæ ianuis nimis propinqua; aut aliàs quauis ratione incommoda, aut periculosa, Episcopi iudicio sunt.

Oblationes autem, & onera, emolumentaue, & iura Altarium, quæ amouebuntur, ad alia Altaria, eiusdem Episcopi sententia transferantur.

Nec verò deinceps, in eiusmodi locis, vlla quauis causa, Altaria constitui Episcopus permittat: neque alio modo liceat.

Inst. fabr. vt suprà. 41 Capellæ minoris latitudo patens esse poterit cubitis nouem, aut vndecim, & amplius, prout est Ecclesiæ situs amplitudo, nec verò minor cubitis septem.

Longitudo autem ab ingressu, vsque ad parietem, cui Altare adhæret, ducta, minor cubitis septem esse non debere videtur: vt & ministranti Clerico spatij satis sit, & nè quicquàm de Ecclesiæ parte, aut naui, cancellis occupetur: neque maior item, vt nè populus, qui in Missæ sacro præsens adest, Capellarum lateribus impediatur, quo minùs ab omni ferè Ecclesiæ parte Sacerdotem celebrantem conspiciat. Si verò tantum spatij Capellis minoribus dari non potest, ferri poterit etiam longitudo minor, quinque videlicet cubitorum, & vnciarum octo. Quæ ratio cùm locum planè non habeat in illis Capellis, quæ in capite Ecclesiæ à latere Capellæ maioris sunt, ideò illæ longitudine aliquantò maiores permitti poterunt, quàm aliæ.

42 Si præ situs angustia quibusdam in Ecclesiis Capellæ, quæ præfinito modo formaque foris omninò emineant, exstrui non queunt, exstrui poterunt saltem, vt maximè pro eiusdem situs ratione, foris exstare, prominereuè possunt.

43 Sin autem loci situs is est, vt ædificari non queant, quæ foris, vt præscriptum est, emineant, atque extent; ab Ecclesiæ vno, & altero item latere necessaria tantum Altaria fieri poterunt, exstructis, parietis concauitate, hemicyclis, scaphisvè, pro situs, locique ratione, foras decorè prominentibus.

44 Si verò ne ad hemicycli quidem formam exstrui vllo modo possunt; tunc Altaria, parieti hærentia, ob causam necessariam tantum fieri poterunt: aut erectis columnis duabus, aut aliis fulcimentis decentibus, intus ab Ecclesiæ pariete paululum exstantibus, vno à dextro, altero à sinistro latere. Quæ ambæ columnæ inter se à superiori parte opere fornicato, vel eiusmodi, coniunctæ sint, aut hemicyclis, pictura saltem ad ornatus speciem decorè expressis.

45 Quæcumque denique Altaria, ob causas suprà expositas, iis in locis exstruentur, exstructaué sunt: vbi præ situs angustia, Capellæ magnitudine præfinita ædificari non possunt: ità vt cancellos, clathraué à recto pariete exstare, forisque prominere necesse sit: ea singula in arctum sic redigi poterunt, vt cubitum vnum & vncias sexdecim non excedant: nec verò super iis gradus vllus adhibeatur, vt, & illa, & cancelli, quàm minimè possunt, foris promineant.

46 Eorundem tamen Altarium cancelli à scabello, seu bradella, cubiti vnius, & vnciarum saltem octo spatio interiecto figantur: vt id spatij Clerico in Missæ sacro ministranti, omninò detur.

47 Denique si Ecclesiæ amplitudo, latè patens id fert, angustior fieri poterit, extructis ab vtroque latere Capellis longitudine, & altitudine, ac forma suprà præscripta: cùm præ amplitudine, valde patenti, locus earum instructioni suprà præfinitæ intus eiusmodi esse possit, vt Ecclesiæ altitudinis spatium, inter illas interiectum, congruenter etiam pateat.

48 Capellarum minorum pauimentum altius, quàm Ecclesiæ solum, octo vnciis strui debet, amplius verò aliquando, vt infrà permitti poterit.

Vniuscuiusque Capellæ minoris limen, vbi per facultates fieri potest, è marmore, lapideuè solido esse debet: ac sexdecim, & ad summum viginti vncias latè pateat: tùm eiusmodi sit, vt & ingressus gradum faciat, & ipsum capellæ solum æquet: isque vnus tantum gradus ad capellæ ascensum exstruatur.

49 At præter illum liminis gradum, duos alios inferiores, pro loci, situsvè ratione, & Capellæ amplitudine, vbi maior pluribus gradibus exstructa sit, fieri permissum erit: iique si minùs è marmore, at saltem è solido lapide, aut demùm è lateribus fiant. Eorum latitudo eadem sit, quæ suprà demonstrata est, de liminis gradu: de altitudine idem seruetur, quod dictum est de gradibus Capellæ maioris.

50 Vnaquæque Capella, sicut de maiori dictum est, fornicato opere exstruatur.

51 Altaria in fronte media vniuscuiusque Capellæ construantur, non à lateribus. Instr. Ibid.

52 Ea singula minora à scabelli, quàm bradellam vocant solo superficievè in altitudinem erecta sint cubitis duobus, & vnciis octo.

Longè pateat cubitis quatuor, & dimidio: nec verò minus quatuor saltem cubitis.

Lata sint cubitis duobus.

Altitudine sit à scabello ligneo, seu bradella Altaris, cubitis duobus, & vnciis octo: longi- 4. de Capel. lis & Alt.

tudine verò ad minimum cubitis quatuor, latitudine item cubitis duobus.

Inst. Ibid. Scabellum, seu bradella Altaris, tabulis, asseribusuè ligneis conficitur latitudineque sit cubitorum duorum: altitudine vnciarum octo.

Longius prætereà, quàm Altare, ità pateat, vt vnumquodque eius latus excedat vnciis sexdecim; neque verò plus cubito; rursusque ab vtroque latere illud cingat; simodo præ angustia Capellæ hæc latitudo lateralis non impediat Clericum ministrantem: tunc enim non excedat; sed tantum adæquet Altare.

4. Ibid. Scabellum verò ligneum habeat, quod à fronte Altaris cubitos saltem duos productum latè pateat.

Inst. fab. lib. c. 14. Communia Capellarum Altariumvè maiorum, & minorum. 53 De minoribus Capellis, & Altaribus, breui hac instructione explicata, sequuntur communia Capellarum, Altariumvè maiorum & minorum, quæ in exstructione seruanda sint.

54 Altaria non ex opere ligneo, sed ex lapidibus, lateribusvè exstrui debebunt; atque ità vndique obstrûi, vt fenestella, foramenvè, nulla ex parte in ipsis relinquatur, vbi quicquàm asseruari recondiuè possit. Nec verò ideò prohibentur Altaria, quæ quatuor, pluribusvè lapideis columellis, aut pilastratis angularibus suffulciantur, qualia in Prouinciæ Mediolanensis vsu cernuntur: quin etiam Altaria, quamuis muro obstructa, eiusmodi pilastratis ab angulis suffulciri congruum est, ne pars illa, Chrismate inuncta, si lateritia sit, facilè decrustata collabatur. Neque prætereà sub iis quicquàm omninò reponatur.

4. de Capellis, & Alt. Altare vnumquodque exstruatur, aut si iam exstructum est, ad rationes infrà præscriptas, ex forma instructionibus constituta, ornetur, & accommodetur, ac reconcinnetur.

Lapideum sit, vel saltem lateritium cum tabula lapidea, si consecrandum est.

Neque in eo fenestella, foramenvè vlla ex parte sit; vbi quicquàm asseruari, aut recondi possit; nisi fortè reliquiæ sanctorum sint.

Si verò columellis suffultum erit; nè quicquàm item subtus ponatur.

Inst. fab. Ibid. 55 Altaria singula, quæ non tota cum Sacerdote item celebrante opere fornicato, sed tecto laqueato, teguntur, aut fornice ità altè exstructa, vt ea fornix commodè, sæpiusque purgari non queat, integumento etiam, quod *capocielo* dicunt, operiantur.

Idque, vel ex marmore, solidouè lapide, aut etiam lateritio opere, erectis columnis quatuor, si Altare maius est, si minus, lateralevè, duabus, aut aliis decentibus fulcimentis, intus ab Ecclesiæ pariete paululum distantibus, vno à dextro, altero à sinistro latere, quæ operimentum sustineant, opere fornicato, aliavè ratione confectum, vel ex tabulis sectilibus, aut è tela cerulea decenter picta fieri poterit. Quod è ligno, aut tela integumentum, cathenis ferreis è tecto, vel è pariete pendentibus, aut alia forma structura sustineatur.

Hoc autem operimentum cuiusmodi sit, vndique ità latè patere debet, vt Altare ipsum, & Sacerdos ibi Missæ sacrum faciens, omninò contegatur; quò diligentius, & ille, & Altare à puluere, omnique labenti sorde defendatur.

Sit verò hoc integumentum vsque adeò Altari proximum, vt ab eo aliquantisper pro decori ratione elatum, commodè tamen, & facilè purgari queat.

Tegmen omninò habeat, vel fornicatum, vel saltem ex asseribus, aut è tela cærulea, decenter picta, vel è serico, aut panno pretiosiori confectum; vbi scilicet fornix non est, quæ totum Altare, ac prætereà Sacerdotem celebrantem tegat; aut si fornix est, ab Altari tamen ità distet, vt ea sæpè purgari facilè, & commodè queat. 4. De Cap. & Altar.

56 Fenestella in pariete, qui à tergo Altaris est, à latere, vbi Epistola legitur, ornatè, politéque fiat; eaque ex marmore, solidouè lapide, vbi potest. Inst. fab. De fenest. vrceolorũ.

A solo altè exstruatur cubitis duobus.

Eius verò latitudo sit vnciis sexdecim, altitudo viginti quatuor, sitque distincta marmoreo, lapideouè opere transuerso.

Pars inferior vsui sit ad proiiciendam aquam ablutionis manuum Sacerdotis, sacrum facientis. Ideóque in medio foramen exiguum habeat, vnde illa defluat in cisternulam suffossam. Superior verò pars vsui erit, ad peluim cum vrceolis, dum Missæ sacrum fit, reponendam.

Quoniam verò Altare maius aliquando longè distat à pariete posteriori, cui sæpè adhæret Chorus; id proptereà si loco constituto, fenestella ea collocari nequeat; tunc in pariete à latere Epistolæ, vel eius loco propè Altare construi; vel etiam remotius vas aliquod è solido lapide, decoro ornatu poni poterit, in quod ea aqua infundatur: ità tamen, vt neque impedimentum, neque deformitatem afferat.

Fenestella sit in pariete à parte Epistolæ constructa, & lapide transuersali distincta; ità vt pars superior vsui sit ad peluim cum vrceolis, dum Missæ Sacrificium fit, reponendam: inferior ad aquam ablutionis manuum sacerdotis celebrantis proiiciendam. 4. De Cap. & Altar.

57 Clauus ferreus, quo birretum Sacerdotis celebrantis appendatur aliquo ornamento, præsertim ex auricalcho, affigatur ab eodem latere Epistolæ, propè eam fenestellam, aut etiam alio congruo eiusmodi loco, non altius à pauimento cubitis duobus. Inst. fabr. Ibidem. De clauo ferr. ap. birr.

58 Tintinabulum paruum vnicuique Altari à parte, vnde Euangelium legitur, parieti laterali affixum hæreat, appenso funiculo tàm longo, quo Clericus minister, cum Corpus Domini eleuatur, vti possit, ad illud certis distinctis ictibus pulsandum. Vbi verò Altare sine Capella est, ita ab Altari distet, & à pariete, quantum potest, emineat; vt funiculo ducto Altare non impediatur, neque Sacerdos interturbetur. Ibid. De Tintinabulo.

Quod verò attinet ad maius Altare; commodius minister Clericus, tintinabulo gestatorio, è Sacristia allato; quàm appenso vtetur, nihilque proptereà est, cur eo loci illud appendatur: præsertim in amplioribus Ecclesiis.

Adsit Tintinabulum appensum; vel certè, cum ibi faciendum est Missæ sacrificium, è Sacristia deferatur. 4. De Cap. & Alt.

59 Ab anteriori vniuscuiusque Capellæ, etiam maioris, parte, vnde ingressus fit, clathra ferrea, cubitis tribus alta, in summo gradu Capellæ Inst. fab. Ibid. De Clathratis Cap. & Alt. Cancellis.

figantur : nec verò tamen aliquando altiora prohibentur ; vbi præsertim hoc septo tutiora, & munitiora esse oportet. Eaque omnia, vbi per facultates potest, paruulis pilis, aut vasculis, ad aliquam speciem decorè confectis, in parte, tùm ima, tùm media, tùm summa exornari debebunt.

Si verò Capella, vt aliquanto maior sit, octanguli, sexanguliuè formam exhibet; clathra itidem in eius summo gradu figantur, quæ ei formæ respondeant.

Ab ima verò parte, per altitudinem circiter cubiti, opere aliquo artificioso ferreo, illa inter se densè instructa sint, vt canibus ingressus nullus sit.

In clathrorum medio ianua, clathrali etiam opere, decenter constituatur, quæ valuis vtrinque, & pessulo, ac sera claudatur.

Vbi verò vis, & copia ferri, quo ad Capellarum instruendarum vsum clathra conflentur, haberi minus potest, si ibi lapides solidi marmoraue apparari queant, è marmorè, aliouè solido lapide, columellæ opere, quod vocant, balustrio, addita coronice, fieri poterunt, aliquanto clathris ferreis humiliores, quibus Capellarum pars anterior septa ornetur, atque instruatur.

Quibus autem in Ecclesiis, Capellis, Altaribusuè, præ tenuitate facultatum, nec clathra ferrea, neque marmoreas, lapideasuè eiusmodi columellas, ad sepiendi, ornandique vsum comparari posse Episcopus iudicaret; in iis id opere ligneo polito, ac tornatili præstari, eiusdem concessu poterit. Cancelli autem lignei depressiores itidem, ac humiliores, quàm clathra ferrea aliquanto esse debebunt, in quorum summa parte ad ornatum coronix apponatur.

Vbi Capellæ Altarium minorum amplæ sunt, quæ aliquam populi multitudinem, dum Missæ sacrum fit, capiant, quamuis clathra in ingressu habeant, in earum tamen parte interiori, quæ propè Altare est, cancelli item lignei, saltem figi debebunt; quibus illud ità sepiatur, vt & præsentis populi frequentia, paululum à Sacerdote, sacrum faciente, seclusa, distare compellatur; & locus sit Clerico ministranti.

4. de Cap. & Altar. Sepiatur omninò Altare vnumquodque septo ferreo, vel lapideo, aut quibus locis ob inopiam, Episcopus id permittendum censuerit, ligneo : quod septum ab Altari, congruo spatio distet, ad instructionum præscriptum. Nec verò illud septum laicus ingrediatur.

Inst. fab. Ibid. De Coronice lign. Alt. 60 Vnicuique scabello, etiam maioris Altaris, coronix lignea tribus digitis, nec verò amplius, alta adiungatur : qua à tribus item partibus illud cingatur : ità vt à parte anteriori pallij, & à lateribus, mantilium, tobalearumvè extremitas, eiusdem coronicis opere, vsque occultetur, etiam vbi Altaris scabellum à fronte tantum extat.

Inst. fab. Ibid. De Instr. telari Alt. 61 Ad Altare etiam instrumentum adhibeatur, quod telare dicunt, in quo pallium expansum paruulisque vncis affixum, ipsi Altari accommodetur; idque è querneis, nuceisuè asseribus fit, tùm perpolitè confectum, tùm etiam vnciis quatuor latum, atque eiusmodi, quo Altaris mensa ab anteriori parte, rursusque ab vtroque latere circumdetur.

Cuius telaris capita, summitatesvè parieti affigantur, innectanturvè, cui Altare inhæreat.

Fulcimenta item, quibus telare ipsum sustentatur, ex iis nuceis, seu querneis asseribus duo sint, vnum à dextro, alterum à sinistro, Altaris cornu anteriori; & alterutrum vnciis quatuor latitudine esse debet.

Vbi verò Altare à pariete remotius est, telare totum Altare vndique cingat; adsintque duo alia fulcimenta in cornibus posterioribus Altaris, qubus ab ea parte sustineatur.

A parte etiam superiori, quæ Altaris mensam æquat, idem telare in ipsa superficie aliquot exiguas fossulas, tenuiter concauas habeat; iisque singulis fossulis; tenues claui vncinuli quibus pallij cordulæ minutiuè annuli annectantur; & ità inserantur, atque infigantur, vt ipsius Altaris solum non superent. E quibus fossulis, vnà omninò fieri debet, quæ in telari ad medium Altare sit : reliquæ autem hinc inde binæ, ternævè, vel plures, pro amplitudine Altaris æquali interuallo esse possunt.

62 Gradus in Altaris minoris superficie à parte posteriori vnus tantum, isque ligneus adhiberi poterit; ea longitudine sit, quæ Altare æquet, latitudine vnciarum octo; altitudine etiam totidem. Inst. fabr. Ibid. De gradu ligneo à parte post. Alt.

In Altari maiori nè fiant : nisi cùm cubitis tantum duobus minusvè à pariete posteriori illud distat : tuncque eiusmodi gradus vnus, pluresvè decenter adhiberi poterunt : ita tamen, vt circuitus Altaris sub ea structura non impediatur.

63 Altaris Maioris, in quacumque vel Cathedrali, vel Collegiata, vel Parochiali Ecclesia, tum etiam minoris, quod consecrandum sit, mensa marmorea, aut è solido lapide curari debet, & vbi potest, ità longè, latéque sicut Altare pateat. Inst. fabr. Ibid. De Mensa Alt. maioris.

Vbi apparari non potest, quæ sit tantæ latitudinis, non tamen latè minùs patere debet cubito vno, & dimidio: longitudine verò ipsum Altare omninò adæquet : nisi, vbi pro loci, regionisvè situ, nè eiusmodi quidem adhiberi possit, cui à fronte agglutinetur : à tergo, qua parte deest, suppleri poterit cæmentario, lateritioque opere.

64 Altaris consecrati mensa, etiam si eius pars è lateribus facta sit, tota tegatur cerata tela: quæ, telari præscripto inclusa, clauis configatur. Vide etiam Tit. de ornatu, &c. sacrorum locorum. Inst. fab. Ibid. De Mensa Alt. & tela cerata.

65 Vniuscuiusque Altaris, non consecrati, solum, pauimentumvè, mensa, ex tabulis sectilibus polité confecta, atque ad illud contegendum vndique ampla, consternatur.

66 Huic mensæ Altare portatile aptè inseratur, atque vt inter vtrumque mensæ cornu, in medio collocatum, ab ipsius fronte non longius distet spatio vnciarum octo.

Cuius portatilis Altaris longitudo non ab vno ad alterum cornu : sed à fronte in posteriorem partem spectet. Sic verò illud insertum sit, vt è mensæ superficie vix paululum aliquid extet, quo Sacerdotis celebrantis tactu dignosci possit. 4. De Cap. & Altar.

Petra Sacrata ita mensæ Altaris inseratur, vt nullum offensionis Calicis periculum adeatur: tactu tamen digiti possit cognosci. Inst. fab. Ibidem. De fenest. reliq. sacr.

67 In Altaris fronte, tergouè, sub ipsa mensa,

fenestella, quatuordecim, vel sexdecim, vnciis ampla, aut in stipite, mensaue illius pro ratione consecrationis, qua, libro Pontificali prescripta, Episcopus vti maluerit, fossa instar sepulchri, eodem, quo fenestella, sed multò minor spatio exstruenda est; vbi, cùm illud consecratur, sacræ reliquiæ reconduntur.

Ea verò fenestella ab ostio occludi debebit tabella marmorea, lapideauè, in qua sculpta sit Crucis imago: tùm nomina, quæ constant, sacrarum reliquiarum, in Altari reconditarum, insculpentur.

Vbi verò non fenestella, sed fossa adhibebitur, inscriptio hæc aut ab aliquo Altaris latere, aut in mensa fiat, literis incisis.

Fossa verò, quæ in mensa est, tabella item marmorea ità firmiter, & accuratè occludatur, vt nihil omninò supereminea.

Instr. fabr. Ibid. De Capel. Alt. portat. 68 Lapis autem Altaris portatilis à parte superiori secturam, in planum ductam, quàm Smussum dicunt, vndique habeat. Quæ sectura latè pateat medio transuerso digito.

Lapis longè vncias viginti, latè sexdecim pateat, præter capsæ dimensionem, cui insertus est.

4. De Cap. & Alt. Quæ quidem petra longitudine ne minor sit vnciarum viginti: latitudine sexdecim.

Instr. Ibidem. Capsa eius è nucea omninò tabula sit, crassitudine vnciarum circiter duarum, aut plurium pro lapidis crassitudine.

Tabulæ verò illi, in omni latere intus à summa parte pro lapidis longitudine, & crassitudine concauatæ, ipse lapis inseratur; ità vt illa concauatæ tabulæ linea prominente, eiusdem lapidis sectura operiatur. In qua capsa sacrarum reliquiarum reconditarum, quarum nomen constat, inscriptio planè fiat.

69 Cùm verò Altare consecratum transferri contigerit, quod vt nè iterum consecrari opus sit, ea transferendi ratio adhiberi poterit, vt primo illud totum asseribus, tabulisque ligneis rectè, aptéque conclusum, è loco ità amoueatur accuratè, vt stipes à solo Ecclesiæ conuulsus, nè minimũ quidẽ ab Altaris mensa disiungatur; sed totus affixus ei inhæreat, nè cõsecratio violetur.

70 Altaria autem, quæ angustiora, aut breuiora sunt, quàm forma prescripta postulat, latiora, longioraue fieri poterunt, vel lapideis, vel lateritiis, vel ligneis additamentis decenter, aptéque confectis, ab eorum lateribus, fronteuè, prout vsus tulerit, appositis.

Sin autem humiliora sunt præfinito modo, altiora fieri poterunt, mensa politè, atque adeò altè confecta, vt præfinitæ Altaris altitudini respondeant: in eaque mensa lapis consecratus includatur præscripta forma.

4. de Capellis & Alt. 71 Habeat vnumquodque Altare propria indumenta, ac ornamenta, & suppellectilem omnem, decretis Prouincialibus, aut nostris etiam instructionibus præscriptam, tùm ad eius cultum, & vsum, tùm ad Missæ sacrificium in eo religiosè, decoréque peragendum.

6. Quæ ad Miss. pert. Curet Episcopus, vt in vnoquoque Altari, in quo Missa celebranda est, crux adsit.

72 *Quæ autem, cuiusque formæ supellex vnicuique Altari tàm dotato, quàm indotato paranda sit, tàm in Cathedralibus, & Collegiatis, quàm Parochialibus, & aliis Ecclesiis, etiam simplicibus, videatur Tit. de supellectile Altaris minoris, &c.*

73 Nec verò quisquam, etiam Canonicus, aut alius maiori gradu, dignitateuè in Ecclesia vlla præditus, excusetur, quo minus Altare suum, Capellamuè, quam obtinet, instruat, ornetque, ac propriam illis indumentorum, & reliquam omnem supellectilem comparet ad idem præscriptum: etiam si in eadem Ecclesia sit Altare, in qua ipse Canonicatum, aut dignitatem obtinet: aut etiam eidem Canonicatui, vel dignitati, eiusvè præbendæ, vnionis iure, vel alio quouis annexa sit Capella, vel Altare illud. 4. vt suprà.

74 Ad Capellas, & Altaria construenda, vel ornanda, vel reconcinnanda, vel aliis rebus, tùm supellectili etiam opportuna, instruenda, ex præscripto instructionum nostrarum si redditus debiti ministerij, & aliarum rerum necessariarum impensam superabunt; Episcopus totum illud, quod superest, aut partem arbitratu suo transferat: nisi aut alij sint, qui iure debeant hæc omnia præstare; aut alia Episcopi iudicio opportunior ratio videatur, vnde id fiat, quàm ipse iniri iubeat: atque vt id efficiatur, quod præscriptum est, omni iuris ratione eos, qui debent, compellat.

75 Si verò alia ratione id præstari, aut absolui, ac perfici posse Episcopus non viderit; subtrahat intereà per aliquod tempus aliqua ex parte; vel etiam si opus erit, totum seruitium: redditum verò, vel pecuniam seruitio attributam impensæ applicet, quæ necessaria est ad illud seruitium, religiosè, decoréque explendum.

76 Episcopali cura diligenter cauendum est, vt, cum Altarium, onerum, iuriumque ad ea pertinentium, tùm etiam titulorum, qui interdum plures vni solum Altari attribuuntur, memoriæ consultum sit perpetuò. Ea enim quemadmodum sæpè euenisse compertum est, & breui, & facilè periret, non solum quia ob varias causas illa aliquando amouentur, transferunturuè; verùm quoniam ob accessiones, diminutionesque iis aliquando factas, onera etiam eisdem adiuncta, nonnumquàm commutantur, vt crebrò item de iis ipsis oneribus ab Episcopo interdum ob alias causas, etiam ex decreto Tridentino statuitur, decernituruè. Quamobrẽ Episcopus librum, eumque certum, ac perpetuum confici; illumque in Archiuo Episcopali, diligenter asseruari mandet. Quo in libro, anni spatio, Altarium omnium, quæ in singulis vrbis, & diœcesis Ecclesiis, iurisdictioni suæ, aut visitationi, etiam si quouis modo illæ aliàs exemptæ sint, subiectis, collocata sunt, tituli, & emolumenta item, iura, onera, si quæ habent, sigillatim ordine, rectéque describantur.

77 Altaria prætereà omnia, & singula notentur, non solum quæ, vel ex hominum memoria, vel ex aliis monimentis, scriptisvè ad illa ipsa, iàm aliàs translata esse, cognosci aliquo modo potest: verùm etiam, quæ in posterum, quauis de causa eodem transferuntur, de scriptis pariter illorum titulis, iuribus, atque oneribus.

78 Tùm etiam accuratè suo loco notetur, si quid deinceps emolumenti, aut oneris ex legato, alioue nomine accesserit.

79 Rursùs onerum commutationes, diminutionesvè, si quæ fient, nominatim describantur: ac denique quæcumque de iis ipsis, ob Mis-

sa

sarum numerum, ob que eleemosynarum tenuitatem, etiam ex decreto Tridentino ab Episcopis, aliisve decerni, statuique contigerit.

80 Tùm præterea certi illi dies, quibus eo Tridentino decreto, ob illam causam commemoratio pro mortuis facienda est, qui eo nomine pia legata reliquerunt.

81 Onera verò hoc libro notata, singula, in tabellam referantur, quæ ex decreto Prouinciali de Ecclesiarum oneribus, in vniuscuiúsque Ecclesiæ illa habentis, Sacristia affigi debet.

82 Hoc ipso libro Altaria etiam singula, quæ ex concessa ab Episcopo facultate in posterum exstruentur, cum suis titulis, iuribus, emolumentis, atque oneribus accuratè describantur; facultate etiam illa in eum ipsum librum relata. Ideóque qui ità exstruxerit; & Rector Ecclesiæ Cancellario Episcopali, mensis spatio, ædificationem iam absolutam, denunciet.

De Lampadibus; Lampadarioue.

SVMMARIVM.

1 *Lampades cuius metalli.*
2 *Earum, quæ forma.*
3 *Lampadarii formæ tres; prima qualis.*
4 *Secunda qualis.*
5 *Tertia qualis.*
6 *Lampadarium pluribus, & imparibus constet lampadibus.*
7 *Lampadarii eiusdem, lampadisuè qui locus.*
8 *Lampades frequenter abstergendæ.*

Instr. fabr. De lampad. lampadarioue.

1 DE lampadibus vero, & lampadario pensili quo illæ appensæ in conspectu sanctissimi sacramenti, & sacrarum reliquiarum, vel imaginum, sustinentur, instructionis locus hic erit.

Primo lampades, pro Ecclesiarum ratione, & dignitate, ex argento, aut auricalcho, prout est Ecclesiasticæ consuetudinis, esse possunt: sicut etiam ex auro etiam confectas, in Basilicis maioribus adhibitas esse animaduertimus, adiuncto, & collocato intus Vasculo illo vitreo ad lychni vsum.

At in locis Alpinis, frigore rigentibus, vbi in hyeme ob gelu vasa vitrea sæpè confringuntur; vascula æraria, intus in lampadibus collocata adhiberi licebit.

4. De Eccles. fabrica.

Lampas è vitro constet; nisi è ferro, aut stanno constare aliquando necesse sit, vt in locis Alpinis accidit, aliisque vbi ob frigoris rigorem vitrum frangitur: vtraque autem auricalcho opere omninò decorè tegatur.

Inst. fab. Ibid. De forma lampa.

2 Lampadum forma, cùm multiplex esse possit, prout temporum cursus tulit, nulla quidem improbatur, modo cum Ecclesiæ consuetudine conueniat: at illæ tamen forma oblonga, olim vsu frequentatæ valde probantur; quæ scilicet à summa, imáque parte amplè patent, in medióque anguste conflatæ, quasi nodo quodam concluduntur, à summo labro tribus cathenulis eiusdem metalli appenduntur.

3 Lampadarium autem instrumentum, quo lampades pensiles certo numero sustinentur, in orbem ductum, & altè paululum exstructum instar turris, multis delphinis ad lampadum sustentationem constans, esse potest; cuius generis lampadaria antiqua fuisse constat, quæ phara canthara nominantur. Idque lampadarii genus in Ecclesiis insignioribus adhiberi decens erit; præsertim ex auricalcho ornatè confectum.

4 Alterum lampadarium, è paruula trabe, benè firma, esse potest, totum artificiosè inauratum, & coronicibus decenter ornatum; delphinos etiam, vt veteris olim vsus fuit, ligneos in summa parte ad ornatus speciē habere poterit. Id autem tanta longitudine sit, quantam lampadum numerus requirit, quæ ad luminis vsum adhibentur.

5 Tertia lampadarii species adhibetur, quæ trianguli formam exhibet.

Hæcque in vsu esse potest, vbi tres Lampades pensiles adhibentur.

Lampadario in longitudinem ducto, tres, vel quinque lampades in minoribus Ecclesiis affigantur, in maioribus septem, vel tredecim.

Hæque ordine rectè collocatæ, dimidio ferè cubito inter se distent.

6 Lampadario in orbem ducto, & instar turris, columnæuè erecto, plures lampades, pro illius fabricæ ratione, affigi possunt. Inst. fab. Ibid. De numero lampadum.

At in omni lampadario cautio sit, vt lampades impares sint.

7 Omne verò lampadarium, ex vna etiam lampade constans, non à latere, sed è regione, conspectuuè Altaris, aut sacrarum reliquiarum, aut sacræ imaginis, vt suprà, appensum, & ad præscriptum distans, rectà constituatur, ductorio funiculo adiuncto. Ibid. De loco lampadarii.

Tàm longè autem appensum, ab Altaris scabello distet; vt si fortè aliquando stillans est, non inquinetur olei stillā Sacerdos, aut Clericus, dum initio Missæ vterque in imo scabelli gradu est; rursúsque à pauimento Ecclesiæ in altum non minus septem cubitis ducatur, amplius verò pro ratione Ecclesiæ.

E lampadibus, cùm vna solum, quæ colluceat, accendenda est; illa in medio collocata, tantum accendatur.

Lampas, quocumque in Altari collocata sit, non à latere, sed è regione posita colluceat. 4. De Eccl. fabrica.

8 Frequenter autem abstergantur lampades, vt nitidæ, ac perlucidæ, [illegible] omni sorde mundæ appareant. 4. Ibid.

De Sacrario.

SVMMARIVM.

1 *Sacrarium quibus in Ecclesiis exstruendum.*
2 *Et vbi accommodandum; & De Ecclesiarum fabrica num. 25.*
3 *Sacrarii formæ duæ: prima qualis.*
4 *Eiusdem secunda forma qualis.*

1 SAcrarium igitur præter illud, quod cum Baptisterio iunctum est, alterum etiam, quod aliis vsibus in Ecclesia esse debet, in omni Cathedrali Præpositurali, Archipresbyterali, Parochiali, & alia quauis Ecclesia, in qua Missā aliquando celebratur, exstruatur ad vnius, vel alterius formæ, quæ sequitur, præscriptæ modum. Inst. fab. li. 1. c. 19. De Sacrario.

2 Idque in Capella maiori, si commodè po-

test, neque vllum impedimentum præbet, vel alio Ecclesiæ loco, qui Sacristiæ propior sit, eiusque vsui accommodatior, à populi autem conspectu remotior; vel in ipsa potius Sacristia, si hæc ampla sit, ac præsertim si Ecclesia frequentior, eiusque Clerus multus.

Inst. fab. Ibid. Sacrarii prima forma.

3 Sacrarij prima forma hæc sit, vt vas scilicet è marmore, lapideuè solido fiat, instárque fontis Baptismalis concaueturː longè patens sit cubitum vnum; latè vncias sexdecim: forma rotunda, vel ouata, vel quadrata, aliauè, quæ minus situm impediat.

In medio fundo concauo foramen habeat forma quadrata; quod largè ab omni parte pateat vncias circiter quinque, suffulciatur columella quadrata, aliauè pro ratione vasis, supposita paruula basi: ità vt ab Ecclesiæ pauimento, vsque ad summum eius labrum, altè exstructum sit cubitis duobus.

Habeat sub foramine paruulum tubulum, aquæ, ductumuè, in media columella effossum, scalptumvè: qui quadrata etiam forma amplè itidem pateat vncias quinque, vt per eum aquæ, cineres, aliáque id generis, quæ effundentur, aut proijcientur, deorsum effluant.

Infrà hunc tubulum, aquæductumuè cisterna suffodiatur, in quam quæcumque effusa, proiectauè erunt, recipiantur.

Id sacrarium integumento operiatur: quod ex tabulis nuceis sit, atque eiusmodi, vt à parte superiori sensim leni accliuitate, quasi pyramidis instar, emineat: claudatur autem firmissimè pessulo, sera, & claue.

Inst. Ibid. Sac. for. secun.

4 Altera prætereà sacrarii forma hæc erit. Fenestella in pariete, vnciis viginti, vel cubito, prout illius crassitudo est, concaua exstruatur, quæ cubito etiam vno, ac paulò amplius latè pateat: alta verò sit cubito itē vno, & dimidio.

Ab Ecclesiæ pauimento in altitudinem exstruatur cubitis circiter duobus.

Cuius fenestellæ solum è solido lapide, eóque concauo sit, in quo foramen insit, vt suprà.

Forma amplè quadrata: tùm aquæ ductus, & subtus item suffossa cisternula; valuulis suis, sera, & claue occludatur.

De Sacristia Cathedralis, Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ.

S V M M A R I V M.

1 *Sacristia quibus in Ecclesiis, & qua magnitudine; quaque distantia ab Altari maiori exstruēda.* 3.
2 *Sacristiæ duæ, vbi ædificandæ.*
4 *Situs eiusdem vbi deligendus.*
5 *Fenestras quot, & quales habeat.*
6 *Pauimentum qualis structuræ.*
7 *Ostium vbi fabricandum, & quibus valuis.*
8 *Valuæ aliæ, vbi & qualiter componendæ.*
In Sacristia vnaquáque adsint, quæ sequuntur.
9 *Imago, & Altare instructum; & ad quem vsum.*
10 *Oratorium, & cuiusmodi: Tabelláque orationum.*
11 *Vas lauandis manibus, & quale.*
12 *Mantile, seu Manutergium, & quale: quotquot alia. num.* 25.
13 *Armarium, seu Vestiarium* } *in quo vestes, ornamenta, libri &c. asseruantur: & cuiusmodi.*
14 *Longuria ad exponendas sacras vestes: & qualia.*
15 *Armariū pro libris ecclesiasticis*
16 *Armarium pro scripturis.*
17 *Armarium pro certis libris Parochialibus & scriptis aliis ad animarum curam pertinentibus.*
18 *Armaria singula, singulis clauibus munienda.*
} *custodiendis & quomodo confecta.*
19 *Armarium solum, quando eorum trium loco conficiendum, & qualiter.*
20 *Vestiarium insignius quibus in Sacristijs collocandum, & cuius formæ.*
21 *Armarium Cassauè* } *pro Canonicalibus indumentis reponendis.*
22 *Supellex Ecclesiastica ad domesticum profanumuè, & ad quem alium vsum non adhibenda: ea non commodanda; vt non exponenda: à quibus non contrectanda: & de Missa sine cantu. numero.* 41.
23 *Supellectilis munditiæ vt consulatur, regulæ instructionum instar edendæ.*
24 *Idque Metropolitani cura.*
25 *Sacristia* { *Parochialis, Collegiata, Cathedralis* } { *quam supellectilem, & qualem, quotuplicēque, quas tabellas, & cuius formæ: quos libros, quæque instrumēta, & cuius formæ habeat, vltrà ea, quæ diuersis titulis; præcipuè, Tit. de supel. Missarum, &c. Episcopalium. Tit. de Supellectile, quæ Canonicis &c. Tit. de Supellectile Ecclesiæ Paroch.*
26 *In Sacristia silentium seruandum.*
27 *Illam laici non ingrediantur.*
Sacristæ officium quale. De Ministris Eccl 35.

1 DE ædificiis prætereà adiunctis, Sacristiæ ædificatio vna, ac præcipua etiam est: de qua instructionem hoc loco breuiter contexemus.

Inst. fab. Eccl. li. 1. c. 28. De Sacristia.

Porrò Sacristia, quæ ab antiquis camera aliquando, & secretarium item dicitur, locus scilicet, vbi sacra supellex recondebatur, in omni cuiusuis generis Ecclesia exstruatur: quæ pro Cathedralis Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ magnitudine, & pro numero ministrorum, proque copia sacræ supellectilis, ampla sit, atque eiusmodi, vt paulò longius pateat.

2 Nec verò improbatur vsus duarum Sacristiarum in insignioribus, & frequentioribus Ecclesiis: quarū vna Capitulo, & Chori supellectili; altera Sacerdotib' Capellanis, & reliquis Ecclesiæ ministris, ac reliquæ supellectili, vsuisit.

3 Ab Capella, Altariuè maiori tantum intersit, vt Sacerdos, Missæ Sacrum solemniter facturus, cū illis, qui ei ministraturi sunt, inde processionaliter ad Altare, ordine progredi possit, vt antiqui moris est, cū mysterii significatione.

In cæteris Parochialibus, & aliis inferioribus Ecclesiis, commodi causa permitti poterit Episcopi iudicio, vt Sacristia à Capella, Altariuè maiori minus absit; tùm verò curandum erit, vt à domicilio Parochi non valde distet.

Inst. Ibid. De situ Sacristiæ & fenest.

4 Omnis autem Sacristia ad Orientem, & ad Meridiem versùs, quò ad eius fieri potest, omninò spectet.

Ità verò construatur, vt illius substructione, luminibus eiusdem Capellæ maioris non obstruatur.

Ibid. 5 Fenestras duas, pluresvè habeat, eásque vbi potest, è regione sibi respondentes, ac præsertim à dextro, & à sinistro latere; vt, cùm habeat, vnde aer exeat, eius locus non humidus sit, neque vliginosus; sed, si quæ vligo est, inde, aliquando patefactis fenestris, foras se det.

Quæ fenestræ duplicibus clathris ferreis, vel simplicibus saltem densioribus, & firmioribus sepiantur, & muniantur; tùm etiam opere vitreo, & reti, vt in præscripto fenestrarum Ecclesiæ demonstratum est.

Contecta verò sit opere fornicato, aut saltem laqueato.

Ibid. De Pauimento Sacristiæ. 6 Pauimentum habeat non tabulis constructum; sed eiusmodi, quod subtus paruulis fornicibus constans, totum amplè fornicatum ab humo altius aliquanto, vbi potest, præ humiditate, exstruatur; nè indumenta sacra ob loci, situsvè vliginem putrescant, aut corrumpantur. Cui rei, quò cautius prouideatur; extrinsecus etiam terra congesta, parieti adhærens, ac stillicidia item, quæ humiditatem gignant, inde procul amoueantur; tùm solum præterea exterius statuminetur, ruderibusq; & calce solidetur.

Ibid. De ostio Sacristiæ. 7 Ostium Sacristiæ huiusmodi sit, cuius aditus non in Capellam maiorem, nisi in Ecclesiis minùs insignibus, secùs permittendum Episcopus duxerit; sed, in locum publicum, nempè in gremium Ecclesiæ recta pateat. Benè autem septum sit firmissimis valuis, pessulo solido, sera, & claue itidem firma.

8 Ostij valuis, èregione aliæ valuæ tenuiores, extrinsecùs, aut intrinsecùs respondeant: quæ à parte inferiori tabulis sectilibus, à superiori tela confectæ, laicis aditum, & aspectum in Sacristiam præcludant: eæque pondere graui appenso, per se pessulo, artificiosè cōfecto, claudātur.

Quibus in valuis tenuioribus à parte superiori paruulam fenestellam eámque clathratā, exstrui non vetatur: quæ, perpetuò intrinsecùs clausa, non aperiatur; nisi, cùm aliquid è Sacristia petentibus, inde responsum datur.

Ibid. De loco sacræ imag. & Altaris in Sacrist. 9 In omni Sacristia, loco magis conspicuo sit sacra icona; tùm etiam, si amplitudo Sacristiæ patiatur, Altare, vel mensa, armariūvè, quod formam Altaris præbeat, instructū Cruce, candelabris, mappáque constratum; apud quod Sacerdotes celebraturi sacris vestibus induantur.

Ibid. De Oratorio, aut Altari in Sacristia. 10 Sit præterea Oratorium ab aliqua Sacristiæ parte, siuè foris prominens, siue intus, decenti loco: idque instar paruuli cubiculi, quo Sacerdos, Missæ sacrum facturus, se recipiat; ibique sese colligens, paulisper meditetur, & oret. Proinde tùm Altare paruum sit, in quo proposita Crucifixi effigie, aut alia imagine, sanctè precetur; tum scabellum, vbi orando genua flectat.

Si verò Sacristia ita exigua, & angusta est, vt eiusmodi Oratorium habere nullo modo possit; ab aliquo eius latere, quod orationi cōmodius sit; scabellum saltem, seu bradella aptè loco, tela saltem, vel panno, obducto, collocetur; vbi Sacerdos genua flectens, oret, affixa in pariete aliqua vt supra, imagine sacra.

4. De Sacrist. Tùm præterea Oratorium separato, quantum possit, loco positum, atque disiunctum; vbi possit Sacerdos in solitudine se colligere, & orare ante, & post Missæ celebrationem.

10 In Oratorio quocumque sit tabella, in qua orationes, ad Missæ sacrum præparatoriæ, descriptæ sint. Inst. Ibid. De tabella orationū.

Tabula etiam de orationibus, sacro vnicuique indumento accommodatis.

11 Vas præterea aquarium, quod manibus abluēdis vsui sit, è solido lapide fiat: cui papilla vna, aut, prout opus erit, plures infigantur. Ab inferiori parte, sinus aquarius concauus ad excipiendam aquam, quæ inde effluit, è lapide item, marmoreue solido sit: foraménque habeat, vnde per fistulam aqua in paruulam cisternam subterraneam, vel aliò deriuetur vbi commodius sit, illam ab Sacristiæ pariete procul deducere. 4. De Sacrist. Inst. Ibid. De Vase Aquar.

Vbi verò redditus exiguus est, pro eo vase aquario, quod è solido marmore præscripsimus, situla adhiberi poterit appensa, cui papilla affixa instar gallinacei hæreat, vnde aqua ad ablutionis vsum sensim effluat, subiecto vt suprà, sinu aquario.

Sinus autem, & vas aquarium omninò, aut aliqua ex parte in parietis concauitate, quæ hemicycli exigui formam præbeat, ornatè exstructum intus inhæreat; nè, si foris exstaret, Sacristiæ situm impediat.

12 Ad abstergendas manus linteum, vasi aquario proximum, ab opere, instrumentouè tornatili pendeat; idque candidum sit.

Labellum item cum manutergio appenso ad manus abluendas, & abstergendas. 4. De Sacrist.

Mantilia, quæ abstergendis manibus vsui in Sacristia parantur, eo opere, quod Damascenum dicunt, confecta sint; tanta latitudine constent, quanta est propria telæ latitudo, longitudine verò cubitorum octo, aut plurium, paucioruméue pro loci altitudine, depressioneuè. Hæc porro mantilia tornatili ligno quod altè collocatum, beneficio ferri, quo traiicitur, circumuoluatur, extensa imponantur. Quorum mantilium capita eatenus demissa sint, vt hominis stantis vsui esse possint, funiculis verò insertis hinc inde colligentur, vt per tornatile lignum circumduci queant. Inst. for. sup. lib 2. De Mantil. vsui absterg. man.

13 Armarium præterea amplum, in quo sacra indumenta asseruentur, ex tabulis nuceis conficiatur. Inst. fab. li. 1. Ibid. De Armar. sacrorum Indum.

A pauimento Sacristiæ altè exstructum sit cubitis duobus, & vnciis quinque.

Capsulas ductiles habeat, easque distinctas, ac longè patentes, in quibus & pro colorum varietate indumenta sacra expansa, dispertitáque & ordine asseruentur.

Super eo præterea armariola item, aut sub eo loculi ab illarum capsularum latere sint, separatim etiam exstructi: vbi sacri Calices Patenæ, corporalia, purificatoria, vela, & alia id generis munda rectè, atque accommodatè recōdantur.

Ab altero latere loculi item: in quibus illa, quæ abluenda sunt, reponantur.

Claudatur hoc tum armarium, tum armariola valuulis politè, ac distinctè confectis, seris, & clauibus item distinctis.

Atque eiusmodi armaria totidem sint, quot multitudo sacræ supellectilis poscit.

Primò Armarium, vel vestiarium vnum, plurave ad indumenta conseruanda, instructa, 4. De Sacrist.

suis capsulis, aut locus, aliove modo, operève multipliciter, ordinéque distincta, pro Ecclesiæ ratione, vel supellectilis copia.

Vestes autem sacræ, cæteráque ornamenta; volumina item Ecclesiæ vsui, ministerióque addicta, ac reliqua ecclesiastica supellex, & Parochiales item Codices in Sacristia certis armarijs, rectè, atque ordine asseruentur. Ne verò sordibus, situ, squallore, puluereque obsordescant, sed quò ad eius fieri potest, ab omni sorde, & inquinamento pura omnia, & singula sint ac integra; ac nullo prætereà modo lacera, sed sarta, tecta, nec male compacta.

Inst. Ibid. De longuriis ad vsum expon. sacras vestes.

14 Longuria etiam, politè confecta, funibus ductilibus, & trochlæis appensa in Sacristia sint: quibus sacra indumenta, prout vsu venerit, exponantur, extendanturuè.

15 Alia prætereà armaria, structura, quæ cæteris suprà præscriptis respondeat, fiant; vnum scilicet, in quo libri ecclesiastici, ad psalmodiam, & alium Chori, & Ecclesiæ vsum pertinentes aptè conseruentur.

16 Alterum, in quo iura, instrumenta, & scripturæ omnes sint, ad ipsam Ecclesiam spectantes; idque vbi aptius, tutiúsque Archiuum Ecclesia non habeat.

17 Tertium item si Ecclesia Parochialis sit, in quo certi libri Parochiales; scilicet matrimoniorum, & baptizatorum, confirmatorum, & alia eiusmodi seruentur; tùm etiam separato loco litteræ pontificiæ, edicta Episcopalia, litteræ Episcopi pastorales, quæ in dies promulgantur; tùm alia scripta, ad Ecclesiæ, vel animarum, Parochiali curæ commissarum, regimen spirituale spectantia.

18 Hæc tria armaria singula singulis clauibus tutò claudantur.

19 Eorum autem loco, vnum solum Armarium, locis tamen, pro librorum, scripturarumuè ratione, intrinsecùs aptè distinctum, exstrui possit: vbi, vel codicum, scripturarumuè paucitas, vel Ecclesiæ exiguitas, non duo, aut tria vt suprà, requirit.

Inst. Ibid. De vest. insigniori.

20 Vestiarium in Sacristiis insignioribus ex eodem genere esse potest: in quo preciosiora indumenta reconduntur. Longitudine sit pro Sacristiæ ratione: altitudine cubitorum circiter septem: profunditate duorum. Pars huius vestiarii inferior, duobus cubitis alta, capsulis ductilibus, loculisuè constet, superior verò à tergo angustius, à fronte aliquanto latius sensim patens, nullis loculis distincta sit: sed tota sine distinctione longè patens, habeat ab vno, & altero latere totidem pro vestiarij profunditate tenues asseres erectos, fibulisque ductilibus annexos, quibus singulis à superiori parte singula longuria, inferiori suffixo fulcimento sustentata, firmiter hæreant: vnde sacra indumenta expansa pendeant.

Inst. Ibid. De Armindum Canonicaliū.

21 Si Cathedralis, vel Collegiata Ecclesia sit, habeat prætereà armaria pro asseruandis superpelliceis, cæterisque indumentis, quæ Canonici, & alij Chori Ministri in Choro adhibere solent: vel eorum loco capsas decentes, circum Sacristiam sitas: quæ vsui etiam sint ad sedendum Capitulo, cum illud eo loci habetur.

1. De Ecclesiis & earū cultu.

22 Nemo vasa, vestes, vel alia ornamenta, sacris addicta, aut omninò quidquam ex sacra supellectili profanis hominibus, aut ad profanum vsum accommodare audeat: qui ità commodarit, grauiter arbitrio Ordinarij puniatur.

4. De Sacristia.

Caueant Ecclesiarum Rectores, aliive ministri, ne aulæa, peristromata, tapetia, aliáque supellectilis, & ornamentorum genera Ecclesiæ, aut Sacristiæ addicta ad domesticū vsum vllo modo vmquàm adhibeant: nec verò alijs vtenda dent. Vestes autem sacræ, aliáque indumenta, Missæ, diuinorúmque officiorum cultui dicata, in vulgus cuiquam exposita ne sint; sed armario, vestiarióque inclusa, claue obserentur: neque laicorum manibus contrectentur, vt antiquo Canone cautum est.

c. vestimēta de cons. d. 1.

5. De Ecclesiis, earum sup. & fruct.

23 Vt in omni Ecclesia, Altari, Sacristia, omnique sacra supellectile nitor munditiáque eluceat; id quod etiam Innocentius III. Pontif. in Concilio Lateranensi cauit, magna cura, & diligentia à Sacerdotibus, Clericis, aliisque Ecclesiæ Ministris adhibenda est. Quamobrem, quæ de hoc genere toto, regulæ, Concilii huius auctoritate, per nos enucleatè perscribentur, instar instructionum, eæ ab omnibus, & singulis, quorum interest, vbi primum in vulgus edentur, accurato studio seruentur, atque inducantur in vsum. *Quæ sequuntur, videantur in Tit. De Missis sine cantu.* 41.

6. Quæ ad cultum Eccl. pert.

24 Sacrarum rerum munditia diuinorum officiorum religioni debita, Ecclesiasticis sanctionibus cùm præcepta sit, tùm decretis Prouincialibus generatim, vniuerséque renouata est, vt certis regulis editis speciatim diligentius præscripta pro curæ cōmissæ officio, ab ijs, quorum interest, in omni Ecclesia seruetur. Metropolitani cura, auctoritatéque eo de genere omni instructio diligenter ordine contexatur: atque ad vsum Prouinciæ edatur, quò magis rerū diuinarū cultus, supellectilisque Ecclesiasticæ nitor, vndique decorè, & religiosè colluceat.

25 Sacristiæ { Cathedralis / Collegiatæ, & / Parochialis } Ecclesiæ supellex eadem, & formæ eiusdem est; differēs tantū eo in numero, quo suo quoq; loco infra sigillatim dicetur.

Instr. sup. Eccl. lib. 2. de sup. Sacristiæ Cath. Coll. & Paroch.

Instrumēta ferrea ad vsum conficiendi hostias, in Cathedrali duo, in Collegiata vnum, in Parochiali nullum.

Vasculum vnum, pro asseruādis hostiis magnis.

Vasculum item vnum pro hostiis paruis.

Capsulæ corporalium, binæ.

Capsulæ binæ item vbi purificatoria reponūtur.

Sacculus Calicis.

Sacculus Pixidis.

Thecæ calicum numero tot, quot sunt Calices.

Mantilia grandia, appendenda, vbi manus lauantur: in Cathedrali 12. in Collegiata octo: in Parochiali quinque.

Mappæ ad vsū Altaris Sacristiæ apud quod sacerdos vestes sacras induit, in Cathedrali quinque, in Collegiata & Parochiali tres.

Tapetia sternenda, vbi Sacerdos se induit; in Cathedrali duo saltem, in Collegiata, & Parochiali vnum, aut eorū loco clathra lignea.

Inst. for. sup. lib. 2. De Tapeto, &c.

Tapetum decens paretur, quo is Sacristiæ locus sternatur, vbi Sacerdos sacrū facturus, se induit, Vbi verò præ inopia non potest, loco ta-

peti, tabulatum, instar clathrati operis, sit à pauimento altè exstructum vncijs sex; ità tamen exiguis foraminibus quadratis, trium scilicet vnciarum tantum, plenum sit, vt stantis Sacerdotis pedes non offendat.

Crepidarum mundarum paria tria in Cathedrali, & Collegiata, in Parochiali vnum, si quando opus est, calceos luto inquinatos deponi.

Tabellæ communes { Cathedralis, Collegiatæ, Parochialis } Ecclesiæ Sacristiæ hic subsequuntur.

Inst. sup. Eccles. lib. 2. De Tabellis Sacristiæ Cath. Coll. & Par. Eccl. Tabella de sacris reliquijs in Basilica Cathedrali, Ecclesiisque Collegiatis, & Parochialibus reconditis, De sanctorũ Reliquiis. nu. 3.

Tabella Indulgentiarum eisdē Ecclesijs perpetuo concessarum. De Indulgentijs. num. 7.

Tabellæ binæ in Cathedrali, & Collegiata, & Parochiali, vna de orationibus præparatorijs, ad vsum Sacerdotũ, qui celebraturi sunt.

Tabellæ binæ in Cathedrali, Collegiatáque Ecclesia, in Parochiali vna, orationum, quas pronunciant Sacerdotes, dum sacras vestes induunt, Suprà, num. 10.

Tabella distributionis horarum pro Missis celebrādis. De Ministris Eccles. 31. & de Missa Parochiali, nu. 9. De Missis sine cantu, nu. 11.

Tabella prætereà, de Missis, commemorationibus, funeralibus, & alijs eiusmodi officijs: quæ in singulas hebdomadas, certis statis diebus, vel ab vniuerso Capitulo, vel à Parocho, vel ab vniuerso Clero Ecclesiæ; vel ab vnoquóque Sacerdote Capellano in singulis Altaribus, Capellisuè ex fundatione, institutioneuè; aut legati, eleemosynæuè nomine, aut aliqua alia obligatione præstari debent. De Ministris Eccl. 40.

4. De Sacristia. Tabellam quoque appensam ad Concilij primi Prouincialis præscriptum; in qua Tabella, & Missæ, & Anniuersaria singula, ordine notata sint; quæ vel ab vniuerso illius Ecclesiæ Clero, vel ab vnoquóq; in singulos dies, hebdomadasuè peragi, præstariuè debent.

Ac reliquas item tabellas, ex instructionum præscripto, aliasuè Episcopi iussu confectas.

Tabella, quæ diptica dicitur, de singulis Episcopis, qui in Ecclesia Cathedrali, ordine præcesserunt. Pro quibus Episcopis in Missæ sacris aliquando precandum est.

4. De Sacristia. Sit in Sacristia item tabella, in qua singuli Episcopi, qui Ecclesiæ illi præfuerunt, notata temporum ratione descripti sint; vt frequentius Sacerdotes commeminerint pro illis preces, & Sacrificia offerre. De Iurisdict. Episc. numero. 12.

Tabella processionum, vna. De Punctatorib. 32. & de Process. 16.

Tabella vna de distinctione officij simplicis, & duplicis, pro Romani ritus vsu: aut solennis, & non solennis, pro Ambrosiani instituti ratione. De diu. offic. 21. 22.

Tabella de certis statis horis diuinorum officiorum, & pulsationis campanarum. Ibid. 12.

Tabella colorum: in qua scilicet colores demonstrantur, qui singulis diebus, ex sanctæ matris Ecclesiæ, instituto adhibentur.

Tabella Clericorum, qui eisdem Ecclesijs adscripti sunt. De Min. Eccl. 61.

Tabella de ijs, quæcumque ad Ecclesiæ cultum, decorem, ac nitorem pertinēt. Supra 25.

Tabella, de cauendis in Choro. De diu. offic. 78.

Tabellæ denique aliæ, numero plures, quæcumque de ritu, disciplinauè ecclesiastica edētur.

Tabella instar Calendarij, selectorum decretorum, sanctionum, Constitutionúmque tàm Pontificalium, quàm Episcopalium, quæ certis anni diebus euulgari debent. Eæque in Cathedrali, & Parochiali, in Collegiata verò, si ibi cura animarum geratur; alias secus. De iurisd. Episc. 9.

Tabella regularum de oratione quadraginta horarum.

Tabellæ duæ, pluresuè de diuersis orationibus, pro varietate temporũ, vsui fideliũ, ad eā orationē cōuenietiũ. De oratione Quadr. hor. 10.

Tabella de officijs Parochialibus: in Collegiata, si in ea animarum cura geratur: alias contrà. De Parochijs. 56.

Tabella Sacerdotum confessariorum in Collegiata si curata etiam sit. De confess. 51.

Tabellæ duæ excommunicationum; vna latino, altera vulgari sermone explicata; in Collegiata vbi etiā Curata sit. De Censuris, nu. 11.

Tabella excommunicatorum, & interdictorum. Ibid. num. 7.

Tabella festorum dierum, qui ex præcepto, vel ex consuetudine, votouè coluntur; in Collegiata vbi animarum cura in ea exerceatur, De fest. dierum cultu. 36

Tabellæ propriæ Cathedralis Ecclesiæ, sequuntur, videlicet.

Tabella de professione fidei. De profess. fid. 4.

Tabella de titulis, dignitatibus, Canonicatibus, præbendis, & reliquis beneficijs, officijsuè Ecclesiæ: hæc communis etiam est Collegiatæ. De Minist. Eccl. 40.

Tabellæ de Missis, officijsque diuinis, quæ ab Episcopo ex decreto Prouinciali quarto, atque ex consuetudine Ecclesiæ solenniter peraguntur. De Missa, & vesp. Pont. j.

Tabella rursùs, perpetua de officijs, functionibusuè item perpetuis Archipresbyteri, Archidiaconi, & reliquorũ singulorũ, dignitates, Canonicat⁹, aut alia beneficia in Ecclesia Cathedrali obtinētiũ. De Ministris. eccl. 40.

Tabella vna, pluresvè perpetuæ item de his officijs. vt potè.

De Officio Præfecti.
De Officio Magistri cæremoniarum.
De Officio Sacristæ.
De Officio Mansionariorum.
De Officio Magistri Chori.
De Officio Custodum.

Tabella hebdomadaria, eiusmodi officiorum. De Minist. Eccl. 31.

Tabellæ propriæ Collegiatæ Ecclesiæ, subsequuntur.

Tabella de Titulis, dignitatibus, &c. vt suprà.

Tabella vna, pluresuè perpetuæ de muneribus, functionibusuè Præpositi, aut Archipresbyteri, aut Decani, aut alterius, qui in Ecclesia Collegiata primarium locum tenet, & reliquorum etiam singulorum Canonicatus, dignitates, officiauè in eadem Ecclesia obtinentium.

Tabella item vna, pluresuè perpetuæ item de his officijs vt potè.

De Officio Sacristæ.
De Officio Custodum, aliorũuè id generis.
Tabella hebdomadaria eiusmodi officiorum, vt supra. De Ministris Eccl. 31.
Tabellæ communes de Cathedrali, & Collegiatis Ecclesijs, sequuntur.
Tabella de statutis Canonicalibus, Capitularibusuè,
Tabella triplex regularum de Punctationibus. De Punctatorib. 3.
Tabella de regulis Capitulorum, congregationumuè Canonicalium, Sacerdotalium, & Clericalium.
Tabella de functionibus minorum & maiorum ordinum. vt suprà.
Tabella statorum dierum, quibus decreta, de Canonicali, vel Clericali disciplina ex Constitutione Prouinciali legenda sunt. Quæ ad capitula pert. numero.....
Tabellæ propriæ Parochialis Ecclesiæ, hic sequuntur.
Tabella de Capellis, titulis, Altaribusque eiusdem Ecclesiæ. De Eccl. fabrica. 76.
Tabella officiorum Parochialium. De Parochijs. 56.
Tabella regularum de Punctationibus.
Tabella de regulis congregationum Sacerdotalium, & Clericalium.
Tabella de votis, pijsuè consuetudinibus loci, oppidiuè Parochialis. De fest. dier. cultu. 30.
Tabella commemorationis eorum qui eleemosynas obtulerunt pro Missis celebrandis. De Missis sine cantu. 27.
Tabella legatorum, & debitorum decimarum. Quæ pert. ad bonorum, &c. 33.

Inst. for. sup. De Tabellis, &c. lib. 2.

Tabellæ, quæ multiplices, variæque supra præscriptæ in Sacristia affiguntur, non querneæ, non nuceæ, neque deniq; è ligno subobscuro sint, sed ex abiete, aliauè id generis arbore albicante, vt nè litterarum paginæ, quæ illis agglutinabuntur, reddantur obscuriores, sed illustres potius ex albedine ligni, cui affiguntur. Ad quarum tabellarũ ornatũ coronices ab omni parte adhibeantur, eæque expolitæ, aut præclarè pictæ, aut etiã inauratæ, pro ratione paginarũ, quæ ipsis tabellis affigẽtur.

Libri etiam Communes { Cathedralis, Collegiatæ, Cũcura animarũ Parochialisque } Ecclesiæ Sacristiæ, hic ordine notantur.

Inst. sup. Eccl. lib. 2.

Liber anniuersarius, isque vnus de sacerdotibus celebrantibus in quo scilicet libro, sua manu notent, subscribantuè Sacerdotes, qui singulis diebus in ea Ecclesia Missæ Sacrum fecerint. De Missis sine cantu. 22.
Liber rursus, idémque anniuersarius de Punctationibus Sacerdotum, qui non celebrarint, Ibidem. 23.
Liber item anniuersariorum, quæ quotannis celebrata sunt.
Liber seu volumen vnum constitutionum variarum Pontificalium quæ in singulos annos editæ sunt, atque edentur in posterum. De Iurisdict. Episc. 5.
Liber item vnus, seu volumen decretorum, edictorum, & aliarum id generis sanctionum Episcopalium. Ibid numero. 8.
Bibliorum sacrorum volumen vnum.
Concilij Tridentini volumen vnum.
Concilij Prouincialis vniuscuiúsque Mediolanensis, volumen vnum.
Synodi vniuscuiúsque diœcesanæ volumẽ vnũ.
Liber, seu exemplum vnum decretorum visitationis Apostolicæ.
Liber etiam vnus harum instructionum.
Liber historiæ probatæ de Reliquijs Sacris, in Ecclesia reconditis. De sanctorum Reliquijs. 35.
Liber Canonum pœnitentialium.
Liber de Baptizatis. Quæ pert. ad sacr. Bapt. 30.
Liber de cõfirmatis. Quæ pert. ad sacr. cõfir. 33.
Liber de matrimonio iunctis. Quæ ad sacr. Matr. pert. 50.
Liber de statu animarum. De diligen. adhib. in statu vniuscuiúsque Parochiæ cognoscen. 3.
Liber de votis, & piis consuetudinib. De fest. dier. cultu. 27.
Liber distributionis eleemosynarum factæ quotannis adhibito Parocho. De piorum locor. admin. 47
Liber formularum de denunciationibus dierum festorum, & omnis cuiuscúmque generis, ad Parochi munus pertinentis.
Liber seu volumina literarum, & instructionum pastoralium de solemnitatibus, de sacris temporibus, & alijs.
Liber consecrationum Ecclesiarum, Altarium, Cæmiteriorũ, & Campanarum benedictionum. De Eccl. consecr. 6.
In Cathedralis Ecclesiæ Sacristia tantum sint formæ, seu designationes baptisterij, Sacrarij, Reliquiarij, & aliarum omnium singularúmque rerum, operumuè, quæ his duobus instructionum libris commonstratæ sint.
Baptisterij, Sacrarij, tabernaculi, lunulæ, vestium, aliarúmque eiusmodi rerum forma, instructionum nostrarum libro demonstrata, in omni Ecclesiæ Cathedralis Sacristia ponatur; ad cuius similitudinem reliquæ, quæ in alijs Ecclesijs adhibentur rectè confici possint.

4. De Sacrist.

Liber item de peregrinis, Paschæ tempore in Ecclesia Cathedrali sacram Communionem sumẽtibus. De sanctæ Euch. in Eccl. admin. 4.

Libri communes. { Cathedralis & Collegiatæ, quæ caput plebis sit } Ecclesiæ Sacristiæ hi sunt.

Liber vnus de distributione sacrorũ oleorum.
Corpus vnum iuris Canonici.
Libri proprij Parochialis Ecclesiæ Sacristiæ tantum, hi quoque sunt.
Liber descriptionis bonorum, & iurium Ecclesiæ.
Liber de vita sancti Patroni Parochialis Ecclesiæ. De fest. dier cultu. 34.
Supellex instrumentalis Cathedralis, Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ, est quæ sequitur.
Tripodes cum suis patellis, vasibusuè focarijs, in Cathedrali tres; in Collegiata, duo; in Parochiali vnus.
Forcipes ferrei; in Cathedrali tres; in Collegiata duo, in Parochiali vnus.
Cochlearia ferrea; in Cathedrali; Collegiata, & Parochiali totidem, quot forcipes.
Vasa olearia maiora, ad vsum olei lampadum

recondendi, in Cathedrali, tria; in Collegiata, duo; in Parochiali vnum.

Vasa minora, quæ gutti dicuntur, ad illum ipsum vsum; in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali totidem.

Infundibula, & vasa duo in Cathedrali, & Collegiata; in Parochiali verò vnum, ad olei è vase maiusculo depromendi; rursúsque in alterum minusculum infundendi vsum.

Inst. for. sup. lib. 2. De alt. sup. Instr. Forma eiusdem supellectilis instrumentalis est, prout infrà.

Tripus ad thuris adolendi vsum, cum Missæ, & vesperæ solemniter fiunt, è Patella, aut vase focario constet: in quo ignis, prunauè accensa teneatur: è ferro autem, aut ex aurichalcho sit. Cui tripodi adiungatur etiam cochleare cum manubrio adunco, & forcipe ad prunas excipiendas.

Vasa, in quibus oleum ad vsum lampadum recondetur, è lapide sint, aut è querneo saltem ligno; operculis item cõstent aptè cõpositis.

Guttus olearius, in quem scilicet è vasibus oleũ infunditur, è stanno, aut saltem ex ferrea lamina tenui confectus, ore satis patulo sit; è quo oscillum excitetur rostri instar, per quod tenui fluxione oleum in lampades transeat.

Infundibulum eiusmodi sit, quo oleum ex vasibus lapideis querneisvè haustum, in guttum effundatur: cuius infundibuli manubriũ extremum reflexum sit, vt appendi possit.

Scopulæ paruulæ ex cannulis palustribus, ad detersionis vsum in Cathedrali decem; in Collegiata sex, in Parochiali quatuor.

Scopæ maiores, in Cathedrali, & Collegiata quinque, in Parochiali duæ.

Scalæ gestatoriæ; quarum vna altior sit, in Cathedrali tres, in Collegiata, & Parochiali duæ.

Ligones, in Cathedrali tres, in Collegiata, & Parochiali duo.

Batilla totidem.

Hastilia, seu perticæ in Cathedrali, & Collegiata quinque, in Parochiali duo.

Longuria totidem, pluraue.

Spongiæ grandiusculæ, in Cathedrali quatuor, in Collegiata duæ, in Parochiali vna.

Rutra, in Cathedrali, & Collegiata duo; in Parochiali vnum.

4. De Sacrist. Vbi autẽ prædicta instrumenta asseruentur, videatur Tit. de loco, vbi feretra, & cætera id generis asseruentur, post tit. de Cæmiterijs.

1. De off. Sacristæ. 26 In Sacristia ipsa silentium seruetur accuratè; neque in eam pateat aditus laicis, nisi necessariò.

Laicos ibidem versari ne patiatur Sacrista.

De Vase aquæ Sanctæ.

SVMMARIVM.

1 *Vas aquæ Sanctæ è qua materia conficiendum.*
2 *Vbi collocandum.*
3 *Aspergillum ei annectendum & cuiusmodi.*
4 *Nullus ei adhæreat.*
Aqua quando renouanda. De Sacramẽtalibus. 38.
Eiusdem aquæ aspersio à quo facienda, & quo tempore, in Parochianorum ædibus, Ibid. 39.

1 HActenus de sacrario, & alijs; nunc de aquæ Sanctæ labro vaseuè: quod è marmore, lapideuè solido, non spongioso, ac sine rimis sit: columellæque scapo decenter elaborato, suffulciatur. Inst. fab. lib. 1. c. 20. De Vase aquæ sanctæ.

2 Collocetur non foris, sed intus in Ecclesia, ità vt è conspectu ingredientium sit, à latere dextro vbi potest.

Alterúmque collocetur quà ingrediuntur viri; alterum, quà mulieres.

Parieti non inhærens, sed ab eo distans pro situs spacio: collumella, vt suprà, aut pila, baséque sustẽtetur: in qua nihil profanũ appareat.

3 Aspergillum decens habeat, è labro catenula appensum.

Quod, vel ex auricalcho, vel ex ebore, vel è ferro, politè tamen elaborato, vel ex alio genere, quod conueniat, cõficiatur: à summa parte non è spongia constet, sed è setis. E spongia autem esse potest; si in pilula ex argento, auricalcho, aut stanno, vndique perforata illa includatur; præfixis extrinsecus setis.

Labrum, seu vas aquæ benedictæ intus in Ecclesia, non foris existat, atque ad ostium Ecclesiæ, à latere verò ingredientis, vbi potest, dextero. E marmore autem, lapideuè solido, non lateritio, neque spongioso constet: aspergillumque decens appensum habeat, non spongia, sed è setis confectum: aliauè forma, in earundem instructionum libro demonstrata. 4. De Ecclesiæ fabr.

4 Altaribus, fontibus baptismi, vel aquæ benedictæ nemo adhærere audeat. 1. De Ecclesiis & earum cultu.

De Ambonibus.

SVMMARIVM.

1 *Ambones quibus in Ecclesiis construendi, & ex qua materia, & vbi collocandi 5,*
2 *Iique duo; & cui vsui.*
3 *Ambo vnus, vt sufficit.*
4 *Eiusdem inferior pars quibus deseruiat.*

1 HAbenda est quoque in Ecclesijs insignioribus, ac præsertim in Basilicis Cathedralibus ratio ambonum: quos, & magnos, & ornatè confectos, & tabulis marmoreis ornatos exstitisse, in Basilicis Romanis perspici licet, & alibi etiam æneis, cælato sacrarum imaginum opere expressis. Inst. fab. Eccl. lib. 1. De ambonibus, & suggestu, c. 21.

2 Item duo pro Ecclesiarum magnitudine constitui possunt; vnus altius exstructus, de quo Euangelium; alter, de quo Epistola, lectionè sacræ scripturæ, in maioribus solemnitatibus pronuncietur. Hicque paulò depressior sit, quam ille, vnde Euangelium legitur. Ibid. De duobus Ambon.

3 Vnus etiam tantùm Ambo, vt in multis Ecclesijs cernitur, esse potest, qui & Euangelij, & Epistolæ simul lectioni vsui sit: ità tamen vt in eo locus, vnde Euangelium recitatur, aliquanto eminentior sit; pars verò, vnde Epistola, aliquo gradu inferior sit. Ibid. De vno Ambone.

4 Infima item pars sub ambone, vel alius locus inferior detur, vbi Cantoribus, Clericisuè spacium sit, vnde in solennitatibus, certisque diebus de antiquo Ecclesiæ more stata Cantica præsertim inter Epistolam, & Euangelium canant.

In Ambone, vbi potest, constituantur duo

graduum ordines; vnus, quo fit ascensus ad Orientem versus; alter Occidentem spectans, quo fiat descensus.

Ibid. De situ Ambonum. 5 Si vnus tantum Ambo in Ecclesia constituendus sit; is à latere Euangelii statuatur. Si duo, vnus, vnde scilicet Epistola legitur, à latere Epistolæ; alter verò qui est Euangelij ab Euangelij latere constituatur; ità vt Diaconus, inde Euangelium legens, ad Meridionalem Ecclesiæ partem vertatur, ad quam viri conueniant.

Atque ij quidem è marmore lapideuè alio, confici debebunt; & ornari præterea aliquo piæ sculpturæ opere. Aut è lateritio lapide exædificari possunt, exornari tamen eos decet laminis marmoreis, lapideisuè ornatè elaboratis, aut æneis, ijsque inauratis: quales hodie etiam visuntur.

De Suggestu.

SVMMARIVM.

1 *Suggestus in Parochiali extruendus.*
2 *Qua materia, & forma.*
3 *Vbi constituendus.*
4 *Ad eius ornatum pallia Altaris non adhibenda.*
5 *Ornamenta illius paranda.*

4. De Eccl. fab. 1 IN vnaquáque Ecclesia Parochiali suggestus decenter, ad instructionum præscriptum exstruatur, vnde Parochus, alijuè concionatores sacram concionem, vel lectionem populo frequenti habere possint.

Inst. fabr. Eccl. lib. 1. c. 21. De sugg. In vnaquaque autem Ecclesia Parochiali, vbi Ambo constitui non possit; vnde, & Euangelium pronunciari, & sacra concio haberi possit, suggestus omninò, ex tabulis sectilibus, ijsque firmioribus, decenti opere, & formâ ab eodem Euangelij latere exstruatur; vnde, & Euangelij lectio, & concio sacra haberi queat.

3 Illud denique caueatur; vt cùm ambones, tùm suggestus in gremio Ecclesiæ, loco conspicuo; vnde, vel concionator, vel lector, ab omnibus, & conspici, & audiri possit, aptè collocati, ab Altari maiori, vt pro Ecclesiæ ratione fieri decorè potest, non longè admodum sint; quò Sacerdoti, vt decretum est, intrà Missarum solennia concionanti, commodiori vsui esse queant.

5. De Ecclesiarum sup. & fruct. 4 Ac nè ad suggesti quidem ornatum pallia Altarium vsui sint.

5 Curandum igitur erit, quàm citissimè per facultates Ecclesiæ fieri poterit, vt pro solennium temporum, festorúmque dierum ratione, ornamenta, suggestis ipsis propriè apposita comparentur.

De Capsulis Eleemosynarum.

SVMMARIVM.

1 *Capsulæ eleemosynarum non collocandæ. 4.*
2 *Qua licentia permittendæ: & vbi eo in casu accommodandæ. 4.*
3 *Quot clauibus muniendæ: & à quibus illæ asseruandæ.*
Non ponendæ propè Altare indulgentiarum. De Indulgentijs. num. 12.
Nec propè confessionale. De confessionali. num. 9.
Capsa eleemosynaria pro celebrandis Missis, vbi collocanda, & quis ei præficiendus. De Missis sine cantu, num 27.

1 NE in Ecclesia, aut pro foribus eius, neuè in Oratorijs, aliouè sacro loco colligendæ eleemosynæ causa, nè ipsius quidem Ecclesiæ aut eius, fabricæ, Rectorisuè nomine, capsula, vasculum, mensa, aliuduè eius generis, etiam extraordinariè, collocetur; aut iam collocatum, in posterum permittatur; nisi Episcopi concessu, litteris exarato: tuncque ei capsulæ, vel rei aliæ ad id paratæ, duæ claues apponantur, diuerso fabrili opere fabricatæ; quarum altera teneatur ab eo, quem Episcopus nominarit; altera ab ijs, quorum nomine eleemosyna colligetur. Si contrà fiet, pœna sit, arbitratu Episcopi, tùm eleemosyna collecta locis pijs addicatur illius item arbitrio. 4. De ornatu, &c. sacr. locorum.

4 Si quæ capsæ Episcopi concessu in Ecclesia constituentur, aut collocabuntur, in quas à fidelibus, vt plerisque in locis pietatis studio fit, vel frumentum, vel legumina, vel alia quæuis eleemosynæ nomine, conijciantur: eæ nè intrà Capellæ, Altarisuè, quo fidelium, eiusmodi res offerentium, concursus fit, cancellos, aut clathra ferrea ita ponantur, vt ipsis fidelibus, eleemosynas collaturis, necesse sit cancellos ingredi.

De Tabulato ad vsum Ecclesiæ distinguendæ.

SVMMARIVM.

Vt viri separatim à mulieribus sint in Ecclesia, Tabulatum conficiendum. De religiosa in sacris locis conuersat. num. 7.
1 *Tabulatum ipsum, quibus in Ecclesijs, qua earum parte, & qua forma constituendum.*
2 *A qua parte concio habenda, vt aptandum.*
3 *Audiendæ quoque Missæ causa, quomodo accommodandum.*

1 ET quoniam, ex instituta antiqua, à beatóque Chrysostomo testificata consuetudine, & in plerisque huius Prouinciæ locis olim vsitata, in Ecclesia separatim à fœminis viri esse debent; forma, & modus distinctionis Ecclesiæ eiusmodi esse potest. Inst. fab. Eccl. lib. 1. De tabulato ad vsum Ecclesiæ distinguendæ. c. 24.

In Ecclesia igitur, insigniori præsertim, à Capellæ maioris ingressu, vsq; ad ianuã majorẽ, tabulatum, per mediũ Ecclesiæ gremiũ rectà ductum, columellis ligneis solidis, quinque cubitorum spatio singulis inter se distantibus in pauimentóque firmiter agglutinatis, affigitur; ac si tabulæ sectiles, ex quibus compactum est, aliquando amouendæ sunt, canalibus paruulis in vnaquáque columella ab vno, & altero item latere excauatis, alioue modo confectis, totum altè committitur. Cuius tabulati altitudo cubitis circiter quinque exstruitur.

Ità verò in ianua maiori committatur, vt illam mediam diuidat, sicque diuisâ, ac distinctâ, partim viris, partim mulieribus ad Ecclesiam

aditum, diuisim. distinctéque faciat.

Sint autem in tabulato ianuæ quædam certis locis perspicuis: quæ valuis, & pessulis clausæ, tunc solùm aperiantur, cùm ab vna ad alteram partem trāsitum necessariò fieri opus est,

2 A qua parte autem concio habetur, quò facilius, commodiúsque fideles concionatorem conspiciant; tabulatum cum eo tempore demissius aliquantò extare debeat, à summa parte tabulis committatur, quæ fibulis ferreis annexæ, & hinc inde paruulis pessulis clausæ, cùm opus est, aperiri, & demitti possint, eiusdem fibulis appensæ.

3 Quibus etiam in Ecclesijs, aliquando necesse est, vt cum ab vna parte Missa celebratur, qui ab altera sunt, eidem Missæ sacro intersint; eadem ratio tabulati demittendi adhiberi poterit.

Fibulæ autem ad tabulati demittendi vsum, vt genibus flexis, fideles, à qua parte sunt, Sacerdotem, in altera celebrantem, prospiciant, à pauimento distent cubitis duobus; si ad concionis audiendæ vsum tantū sint, cubitis tribus,

De Sedilibus muliebribus, quas bradellas dicunt.

SVMMARIVM.

1 *Sedilium, bradellarumuè vsus prohibetur.*
2 *Communes quæ permittuntur.*
3 *Illæque quorum sumptu conficiendæ.*
4 *Earundem situs.*
5 *Forma, & numerus.*
6 *Bradellæ viris interdicuntur.*
7 *Sedilia qualia illis concedantur.*
8 *Vtque disponenda*

4. De ornatu, &c. sacr. loc. 1 VT & Ecclesiarum nitori consulatur, & strepitibus, ac rixis, quæ ex sedium muliebrium, quas bradellas vocant, in Ecclesijs collocatarum situ, existere sæpè solent, occurratur: vtque simul in iis. Ecclesijs, quæ prætertim angustæ admodum sunt, populi frequentiæ spatium maius detur: eæ sedes omnes, vbi constitutæ sunt, amoueantur: nec verò in posterum vllæ vnquàm collocentur,

2 Communes autem aliquas, easque humiles, simplici fabrili opere confectas, modo, & forma in nostrarum instructionum libro præscripta, collocari, constituique liceat, concessu Episcopi.

3 Eæque sedes communes, aut confratriarum, quæ in Ecclesijs constitutæ sunt, sumptibus, aut pecuniâ à populo contributâ, fieri poterunt, aut alia quauis ratione, quæ Episcopo potior videbitur.

Inst. fab. Eccl. lib. 1. De sedi lib. Mulieb. cap. 25. 4 Quibus in Ecclesijs, Episcopus aliquem bradellarum vsum permittendum censuerit; earum forma sequens constituetur quæ in Ecclesia à parte mulierum collocatæ, cùm ad sedendum, tùm ad genua flectenda illis vsui erunt. Pars verò mulierum Septentrionalis sit; nisi quibus in Ecclesiis, pro ratione situs, aliauè causa, Episcopus aliter statuerit.

5 Asseres igitur, seu trabes paruulæ querneæ tres, crassitudine vnciarum quinque; longitudine cubitorū trium, & vnciarum sexdecim, latitudine vnciarum octo, in Ecclesiæ solo rectæ suppositæ, tribúsque circiter cubitis singulæ inter se disiunctæ, tabulis sectilibus totidem, cuiusmodi generis sint, iis que singulis latitudine vnciarum octo, æquali inter se spatio distantibus constratæ, vna scilicet in medio, reliquæ duæ in extremitatibus, bradellas humiles, easque tripartitas ità constituant; vt inde, cùm vsu venerit, nè impedimento sint, amoueri queant. Angustiores verò sint, vbi eas latiores loci situs non requirit. Atque hæc quidem forma bradellarum, quæ ab ea parte per Ecclesiæ longitudinem ductæ, singulæ cubito inter se distantes, totidem collocabuntur, quot pro Ecclesiæ amplitudine, Episcopus concesserit.

Sint autem procul omninò à Capella Altaris maioris, octo circiter cubitis, vel amplius pro Ecclesiæ ratione; à tabulato intermedio, spatio viæ latæ quatuor cubitis, pluribusuè pro magnitudine Ecclesiæ; ab altero latere, viæ etiam tantidem spatii. Nec verò propè vlla Altaria sint, sed paulo remotiora.

In medio autem bradellarum situ, via præterea transuersalis sit, quæ tantundem pateat.

6 A parte autem Ecclesiæ, quæ virorum est, nullæ bradellæ sint, quibus genua flectantur.

7 Si quæ verò sedilia conceduntur, ea, è tabulis item sectilibus confecta, forma oblonga sint; neque à tergo habeant longuria: quibus homines ab humeris nitantur; &, vel parietibus hærentia, vel intrà intercolumnii spatia recta potissimùm collocentur.

8 Et huiusmodi sint, quæ geri, amoueriuè singula possint, prout vsu venerit: atque ità disponantur, vt, Ecclesiæ impedimento non sint; atque ità etiam vt, qui sedent, à sanctissimo Sacramento auersi non sint; neque rursùs Altaribus hæreant.

De Campanili.

SVMMARIVM.

1 *Campanilis formæ duæ: prima qualis.*
2 *Altitudo.*
3 *Tabulata quot, & qualia.*
4 *Fenestræ quot, & vbi, & quales.*
5 *Scalæ cuiusmodi.*
6 *Fastigii forma.*
7 *Ostium, vt muniendum.*
8 *Situs Campanilis.*
Campanarum numerus, sequenti tit. edocetur, numero. 1. 2. 3. 4.
9 *Horologium.*
10 *Campanilis, quæ secunda forma.*
11 *Campanilis loco, vbi pila latertitiæ aptandæ.*

1 ATque hæc quidem sunt, quæ ad interiorem Ecclesiæ fabricam, vsumuè pertinent: nunc aliqua sequuntur, quæ adiuncta Ecclesiæ sunt Inst. fab. Ecc. lib. 1. De tur. camp. & campanis. cap. 26.

Ac primo loco de turri Campanarum, quam campanilem dicunt.

Vbi Campanarum causa turris exædificanda est; hæc mox infrà demōstrata seruari poterunt.

Sit turris campanarum, quadrata forma, aut alia, vt pro ratione Ecclesiæ, lociuè, Architecto videbitur.

2 In altum exstruatur, illius iudicio, pro amplitudine item Ecclesiæ.

Ibid. de tabulatis. 3 Habeat tabulata, quot idem iudicarit: imum autem fornicatum, reliqua superiora ex assulis firmis confecta, & summum opere item fornicato.

Ibid. De fenestris. 4 Fenestras in singulis tabulatis habeat: quæ ab omni parte exstructæ, longiusculæ sint; elegantioremque formam pro structuræ modo exhibeant.

Quæ autem in summo tabulato columellis, aut pilastratis distinctæ, ab omni latere patentiores sint: aut alia forma, de Architecti consilio, pro ædificij ratione.

Ibid. De scalis. 5 Scalas pro ædificationis item modo, vbi potest, cochlidas, aut aliâ formâ; easque vel lapideas, vel ligneas: quibus ad campanarum locum ascensus cōmodus sit, neque periculosus.

Ibid. De fastigio. 6 Fastigium non triangulum, sed circulatum, & pyramidale: in cuius summo, vt mysterij ratio postulat, galli effigies firmissimè affixa, Crucem erectam sustinere poterit.

Ibid. De ostio. 7 Ostium valuis firmis, pessulis, & claue benè munitum, vt perpetuò clausum esse possit; nisi cùm opus est campanis pulsari.

Ibid. De loco campanilis. 8 Exstruatur autem hæc turris in capite atrii, porticusuè, quæ foribus Ecclesiæ proxima est: vbi verò atrium non est, à manu dextera ingredientis, atque ità ab omni alio pariete disiunctum, vt circuiri possit.

Ibid. De horologio. 9 In qua turri præterea horologium, pro ædificii forma, artificioso opere confectum, collocari conuenit: ità vt horæ cuiúsque ratio, intus cāpanæ sono, foris stellæ effigie, quæ in orbem ducatur, perspicuo loco constituta, significetur.

Ibid. de altera forma cāpanilis. 10 Hæ, suprà demonstratæ regulæ, de turris forma, deque horologio locum habeant in Ecclesiis insignioribus.

Vbi verò loci situs, & facultatum tenuitas turrim campanilem tanti sumptus fieri non patiatur; in Ecclesiæ angulo, à dextera ingredientis, extrà tamen Ecclesiam prominens, non longè à ianua exstrui potest; forma, quæ de Architecti consilio probabitur; ità tamen, vt in ea ostium insit, intus ab Ecclesiæ parte, non foris exstructum; & valuis, seraque vt suprà, munitum.

Ibid. De pilis lateritiis pro cāpanili. 11 Vbi autem ea est facultatum angustia, vt campanarum turris nulla quidem exstrui queat: interim, dùm facultas sit, pilæ lateritiæ in summo pariete hærentes, eæque arcuatæ fieri possunt; vnde campanæ appendantur. Qua in re videndum est; vt apto loco constituantur; atque ità vt funes earum tractorii, nè in Capella maiori, vllauè alia, aut in medio Ecclesiæ ostio, aut alio eiusmodi loco pendeant: iidémque per tubum ligneum, in fornice insertum, ducti, tractiuè fornicatum opus, ne sensim diruant.

De Campanis.

SVMMARIVM.

1 *Campanæ Cathedralis Ecclesiæ campanilis septem, vel quinque.*
2 *Collegiatæ, tres, & quales.*
3 *Parochialis tres, vel duæ, & quales.*
4 *Simplicis Ecclesiæ Oratoriivè } vna.*
5 *Nihil profani ijs insculpatur.*
6 *Non adhibendæ ante benedictionem. nu. 7.*
7 *In ijs benedicendis, exponenda benedictionis virtus. De Sacramentalibus. 9.*
In Ecclesia, cæmiterio, vel Oratorio non constandum. De profano vsu à sac. loc. toll. 15.
Pulsandis ijsdem tempus, & ratio præscribenda. De diu. off. 12.
8 *Campanæ sonitu præmonendus populus ad prosequendum sacram Eucharistiam.*
Diuina officia significanda. De diu. off.
9 *Earum vsus ad supplicij significationem non adhibendus.*
Liber benedictionis campanarum conficiendus, & vbi asseruandus. De Eccl. consecr. num. 6.

1 Hæc turris, si Ecclesiæ Cathedralis
2 est, septem, aut quinque ad mini-
3 mum campanas; si Collegiatæ, tres, grandiorem scilicet, mediam, & minimam: si Parochialis, totidem, aut duas saltem habere debet; easque distincto quodam soni concentu inter se rectè consentientes, pro varia diuinorum officiorum, quæ fiunt, ratione, ac significatione. Inst. fabr. Eccl. lib. 1. c. 25. De numero camp.

Parochialis Ecclesia, si campanas tres, grandiorem scilicet, mediam & minimam habere non possit, saltem duas, vbi fieri potest, habeat, easque distincto soni concentu inter se rectè consentientes, pro varia diuinorum officiorum, quæ fiunt, ratione, & significatione. 4. De Campanis.

4 Simplex Ecclesia, Oratoriumvè, vnam tantum campanulam habeat, vt Ioannis XXII. Pont. Constitutione sancitum est.

5 Campanis autem ipsis res nulla profana deinceps insculpatur, inscribaturuè; sed Crux, & sacra aliqua imago, vt potè sancti Patroni Ecclesiæ, piauè inscriptio.

Illæ præterea nè rem vllam profanam insculptam, inscriptamuè vllo modo habeant; sed sancti Patroni Ecclesiæ, aliamuè sacram imaginem, piamque inscriptionem. Inst. vt suprà De Camp. benedict. &c.

6 Campanæ neque in turri, neque alio loco collocandæ sunt; nisi primùm solenni benedictionis, precúmque ritu; ex Ecclesiæ instituto consecratæ: cuius consecrationis monimentū aliquo loco turris, vel Ecclesiæ, consignetur. Ibid.

7 Neque rursùs eæ in turrim campanilem sustollantur, antequam ab Episcopo ritè precibus, ac benedictione consecratæ sint. 4. Ibidem.

8 Cùm sanctissima Eucharistia deferenda erit, tùm populum sono præmoneant. 5. quę pert. ad sacr. S. Euchar.

9 Sacræ campanæ vsum, qui ad fideles præmonendos, vt ad diuina conueniant officia, est introductus, indignum est, ad conuocandos homines ad spectacula suppliciorum adhiberi. 1. De Ecclesiis & earum cultu.

Quamobrem Principes, ac Magistratus etiam atque etiam hortamur, vt campanis, quæ Ecclesiarum vsui sunt ad dictæ, si consecratæ sint, ad pœnarum significationem quemquam vti nè patiantur.

De Sepulchris.

SVMMARIVM.

1 *Sepulchrum { Episcopale, Parochiale, Canonicale } ædificandum.*
2 *Episcopale sepulchrum, vbi, & qua forma ædificandum.*

3 Cathedralium Ecclesiarum { Canonicalia Sacerdotalia Clericaliaque } sepulchra quot, & vbi extruenda.
4 Collegiatarum Ecclesiarum. { Canonicalia Sacerdotalia Clericaliáque } sepulchra, quot, & vbi fabricanda.
5 Parochialium Ecclesiarum { Parochialia Clericaliaque } sepulchra, quot, & vbi conficienda.
6 Sepulchra communia, quot, & vbi exædificanda.
7 Sepulchra laicorum propria, qua facultate in Ecclesia construenda.
8 Qua tamen Ecclesiæ parte minimè struenda, & de Baptesterio. 13.
9 Excelso loco posita amouenda; tàm ex decreto Conciliari, quàm Constitutione Pii V. De Constitut. num. 11.
10 Humi omnia exædificanda.
11 Quaque forma.
12 Vt etiam illa disponenda.
13 Operimento quali contegenda.
14 Id operimentum, vt sustollendum.
15 Quæ imagines, quæque litteræ in eo.
16 Sepulchra, malè tecta, quo termino accommodanda.

5. Quæ ad diuin. off. pert. 1 EPiscopus in Cathedrali sua Ecclesia, loco, & formâ, quæ instructionibus fabricæ Ecclesiasticæ, ex decreto Prouinciali editis, præscripta est, sepulchrum Episcopale primo quoque tempore faciendum curet ad communem vsum Episcoporum illius Ecclesiæ. Cuius quidem sepulchri operimento insculpta sit, ità tamen, vt nè è solo æquato extet, mitra, & baculus pastoralis, tantummodo cum his literis, *Sepulchrum Episcoporum N.*

Hoc ipsum vnusquisque Parochus ad Parochorum; & Capitula ad dignitatum, & Canonicorum vsum itidem præstent.

Inst. fab. Eccl. De sepult. & cæm. lib. 1. c. 27. 2 Sequitur de sepulchris, & cæmiteriis instructio, quæ eiusmodi est.

Ac primò quidem sicut Episcopos, presbyteros, aliosque Ecclesiasticos homines intus in Ecclesia sepeliri Canones sanxerunt: ità de eorum sepulturis aliqua instructione cauendum est.

Episcopalis igitur sepulturæ locus in Basilica Cathedrali pro Chori foribus, ingressuuè esse potest: vbi si locus decens aliquando non datur, alius deligatur, qui religioso, venerabilique Episcopali nomini, ac dignitati conuenientior sit: non in Choro tamen, neque in Capella maiori, sed extrà illius fines, in alia Ecclesiæ parte decentiori, atque insigniori.

Sit ea à cæteris, etiam Canonicalibus sepulchris, loco, & insigni prætereà aliquo Episcopali distincta.

3 Sepulchra item sint Canonicalia duo, à dextero latere sepulturæ Episcopalis; eaque vt suprà, aliquo interiecto spatio separata: in quibus, & Canonici, & Capitulari dignitate præditi sepeliantur.

Totidem prætereà à sinistro latere, certo etiam interuallo disiuncta: in quibus cæteri Basilicæ Cathedralis Sacerdotes, Clerici, aliique Ecclesiastici Ministri humentur.

4 In Ecclesiis Collegiatis sepulchra tria sint, ante etiam Chorum: aut alio loco, etiam digniori; non in choro tamen, nec verò in Capella maiori, aliauè; vnum in medio situm in quo Præpositi, vel Archipresbyteri, vel alio nomine Rectores earum solùm humentur; alterum in quo Canonici; tertium in quo cæteri Sacerdotes, Clerici, Ministrique earum Ecclesiastici.

5 Prætereà in singulis Ecclesiis Parochialibus etiam duæ sepulturæ sint, loco, vt suprà, demonstrato; vna propria Parochorum, Rectorumuè earum, altera Clericorum Parochialiũ.

6 Vbi, vel in atrio, vel in porticu, vel in exedris, vel in cæmiterio locus nullus dari potest sepulturis communibus: intus in Ecclesiæ ingressu saltem quatuor eo nomine struantur.

7 Alia verò sepulchra, laicorum propria, in Ecclesia, sine Episcopi concessu fieri non debere decretum est.

Ne sepulturæ locus quouis nomine cuiquam detur: neuè sepulchra fiant, construanturuè in vlla quauis Ecclesia, sine Episcopi concessu, scriptis exarato. 4. De sepulc.

8 Quæ si fieri exstruiuè concessum erit, nè propè Altaria, vt Varensi Concilio cautum est, struantur, fiantuè; nisi tàm longè distent, vt sepulchrale os ab eorum scabello bradellauè procul absit spatio saltem cubitorum trium. Inst. fab. Ibid.

Nullo sanè modo intrà Chori, & Capellæ maioris fines; neque rursùs intrà Capellarum minorum cancellos exstruantur, quibus à populo Sacerdos celebrans separatur.

In Choro autem, vel Capella maiori, nullo modo. 4. Ibidem.

Nec verò in aliis Ecclesiæ locis propè Altaria, nisi tàm longè sepulchra distent, vt sepulchrale os à scabello, seu bradella Altaris procul absit, spatio saltem cubitorum trium. Quæ autem propius exstructa iam sunt, omninò amoueri, obstruiuè decernimus.

9 Non est ferenda nostri temporis insolentia sepulchrorum, in quibus putida cadauera, tamquàm sacrorum corporum reliquiæ, excelso, & ornato loco in Ecclesiis collocantur, circùmque arma, vexilla, trophæa, & alia victoriæ signa, & monumenta suspenduntur; vt iàm non diuina templa; sed castra bellica esse videantur. 1. De sepult.

Ambitiosam igitur hanc in mortuorum corporibus decorandis arrogantiam detestantes, & Ecclesiarum decori consulentes, eiusmodi sepulchra excelso loco posita; & ea, quæ parietibus inclusa, vel adiuncta etiam in vna parietum parte eminent, nisi marmorea, aut ærea sint, siue illis corpora contegantur, siue inania; & ibi tantum honoris causa sint constituta; & eorum omnis generis ornatum, & apparatum ad tres menses amoueri, ac tolli omninò iubemus.

Ossáque ac Cineres in Sacro loco altius in terram defodi, ità conditos, vt sepulchrum è solo non emineat.

10 Et si cui locus sepulturæ deinceps dabitur in Ecclesia, humi tantùm detur, & sepulchrũ, in quo condetur, opere fornicato cum reliquo Ecclesiæ pauimento æquatum sit.

Hæc vt efficiantur, diligenter operam dabunt Episcopi, adhibito etiam, si opus erit, magistratuum auxilio. 4 Ibidem.

11 Fornicato opere sepulchra fiant, quæque è Inst. fab. Ibid.

solo Ecclesiæ nullo modo extent, emineantuè: sed illud planè adæquent.

12 Ab vtroque Ecclesiæ latere vbi fieri permissum erit, dextero scilicet, ac sinistro eo ordine disposita exstruantur, vt è regione sibi singula respondeant.

4. Ibid. Inst. fab. Ibid. De duplici integ. sep.

13 Operiantur, nè vllo vmquàm tempore fœteant, duplici integumento; quod forma quadrata è lapide solido sit; ità tamen, vt inferius integumentum è rudi; illud autem superius è polito lapide struatur; Ecclesiæ pauimento æquale, quod item sepulchrali ori vndique aptè cohæreat, *ex Inst. hoc solum additur (ibi quadrata; (vel alia decenti forma, pro loci ratione (ibique è polito;) additum, (solido lapide sit,) ità tamen, vt inter vtrúmque aliquid spatii relinquatur.*

Inst. fab. Ibid. de annulo se.

14 Annulus prætereà in medio integumẽto superiori affigatur, ad illius eleuandi vsum: ità tamen, vt nihil emineat: sed tantundem integumenti excauetur, quantum annuli crassitudo capiat. Rursus alia etiam ratio prætermittenda non est, vt illud integumentum sustollatur per clauos duos: qui aliqua crassitudine sint; quique ab eiusdem integumenti superiori parte in vtroque latere traiecti, nihil planè extent: ab inferiori autem, paulò oblongiores, quàm integumenti crassitudo est, singuli ferrum transuersale, firmiter hærens, habeant: quo, dum fune vnicuique clauo adhibita, integumentum eleuatur, sustineri queat.

15 In superiori porrò integumento nè crux, sacráque alia imago, effigiesvè sculpatur, aut alio modo exprimatur: vt nè pulueris, lutiuè sordibus, & sputo inquinetur, ac transeuntium pedibus conculcetur.

Neque verò etiam sculpturæ ornatus, literarum incisio, aut inscriptio vlla, aliudvè quicquàm fiat, quod emineat; neque rursùs quicquam etiam tessellato opere, etiam si non supereminent, inscribatur, sculpaturvè, quod Episcopo ante probatum non sit.

4. Ibidem.

In quo superiori integumento, ne Crux, sacraque alia imago sculpatur.

Nec rursùs imago alia, vel litteræ, aut aliud omninò quicquam, quod extet, atque emineat: neque quod ab Episcopo prius probatum non sit, vel ab eo, cui ille id munus dederit.

16 Quæ sepulchra modò sunt, marmore, vel petra solida, non tecta; nisi trium mensium spatio aptè tegantur, humo oppleantur, adæquato solo: ac nemo præterea in illis deinceps sepeliatur.

De Cœmiterijs.

SVMMARIVM.

1 *Sepeliendi mos in Cœmiteriis restituendus.*
2 *Cœmiteria quibus Ecclesiæ partibus constitui possint: quæque potius loca ei vsui deligenda.* 4
3 *Ab anteriori parte, quando non exstruenda.*
5 *Amplitudo quanta.*
6 *Forma.*
7 *Septum cuiusmodi.*
8 *Porticus, cum sepulturis, quibus in cœmiteriis ædificandi.*
9 *Crux in medio, & qualis,*
10 *Capella.*
11 *Vas aquæ sanctæ.*
12 *Ossarium.*
13 *Ostia, quot, & vbi construenda: utque munienda.*
14 *Ostium maius qua imagine exornandum.*
16 *Quæ in eis, & propè ea non toleranda.*
Quæ profana amouenda. De profano vsu à sacr. loc. toll. à num. 8. ad 18.
Ea ne seruiant pro transitu. Ibid. nu. 19.
In eis rixantium quæ pœna. De Religiosa in sac. locis conuers. 10.
Cœmiteriorum consecrationes in librum referendæ: qui liber vbi asseruandus. De Eccles. consecr. 6.
Cœmiterio profanando qui modus adhibendus. De ratione adhibenda in Eccl. profanandis. 7.
Cœmiterium Ecclesiæ profanatæ quò transferendum. De Ecclesiis instaurandis. num. 7.

1 Monemus verò Episcopos, vt morem, multis locis intermissum, mortuos in cœmiteriis sepeliendi, restituendum curent; inde submotis, si qui ea vsurparint. 1. De sepult.

Cum sepulchris coniuncta instructio esse debet de cœmiteriis: in quibus mortuos sepeliendi morem antiquum, tantoperè à patribus comprobatum, in vsum ex decreto Concilii Prouincialis, per Episcopos nostræ Prouinciæ, vbi potest, restitui cupimus. Inst. fab. Eccl. li. 1. c. 27. De cœmiteriis.

2 Cœmiteria igitur, vt animaduerti licet, alia in porticu, atriouè Ecclesiarum, à fronte scilicet; alia à tergo, alia à latere Septentrionali; alia à Meridionali; quædam ab omni illarum parte sunt: nec verò vetitum est, quin adhuc etiam ab eisdem singulis, omnibusque partibus constitui possint.

3 Porrò, quæ à fronte, in atriouè Ecclesiæ exstructa sunt, quamuis ad excitandam, vel charitatis erga mortuos fideles, vel conditionis humanæ memoriam in ipso prospectu hominum sint; tamen quoniam ob iter, ac tritam viam quà transitus, per, & ad Ecclesiã, hac atque illac fit, facilius patent, vel animalibus, vel seruitutibus, vel deambulationibus, congressibus, & aliis hominum actionibus eo sacro loco indignis, quamobrem etiam sæpè ob alia, quæ quotidie humanitùs incidunt, violari contingit; ideò à fronte in atriis, porticibusuè Ecclesiæ, cùm ab alio latere fieri possint, non exstrui expedit.

4 A Septentrionali autem Ecclesiæ parte, illorum situs potior deligatur; aut ab eo latere, in quo maximè ædium clericalium transitus quotidianus, fenestrarum prospectus, stillicidiorum etiam proiectura, aliæuè eiusmodi seruitutes vitari possunt.

5 Ampla autem cœmiteria esse debent, pro Ecclesiæ, cui adhærent, situsuè spatio, proque hominum item multitudine.

6 Forma esse possunt oblonga, aut quadrata, Architecti iudicio, ac pro situs modo.

7 A parietibus nuda esse non debent; sed vndique iis septa. Qui parietes à terræ solo altè exædificentur, cubitis circiter septem.

Vbi verò tanta parietum altitudine præ loci inopia exstrui non possunt; ità saltẽ altè exædificentur,

centur, vt animalibus aditus præcludatur: hæcque altitudo non minor sit cubitis tribus.

Vbi verò præcisæ rupes erunt, quibus cœmiterij situs concluditur; eæ pro sepimento parietum esse poterunt.

4. De cœm. Cœmiteria vt muro, vel alias tutè vndique sepiantur, & eorum ingressus bestiis occludatur; curet Episcopus diligenter.

Instr. fabr. Ibidem. De cœmit. 8 Parietes autem manufacti, extrinsecùs albario opere incrustentur: in locis verò insignioribus decens erit, si intrinsecùs ab omni parte porticibus vestiantur: sacrisque picturis, historiisvè ornentur. In iis porrò porticibus sepulturæ, æquali spatio inter se distinctæ, recto ordine, ad præscriptæ formæ rationem, fieri possunt.

Vbi porticibus cœmiteria non circumuestiuntur; parietes saltem exornari debent aliqua sacra pictura, certis eorum locis expressa.

9 In medio eorum situ, Crux ex auricalcho, aut marmore, aliovè lapide confecta, collocetur: quæ in columna marmorea, lapideavè, seu in pila structili suffulta, aliquo decenti integumento operiatur, aut è ligno altè erecta, constituatur.

4. De cœm. In eorum medio Crux firmiter erecta sit; quam aliquo etiam decenti integumento operiri, conueniens erit.

Inst. Ibid. de cœmit. 10 Capella item paruula, eaque in Orientem versùs, vbi potest, exstruatur; in qua preces pro mortuis, aliquando fiant.

11 Habeat item vas aquæ sanctæ, formâ suprà demonstratâ, cum aspersorio, non tamen appenso, sed quod amoueri possit, ad aspergendi vsum.

Instr. Ibid. De loco ossario. 12 Certus prætereà locus intus sit, pariete vndique septus, & tecto, ac fornice, vbi potest, opertus: isque in omnium conspectu sit: vbi mortuorum ossa, aliquando effossa, ordine struantur.

Ibid. de ostiis cœm. 13 Cœmiterij porrò tria ostia à fronte esse possunt; nisi situs ratio eiusmodi est, vt à latere etiam illa fieri necessariò postulet. Si verò cœmiterium Ecclesiæ ab aliqua parte continens est, ab ea parte ianuam item habeat, qua ad Ecclesiam aditus fit, cùm vel diuinorum officiorum pro mortuis, vel processionum causâ vsus venerit.

14 Ab ostij autem maioris, à fronte exstructi, summa parte, quæ extrinsecùs est, sacrosanctæ Crucis imago exprimatur; in extremo Crucis affixa imagine capitis, aut cranij hominis mortui.

15 Quæ ostia, à quacumque parte sint, firmis valuis, pessulis, & claue munita, & clausa, ne pateant; nisi cum vsus venerit.

16 Nullæ vites, arbores, arbusta, stirpes cuiuscuis generis, non modo frugiferæ; sed quæ etiam nullum omninò fructum, baccasvè gignunt, in iis esse, aut censeri debent.

Imò verò, ne fœnum quidem, herbavè virescens, quæ pabulo detur, sit. Absit strues lignorum, ac tignorum; tùm omnis aceruus cœmentorum, lapidumvè; omnis denique res, loci sanctitati, religioni, & decoro repugnans.

4. De ornatu, &c. sacro. locorū. Ex cœmiteriis porrò vites, arbores frugiferæ, & aliæ etiam infrugiferæ cuiusuis generis, aut arbusta, stirpesvè omninò conuellantur, atque excidantur.

Neuè in posterum in his sacris locis quicquam conseratur, nec verò seratur.

Nè fœnum ex his succidatur, neuè herba item virescens, quæ bestiis pabulo sit, vel detur. Neuè in earum fines res vlla abiiciatur, cuius grauis, teteruè odor sit, aut aliud quicquam sacris iis locis inhonestè fiat.

Stabula etiam armentorum, & cuiusuis generis animalium inde procul sint.

In iisdem nè lignorum strues fiat; nè tigna congerantur; nè cœmentorum, lapidumvè aceruus sit; nec denique quicquàm loci illius decori, nitoriuè, ac religioni, sanctitatiuè repugnans.

De loco vbi feretra, & cætera id generis asseruentur.

SVMMARIVM.

1 *Feretris, & aliis eiusmodi instrumentis custodiendis, qui locus, & vbi constituendus.*
2 *Vtque muniendus.*

1 Locus prætereà alius Sacristiæ, aut cœmiterio saltem propior, in omni Ecclesia Parochiali, & Collegiata aptè extruatur: in quo feretra, candelabra ferrea grandiora, cænotaphia, vasa olearia, perticæ, scalæ, scopæ, ligones, batilla, sustentacula crucum, instrumenta ad abstergendi vsum accommodata; cæteraque id generis reponantur: vt Ecclesia ipsa, & Sacristia, tùm ab omni re indecenti, tùm ab omni impedimento planè libera, vacuaque sit. Instr. fabr. Eccl. lib. 1. De loco vbi feret. &c. id generis asseruentur. cap. 29.

2 Isque locus, ostium habeat, valuis, pessulo, seraque benè septum.

De ornatu, decore, ac nitore sacrorum locorum.

SVMMARIVM.

1 *Animalia, quæ in Ecclesiis non appendenda.*
2 *Mensæ Altarium consecratæ, vt tegendæ.*
3 *Altaria, foribus patentibus, quibus paramentis instructa sint.*
4 *Sepulchrum, in quo Corpus Christi feria v. in Cœna Domini reconditur, quo modo exornandum.*
5 *Sanctorū imagines quibus vestibus non induendæ.*
6 *Sacris locis munditia adhibenda.*
Capsulæ eleemosynariæ in Ecclesiis non retinendæ sine facultate. De capsulis eleemosynarum, num. 2.
Bradillæ muliebres auferendæ: quæque tantum permittendæ: & à quibus illæ conficiendæ. De sedilibus muliebribus. num. 1.
7 *Quarum rerum nitori à Rectore consulendum.*
8 *Parietes vrina, & aliis sordibus non inquinandi.*
9 *Quæ ab eisdem parietibus remouenda.*
Quæ item à cœmiteriis tollenda. De cœmiteriis, num. 16.
10 *Ianua, Parietesq; interiores* { *Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium* } *Ecclesiarum in quibus solennitatibus ornandi frondibus, aulæis, imaginibus.*
Ecclesia Metropolitana, sanctorum Patronorum vniuscuiusque ciuitatis Prouinciæ imaginibus exornanda. De Imaginibus, &c. num. 23.

4. De ornatu decore, ac nitore sac. loc.

1 NE animalia, pisces grandiores, eorumvè membra in Ecclesiis appendantur; nisi quæ voti, aut piæ significationis causa Episcopus permittenda censuerit.

2 Consecratæ Altarium mensæ totæ, licet aliqua ex parte lateritiæ sint, tela cerata ità contegantur, vt facilè à mensa, tela non possit amoueri.

3 Cùm Ecclesiæ fores patent, tunc Altaria singula, & mappis tribus mundis, vna oblonga, quæ ad imam eorum partem pertingat, duabusque reliquis breuioribus vestita sint; ità vt gradus etiam ille ligneus, super Altari à tergo collocatus, ab indumento nudus non sit, sed mappa munda totus sternatur: & pallio item coloris, quò ad eius fieri potest, pro festi diei, feriævè ratione decenter eadem ornata: ac tela viridi, nè mappæ puluere, aliavè sorde inquinentur, constrata: & prætereà cruce in medio collocata: & candelabris duobus, vno scilicet ab dextera, altero ab sinistra parte, posito, instructa, atque ornata semper sint. Idque quotidie in Ecclesiis, quæ frequentantur, in cæteris verò Ecclesiis, festis saltem diebus.

Tabella secretorum in vnoquoque Altari sit item, ea tamen ratione: vt peractâ Missâ, non erecta sit, sed depressa sub tela, mappauè recondatur.

4 Quibus in Ecclesiis, feriâ quintâ hebdomadæ sanctæ, sepulchrum ornatur, aut constituitur, vbi Corpus Christi Domini asseruatur, cum illud gloriosum fore, Isaias prædixerit, sicut precioso ornatu decorari debet: ità in iis cauendum est, ne profanus, & parum decens sit ornamentorum apparatus. Nè igitur cubilis stragula, cortinæ, conopæa, seu tentoria, ad vsum profanum adhibita, ad illud circumuestiendum, atque exornandum vsui sint: nisi Ecclesiæ oblata, eius iam propria facta, & sacro vsui dicata sint.

5 Idem sancitur de vestibus, & ornamentis, quibus sacræ sanctorum, sanctarumque imagines induuntur.

6 Nè Ecclesiæ, oratoriauè, situ, puluere, aut alio squallore obsordescant.

Vbi prætereà inter Altare maius, & parietem, qui à posteriori eius parte est, locus non multi spatij datur, relinquiturvè, quamuis exiguus, qui Chorum non capiat, is etiam locus, ab omni situ, squallore, ac sorde purus, mundusque conseruetur.

7 Altaria item, sacræ tabulæ, & imagines, ac parietes ipsi perpetuò niteant: tùm fenestræ non subobscuræ, sed perlucidæ sint: pauimentum autem saltem octauo quoque die diligenter verratur. Hæc omnia præstari, cura sit Rectoris cuiusuis Ecclesiæ.

8 Adhibeatur item diligentia, & graui pœna mulctaque agatur, vt & Ecclesiæ, & Oratorij, & cœmiterij parietes ab vrina, aliisvè cuiusuis generis sordibus mundi conseruentur.

9 Arbores, stirpes, aliaque eiusmodi arbusta, ab Ecclesiis, & Oratoriis quibusuis remota sint, vt nè radices dilatatæ parietibus officiant: aut rami diffusi tecta operiant: vnde detrimentum ipsis tectis existat. Si verò rami eiusmodi tectis iam officiunt, amputentur omninò.

Vites prætereà, hederæ, aliæque id generis herbæ, quæ succrescentes exterioribus Ecclesiarum, aut Oratoriorum parietibus adhærent, prorsùs conuellantur.

A rubis prætereà, & spinis, & aliis id generis, quæ adnasci solent extrinsecùs, iidem parietes mundi: & à cœmentorum item, lapidumque congestu remoti, custodiantur.

10 Sicut in anniuersariis solennitatum sanctioribus celebritatibus festiuius canimus laudes, solenniusque Ecclesiastica celebrantes officia, modulamur organis, pretiosiorique vestium apparatu induimur: ità diligentes nos domus Dei decorem, & locum habitationis gloriæ eius, curare debemus, vt quo spiritalis lætitiæ nostræ manifestiora signa demus, diuinorum beneficiorum, quæ iis potissimum solennitatibus recolimus, memoria excitati, templa etiam ornatiora, quàm aliis diebus, appareant, tùm ad augustiorem cultum, tùm ad fidelium consolationem. Itaque die Natali Domini, & reliquis quatuor deinceps festis diebus, in Epiphania, Pascha Resurrectionis, in Ascensione, tribus Pentecostes diebus, in solẽnitate Corporis Domini, festoque die sancti Patroni, Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium præsertim insignium, curet præfectus vniuscuiusque Ecclesiæ pro locorum ratione, proque facultatibus, vt ianuæ, quemadmodum veteris instituti est, vsuque Romano comprobati, & à beato Hieronymo laudati, frondibus etiam ornentur, prout tempora tulerint: tùm parietes interiores, atque intercolumnia, peristromatis, aulæis, tapetibus, sacrarumque imaginum tabulis exornata sint. Quo in apparatu, ornatuque sacræ imagines etiam in ipsis foribus adhibeantur. Insignia verò, & alia profana absint.

5. Quæ ad dies festos & sacra tempora pert.

De profano vsu à sacris locis tollendo.

SVMMARIVM.

Obscœnis figuris, ethnicorumque hominum imaginibus Ecclesiæ non ornandæ.

1 *Laicorum ædes Ecclesiam non attingant.*

2 *Fenestræ, quibus in Ecclesiam prospectus sit, obstruendæ.*

3 *Aedificia laicalia contigua parietibus Ecclesiasticis quo iure ædificata ab Episcopo cognoscendum.*

4 *Ea non iure ædificata, diruenda.*

5 *Legitimè verò ædificata, si vsui sordido addicta, vt reducenda.*

6 *Id in posterum non permittendum.*

7 *In atrio Ecclesiæ non ædificandum.*

8 *Schedulæ profanæ* } *sacris locis non affigendæ,*
9 *Res venales.* } *& quanta distantia. &*
10 *Officinæ.* } *Tit. seq. n. 1. Ver. Clericus.*

11 *Paleis tecta non operienda.*

12 *Cœnacula, Cubiculauè.* } *supra Ecclesiam non toleranda.*

13 *Fruges, Supellexque profana.* } *in eis non asseruanda.*

14 *Clauis sacri loci laicis non committenda.*

15 *Campanæ in eis non conflandæ: nihilque fabrile fiendum.*

16 *Granum non ventilandum.*

17 *Panni linei soli non exponendi.*
18 *Colo non uendum, neque suendum.*
19 *Per Ecclesiam, uti per uiam non transeundum.*
20 *Literæ profanæ non docendæ.*
21 *Quando eas docere liceat.*

2. Tit. 2. decr. 22.

1 Illud curet Episcopus, vt nè laicorum hominum ædes in posterum ædificentur, quæ Ecclesiarum parietes vlla ex parte attingant.

2 Si quæ verò fenestræ, siue Ecclesiasticarum, siue laicarum ædium in ipsis Ecclesiarum parietibus insunt, vnde in Ecclesias conspectus sit, efficiant, vt duobus saltem post huius Concilij promulgationem mensibus obstruantur.

3. de iis, quę pert. ad orn. & cult. Eccl.

3 Si quæ ædes, ædificiavè cuiusuis generis à laicis constructa sunt, quæ vel Ecclesiæ, vel Oratorij parietibus continentia, innixaque hæreāt; qua auctoritate, quoque iure ædificata sint, cognoscat Episcopus: idque sibi ostendi ab eis iubeat, qui ædificarint, ædificariuè curarint.

4 Si quæ autem iure ædificata non demonstrarint, ea asportari, amoueri, diruiuè mandet; nisi Ecclesiæ, cui continentia hærent, vsui, dominorum consensu, attribuenda potius censeat.

5 Sin autem iure constructa sunt, eaque ædificia, aut stabula, aut loca sordido vsui accommodata, addictauè sunt; ea disiectis, & amotis sordibus, ad honestiorem vsum conuerti Episcopus iubeat, hocque ipsum à Parochis item, & aliis præstari mandet, etiam in ædibus Ecclesiasticis.

6 Neque in posterum à laicis ità ædificari, aut ædificata ad sordidum vsum à quibusuis adhiberi Episcopus permittat.

7 In atrio verò Ecclesiæ vllo modo ædificari à laicis nè permittat, vt Canonum iure interdictum est.

4. De profano vsu à sac. locis toll.

8 Nè ædium, agrorum, rerumque aliarum eiusmodi, quæ vel locandæ vel vendendæ proponi, aut proscribi publicè solent, neuè omninò rei cuiusquàm profanæ schedulæ, scriptavè vllis Ecclesiarum, Oratoriorumvè, aut Cœmiteriorum foribus, valuis, parietibusque, aut in quouis sacro loco in posterum affigantur.

9 Nè item res venales, in Ecclesiarum, & Oratoriorum, Cœmiteriorumvè parietibus appendantur; neque intrà loci spatium, quod aqua sacra aspergitur, cùm Ecclesiæ consecratio fit; aut intra stillicidij fines, aliudvè loci maius interuallum Episcopi iudicio præscribendum.

10 Neuè item officinæ, tabernæuè, quouis materiæ genere, etiam tabulis, asseribusuè confectæ, vel ipsis parietibus inhærentes, vel in cæmiteriis, sacrisvè locis, aut omninò intrà illius spatij, aut interualli fines, vllo modo constituantur, aut collocentur. Quæ verò iam constructæ, collocatæuè sunt; inde quàm-primum penitùs amoueantur.

11. 12 Nè Ecclesiæ, aut Capellæ, aut etiam Oratorij, in quo Missæ sacrificium aliquando peragitur, tecta palearum aceruis, neuè aliqua lignorum strue onerentur: ne item à parte superiori vel cœnaculum, vel cubiculum, vel omninò locum habeant, vbi, aut dormiatur, aut habitetur, aut quicquam profani fiat. Quæ verò loca iam eiusmodi sunt, omninò amoueantur.

13. 14 Nè frumentum, milium, hordeum, vllumvè tritici, aut leguminum genus; ne poma item; nè instrumenta ad prædiorum rusticorum vsum comparata, ne cuiusuis generis supellectilem profanam, vt ab Innocentio III. Pontifice in Concilio Lateranensi sancitum est: nè denique quicquàm à domo Dei alienum in Ecclesia, etiam non consecrata, aut in Oratorio, aut in Cœmiterio recondi, aut asseruari ab vllo quouis homine liceat. Vetitumque prætereà sit; nisi, cùm interdum aliter Episcopus faciendum censuerit, clauem illius Ecclesiæ, aut Oratorij, etiam diœcesani, ruralisuè, laicis hominibus, præsertim verò colonis, vel conductoribus eiusdem Ecclesiæ ædium, vel prædiorum committi, aut ab illis custodiri, seruariuè.

15 Nè campanæ in eis conflentur, neuè aliquid ferruminetur: neuè fabrile quicquam aut aliud huius generis fiat; nisi quæ ad eiusdem Ecclesiæ, aut oratorij vsum, ornatumvè alibi fieri non possint.

16. 17. 18 Nè in Cœmiterio frumentum, quasi in area ventiletur; nè tritura fiat: nè paleæ, frumenta, fruges, expandantur: nec verò telæ, panniuè linei, lixiuio, aquauè madefacti, soli ibidem exponantur: neque in eo fœminæ, maresque colo quicquam neant, neuè suant, aut aliud prætereà opus faciant, eorum sacrorum locorum rationi alienum.

19 Ecclesiæ ostia, Cœmiteria item, aut Rectori, aut etiam aliis vsui nè sint, res profanas oneraue asportantibus, hacque & illac per Ecclesiam, sacraque loca, quasi per viam publicam transeuntibus: cui rei, vt planè occurratur, cautionem omnem Episcopus adhibeat.

20 Nè grammaticæ, humanarumque literarum rudimenta, quæ sæpe inanibus Gentilium fabellis traduntur: aut aliæ omninò literæ, præter sacras in Ecclesia, tamquàm in ludo literario pueris aperto exponantur: sed rudimenta solum Doctrinæ Christianæ, & cætera, quæ in illis scholis pueris tradi consueuerunt.

21 Si quo tamen in loco ex causis, hoc Concilio probatis, Parocho permissum erit alia docere, non vetamus: si domus Parochialis angustia necessariò postulet, hoc officium ab eo præstari ferialibus diebus in Ecclesia permissu eiusdem Episcopi. Quæ permissionis facultas scripto detur: tùm prætereà locus certus, ac, quàm longè fieri poterit, ab omni, præsertim maiori Altari remotus, ad id muneris deligatur: extra cuius loci fines pueri nè vagentur: nec verò ob eam causam in Ecclesia morentur: nisi cùm Parochus qui eos in disciplinam suscepit, præsens adest.

De Religiosa in Sacris locis conuersatione.

SVMMARIVM.

1 *In Ecclesiis diuinorum officiorum tempore deambulationes, nugæ, circuli, negotiationes, cum mulieribus colloquia, multorum irreuerentia, mendici vagantes, res venales, venatici canes, volucres, hastæ, sclopeti, balistæ, & alia id genus, pernoctationes etiam, & excubiæ prohibentur.* 2.

2 *Delinquentes in prædictis, à Rectore monendi, & quando expellendi, quaque alia Rector ipse non permittat.*
3 *Parlamenta quoque publica, & alia profana prohibentur.*
4 *Constitutio Pij V. de tollendis colloquiis, congressibus, deambulationibus, & aliis eiusmodi, præsertim diuinorum officiorum tempore, à quibus executioni demandanda.*
Poenaque irreligiosè in Ecclesia versantium ex Constitutione ipsa.
5 *Ecclesiarum ostia certâ horâ claudenda, & aperienda.*
6 *Eis apertis Ecclesia custodienda.*
7 *Diuidenda viris, & mulieribus, etiam pars subterranea, & qua ratione. 9.*
8 *Idque propriis ostiis vtrique sexui, & à quo assignatis.*
10 *Poena in Ecclesia rixantis, vel gladium euaginantis.*
11 *Pro foribus non ludendum, aut quid simile non agendum.*
12 *Mulieres infames propè Ecclesiam, Ecclesiasticorumque ædes non habitent.*
13 *Mulieres velatæ Ecclesiam ingrediantur.*
14 *Vela ea non vtentes, qua poena afficiendæ.*

1 IN Ecclesia, præsertim cùm diuina celebrantur officia, vel verbum Dei prædicatur, nemo hæc audeat. 1. De Eccl. & earum cultu.

Deambulare, nugari, circulos habere, negotiis operam dare:

Cum mulieribus, de quibus suspicio esse possit, colloqui:

Altaribus, fontibus baptismi, vel aquæ benedictæ adhærere.

In limine, aut ante fores immorari:

Auersus ab Eucharistiæ sacramento irreuerenter sedere; aut, cùm in Missa sustollitur, stare:

Aut quouis modo diuina officia perturbare:

Aut irreuerenter in Ecclesia versari.

Nè Clericus, aut alius quiuis in Ecclesiis, earumuè Cœmiterio, atrio, vestibulo, aut porticu, foribusvè, quidquam venale proponat, nè si ad vsum quidem sacrificij, vel Ecclesiæ futurum sit. *Vide etiam, tit. antecedentem. num. 9. 10.*

Nemini cum venaticis canibus, vel volucribus in Ecclesiam ingredi liceat; neque hastam, vel sclopetos, balistas, aliauè eiusdem generis in eam inferre.

Ne Mendici eleemosynæ causa in Ecclesiis vagentur; sed extra ianuam consistant. *Vide etiam Tit. de Constitutionibus, num. 11.*

2 Qui in horum aliquo deliquerit, à Rectore per se, vel per alium Ecclesiæ ministrum moneatur: nisi paruerit, ab Ecclesia expellatur: si id commodè fieri non possit, ad Episcopum deferatur; qui in eum suo arbitratu animaduertat, qui etiam Rectorum, & aliorum Ecclesiæ ministrorum huius officij negligentiã coerceat,

Rector cuiusuis Ecclesiæ pernoctationes, aut nocturnas vigilias in ea posthac nemini permittat.

Sed sub noctis horam Ecclesiarum fores claudat.

Neque vllo pacto quemquàm præter Sacerdotes admittat: nisi nocte Natalis Christi Domini, cùm Missa celebratur.

Neuè patiatur, si fieri possit, populum ad eas excubare.

Qui contrà fecerit, Episcopi arbitratu puniatur.

Magnopere verò à Principibus petimus, vt, ad rem adiuuandam, suam quoque potestatem conferant.

3 Ne in Ecclesia laici homines de rebus profanis, aut de iis, quæ ad ipsam Ecclesiam non pertinent, Congregationes, Concilia, vel quæ parlamenta publica dicunt, habeant. 1. Tit. 2. dec. 23.

4 Quæ verò Lugdunensi Concilio olim à Gregorio X. & nuper à Summo Pontifice Pio V. ad tollenda in ipsis Ecclesiis colloquia, congressus, deambulationes, & ad earum cultum sancita sunt, in iis præstandis Episcopus omnem, vel maximam diligentiam adhibeat: Canonicos verò, Ecclesiarumuè Rectores, & alios item, ad quos spectat, in munere, quod ad eam curam attinet, obeundo, negligentes, vel contumáces pœnis afficiat, quas illi eadem summi Pontificis sanctione subeunt. Conc. trid. Sess. 22. de obseruand. cap. 1. de Immunit. Eccl. in 6. Bulla Pij V. de Const. num. 11.

Sique præterea in iis ipsis exequendis Regulares negligentes esse animaduerterit; illos ad eiusdem Summi Pontificis in eadem Bulla præscriptum grauissimè corripiat.

5 Ne sacris mysteriis dicata, & à Deo electa, templa sancta pateant iniquitatibus hominum, quo præsertim tempore peractis diuinis officiis, nemo adest Clericus custos, id curet Episcopus, vt Ecclesiæ, & vrbanæ, & Diœcesanæ, certâ pro ratione locorum constitutâ horâ, claudantur, & aperiantur item. 4. De relig. in sacris loc. conuersatione.

6 Quod si ob causam aliquando diutius, aut per totum diem eas patere oportet; caueat tamen, efficiatque Episcopus, vt quo tempore patentes sint, atque apertæ, custos aliquis Clericus adhibeatur, qui semper adsit: & quæ loco illo sacro indigna sunt, ibi agi prohibeat.

7 Vbi vetus illa consuetudo, cùm ab aliis, tùm ab sancto Chrysostomo in primis testificata, eaque non sine aliqua mysterij significatione instituta: vt separatim scilicet in Ecclesia viri à mulieribus essent, in Prouincia nostra intermissa, aut nulla est: Episcoporum curâ planè restituatur, quemadmodum & adhuc in compluribus eiusdem Prouinciæ Ecclesiis retinetur, & olim in vsu fuisse cognoscitur ex antiquis earundem Ecclesiarum exædificationibus: in quibus separationis, ac distinctionis huius vestigia, his etiam temporibus extant. Qua in consuetudine restituenda modus, & forma illius distinctionis exstruendæ, muniendævè per eos, quorum interest, seruetur ad præscriptum instructionum nostrarum de fabrica Ecclesiastica editarum.

Forma eiusdem videatur supra Tit. de Tabulato, num. 1.

8 Vniuscuiusque autem Ecclesiæ Rectoris cura sit, locum in Ecclesia ostiaque pro ingressu, & egressu separata, sexui vtrique assignare: ac propterea quibus in Ecclesiis opus est, plura ostia, loco opportuno aperire, ad præscriptum Episcopi, ex Instructionibus fabricæ.

9 Ad loca illa sub gradibus, Altarique maiori exstructa, quæ martyria, confessionesvè, ab antiquis vocantur, magna cautio adhibenda

est, nè viri, & fœminæ ingrediantur eodem tempore, præsertim in populi frequentia.

Quare in illis Ecclesiis, in quibus ingressus ad eiusmodi loca, mulieribus omninò interdictus non est, si diuidi commodè ea non poterunt, vt viri à fœminis separatim sint, saltem, quod ad illa attinet, quæ obscuriora, aut non satis ampla sunt, certus dies, certaque hora ab Episcopo constituatur, qua ad illa alteri sexui separatim pateat ingressus.

10 Nè quis, nè in atrij quidem Ecclesiæ finibus, nedum in Ecclesia, aut cœmiterio rixas, simultates, aliasuè quasque res, quæ offensionem, scandalumuè pariant, vllo modo excitet; neuè gladium, vt Concilio Triburiensi sancitum est, armaque stringat, aut iis quemquam aggrediatur. Si quis contrafecerit, postquàm spatio, quod ei Episcopus præstituerit, monitus, facti sui excusationem, defensionemuè iustam nullam attulerit, communione, eiusdem arbitrio priuetur.

11 Pro foribus, atriouè Ecclesiæ, præsertim quo tempore sacra, diuinaque officia celebrantur, nè pila ludatur; aut aliud quicquàm fiat, agaturuè, vnde strepitus, clamoresuè excitantur, quibus diuinæ officiorum preces interturbentur. Qui secùs fecerit, pœnam, mulctamuè subeat Episcopi arbitrio.

12 Illud Parochus sedulò agat, vt mulieres lenocinio, meretriciouè quæstu infames, nè domicilium habitent, quod vel Ecclesiæ, vel ædibus Parochialibus, aut virorum, mulierumvè Monasteriis continens, aut propè inhæreat.

3. de iis, quę pert. adorn. & cultum Ecclesiæ.

13 Grauissimis rationibus hoc Paulus Apostolus monet, ac præcipit, vt mulieres in Ecclesiam conueniant velato capite: hoc ipsum docet princeps Apostolorum Petrus; cuius etiam iussu sanctissimus Pontifex, qui in eius locum successit, Linus decreto idem sanciuit. Quare Apostolicis iis institutis nos adducti, & animaduertentes prætereà, ab antiquis illis sanctissimarum mulierum exemplis, veterique benè institutarum ciuitatum disciplina, atque vsu, ab omni denique ratione, vt ab Ecclesiæ patribus explicatum est, hoc valde esse alienum, vt capite aperto illæ incedant, illud admonemus, vt Episcopi, vbicumque est, in suis, vel vrbibus, vel diœcesibus, is deprauatis moribus introductus vsus, quo maximo possunt, ac debent, pastoralis solicitudinis officio illum eripere studentes, hoc in consuetudinem introducere curent, vt velo caput ipsæ induant; idque præsertim, cùm vel sacras processiones prosequuntur, vel in Ecclesiam conueniunt.

6. Quæ ad cultū Eccl. pert.

14 Quod de velo mulierum, non sine multiplici mysterio, & voce Apostolica institutum, & Pontificio Canone corroboratum, & sanctissimarum fœminarum exemplis vsitatum, ac diuturno vsu retentum, nos Concilio tertio Prouinciali commonendum, & ab Prouinciæ Episcopis omni ratione curandum statuimus, quò diligentius in posterum præstetur, hoc prætereà decernimus.

Mulieres cuiusuis ordinis, status, & conditionis sint, pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ sancita, velato in Ecclesia capite sint. Quæ verò non paruerint, postquàm ter, aut semel, quæ vnica monitio pro tribus satis sit, etiam generatim monitæ, in contumacia perstiterint, ab Episcopo, prout expedire iudicauerit, puniantur.

De Ecclesiarum, & Altarium consecrationibus, aliarumque rerum benedictionibus.

SVMMARIVM.

1 *In Ecclesia consecrata nihil noui ædificij fiat, absque licentia Episcopi.*
2 *Ecclesiæ Parochiales non consecratæ infrà quod tempus consecrandæ.*
3 *Altaria maiora earundem Ecclesiarum consecranda.*
Consecrationis Ecclesiæ, & Altaris vis explicanda. De sacramentalib. 9.
4 *Pridie consecrationis diei ieiunium seruandum.*
5 *Consecrationis dies sanctificandus: idque fiat singulis annis, & de diu. off. 51.*
Is dies, si ignoretur, ab Episcopo certus præfigendus. Ibid. 52.
Consecrationis Ecclesiæ Cathedralis dies in Calendarium referendus, & à quibus is celebrandus. Ibid. 53.
Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ } dies dedicationis, à quibus, & qualiter agatur. Ibid. 54 & 55.
6 *Consecrationes Ecclesiarum, & Altarium in librum referendæ & vbi is liber custodiendus.*
7 *Consecrationis Ecclesiarum, & Altarium maiorum, memoria, tabulâ marmoreâ notanda: eaque vbi collocanda.*
8 *Altarium etiam minorum consecratio, qua ratione, quoque loco notanda.*
9 *Aedes quæ benedicendæ: & quo ritu.*

1 NE in Ecclesia, quæ consecrata sit, nisi Episcopi concessu, ædificiique forma ab eodem præscripta, quicquàm noui ædificij fiat; non Capellæ item, non Altaria, vt Canonum iure sancitum est. 3. de iis, quę pert. ad orn. & cult. Eccl.

2. 3 Ecclesiæ saltem Parochiales, non consecratæ, infrà annum in ciuitate, per diœcesim verò infrà biennium, omninò consecrentur: item Parochialium Ecclesiarum maiora Altaria, quæ consecrata non sunt, quàmprimùm poterunt. 4. de Eccl. &c. consecrationibus, &c.

4. 5 Cùm Parochialis Ecclesia consecranda erit, ieiunium in vigiliis cum supplicationibus populus suæ quisque Parochiæ seruet: tum in die etiam ipso, quo consecratio fiet, abstineat ab omni seruili opere: eumquem diem, festum colat, & celebret: idque vtrumque propterea à Parocho antè denuncietur.

6 Liber, Episcopo curante, conficiatur: idemque in Archiuo Episcopali asseruetur, in quem Ecclesiarum, Altarium, Cœmiteriorumque consecrationes, & campanarum benedictiones ordine relatæ, ad perpetuitatemque posteris proditæ, extent.

In Ecclesiæ item vniuscuiusque Sacristia liber eiusmodi sit, aut certè aliud scripti genus, publica auctoritate munitum, de illius Ecclesiæ, suique cœmiterij, & Altarium consecratione, & campanarum benedictione.

7 Quò firmius verò, magisque perpetuum consecrationis Ecclesiarum, & Altarium mo-

nimentum posteritati prodatur, vniuscuiusque Ecclesiæ cõsecrationis diem, annumque literis, etiam in marmore incisis, rectè notari, tabulamque marmoream, in qua tota consecrationis narratio exaretur, in pariete ab Ecclesiæ fronte, non longè à ianua primaria, loco illustri benè affixam; collocari mandamus. Idem iubetur de Altarium maiorum consecratione.

8 Aliorum verò Altarium cuiusuis Ecclesiæ consecratio, pictura saltem aliqua, vel alio signo exprimatur, vel in Altari ipso, vel loco proximo.

9 Antiquus ille benedictionis ædium, quæ vel recenter ædificatæ sunt, vel immundis spiritibus, aliavè ratione vexantur, ritus, vbi in vsu esse desiit, Episcopi curâ restituetur. In illa porrò benedictione Parochus, ritum, preces, psalmos, orationes, in libro Sacerdotali, Ritualiuè præscriptas adhibeat.

Veterem illum, &c. Vide etiam Tit. de Sacramentalib. num. 63.

De Ratione adhibenda in Ecclesiis Altaribusque profanandis.

SVMMARIVM.

1 *Ante profanationem Ecclesiæ, sacræ Reliquiæ, & imagines aliò transferendæ. 3.*
3 *Translationi Clericus, & populus intersit.*
4 *Altaria, quâ cærimoniâ amouenda.*
5 *Ossa fidelium, vt etiam exhumanda: quaque ratione aliò transferenda.*
6 *Altare solum qualiter profanandum.*
7 *Cœmiterium item.*
Cœmiterium Ossaque mortuorum } *ad quam Ecclesiam transferenda. De Ecclesiis instaurandis, num. 7.*
Materia omnis Ecclesiæ profanatæ ad quem vsum non adhibenda. Ibid. num. 4.
8 *In Ecclesiis profanatis crucis insigne figendum.*

4. De rat. adhiben. in Ecclesiis, Altaribusque prof.

1 Ecclesia, quæ si aliquando, quauis auctoritate profananda est, vt nè vario cæremoniarum vsu, sed certa, & vna, eademque ratione profanatio fiat, ità, vt infrà præscribitur, profanetur.

2 Primò, si quæ sacræ Reliquiæ, corporavè sanctorum in ea reconduntur, aliquot ante profanationem diebus, diligenter recognita, ad Ecclesiam, in quam transferri Episcopo placuerit, ritè, ex præscripta ratione transferantur. Ad quam sacrarum Reliquiarum translationem illius viciniæ, Ecclesiæque Clerus in primis conueniat, in quam deferuntur, conuocato etiam, præsertim eius viciniæ populo.

3 Sacræ etiam imagines eò transferantur.

4 Deinde Ecclesiæ Altaria per Sacerdotem, cui Episcopus profanationis facultatem, scripto exaratam, nominatim dederit, hac cæremonia amouebuntur.

Primùm aliquantisper, genibus ad Altare profanandum, flexis, tacitè orans, orationem dominicam, salutationem angelicam, & orationem de sancto dicat; cuius nomine Altare illud dicatum est: tùm, vbi orauerit, illud ab omni parte detegat: lapidem consecratum ità aptè euellat, vt nè confringat; tùm manibus suis lauet, atque abstergat: deinde aquam in sacrarium effundat: lapide ità amoto, diligenter, religioséque perspiciat, si quæ sacræ Reliquiæ insunt, quas inuentas certo, honestoque loculo clausas, atque obsignatas, asseruet: &, vbi Episcopo denunciarit, in Ecclesia, ad quam translatio fit, ad Episcopi præscriptum recondendas, & asseruandas tradat; tùm reliqua Altaris pars ab operariis amoueatur. Idque omne in singulis Altaribus amouendis ritè seruetur.

5 Prætereà alia post Altarium amotionem die per homines, quos Episcopus adhibere voluerit, fidelium ossa exhumentur; vnoque loco collecta, reponantur, præsente eodem Sacerdote: qui, antequàm exhumationis initium fiat, tacitus item, vt suprà, ad Altare maius precetur, cum processione Cleri, & populi viciniæ, infrà cuius fines Ecclesia profanata est, ossa efferentur ad locum, vbi reponenda sunt: dumque efferuntur, vt pro mortuis fit, precum officium dicatur; tùm in Ecclesiæ loco, vbi reponentur, viciniori pro mortuis itidem Missæ sacrificium fiat.

6 Altaris item vnius, quod sine Ecclesia profanandum est, ratio, vt suprà de Altaribus in Ecclesia profanandis præscripta, seruetur.

7 Cœmiterij prætereà profanandi modus, vt Ecclesiæ, idem teneatur.

8 In Ecclesiis autem dirutis, ad vsumque profanum conuersis, crucis insigne figatur, ex Tridentini Concilij sanctione, quod signum facilè amoueri non queat. Ibid. Sess. 21. cap. 7.

De Ecclesiis instaurandis, vel diruendis, ac transferendis.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiæ collabentes, collapsæque reparandæ, instaurandæuè.*
2 *Cuius impensis id fiat.*
3 *Nullum, vel exiguum censum habentes, quorum sumptu instaurandæ.*
4 *Materia Ecclesiæ dirutæ ad quem vsum non conuertenda. 1.*
5 *Missarum in Ecclesia diruta celebrandarum, munus, ad quam Ecclesiam transferendum.*
6 *Capellæ Altariauè* } *vbi id munus expleatur, exstruendæ: quid item agendum, vbi illæ etiam ædificari nequeant.*
7 *Cœmiterium Ecclesiæ dirutæ quò etiam transferendum.*

1 Ecclesias quascumque siue curatas, siue non curatas, sacella, & oratoria diruta, Episcopi ad eam rationem, quæ à sancta Tridentina Synodo præscripta est, restituenda vel aliò transferenda curent. Lapides, cæmentum, & omnis materia eorum locorum ad profana ædificia nè adhibeantur; nisi Episcopi auctoritas ex iusta causa intercesserit: quod enim semel Deo consecratum est, ad priuatos hominum vsus transferri non debet. 1. De Eccl. & earum cultu. Sess. 21. c. 7.

Altaria etiam, quæ extrà Ecclesiam, & quæ sub dio, nec septa, aut munita sunt, Episcopi, aut sepienda, si fieri possit, aut demolienda curent.

5. De Ecclesiis earum sup. & fructib. Ead. sess. 21 c. 7. & 8.

2 Quæ Ecclesiæ, necesse est restituantur, atque instaurentur: earum omnis census, parsvè huic sumptui necessaria, etiam si Equitibus Ordinis Hierosolymitani obueniret, ab Episcopo sequestri nomine apud virum bonum deponi iubeatur, qui in illarum instaurationem, eiusdem iussu, erogetur.

Ead. sess. &c.

3 Quæ verò labentes, propéque cadentes nullum censum habent, vnde restituantur; ciuitatis, municipij, lociuè, vbi sitæ sunt, impensis instaurentur Episcopi cohortatione diligenti.

Id omne de oratoriis etiam constitutum sit.

4 Lapides, cæmenta, tigna, omnisque materia Ecclesiæ diuinæ, profanatæuè, ad vsum quoque profanum, non sordidum tamen auerti, adhiberique arbitratu Episcopi liceat. Pecunia verò, quæ inde colligetur, illius etiam iudicio in sumptus Ecclesiæ vtiles conferatur.

5 Missarum autem munus, quod in ea iam diruta præstandum erat, nisi Episcopus ad aliam potius legitima facultate transferre censuerit; ad Ecclesiam primariam, quam matricem vocant, transferatur; vbi illius, ad quem profanatæ Ecclesiæ census peruenit, impensis, Altare Sancti, Sanctæuè nomine exstruatur; cuius titulo, quæ profanata est, nuncupabatur.

6 Eadem Sess. 21. cap. 7. in principio: ibi: atque in eisdem Ecclesiis erigant Altaria, vel Capellas sub eisdem inuocationibus; vel in iam erecta Altaria, vel Capellas transferant cum omnibus emolumentis, & oneribus, prioribus Ecclesiis impositis.

Ibidem. 7 Illius porrò cœmiterium ad eandem Ecclesiam transferatur, ad eundémque locum ossa mortuorum asportentur.

De Immunitate Ecclesiastica.

SVMMARIVM.

1 *Criminoso petente se recipi in sacrum locum: vel absque licentia illum ingrediente, ordinarius à Clericis consulendus, admonendusuè.*

2 *Ne immunitas ob id violetur quid ab ordinario seruandum.*

3 *Eadem immunitate, vt cognoscatur, an gaudere possint confugientes, ad quem carcerem, & per quos satellites abducendi.*

4 *Cognitio ipsa breui expedienda.*

5 *Custodia durante, quæ agi à sæculari Magistratu prohibentur.*

6 *Cadauera occisorum à iudicibus, & notariis maleficiorum in Ecclesiis non inspicienda.*

7 *Delicti in Ecclesia commissi certificandus Episcopus, à quibus,*

1. De Ecclesiis, & earum cultu. 17. q. 4. quisquis. Conc. Tri. sess. 25. cap. 20. de ref.

SIcut Ecclesiastica immunitas, Dei præcepto, & Canonicis sanctionibus constituta, quàm diligentissimè custodienda est; neque permittendum, vt confugientibus ad Ecclesias, & loca sacra aliqua vis contra sacros Canones inferatur; ità summoperè cauendum, nè facinorosi, nisi necessariò ad ea, quasi ad asylum, in sacrarum Constitutionum fraudem se recipiant.

Mandamus igitur omnibus, & singulis Clericis, propositâ pœnâ excommunicationis, aliisque arbitrio Episcopi: vt, quoties ab aliquo exule, damnato, vel criminoso, qui in loco libero sit, postuletur, vt illum in eorum Ecclesiis, Cæmiteriis, vel domibus recipiant omninò antequàm assentiantur, Ordinarium consulant; & quidquid ille tali in re censuerit, faciant.

Quòd si Clericis minimè præmonitis, tales personæ ad huiusmodi loca venerint, iidem Clerici, eiusdem pœnæ periculo, Episcopum quàm primum certiorem faciant, vt quicquid ab eo in hac in re decretum fuerit, seruent.

2 Ipse autem Episcopus de his commonefactus, considerata personarum locorum, & temporis conditione, ac facti qualitate, decernet, quod Ecclesiæ immunitati, sacrorum locorum honestati & canonum menti consentaneum iudicabit: ita tamen, vt Ecclesiastica immunitas nulla ex parte violetur: neque propterea censeatur data facultas aliqua sæcularibus magistratibus & potestatibus lædendi immunitatem; aut aliquos de his, quæ diximus, locis extrahendi, contrà quam antea iure communi statutum esset.

3 Sæpè accidit, sontes homines, qui ad Ecclesiam, sacraue loca alia Ecclesiasticæ immunitatis iure munita, præsertim, vbi primum crimen patrarint, statim confugiunt, non solum à satellitibus magistratuum, iudicumuè sæcularium; sed à consanguineis etiam, & affinibus eorum, quibus cædes, iniuriauè illata est, armatorum quoque hominum collecta manu custodiri, magno cum eo periculo, vt ne grauiora interdum facinora, ac aliquando Ecclesiasticæ immunitatis violatio, flagitiaque turpissima admittantur. Quamobrem, vt iis ipsis offensionibus, & malis, quæ inde sæpè existunt, occurratur, licere decernimus, iussu Episcopi, ob eam solum causam, vt cognoscatur, an qui tunc ad Ecclesiam perfugium habuerit, iure vti possit immunitatis Ecclesiasticæ, per satellites fori Episcopalis ad carcerem Clericalem, vel sæcularem, si eo loco Clericalis carceris custodia tuta est, eiusdem Episcopi iudicio inde abduci, tamdiù Episcopali nomine custodiri, quoad re perpensa ipse Episcopus deliberet. 5. De Ecclesiis earum sup. & fruct.

4 Is verò quàmprimum deliberationem ineat: sique libertate, immunitateuè Ecclesiastica illum vti, fruiuè censuerit, ab omni detrimento, omnique impensa liberum, atque immunem loco restitui statim mandet, vnde abductus est; sin autem secùs faciendum duxerit, foro, iudicioque magistratus sæcularis, prout iuris erit, illum relinqui iubeat, ad Canonum, & Conciliorum, aliarumque Apostolicarum Constitutionum præscriptum.

5 Intereà verò, dum in custodia est, nè cuiquàm liceat, de eo quæstiones, examenuè instituere, neque adeò contra personam quicquàm agere, quo præiudicium illi, eiusuè causæ afferatur.

Id autem, vt ab omnibus inuiolatè seruetur, nec verò huius decreti nomine, prætextuuè quicquàm contra immunitatem Ecclesiasticam à iudice, magistratuuè sæculari fiat, geratur, agaturuè, omni diligentissima cautione in eo vtatur Episcopus, censurasque etiam proponat arbitratu suo.

6 Nè occisorum cadauera à iudicibus, vel- 1. De Ec-

eclesiis, & earum cultu. notariis maleficiorum in ecclesiis vllo modo inspiciantur; sed eo illata exportentur, & huiuscemodi inquisitiones, & omnia, quæ ad cædis cognitionem pertinent, à sacris locis reiiciantur.

6. Quæ ad cultum Eccl. pert. 7 Si quæ delicta in Ecclesia committuntur, Parochi, intrà cuius parochiæ limites sita est Ecclesia: etiam si regularis sit, & exempta, vbi delictum patratum est, officium sit, quàmprimum Episcopo Vicarioue literis saltem significare. Idem de eo Parocho, Capellano, Rectoreuè decernitur, in cuius Ecclesia crimen commissum est.

De Ecclesiis simplicibus, Oratoriis, ac Capellis, in quibus Missæ sacrum aliquando fit.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiæ simplicis Oratoriique* } *forma.*
2 *Capellæ eiusdem situs, & spatium.*
3 *Clathrum quale.*
4 *Altaris forma, spatium, gradus: & in qua Ecclesia Altaria ornata semper sint, vel festis tantum diebus.*
Sacrarium. De sacrario, num. 1.
5 *Fenestræ.*
6 *Ianuæ situs, cum fenestra orbiculari.*
7 *Vas aquæ benedictæ.*
8 *Sacristiæ locus, eiusque supellex. De supellectile sequenti tit. dicetur.*
9 *Campanile cuiusmodi.*
10 *Capellæ minores, quando, vbi, & qua ratione ædificandæ.*
11 *Alia in Ecclesia quæcumque necessaria, vnde sumenda.*
Munditia eiusmodi locorum. De ornatu, &c. sacrorum locorum, num. 6.
Parietes quales, & à quibus sordibus præseruandi. Ibid. num. 8.
Quæque profana ab eis remouenda. De profano vsu à sacris locis tollendo per totum.
Ostia certa hora claudenda, & aperienda. De Relig. in sac. locis conuers. num. 5.
Claues quibus non committendæ. De profan. vsu vt suprà, num. 15.
Missa in eis non celebranda absque licentia Ordinarii: eaque facultas qua ratione quaque moderatione concedenda. De Missis sine cantu, num. 3. 4. 5. 6. 7. 8.
Quando eam ibidem celebrare non liceat. Ibid. num. 34.
In Ecclesia ob deuotionem frequentata, capsula eleemosynaria pro Missis celebrandis, collocanda: quoque modo ipsis eleemosyna distribuenda. Ibidem. 27.
Missarum celebratarum liber in Sacristia conseruandus. Ibid. 22.
Missis celebrandis, quæ supellex paranda. Videndus tit. sequens.
12 *Oratorium priuatorum ædificatio, & vsus non facilè concedendus.*
13 *Quo ædium loco illa ædificanda.*
14 *Aedificiis forma.*
15 *Illis rarò ij vtantur, quibus est eorum vsus concessus.*
Facultas in eisdem celebrandi à Sede Apostolica impetranda, quaque etiam cum moderatione concedenda. De Missis sine cantu. 6.
Ecclesia, Oratoria, Sacellaque diruta qua ratione restituend. vel transferenda. De Eccles. instaurandis. num. 1.

Conscriptis breuiter instructionibus, & fabricæ Ecclesiasticæ, & partium adiunctarum, consequens est instructio de Oratoriis: quorum vnum est, vbi Missæ sacramentum aliquando fit; alterum quod in viis extruitur, vbi non celebratur. Instr. fabr. Eccl. lib. 1. cap. 19.

1 Simplex igitur Ecclesia seu Oratorium, eiusmodi sit, vt vna tantum naui constet: cuius longitudo sit non minor cubitis duodecim; latitudo verò decem: & altitudo situs rationi conueniat.

2 Habeat præterea in capite Capellam, quæ si fieri potest, in Orientem vergat, cubitis circiter octo, ampliusuè, prout situs ratio fert, latè patentem; ea verò longitudine, & altitudine, quæ cum latitudine conueniat.

3 Ad eius ingressum gradus vnus tantum sit, cui ex præscripta forma clathra infigantur.

4 Cuius Altare, pauimentum, tectum forniceatum, fenestræ, fenestella vrceolorum, campanula à latere appensa, & reliqua ita sint, vt de Capellis, Altaribusuè minoribus, præscriptum est.

Ad Altare verò ascensus fiat duorum graduum: quorum vnus sit is, quem ipsius Altaris scabellum facit.

A gradu autem inferiori scabelli, vsque ad clathra ima spatium, interuallumuè sit saltem cubitorum duorum.

Quod Altare, tùm alia posita in Ecclesiis, quæ frequentantur, quotidie instructa, atque ornata semper sint; in cæteris verò Ecclesiis, festis salem diebus. *De ornatu, &c. num. 3.* 4. De ornatu, &c. §. Cùm Ecclesiæ.

5 Fenestræ præterea Oratorij, in altum ita extructæ sint, vt qui foris stat, inde introspicere non possit. Instr. fabr. Ibid.

6 Ianua è regione Altaris, fenestra item, quæ in orbem ducta, instar oculi, ex præscripto modo fiat.

7 Labrum item aquæ benedictæ, forma constituta, propè ianuam intus statuatur.

8 Capellæ maiori adiuncta Sacristia sit, quæ, vbi potest, ad meridiem spectet: amplaque sit pro Oratorij magnitudine, & instructa supellectili, ac cæteris rebus, quæ vsui sint, ad præscriptum.

9 Ab altera parte, quæ Sacristiæ respondeat, paruula turricula à Parochiali omninò dissimilis, fieri potest; sin minùs duæ pilæ lapideæ in pariete summo, iam præscripta ratione, struantur, vbi campana vna tantum suffulciatur.

10 Si Oratorium eiusmodi futurum est, vbi plures Missas, eadem penè hora, celebrari oporteat, ab vno, & altero item latere, Capellæ singulæ, paulùlum à maiori distantes, forma in Ecclesiæ fabrica præscripta, fieri possunt.

11 Reliquarum etiam partium forma, & ratio, quæ ad Oratorium pertinere possunt, sumenda

ex iis, quæ præscripta sunt in Ecclesiæ fabrica

1. Quæ pert. ad celeb. Missæ. 12 Oratorium autem ædificationem, aut vsum; nè facilè, sed magna de causa permittant iidem Episcopi.

In eis autem designandis, vel probandis, hæc seruent.

13 Nè sint in interiorum ædium partibus, in quibus domini, vel familia frequentius versentur; sed commodo, & honesto loco, à cubiculis, tricliniis, & ab aula separato, ad templi formam, & regulam propius accedant.

14 Nè ita angusta sint, vt qui Missam audierint, ad ostium, aut fenestram stare cogantur: aut denique ibi sacris interesse, vbi promiscuè profanum aliquod exerceatur: quod fieri omninò prohibemus.

15 Cui autem id permissum fuerit, is eo rarius vtatur: nè distracti homines illa commoditate, Ecclesiam Dei minùs frequentent; quod exemplo etiam noceat aliis.

De Sacristia, & Supellectile Ecclesiæ simplicis, & Oratorij, vbi Missa celebratur.

SVMMARIVM.

1 *Sacristia Ecclesiæ simplicis, & Oratorii qualis, quæque habeat.*

2 *Supellex ad ornatum Altaris, & vsum celebrationis Missarum quæ, qualis, & quotuplex.*

3 *Quæ alia supellex, quæ tabellæ, qui libri, quæque vasa, & instrumenta.*

1 Sacristia hæc ædificetur instar aliarum, de quibus Tit. de Sacristia Cathedralis, Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ enarratum est: ampla tamen solummodò pro Oratorij, & Ecclesiæ magnitudine, vt etiam proximo superiori tit. num. 8. tactum est. Quæ autem habeat, vide eundem Tit. de Sacristia Cathedralis.

Instr. sup. Eccl. lib. 2. cap. 14. 2 In Ecclesiis simplicibus, & Oratoriis, vbi Missæ sacrum aliquando fit, vnicuique Altari, non solum maiori, verùm etiam minori, si quod in iis est, apparetur, atque sit supellex suprà præscripta vsui Altaris minoris in Basilica Cathedrali. *Vide tit. de Supellectile Altaris minoris in Cathedrali, &c.*

3 Tùm prætereà hæc, quæ ordine infrà notata est.

Vas vsui abstersionis calicum, patenarum, & lauationis corporalium, ac purificatoriorum.

Mantilia longiora, quatuor, apud labrum lauationis manuum appendenda.

Mappæ duæ, ad vsum Altaris Sacristiæ, seu Armarij, apud quod Sacerdos sacras vestes induit.

Tapetum, seu clathra lignea, vbi Sacerdos sacras vestes induit.

Tabella sacrarum Reliquiarum in ea Ecclesia reconditarum.

Tabella itidem de Indulgentiis eidem Ecclesiæ perpetuò concessis.

Tabella orationum: quibus præparatoriis vtitur Sacerdos celebraturus.

Tabella orationum, ad vsum Sacerdotis, sacras vestes induentis.

Tabella de Missis, Funeralibus, Commemorationibus, & aliis officiis.

Tabella colorum: qui in sacris indumentis pro ritu officij singulis diebus adhibentur.

Liber Missarum: in quo scilicet vnusquisque Sacerdos sua manu notet, & scribat, qui in singulos dies Missæ sacrum fecerit.

Liber de cærimoniis Missæ.

Liber harum Instructionum.

Vas olearium maius, pro oleo lampadis.

Vas minus itidem ad vsum infundendi olei in lampadem.

Infundibulum, & vas olei, è vase maiusculo excipiendi; rursusque in alterum minusculum infundendi vsum.

Scopulæ paruulæ ex cannulis palustribus.

Perticæ, hastiliaue.

De Oratoriis, in quibus Missa non celebratur.

SVMMARIVM.

1 *Oratoria, in quibus Missa non celebratur, vbi, & qua forma ædificanda.*

2 *Altare non habeant.*

3 *Fenestellas quot habeant, & vbi conficiendæ.*

4 *Vtque oratoria claudenda.*

5 *Clauis à quo retinenda.*

6 *Oratoria angusta, vt sepienda.*

7 *Quæ ab eis remouenda.*

8 *Imagines in exteriori eorum pariete non pingendæ.*

1 Oratoria porrò, vbi Missæ sacrum non fit, quæ in viis exstrui solent, exstruantur non in campis: sed in via publica, vt iter facientes, eorum locorum, prospectu piè commoti, paululùm precando consistant. In quibus etiam exædificandis, viæ locus deligatur paulò editior, & à vehiculorum actu aliquantto remotior, quò melius à luto; aquaue lutulenta defendatur. Instr. fabr. Eccl. lib. 1. cap. 30. 4. De oratoriis in via sitis. 5. Exstruātur.

Formâ quadratâ, vel rotundâ, vel aliâ, quæ pro loci ratione decentior videatur, ornatè exædificentur, benéque tecta sint, vt sacræ imagines à pluuia integræ conseruentur.

Opere tectorio foris incrustentur; intùs verò politè dealbata, crucifixi, aut beatæ Mariæ Virginis, aut sancti, sanctæue alicuius imagine sacra, aut tabula piè expressa, quæ parieti hæreat, exornentur.

2 Altare nullum omninò habeant.

Oratoria, vbi Missæ sacrificium non fit in viis, & eiusmodi locis posita Altare nullum omninò habeant. 4. Ibidem.

3 Singulæ fenestellulas tres, firmiter clathratas, vnde precandi causa introrsum genibus flexis inspiciatur, in parte anteriori habeant, duas hinc inde ab ostio, & in valuis tertiam. Si oratoria angusta sunt, in ipsis valuis vna solum fieri aptè potest. Instr. fabr. Ibidem.

Quorum Oratoriorum ostium, si è solido assere constabit: nec verò cancellis erit compactum, fenestella in eo, ac duæ prætereà, in pariete anteriori scilicet, ab vtraque ostij parte sint, clathris ligneis saltem munitæ, vt intro à 4. Ibidem.

prætereuntibus possit sacra ipsa imago inspici, ac veneratione coli.

4. & Inst. fabr. 4 Valuis & claue ab ostio muniantur.

4. Ibidem. 5 Quæ clauis à Parocho custodiatur, intrà cuius Parochiæ fines posita illa sunt.

Inst. Ibid. 6 Quæ verò Oratoria ita angusta fiunt, vt nè ostij quidem valuas, intus patentes capiant: iis nullus ingressus detur; sed cancellis ligneis ab ostij parte sepiri possunt, reliqua ædificationis ratione ad præscriptum seruata.

Si verò pariete à lateribus non sepiantur, cancellis etiam ligneis ab illis partibus claudantur.

Neque alienum esset, longuriis circum sepire, vt equi, iumentauè atque bestiæ procul sint.

4. Ibidem. Quæ oratoria si ita angusta sunt, vt ne ostij quidem valuas, intus patentes, capiant, cancellis ligneis à parte anteriori sepiantur.

Instr. Ibid. 7 A rubis, & spinis, aliisque id generis, quæ adnasci solent, ab arboribus item, stirpibus, aliisque eiusmodi arbustis remota sint: vt nè rami diffusi tecta operiant: vnde detrimentum ipsis tectis existat.

Inst. & 4. Ibid. 8 Et quoniam sacræ imagines, quæ in exteriori pariete Oratorij exprimi solent, cùm ita expositæ sint, luto, sordeuè inquinari, vel indecentius, iniuriosiusuè tractari possunt, nè extrinsecus in ipsis Oratorij parietibus pingantur, aut alio modo exprimantur, nisi edito loco fiat, vbi ab omni labe integræ conseruentur.

Hactenus quartum, & instructio fabricæ, quod sequitur, ex quarto tantum. In ipsis verò Oratoriis intus aliqua omninò sacra imago sit.

Quæ pertinent ad bonorum, & iurium Ecclesiasticorum conseruationem, rectam administrationem, & dispensationem.

SVMMARIVM.

1 *Inuentarium omnium rerum, bonorum, & redditurum ad Ecclesias pertinentium à quibus; infrà quod tempus: & quibus adhibitis conficiendum.*

2 *Eiusdem inuentarij quot exempla, & vbi asseruanda.*

3 *Inuentaria in visitationibus deferenda.*

4 *Inuentario conficiendo, peccantes, vt puniantur.*
Iura patronatus vnionesque perpetuæ ab Episcopo recognoscendæ. Ibid.

5 *Bonis Ecclesiasticis, quouis modo caducis factis, qualiter pœna caducitatis remittenda.*

6 *Eisdem feudi nomine datis, conseruandis modus præscriptus.*

7 *Ordinariorum ea in re officium.*

8 *Quibus ea non locanda, aut in emphyteusim, pignoriuè danda, & de iis quæ ad Capitula, &c. num. 23. De Iudæis, num. 10.*

9 *Quibus eorum administratio non committenda.*

10 *Locationes eorumdem bonorum quæ ab Episcopo recognoscendæ, & nullæ declarandæ.*

11 *Recognitio ipsa quando ab alio Episcopo facienda.*

12 *Bonorum Ecclesiasticorum permutatio, alienatioue, quando irrita sit.*

13 *Eorumdem alienatio, ita facta, vt superioris auctoritate fulciatur, quando nulla declaretur.*

14 *Eadem alienatâ, semel recuperatâ, nondum etiam incorporatâ non locentur, alienenturuè, nisi ob vtilitatem, aut necessitatem.*

15 *Bonorum in emphyteusim, vel ad longum tempus traditorum memoriæ conseruandæ modus præscribitur.*

16 *Locationum vi, quæ pactionibus de prædiis melioribus reddendis fiunt, quæ expensæ à conductore fieri, quæque à locatore exigi possint.*

17 *Alienatio fructuum Ecclesiæ pendentium vetatur.*

18 *Contractus superinde factus nullus.*

19 *Bona Clericij mortui temerè inuadentes, surripientesuè, excommunicantur.*

20 *Eandem censuram incurrunt rem aliquam ex eiusdem defuncti ædibus etiam sine inuasione asportantes, ante quàm mobilia in Inuentarium relata.*

21 *Eiusdem Clerici defuncti hæredes compellendi ad tradendum successori scripta omnia ad beneficium, quod obtinebat pertinentia.*

22 *Oeconomus ab Episcopo constituendus qui bonorum Cathedralis Ecclesiæ curam gerat.*

23 *Isque qualis.*

24 *Quodque eius officium.*
Alter à Capitulo instituendus Sede Episcopali vacante.

25 *Bona, iuraue Ecclesiastica vsurpantes qua pœna afficiantur.*
Decretum Concilii Tridentini, contrà eosdem occupatores, quando, & à quibus publicandum, num. 28.

26 *Bonorum Ecclesiæ administratores ea emere, vel conducere prohibentur.*

27 *Decimæ, vt soluantur, quod officium Parochi, & Concionatoris.*

29 *Decimarum inuestitura laicis factæ à quibus recognoscenda.*

30 *Ab earum solutione se exemptum prætendens, priuilegium exhibere cogatur.*

31 *Nihil exhibens ad solutionem cogendus.*

32 *Decimam prædialem Parocho debens, antequàm è solo asportet, eidem id biduo ante denunciet: & quando hoc locum habeat.*

33 *Decimarum, primitiarum, ac legatorum soluendorum quæ cura, & à quibus suscipienda.*

34 *Procurator & Aduocatus* } *constituendus, qui Ecclesiasticis bonis, & iuribus recuperandis incumbant.*

35 *Qua mercede.*

36 *Iura Ecclesiæ supprimens Clericus, qua pœna afficiendus.*

37 *Clerici Diœcesani eligant, qui vrbanæ Congregationis deliberationibus, quæ ad vniuersum Clerum spectant, intersint: quibus non monitis Clerus vrbanus ne quicquam decernat.*

38 *Ecclesiasticæ personæ, bona, iura, Principibus commendantur.*

39 *Principum, & Magistratus officium ea in re.*

40 *Bonis Ecclesiasticis hospitalitas exercenda, & à quibus præcipuè, & in quos.*
Ea in quos alios vsus conuertenda.

41 *Metropolitanus Episcopus* } *Ecclesiasticos fructus aliter dispensans, quā tenetur, ad quē deferendus vtque puniēdus.*

42 *Episcopo inferior, eos malè dispensans, quomodo plectendus.*

43 *Qui alij ad eorum restitutionem teneantur.*

44 *Hortatio ad Ecclesiasticos fructus benè dispensandos.*

45 *Fructibus Ecclesiasticis dispensandis, qua ratione se quisque metiri debet.*

1. quę pert. ad bonorum & iurium conser. rectam admin. & dispen. 1 ECclesiarum res quàm plurimæ, aut destitutæ defensoribus, aut etiam ab iis, quibus earum procuratio credita erat, proditæ, ita perierunt, vt monimentis, vel interceptis, vel perditis, nulla spes iam reliqua videatur illas in ius suum vindicandi. Id nè deinceps accidat, neuè quisquàm, quod in Christi patrimonio negligentior sit, quàm in suo, meritò reprehendi possit, statuimus.

Vt Episcopi, & Capitula tàm Cathedralium, quàm Collegiatarum Ecclesiarum, Hospitalium etiam, ac quorumcumque piorum locorum gubernatores, seu administratores, & alij quicumque qui beneficia ecclesiastica quæcumque, cum cura, vel sine cura, quocumque nomine nuncupentur, etiam commendata nunc obtinent, ab huius decreti editione: qui verò in futurum quomodocumque obtinuerint, ab adeptæ possessionis die, quisque intra spatium sex mensium, edictis etiam interim publicè propositis, omnium, & singulorum bonorum mobilium, & immobilium, iurium, actionum, annuorum censuum, siue redditeuum, nominumuè debitorum, & aliorum quorumcumque ad eorum Ecclesias, vel eorum administrationi commissas, monasteria, vel beneficia eorumuè mensas quocumque iure pertinentium rationem diligentissimè conquirendam: & eorum omnium inuentarium, in quo locorum etiam fines, conditionesque omnes sigillatim describantur, per publicum Notarium diligenter conficiendum curent. Episcopus quidem, adhibitis duobus, à Capitulo Cathedralis Ecclesiæ delectis. Capitulum coram Episcopo, aut aliis præfectis ab eo: alij verò coram fide dignis testibus.

4. De beneficiorum collat. ad prou. Idem præterea Clericus, minor natu, beneficij quod obtinuerit, prædiorum bonorumuè omnium inuentarium, ex formula in Concilio Prouinciali primo præscripta, aliquo viro adhibito, conficiat, quem Episcopus ei constituerit. Alioquin pœnam luat, eiusdem Episcopi arbitratu irrogandam.

1. Quæ ad loca pia pert. Quæcumque bona siue mobilia; siue immobilia, iuraue ad Ecclesiam, etiam quæ sit iuris patronatus laicorum, quauis ratione pertinentia, à laicis, quouis nomine administrantur; de eorum rationibus diligenter conquirendis, & inuentario rectè conficiendo, planè præstetur, quod primo Concilio Prouinciali decretum, ac sancitum est de reliquis, aliisuè bonis, & iuribus Ecclesiasticis. *Sequitur hunc §. infrà notatus. § Quarum.*

1. Ibidem. 2 Ex eo inuentario exempla duo, notarij publici auctoritate ad certam eorum fidem munita, conficiantur: quorum alterum Episcopi, & Capitula Ecclesiarum Cathedralium in Archiuo quod vtrisque commune sit, asseruent: alterum ad Metropolitanum mittant. Præfecti verò, & Capitula Ecclesiarum, quæ Collegiatæ sunt, alterum exemplum in communi eorum Archiuo retineant: alterum in Archiuo Cathedralis Ecclesiæ, intrà cuius fines sunt, asseruandum tradant.

Cæteri autem singuli, qui beneficia quæcumque Ecclesiastica quouis titulo obtinent, exemplis item duobus eodem modo confectis, vnum in Ecclesia sua diligenter custodiant: alterum ad Cathedralem Ecclesiam perpetuò conseruandum mittant: vnde, si vsus postulabit, exemplum sumere eis liceat gratis.

Quarum rationum, & inuentarij exempla tria publici notarij testimonio munita, conscribantur: quorum vnum apud eos, qui administrant, alterum apud Sacerdotem, Rectorem Ecclesiæ asseruetur: tertium ad Archiuum Episcopale, vbi custodiendum est, afferatur: quo cautius eorum bonorum, & iurium conseruationi consultum perpetuò sit. 4. Quæ ad loca pia pert.

3 Prætereà in visitationibus, eiusmodi inuentaria Episcopi secum adferant: & cum iis, quæ seruant ij, qui visitandi sunt, sigillatim conferant: perspiciantque diligenter, nè quid eorum, quæ ibi descripta fuerint, desit, quod Ecclesiæ vel minimo detrimento esse possit. Et, si quæ fortè deerunt, Ecclesiæ restitui, omniaque eius damna sarciri studeant. Ipsa quoque inuentaria, si eis videbitur, renouari iubeant. Et vtique quæcumque accessio, vel immutatio facta sit, ea quotannis in inuentaria referatur. 1. Ibidem.

4 Qui in his, vel negligentia, vel contumacia, vel fraude peccauerint: si Capitula, & alij, beneficia ecclesiastica obtinentes: Episcopi arbitrio: si Episcopus, primæ Prouincialis cuiusque Synodi pœnas dabit.

Episcopi intra sex menses vniones perpetuas, etiam Ecclesiis iuris patronatus factas, & ipsa patronatus iura, ex præscripto Tridentini Concilij decretis de illis rationem diligentissimè seruent.

5 Si quæ laicis concessa Ecclesiarum bona, aliquo modo caduca facta sint: caueant Episcopi, & quicumque beneficia ecclesiastica obtinent, nè pœnam caducitatis remittant: nisi seruatis ijs, quæ in hoc genere iura præscribunt. Si secùs fecerint, Episcopi in Synodo Prouinciali pœnas dabunt: cæteri ab Episcopo plectantur.

6 Qui bona Ecclesiæ feudi nomine obtinent, à successoribus in ea inuestituram intrà tempus à iure præstitutum, renouandam curent: eisdemque fidelitatis iusiurandum dabunt.

Pari etiam ratione hæredes eorum, & inuestituram postulent: & iurent iis, qui Ecclesiæ præfuerint.

Qui id facere omiserint, constitutas legibus pœnas pendant.

Nè autem res ecclesiasticæ cum aliis confundantur, mandamus: vt feudatarij omnes in eiusmodi renouationibus omnia bona, eorumque fines sigillatim, & nominatim publico instrumento describant.

7 Hanc verò curam præcipuam Ordinariorum esse volumus, vt illos cogant hæc omnia exequi propositis pœnis eorum arbitratu.

8 Nemini beneficiorum ecclesiasticorum bona propinquis suis intrà tertium gradum in emphyteusim, aut ad cuiusuis temporis spatium, etiam per suppositas personas locare liceat: nisi euidens, & magna ecclesiæ vtilitas, iudicio

Episcopi præter alia iuris requisita, aliud postulare videatur. Si aliter factum fuerit, nulla sit locatio, & qui locarit, ab Ordinario puniatur.

2. Tit. 3. dec. 5. Nè Ecclesiasticorum beneficiorum bona patronis, neuè item eis quorum cessione ea beneficia obtinentur, neque illis prætereà qui primo, secundouè consanguinitatis gradu cum eisdem iuncti sunt, nè per suppositas quidem personas; ac nè ad breue sanè tempus, locari liceat: idque nisi cognita prius Ecclesiæ vtilitate, Episcopus, data scriptis facultate, concesserit. Quicumque secùs fecerit, fructibus vnius anni mulctetur, quos ex eorum beneficiorum prædiis, bonisve capit.

Inquirat prætereà Episcopus diligenter, an aliqua simoniæ labes contracta inter eos sit.

4. De benef. collat. ac prouisione. 9 Vt prædiorum Ecclesiasticorum conseruationi consulatur, ac simul occupationibus, vsurpationibus, aliisque fraudibus occurratur, nè Clericus quispiam minori ætate, beneficium ecclesiasticum obtinens, cuiquàm, etiam quocumque sanguinis, cognationisuè vinculo, vel arctissimo sibi coniuncto, illius beneficij bonorum administrationem, procurationemuè, nisi Episcopi concessu, literis exarato, committat. *Sequitur Decretum. Id prætereà, supra numero 1.*

1. Ibidem. Sess. 25. c. 11. 10 Ex auctoritate sacri Concilij Tridentini negotium damus Episcopis Prouinciæ nostræ, vt singuli vnà cum Canonico à Capitulo, & altero de Clero ab ipsis deligendo recognoscant, etiam ex officio, quascumque locationes bonorum ecclesiasticorum ad longum tempus à triginta annis factas. Et, si eas in damnum Ecclesiæ, & contrà Canonicas sanctiones contractas fuisse iudicauerint, irritas, & nullas declarent.

6. De bonis, & iuribus Eccl. Quibus iudicibus auctoritate Concilij Tridentini, & Synodi Prouincialis primæ facultas data est, qua rerum ecclesiasticarum locationes, ad longum tempus factas rescindant, nullasque decernant; perpetuas etiam locationes cognoscere, itidemque rescindere, ac irritas facere, ad eiusdem Concilij Tridentini præscriptum, ij ipsi, & possint, & debeant.

2. Tit. 3. dec. 9. Sess. 25. ca. 10 de ref. 11 Locatio bonorum ecclesiasticorum, ad longum tempus facta, cùm ex Tridentini Concilij auctoritate recognoscenda erit, nè Episcopus qui bona ipsa locarit; quiuè huius locationis commissarius, aut executor fuerit, causam diiudicet; sed huius locationis recognitio ad Episcopum viciniorem pertineat; tùm ad eos, qui his locationis causis recognoscendis in eiusdem Episcopi vicinioris diœcesi præfecti fuerint.

Ibid. dec. 6. 12 Si Canonicorum, aliorumuè Ecclesiasticorum hominum Collegium, aut Moniales, aut alij quiuis homines, nulla legitima superioris auctoritate, bona ecclesiastica permutarunt, vel alio quouis pacto alienarunt; aut in posterum id committent, cogat Episcopus tùm eos, qui alienarunt, contrà illum agere, qui talia bona detinet, vt ea restituat; tùm detinentem compellat, vt ipsa vnà reddat cum fructibus non iure perceptis. Quicumque hac in re sibi non obtemperarint, eos anathemate feriat, aut interdicat, ex Canonumque sanctione aliis prætereà pœnis afficiat; ac permutationem item eam, aliamuè quamcumque alienationem irritam, planéque nullam declaret.

13 Bonorum ecclesiasticorum quæuis alienatio, ea lege confecta, vt superioris auctoritate muniatur, si is, cui alienata sunt, antequàm contractæ alienationi eiusmodi auctoritas accesserit, in eorum possessionem ingressus est, irrita, & nulla ab Episcopo declaretur; &, qui ea possidet, à possessione statim amoueatur; & qui prætereà alienarunt, ex Canonum sanctione puniatur. Ibid. dec. 7.

14 Ecclesiastica bona, quouis nomine alienata, quacumque ratione ad Ecclesiam redierint, etiam si reliquis Ecclesiæ bonis incorporata, non sint, nè tamen amplius ad longum tempus locentur, neuè quouis nomine alienentur; nisi illud verè tunc Ecclesiæ vtilitati, aut necessitati sit. Ibid. dec. 8.

15 Vt bonorum Ecclesiasticorum, quæ, vel in emphyteusim tradita, vel ad longum tempus alio quouis nomine data sunt, memoria, quò ad eius fieri potest, conseruetur: Ecclesiasticus quiuis homo, cui aliquid in singulos annos eo quouis nomine soluitur, cùm primùm id exiget, Notarium adhibeat, à quo instrumenti fide testatum fiat, quicquid ab eo, qui soluere debet, ille acceperit; & cuius fundi, vel vineæ, vel prati, vel ædium, aliarumue rerum ecclesiasticarum nomine exegerit; idque nisi qui ea ecclesiastica bona conductionis nomine nunc possidet, illum tamquàm directum illorum bonorum dominum Notarij publici fide recognouerit, eadem diligenti, vt suprà, descriptione prædiorum adhibita. Quòd si quis Clericus, cuius hoc interest, in huius rei cautione adhibenda negligens erit, dimidia parte fructuum vnius anni mulctetur, quos ex eo beneficio consequeretur. Ibid. dec. 10.

Quæ autem huius rei causa, vel confessiones, vel recognitiones instrumenti fide conficientur; earum exemplum ille Clericus, ad quem spectat spatio mensis Episcopo tradat, in Archiuo asseruandum.

16 Vsu, & diuturna consuetudine compertum est, quantum Ecclesiis detrimenti, damnique sæpè importet illa prædiorum ecclesiasticorum locatio, quæ ad certum tempus pactionibus iis iniri solet, vt meliora reddi liceat, ac interdum ea conditione, vt qui sumptus facti sunt, nè possint, nisi in ipso extremæ locationis tempore, recuperari, & qui item conduxerint, eiici, amoueriuè à possessione nè possint; nisi quidquid in illis melioribus reddendis pecuniæ erogarint, quidquiduè sumptus fecerint, id omne receperint. Quare nos Ecclesiarum vtilitati consulentes, & huic rei vnde tantum detrimenti, tantumque incommodi ipsis Ecclesiis accidere sæpè solet, quantum in nobis est, occurrere volentes, ità statuimus. Ibid. decr. 11.

Quæcumque ecclesiasticorum prædiorum locationes ad certum tempus in posterum eo pacto fient, vt illa meliora reddi liceat; & quiquid in illis sarciendis, restituendisuè erogatum sit, id ei, qui conduxit, solui oporteat; hæc inita locationum pactio, nè ius tribuat faciendi impensas, in quouis ædificij genere vtiles, nisi eas, quæ maiorem summam non excedant, quàm illa sit, quam conductor retinendo

singulis

singulis annis, quibus firma est locatio, tertiam partem eius, quod locationis nomine soluere debet, recuperare possit. Eam autem ipsam tertiam partem quolibet anno retineat, quò ad, quicquid erogarit, ipse recuperet.

Si quæ verò impensæ, ad vsum necessarium pertinentes, factæ sint; ad quamcumque summam perueniant, tum ob eiusmodi impensas conductor eadem ratione partem tertiam sibi in singulos annos retineat: Sin autem ad sumptus, qui necessariò facti sunt, recuperandos non satis fuerit ea tertia pars: nè, completa etiam locationis die, à prædiorum possessione is, qui conduxit, antequàm ei satisfactum sit, amoueatur: sed Ecclesiæ Rectori liberum sit, atque integrum, aut comparata aliunde pecunia, aliauè quauis ratione ipsa prædia de conductore redimere: aut eadem illi ipsi conductori iterum, consentiente Episcopo locare; idque tot annis saltem, vt tertiam partem ad minimum in singulos annos eius rei retinendo, quam locationis nomine soluit, id omne, firma adhuc locatione, recuperet, quod ipse erogarit. Si verò qui his conditionibus conduxerint, tertiam ipsam partem quotannis non retinuerint, nè ius sit eis ab Ecclesia, nec à Rectore, qui succedet, partem, quam non retinuerint, repetendi; sed eorum culpæ adscribatur.

In iis etiam locationibus, quæ à Rectoribus, iam ad tempus, ita initæ sunt, vt conductores prædia meliora faciant; huiusque pactionis vi atque ratione ædificia, sarta, tectaque sunt; vel in posterum conductoris sumptibus meliora reddentur; hos sumptus, quos fecerit conductor, ea ratione recuperet, quæ à nobis hoc decreto præscribitur, nisi id conuentum sit, vt breuiori tempore soluantur, quàm à nobis statutum est.

Quòd si is, qui iam conduxit, & prædia meliora fecit, tertiam eam partem retinere nolit; sed vna tantum solutione sibi restitui velit id omne, quidquid iam erogarit, partem illam quam sibi retinere licet, apud hominem aliquem, cui tutò committi possit, quolibet anno deponat, vt sperari aliquando possit, prædia ipsa Ecclesiastica recuperari aliqua ratione posse.

Si verò conductor eam tertiam partem non deposuerit, sed Rectori Ecclesiæ soluerit: Rector, qui succedet, illam ab eo repetere possit, aut in rerum, quæ meliores factæ sunt, rationem referre.

Rector autem, qui tertiam hanc partem temerè receperit, dimidia parte fructuum, quos quolibet anno ex ipso beneficio Ecclesiastico percepit singulis annis mulctetur.

Si qui prætereà, ob sumptus in prædiis quibusuis ecclesiasticis factos, creditores sunt, eaque prædia non ipsi, sed Ecclesiæ Rector quauis ratione possidet, ne ea hypothecæ diutius sint, id quod mutua quadam collusione aliquando factum est; in hac re id curet Episcopus, vt eadem tertiæ partis annua solutione, quidquid in sumptum erogatum est, etiam fructibus sequestri nomine depositis, aut alia ratione, eis restituatur.

Liberum tamen sit Episcopo, in his omnibus, si quando pro beneficij tenuitate, aliauè iusta causa, aliquid minus tertia ea parte præscripta in singulos annos solui, aut retineri consueuerit, id arbitrio suo scriptis concedere.

Vt verò hoc decretum omnibus notum sit, ac planè perspectum, illud nostra auctoritate vulgatiter redditum, ab omnibus, & singulis vrbis, & diœcesis Parochis, festo primo die, postquàm ipsi acceperint, publicè in eorum Ecclesiis legatur, ac populo frequenti recitetur.

17 Nolumus credentibus, aut decentibus iis, qui ecclesiastica obtinent beneficia, illorum fructibus fraudari successores, aut saltem eorum recuperationem litibus, & controuersiis difficilem reddi: qua re fit, vt interim Ecclesia debitis muneribus, & officiis destituatur. 1. Ibidem.

Idcircò sancimus, nè Ecclesiarum rectores, aut quicumque beneficia Ecclesiastica quomodolibet obtinentes, sine Ordinarij licentia scripto permissa, pendentes beneficiorum fructus quouis prætextu, vel causa alienent: nisi venditionis, vel locationis nomine: & tunc dilata in id tempus pretij, vel mercedis solutione, quo fructus erunt à solo separati.

18 Quod si secùs factum fuerit, contractus irritus sit, & nullus; & qui fecerit, arbitrio ordinarij pœna afficiatur, quam etiam sustineat is qui eo in suam rem vti voluerit.

19 Nonnulli homines ad id temeritatis sæpè veniunt, vt Clerici mortui bona inuadant, vnáque cum ijs illa sæpè, quæ etiam Ecclesiæ ministris, in mortui locum succedentibus, debita sunt, & Ecclesiæ item, cui, dùm in vita ille esset, inseruierat, bona sacrilegè subripiant. Quare pœnâ excommunicationis latæ sententiæ vetamus, nè Clerici mortui, qui dum viueret, Ecclesiasticum beneficium obtinebat, bona ad Ecclesiam, eiusuè ministros pertinentia, quisque temerè inuadat, atque auferat. 2. Tit. 3. dec. 15.

Hoc autem decretum semel saltem quotannis Episcopus in sua diœcesi promulgandum iubeat.

20 Quod Prouinciali secundo Concilio pœna excommunicationis proposita contrà eos sanciuimus, qui Ecclesiastici hominis mortui bona, vel temerè inuadunt, vel surripiunt, eo decreto illos item astringi volumus, qui vel nulla inuasione, aut vi facta, ex illius mortui Clericalis hominis ædibus supellectilem, rèmvè vllam, seu scripta ad Ecclesiam cui ille Rector præerat, pertinentia, aut asportant, aut euehunt, quam ab illo, cui id curæ ab Episcopo commissum est, in indicem relata sint illius mortui bona mobilia, libri, & scripta, cæteraque eius generis, quæ in hæreditatem caderent. Hoc itidem decretum, vt illud quotannis de more promulgetur. 3. De iis quę ad bona eccles. tuend. pert.

21 Episcopus, vbi Clerici cuiusuis, qui Ecclesiasticum beneficium obtinuerit, mortem audiert, eius hæredes compellat, vt quæcumque scripta, instrumentauè, ad illud beneficium pertinentia, quæ in mortui Clericis bonis inueniuntur, alteri Clerico, qui in beneficium successerit, ab eis tradantur gratis, ac ne vllo quidem, vel minimo pretio, pacto, aut exacto: etiam si Clericus, qui decessit, in illorum exemplis describendis aliquid sumptus erogarit.

22 Sacrosancti Concilij Chalcedonensis Canon iubet, ab Episcopo Oeconomum deligi, & constitui, qui Ecclesiæ Cathedralis prædia, 5. De Episcopo, ipsi. iur. & foro.

V

Sess. 24. ca. 16. c. quoniam, & se. 16. q. 7. 9. q. 3. c. cùm simus. 89. dist. c. quia in quibusdam.
bona, resque de illius sententia, & arbitrio administret; vt non modo illa non dissipentur, sed testis sit rectæ administrationis, ac dispensationis. Id, vt à Prouinciæ nostræ singulis Episcopis seruetur, hoc decreto statuimus, nec verò solùm quo diligentius bonorum Ecclesiæ rectæ administrationi ad illius Concilij præscriptum consulatur; verum etiam quò studiosius Episcopus, cum censûs, supellectilis, bonorumque eorum curatorem, administratoremque habuerit, in rerum spiritualium officiis, quæ Episcopalis muneris propria sunt, ipse omni cogitatione, totoque animo incumbat.

16. q. 7. c. in noua actione.
23 Eum verò Oeconomum, vel vt alio Canone cauetur, Vice dominum constituat Episcopus, non laicum, neque sibi cognatione, affinitateuè, aut fauore coniunctum; sed Ecclesiasticum hominem qui & de Clero suo, & verò, si talem, qui idoneus sit, habere potest, diaconatu initiatus sit, quique in eo administrationis genere, & rectè & peritè versari possit.

24 Cuius administrationis rationes in Codicem certum rectè, ordinéque relatas, tertio quoque anno ad Concilium Prouinciale Episcopus afferat, atque exhibeat, sollicitè pro conscientiæ suæ religione, totius illius dispensationis rationem in eodem Concilio redditurus.

5. De Ecclesiis earum sup. & fructibus.
25 Vniuersitates, laiciuè homines, etiam qui ius patronatus habent, qui bona, censum, iurauè beneficij Ecclesiastici, aut loci pij, quocumque modo vsurpauerint, aut eorum possessionem detinuerint, anathema, & alias pœnas subeant decreto Tridentino constitutas, non obstante quocumque antiquo vsu, possessioneuè. Hoc verò decretum, cum illo vulgariter redditum, populo edici, atque promulgari sæpè inbemus, quò diligentius tale crimen caueatur.
Sess. 22. ca. 11. de ref.

2. Tit. 3. dec. 19.
26 Qui bona Ecclesiæ, Hospitalium, aliorumuè piorum locorum, siue solus, siue vna cum aliis administrat; si vel ipse, vel per interpositam personam ea emerit, aut emphyteusis locationisuè nomine conduxerit: ab eo administrationis munere statim amoueatur: nec dignus in posterum censeatur, cui talium rerum procuratio, administratiouè demandetur: cum eoque prætereà ex iuris præscripto agatur.

1. Quæ pert. ad bono. &c.
27 Nè per inscitiam, aut obliuionem id peccatum committatur, ne decimæ ijs, quibus legitimè debentur, vel omninò non soluantur; vel ex parte tantum. Ideò mandamus, & Parochis, vt inter Missam, & prædicatoribus in Concione, primo quoque Dominico die Aduentus, & Quadragesi. doceant populum, quid de solutione decimarum sacrum Tridentinum Concilium statuerit: vehementerque hortentur, ac moneant, vt debitas decimas integrè persoluant, nè propositas ab eadem Tridentina Synodo excommunicationis pœnas subire cogatur.
Ead. sess. 25 ca. 12. Sess. 22. c. 11.

28 Quibus etiam diebus eiusdem Tridentini Concilij decretum contrà occupantes quouis modo fructus, bona, & iura ecclesiarum, & aliorum piorum locorum, communi lingua populo recitent.

3. De iis, quæ ad bona, &c.
29 Decimarum ecclesiasticarum inuestituras, quæ laicis hominibus in perpetuum factæ sunt, Episcopus pro officij sui munere, diligenter, accuratéque recognoscat, quòd si eas legitimâ auctoritate minùs confirmatas esse comperevit: irritas illas, ac planè nullas declaret, & decernat.

30 Si quibus in locis generatim ab omnibus fructuum, qui ex prædiis colliguntur, decimæ Parochiali Ecclesiæ soluuntur, in iis qui spiam fortè est, qui illas exoluere recuset, quoniam sibi persuadet, alicuius, priuilegij, aut causæ prætextu immunem se esse: huic Episcopus certum breue tempus præscribat, quo præscripto tempore is, aut priuilegium exhibeat, aut caussam afferat immunitatis suæ.

31 Quod si ille quicquàm, quod leue sit, ad illius immunitatis ius tuendum, vel nihil planè attulerit; id Episcopus curet diligentissimè, vt is illas quàmprimum præstet, quippè cùm in decimis, quæ eius generis sunt, præscriptioni non sit locus.

32 Ne cuipiam bona, decimarum iure Ecclesiæ obstricta, è solo asportare liceat, nisi ad asportationem, aut ad descriptionem vocato Ecclesiæ Rectore, Parochouè, cui illæ soluuntur. Itaque qui decimas debet, ea bona domum suam, aliouè asportaturus, id biduo ante eidem Rectori significet, vel literis, vel certo nuncio; vt præsens illis, vel asportandis, vel describendis adesse, si velit, vtique possit. Quòd si ille tunc aberit, id vni de eius familia nunciandum curet: aut illius Ecclesiæ, domusuè Parochialis valuis scriptum affigi iubeat, quo asportatio ea denuncietur. Quòd si diutiùs illa bona in solo essent, eis detrimentum, damnumuè immineret: tùm, vel absente Rectore asportari liceat.

Hoc verò nostrum Prouinciale decretum habere locum declaramus, quibus in locis non aliter expressè cautum sit aliqua singulari constitutione, aut priuilegio, aut conuentione.

33 Quamquàm de piis legatis, decimis, primitiisque decreta permulta, contrà debitores, Synodis Prouincialibus promulgata sunt: nihilominùs istorum calliditatibus, rursusque eorum quibus debentur commodo non adhuc satis consultum, ac prouisum est. Quamobrem Episcopus, vel ipse per se, vel per Vicarios, Visitatoresuè suos, etiam in visitationis munere de piis legatis accuratè diligenterque inquirat: accersitisque etiã ad se, si videbitur, hæredibus, aliisuè, qui ea exequi, præstareuè debent, de illis ipsis decernat: certumque prætereà tempus, quo illi præstent, omninò constituat. Atque eorum quidem omnium & singulorum, qui illa præstare debent, nomina edi, in tabellamque certam referri iubeat: quæ in vniuscuiusque Ecclesiæ Parochialis Sacristia loco conspicuo affixa, propositauè sit. Si quis verò eorum, qui in eam tabellam relatus est, ad constitutum tempus legata, quæ debet, præstare, neglexerit, prætermiseritué, arbitrio Episcopi puniatur: nisi re ipsa, quàmprimùm legata, quæ debet, persoluat. Id quoque ipsum de illis, qui decimas, & primitias debent, hoc decreto planè constituimus, & sancimus. 6. De bonis, & iuribus Eccl.

34 Episcopus procuratorem, aduocatumque constituere omni ratione curet, qui in bonorum, iuriumque Ecclesiasticorum recuperationem incumbat; vt illis succurratur Ecclesiis, quarum Rectores administratoresuè, 3 De iis, quæ ad bona Eccles. &c.

aut præ inopia non possunt, aut præ metu, & opibus aduersariorum illa recuperare non audent; vel alia de causa negligunt,

35 Horum vtique ab illis certam mercedem in singulis causis, quas egerit, persolui iubeat, si per Ecclesiarum, quarum patrocinium illi susceperunt, facultates, Episcopi iudicio, potest: sin minus, gratis interea omnia ab vno, & altero item agi curet: ità tamen, vt pro illorum laboris, operæuè ratione, causis, in quibus elaborarint, peractis, si quid vel iuris, vel emolumenti Ecclesiis illorum opera acquisitum sit, de eo illis arbitrio suo satisfieri mandet. Si verò contrà acciderit: vberius illi à Deo bonorum omnium remuneratore, præmium expectent.

36 Si quis Clericus, aut Sacerdos vlla cuiusuis generis scripta, ad Ecclesiæ rationes pertinentia occultarit, suppresserituè dolosè; is pœna afficiatur, quæ Agathensi, & Aurelianensi Synodis contrà Clericos, huius culpæ reos, sancita est.

1. que pert. ad bonorum, &c. 37 Quia contingit interdum, vt Clerus vrbanus congregatus, reliquo Clero diœcesano non adhibito, aliqua decernat, quæ ad Clericos vniuersæ diœcesis pertineant, magno nonnumquam absentium damno: idcircò nos communi eorum vtilitati consulentes, statuimus; vt Clerici, qui extrà ciuitatem sunt, cùm primùm in diœcesanam Synodum conuenerint, aliquos eligant, qui vrbanæ congregationis deliberationibus, quæ ad vniuersum Clerum spectant, intersint.

Præcipimus etiam Clero ciuitatis, vt antequàm congregetur, semper eos, qui delecti fuerint, admoneat; vt ad congregationes adesse possint. Si verò non admonuerit, quidquid ibi actum, decretumuè sit, externo eius diœcesis Clero detrimento esse non possit.

38 Omnes verò ecclesiasticas personas, & eorum bona, libertatem, commoda, & iura omnia, Principibus summoperè commendamus: admonentes ecclesiasticam immunitatem, siue ad hominum vitam, siue ad bonorum possessionem, fructusque pertineat, Dei ordinatione, Summorum Pontificum decretis, & sanctorum Conciliorum auctoritate tributam, nulla ratione violandam esse.

39 Neque enim Principes, & Magistratus res Ecclesiasticas attentare; neque sacros, & religiosos homines ad suum iudicium, potestatemque reuocare: neque Deo addictis bonis manum iniicere, aut vllum onus imponere debent. Immò verò meminisse oportet, quas à Deo facultates consequuti sunt, eas ad ipsius Dei gloriam, & honorem, hominumque sacrorum salutem, & incolumitatem conferendas esse: qui pro eorum quiete, ac fælicitate Deo preces assiduè faciunt.

Cuius officij cum maximè intelligentes fore confidamus, in primis Catholicum, eundemque potentissimum Hispaniarum Regem, & reliquos deinceps Prouinciæ Principes: dubitare non possumus, quin re ipsa efficiant, vt eorum Magistratus, & Communitates nihil aduersus immunitatem, & libertatem ecclesiasticam vllo vmquàm tempore moliantur. Quod ita vt fiat, Episcopi pro sui officij munere curare, & eniti debebunt.

40 Sacræ Tridentinæ Synodi decretum sequuti, monemus omnes, quicumque beneficia ecclesiastica obtinent, vt hospitalitatem benignè exerceant; memores, Christum Dominum in hospitibus recipi, à quo recipientur ipsi in æterna tabernacula. Sess. 25. ca. 8. 16. q. 1. cap. fi.

Hoc autem hospitalitatis officium eò magis Episcopis colendum est, quod illis eam virtutem Apostolus in primis amplectendam proposuit.

In hospitalitate autem non is habeatur delectus personarum, vt diuites potissimum inuitentur, qui cum fœnore reddant, quod acceperint; sed, cùm ecclesiasticarum personarum domum nemini, quantum per facultates licuerit, clausam esse deceat, profectò illis maximè patere debet, qui Dei voce, sanctorum Patrum cohortationibus, & exemplis, sacrorum Conciliorũ præcepto, & auctoritate nobis commendati sunt.

41 Et sacrorum Canonum decretis statutũ est, & sanctissimorum Patrum testimoniis celebratum, quæ bona fidelium pietas Deo consecrauit, ea vel illorum necessitatibus honestè sublevandis, qui diuinis dicati obsequiis, Christi ministri, & dispensatores mysteriorum Dei effecti essent; vel Ecclesiis reficiendis, earumque ornamentis ad diuinum cultum necessariis comparandis, vel pauperibus sustentandis addicta esse: siquidem vbi primum Ecclesiæ bona esse cœperunt, eam naturam, & conditionem consequuta sunt, vt in alium, quàm in sacrum, & pium vsum eorum fructus conuerti nefas esset. Quare cauendum est, nè cupiditate prolapsi, quæ radix est omnium malorum, dum vel propriis, vel propinquorum, & familiarium diuitiis, & honoribus studemus, quæ Deo dicata sunt, bona & Ecclesiæ detrimento, & pauperum gemitu, & bonorum offensione ad aliorum vsum conuertamus. Itaque nos sacrorum Canonum, & sanctorum Patrum auctoritate innixi, atque ijs adducti, quæ sacra Tridentina Synodus de officio administrandi bona ecclesiastica significauit, eos omnes, qui ea obtinent, vehementer monemus, vt muneris sui memores, hæc, quæ sequuntur, diligentissimè præstent. Sess. 25. c. 1. de refor.

Episcopi, Abbates, Præpositi, Parochi, ac cæteri omnes cuiuscúmque dignitatis, & gradus Ecclesias, etiam eorum administrationi commissas, ac quæcumque beneficia ecclesiastica, etiam simplicia, quomodocumque etiam commendata, in Prouincia nostra obtinentes, omni diligentia cognoscere studeant, quibus oneribus eorum Ecclesiæ, & beneficia ex bonorum ecclesiasticorum natura, vel ex illorum, quæ obtinent, propria institutione, vel ex conditione Apostolicis literis in prouisione dictorum beneficiorum eis præscripta, vel alia quacumque eius generis ratione subiaceant, illisque integrè satisfaciant. Quod si facere omiserint, sed eos fructus sibi vindicare, vel ad alios transferre ausi fuerint, vel in quem debent vsum, non impenderint: se ex sacris Canonibus, & sanctorum Patrum sententia, sacrilegij reos esse intelligant: & eorum omnium necessaria restitutione teneri: neque vlla omninò, etiam immemorabili, consuetudine excusari.

At que ideò, si Metropolitanus tale cõmiserit,

antiquior Suffraganeus de eo ad Synodum, & Synodus ad Sanctissimum D. N. Romanum Pontificem deferat: si Episcopus sit, & ab Archiepiscopo, vel eo absente, ab antiquiore Suffraganeo monitus plenè non satisfecerit, ad Synodum Prouincialem, primo quoque tempore celebrandam per eundem deferatur: vbi, & restituere cogatur; & pœnas subeat Synodi arbitratu.

42 Si verò inferiori gradu, quàm Episcopus fuerit, quicumque is sit, si ab Ordinario loci monitus non satisfecerit, præter restitutionem eorum, quibus pia opera defraudauit, per sex menses administratione bonorum ecclesiasticorum prohibeatur. Quod si iterum in eo peccarit, grauioribus etiam pœnis plectatur.

Quo in genere tantò etiam grauius animaduertendum erit in eos, qui beneficia ecclesiastica obtinent commendata, quanto magis ex industria peccasse videbuntur: si in literis Apostolicis præscriptam legem propositam ante oculos habentes violare non veriti fuerint.

43 Nouerint etiam ij, ad quos scientes huiusmodi fructus, vel aliquod ex illis commodum quouis nomine peruenerit, se eadem restitutionis lege teneri.

44 Ij verò, qui Ecclesias, & beneficia ecclesiastica quæcumque obtinent, quorum fructus ad eos, tamquàm diuinorum obsequiorum ministros, honestè sustentandos propriè sunt attributi, si vberiores sint, quàm ad tuendam vitam, conditionisque suæ rationem requiratur: dubitare non debent, ad eum finem hanc copiam illis esse attributam, vt præter ea, quæ ad victum, & cultum eorum satis essent, suppeterent etiam, quibus diuini cultus ornatus, & splendor conseruaretur, & pauperum inopia, & indigentia subleuaretur: quemadmodum etiam Deus plerosque diuitiis cumulat, vt amicos sibi faciant: quibus cùm defecerint, in æterna recipiantur tabernacula. Quamobrem per viscera misericordiæ Iesu Christi obtestamur, atque monemus, vt meminerint ea bona non esse sibi credita ad luxum, neque ad augendos consanguineos, sed ad vitam honestè, vt fidelem Dei ministrum, & pietatis Christianæ magistrum decet, traducendam, ex eo verò quod superer it, si necessaria pauperibus alimenta denegarint, intelligant se, quos non pauerint, occidisse, atque ob violatam sanctissimæ charitatis legem, mortale peccatum commisisse: quo sibi iram in die iræ thesaurizauerunt.

Sess. 25. ca. 1. de ref.

45 Modum autem, & rationem, qua metiri se pro conditione, & gradu vnumquemque oporteat ad vitam suam fructibus Ecclesiasticis honestè ducendam, eam esse omnes debent intelligere, quæ ab iis non discrepet: quæ in sacris Canonibus, & præsertim in his nostris Constitutionibus de Clericali frugalitate, & modestia statuta sunt.

Quæ verò de fructibus Ecclesiasticis dicta sunt, eadem etiam de supellectili omni, cæterisque rebus, quæ iisdem fructibus comparata sunt dicta esse intelligantur: nè quæ de domestico Ecclesiasticorum hominum cultu, & ornatu per nos in hac Synodo decreta sunt, aut ad propriam auaritiam, aut ad propinquorum splendorem statuta esse videantur.

Cætera quæ ad huius Tituli materiam aliqua ratione pertinere possunt, videantur in Tit. Quæ ad benef. Collat. pert. & de Piorum locorum admin.

De Processionibus, & Supplicationibus.

SVMMARIVM.

1 *Processiones vnde proficiscantur, & vbi, quaque ratione absoluantur.* 22.
2 *Quo tempore ad eas veniendum.*
3 *Quo habitu Canonici, & alii Clerici induti ad eas accedant.*
Ab illis chyrothecæ tunc non induendæ. De diu. off. num. 29.
Pluuialia item à quibus, & quando induenda. num. 34.
4 *Quo ordine à Capitulis, Clericis, Regularibus, Confratriis & sæcularibus procedendum, & redeundum.* 11. 14.
5 *Regulares, & exempti ab Episcopo vocandi.*
6 *Et qualiter compellendi.*
7 *Præcedentiæ controuersia ab Episcopo tollenda.*
8 *Cruces à quibus Clericis, & quo habitu ferendæ.*
9 *Lumina duo candelabris infixa ad Crucem adhibenda.*
10 *Imagines aliæ, vexillaue à quibus ferenda.*
12 *Quid à Clero canendum sit in processionibus, significandum.*
13 *Ab omnibus psallendum.*
15 *Qua reuerentia processiones obeundæ.*
16 *Quæ in earum actione cauenda.*
Leges præscribendæ eorum, quæ à Clero in eisdem vitari, præstarique debent. De diuin. offic. num.....
Easdem transgredientes à Punctatore notandi. Ibidem.
17 *Certi etiam viri ab Episcopo deligendi, qui de supplicationibus præscripta seruari curent.*
Alii prætereà homines Ecclesiastici deligendi, qui Clerum ad supplicationes procedentem, dirigant, & alia præstent. Ibidem.
18 *Edendi, & bibendi consuetudo in supplicationib. tollenda.* 33.
19 *De quo à Parocho admonendus populus Dominico die antecedenti.*
20 *Missa, quando, & à quo celebranda in Ecclesia, ad quam profectum sit.* 23.
21 *Officia alia à quo item Clero ibi præstanda.*
22 *Locus in Ecclesia constituendus, vbi Clerus conueniens, deuotè consistat.*
23 *Clerus ipse ibidem congregatus à quibus abstineat, quæque agat.*
24 *Clericorum ostiariorum quod officium, erga Ecclesiasticos ibidem irreligiosè versantes.*
25 *Campanæ in processionis egressu, & regressu pulsandæ.*
26 *Musicæ instrumenta in eisdem processionibus non adhibenda.*
27 *Processionibus Papæ, Episcopiuè iussu indictis, Canonici præsentes quid lucrentur.*
28 *Clerici alii absentes, vt plectantur.*
Processio, quæ solemni die Corporis Christi Domini agitur, è fenestris non spectan. De sanctiss. sacr. process. de fer. num. 8.
29 *Idem seruandum in aliis processionibus publicis.*

30 *Eleemosynæ ciborum distributio diebus processionum non fiat.* 20.
31 *Decernendum à quibus in processionibus sint pluuiali induen.*
32 *Processionibus disponendis laicorum opera non adhibenda: quique alij adhibendi.*
Concilio Prouinciali diœcesana quæ Synodo indictis singulis diebus Dominicis processiones obeundæ in Cathedrali, & Collegiatis. De Concilio Prouinciali. num. 15.
Apparatus obscœniarum rerum in processionibus non adhiben. De imaginib. num. 27.
33 *Processionum stati dies, pro gratiarum actione, & calamitatibus, qui.*
34 *Populus à Parocho sæpè admonendus, vt sub suæ Parochiæ vexillo processiones prosequaturique processiones quando item agenda, Dominico die præcedente populo significandum, & 35.*
35 *Indulgentiæ ob id concessæ frequenter promulgandæ.*
Literarum, quibus eæ conceduntur, tenor. De Constitut. num. 44.
De processionibus, quæ cum sanctissimo Sacramento fiunt, suo tit. tractatum est.

1. De Process. & sup. 1 Generales processiones à Cathedrali, vel cuiusque loci maiori Ecclesia proficiscantur, & eodem reuertantur: nisi aliud Episcopo videatur.

2 In iis supplicationibus generalibus, qui non venerit ante inuocationem sanctissimæ Trinitatis, pro absente habeatur: aut alia pœna ab Episcopo plectatur.

3 Eas Canonici, & alij Clerici, etiam cuiusuis dignitatis sint, cum superpelliceis, & vsitatis aliis sacris vestibus statuto tempore semper obeant.

5. De Processionib. In omni processione, in illa præsertim, quæ solenni die Corporis Domini agitur, Clerus sæcularis, superpelliceo mundo, candidoque indutus, vt adsit præmoneatur.

1. Ibidem. 4 Præfectis Ecclesiarum Collegiatarum in vrbibus præcipimus, vt cum suis quisque Canonicis, & beneficiatis vocatus, superpelliceo, vel aliis sacris vestibus indutus, publicas processiones, prælata cruce, semper obeat.

Quibus Episcopus locum arbitrio suo quàm primùm assignabit: neque eius rei effectus vlla appellatione retardari possit.

Sess. 25. ca. 13. De Regul. 5 Ad huiusmodi processiones Episcopi, cùm eis videbitur ex Tridentino Concilio vocent Regulares omnes, quamuis exemptos.

3. De iis, quæ ad diu. off. pert. 6 Tridentini Concilij auctoritate Episcopus, cum regularibus agat, propositis etiam censuris, & pœnis, vt tùm in vrbe, tum in diœcesi, vbicumque ij Monasteria habent, vnà cum reliquo Clero sæculari processiones publicas, ad Tridentini Concilij præscriptum, ipsi obeant, iisque intersint.

1. Ibidem. Sess. eadem. 7 Si qua controuersia sit de priore loco, ab Episcopo, ex auctoritate eiusdem Concilij tollatur.

8 Cruces Clerici ferant talari veste, & superpelliceo induti: iique eiusmodi sint, vt eam aptè, & decorè ferre possint.

5. quæ ad di. off. pert. 9 Lumina duo, candelabris, cereo ferariisuè infixa, cùm processiones publicæ, etiam quæ in Ecclesiæ ambitu aguntur, ab omni cuiusuis ordinis Clero, tàm Regulari, quàm Sæculari, ad crucem adhibeantur, quæ vnicuique Capitulo, Clerouè de more præfertur.

10 Sacrarum imaginum insignia, vexillauè Cleri, nè laicus homo in processione præferat: vbi Clericus quisquàm est, qui hoc munus præstare possit. 4. De Processionib.

11 Omnes ordines grauiter, & modestè procedant: colloquiisque exclusis, psalmis, hymnis, & reliquis sacris precibus operam dent. 1. Ibidem.

Nemo ordinem in processione deserat, antequàm ad Ecclesiã, vnde profecti sunt redierint.

Laici à Clericis, fœminæ à viris separatum prosequantur.

12 Cùm ad processionem Clerus vocatur, quid psallendum, quid canendumuè ei sit, vt opportunum erit, significetur. 4. Ibidem.

13 Canant omnes, cùm verò aliquot canentibus, aliis canere non licet: qui bini incedunt, submissa voce, psalmum, hymnum, antiphonam, precemuè piam, inter se dicant supplicationi, quæ fit, mysteriouè conuenientem.

14 Clerici omnes Sæculares, & Regulares, & qui in Basilica Cathedrali dignitates obtinent, bini semper procedant; neque item inter eos vllo modo laici homines, quocumque gradu sint, interiecti incedant; neque item inter Episcopum, & eosdem, laicis locus sit.

15 Videant Episcopi, vt in supplicationibus, & processionibus quibuscumque, præsertim cum sanctissima Eucharistia circumfertur, & cum frequentior populus ad Ecclesias, indulgentiæ, festi dies, sacræ Concionis gratia, vel alia de causa conuenire solet, ea modestia, & reuerentia adhibeatur, quæ piis, & religiosis huiusmodi actionibus maximè debetur. 1. Ibidem.

16 Ne inter viam inaniter spectandi gratia subsistatur.

Ne petulanti facto, dictouè cuiquam molestia afferatur.

Ne, quæ minùs deceant, spectacula adhibeantur.

Neuè actiones pro foribus ædium, aut in via repræsententur.

Qui secùs fecerint, seuerè coerceantur.

Quicumque in processione erratum contra tabellæ præscriptum commiserit: pro præscripta ratione punctator sigillatim, nominatimque illum notet. 4. Ibidem.

17 Episcopi præficiant certos viros, quibus curæ sit, vt hæc omnia, quæ de supplicationibus præscripta sunt, seruentur: &, vt res ea, qua decet, pietate agatur. 1. Ibidem.

Constituat Episcopus certos homines, qui Clerum, ad supplicationes procedentem, dirigant: tumque aliquando, cùm opus est, eundem subsistere moneant: tum etiam, qui populum in ordine consistere, mulieres velatas incedere, aliaque eiusmodi opportunè in ipsa etiam via moneant, præcipiant, vt seruentur, efficiant omni sollicitudine. 4. Ibidem.

18. 19 Edendi, ac bibendi consuetudinem, secumuè esculenta, & poculenta deferendi, aut ea vendendi in sacris supplicationibus habendis, vineisque lustrandis, & suburbanis Ecclesiis visitandis, Parochi tollere studeant; 1. Ibidem.

fideles sæpius admonentes, præsertim die Dominico; qui proximè sacras Rogationes antecedit; quàm dedeceat, vbi piis orationibus mens, & lingua exercenda est, ibi ieiunium, quod ad alliciendam Dei gratiam magnam vim habet, tantisper seruare non posse.

4. Ibid. §. 1. 20 Cum supplicationes publicas, solennes fieri opus erit, primùm earum causa processiones agantur, deinde Missa solenniter celebretur: nisi aliter ob causam Episcopus aliquando iusserit. Clerus etiam Regularis, piarumque Confratriarum homines, populus denique omnis; cùm ad Ecclesiam, vbi supplicandi causa statio fiat, processerint, inde ordine item redeant ad Ecclesiam vnde discesserint; vt etiam primo Concilio Prouinciali decretum est: nisi Episcopi præscripto in Ecclesia, ad quam ventum est, processio absoluenda, & dimittenda sit: tuncque inde ad suas quique Ecclesias, benedictione Episcopali, aut missione de more facta, collegiatim Cruce præcedente abeant licet, peractis ante supplicationum, prout ritus est, solennibus precibus, atque orationibus.

21 Quæ in hoc supplicationis munere, precum & orationum officia in Ecclesia, ad quam itum est, quæcumque illa sit, peragenda sunt: à Capitulo Cathedralis: in Diœcesi autem, à Clero primariæ sæcularis Ecclesiæ, non illius, ad quam supplicandi causa processum est, ritè præstentur: nisi antiqua consuetudo aliud suaserit.

Missæ item sacrificium, cùm ibi faciendum est, illud à Capitulo, Clerouè Cathedralis, & in Diœcesi, primariæ sæcularis Ecclesiæ solenniter fiat: Quo tempore reliquus Clerus discedat licet, missione solenniter facta: vt in suis quisque Ecclesiis Conuentualem, Parochialemque Missam concelebret: nisi aliter quandoque Episcopus iusserit.

22 Clero ad Ecclesiam conuenienti, processionis, supplicationis, alteriusuè eiusmodi officij causa, locus aliquis Ecclesiæ illius amplè quantum potest, patens constituatur, vbi simul vniuersus, si potest, alioqui collegiatim saltem vnusquisque ordo conueniat, & tacitè precando consistat, donec illas obeat: nè per Ecclesiam vagetur, aut quidquàm aliud admittat, quod Concilio Prouinciali secundo vetitum est.

2. Tit. 2. decr. 9. 23 Clerus, cùm in aliquam Ecclesiam, vel ad processiones, vel ad stationes obeundas, vel ad funus conuenerit: illud meminerit, se esse in domo Dei sancta, quæ domus est orationis. Quare nullus cuiusuis ordinis Clericus, aut Sacerdos in Ecclesia deambulet, nec in confabulationibus & congressibus, eo loco indignis, versetur: sed vnusquisque, aut solus, aut comitibus, sociisque aliis adiunctis, religiosas preces Deo in causa adhibeat, quam ob rem Clerus vniuersus conuocatus est.

Cùm autem statio celebratur, nè vllus item Clericus extrà Ecclesiam maneat: sed omnes intus sint, omnique pietatis consensione Deo statas illas preces canant.

4. Ibidem. 24 Clericorum verò sit, ostiarij functiones in Ecclesia Cathedrali obeuntium, ecclesiasticos homines supplicationum, processionumuè causa in eum certum locum congressos, si quos vagantes, deambulantes, colloquentesuè animaduerterint, Episcopi auctoritate prohibere: tùm etiam contumacium nomina ad eundem deferre.

25 In omni Ecclesia, vnde ad statas processiones Clerum, populumque egredi solenne est, vbi primùm procedendi initium fit, campanarum omnium pulsationes solenniter tamdiù adhibeantur, quò ad inde Clerus vniuersus in processionis munere egressus sit. Idemquè cùm à processione reditur, præstetur. Itidem in Ecclesiis fiat, quæ in vicinia sunt, vbi processio agitur. Ibid.

26 Musicis verò cuiusuis generis instrumentis in processionibus sonari, nè vllo modo permittatur.

27 In supplicationibus, processionibusuè, quæ Summi Pontificis, Episcopiuè iussu in exteriori aut interiori Ecclesiæ circuitu aguntur, Canonicis, & aliis Chori Ministris, qui distributionum quouis modo participes sunt, tantum ex communi residentiæ censu distribuatur, quantum ipsis dari solet, cùm in Choro præsentes horæ tertiæ officio adsunt. Si verò pro feriæ, festique ratione, quo processio agitur, non in circuitu Ecclesiæ, sed per vrbem, oppidumuè illa fiat, agaturuè, triplum detur. Quæ omnis distributionum portio detur iis tantùm scilicet, qui illas præsentes obeunt.

28 Quod ad alios autem Clericos attinet, qui processioni, supplicationiuè interesse debent; nec verò distributionum participes sunt, cum iis Episcopi arbitratu, certis mulctis, pœnisuè agatur.

29 Itidem prætereà curent de aliis publicis processionibus, cùm illas omnes populum supplicem prosequendo piè obire institutum sit. Ibid.

30 Si quæ eleemosynæ panis, aut vini, aut aliorum ciborum certo constituto tempore, pij etiam legati iure, aliouè quouis nomine distribui debent: earum distributio, nè processionum, supplicationumuè tempore fiat: quominùs illa comessationibus, crapulisuè occasio præbeatur: sed illis peractis id agi liceat.

31 Vnusquisque Episcopus pro solennium processionum, & eiusmodi actionum ratione decernat, tum qui è Clero: tum quibus diebus, pluuiale illis obeundis induant.

Intereà verò mos; & vsus Metropolitanæ Ecclesiæ hoc in genere seruetur.

32 In Missæ etiam solenni sacrificio, processionibus, & aliis eiusmodi sacris actionibus cautio sit, vt ad ecclesiasticas functiones, quas in illis præstari oportet, cuiusmodi sunt: & cùm Corpus Domini in Missa eleuatur, cereorum accensio, & sustentatio, & Cleri in processionibus item disponendi, dirigendiuè ratio, & id generis aliæ, laicorum hominum opera, ministeriumnè nè adhibeatur: sed in iis, aliisuè eiusmodi generis functionibus obeundis præstò sint Sacristiæ custodes, Clerici, tum Magistri Chori, vel cæremoniarum adiutores, aliique ecclesiastici ordinis homines quorum ministerium ecclesiasticarum rerum vsui, functioniuè addictum est; tùm ali j item Clerici, quibus ea munera Episcopus assignarit.

33 Stati dies processionum, quæ pro gratiarum actione fient, vt antiquis rituum monimentis traditum est, hi sint, Dominicus scilicet dies, 6. quæ ad procesf. per.

vel feria quinta. Si verò pro calamitatibus, peste, bello, fame, aliisque id generis supplicandum est: processiones publicæ agantur feria quarta, sexta, & Sabbato: quibus processionibus agendis, etiam certas Ecclesias pro Ecclesiæ suæ consuetudine, ac pro populi commissi pietate Episcopus statuet libero arbitratu suo.

34. 35 Supplicationibus publicis obeundis, fideles suæ quique Ecclesiæ Parochialis vexillo prælato, vt frequentes ordine procedant, eos Parochus sæpenumero, prout occasio tulerit, accuratè moneat, valdeque accendat, dono, munereque indulgentiæ, quam Summus Pontifex Gregorius XIII. pro sua paterna charitate Prouinciæ Mediolanensi concessit: cuius indulgentiæ Pontificias literas in fine huius Concilij sexti impressas, ob eam causam frequenter Parochialibus suis euulget.

Quæ in hoc titulo desiderabuntur, videantur in titulo de sanctissimo Sacramento processionaliter deferendo.

De Supellectili, quæ processionum vsui, communis est Cathedrali, Collegiatæ, & Parochiali Ecclesiæ, cum eiusdem forma.

SVMMARIVM.

1 *Crux Capituli in Cathedrali, & Collegiata Ecclesia tantum.*
Forma qualis. De Supellectile quæ Canonicis, &c. num. 2.

2 *Thuribula, Acerræ, Cochlearia* } *in Cathedrali, & Collegiata, ac Parochiali quot.*
Forma cuiusmodi. De Supellectili Missarum, & Episcopal. num. 5.

3 *Cereostrata in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali.*
Forma quot eorundem.

4 *Labarum, seu vexillum sancti Patroni Ciuitatis, Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis.*

5 *Forma.*

6 *Processionalia, seu libri litaniarum, processionumque in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali quot.*

Instr. sup. Eccl. lib. 2. De supp. quæ Missæ con. diu. off. processionique. vsui comm. est in Cath. Colleg. & Par.

1 CRux vna Capitularis, ex instructionibus Ecclesiasticæ supellectilis paranda in Cathedrali, Collegiataque Ecclesia.

2 Thuribula, Acerræ, Cochlearia } in Cathedrali, & Collegiata duo: in Parochiali vnum.

Cereostrata bina in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali Ecclesia.

Instr. Ibid. 5. Quæ ad diuin. offic. pert.

3 Cereostrata, seu Cereoferaria, artificiosè tornata sint, auro, aut coloribus decorè obducta in superiori parte, qua Cereus infigitur. Eorum orbis, ex carta ferrea, idest tola, congruenter pateat, extremitate sursum reflexa, ad guttas capiendas, quæ ex Cereo defluunt. Alterius verò generis Cereoferaria, quas cancellas appellant, infrà ex ligno tornatili sint: suprà verò quadrifariam secto, & ad Cereos excipiendos apto: ornata verò vt alia.

Inst. for. sup. lib. 2. De Cereostratis. Instr. Ibid.

Ibidem. Opercula, ex tenui carta ferrea, fiant, quæ infrà patulo circuitu sint, suprà in acumen desinant: bacillis aptè inserantur, vt per eos Cerei, quamuis altè positi, extingui à ministris possint: hæc aliqua maiora ad vsum maiorum, aliqua verò minora, ad minorum vsum, conficiantur.

4 Labarum in vnaquaque Ecclesia Cathedrali, Collegiata, ac Parochiali Ecclesia vnum sit.

5 Vexillum sancti Patroni vrbis, & opere, & materia, & ornatu insignius sit, quàm Parochiale, tùm amplitudine prætereà maiori, quæ formam ferè quadratam exhibeat. Ibidem.

Vexillum verò Parochiale, quod siparum, aut fanon Ecclesiastico nomine vocatur, è tela auro, argentoue intexta, vel è serico, firmiter contexto sit. Longè pateat cubitis tribus, & dimidio, lateque totidem, ità vt formæ quadratæ speciem præbeat. Qua forma insigne illud, augustissimumque Constantini Imperatoris vexillum, quod Romani labarum dicunt, cruce pretiosa, cuius imago cœlitus apparuit, intextum fuisse ex antiquis monimentis constat. Porrò è materia longè pretiosiori fiat, vbi pro Parochialis viciniæ facultatibus potest.

Imagine, effigieuè sancti, aut sanctæ, cuius nomine Ecclesia Parochialis nuncupatur, depictum, ornatum, aut contextum sit.

Colore prætereà, quem sancti, sanctæuè, cuius vexillum præfertur, imago pro Ecclesiæ ritu deposcit.

Vndique cinctum ornatu laciniarum eiusdem coloris, cuius vexillum est, permixtis etiam filis, argento, auroue intextis.

Appensum præferatur ex hastili ligneo, eoque solido: cui à summa parte crux paruula quadrata præfigatur.

Hastile autem vexillo longius sit cubitis circiter duobus: colore item, quo vexillum.

Vexillum verò, quod, dum fœminæ in supplicationibus publicis procedunt, pro Parochialis viciniæ distinctione præferunt, & materia, & colore, & imagine, & ornatu sit, vt illud, suprà descriptum: at latè, longeque constans vno tantum cubito, & hastili breui, ac tenui: cui item crux paruula in summo affigatur.

6 Libri ad processionum vsum in Cathedrali, tres: in Collegiata, duo: in Parochiali, vnus.

De Funeribus, & Exequiis.

SVMMARIVM.

1 *Mortuus quando non efferendus.*

2 *Quando in Ecclesiam non inferendus.*

3 *Ante quam horam non sepeliendus.*

4 *Ad funera qui, & quot euocandi.*

5 *Quique alios pro se mittentes eleemosynam capere non possunt, etiam sponte oblatam.* 6. *Quot ad mensam ob eam causam, adhibendi. De vit. & honest. cler. num. 38. & 39.*

7 *Funeris ducendi hora constituenda.*

8 *Superstitiosi quicquam in feretro non ponendum.*

9 *Pallium ad mortuos efferendos quorum sumptibus comparandum.*

10 *Id gratis commodandum.*

11 *Si pretioso nobiles vti voluerint, emant: quod*

1 VT vetus Ecclesiæ institutum mortuorum funus piis precibus, & officiis solenni more prosequendi, mul- 1. De fun. & exeq.
tis locis auaritia, ambitione, vel negligentia deprauatum, ad pristinam pietatis rationem reuocemus; Clericis quibuscumque cuiusuis dignitatis sint, etiam Canonicis Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, cæterisque omnibus hæc seruanda proponimus.

Ante solis ortum; & post occasum, mortuum & efferri, & ad sepulturam recipi prohibemus.

2 Inter maioris Missæ celebrationem, mortuorum corpora sepulturæ causa in Ecclesiam non inferantur.

3 Delatum ad nos est, nonnullas ex eo offensiones oriri, quòd corpora mortuorum, eorumque præsertim, qui repentina morte decesserunt, in sepulturam nimis præproperè: atque adeò celerius quàm par est, tradantur. Quibus offensionibus, vt opportunè occurratur: decernimus, nè in posterum corpus aliquod sepeliatur: nisi duodecim saltem horis, postquam spiritum exhalauit. Vorum si quem de improuiso mors: aut morbi alicuius repentina vis occupauit, is nè in sepulchrum inferatur ante vigesimam quartam huiusmodi repentini euentus horam, nisi secùs Episcopo, eiuè videbitur, cui ipse id curæ dederit. 6. Quæ ad fun. pert.

4 Funeribus, defunctorum officiis, anniuersariis concelebrandis, cùm Rector Ecclesiæ præter Clericum ministrum suum, alios etiam Sacerdotes, Clericosuè, quorum ministerio, operauè vtatur, accersere, adhibereuè necesse habet: hoc ordine, nisi aliud defunctus, hæredesuè illius voluerint, illos euocet, primò scilicet, si quos habet, illius animarum curæ gerendæ quouis modo socios, collegas, adiutoresuè, tum illius Ecclesiæ titulares, vel cano- 4. De fun. & exeq.

nicos, vel Chori Ministros, vel demùm Capellanos item, deinde Clericos alios, ecclesiasticæ functioni, officiouè in Ecclesia addictos, adscriptosuè; tùm prætereà alios, quos mortui hæres, aut is, cuius interest, accersiri, euocariuè maluerit.

Nec verò plures adhiberi vllo prætextu etiam huius decreti liceat, quàm ille velit, vel Sacerdotes, vel alios, etiam Clericos tantùm, puerosuè, Clericali vestitu indutos, etiam quos illi euocari secum duxerint: neque rursùs ad eleemosynæ, emolumentiuè cuiusuis generis, eo nomine percipiendi, partem vllam, neque denique vllum non vocatum admitti.

5. 6 Illud Præpositi, Archipresbyteri, Parochi, Rectores, & alij quicumque Clerici caueant, nè ad funus ducendum, aut officia pro mortuis celebranda alios pro se mittant, emolumentum, aut eius partem ipsi percepturi: neque secùm pueros, aut Clericos ea spe perducant, mittantvè, vt eleemosynæ, quæ illis data erit, participes ipsi sint: nec sanè verò vllam eius partem vllo quouis prætextu etiam spontè oblatam, capiant: neque item qui mittuntur, plus capiant, quàm si proprio solum nomine vocati essent.

7 Funeris ducendi certa hora constituatur, qua omnes quicumque euocati sunt, conueniant; vt nulla interposita mora ad illud procedatur.

8 Cautio sit, vt nè simplices homines quicquàm superstitionis causâ apud mortuum in feretro, aut in eius manibus ponant; aut aliud, quod superstitionis speciem præ se ferat, aut suspicionem habeat, committant.

1. De funer. & exeq. 9.10 Dent operam Episcopi diligenti cohortatione, vt in singulis Parochiis, communibus eorum sumptibus, qui sunt in Parochia comparetur pallium, quod mortuo imponi solet; idque omnibus in funere gratis commodetur: quod si Parochiani id recusauerint, singuli Parochi, & alij Ecclesiarum Curatarum Rectores pallium ad huiusmodi vsum emant; pro quo mortuorum hæredes illis minimum aliquid Episcopi arbitratu largiantur.

4. De fun. & exeq. Vbi ex nostra in Concilio primo Prouinciali edita Constitutione pallium ad cadaueris, feretriuè tegendi vsum, quacumque ratione comparatum est, omnibus illud gratis accommodetur.

Vbi verò paratum nondum est; Parochialis viciniæ hominum, non Ecclesiæ Rectoris sumptibus comparari decernimus.

Sin autem neque illi parent, neque mortui hæres item; sine pallio cadauer efferatur, quovsque id præstetur.

1. Ibidem. 11. 12 Si verò nobiles homines aureo, vel serico, vel omninò pretioso pallio vti voluerint, pecuniâ suâ faciendum curent; quod ad eiusmodi cadauerùm vsum nullo modo in posterum adhibeatur; sed illi Ecclesiæ, in qua mortuus sepultus fuerit, illicò post funus acquisitum sit, & in eius ornamenta conuertatur.

6. Quæ ad funer. pert. 13 Clericus mortuus vestitu Clericali Ecclesiastico quem ordinis sui ratio deposcit indutus efferatur, Diaconali, Ecclesiasticaque veste Diaconus, Sacerdotali Sacerdos: Clericus superpelliceo, tonsuraque ornatus: itidemque alij pro ordinis Ecclesiastici gradu.

14 Mortuum, quouis etiam generis, gradus, dignitatisuè nomine illustrem, laicum, ecclesiastici homines nè efferant: nè item inferioris Ordinis Clericum, qui in superiori ordine constituti sunt.

15 At verò Subdiaconum, Subdiaconi, Diaconum, Diaconi; & sic ordine cæteri, nisi necessitas aliquando suadeat, digniores ab inferioris ordinis hominibus efferri.

16 Episcopum verò mortuum ij, qui in Ecclesia Cathedrali dignitates obtinent, & Canonici Sacerdotes, & ij digniores efferant.

Laicum autem laicalis ordinis homines, quod officium etiam, qui laici piæ alicui confratriæ adscripti sunt, præstare poterunt.

17 Singularum Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum Clericis, qui in funus venerint, vna tantùm suæ Ecclesiæ crux præferatur; neque aliæ in funere deferantur; nisi, quas suus quamque Clerus subsequatur. Quòd si alij quoque Clerici inuitati fuerint, eius Rectoris, qui inuitant, Crucem prosequantur. 1. Ibidem.

18 Ad tollendas controuersias, quæ magna populi offensione inter Regulares, qui beneficia curata obtinent, vel in eis curam animarum exercent, & Parochos sæculares in efferendis mortuis oriuntur; statuimus, vt, cùm ex Parochia, cui sæcularis Sacerdos præsit, mortuus effertur, vt in Parochiali Ecclesia sepeliatur, cui Regularis sit præfectus, vel contrà; tunc vtrique Parochi, superpelliceo, & stola induti, pares progrediantur. Reliqui verò Regulares eum locum teneant, quem in generalibus processionibus tenere consueuerunt, non obstante quauis consuetudine, vel pactione, quàm inter se fecerint.

19.20.21 Cùm mortuus efferendus erit, cuiusuis Ecclesiæ Clerus, qui vocabitur, in vnam proximam mortui ædibus Ecclesiam congruo processionis ordine conueniat: Vnde omnes ordine prodeuntes, bini canentes psalmos, aliasuè sacras preces, mortuum ab eius ædibus ad sepulturam comitentur.

22 Cadauer cùm effertur, viâ procedatur, quæ à domo ad Ecclesiam recta, ac breuis sit: si verò vsque adeò breuis, & compendiosa est, vt ordines eorum, qui funus comitantur, intrà illius fines contineri non queant; tunc viâ paulò longiori funus ducatur, idque iussu, concessuuè Sacerdotis, qui funeri præest. 4. Ibidem.

23.24 Omnes, tùm qui dignitates obtinent, tum Canonici, etiam Metropolitanæ, & Cathedralis Ecclesiæ, tùm alij prætereà quicumque Clerici, quibus in funere, aut cerei, intortitiauè dantur, eas, eauè accensa in funere manibus ipsi deferant.

25 Lumina, cerei, funalia, intortitiauè in funere nè restinguantur, nisi sacro officio ètiam sepulturæ ritè absoluto atque expleto. 6. Quæ ad funer. pert.

26 Cùm ad Ecclesiam venerint, omnes corpus suo item ordine circumstent instituta officia celebrantes: nec prius discedant, quàm corpus in sepulchrum illatum fuerit. 1. Ibidem.

27 Ne laici, etiam confratres, aut alij societati adscripti, sed Ecclesiastici homines, mortuo, cuius funus agitur, totum officium sepulturæ 6. Ibidem.

præstent: itâ vt quæ preces, quiuè sepeliendi ritus, ei ex Ecclesiæ instituto, consuetudineuè adhibentur, eorum omnium officium non ipsi laici, sed Sacerdotes, & Clerici eo nomine vocati, perfectè expleant, quò ad illius corpus humatum, sepultumuè est.

Ibidem. 28 Missa, cum mortui corpus sepelitur, quando commodè fieri potest, pro eo piè celebretur, id quod, & Canonum iure, & sacrorum rituum libris cautum est.

Ibidem. 29 Si quando autem die Dominico, festouè mortuum efferri, in sepulturamque tradi contigerit, pro eo Missam conuentualem ad præscriptum Romani Ritualis celebrari licebit.

1. Ibidem. 30 Deinde singularum Ecclesiarum Clerici eodem ordine, quo venerant, Crucem præferentes, ad Ecclesiam suam redeant, nisi aliquando aliud Episcopo iusta de causa videatur.

31 Clerici Ecclesiæ, in qua mortuus humatur, eius vestes hæredibus inuitis, nè sumant; sed iis, ad quos pertinent, reddant.

4. Ibidem. Quod primo Concilio Prouinciali sancitum est, id explicatius nunc vetamus, vt nè, scilicet Clerici, neuè alij quicumque sint, qui aliquam in funere curam ponunt, vestes, indumenta, ornamentauè, cadaueri adhibita, nisi à sponte offerentibus, accipiant; sed gratis, ac sine mora iis, ad quos pertinent, omnia planè restituant, reddantuè.

1. Ibidem. 32 Candelæ omnes, cerei, & quæ intortitia vocantur, quæ circum crucem, & cadauer ad Ecclesiam adferuntur, & alia, quæ circumferetrum, & in Altaribus, ac reliquis in locis, dum diuina officia in funere celebrantur, hæredum impensâ accenduntur, ita Deo oblata esse intelligantur: vt eius Ecclesiæ Sacristiæ, in qua mortui corpus humandum erit, continuò addicta sint.

Rectoribus verò illas vendere nullo modo; sed ad Missam, cæteraque diuina officia celebranda tantummodo vti liceat: nisi in alium Ecclesiæ vsum Ordinarij licentiâ conuertantur.

1. tit. 1. dec. 16. Candelæ, cerei, & quæ intortitia vocantur, in mortui funere adhibita, superioris Concilij decreto Sacristiæ illius Ecclesiæ addicta, in qua funus fit, aut mortui corpus in sepulturam traditum est, si quæ in Missarum celebratione, & reliquis diuinis eiusdem Ecclesiæ officiis supererunt: ea omnia, vel ipsius Ecclesiæ Rectori, vel iis, ad quos ante illius decreti promulgationem eiusmodi candelæ, cereique pertinebant, in alium eiusdem Ecclesiæ vsum, vel ad suæ etiam vitæ sustentationem, arbitratu suo, conuertere liceat.

1. Ibidem. 33 Excipimus autem ea, quæ Clericis cuiusuis generis eleemosynæ causa dari solent: & quæ funeralium nomine Cathedralibus, & Parochialibus Ecclesiis ex sacris Canonibus debentur: quibus nihil obsit: quo minùs quartam funeralium, quæ solita esset persolui, ex decreto Tridentini Concilij consequi possint.

Sess. 25. c. 13. de ref. 34 Si mortuorum hæredes itâ se impiè gesserint, vt religiosum exequiarum institutum negligenter, Cruci, Clericis, & funeri debita lumina adhibere nolint: ab Episcopo ea cogantur comparare, quæ necessaria videbuntur.

35 Nemini quemquam in funere laudare liceat: nisi, & eum, quem laudare velit, Episcopus dignum censuerit: & laudationem scriptam ante probarit. 1. Ibidem.

Liceat tamen in funere Concionem habere, quæ tota referatur ad humanam miseriam fidelium oculis proponendam: omnesque ad vigilandum cohortandos: nè, cùm venerit Dominus, horâ qua non putarint, inueniat eos dormientes.

Sermo si quis in funere habebitur, non domi, aut alio eiusmodi loco, sed in Ecclesia habeatur.

36 Eleemosyna, quæ Clero ob funus, aut defunctorum officium datur, nè in Ecclesia, Cœmeteriouè, aut spectante populo, sed eo remoto, locoque separato, factis exequiis, officiisuè distribuatur. 4. Ibidem.

37 Exequiarum, sepulturæ, & anniuersariorum causâ nemini quidquam pacisci, aut exigere liceat: neque etiam petere, vel quid aliud committere, quod simoniacæ labis, aut sordidæ auaritiæ, suspicionem habeat. 1. Ibidem.

Ne pactiones de funere, aut de exequiis pro mortuo celebrandis cum defuncti hærede, aut alio, ad quem pertineat, à Parocho, aliouè ea conditione fiant, vt certa ceræ pars, quæ exequiarum officiis supererit, ipsi hæredi, aut alteri restituatur. 4. Ibidem.

38 Ne Parochi, aliiuè Clerici, neque item exequiarum curatores, aliiuè, quicumque in funere operam ponunt, pignora capiant, quibus sibi caueant de funerali eleemosyna, aut de eorum operæ in funere præstitæ mercede.

39 Pias tamen consuetudines in his seruari iubemus: cuius rei Episcopus curam suscipiat. 1. Ibidem.

Quæ superiori Prouinciali Synodo decreta sunt, ad tollendas Rectorum Ecclesiarum in exequiis, & funere pactiones, & exactiones illicitas, aut quæ simoniacæ labis, vel sordidæ auaritiæ suspicionem afferrent: ea à plerisque in eam partem accipi animaduertimus, vt occasione inde sumpta, Ecclesiæ, non seruato piarum consuetudinum vsu, debitis eleemosynis defraudentur. Quare Episcopus, habita, & locorum, & personarum ratione, in funeribus, & exequiis, quæ pia instituta, & consuetudines laudabiles sibi videbuntur, arbitratu suo seruari iubeat, sacrorum Canonum auctoritate: contumacesque compellat omni iuris remedio. 1. tit. 2. dec. 17.

40 Pia etiam legata exigi volumus: neque ea, quæ eleemosynæ causâ vltrò data fuerint, accipi prohibemus. 1. Ibidem.

41 Miserabiles personæ, quibus mortuis, aut nihil superest, aut ita parùm, vt suâ impensâ humari non possint, à Parocho sumptibus Ecclesiæ sepeliantur. Ibidem.

42 Statuat Episcopus in ciuitate, & diœcesi sua pro modo laboris quantùm mercedis causa dandum sit Curatoribus exequiarum, cæterisque qui dant operas in funere, & ijs, qui campanas pulsant. Quibus etiam quamdiù in exequiis campanas pulsare debeant, arbitrio suo præscribat. Ibidem.

43 Ecclesiæ Metropolitanæ, vel Cathedralis, vel Collegiatæ, Capitulum, ac singuli de Capitulo in funere, funerisuè officio, contenti elee- 4. Ibidem.

mosyna sint, quæ generatim ipsi vniuerso Capitulo, aut sigillatim vnicuique de Capitulo dari solet.

44.45.46 Idem Parochi, Rectores, Sacristiæ custodes, & alij Clerici inuiolatè seruent ad Episcopi præscriptum. Pro crucibus autem, & quæ circa cadauer, aut cænotaphium disponuntur; pro campanis item, lampadibusuè, aliouè prætextu, aut nomine, nihil prætereà capiat, exigatuè, nec Capitulum, nec quisquàm de Capitulo, nec Rector, nec Sacrista, custos, aliusuè Clericus quicumque, nisi si quid est, quod fabricæ, aut Sacristiæ, campanarum nomine dari piæ consuetudinis Episcopus esse censuerit; idque verè in eum vsum cedat; at pro crucibus nihil omninò, quouis etiam fabricæ, vel Sacristiæ nomine accipi liceat.

47 Quantùm Clericorum vsitato nomine dari solet, tantùm custodibus, qui in minoribus ordinibus constituti sunt, detur: si in sacris fuerint, habeant, quantum Sacerdotum nomine datur.

Qui verò custos, vel Crucem prætulerit, vel campanas pulsauerit, tunc ille accipiat, quod eo nomine tantum dari statutum est.

48 Qui funeris curationem aliquam habere solent, vtpotè Antiani, aliique quocumque nomine vocati, qui item corpori sepeliendo operam nauant, eos accipere non vetamus, quod pro officij sui, quod ipsi præstiterint, opera, dari consueuit.

49 Crucis verò, vel campanarum, aliouè quouis nomine, nè ab iis quidem quicquam in funere, vel funeris, vel exequiarum causâ, exigi, accipiuè liceat.

Eius verò generis homines, & alij, qui in funus se ingerunt, nec quicquàm operæ ponunt, nihil omninò consequantur.

Ibidem. 50 Pro loco, in quem mortuus infertur, à nemine, ne Sacristiæ quidem, aut fabricæ Ecclesiæ, aut Confraternitatis alicuius, alteriusuè pij vsus nomine, quicquàm prorsus exigatur: pias tamen, & laudabiles consuetudines, vt primo Concilio Prouinciali iussum est: in hoc etiam Episcopus seruari iubebit.

51 Capitula, Canonici, & alij Ministri quicumque sint Ecclesiarum, ne cœnotaphij, quod in officiis pro mortuis ex tabulis struitur, nomine quicquàm capiant.

2.tit.2.dec. 14. 52.53 Canonici mortui funus, eiusuè, qui eiusdem Ecclesiæ, in eauè dignitatem obtinebat, Capituli sũptibus à reliquis Canonicis fiat, tùm pro eius animæ salute Missa Conuentualis celebretur: & vnusquisque item Canonicus, Ministeruè eiusdem Ecclesiæ, qui Sacerdos sit, Missam itidem pro eo celebret.

1.De funer. & exeq. 4.Ibidem. 54 Quicunque laicus, vel sæcularis Clericus in iis deliquerit, quæ his decretis præscripta sunt, ab Ordinario loci graui pœna afficiatur.

55 Qui in funere, officiisuè funeralibus, vel exequiis quicquàm, vt infrà, peccarit; eius funeris, officiiuè funeralis omni eleemosyna, emolumentoque careat omninò: pœnaque sit Episcopi arbitrio, tàm ei, si acceperit, quàm præfecto, Rectoriuè, qui dari curarit, consenserit, permiseritue.

56 Quicumque à funere, funeralibusuè officiis eiusmodi adfuerit.

Qui item [illegible] temporis, vel officij punctum, ab Episcopo præstitutum non adfuerit.

Qui funere, officiouè pro mortuis non peracto discesserit, quod fit, dum corpus sepulturæ traditur.

Rursùs, qui, non peractis funeralibus officiis, discesserit.

Qui item habitu, prout Episcopus præscripserit, non conuenerit, interfueritue.

Qui contrà decretorum Prouincialium præscriptum quicquàm in illis peccarit.

Qui item alia commiserit ex iis, ob quæ Episcopi iussu, pro absente habendus sit.

Qui item funeris, exequiarumuè curatores, vtpotè Antiani, vel alio vocati nomine, per se muneris sui partes non obierint.

57 Ne cuiquàm ex vlla cuiusuis ordinis Ecclesia mortui cadauer, perpetuæ sepulturæ traditum, asportari liceat, nisi facultate ab Episcopo impetrata, eaque literis nominatim exarata. 4. Ibidem.

58 Parochus, intrà cuius Parochiæ fines, aliquis alienæ Parochiæ occisus est, eius cadauer liberè aliò transferri nullo prætextu prohibeat: nihilque ea de causa accipiat. Si verò translatio ea cum funere fit, liberum ei sit, vti iure suo.

Quæ huic titulo deerunt, videantur in titulo de offic. 1, Anniuersariis.

De Funere Summi Pontificis.

SVMMARIVM.

1 *Pontifice Summo mortuo, quid ab Episcopo curandum. De Ratione diuinorum officiorum, num. 49.*

2 *Missa pro eodem defuncto à Sacerdotibus celebranda. Ibid. vers. Sacerdotes verò.*

1 SI quando autem Summus Pontifex ex hac vita migrarit, nuncio certo mortis allato, id curet, &c. Tit. de diuinor. officiis, numero 53.

Sacerdotes verò singuli, &c. Ibidem.

De Funere Episcopi, & Metropolitani.

SVMMARIVM.

1 *Episcopo mortuo, quod officium Capituli Cathedralis. 3. 4.*

Eiusdem negligentia in eo, à quo coercenda. 8.

2 *Quod item Episcopi viciniòris officium.*

Eiusque negligentia à quo punienda. 7.

Episcopum mortuum, qui efferant. De funeribus, &c. 16.

5 *Cerei quot accendendi in eius funere, & cuius sumptibus. 6.*

9 *A quibus Missa pro eodem defuncto celebranda.*

10 *Parochi Diœcesani, vt pro eo Missam celebrent, à quo admonendi.*

11 *Populus, vt etiam pro eodem oret à suo Parocho admonendus.*

12 *Anniuersaria, vbi, & quamdiù pro illo, cuiusque impensa agenda.*

Archiuij Episcopalis clauis, cui, Episcopo mortuo, tradenda. De Archiuio Episc. num. 3.

Metropolitani funus, qua cæremonia peragendum. De vita & hon. Episc. num. 59.

1.De Funere Episc. 1 PIum sanctorum Patrum institutum ad concelebrandas Episcoporum exequias, iamdiù intermissum, reuocantes, statuimus.

2 Vt Episcopo mortuo, vel morti proximo, tres primi de Capitulo præsentes vicinum Episcopum, vel eo impedito, alium inuitent, qui statim veniat; ac si viuum Episcopum inuenerit, accuratissimè consoletur; & ea officia præstet, quæ ad animæ salutem tali tempore requiruntur.

Mortuum verò vnà cum Sæculari, & Regulari Clero solenni more ad sepulchrum prosequatur.

Nihil autem Episcopus, pij huius officij gratia, impensæ, vel quouis alio nomine à quoquam exigat, vel spontè oblatum accipiat.

Eius tamen expectationis causa corpus Antistitis nè amplius quadraginta horis insepultum iaceat.

3 Intereà verò curet Capitulum, vt custodiatur corpus; & circum ipsum frequentes ex Clero sint, qui pro eius anima preces Deo faciant.

Sess. 24. c. 1. de ref. 4 Eidem Capitulo hoc munus iniungimus, vt primo quoque tempore Prouinciales Episcopos omnes de Episcopi morte faciat certiores, qui in Ecclesiis Cathedralibus Missam solenni cæremonia pro eius anima celebrandam curabunt: & publicis supplicationibus, ac precibus indictis, Deum piè, sanctéque deprecabuntur, vt orbato gregi Pastorem dare velit iuxtà cor suum.

5. 6 In exequiis eius plures vigintiquatuor cereis non accendantur, idque impensa vacantis Ecclesiæ, nisi extent defuncti bona; vel alius sit, qui de iure, aut consuetudine sumptum facere debeat.

7. 8. Episcopi negligentia in Comprouincialis Episcopi funere à Synodo Prouinciali; Canonicorum, & Cleri, à successore Episcopo grauiter puniatur.

4.De fun. & exeq. 9 Sicut Episcopus, dùm in vita est, sanctæ pastoralis sollicitudinis studio debet saluti animarum inuigilare, ità illud cum omni ratione coniunctum est, vt, post eius obitum ecclesiastici ordinis homines, & laici item, quorum curæ, gubernationique Pastorali præfuit, grata, piaque memoria episcopales vigilias, ac labores, quibus ille in eo munere gerendo perfunctus est, prosequantur, pro illius anima in primis Deum religiosè precantes.

Quamobrem præter ea, quæ de Episcoporum exequiis primo Concilio Prouinciali sancita sunt, hoc etiam decernimus, vt Parochi, & Sacerdotes singuli, tùm vrbani, tùm Diœcesani, vbi primùm de obitu Episcopi sui nunciatum est, nouem singulis post eum nuncium diebus quibus per Ecclesiastici officij ritum potest, Missam de mortuis pro illius anima celebrent: aut saltem statam pro defuncto Episcopo orationem dicant, vt in æterna recipiatur tabernacula.

10 Capituli verò sit, de Episcopi obitu Diœcesanos Parochos certiores quàm primum facere, eosdemque huius officij monere.

11 Populus itidem pro paternæ sollicitudinis, charitatisque officiis, quæ ille viuus pro omnium salute prestitit, hoc communi parenti mortuo reddat, vt religiosis precibus, aliisque piis suffragiis illius animam adiuuet. Ad quam sanè rem suum quisque populum Parochus, cum vsu venit, iis præsertim nouem diebus hortetur accuratè, ac diligenter.

12 Sacra anniuersaria pro mortuo Episcopo quot annis fiant in Cathedrali Ecclesia: quamdiù proximus eius successor in Episcopatu vixerit, viuentis Episcopi, & Capituli sumptibus. 1. De fun. Episcopi.

De Officiis, & Anniuersariis defunctorum.

SVMMARIVM.

Officia mortuorum infrà hebdomadam obeunda, à Parocho Dominico die præcedente, denuncianda. De Parochiis, &c. num. 45.

Anniuersaria, & officia, quæ in Ecclesia denuncianda. Ibid.

1 *Quibus diebus non agenda.*

Iis agendis, qui, & quot adhibendi. De Funerib. num. 4.

2 *Ea, pietatis ratione, à Parocho suadenda.*

Eorundem causâ nemini pacisci liceat. Ibid. 37.

Anniuersariorum, & Missarum tabella in Sacristia retinenda. De Sacristia, num. 25.

Anniuersariæ exequiæ pro mortuo Episcopo, quando, quamdiù, & cuius sumptibus facienda. De funere Episcopi. 12.

3 *Pro Parocho mortuo, à quo, & quo die item celebranda.*

Cœnotaphij nomine nihil capiendum. De funeribus. 51.

1 NE die Dominico, & festo, qui Ecclesiæ præcepto, consuetudine, votoue colatur, anniuersaria agantur: quæ si certo aliquo festo, is qui decessit pro se agi præscripserit, alio proximè præcedenti die, cùm pro officij ratione licet, celebrentur. 6 Quæ ad funer. pert.

2 Caueant autem Parochi, & alij Ecclesiarum Rectores, ne, quod pietate adducti suadere debent mortuorum hæredibus, vt anniuersaria officia illorum causâ celebranda curent, id cupiditate impulsi, molestius flagitent: qua in re si peccarint, Episcopi arbitrio puniantur. 1. De fun. & exeq.

3 Parochus, illius, qui proximè præcessit Parochi anniuersaria stato die, quo ille obiit, celebratione Missæ Parochialis agat; sin autem pro festi, solemnisque diei ratione tunc non licet; alio die proximè antecedente, quo licebit, pro illius animæ salute, piè, religioséque exequatur. 6.Quæ ad funer. pert.

De Supellectile, quæ officiorum funeralium, & anniuersariorum propria est: cum eiusdem formis.

SVMMARIVM.

1 *Feretra in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali quot.*

2 *Pallia feretralia in Cathedrali, & Collegiata, & Parochiali quot.*

3 *Cuiusque formæ.*

4 *Cœnotaphium gestatorium, quæ tumba dicitur, vnum, & vbi.*

Forma

5 *Forma eiusdem.*
6 *Eidem pallia Altarium non adhibenda.*
7 *Basis Coenotaphii, vna, & vbi.*
8 *Pannus stragulus eiusdem basis vnus etiam, & vbi, aut basis saltem decenter picta.*
9 *Forma illius.*
10 *Cruces, quae circa Coenotaphium collocantur, quot.*
11 *Quales item.*
12 *Scabella sustentacula Crucum, quot.*
13 *Forma eorundem.*
14 *Candelabra ferrea Coenotaphii, quot.*
15 *Et qualia,*
Locus horum instrumentorum asseruandorum. De loco vbi feretra. &c. 1.
16 *Libri ad vsum funerum, & officiorum mortuorum, quot.*

Inst. sup. Eccl. lib. 1. De sup. quae off. fun. prop. est in Cat. Colleg. & Paroch.

1 FEretra duo in Cathedrali, & Collegiata Ecclesia, Parochiali vero vnum, parandum.

2 Pallia feretralia, in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali duo saltem; vnum, quo cadauera contegantur, cùm efferuntur, & Coenotaphia item; alterum, quo eadem cadauera substernantur.

Inst. for. sup. Eccl. lib. 1. de supp. off. fun.

3 Pallium, vel tegendi cadaueris, vel Coenotaphii sternendi vsui paretur: hoc Coenotaphii sine cruce; illud verò cadaueris Crucem albam in medio habeat.

Vtrumque porrò sit colore nigro; ac, nisi preciosius quis malit, e panno serico villoso, quem villutũ dicunt, aut saltẽ laneo contextum.

4 Coenotaphium gestatorium, vnum tantum tàm in Cathedrali, quàm Collegiata, & Parochiali Ecclesia.

Inst. Ibid.

5 Coenotaphia, quas tumbas dicunt, in diuinorum officiorum pro mortuis celebritate adhibenda, aut in arcum, aut in acumen ducta esse possunt.

4. De fun. & exeq.

6 Nè Coenotaphiis, aut quas vocant tumbis, pallia Altarium adhibeantur.

7 Basis coenotaphii vna tantum in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali Ecclesia.

8 Pannus stragulus eiusdem basis, vnus, tàm in Cathedrali, quàm Collegiata, & Parochiali.

Inst. Ibid.

9 Stragulum Coenotaphii, ad basim scilicet sternẽdũ, quae Coenotaphio subiici solet, è pãno saltem laneo coloris nigri paretur. Aut verò basis nigro colore pingatur, crucibus etiam, mortuorúmque capitibus albis appictis.

10 Cruces, quae circà Coenotaphium collocantur; in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali, quatuor.

Inst. Ibid. De Crucib. Coenotaph.

11 Cruces Coenotaphii, ex auricalcho saltem, aut ex ligno etiam, decorè picto; conficiantur,

12 Scabella sustentacula Crucum; in Cathedrali. & Collegiata, Parochialique, quatuor,

Inst. Ibid.

13 Quae Cruces, vt rectè stent, bases marmoreae, aut saltem ligneae ad eas aptè sustentandas parentur: in quarum medio foramen rectum insit, quod earũ hastile capiat. Sint verò à parte transuersa, latitudinis cubitorum duorum; à recta longitudinis totidem, praeter manubrium.

14 Candelabra ferrea Coenotaphii, in Cathedrali, & Collegiata octo, aut duodecim, in Parochiali octo saltem.

Inst. Ibid. De Cand. Coenot.

15 Candelabra Coenotaphii, ex ferro conflentur; altitudine constent cubitorum duorum, & dimidii; suffulciantur firma base, quae instar tripodis, aut alterius firmioris generis sit, nè fortè prae pondere, & longitudine cereorum facile corruant: orbem praetereà è lamina ferrea conflatũ à superiori parte habeãt: cuius orbiculi extremitas sursum reuocata ceram defluentem contineat. Super hoc item orbiculo apex ferreus infixus exstet, cui vasculũ inseratur, ad cereos excipiendos aptè accommodatum.

16 Libri ad vsum funerum & officiorum mortuorum in Cathedrali, quinque: in Collegiata, ac Parochiali, duo.

De diligentia ab Episcopo adhibenda in statu vniuscuiúsque Parochiae cognoscendo.

SVMMARIVM.

1 *Parochiae cuiusque status ab Episcopo cognoscẽdus.*
2 *Certi viri deligendi, qui populi mores inuestigent, & Episcopo deferant.*
3 *Liber à Parocho parandus, in quo Parochiani omnes viui, & mortui describantur.*
4 *Inquilini noui obseruandi: & in quibus.*
5 *Inquirendum de pauperibus, & quibus aliis.*
6 *De quibus à Parocho Episcopus admonendus.*
7 *Episcopus, quando Parochos conuocet, vt de animarum statu illos interroget.*

1 SVmmam vim, ac necessitatem habet illa Domini sententia, Speculatorem dedi te domui Israël; & alio item loco: Diligenter agnosce vultum pecoris tui, & considera super greges tuos; vt Episcopi quanta maxima possunt, diligentia obseruent sibi commendatum gregem, neque ab eo vmquam oculos deiiciant, quid ei opus sit animaduertentes; vt ex Prophetae sententia, confractas partes alligare, infirmas consolidare, aegrotos sanare, abiectas oues reducere, perditas requirere, & recuperare possint. 1. De diligentia ab Episcopo adhibenda in statu vniuscuiusque Par. cognosc.

2 Quoniam verò lustrare omnia propriis oculis nequeunt, in singulis Parochiis deligant certos, ac probatos viros, qui inuestigent, an populus ambulet in viis Domini; an aliquid sit, quod Episcopi cognitionem, & medicinam desideret; an aliquid, quod corrigi, & emendari debeat: quaeque compererint, fideliter ad Episcopum deferant,

Episcopus in vrbe sua viros aliquos, auctoritate praestantes, spiritualis vitae studiosos deligat: quorum adiumento, & opera vti possit, & in iis cognoscendis, quae ad Ciuitatis, Dioecesis, que suae morum instructionem pertinent, & in adiuuandis Christianarum virtutum exercitationibus, & in aliis denique quibus populi sibi commissi progressio fiat ad sanctè agendi studium. 3. De iis quae ad Episc. totum pert.

3 Parochus etiam librum habeat, in quo omnium, qui in eius Parochia sunt, nomina, & cognomina quàm primùm describat; singulorúmque sexum, aetatem, & statum. In eo deinceps describat, & recenter natos, & mortuos; & in Parochiam habitatum venientes; & inde emigrantes. Quem librum Episcopo, quoties is petierit, vel inspiciendum, vel describendum dabit.

4 Obseruabit etiam suae Parochiae nouos

inquilinos: deque eorum orthodoxa fide, & sacramentorum perceptione; deque mulieribus, quas secum habuerint, an matrimonii, cognationis, affinitatis vinculo verè coniunctæ sint; an impudicitiæ nomine suspectæ, ab eo Sacerdote, in cuius Parochia proximè habitarint, & à Parochiæ incolis accuratè cognoscet.

5 Inquirat autem studiosè de pauperibus suæ Parochiæ, præsertim puellis nubilibus, de viduis, orphanis, pupillis, ægrotis, senio confectis, aliisque personis, temporali, vel etiam spirituali misericordia indigentibus: quibus, & ipse pro viribus opitulari, & alios suo exemplo, & hortatu ad id officium incitare studeat.

6 Præcipuè verò de iis omnibus sæpè certiorem faciat Episcopum, vt, qui, communis eorum pater est, iisdem paternam curam, & pietatem, quacumque poterit ratione, præstet.

Quamobrem etiam Episcopus quotannis per sacra quatuor anni tempora suæ ciuitatis Parochos adhibebit; & illis de eorum animarum statu, quarum curæ præpositi sunt, diligenter interrogatis, omnia commemoret, quæ eorum officii munus contineant; eisque & Doctoris diligentiam, & Pastoralis vigilantiam præstabit.

De Vicarijs foraneis Regionúmque Præfectis constituendis, & eorum officio.

SVMMARIVM.

1 *Vicarii foranei constituendi; quibus certæ diœcesis partes attribuendæ.*

2 *Eorum munus quibus deferendum.*

3 *Id munus inter alia versetur in congregationibus menstruis Parochorum habendis.*

4 *Quibus tamen mensibus eæ minimè haberi permittantur.*

Quibus item diebus non habeantur. 14.

5 *Certæ regulæ, ea in re, à Metropolitano præscribendæ; & à quibus seruandæ.*

6 *Confessio peccatorum à singulis, ante congregationem facienda.*

7 *Missa priuata à quibus, vbi, & quando celebranda.*

8 *Missa Conuentualis quando item cantanda.*

9 *Sermo à quo habendus, & cuius admonitu,*

10 *Processio vbi agenda.*

11 *Refectio qualis, & vbi.*

Congregationis initio stata oratio de Spiritu sancto recitanda. De Foro Episc. num. 2.

12 *Quæ in congregationibus ipsis tractanda: quæque legenda, & explicanda & à quibus.*

13 *Eorundem Vicariorum cura præcipua versetur in inquirendis Sacerdotum moribus; & à quibus aliis.*

15 *Congregationum habendarum tempus, Dominico die antecedente à Parocho denunciandum: & in quibus populus hortandus.*

Indulgentiæ, congregationis nomine concessæ, euulgandæ die, qua Missa illius congregationis celebratur. De Indulgentiis, num. 17.

Tenor literarum concessionis eiusdem Indulgentiæ. De Constitut. numero. 45.

16 *Quæstiones in eis habitæ, explicatæ, inexplicatæue ad Episcopum mittendæ. In certúmque librum referendæ.*

Negligentes in conueniendo, & contumaces in exequendo, vt plectantur. 31.

17 *Sacerdotes in studiis desides Episcopo deferendi.*

Regulares Curati ad easdem congregationes accedant, easque habeant. De Syn. Diœces. nu. 5.

18 *Congregationes priuatæ, quibus in locis agendæ, quidque in eis tractandum.*

19 *Eidem Sacerdotes, & Clerici intersint.*

20 *Recusantes interesse, Episcopo denunciandi.*

Parocho aliquo Congregationis, Regionisuè ægrotante, à quo illius animæ & corporis cura suscipienda. De Parochiis, num. 14.

Eodem mortuo, à quibus funus obeundum, & gratis. Ibid. num. 55. & 54. ver. Quicumque.

Missaque priuata celebranda. Ibid. numero. 54. vers. eius.

Missa Conuentualis, quando item cantanda: quaque in Ecclesia. Ibidem.

Vicarii foranei Curatos non residentes Episcopo denuncient. De Residentia. nu. 23.

21 *In vrbem venientes, de quibus Episcopum doceant.*

22 *Ipsis Curati obedientiam præstent. Inobedientes Episcopi arbitrio plectendi. 23.*

24 *Iidem, Episcopi arbitrio, ab officio amouendi.*

Videant iidem, an scriptum ab homine ignoto allatum, quo testatur mulierem secum ductam, suam vxorem esse, perfectè probet. De Adulteris, &c. num. 3.

Dubium aliquod in eo scripto habentes, scriptum ipsum ad Episcopum diligentissimè mittant. Ibidem. vers. si verò.

In conscribendis actibus sui fori notario carentes, quos, & quot viros adhibeant. De Cancellario, & Notariis 16.

Merces eorum quanta. Ibidem.

Causarum, quæ in Episcopali foro aguntur, patrocinium Vicarii ipsi non suscipiant, neque alii suæ familiæ. De Foro Episc. num. 7.

Morum corruptelæ loci, quo Concionator mittitur, tempestiuè ab eisdem illi significandæ. De Concionatorib. 19.

Eidem concionatori facultatem concedere possunt collectam faciendi inter concionandum. Ibid. numero. 27.

Eorundem Vicariorum diligentia, scholæ Doctrinæ Christianæ vbi instituendæ. De fidei initiis, num. 6.

Vbi verò, ob impedimentum aliquod, ad scholas institutas conueniri non possit, quæ cura alia ab eisdem suscipienda, vt doctrina exerceatur. Ibid. vers. si quando.

Vicarii foranei Præfectique Regionarii } *quæ præstent in ægrotorum cura. Quæ ad sacram. extr. vnct. pert. numero. 23.*

Negligentes curatos, reprehendant, & accusent. Ibid. ver. Quod si.

Libros Missarum celebrationibus notandis præscriptos, recognoscant. De Missis sine cantu, numero. 24.

Fidei rudimenta ignorantes absque eorundem Vicariorum assensu ad confessionem non admittendi. De fidei initiis, &c. num. 8.

Obstetrices ab eisdem probandæ. Quæ pert. ad sacr. Bapt. 11.

Iidem delegari possunt ad concedendum facultatem retinendi prolem in lecto. De sacramentis in genere, num. 35.

Item ad recipiendum iuramentum à testibus Synodalibus, à Synodo absentib. De Synodo dioecesi. 28.

Quod eorum officium ante Synodum. Ibid. nu. 9.

Pridie diei eiusdem Synodi in Episcopalibus ædibus iidem adsint, quidque agant. Ibidem. num. 10.

25 *Visitatio anniuersaria Vicariis foraneis, Regionariisque Præfectis præscripta.*

26 *Vicarii* } *iidem, ad Episcopum conueniant hebdomada ante Septuagesimam, relaturi, &c. 30.*
26 *Præfectique* }

27 *Ea ipsa relatio, vt diligentius fiat, congregatio Parochorum habenda, & quid cum illis tractandum.*

28 *Quod item ea in re singulorum Parochorum officium.*

29 *Ab anniuersario Vicariorum foraneorum conuentu redeuntes, alteram Parochorum congregationem habeant.*

31 *Congregatio alia feriâ secundâ, post octauam Resurrectionis habenda, & quid in ea tractandum.*

32 { *Visitatio, Conuentus, Aliaque* } *eorundem Vicariorum, & Præfectorum non omittenda, etiam si Synodus non habeatur.*

1. De Vicariis for. constit. 1 VT Episcopus in vrbe etiam externum gregem facilius, quasi præsens intueri, & curare possit; deligat aliquot probatos Sacerdotes, quibus singulis, imposito Vicarii foranei nomine, tribuat certas regiones diœcesis suæ.

2 Id autem munus ad Archipresbyteros, Archidiaconos, qui in diœcesi sunt, & Præpositos, aliosuè Ecclesiastica dignitate præditos, quos idoneos iudicauerit, potissimum deferet. Sin minus, ad alios Rectores, qui apti sint ad huiusmodi officium.

3 Hi autem Vicarii regionis, sibi per Episcopum commissæ, presbyteros cuiuscumque conditionis, curam animarum habentes, semel singulis mensibus modo in vnam, modo in aliam eius regionis Parochialem Ecclesiam cogant. Idque in orbem eodem ordine semper faciant.

4. De Parochiis, & par. vir. & off. 4 Pro locorum, & temporum ratione id ab Episcopo suis diœcesanis Parochis permitti, concediuè liceat, vt Decembri, & Ianuario mensibus, ob dierum breuitatem, itineris difficultati coniunctam, Sacerdotales illos conuentus ipsi nō habeāt, quos primo Prouinciali Concilio in singulos menses haberi decreuimus; ita tamen vt aliis deinceps mensibus, quibus commodius haberi poterunt, resarciatur, & præstetur, quicquid intermissum est, frequentioribus conuentibus, & omni alia diligenti ratione.

5 Iis autem conuentibus, vel in vrbe, vel in diœcesi habendis, certas regulas, quæ partim in superioribus Conciliis Prouincialibus eo de genere decretæ sunt, partim ordine, ac rectè adiungendæ videbuntur, ad communem Prouinciæ vsum per nos præscribendas, atque edēdas, tùm Parochi, tùm alii, ad quos executio spectat, seruent, atque exequantur diligenter.

1. Ibid. 6. 7 Pridie eius diei, quàm in vnum locum conueniant, peccata sua omnes confiteantur: sequenti die in ea Ecclesia, in qua coacti fuerint, Missam singuli celebrent.

8. 9 Tùm vniuersi in Choro Missam Conuentualem pro mortuis, vel de sancto Spiritu, solemni more cantent: in qua eorum aliquis, à Vicario prius admonitus, Concionem ad populum habeat.

10. 11 Confectis sacris, & habita processione circa Cæmiterium, orationibúsque consuetis, in domo Rectoris illius Ecclesiæ, vnico tantum ferculo contenti, ea, qua decet modestia, & charitate cibum capiant.

12 Deinde conferant inter se, quæ ad boni pastoris officium, & ad curam animarum rectè gerendam pertinent: & consulant de difficultatibus, & incommodis suæ Parochiæ; quorum explicatio vel remedium, aliorum consilium, & operam requirat.

Iidem autem Vicarii libellum de casibus conscientiæ, Episcopis ac Sedi Apostolicæ reseruatis, Metropolitani cura edendum, reliquis Sacerdotibus legent; & aliquot capita, tùm harum Constitutionum, tùm earum quæ in Synodo Diœcesana decernentur, simulque quidpiam ex probata Summa de casibus conscientiæ explicabunt.

13 Præcipuè autem de presbyterorum vita, & moribus quærant, & quales se in Pastorali præbeant cura.

An eorum culpa diuinus in Ecclesia cultus desideretur.

An re ipsa præstentur ea, quæ Episcopi, vel alii eorum nomine in Ecclesiarum necessitatem, earumuè reparationem impendi iusserint.

An libros habeant, quos ex decreto nostro habere debent.

An reliqua in hac Synodo decreta seruentur.

De his omnibus, &, si quid propriè mandarit Episcopus, deque aliis, quæ ad vtilitatem animarum Episcopi cognitionem desiderant, ipsum per litteras diligenter certiorem faciant.

14 Vt quæ de Sacerdotalibus conuentibus, in diœcesi habendis, semel superiori Concilio præscripta sunt, ea, quò ad eius fieri potest, rectè, atque ordine gerantur, hæc ei addenda censuimus. 1. Tit. 1. dec. 30.

Nè Sacerdotum Conuentus festis iis diebus habeantur, quos coli Ecclesiæ præcepto institutum est; nec verò illis diebus, quorum præcipua celebritas in locis agitur, vbi is conuentus iis ipsis diebus futurus esset.

15 Parochus verò Ecclesiæ, in qua eiusmodi congregatio futura est, die Dominico, qui illam proximè antecedit, eius habendæ tempus populo significet; eumque hortetur, vt illo ipso die ad Ecclesiam coueniat, tùm vt orationum, quæ, & pro viuis, & pro mortuis ibi fient, particeps sit, ac indulgentiam dierum quadraginta consequatur, quam ab vnoquoque Episcopo in sua diœcesi illis concedendam decernimus, qui diuinis officiis, tunc celebrandis, intererunt; tùm etiam, vt sacram Concionem audiat, quæ eo tempore in Missæ celebratione habebitur.

16 Quæ verò quæstionum explicationes singulis mensibus habitæ in iis ipsis Conuentibus erunt; & si quæ prætereà quæstiones in illis ipsis disputationibus inciderint, quæ nō satis tunc explicatæ sint; eas omnes litteris consignatas, Vicarii foranei quàmprimùm ad Episcopum mittant, cuius iudicio illæ, vel explicatæ, vel

comprobatæ in Codicem eius rei nomine confectũ, quẽ Vicari⁹ foraneus custodiat, referatur.

17 Ex eorum Conuentuum progressu si Vicarii foranei animaduertent, Sacerdotes quosdam ad doctrinæ studia, in quibus maximè versari debent, desidiam quandam, vel negligentiam adhibere; eos ad Episcopum deferant, cuius auctoritate illorum culpæ, vt opus erit, occurratur.

18 Vt autem in iis studiorum exercitationibus vnusquisque Sacerdos maiores progressus habere possit; in qua Parochia quinque saltem Sacerdotes erunt, eos in singulas hebdomadas bis ad priuatas inter se studiorum disceptationes Parochus conuocet: in quibus vel aliquam Catechismi Romani lectionem tractent; vel quæstiones aliquas de Conscientiæ casibus explicent; vel huius, superiorisuè Concilii Prouincialis, aut Diœcesanæ Synodi, quam eorum Episcopus habuerit, partem aliquam studiosè legant. Quod si ei Parochiæ propè erit aliquod Regularium Monasterium, vbi aliquis sit, ad sacrarum literarum, Ecclesiasticarúmque rerum explicationem aptior, curent etiam illius opera atque studio adiuuari,

19 Ad has priuatas Sacerdotalis studii exercitationes Clericos etiam, qui intrà illius Parochiæ fines habitant, adhibeant; vt eos rerum Ecclesiasticarum cognitione instructiores in Ecclesiis habeant.

20 Quicúmque verò huic priuato Conuentui interesse recusarit; eum Parochus ad Episcopum deferat, qui, quo maximo poterit, studio curet, vt huic decreto obtemperetur.

1. de Vic. for. const.

21 Quoties in vrbem venerint, primum Episcopum adeant; deque eorum statu, qui sibi commissi sunt, accuratè doceant.

22 Curati verò quicúmque etiam si quauis dignitate præditi, in iis, quæ ad officium suum spectant, Vicariis, quos diximus, obtemperent.

23 Quod, si aliqui ad conueniendum negligentes, vel ad mandata eorundem Vicariorum exequenda contumaces fuerint; Episcopi in illos pro modo culpæ animaduertant.

24 Hi autem Vicarii voluntate Episcopi ab officio amoueri semper possint; ac si malè id administrarint, pœnas dent, eiusdem Episcopi iudicio.

5. Quæ ad Synodum, Congregationesque alias Clericales & Visitat. attin.

25 Quò diligentius, atque adeò accuratius, & in vrbe ii, quos vnicuique regioni Episcopus præfecerit, & in Diœcesi Vicarii foranei muneris, atque officii sibi commissi partes exequantur: quo item crebrius, ac vigilantius Diœcesis status, cui assidua pastorali speculatione prospiciendum est, exploratus ipsi Episcopo sit, atque cognitus, cum ex omni alia ratione, tùm ex eo, quod illi certo anni tempore, ad ipsum studiosè referant, non solùm quæ de Synodo Diœcesana decreto generatim, vniuersèque præscripta sunt, verùm etiam quæcúmque sigillatim, ac præcipuè, pro temporum ratione idem Episcopus illis præscribenda censuerit; in hoc genereità consultum sit, vt illi in Ciuitate, in Diœcesique Vicarii foranei, in sua quique regione cõmissa præter illam in suo munere gerendo curam, suasque frequentiores per annum visitationes præterque Episcopi, & Episcopalium visitatorum in visitando diligentiam, ipsi etiam singulari, accurata, diligentique ratione visitationem concreditæ sibi regionis cumulatius, exactiusque obeant, à die sancti Martini, vsque ad diem festum ordinationis sancti Patris nostri Ambrosii. Si quis verò, vel pro regionis, quæ sibi commissa est, magnitudine, vel alia causa ad statæ visitationis munus longiori tempore opus habeat, ei integrum, ac liberum sit, aliquot ante præscriptum tempus diebus visitationis suæ initium facere.

26 Vicarii autem foranei singuli, pro ratione, tùm eo decreto generatim præscripta, tùm ab Episcopo sigillatim præscribenda, de regione, quæ vniuscuiúsque eorum Vicariæ curæ demandata est, ad eundem relaturi, in Ciuitatem quotannis hebdomadæ ante Dominicam in Septuagesima penultimæ; duodecimo scilicet ante eius Dominicæ celebritatem die, summo mane in Episcopales ædes ad illum conueniant. Id verò, nisi aliquando ob temporis, quod inter Epiphaniam, & Septuagesimam incurrit, breuitatem, aut aliam ob causam, eum Vicariorum Conuentum, alio commodiori tempore habendum esse, per litteras Episcopales significatum sit.

27 Quò diligentius verò relationem singuli Vicarii præstent; id subsidii sibi comparent, vt, antequàm stati conuentus dies veniat, congregationem Parochorum suæ quique regionis habeant, à quibus quæcumque vel vniuersè, vel nominatim præscripta sunt, diligenter animaduertant, & colligant.

28 Parochorum propterea curæ sit, certo ante conuentualem diem tempore videre, atque exquirere suarum Parochiarum, Parochialiumuè hominum statum, vitam, & mores, Si quæ verò animaduerterint, quibus salutariter consuli, aut prouideri oporteat, ea sigillatim, & ordine descripta, suo quique Vicario tradant, vt ad constitutum tempus Episcopo referant.

29 Vbi à Conuentu, qui anniuersarius ipsis Vicariis stato die indictus est, ad suam quique Ecclesiam redierint, statim quique suæ regionis Parochorum Congregationem iterum habeant de iis, quæ ab ipsis, vel Synodi proximè celebrandæ, vel alteriusrei causa agi, præstariuè monuerit, aut iusserit Episcopus.

30 Constituti verò in vrbe ab Episcopo regionum præfecti, quæcumque ad præscriptam illam rationem eidem referenda sunt, ea tùm diligenti stata visitationis cura, tum Parochorum, quorum paulò ante relationis diem congregationem habebunt, adiumento vsi, post, referent, quàm Vicariorum foraneorum dimissa erit constituta congregatio.

31 Feria prætereà secunda post octauam Resurrectionis Domini, si dies festus non est; sin minùs, proximo primo feriali die, quo solenniter officium non fit, iidem tum præfecti regionum in vrbe, tùm Vicarii foranei congregationem iterum habeant; in qua, & à Parochis etiam colligant, & inter se item videant, si qua reliqua sunt, quæ post illum conuentum, qui ante Dominicam in Septuagesima habitus est, inciderint; quæ item ad Episcopum ante Synodi diem referri oporteat: qualia sunt de iis, qui proximo Pascha confessi non communicarint, & de aliis, quæ ad eundem deferenda sunt.

32 Sin autem aliqua de causa ad constitutam eam diem Synodus non habebitur, ne propterea per illos omittatur, quin & præscriptam visitationem diligenter obeant; & ante Dominicam Septuagesimæ ad Episcopum conueniant, & singula alia præstent, vt suprà, vel illis omnibus vniuersè, vel nominatim, præcipuéque Vicariis foraneis constitutum est: & tertia etiam post Pascha Resurrectionis Domini hebdomada ad præscriptum eidem Episcopo, cùm præfecti de scripto referant, ac tradant; tum ij Vicarij singula mittant.

Finis quarti Libri.



CONSTITVTIONVM, ET DECRETORVM

Synodalium Prouinciæ Mediolanensis.

LIBER QVINTVS.

De Visitatione.

SVMMARIVM.

50 Quorũ decretorum editio diutius differri poterit.
51 Qualiter illa concipienda.
53 Quando, & quoties edenda gratis.
54 In librũ exscribenda: & vbi is liber asseruetur.
55 A quo sit scribenda.
56 Illorum editionis dies notandus.
57 Visitator Episcopi gradu inferior quam visitandi formulam seruet.
58 Quo comitatu contentus sit, & suprà. nu. 5.
Contrafaciens vt punitur. suprà, num. 9.
59 Instructiones præparatoriæ in Episcopali visitatione in aliis visitationibus seruandæ exceptis iis, quæ Episcopi propriæ sunt.

1. de Visit. 1 Nter Episcopalis officii munera, præcipua est, & ad salutem gregis maximè necessaria visitatio. Ideò monemus Episcopos omnes, vt singuli ex decreto sacri Tridentini Concilii Ecclesiam suam ac Diœcesim visitent intrà tempus ab eodem Concilio præstitutum. Sess. 24. c. 3

4. de Visit. 3 Necessarium illud, ac planè debitum visitandi munus, quod ex Sanctione Tridentina præstari oportet, Prouinciæ nostræ Episcopi ità sollicitè exequantur; vt suæ quique vrbis, ac diœcesis visitationem singulis ipsis annis, aut, si per Diœcesis amplitudinem non possunt, biennio ad summum ipsi per se conficiant.

4 Si verò legitima occupatione, causauè impediti, id muneris aliquando per seipsos obire nequeunt, Vicarios generales, Visitatoresuè alios, huius rei vsu peritos, atque idoneos adhibeant, qui visitationis officium sedulò, vt par est, præscripto tempore exequantur.

1. Tit. 1. dec. 6. Episcopus, cùm ad visitationis munus Sacerdotes idoneos adhibere potest, nè aliis inferioris ordinis Clericis vtatur.

4. de Visit. 5 Cùm verò visitationis munus ipsi per se obeunt, vel vnum, vel duos Canonicos, vel alios quoscúmque homines Ecclesiasticos quos vsui, & adiumento sibi fore viderint, prout maluerint, secum in ea visitandi cura adhibeant.

1. Ibidem. Comitatum autem non habeant nisi necessarium; in quo plures omninò ne sint quindecim hominibus, & iumentis duodecim. Si plures duxerint, alant suis sumptibus.

4. Ibidem. Nè deinceps plures, quàm homines decem, & iumenta septem ad summum secum in visitando conducant, supputata hoc numero Episcopi etiam persona, ac illius Ecclesiastici viri, quem ex huius Concilii decreto Episcopus quisque aliquando præmittet; suis tamen propriis sumptibus licebit eis plures conducere.

At verò, qui Episcopis gradu inferiores sunt, in visitatione longe pauciores, & homines, & iumenta adhibeant. Hoc decreto derogatum sit alteri in Concilio primo Prouinciali edito.

6 Laicorum hospitia, eóque magis conuiuia, vt maximè possunt, omnes fugiant; sin autem ad illos diuertere aliquando necesse erit, cùm cætera seruent, tùm in primis caueant, vt nè extra mensæ Episcopalis, & Clericalis modum, reguláque in visitatione præscriptas, quicquàm omninò ab hospitibus apparetur, apponaturve.

1. Ibidem. 7 Caueant verò, nè legem de victu, procuratione, & muneribus à sacro Tridentino Concilio definitam, transeant. Sess. 24. c. 3

In mensa duo tantum fercula afferre liceat. Ibid. Quod ad reliqua attinet, decretum in hac Synodo factum, de Episcopalis mensæ moderatione seruetur.

8 Notarius autem, Cancellariusuè, nè quicquàm pro visitatione ab iis, qui visitantur, vllo quouis nomine exigat, neque vllum doni, etiam pusilli, quocumque modo oblati, genus accipiat: ac nè item pro decretorum, ordinationumuè in visitatione confectarum actione, vel conscriptione, earumvè exemplo, etiam singulis vel Ecclesiis, vel Clericis, vel aliis, qui visitantur, iussu visitantis edito. At pro opera, laboreuè, quem alterius, cuius interest, illarum exempla alio deincep. tempore petentis, causa in iis exscribendis posuerit, mercedem capiat licet, pro taxæ, in foro Episcopali præfixæ, aut præfigendæ ratione. 4. Ibidem.

9 Si præter huius decreti præscriptum, cuiquàm graues fuerint, dupli restitutione teneantur; prætereà inferiores, Episcopi arbitrio; Episcopus Synodi Prouincialis iudicio alias pœnas subeat. 1. Ibidem.

10 Meminerint autem visitationem ad salutem eorum, qui visitandi sunt institutam esse, quamobrem illis maximè propositum esse debet, vt in eis incorruptam, orthodoxámque doctrinam, probatam morum disciplinam tueantur, ac restituant, Ibidem.

11 Dent autem operam, vt non solùm quàm diligentissimè; sed etiam quàm celerrimè visitationem conficiant. Ibidem. Sess. 24. c. 3

12 Episcopi, qui cæteris omni bene, sanctéque agendi exemplo præire debent, antequàm Cleri, populique visitationem ineant, à se suaque familia visitandi initium vtiliter facient; quo reliqui omnes domesticæ illius visitationis actione, executionéque incitati, pastoralia iussa, quæ ipsi visitando præscripserint, promptius, ac studiosius exequantur. 4. Ibidem.

13 Visitationis ordo is adhibebitur, vt primùm Ciuitatem, deinde Diœcesim visitent: nisi forte aliud Episcopo videatur. 1. Ibidem.

In Ciuitate Cathedralis Ecclesia primo loco visitetur; tum singulæ Collegiatæ; deinceps Parochiales omnes; quo, & Parochi & quicumque prætereà Sacerdotes, & Clerici in Parochiis commorantur, euocandi sunt, scholas, Seminaria, Sodalitates, Hospitalia, ac cætera pia loca visitantes, studiosè, ac diligenter inspicient. Sess. 7. c. 7. de refor.

14 Studebunt verbi Dei prædicatione, vehementi cohortatione ad religionem, vitæ innocentiam, pacemque & concordiam omnes adhortari. Trid. Cõc. sess. 24. c. 3.

15 Si verò priuata admonitione opus esse intelligent, in eam docendo, arguendo, obsecrando pro rei, personæ, ac temporis ratione incumbent.

16 Confirmationis sacramentum, vbi opus erit, ministrabunt,

17 Omnes ad pœnitentiam cohortabuntur; & quos aliquo peccato teneri cognouerint, cuius absolutio Episcopo reseruata sit, eos piè confitentes, & humiliter veniam petentes, vel ipsi, vel per alios ad id munus delectos, absoluent.

18 In singulis locis à viris ætate, vsu, & probitate

commendatis de omnibus subtiliter inquirent, quæ eos pro officii sui munere scire oportebit.

19 Ecclesiam, & eius partes omnes inspicient.

An eo cultu, & nitore teneatur, qui domum Dei decet; si quid restituendum, reparandum, reconcinnandumuè sit; iubeant ab iis, ad quos pertinet, resarciri.

An sanctorum reliquiæ, tutò, ornatè decentérque conditæ asseruentur.

An quæ de sepulchris, ac cœmiteriis à nobis sancitæ sunt, re ipsa præstentur.

Si consecranda sint Altaria, consecrabunt.

Si qua Ecclesia aut cæmiterium pollutum sit, reconciliabunt.

Videndum etiam an desint vestes, libri, calices, patenæ, corporalia, & reliqua eius generis instrumenta, & ornamenta, quæ ad Altaris ministerium, & ad diuina officia sunt necessaria.

An illa munda, & purgata seruentur,

An Missæ, aliaque diuina officia, qua oportet pietate, ac deuotione celebrentur.

An Ecclesiæ libri, vetera scripta, instrumenta, & priuilegia custodiantur.

An eorum extet ratio, quæ in Inuentarium relata sunt.

20 Tùm de dignitatibus, Canonicis, & aliis Ecclesiæ Ministris quærendum erit.

An ritè sint ordinati.

An ordinibus initiati, quos eorum officii munus requirit.

An Ecclesias, beneficia, seu Ecclesiastica officia legitimè obtineant.

An in ea se quisquàm intruserit.

An resideant; & administrationi Sacramentorum, & Missarum, diuinorum officiorum celebrationi, & anniuersariorum persolutioni, aliisque oneribus, & muneribus satisfaciant.

Quæ sit eorum vitæ, ac morum ratio; qui vestitus; quibuscum versari soleant; qualis sit eorum familia.

An sordidis, & illiberalibus artibus, & ab eorum gradu alienis, operam dent.

An Ecclesiæ iura, & bonorum Ecclesiasticorum possessionem defendant.

An eorum fructus rectè dispensent.

An pacem inter se habeant; se in aliorum pacificationem interponant;

Inimicitiarum, & odiorum causas tollere studeant.

An populus piè versetur in Ecclesia; Missámque & alia diuina officia reuerenter attendat.

Trid. sess. 7 c. 7. 21 In Parochiis, præter ea omnia, quæ diximus, videant.

An Parochi ex decreto, in hac Synodo edito, libros habeant, in quibus baptizatorum, confirmatorum, compatrum, eorum, qui matrimonio coniunguntur, ac mortuorum nomina, & cognomina describantur.

An ritè sacramenta præbeantur.

An Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, Chrisma, & reliqua sacra, ea munditiâ, curâ, & custodiâ, quâ debent, conseruentur; & suo tempore mutentur.

An Eucharistia piè, & honorificè, prosequente fidelium comitatu ad ægrotos adferatur.

An legitimè matrimonia, & in Ecclesia, adhibitis ex decreto Tridentini Concilii denunciationibus, debitó tempore contrahantur.

An suæ curæ commissas Ecclesias, maximè diebus festis, deserant, vt inseruiant alienis.

An Dei verbum prædicent, & pueros rudimentis fidei instruant.

An librós quos nos in hac Synodo habendos præscripsimus habeant.

22 Curatas Ecclesias, quæ Regularium Monasteriis, etiam vbi Abbas Generalis domicilium, sedémq; Ordinis primariam habet, vnionis iure adiunctæ sunt, Episcopus ex Tridentini Concilii decreto, Sess. 7. cap. 8. visitet. 5. Quæ ad Synodum Congreg. & Visit. attin.

23 Singulis annis Episcopus ad præscriptum Concilii Tridentini eas Capellas visitet, quæ hisce etiam conditionibus erectæ, institutæuè sunt, vt Ordinarius, aliusuè superior Ecclesiasticus non possit, ne visitationis quidem correctionisuè causa, aut alia quauis ratione id sibi vindicare; vsque adeò, vt si contrà attentatum erit, nulla, irritáque sit, & erectio, & huiusmodi voluntas testatoris. Si verò Capellarum erectio fundatiouè, ac testatoris voluntas hisce conditionibus præscripta Sedis Apostolicæ auctoritate comprobata erit; tunc Ordinarius earum Capellarum administrationis, visitationis, correctionisuè ius nullo modo sibi sumat: nisi fortasse quibus testator illarum administrationem, curationemuè reliquerit, aut commiserit, eos negligentes esse cognouerit. Sess. 7. c. 8. Sess. 24. c. 9 Sess. 21. c. 8. de refor. 6. Quæ ad Visitat. pert.

24 Ecclesias præterea Equitum ordinis Hierosolymitani is itidem visitet, vt Summi Pontificis Pii V. Constitutio præscribit.

25 Denique dispicient, an in populo sint hæretici, vsurarii, concubinarii, aliique flagitiosi, & facinorosi homines: qui inimicitias gerant; qui Quadragesimam, alia ieiunia, festos dies, & reliquos Ecclesiæ ritus non seruent; quique saltem semel in anno peccata sua confessi non sint; aut sanctam Eucharistiam non sumpserint. 1. Ibidem.

An sint qui legata pia non exequantur.

An domestica disciplina patrum familias in educandis liberis diligens, pia, & honesta sit.

Fœminarum ac marium luxu, immoderatóque vestium sumptu vtentium, ornatum illum inanem, ac planè superuacaneum, & à Christianæ vitæ more sanè quàm alienum, vnde tot malorum seminarium extare quotidie cernitur, omni Episcopalis muneris officio, & auctoritate prohibere, tollere, funditúsque euellere studeant. 4. De Visitatione.

26 His exquisitis, cognoscere studeant, quinam ex regularibus, & prædicandi munere funguntur, & fidelium confessiones audiant; an & eorum probata sit doctrina; & probatæ doctrinæ vita respondeat. 1. Ibidem.

Episcopus, & in vrbe, &, quo tempore etiam visitationem obit, in frequentioribus Diœcesanis locis Confessarios Sacerdotes, etiam Regulares aliquando ad se, tùm singulos, tum vniuersos conuocet, &c. *Tit. de Confessario, nu. 33.* 4. De sacram. pœnit.

27 Episcopus ex Tridentini decreti iussu, singula Monasteria, in quibus non viget Regularis obseruantia, aliaque Ecclesiastica beneficia, quæ commendata sunt, quocumque nomine nuncupata, intrà Diœcesis suæ fines posita, quotannis visitet: idque opportunis omnibus remediis, facta etiam fructuum, ad illa petinentium, sequestratione, prouideat, vt quæ recon- 3. De iis, quæ pert. ad ornatum, &c. Sess. 21. c. 8. de reform. Sess. 7. c. 8. Sess. 24. c. 8.

Seff. 25. De Regul. c. 20 Conc. Taraconen. cap. 8. Cõc. Brac. 2. c. 1. cinnari, aut instaurari oportet, ea omninò vel reconcinnentur, vel restituantur; tùm indumẽta prætereà, ornamentorum suppellex, & sacræ vestes comparentur; ac ministeria quæ ad diuinum cultum spectant, rectè, ordine, & cum dignitate in illis præstentur.

4. De Visitat. Seff. 25. c. 8. & 9. de regu. 28 Monialium Monasteria, Regularium Iuri, curæuè subiecta, quòd ad clausuram attinet, diligenter, accuratèque visitent: loca ipsa introspectent; atque ex superiori etiam parte circumlustrent; & cautè, solertérque inspiciant prospectus omnes, aditus, & cætera denique omnia, quæ ad clausuram rectè tuendam vllo quouis modo pertinent.

1. Ibidem. 29 An hospitalia, & alia pia loca rectè administrentur; eorúmque bona prudenter, fidelitérque, in eum vsum, cui addicta sunt, distribuantur, exquirant.

An qui in hospitalibus sunt, piè viuant.

4. Ibidem. Seff. 22. c. 8. & 9. Hospitalia item, aliáque pia singula loca, & sodalitia, pro auctoritate, facultateuè, & Canonum iure, & decretis Tridentinis sibi data, in singulos annos visitent; & que laicalia etiam, & merè priuata sunt, in iis, quæ ad obseruandam piam testatorum voluntatem spectent, visitando corrigant, & reforment.

1. Ibidem. 30 De Scholis, sciant, quos libros discipulis Magistri interpretentur; & an illi officio suo satisfaciant.

An Magistri tales sint, & ità admissi, quemadmodum in hac Synodo mandauimus, si secùs amoueantur.

1. Tit. 5. dec. 22. Seff. 22. c. 8 31 Sodalitates quascumque seu Confratrias, quæ Disciplinatorum nomine vocantur, Episcopus, vt Tridentino Concilio iussum est, visitet, &c. *De Sodalitat. num. 4.*

1. Ibidem. 32 De Bibliothecis diligenter quærant, an in eis sint hæretici libri; aut qui aliter iure prohibeantur.

Seff. 24. c. 10. 33 Si quid in iis omnibus tollendum, corrigendumuè fuerit, tollent, & corrigent; & ad puniendos delinquentes, censuras, & alia iuris remedia adhibebunt.

Omnes verò summo studio monebunt, & hortabuntur, vt officij sibi commissi munus fideliter, ac diligenter exerceant.

Neque solùm hæc, sed quæcumque à Tridentino Concilio & à nobis præcipiuntur; & alia multa, quæ pro eorum prudentia, ac pietate ad vtilitatem, ac salutem populorum, eis in mentẽ venire poterũt, exquirent, & exequẽtur.

4. De Visit. 34 Diligentiam verò omnem visitando adhibeant non modò in Ecclesiarum cultu, & ornamento tuendo, augendouè; sed maximè in omni, & Cleri & populi pristina Christiana disciplina restituenda; in vtriusque item moribus cognoscendis, iisdéque deprauatis corrigẽdis.

35 In eaque vel visitatione, vel morum correctione etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, auctoritate Tridentini Cõcilij statuant, moderentur, puniant, & exequantur ad sacrorum Canonum præscriptum, quæcumque illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, & Diœcesis suæ vtilitate necessaria videbuntur. In iis neque vlla inhibitio, appellatio, aliuduè quicquàm impediat, aut retardet executionem eorum, quæ ipsi mandarint, aut iudicarint, decreuerintuè.

36 Episcopo ad cuiuscúmque loci, vel Ecclesiæ Parochialis, curatæuè visitationem aduentanti, cùm illi potissimum, vt vetus Canõ Concilii Turonensis iubet, qui Confirmationis sacramentum ab eo suscepturi sunt, tùm prætereà reliqui omnes fideles, exceptis tantum iis, qui morbo, aduersauè valetudine laborant, sicut in Concilio Rothomagensi cautum est, obuiàm ordine prodeant; ac statis hymnorum, psalmorúmque precibus, & cum gaudio, timore, summaque reuerentia illum, tamquam vicem Christi agentem excipiant, prout eodem Rothomagensi Concilio sancitum est, cuius Canone excommunicatio illis constituta erat, qui ei muneri defuissent. Seff. 13. c. 1. Seff. 24. c. 10. Seff. 22. c. 1 c. irrefragabili, de off. ord. ibid.

37 Neque solùm quo tempore ille aduentat; sed alijs etiam diebus dum visitatio Parochiæ fit, fideles quàm frequentissimi adsint; vt ipsi omnes, ac singuli, si quid ad animarum salutem procurandam opus habent, proprio pastori, parentique liberè exponant; ei, quæ pro illius officij ratione oportet, interroganti respondeant; illum concionantem, monentem, & paternè arguentem, obsecrantem, & increpantem, audiant: eiusdem iussa, monita, & decreta, suscipiant, atque Dei denique voluntatem, quam præsentes per ipsum auribus percipiunt, non tantùm obediendi propensione, sed etiam rectè factis omninò exequantur.

Id porrò omne, vt fideles diligenter, promtoque animo præstent, frequentissimique in Episcopali visitatione adsint, Parochorum, & aliorum quorum interest, sacerdotum sit, crebrò, prout vsu venerit, intrà Missarum solennia illos docere, cum eas officii partes, quas Episcopo visitanti ab ipsis præstari conueniat, tum visitationum in primis vtilitates, frúctusque salutares.

38 At verò ex visitationum laboribus, quò vberiores fructus existant, ac fidelium animi salutari aliqua præparatione excitati, & suffulti, quò promptiores, erectioresque fiant, cum ad benè agendum, tùm ad paterna, & episcopalia iussa, monitauè amplectenda, & exequenda, tùm ad omnem denique Christianæ vitæ disciplinam sanctis institutis conformatam, suscipiendam, ac prætereà, vt visitatio & diligenter, & breuiter, & rectè denique conficiatur, atque absoluatur, has etiam de præparatione ab iis præsertim, qui visitantur, adhibenda, instructiones adiungendas censuimus iis decretis, quæ hoc ipso de genere in hoc, & in alio nostro Prouinciali primo Concilio edita sunt. Quibus porrò instructionibus pro personarum, temporum, locorumque suæ Diœcesis ratione, ab Episcopo addi, detrahique liceat.

Primùm vbi visitationis, vel generatim in vniuersa vrbe, Diæcesique inchoandæ, vel speciatim in aliquo oppido, locouè, aut Parochia, præsertim frequentiori, atque insigniori obeundæ, certam diem Episcopus statuerit, pastoralibus etiam literis, eo potissimum nomine à se confectis, populum præmoneat, atque cohortetur, cùm ad alia pietatis officia, tùm maximè ad peccatorum Confessionem, sacram Communionem, precesque pro salutari visitationis euentu continenter habendas.

Triduo proximo, antequàm vniuersæ visitationis initium fiat, in Cathedrali Ecclesia qua-

draginta horarum orationem indicat; quam eiusdem visitationis nomine à Clero, & populo, qui in vrbe est, frequentiori in ea ipsa Ecclesia piè celebrari curet.

Hæc ipsa etiam orationis ratio Parocho, aliouè Ecclesiæ Rectore, cuius interest, curante, adhibeatur antequàm Ecclesiæ Parochialis, Curatæuè aut oppidi, præsertim insignioris, visitatio ineatur.

Duobus verò, aut pluribus ante constitutum visitationis tempus diebus, Archipresbyterum, aut Archidiaconum, vt in Concilio Rothomagensi cautum est, aut alium Ecclesiasticum hominem, quem maluerit Episcopus, præire iubeat, per singula oppida, vicos, Parochias, & loca Ciuitatis, & Diœcesis, præsertim frequentiora, insignioraué, quæ ille visitaturus est. Ille verò iussa præstet: conuocatoque Clero, & populo vniuscuiúsque loci nunciet Episcopi aduentum, eidéque aduentanti obuiam, vt iussum est, prodire, cæteráque in promptu haberi moneat, ac mandet. Pastorales item Episcopi litteras, edicta, instructiones, ad visitationem pertinentes, enunciet, atque euulget. Tum prætereà quicquid de leuioribus causis ab eo explicari, agiuè Episcopus iusserit, id exequi studeat, vt nè ille veniens diutius ob eiusmodi causas in visitationis mora esse necesse habeat.

59 Parochus porrò, aliusuè Ecclesiæ Rector, vel præfectus, in qua animarum curam gerit, cùm visitandus erit, pastorales Episcopi litteras, visitationis nomine editas, duobus ante illius Aduentum proximis festis diebus, intrà Missarum solennia cùm populi frequentia adest, de scripto recitet.

Itidem præstet de literis, quas de Confirmationis Sacramento ritè, religioséque suscipiendo Episcopus, instructionum, monitionumuè nomine ediderit.

Hoc ipsum prætereà exequatur de aliis item litteris, edictis, & instructionibus, quas ob visitationem euulgari ille iusserit.

Sacerdotibus quoque & aliis, quorũ interest, Episcopales instructionũ literas de scriptis, tabulis, libris, aliisque rei Ecclesiasticæ monumẽtis, instrumentis, cæterisque id generis maturè præparandis, quo visitandi ratio, breuior, explicatiorque sit, significet, & recitet; ac si opus est, earum exempli exscribendi copiam illis faciat.

Quam literarum, edictorumuè Episcopalium euulgationem, recitationemuè, & sermone, & concione, & monitionibus, & omni alio tum publico, tum priuato cohortationum officio prosequatur, prout expedire animaduerterit: quò fidelium animos diligentius præparet, atque excitet ad suscipiendum Episcopalis visitationis officium vberrimo, ac salutari cum animarum fructu.

Illud porro curet, vt nemo, qui intrà Parochiæ suæ fines habitat, omninò sit, qui eo visitationis tempore confessus, sacram communionem non sumat; idque ab Episcopo ipso, etiam si in alia Parochiali Ecclesia sumere oporteret, scilicet eò loci, vbi ille manè visitans, Missæ sacrificium offerat.

Nemo itẽ, qui chrismate nõ ante cõfirmatus, modo ætate in cõfirmationis literis Episcopalibus præscripta sit, illud ab eodẽ tũc nõ accipiat.

Quamobrem tùm pridie diei Visitationis, tùm maximè vbi Episcopum visitationis causa iam aduentare cognouerit, certo aliquo, solennique campanarum sono illius aduentum fidelibus significet, quò frequentius etiam ex agro euocati, omni alia prætermissa actione conueniant, eique tale tamque necessarium munus obeunti, diligentius præsto sint, qua debent obseruantia, ac veneratione.

Studeat item, Confessariorum Sacerdotum, qui ad id muneris probati sunt, nisi Episcopi cura præmittantur, copiam necessariam habere, qui biduo, triduoué Parochiæ suæ hominum confessiones audiant, aut confessos reconcilient, vt stata visitationis, aliauè die, quam Episcopus constituerit, præparati sint ad sacram Communionem, & ad Confirmationem, qui nondum confirmati sunt, ab eo sanctè sumendã.

Ac propterea Confessionum causa eo tempore confessionalia multa, ad formulæ demonstratæ præscriptum confecta, certisque locis in Ecclesia sua decenter collocata, si totidem non sũt, quot necessaria viderit, aliũdè habere curet.

Hostias, vinum, vasa, mappas, & alia ad sacræ Communionis, populo ministrandæ vsum necessaria, accuratè paret.

Locum item in Ecclesia præparet, atque ornet, vbi ab Episcopo Confirmationis sacramentum fideles religiosè suscipiant.

Suggestum item decenti ornatu instruat, vnde tùm ille, aliusuè populo sermonem, concionemue habere possit; tùm Episcopalia monita de scripto pronunciari.

Pridie illius diei, quo Episcopus visitaturus est, chirographa, schedulasuè in promptu esse curet, eorum, qui confirmationis Sacramentum suscepturi sunt, & compatrum, commatrumque item ex præscripto instructionis literarum de confirmationis Sacramento promulgatarum.

Omnium singulárumque rerum, quæ vel consecrandæ, vel benedicendæ sunt, vt potè Ecclesiæ, Cœmiterii, Altarium, campanarum, vestium, indumentorum, tabernaculi, calicum, corporalium, crucum, imaginum, significationem, indicis ordine exaratam, Episcopo ante diem visitationis ita in tempore det, vt cùm de apparatu, tùm de certa hora, vel die illas sacras actiones obeundi deliberare possit.

Sacristiam prætereà adornet, atque instruat: in qua ex armariis exposita sint sacra indumenta, vestes, pallia, vasa, ac reliqua omnia Ecclesiasticæ supellectilis instrumenta, atque ornamenta, præter illa, quæ in Ecclesiæ, Altariumque apparatu, & vsu tunc erunt: eaque ordine ac pro colorum ratione distinctè collocata ita appareant, vt eo, & loco, & tempore in visitando recognosci certè, faciléque ac breui possint.

Certo item, decentique Sacristiæ loco libri, ac volumina Ecclesiastica, vt Missalia, Breuiaria, Lectionaria, Antiphonaria, & alia id generis suis operimentis politè contecta, in oculis Episcopi appareant.

Tuto item eiusdem loco in promptu sint scripta, monimenta, Codicesuè, quibus testificatio fiat sacrarum Reliquiarum, in ea Ecclesia asseruatarum.

Eodem loco tabulæ item, scriptauè indul-

gentiarum, eidem Ecclesiæ concessarum.

Separatim alio Sacristiæ loco, vel in Archiuo, si illud à Sacristia distinctum sit, in promptu habeat, tabulas, scriptaue, ac monimenta quæuis pro ratione annorum distinctè notata, quæ ad Ecclesiæ, Altarium, Capellarumuè iura, priuilegia, bonaque testificanda pertineant.

Librum item Statutorum, & Constitutionum, & tabulam, rituum, consuetudinum, si quas peculiares illa Ecclesia, eiusuè Clerus habeat, præsertim in diuinis officiis, Ecclesiasticisque functionibus.

In promptu præthereà, ac parata Inuentaria hæc infrà ordine præscripta, rectèque confecta habeat, quibus singulis manu sua subscriptum sit.

Primò Inuentarium sacrarum Reliquiarum in sua Ecclesia reconditarum, ac simul monimentorum, literarumuè illas verè testificatium.

Alterum, in quo descriptæ sint indulgentiæ omnes, illi Ecclesiæ, eiusuè Capellis, aut Altaribus perpetuò concessæ, aut ad tempus, quod adhuc peractum non sit.

Tertium, in quo sacræ vestes, pallia, indumenta, & ornamenta singula; omnia, quæcumque supellectili Ecclesiæ sint, rectè, ac distinctè descripta, notataue appareant.

Quartum, in quo libri, scriptauè, literæ, ac instrumenta id generis, quibus bona, iura, priuilegia Ecclesiæ, Altarium, Capellarumue testificata apparent, notata sint.

Quæ Inuentaria, quo tempore, & quibus præsentibus proximè confecta sint, ex illius scriptione appareat, vt, si ità opus aliquando erit, rectè conferri possint, eadémque exscripta, in visitationis acta referantur, prout Episcopus censuerit.

Paratum habeat, ac exhibeat indicem Dignitatum, Canonicatuum, portionum, & aliorum id generis titulorum, Altariũ, Capellarum, & Clericatuum, quicumque sunt in illa Ecclesia, cum explicatione eorum census, ac onerum vnicuique adiunctorum; tàm etiam fundationum, institutionumuè, & notariorum, qui fundationum tabulas confecerint, tùm singulorum præthereà, qui ea Altaria, Capellas, portiones, canonicatus, dignitates, aliuduè, quouis, etiam ad nutum amouibili, titulo obtinent

Indicem etiam similem, cum simili explicatione titulorum, & beneficiorũ quorumcumque, tùm Ecclesiarũ, tùm Oratoriorũ Sæcularium, etiam campestrium, quæ sita sunt extrà illã Ecclesiam, intrà fines tamen eiusdem Parochiæ.

Indicem item Scholarum, Confratriarum, locorum, operumuè piorum, quouis modo in ea Ecclesia institutorum, quo exprimatur, & institutio, & institutionis tabulæ, à quo scilicet notario confectæ.

Rursùs indicem similem Scholarum Confratriarum, Hospitalium, locorumuè, & operum piorum, quorumcunque, quæ extrà illam Ecclesiam intrà fines tamen Parochiæ sita sunt.

Indicem quoque Monasteriorum, Præpositurarum, & huiusmodi domuum Regularium, tam virorum, etiam si commendatæ sint, quàm fœminarum, etiam, quæ ab Episcopi iurisdictione immunes sint; quæcumque in illius Parochiæ finibus sitæ sunt.

Paratum item indicem habeat, ac exhibeat, in quo Clerici, in suæ Ecclesiæ finibus habitantes, descripti sint, notatis eorum vniuscuiúsque tum nominibus, tum domiciliis, habitationibusuè Ecclesiasticis, aut Sæcularibus: hoc item adscripto an soli, an vnà cum aliis, vel Ecclesiasticis, vel laicis habitent.

Indicem item puerorum, adolescentiumuè vitæ Ecclesiasticæ disciplinam ingredientium.

Musicorum item, Cantorum, Organoque in quauis Ecclesia sonantium. Laicorum item hominum, si qui sunt, Sacerdoti in Missæ sacro, aut in diuinis officiis, funeralibus etiam, & in aliis Ecclesiasticis muneribus, operam aliquam præstantes.

Indicem item prædiorum, bonorúmque Ecclesiæ suæ; rursúsque fructuum, & censuum, quos inde percipit, & aliorum inde reddituum, vt potè oblationum, eleemosynarum, quæ statis quibusdam anni diebus, vel ob solennitates, vel ob anniuersaria, aliamuè causam fiunt.

Huic rursùs alius index adiunctus exhibeatur, vsurpationum bonorum, iuriumuè illius Ecclesiæ, & alienationum præthereà triginta ante Tridentini Concilii celebrationem, & confirmationem annis factarum.

Indicem etiam det reddituum, vel veterum, vel recentium, Capitulo, Cleroué illius Ecclesiæ communium.

Indicem quoque distinctum, reddituum, emolumentorum, onerum & aliarum, vt suprà, præscriptarum rerum, quæ ad Ecclesias tunc vacantes pertinent, notato etiam tempore, quamdiù vacent, & illius item, qui earum fructus, vel decimas, vel primitias, vel alios cuiusuis generis redditus exigit, nomine descripto, & auctoritate, qua exegit item.

Indicem præthereà census ab eo qui sibi tamquam Rectori obuenit, distincti, ac separati, vt potè illius, qui vel ad fabricæ illius Ecclesiæ, vel ad luminum, vel ad sacristiæ, vel ad alterius eiusmodi rei vsum erogationemuè pertinet.

Promptos item habeat Codices Parochiales, vnum scilicet baptizatorum, alterum eorum, qui matrimonium contraxerint, tertium illorum qui Chrisma susceperint, quartum, quem proximè confecerit de numero, statuque animarum.

Regestum etiam, aut exempla Constitutionum Pontificiarum, ac literarum Pastoralium, aut instructionum id generis, & edictorum, quæcumque ab Episcopo acceperit. In quibus singulis exemplis notatus sit dies, quo illa populo promulgarit, legeritue.

Paratos item libros, & tabellas singulas, indicesuè habeat, ac exhibeat, qui debent in Sacristia esse ex præscripto Conciliorum Prouincialium, diœcesanorum, ac instructionum.

Si præthereà curam, administrationemuè habet bonorum Ecclesiasticorum separatim ab iis, quæ sibi ad vitæ sustentandæ vsum attributa sunt, aut fructuum vacantium sibi commendatorum; susceptæ, administratæuè curæ rationum Codicem in promptu habeat, atque exhibeat.

Separatim verò in promptu habeat, vt Episcopo tradat, tabulam decretorum Prouincialium, diœcesanorumque quæ vel ad diuinorum

officiorum cultum, vel ad Parochialis curæ, disciplinæque Christianæ rationem pertinentia, nondum in Parochiæ suæ finibus executionem habuerunt, causis, & impedimentis quoque explicatis, cur in executionis vsum adhuc inducta non sint.

Tùm præterea indicem, manu sua confectum, det eorum, qui infrà notati sunt, si qui in Parochiæ suæ finibus id generis homines extāt.

Hæreticorum, hæresisuè nomine suspectorum, aut libros hæreticos, prohibitosuè habentium, vel legentium.

Publicè, vt infra potissimum, delinquentium, malefactáque committentium.

Blasphemantium scilicet.

Superstitione, maleficiis, magicisque artibus vtentium

Eorum, qui in Pascha Confessi, sacram Communionem non sumpserint.

Simoniacorum.

Vsuras exercentium.

Concubinariorum, concubinatusuè nomine suspectorum.

Illorum etiam, si qui publicè, notoriéque criminosi, quibus pro Tridentinæ sanctionis, Conciliique Primi, & Tertii Prouincialis decretorum ratione, solennis, vel publica indicenda sit pœnitentia; vt, aut tunc iis Episcopus eam iudicio suo statuat; aut illos, quos solenniter pro peccati grauitate pœnitere iussum est; à Cancellario notatos, ad se ineunte Quadragesima venire iubeat, cuius temporis initio illam de Ecclesiæ sanctæ more ipsi subeant ritu solenni.

Coniugum inter se disiunctorum, neque simul cohabitantium.

Eorum, qui cognatione, affinitateuè iuncti, matrimonium gradu prohibito contraxerint.

In Ecclesia parum reuerenter, ac non debita veneratione versantium.

Illorum, qui diebus festis Missæ sacrificio non intersint; aut seruilibus operibus dies festos violare, aut choreis, comessationibus, aliisque eiusmodi actionibus profanare soleant.

Talis, Aleauè ludentium; aut istis domicilia exponentium.

Libros de rebus obscœnis, parúmque honestis conscriptos, obscœnásque item imagines habentium.

Eorum etiam, qui inertiæ, desidiæ, otio, vel cauponis, tabernisuè vinariis, ganeisuè dediti sunt.

Marium, fœminarúmque vestitum immodetatum induentium, non sine manifesta Dei, hominúmque offensione.

Omnium denique deprauatorum morum in Parochiæ suæ hominibus frequentium, ac publicorum.

Indicem item eorum hominum, intrà Parochiæ suæ limites habitantium quibuscum Episcopus visitans pro variis visitationis officiis, aliquando colloqui, agereuè necesse habet. Horum scilicet.

Patrum familias.

Ludi literarii Magistrorum, Pædagogorum, Musicam etiam, Scriptionem, Arithmeticam, aliasque artes liberales profitentium.

Mulierum item docentium, puellasque sibi in disciplinam traditas, domi educantium.

Medicorum, Chirurgorum, Tonsorúmque rem medicam exercentium.

Pictorum, & Sculptorum.

Bibliopolarum, Impressoriámque facientiū.

Ministrorum publicorum, vt Syndicorum Confratriæ vniuscuiusque Præfectorum, Curatorumuè, & aliorum id generis.

Notariorum.

Opificum, artificumuè in Parochia sua frequentiorum.

Hominum, operibus piis exercendis aptiorum, aut iam deditorum; & eorum, qui vitæ spiritualis, disciplinæque Christianæ studiosi adiumenta subministrare possunt rationibus, Parochiæ benè instituendæ vsui necessariis.

Pauperum, viduarum, pupillorum, cæterorúmque verè miserabilium.

Cauponariam, cœnaculariamuè exercentiū.

Saltandi, tripudiandiuè, ac sonandi in choreis artem profitentium, docentiumvè.

Exhibeat ipse ordinum, quibus initiatus est, ac beneficii illius, tùm cæterorum etiam, si quæ alia obtinet, literas, tùm facultates scriptas, si quas ab Episcopo, eiusuè Ministris habet, vel suo, vel Ecclesiæ suæ nomine; vt putà suscipiendi munus Missarum celebrandarum, audiendi Confessiones eorum, qui non sint de sua Parochia, cohabitandi cum laicis, vel extrà ædes Ecclesiasticas; adhibendi fœminas sibi inseruientes, locandi laicis domū Ecclesiasticā, exponendi capsulā pro eleemosynis, & eiusmodi.

Exhibeat item libros proprios, quos ex decretis Prouincialibus, aut ex visitationum, aliisvè Episcopi sui iussionibus, habere debet, vt potè Breuiarium, Missale, Calendarium proximè editum, librum Ritualem seu Sacramentorum, Homiliarium, Psalterium, volumen Bibliorum, Catechismum Romanum, Codices Conciliorum, scilicet Tridentini, Prouincialium, & Diœcesanorum, quibus in libris inscriptum sit nomen possidentis.

Exhibeat præterea indicem aliorum librorum, quoscúmque impressos, aut manu exaratos habet.

40 Quod de sacris reliquiis, indulgentiis, indumentis, ornamentis, supellectili Ecclesiastica, libris, scriptis, inuentariis, indicibus, fundationum tabulis, redditibus, emolumentis, oneribus, vsurpationibus, alienationibusque, titulis etiam beneficiorum, & ordinibus, ac cæteris denique Parocho, Rectoriuè, aut Præfecto Ecclesiæ, in qua animarum cura geritur, præscriptū est; id omne, & Præpositi, & Canonici, & Capellani, etiam mercenarij, & alii dignitatum, Canonicatuum, Altarium, Capellarum, aliorúmque beneficiorum titulum obtinentes; aut quouis nomine administrationem, curamuè habentes: & rursus fabricarum Præfecti, & Confratriarum, Hospitalium, eleemosynarum, locorumuè, ac operum piorum quiuis curatores, cùm visitandi erunt, præstent: quatenùs eo de toto genere constitutum vllo modo pertineat ad eorum dignitates, beneficia, Capellas, & Altaria, titulos, & ordines, aut ad fabricas, hospitalia, eleemosynas, pia loca, vel opera, aut etiam Ecclesias, Altaria, Capellas eorundem præfectorum, vel curatorum administrationi, & procurationi commissas.

41 Parochi sit autem, aut Præfecti, Rectorisuè, vt suprà, intra cuius Parochiæ fines facienda est visitatio, nisi Episcopus aliis potius id muneris aliquando dederit, illos omnes, & singulos in tempore præmonere, vt præscriptum apparatum conficiant, atque in visitatione præsentes adsint, tum præscriptam rationem, qua id præstent, diligenter docere.

42 Episcopus porrò, quo visitationis rationem magis explicatam habeat, nec diutius quàm par est, in mora sit, in omni præscripto apparatu rectè conficiendo ab iis, quorum interest, pro pietatis suæ, Pastoralisque diligentiæ studio omnem diligentiam adhibeat.

Ibid. 43 Quo verò Parochorum, & aliorum Sacerdotum in concionibus, vel sermonibus habendis ratio Episcopo exploratior sit, hæc præter alias huius indagationis cõstitutas rationes seruare poterunt, vt, cum visitantur, sermonem, conuocato populo, præsenteque ipso Episcopo singuli in sua Ecclesia, vel vbi is maluerit, eo de genere, quod idẽ iusserit, aliquãdo habeant.

44 *Illud autem, &c. De vita & hon. Cler. num. 80. & 81.*

45 Visitationis initio, certæ Christiano more viuendi regulæ, ex Oecumenica Tridentina Synodo, Conciliisque Prouincialibus, & diœcesanis, omnique optima disciplina collectæ, vulgari sermone, breuiter explicatæ, ad communem Prouinciæ vsum per nos edendæ, præter illam decretorum, ad laicos pertinentium, denunciationem, in Concilio Prouinciali tertio Parochis præscriptam, de suggestu populo frequentissimo in vrbe, & insignioribus locis, vbi Episcopus expedire censuerit, clara voce legantur, vt omnes intelligant, secumque taciti inquirant, an ad præscriptas leges vitæ Christianæ modũ susceperint. Tũ ab Episcopo de illis interrogati, videant sui muneris esse, si quas in vitæ institutione executi nondum sint, earum præscriptis, atque institutis parere quàm primũ, & quàm diligentissimè, pro salutaris disciplinæ ratione, atque vsu, rectis regulis confirmato.

46 Certas pastorales monitiones, vnicuique hominum ordini, sexui, ætati propriè conuenientes, ex sacrarum literarum fontibus, sanctorumque patrum disciplina, ex eisdem Conciliis haustas, ad omnium etiam magistratuũ instructionem, nostra cura communi Prouinciæ vsui conficiendas, vnusquisque Parochus, cùm in fine visitationis vrbis, & vniuscuiusque præsertim insignioris oppidi, tùm certis anni solennitatibus, prout Episcop⁹ iusserit, & illis aliquid pro ratione loci, vel addendũ, vel detrahendum censuerit, populo de scripto recitet, atque euulget, vt fideles non solum visitationis iussis, decretisque aliis in omnes benè agendi partes confirmati, sed sæpius sui quique debiti officii, Episcopalibus, Pastoralibúsque vocibus moniti, in dies in via Domini maiores progressiones habeant,

5. Quæ ad Synod. congreg. & visitat. attin. 48 Visitationis munus ad Dei honorem, animarúmque salutem vtiliter institutum, quò fructuosius præstetur; maximè videbitur expedire; vt antequàm ab Ecclesia, pioue loco, cuius visitatio agitur, discedatur, decreta, eaque præsertim, quæ de structura, supellectiliuè Ecclesiastica, constituta erunt, Rectori, aliiuè, cuius interest, relinquantur, vt quàm primum fieri potest, diligenter inducantur in executionis vsum.

49 Atque in eo quidem genere decretorum, quæ de illius, vel fabricæ, vel supellectilis ratione sunt, cum in instructionibus, ea ipsa de re ex Prouinciali decreto editis forma præscribatur, non multum temporis ponetur.

50 Si quæ verò, vt potè de legatis, & aliis eiusmodi causis cognosci oportebit, de iis, loci etiã visitatione confecta statui, decerniuè poterit: sed curet Episcopus anteà omninò, si fieri potent, decerni, quàm ex ipsa plebe, Vicariiue regione abeatur, si Diœcesis locorum visitatio fit.

51 Atqui in decretis non erit generatim, sed sigillatim, & quantum fieri possit, diligenter statuendum, & à quo, & cuius sumptu, & quo temporis spatio quicquàm fieri, præstariuè oportebit; & quæ prætereà pœna negligentibus, aut contumacibus erit irroganda. Et verò si quæ in decretis exequendis difficultas, vel cõtrouersia videbitur oriri posse; curandum erit, vt planè tollatur. Verùm hac salutari diligentia videat Episcopus, nè in visitando tempus, nisi necessariò protrahatur ad maiorem Cleri, vel Populi, vel Ecclesiarum sumptum.

52 Nec proptereà tamen vetitum sit, quominùs aliquorum decretorum confectionem, vel editionem differre diutius possit, si ità pro difficultate rei, aliauè ratione opus esse, aut expedire iudicauerit.

53 Visitationis autem decretorum exempla semel primum gratis omninò etiam, quod ad scriptionem attinet, edantur iis singulis, quibus pro executionis vsu edi, exhiberiuè oportet: iterum etiam, atque adeo sæpius itidem gratis, vt suprà, edantur; si quæ iàm edita sunt, aliquo modo, sine eorũ culpa tamẽ, amissa, deperditauè sũt.

54 Quæ porrò decreta, cùm primò eduntur, in libro benè confecto, accuratè, rectóque exscribantur. Isque liber in Sacristia Ecclesiæ, aliouè decenti, tutóque loco asseruetur.

55 Subscribet prætereà manu sua iisdem decretis in eo libro Episcopus, vel qui eius nomine visitauit, vel Cancellarius, vel Notarius visitationis.

56 Eiusdem verò Cancellarii erit, publicis tabulis notare, in actaque visitationis referre, quo die singula decreta, ordinationesuè singulæ editæ sint.

57. 58 Si visitator gradu inferior sit Episcopo, propositam à nobis visitandi formulam in reliquis omnibus diligenter obseruet, in comitatuque octo hominibus ad summum, & sex iumentis contentus sit. 1. Ibidem. 4. Ibid.

59 Quæcumque de præparatione in Episcopali visitatione facienda suprà præscripta sunt, instructiones, eædem ferè omnes adhibendæ erunt in aliis visitationibus; illa tantum præparatione excepta, quæ pertinet ad ea, quæ Episcopi tantum, Episcopalisuè muneris, & visitationis propria sũt; vt de solẽni receptione, de Chrismatis sacri ministratione, & aliis huiusmodi.

De Concilio Prouinciali, eiusque Constitutionibus, & decretis.

SVMMARIVM.

1 *Concilium Prouinciale, quo tempore, quoque anni*

anni die, & loco habendum.

2 *Is dies, locusque à Metropolitano prorogari, mutariuè potest.*

Eiusdem diei, & loci constitutio edicti loco habenda. 4. 5.

3 *Metropolitano impedito, antiquior Coepiscopus illud conuocandi ius habet.*

6 *Concilio qui interesse debent, ipsimet adsint.*

7 *Legitimè impediti, quid agant, & quem, qualemque suo nomine mittant.*

8 *Contrà absentes, vt procedatur.*

9 *Capitula Cathedralium procuratores mittere possunt.*

10 *Concilij incboandi dies in Calendarium referendus: & quando etiam populo; & à quibus, & ad quem finem denunciandus.* 14.

11 *Schedulæ, ob eammet causam, quando, quibus in locis affigendæ, cuius tenoris, & à quo subscribendæ, quoque sigillo signandæ* 12.

13 *Literæ Pastorales Metropolitani eo de genere, quibus item in locis, & quando promulgandæ.*

15 *Ante statam Concilij diem, Concilioque durante quibus in Ecclesiis, quibusque statis diebus, & à quibus Missæ cantandæ, celebrandæuè, vel commemoratio facienda: quæque aliæ preces adhibendæ.*

16 *Quid aliud ab Ecclesiasticis Concilium, adituis præstandum.*

17 *Quæ item curent Episcopi, antequàm ad Concilium veniant; & de quibus in eo ordine referant.* 18.

19 *Ad Concilium veniens Episcopus quos, & quot secum ducere debeat.*

20 *Ei venienti, qui obuiam procedere debeant.*

21 *In vrbem, quo habitu, & equitatu ingrediatur: & an populo benedicere debeat.*

22 *Quò primo, vrbem ingressus, accedat.*

23 *A quibus: & qualiter in Ecclesia excipiatur.*

24 *A Basilica ad Metropolitanum pergens, qualiter ab eodem recipiatur.*

25 *Ecclesia, vbi Concilium celebrabitur, exornanda.*

26 *Concilioque instante, in eadem oratio Quadraginta horarum instituenda.*

27 *Oratio etiam, sine intermissione à quibus in Ciuitate, & Diœcesi agenda, Episcopi cura.*

28 *Pridie primæ Sessionis ieiunent Episcopi, eorumque familia.*

29 *Campanæ quoque pulsandæ.*

30 *Primo Concilij die, diebusque aliis quid à Sacerdotibus, & Clericis aliis, Concilio præsentibus, agendum.*

31 *Sessione prima processio solennis agenda; Missa à Metropolitano cantanda, qualisque sermo habendus.*

32 *Sessionibus in aliis Missa, sermoque à quibus celebranda, habendusque.*

33 *Conciliares actiones festis diebus mane saltem intermittendæ.*

34 *Eisdem tota animi cogitatione intendendum ab Episcopis.*

35 *Congregationes generales cuius campanæ sono, quoque alio signo significandæ.*

36 *Illis absolutis, vesperi ad vespertinam orationem ab Episcopis conueniendum.*

37 *Concilio incboato quid à Choro canendum, eoque durante quid festis diebus ab Episcopis agendum.*

38 *Quid item à populo, & à Clero.*

39 *Quidque à Clero in Capella ædium Archiepiscopalium agendum.*

40 *De Ecclesiastica disciplina tractandum.*

41 *De Clericalibus item disciplinis, & studiis agendum.*

42 *De earundem Clericalium disciplinarum explicatione disserendum.*

43 *Quid etiam ab Episcoporum familia eo tempore faciendum.*

44 *Concilio non absoluto, qua facultate abire Episcopis liceat.*

45 *Eodem absoluto, non tamen adhuc dimisso, quæ agenda, repetenda, tractandaque.*

46 *Quæ Canonicæ regulæ ad Ecclesiasticos pertinentes, quæque alia legenda.*

47 *Sessione in vltima dies futuri Concilij denunciandus.*

48 *Decretis Concilii à Metropolitano ab Episcopis, & Procuratoribus subscribendum.*

49 *Acclamationibus factis, Episcopi à Metropolitano pacis osculum accipiant, & quid ea osculi significatione præstent.* 50.

51 *Concilio dimisso quid agendum à Metropolitano, & quid ab aliis Episcopis.*

52 *Metropolitani iuri quatenus non derogatur in alibi conuocando, prorogando mutandoque Concilio.*

53 *Pœnæ in Concilio quarto propositæ locum habeant in futuris Conciliis.*

54 *Conciliorum omnium Prouincialium decreta, curâ Metropolitani vno volumine contexenda, & edenda.*

1 PRouincialia Concilia, diuino munere, à sacra Oecumenica Synodo Tridentina in vsum reuocata, sicut tertio quoque anno ad eiusdem Synodi præscriptum conuocari, celebrarique oportet: ità maximè consultum esse debet, vt id ipsum rectè, ordine, atque ex vtilitate Prouinciæ præstetur. Itaque & pro illorum vsu, in perpetuum retinendo, & pro cæteris rationibus, ad eorundem actionem rectè, vtiliterque præstandam accommodatis, hæc tùm authoritate nostra, tùm etiam de consensu patrum sancimus. 4. De Concilio Prouinciali. Sess. 24. c. 2. de ref. c. propter Ecclesiasticas cum seq. dist. 18.

Primò, singulis Prouincialibus Concilijs, tertio quoque anno ex ipsa Tridentina sanctione celebrandis, quæ indicere, conuocare, & celebrare ius Metropolitani est, nos certam diem in posterum indicimus, decernimus, & statuimus, feriam scilicet quintam, quæ à Paschæ Resurrectionis Domini sub tertiam Dominicam cadit: certumque item locum, nempe Metropolitanam nostram Ecclesiam, Beatæ Mariæ Virginis nomine nuncupatam.

2 Hoc autem perpetuæ indictionis decreto, Constitutioneuè Metropolitani iuri derogatum, abrogatumuè nè sit, quominùs constitutum diem, locumuè, prout necessitas postularit, vel iusta causa, ratioue aliqua ei suaserit, prorogare, accelerare, mutare, ex Canonum iure, sanctioneque Tridentina possit; modo intrà triennij saltem spatium, ad illius sanctionis præscriptum, semel celebret.

3 Neque rursùs Metropolitano legitimè impedito, facultati illud conuocandi, eadem Tridentina sanctione Coepiscopo antiquiori concessæ, detractum sit.

4 Eius autem constituti Conciliaris diei, & loci, atque adeo Concilij Prouincialis indictionem omninò ratam, firmamque esse volumus, ac sine alia literarum significatione, vel edicti promulgatione, vel vlla alia denunciatione, aut nuncio, tantùm roboris, & auctoritatis ad Episcopos, & reliquos quosuis omnes, ac singulos, qui Prouinciali Concilio Mediolanensi, quacumque ratione adesse possunt, aut debent, quorumuè aliquid interest, monendos, & conuocandos, habere hoc decreto sancimus, quantùm illa, quæ indicendi eiusdem Concilij Prouincialis ratio literis, & nuncio, edictoque publico adhibetur.

5 Quamobrem propositis pœnis, Canonum iure sancitis, cùm vniuersos, & singulos Episcopos, tùm cæteros omnes, qui quouis iure consuetudine, aliauè, vt suprà, ratione, debent, Mediolani in Metropolitana Ecclesia præsentes adesse ad eam diem iubemus, quam tertio saltem quoque anno, Prouinciali Concilio de more ineundo, celebrandoque certam, & statam hac constitutione in perpetuum decreuimus.

cap. si quis Episcoporum, & cap. placuit, dist. 18. 6 Quicumque verò, vel Episcopi, vel alij interesse debent, ne eorum nomine alij; sed ipsimet stata die adsint; nisi necessariâ iustâque causâ, quamobrem debitum hoc officium præstare non possint, impediti sint.

cap. Episcopus eadem dist. 7 Eam porrò causam, tum Metropolitano, vt Canonum iure cautum est, probent; tùm etiam procuratorem certum, Ecclesiasticum hominem, mittant, qui suo nomine suscipiat, recipiatuè, quæcumque Canonum, Conciliique Tridentini auctoritate, in Prouinciali Synodo acta, gesta, constituta, decreta, sancitauè erunt. Si quis contrà fecerit, aliauè ratione non paruerit, aut contumax erit, ex Canonum sanctionibus debitas luat pœnas.

5. Quæ ad Synodum, &c. attin. dist. 18. cap. Episcopus. Si quando Episcopus, iusta, eaque Metropolitano probata, causa, ad Concilium Prouinciale non accesserit, virum Ecclesiasticum mittat, qui non modo legitimam absentiæ excusationem, vt Canonum iure, Concilijque Prouincialis quarti decreto cautum est, rectè afferat, decretaque suscipiat; sed hoc etiam præstet, vt à Metropolitano interrogatus, rationem diligenter, rectéque reddat omnium, quæ ad eius Ecclesiæ cuius causa ab Episcopo huius decreti auctoritate mitti debet, rationes attinent.

4. Ibidem. dist. 18. c. Si Episcopus. 8 Quicumque porrò ex iis, quos constituta illa die adesse hoc decreto iussum est, adesse neglexerit, aut prætermiserit, contrà eum agatur etiã edicto publico, Metropolitanæ, aut alterius Ecclesiæ, lociuè, vbi Concilium habebitur, si mutari quandoque contigerit, valuis affigendo.

c. fin. de iis quæ fiunt à Prælatis sine consf. c. 9 Ad constitutum etiam illud tempus capitula Cathedralium Ecclesiarum inuitamus ad Concilium; quibus certos aliquis procuratores, Ecclesiastici ordinis homines, mittere licet; qui eorum nomine præsentes in Concilio adsint; ac, si quæ erunt, quæ referre velint, ea Metropolitano in Concilio coram exponant.

10 Vt verò omnibus, & singulis aliis, qui vel inuitati, vel alio iure interesse possunt, vel debent, quorumuè interest, notior planè sit, atque euulgatior eiusmodi Synodi Prouincialis indictio; certam illam Concilij inchoandi constitutam diem, ac locum in Calendarium, quod eo tertio anno editur, loco suo referri, conciliaremque diem notari; tùm in octaua Natalis diei Domini, qui dies est Calendis Ianuarij, aut in Epiphania, prout in Ecclesia sua moris est, eiusmodi solennes promulgationes fieri, intrà Missarum solennia populo frequenti, vnà cum Paschæ Resurrectionis Domini, aliarumque solennitatum denunciatione de more indici, significari, & denunciari vnusquisque Episcopus mandet.

11 Iubeat etiam Ecclesiæ suæ Cathedralis valuis, aliisque locis, quæ videbuntur, schedulam, grandiusculis literis exaratam, duobus mensibus ante constitutam diem, adstante frequenti populo, affigi, his verbis.

12 Concilium Prouinciale Mediolanense, per Reuerendissimum Archiepiscopum, decreto, edito, & promulgato, indictum, & conuocatum hoc anno ..... die ..... mensis. N. Deo auxiliante, in Metropolitana Ecclesia de more inchoabitur, & celebrabitur.

Cui schedulæ manu Cancellarij, Notariiuè Episcopalis subscribatur, posito etiam sigillo consueto Episcopali.

13 Concilij Prouincialis celebritati, atque actionibus, vt eius diligentiorem vsum, normamque in dies teneremus, certas quasdam rationes in Synodo Prouinciali Quarta constituimus: quibus sanè rationibus operæprecium censuimus hæc adiungere, quò magis splendescant illæ actiones, indeque fructus salutares existant. 6. De Concilio Prou.

Aliquot ante Synodi Prouincialis celebritatem diebus literæ Pastorales, eó de genere à Metropolitano editæ, cùm in omni Prouinciæ ciuitate, tùm in vniuscuiusque Diœcesis locis, vbi promulgationẽ fieri moris est, Episcopo curante, rectè promulgentur: quò studiosius fideles excitentur ad precandi studium, pietatisque opera, quibus implorata diuina ope actiones conciliares adiuuentur. Atque iis quidem literis si quid Episcopus pro Diœcesis suæ rationibus, atque vsu addendum censuerit, addat, licet.

14 Conciliarem præthereà hanc actionem singulis tribus proximis ante diem constitutã Dominicis diebus per Parochos, & Concionatores fidelibus denunciari, eosdemque non modo excitari ad frequentius orationis studium; verùm etiam ad id inflammari vnusquisque Episcopus curet, vt die Dominico statam Concilij diem proximè antecedente, verè pœnitentes, & confessi, sacram Communionem sumant, hoc præcipuè precantes, vt quæ ad suam, & ad illorum, quorum curæ commissi sunt, salutem pertinent, Dei auxiliante misericordia, in Concilio sancta sollicitudine agantur. 4. Ibidem.

15 Ab eadem tertia Dominica ante præfinitum Concilij tempus, & deinceps, quamdiu de more illud absolutum, aut dimissum erit, eadem de causa, ac nomine, quinta quaque feria Missæ sacrificium, tum à singulis Sacerdotibus, tum solenniter Collegiatim, in omni Cathedrali, & Collegiata Ecclesia, de Spiritu sancto fiat, prout Concilio Prouinciali secundo sancitum est; vel vbi solenniortis officij ratio hoc quandoque impediat, saltem commemoratio; tùm etiam singulis diebus Dominicis, & in illis, &

in omnibus Parochialibus Ecclesiis processio, supplicationesque litaniæ, ac preces habeantur.

2. tit. 2. dec. 8. Cum primùm Metropolitani literis Concilij Prouincialis celebrandi dies Episcopis significata erit; illud ipsi curent, vt in omnibus & vrbis, & Diœcesis suæ Parochialibus Ecclesiis quinta quaque feria, in singulas hebdomadas, quò ad illud de more absolutum, ac dimissum erit, Missa de Spiritu sancto celebretur: in Cathedrali autem, & Collegiatis Ecclesiis processionum prætereà munus singulis diebus Dominicis obeatur; ex animoque preces fiant pro optimo ipsius Concilij euentu. Hoc idem planè seruetur, vbi à proprio Episcopo diœcesanæ Synodi celebrandæ dies indicta erit.

6. De Concilio Prou. Quod Concilio Prouinciali quarto de Missa, & oratione Spiritus sancti decretum est, id in posterum ità seruetur, vt à Dominica tertia ante constitutam Concilij diem, vsque ad id tempus, quo illius initium fiet, singulis diebus collecta de Spiritu sancto in Missæ sacrificio dicatur. Missa autem de eodem feriâ quinta celebretur, & supplicationes item fiant statis diebus ad præscriptum illius Concilij quarti. Vbi autem Concilij initium factum erit, in omni Ecclesia Prouinciæ Cathedrali, & Collegiata, stata, solennisque Missa, quæ pro Concilio dicitur, quinta quaque feria celebretur; aliis autem feriis Collecta pro Concilio à singulis Sacerdotibus in Missa piè recitetur.

4. Ibidem. 16 Ecclesiastici etiam ordinis homines, & quos vnà secum ad Concilium Episcopi conduxerint, & quos Capitula miserint, & testes item Synodales, qui conuenerint; ij omnes, & singuli antequàm in viam se dent, peccata confessi, Sacerdotes Missæ sacrificium facere, Clerici sanctissimam Eucharistiam sumere nè omittant.

17 Porrò eò religiosius, & frequentiùs Episcopus vnusquisque in oratione & precibus, & sanctissimis sacrificiis, illo præsertim tempore versari studebit, quò planius se ad rerum grauium consultationem, & deliberationem vocatum esse videt.

Quò autem instructior is ad Synodalium rerum tractationem conueniat; perquirat primo, quæ Tridentina, & Prouincialia decreta executus sit, quæ non item. Videat prætereà, quæ ab aliis, quorum interest, præstita non sint, quæuè non seruentur.

Hæc verò accuratè inuestiget in primis, an qui, vel iure, vel consuetudine, vel alia quauis ratione residere debent, ipsi resideant, anque residentiæ munera per eosdem præstentur.

An regulares exequantur, quæ Tridentina Constitutione de eis sancita, in defectum Capitulorum generalium in Prouinciali Concilio supplenda, prouidendauè sunt, eiusdem Concilij Tridentini decreto.

Diligentissimè quoque indaget, si quæ superiorum Prouincialium Synodorum decreta sunt, quæ in sua Diœcesi executionem non habuerint.

Id denique omni Christianæ disciplinæ studio perspiciat, si quæ sunt, quæ pro corrigendis moribus, pro abusibus tollendis, pro controuersiis componendis, aut aliàs pro vniuersæ Prouinciæ Ecclesiastica, & Christiana morum gubernatione sanctè instituenda, vel restituenda tractari, aut decerni in Concilio oportet.

Quò studiosius autem id omne præstet; paucis ante diebus, quàm Synodi Prouincialis stata, & indicta dies venerit, vrbis, Diœcesisque suæ Sacerdotes aliquot, pietatis zelo flagrantes, rerumque Ecclesiasticarum peritia, atque vsu præditos, vt expedire videbitur, conuocet: quibuscum agat de iis singulis conciliarium rerum tractationibus, ac præsertim, quæ ad vitæ Christianæ, & ad Clericalis disciplinæ instituta interesse possunt.

18 Iis omnibus Episcopus instructus, vbi ad Concilium venerit, in eo de iis ordine referat, atque agat; & in primis de diuini cultus obseruantia, tùm de Cleri sui disciplina, spiritualibusque eiusdem progressionibus, ac de instituta etiam seminarij rationibus; de populi prætereà in studijs pietatis exercitatione, & de piorum hominum sodalitatibus; de Ecclesiæ denique, Diœcesisque suæ omni statu. Si quid verò sit, quod Episcopus vtilius tractari posse censuerit, si Metropolitano per literas ante significandũ erit, id præstet, prout expedire iudicauerit.

19 Quod antiquæ disciplinæ fuit, vt Episcopus iter faciens, duos saltem Ecclesiasticos homines, vnum Subdiaconum, alterum Diaconum in comitatu haberet: id pro sanctæ sollicitudinis suæ zelo ipse ad vsum reuocare curet, cùm præsertim ad Concilium venit. 6. Ibidem.

20 Episcopo ad Concilium venienti Metropolitanæ Ecclesiæ Vicarius Generalis, & alij Prælati, Ecclesiasticique viri, quos Archiepiscopus delegerit, duo, aut tria millia passuum obuiam prodeant.

21 Vrbem, locumvè, vbi Concilium celebratur, mula is vectus, & insigne dignitatis Episcopalis viatorium indutus, decorè ingrediatur. Cùm ingreditur sancta charitate, rogatu, & concessu Metropolitani quodammodo impulsus in via populo benedicere non recuset.

22 Primò vrbem, locumuè Concilij ingressus, ad Basilicam Metropolitanam primariamuè accedat; vbi paulisper Deum sanctè precetur.

23 Ad Basilicæ valuas ei obuiam veniant, & qui dignitates obtinent, & Canonici, & Cleri quicumque illius Basilicæ.

Quod si fortasse tunc diuinis officiis in Choro occupati sunt: duo tamen, quatuorue, qui ex ordine Sacerdotum, & Diaconorum digniores sunt, è Choro mittantur, qui Episcopum ingredientem excipiant, & ad Altare maius deducant.

Dùm atrium, limenuè Ecclesiæ ille ingreditur, eius aduentus, & ingressus solenni campanarum sono, & nisi diuina celebrantur, organo etiam, piaque cantus modulatione excipiatur.

24 Inde à Basilica ad Metropolitanum ipse veniat, qui obuiam procedens fratrem Episcopum omni charitate, & osculo pacis benignè excipiat.

25. 26 In Ecclesia verò, vbi Concilium celebrabitur, quæ etiam Ecclesia de more ornetur, ipsis proximis ante Concilij initium diebus, oratio quadraginta horarum instituatur, fiatque à Clero, & à populo frequentissimo pro optimo Concilij successu. 4. Ibidem.

4. Ibidem. 27 Cùm verò Concilij Prouincialis dies instat, oratio sine intermissione, quæ à Clero, & à Regularibus, & à Monialibus religiosè ob eam causam fiat, in Ciuitate instituatur.

Idem in tota Diœcesi præstetur: ità vt instituta quadam Parochiarum regionumuè vicissitudine in primaria Ecclesia Clerus, populusque Concilij causâ, Deum piè oret.

Hæc omnia, & singula de oratione, vt præstentur, in sua quisque Ciuitate, & Diœcesi Episcopus curet.

4. Ibidem. 28 Pridie etiam illius diei, quo futura est prima Sessio, Episcopi, quo religiosius rem grauissimam agant, ieiunium celebrent, & Episcoporum item familia.

29 Eodem die sub vesperum, solenni more campanæ in Ecclesia pulsentur: quod itidem fiat pridie illius diei, quo deinceps alia Sessio futura est.

30 Postridie, quæ stata Concilij dies est, summo mane singuli Ecclesiastici homines, qui Concilij causa venerunt; Sacerdotes quidem Missæ sacrificium faciant, reliqui verò Clerici præsertim qui de Episcoporum familia sunt, singuli à suo Episcopo, Missam celebrante, sacram Communionem sumere studeant.

Hoc deinde frequentius, tùm maximè, quo die Sessiones habentur, facere salutariter procurent.

31. 32 In prima Sessione, supplicandi causa pro re graui, quæ geritur, processio solennis fiat, conuocato vniuerso Clero, Sæculari, & Regulari, post processionem Missæ sacrificium, vt à Metropolitano solet; eo impedito, ab antiquiori Prouinciæ Coepiscopo solenniter celebretur; & sermo item Latinè habeatur de re Conciliaribus actionibus, disciplinæque Ecclesiasticæ cultui accommodata. Hoc autem, & Missæ, & sermonis officium sequentibus aliis Sessionibus præstetur ab alio Prouinciæ Episcopo, qui à Metropolitano delectus, & inuitatus, id munus susceperit.

33 Singulis Dominicis, & festis diebus, dum Concilium Prouinciale habetur, manè saltem Conciliares actiones intermittantur, vt Episcopi Ecclesiæ, & efficiis diuinis eo tempore vacare possint.

34 Episcopi ad rerum, ob quas in Concilium euocati sunt, actionem tota animi cogitatione intenti, sicut illas omni pietate suscipere debent, ità salutaribus consiliis adiuuare, summaque animorum consensione, & concordissima Episcopali voluntate perficere piè studeant, maximè spectantes, vt Deo, conscientiæ suæ, religioni, Ecclesiarum vtilitati, Christianæ disciplinæ, animarumque saluti satis faciant.

35 Congregationes generales, quæ statæ in singulas hebdomadas habebuntur, significentur, tùm campanæ mediæ sono, per dimidiam horam dato, tum tabellis suo loco de more affixis.

6. Ibidem. 36 Quotidie Concilij tempore dimissa congregatione Vesperi ad Capellam inde Episcopi frequentes veniant ad orationem vespertinam.

Ibidem. 37 Vbi primùm, operante Domino, Concilij Prouincialis initium, decreto ob eam causam promulgato, ritè factum erit, tunc hymnus, Te Deum, à Choro, cantoribusue piè concinatur.

Vbi prætereà in aliqua Sessione Constitutiones, decretaue noua de more promulgata erunt, Episcoporum assensu à Metropolitano comprobata, tum Chorus concinat etiam hymnum, Te Deum, &c.

Singulis festis diebus, dum Concilium Prouinciale habetur, solenni ritu ab aliquo Episcopo Missa celebretur; cui reliqui Episcopi, ordine considentes, intersint: & concio prætereà, Synodalibus actionibus accommodata, ab eodem, alioue Episcopo habeatur.

Festo item die, dum Concilium habetur, Episcopi frequentes ad Vesperarum diuinum officium conueniant, sacræque tractationi intersint, quam Metropolitanus, vel alius Episcopus habuerit.

38 Quo tempore Concilium Prouinciale celebratur, Clerus, populusque Mediolanensis quò frequentiori pietatis studio Prouinciales actiones adiuuet, septem stationales Ecclesias, instar Basilicarum vrbis Romæ à Pontifice Gregorio XIII. indulgentiarum dono ornatas, ex certa Parochiarum vicissitudine, quam Archiepiscopus præscripserit, supplicationibus obeat. Dùm item Concilium habetur in hebdomada quotidie, aut saltem tribus feriis sacræ conciones in Ecclesia Metropolitana, primariaue habeantur, quibus explicetur in primis omnis disciplinæ Christianæ ratio.

39 Singulis Concilij diebus, Clerus Ciuitatis in Capella ædium Archiepiscopalium Clericales aliquas studiorum exercitationes ineat, ad præscriptum Archiepiscopi.

40 De Ecclesiastica disciplina, certis partibus distincta, ordineque disposita, orationes Latinas, & frequentes Ecclesiastici homines habeant, quos ille iusserit.

41 Disputationum etiam de Clericalibus disciplinis, studiisque cursum penè assiduum eo tempore teneat; aliasque eius generis exercitationes habeat ex præscriptis rationibus.

42 Triduo prætereà, statis scilicet illis feriis congregationis publicæ, in eadem Capella explicatio disciplinæ Clericalis, quæ in certas partes distributa sit, à perito Sacerdote, quem Archiepiscopus elegerit, toto Concilij tempore, quàm diligentissimè habeatur, adhibeaturque ob eam rem cohortatio eius generis grauissima: cui cohortationi, & explicationi Clerus omnis vrbanus intersit.

43 Vt autem omnis Episcoporum familia Concilij tempore studiosè, vtiliterque occupata sit, quo tempore congregatio habebitur, & manè, & vesperi à Theologo Metropolitanæ, Ecclesiæ, aut ab alio, quem Archiepiscopus delegerit, psalmi, vel aliæ sacrarum literarum partes studiosè explicentur, cui explicationi, atque interpretationi familiæ Episcopales præsentes attentè adsint.

44 A Concilio autem nè cuiquàm Episcopo abire liceat, nisi necessariâ, iustâuè causâ, à Metropolitano cognita, & comprobata, abeundique facultate scriptis data, ac procuratore Ecclesiastico homine constituto, & relicto, qui suo nomine, quæcumque in Concilio acta, decretaue sunt, recipiat. 4. Ibidem.

45 Antequàm à Concilio discedatur, cum cætera, & ad optimos mores inducendos, & ad Ecclesiasticæ disciplinæ vim, vsumque retinendū,

atque augendum, & ad Tridentinas, Prouinciales sque sanctiones omninò exequendas pertinentia, quàm diligentissimè agantur; tùm quæcumque in ipsa Tridentina Synodo ad Concilium Prouinciale referuntur, studiosè tùm lectione repetantur, tum tractatione in executionis vsum inducantur.

46 Canonicæ prætereà regulæ Oecumenicis Conciliis, Ecclesiasticæque disciplinæ monimentis traditæ, quæ Episcopalis, & Sacerdotalis vitæ rationem, officia, partesque maximè attingunt, de scripto legantur, vt Canonum auctoritate iàmpridem sancitum est. In iis potissimum sit constitutio de vita Episcoporum in Concilio Prouinciali primo edita, altera item hoc quarto Concilio promulgata.

Formula etiam promissionum ad interrogationum præscriptum, quas pontificalis liber complexus est; ac si quæ prætereà alia erunt, quæ potiora pro ratione temporum Metropolitano videbuntur.

47 In vltima autem vniuscuiusque Prouincialis Concilij Sessione dies futuri Concilij, suprà præscriptus, Metropolitani iussu, denunciabitur, vt antiqui instituti, & moris est.

48 Episcopi antequàm è Concilio discedant, singuli ordine ad Altare maius accedentes, decretis, & constitutionibus, in eodem Concilio confectis, & promulgatis, postquàm Metropolitanus subscripserit, ipsi etiam assentiendo de more subscribant.

Vnusquisque item procurator Episcopi absentis, antequàm abeat, promulgata decreta, sui Episcopi nomine suscipiens, iisdem subscribat: si non fecerit, excommunicationis pœnam incurrat.

49 Absoluto denique vt moris est, Concilio, & sanctis acclamationibus factis, tunc omnes Episcopi surgentes, cum reuerentia osculum pacis à Metropolitano accipiant, & sibi inuicem dent, cum timore, & amore Dei.

50 Quodque sancti osculi significatione ostendunt, id re ipsa præstent, vt coniunctissimis animis, concordique voluntate, & pacis, atque charitatis studio, quæcumque sancita sunt, sollicitè exequendo in eam curam incumbant, vt vniuersa Prouincia hæc salutaribus disciplinæ institutis, ad vsum inductis, in omnes benè, piéque agendi partes æquè conformetur.

6. Ibidem. 51 Concilio ritè absoluto & dimisso, Metropolitanus vnumquemque Episcopum, qui ad se salutandum venerit, discedentem sancto osculo pacis dimittat, eiusque orationibus, & precibus sese intimè commendet.

E Concilio cum ad stationem Episcopalem Episcopus redibit, paulò ante, quàm itineri se committat, ad Ecclesiam Metropolitanam, primariamuè veniat, vbi paulisper oret.

4. Ibidem. 52 Hac autem omni Constitutione, nè Metropolitani auctoritati & facultati vllo modo derogatum sit: quà licet ei omni loco intrà Prouinciæ fines Concilium Prouinciale conuocare, & habere: idemque in aliud tempus prorogare, mutare, aliauè agere, gerere, quæcumque de Synodorum Prouincialium indictione, celebratione, directione, aliisque eiusmodi ab eo agi, ius sit.

53 Quæcumque verò suprà constituta sunt, quæ ad Concilij Prouincialis habendi vim, vsum, atque rationem quouis modo pertinent, quæque ad pœnas non conuenientibus, vel abeuntibus, aliisuè propositas, spectant; ea omnia, ac singula, vt mox suprà decreta, ac sancita sunt, locum itidem habere, statuimus, decernimus, & sancimus, in omni etiam Concilio Prouinciali in posterum celebrando; si vel constitutam diem accelerari, vel prorogari, vel diē, aut locum mutari, vel alia quauis occasione, vel causa, à Metropolitano, vel antiquiore Coepiscopo Concilium indici, conuocari, celebrariuè contigerit.

Postridie illius diei, quo Sessio vltima Synodi Prouincialis habita est, pro omnibus Prouinciæ Episcopis defunctis, præsertimque pro iis, si qui post proximum Prouinciale Concilium diem obierint, Missa solennis à Prouinciæ Episcopo, cui id muneris Metropolitanus mandarit, canatur; & sermo item Latinus appositè habeatur: officiumque item pro illis à quatuor etiam Prouinciæ Episcopis iunioribus ritè mox peragatur ad Pontificalis libri præscriptum. 5. Quæ ad diuin. offic. pert.

54 Quoniam non solum ad huius Prouinciæ commodum; sed ad rectam quandam disciplinæ Conciliis Prouincialibus decretæ exequendæ rationem valdè interesse potest, si quæ his ipsis Conciliis constituta, sancitauè sunt, pro subiecta materiæ ratione, certis titulis ordine distincta; cùm iam quinque libris prout quinquies itidem eorum Conciliorum celebritas acta est, variè dispersa sint; in vnum volumen colligantur: ideo Metropolitani cura, & auctoritate, vt alia editio omnium vsui accommodatior sit; illa, quæ iis quinque libris continentur, quæque in hac sexta Synodo sancita sunt, rectè, prout materiæ, quæ agitur, quæque tractatur, ratio postulat, disposita, saluâ tamen vniuscuiusque Constitutionis, decreti Prouincialis sententia, vno volumine contexantur, atque ità ordine contexta, quàm diligentissimè edantur. 6. Ibidem.

Quæ potissimum ad hunc titulum pertinere possunt videantur in Tit. si. Quæ generatim ad hæc Prouincialia decreta, & alia pertinent.

De Synodo Diœcesana.

SVMMARIVM.

1 *Synodus Diœcesana quando habenda.*
2 *Eius dies certus constituendus, denunciandus, & anniuersario Calendario inscribendus.*
3 *Diem ipsum mutare Episcopo licet.*
4 *Synodi rectè, & ordine celebrandæ ratio præscribitur.*
Ea ipsa præscripta ratio in quibus ab Episcopo augeri, mutarique possit. 43.
5 *Ad eam qui conueniant.*
6 *Ante statam illius diem, eaque durante, quæ Missæ, quibusque statis diebus, quibus in Ecclesiis, & à quibus celebrandæ: quæque aliæ preces habendæ. & De Concilio Prouinciali, n. 6.*
7 *Quæ item à Parochis tàm vrbanis, quàm Diœcesanis, Vicariis foraneis, & Regionum præfectis agenda.* 9 10.
8 *Qua præparatione: quaque vitæ disciplina eò conueniendum, num.* 11. *ibique versandum.* 12. 13.

14 *Synodo durante à Sacerdotibus, qui conuenerunt, quotidie Missa celebranda; ab aliis communio sumenda, & quoties, quaque preces aliæ agenda.*
15 *Synodales qui ministri.*
16 *Decreta à quo legenda.*
17 *Pridie dies Synodi in Ecclesiis campanæ pulsandæ.*
18 *Prima Synodi die mane Clerus conuocandus ad Synodalem Sessionem: quodque ea in re magistri cæremoniarum officium.*
19 *Ipseque Clerus quo amictu, & quomodo conueniat; vtque in Sessione maneat.*
20 *Sessio Synodi quotuplex.*
21 *Sessione prima, professio agenda, Missa ab Episcopo celebranda, Canonicis pluuialibus induitis num. 36. Sermoque & qualis habendus. 21.*
22 *Quaque alia agenda, legenda, publicanda. 26.*
23 *Examinatores* } *deligendi, & qualiter.*
24 *Iudicesque causarum* }
25 *Iidem examinatores, Iudicesque* } *etiam si longius, quam vnius anni spatium Synodi actio differatur, suum munus exerceant.*
27 *Punctatores quoque* } *designandi, & quomodo:*
28 *Testesque Synodales* } *& quando, atque vbi iuramentum præstent.*
29 *Iuramentum vbi, & qua ratione præstandum.*
Ecclesiastici item in Ciuitate certi à Diœcesano Clero eligendi, qui vrbanæ Congregationis deliberationibus intersint. Quæ pert. ad bonorum, & iur. &c. num. 37.
Sequentibus Sessionibus à quibus Missa celebranda, pluuialia induenda, sermoque habendus. 35. 36. 37.
30 *Sessione secunda, quæ alia agenda.*
31 *Sessione tertia, quæ item promulganda.*
32 *Quæque monitiones ad Ecclesiasticos pertinentes, legendæ.*
Sessione à prandio dilata, ea campanæ sono significanda, vtque ab Episcopo ibi induendum, & quid à Clero vesperi agendum. 38. 39. 40.
Sessionis vniuscuiusque acta à Cancellario notanda, & in librum referenda. 41.
Eadem absoluta, ab Episcopo benedicendum. 42.
43 *Indictio Synodi sequentis.*
34 *Cærimoniæ, & alia in dimissione Synodi.*

1 EPiscopus ad Tridẽtini Concilij præscriptum singulis annis, ac item semper sex post Prouinciale Concilium mensibus Diœcesanam Synodum habeat, pœnâ propositâ, Canonum iure, & Tridentino Concilio renouatâ. 4. De Syn. Diœces. Sess. 24. c. 2. de ref.

2 Quare quod in nonnullis huius Prouinciæ Ecclesiis moris fuit, in prima proxima Diœcesana Synodo, certum diem Synodalem constituat, quo Clerus ad illam conueniat. Hic autem diẽs in singulos etiam annos, Cathedrali in Ecclesia de suggestu, die Epiphaniorum, vel Kalendis Ianuarij, vt alios solennes, dies denunciari consuetudinis est, indictus, Calendario etiam adscribatur, quod in singulos annos confici solet.

3 Certum autem illum diem, prout causa postulabit, modò prorogare, modò accelerare, ac mutare Episcopo liceat, arbitratu suo. Ità tamen, vt neque sex mensium spatium post celebratum Concilium Prouinciale, nec rursùs vllus annus prætereat, quo Synodum non habeat.

4 Ad ea verò, quæ in Concilio Prouinciali quarto de Synodi Diœcesanæ, ad Tridentini Concilij præscriptum quotannis celebrandæ, perpetua indictione decreta sunt, hæc etiam, quæ sequuntur, addenda censuimus, vt cùm vsui, tum rationi illius, rectè, ordinéque habendæ prospectum, & consultum sit. 5. Quæ ad Syn. &c.

5 Synodo Diœcesanæ vniuersi, & singuli Sacerdotes, & Clerici cuiuscumque ordinis intersint, quicumque Canonum iure, vel Ecclesiasticis Sanctionibus, vel Tridentino decreto, vel consuetudine, aliauè ratione interesse possunt, aut planè debent. Sess. 24. c. 2.

Adsint verò inter cæteros quicumque beneficium Ecclesiasticum, cuius causa, de iure, aut consuetudine adesse debent, in ea Diœcesi obtinent, cuius Synodus celebratur, quamuis in alia domicilium habeant. Atque in iis quidem, quæ ad beneficium illud pertinent, eiusdem Synodalibus decretis, iussisque obtemperent.

Regulares, quicumque sint, qui in quauis Ecclesia Parochiali etiam quæ in suo Monasterio existit, quæuè eidem adiuncta est, curam animarum gerunt, Synodo Diœcesanæ intersint; ad statas illas congregationes, lectionesuè, quibus Parochos interesse iustum est, conueniant; menstruos item illos Parochorum conuentus, quos in Diœcesi haberi decreto cauimus, tùm ipsi adeant; tùm in Ecclesiis, vbi animarum curam gerunt, Monasterij sumptu habeant; & omnia denique munera, oneraue Parochialia, quæ cæteris Parochis imposita sunt, præstent omninò. Ibidem. cap. 6.

6 Ad statam Synodi diem per mensem, quinta quaque feria in Missæ sacrificio, si quadragesima est, oratio de Spiritu sancto dicatur: alio autem tempore, die eodem Missa celebretur, cæteraque præstentur, prout secundo Prouinciali Concilio sancitum est. Ibidem.

7 Synodalis hæc actio aliquot ante diebus per Parochos populo denuncietur, eorumque vniuscuiusque officium sit, Parochialis suæ Ecclesiæ homines docere, tùm quàm sanctum, salutareque sit, Synodalis Diœcesanæ actionis institutum: tùm quam ob causam quotannis ea actio suscipiatur. tit. 1. dec. 8.

Quo de genere editas ab Episcopo literas, Parochus suo quisque populo cùm in Missæ Parochialis sacrificio is frequens adest, accuratè legat: cui muneri adiungat hoc etiam paternæ cohortationis officium, quo non modò illum excitet ad frequentius orationis studium Synodalibus illis diebus adhibendum; sed etiam ad id singulos inflammet, vt die Dominico, statam Synodalem diem antecedente, verè pœnitentes, & confessi, sacram Communionem sumant; hoc præcipuè precantes, vt quæ ad eorum salutem pertinent, Dei auxiliante misericordia per Episcopum in Synodo diligenter, sanctéque agantur.

8 Quò puriores autem Ecclesiastici ordinis homines, qui in Synodo adesse debent, ad eam actionem, quæ religiosam animi preparationem ab illis deposcit, conueniant; omnes, & singuli Dominico illo die, Synodum præcedente,

peccata primùm confessi, non solum Sacerdotes Missæ sacrum faciant; sed reliqui singuli cuiusuis ordinis Clerici, sanctissimam Eucharistiam sumant.

9 Antequàm stata Synodi dies veniat, & in Ciuitate ij, quibus id curæ Episcopus dederit, & in Diœcesi Vicarij foranei, & Parochi prætereà, tùm vrbani, tùm Diœcesani, vt ipsi Episcopo adiumentum afferant, diligenti aliqua earum indagatione, ac relatione quibus per eum consuli, aut prouideri in Synodo præsertim oportebit, hæc quæ infrà generatim, vel vniuersè mox præscribentur, sedulò videant, ac notent, vt ea omnia ad præscriptam ab eo rationem, & normam tùm literis, tùm coram constituto tempore deferant. Idque omne, præter diligentiam, quam de hoc genere toto, testes Synodales ex decreto prouinciali adhibere, & præstare debent.

Primò igitur ij omnes pro suorum quique munerum, officiorumuè ratione & cura dispiciant, quæ Cleri sit in Clericalis vitæ moribus progressio: quæ in vita spirituali disciplina, & quam sollicitum in diuinorum officiorum cultu studium: quàm diligens in Ecclesiasticis functionibus obeundis sollicitudo; quæ etiam, & quàm frequens in literarum exercitationibus cura: qui in earum studiis progressus item.

Vicarij autem foranei, & regionarij in Ciuitate præfecti, aliiuè Ecclesiastici homines, quos ob eam causam Episcopus delegerit, exquirant, qui prætereà Parochorum in primis zelus in animarum salute procuranda, quæ in sacramentis ministrandis sedula diligentia, quàm frequens in pascendis verbo Dei fidelibus officium, quæ denique in omnibus Parochialis muneris partibus vigilantia, quæuè assiduitas.

Deinde ij omnes, & singuli pro sui officij munere inuestigent, quæ populi in Christianæ charitatis operibus exercitatio, quàm religiosus festorum dierum cultus, quàm pia in Ecclesiis conuersatio, quæ in Doctrinæ Christianæ scholis frequentia: tùm de aliis piis sodalitatibus disquirant, tùm denique de reliqua omni eiusdem populi disciplina, & in via Domini progressu.

Post videant, qui singularum Ecclesiarum, præsertim Parochialium, status; an si quæ instaurationem desiderant: an debito cultu fraudantur: an sacris vestibus, ornamentis, supellectilique Ecclesiastica ad cultum necessaria, instructæ sint: an denique vlla ex parte incultæ.

Postremò, an si aliqua sunt Prouincialium, Diœcesanarumque Synodorum decreta, edicta, visitationum præscripta, aliauè Episcopalia iussa, quæ executionem non habeant: quid item impedimenti, aut difficultatis, aut denique causæ sit, quamobrem eorum executioni non sit locus.

Id autem omne, quod ad executionem attinet, notent, tum ijdem, vel præfecti, vel delecti Ecclesiastici homines; tùm Vicarij foranei, tùm Parochi, aliique qui Ecclesiastica beneficia obtinent, prout eorum vniuscuiusque in illis exequendis partes sunt,

10 Cùm autem Synodalis dies propè adest, Vicarij foranei pridie illius diei adsint summo mane in ædibus Episcopalibus: eoque ipso die quàmprimùm Episcopo nomina, & cognomina tradant, eaque ordine descripta, Sacerdotum, & Clericorum singulorum, qui ad Synodum conueniunt, ac rursùs absentium, causis sigillatim item descriptis, quamobrem Synodo non adsint. Idque præter officium legitimæ excusationis, quam, qui absunt, Episcopo afferre, & probare debent. Hoc ipsum triduo, vel biduo ante eum Synodalem diem, qui ab Episcopo in vrbis regionibus sunt præfecti, aut delecti præstent, de suæ quique regionis Clericis.

11 Singuli autem Sacerdotes, cæterique Clerici, qui Canonicarum horarum officium præstare debent: Breuiarium, cùm ad Synodum veniunt, afferant: quod initio notatum sit nomine, & cognomine possidentis.

Iidem verò, ne in itinere quidem, quod Synodi causâ ad Ciuitatem facturi sunt, à Clericalis vitæ disciplina, Sacerdotali morum grauitate, nostris decretis præscripta, discedant.

12 Vbi in Ciuitatem venerint, nè ad caupones, sed ad amicorum, si quos habent, præsertim Ecclesiasticos homines, necessitudine, familiaritate, aut aliquo hospitij iure coniunctos, domicilia diuertant; tum, deinceps statim ad eum se conferant, quem, occasione Synodalis illius actionis, Clericalis hospitij præfectum constituerit Episcopus: eique chirographum dent, quo suum quique nomen inscribant, notentque hospitij locum & hospitem, apud quem diuerterint. Si verò quis neminem certum hominem habet, apud quem diuersetur, primùm eundem præfectum adeat, qui certum Ecclesiastici hospitij locum assignabit.

13 Cùm porrò Clericalis ordinis homines omni tempore alios vitæ exemplo ad virtutem inflammare debeant, tùm maximè cùm Synodales actiones habentur, ità se gerant in verbo, in conuersatione in charitate, quemadmodum Apostolus monet, vt, cùm eos posuerit Deus in acquisitionē salutis, atque in ædificationem, officij sui memores, ambulent dignè Deo, sanctéque sicut decet, ministros mysteriorum Dei, viuant. Nec verò, vt plerique solent, cùm in Ciuitate sunt, per plateas vagentur, aut præ curiositate hac atque illac circumcursent: sed ad causam, ob quam conuocati sunt, tota animi cogitatione, tunc attenti, in eo versentur, vt & Episcopo in ea actione puris, castisque precibus auxilium, & sibi, & populis salutarem inde fructum ferant.

14 Qui Sacerdotes sunt, singulis diebus, quibus Synodalis conuentus habetur, vt iussum est, Missæ sacrificium celebrent; reliqui Clerici saltem primo die Synodi sacram Communionem sumant; idque summo manè: facientes obsecrationes, orationes, & gratiarum actiones, postulationes pro sancta Ecclesia Dei, pro Summo Pontifice, pro Principibus Christianis, pro vberrimo Synodalium, & aliarum pastoralium actionum fructu.

15 Vt autem Episcopus, Synodalium actionum officiis, & curis multis tunc occupatus, aliorum ministrorum studio, & opera adiuuetur: triduo, aut biduo ante Synodi diem, Ecclesiasticum hominem, iuris peritum statuat, qui promotoris

munus obeat; & vnum, duosuè ecclesiastici item ordinis, qui eorum, qui à Synodo, cui interesse debent, absunt, causam rationemque absentiæ eius nomine cognoscant: qui præterea querelas, controuersias, & accusationes eodem nomine audiant, & ipsi Episcopo referant: cui liberum, integrumque sit, etiam dùm Synodus habetur, quandocumque libuerit, illas sibi aduocare, & aliis etiam delegare.

16 Quæcumque porrò, vel decreta, vel constitutiones, vel edicta, vel scripta cuiusuis generis in Synodo legi, promulgariuè oportebit: iis legendis vel Archidiaconum, vel Canonicum Diaconum suæ Cathedralis Ecclesiæ constituat, qui id muneris rectè obire possit: si modo is, qui Cancellariæ Episcopalis officium gerat, Canonicus illius Ecclesiæ non sit, aut in ea dignitatem non obtineat. Ad illum enim potius hoc officium pertinere decernimus; quo tunc impedito, ad alium Canonicum, quem Episcopus, vt suprà delegerit.

17 Pridie item illius diei, quo futura est Synodus, sub primam horam noctis in omni Ecclesia Ciuitatis solenni campanarum sono significatio detur, Synodi postero die inhoandæ.

18 Postridie, quæ stata Synodi dies est, summo mane, & cæteris deinceps Synodalibus diebus, in Cathedrali Ecclesia certis campanæ ictibus ad Synodum Clerus conuocetur: cuius etiam rei significatio fiat tabellà, curâ Magistri Cæremoniarum publicè loco suo affixa, qua Synodalis Sessionis certa hora indicetur.

19 Qua hora vniuersi, & singuli, qui in Synodo interesse debent, in Ecclesia Cathedrali, non raptim, sed graui incessu conueniant: vbi conuenerint, loco constituto superpellicea, quæ munda ac decentia sint, & almutias cappasuè pro Ecclesiæ instituto, & vsu induant, quicumque dignitates, Canonicatusuè in Ecclesia Cathedrali obtinent, & qui Collegiatis Ecclesiis quocumque nomine præpositi sunt: quibus rectè, & decenter induti, inde ad statum sessionalem locum, non turbulenter, sed quietè, & quò ad eius fieri potest, bini veniant, atque ordine considant.

Nec verò quisquam manè, priusquam conueniat, cibum capiat, sed ieiunus adsit.

In loco igitur benedictionis considentes Domini Sacerdotes, & reliqui inferiorum ordinum Clerici, nè vocibus obstrepant, nè tumultibus rem Synodalem perturbent, ne confabulationibus operam dent; sed hæc omnia cæteraque maximè caueant, quæ Ecclesiasticæ disciplinæ, Synodalis actionis dignitati, & loci venerationi non conueniunt.

20 Synodali celebritati triduum veteri ritu præstitutum est: at pro rerum, quæ gerendæ sunt, ratione, Episcopus non solùm breuiori, sed etiam longiori tempore Synodum agat, & Synodales actiones tractet licet.

21 Primo Synodi die Episcopus, processione solemni primùm peracta, Missæ sacrificium celebret: tum precibus statis, & cæremoniis, ad eiusdem Synodi inchoationem è libro Pontificali ritè adhibitis, sermonem Clero habeat eo de genere, quod Synodalibus tractationibus, & sanctæ disciplinæ acccommodatum sit. Quo sermone peracto, Archidiaconus, vel alius Episcopi iussu indicat silentium.

22 Deinde idem Archidiaconus Canonicus Diaconus decreta lecturus, ad Episcopum accedat, à quo illa, quæ legenda sunt, cùm acceperit, [illegible] suggestu alta vocet pronunciet.

Decreta, quæ initio Synodi legat, hæc sunt.

Vnum, monitiones complectens, quæ ex hoc ipso decreto, atque aliis Prouincialium Conciliorum Constitutionibus, ac Patrum regulis, prout Episcopus maluerit confectæ ad viuendi modum, celebrandæque Synodi rectam rationem pertineant. In iis verò monitionibus illa cohortatio etiam sit, vt triduano ieiunio, quemadmodum institutum olim fuit, Synodalis triduana actio à Clero celebretur.

Alterum, quo Synodi ministrorum, & iudicum, querelarum, itemque excusationibus absentiæ vniuscuiusque audiendis ab Episcopo constitutorum nomina promulgentur.

Tertium, quo caueatur eorum, qui Synodo interesse debent, nomina, rectè, ordinèque scripta ad Cancellarium Episcopalem deferri.

Quartum, quo caueatur item si cui in ea Synodo contigerit, suo loco non sedere, aut incedere, aut aliud quicquam agere, per id propterea nemini ius acquiri, acquisitumuè esse, neque quidquam de cuiusquam iure possessioneuè detrahi: sed omnia in eo statu permanere, quo antea fuisse compertum erit.

Quintum, quo excommunicationis proposita pœna prohibeatur, nè quo tempore Synodus habetur, cuiquàm Sacerdoti, Clericoue à Ciuitate discedere liceat, nisi missione ab Episcopo impetrata.

Sextum, quo iubeatur, si quæ publica calamitas, vel Ciuitati, vel Diœcesi, cuius Synodus habetur, vel vniuerso populo Christiano imminet, aut instat, orationem, in Missæ sacrificio, ab omnibus, singulisque sacerdotibus fieri, precesque à reliquo Clero adhiberi: cùm instituti sit, & ritus in eiusmodi Synodali conuentu pro publicis rebus supplicationes publicas agi.

His de more promulgatis decretis, nominatim, decoréque vocentur, qui Synodo præsentes adesse debent, sicque vocati, singuli respondeant. Adsum.

Vocationis ratio ea sit, vt primò Ciuitatis, deinde Diœcesis Clerus vocetur.

Idque distinctè, sigillatim, & ordine præstetur.

In hac actione primò hæc legantur.

Decretum Tridentinum professionis fidei in Sess. 25. adscriptum, capite 2. cuius initium est. *Cogit temporum calamitas, &c.*

Decretum Concilij Prouincialis primi de professione fidei, quod decretum incipit, *Sacri, &c.*

Tum formula professionis fidei ex Constitutione Pij IV. Pontif. Max. legatur.

Qua lecta, & fidei professione præstita, eorum nomina, qui præstiterunt à Cancellario, scribantur, & n Codicem distinctum referantur.

Decretum Tridentinum de Examinatoribus in beneficiorum Parochialium cura committenda adhibendis Sess. 24. cap. 18. Conscriptum in hæc verba, *Examinatores, &c.* Conc. Trident. Sess. 24. ca. 18. de ref.

23 Deinde ab Episcopo proponantur Examinatores nominatim.

De iis probandis suffragia rectè ferantur.

Decretum itidem Tridentinum de iis designandis, quibus causæ delegentur, pronuncietur Sess. 25. cap. 10. quod incipit. *Quoniam ob malitiosam, &c.*

Post eo de genere constitutio Bonifacij VIII. cuius initium est. *Statutum, &c.*

Sess. 25. ca. 10. de ref. 24 His lectis illi ab Episcopo designentur, ac demùm pronuncientur.

In suffragijs autem ferendis singuli spectent, vt non humanis affectibus obsequantur, sed Deo, & conscientiæ satisfaciant, religioni, Ecclesiæ vtilitati, animarumque saluti consulant.

5. Quæ ad Synod. & cong. syn. pert. 25 Iudices, & examinatores in Synodo Diœcesana constituti, etiam si quando longius, quàm vnius spatium Synodi actio differatur, suum munus exequantur.

5. Ibidem. 26 Tùm hæc promulgentur.

Constitutio Pij II. contra Clericos edita, qui sine Canonica dispensatione, extra stata tempora, ante legitimam ætatem, vel absque dimissoriis Ordinarij sui literis, se ad aliquem ordinem promoueri fecerint, ex Concilio Prouinciali tertio.

3. De iis, quæ partim ad ordin. sacr. &c.

Constitutio item Pij V. de confidentiis, ex eodem Concilio, & illa etiam de Canonicarum horarum officio recitando, per eundem edita.

Decretum Tridentinum de residentia Sess. 6. cap. 3.

Decretum alterum de residentia Sess. 23. cap. 1.

Decreta Prouincialis Concilij primi de vita, & honest. Clericorum.

Decreta Concilij Prouincialis quarti de vita, & hon. Clericorum.

Decreta Prouincialis primi Concilij de diuinis officijs.

Decreta item huius Concilij Prouincialis quinti de Chori disciplina.

Aliæ denique vel Pontificiæ sanctiones, vel Prouinciales Constitutiones, vel decreta Diœcesana, quæ Episcopus legenda censuerit.

4. De Syn. Diœces. In prima quaque Diœcesana Synodo decreta, in Prouinciali proximo Concilio edita, promulgentur.

Quod officium, nè Episcopus negligat, vel prætermittat, eum hoc admonemus, vt pœnas meminerit, sacris Canonibus contra eum sancitas, qui id culpæ, vel negligentiæ commiserit.

5. Ibidem. 27 His lectis, Punctatores pronuncientur, ab Episcopo delecti, qui ex decreto Concilij Prouincialis quarti ibidem iurent.

28 Deinde testes item Synodales ab Episcopo delecti renuncientur, qui ad præscriptum formulæ in eo Concilio editæ, iurati, munus suum obeant. Quo in iureiurando hæc cautio sit, vt manè in Sessione per eos præstetur, qui adsunt. Si qui verò absunt, Vicario foraneo, in cuius regione illi testes renunciati habitant, id curæ delegetur, vt ad formulæ præscriptum ab illis iusiurandum exigat, atque suscipiat.

29 Id verò iusiurandum in Altari maiori sacris Reliquiis, quæ è loco, vbi asseruantur, accensis luminibus afferantur, decorè collocatis, sanctè præstetur.

Alia præterea agantur, quæ Episcopus agi, gerinè expedire censuerit.

30 At verò neque Sessio secunda dimittatur, nisi primò, vt suprà oratione publica perorata. Tùm tertia Sessio indicatur.

In Synodo quoque Diœcesana die secunda, pro Clericis Diœcesis defunctis oratio, & commemoratio solenniter fiat. 5. quæ ad diuin. off. pertin.

31 Quo tertiæ Sessionis die, demùm decreta, si quæ Episcopus noua conficienda censuerit, de suggestu promulgentur. 5. De Sino. Diœces.

32 Monitiones ex Concilio Prouinciali quarto legantur. *Vide infrà Tit. de Monitionibus in Synodo legendis.*

33 Post certa dies Synodi, quæ sequenti anno celebrabitur, decreto edito promulgetur.

34 Tùm Episcopus, antequàm Synodum dimittat, sermonem habeat, paternis monitionibus plenum, & dimissioni accommodatum.

Processio solennis deinceps ab vniuerso Clero agatur.

A qua, cùm reditum erit, Clerus vniuersus, genibus flexis, tacitus per horam dimidiam oret pro rebus publicis, quarum causa ratio Episcopi iussu indicatur.

Tùm posteà acclamationes sanctè fiant ex formula ab Episcopo præscripta.

Acclamationibus factis, omnes Sacerdotes, & Clerici surgentes, cum reuerentia osculum pacis ab Episcopo accipiant, & sibi inuicem dent, cum timore, & amore Dei. Si verò Cleri, qui conuenerit, numerus is est, vt longius hic osculi ritus ducatur, ea ratio ineatur, vt Præpositi, & Archipresbyteri solùm ab Episcopo illud accipiant; qui deinceps suo quisque Clero dent: isque inter se mutuò item. Quod verò sancti osculi significatione ostendunt, id re ipsa præstent, vt coniunctissimis animis, concordique voluntate, & pacis, atque charitatis studio quæcumque lecta, sancitauè sunt, sollicitè exequantur.

Demùm Episcopus Clero solenniter benedicat.

Archidiaconus verò præscriptis illis Pontificalis libri verbis Synodi dimissionem significet.

35 Post primæ Sessionis diem, reliquis deinceps diebus, à Canonico, vel ab eo, qui dignitatem obtinet, hebdomadario, Missa solennis stata hora canatur.

36 Pluuialia item induantur, qui in Cathedrali Ecclesia dignitates, aut Canonicatus habent, & singuli Collegiatæ Ecclesiæ quouis nomine præfecti, peracto scilicet Missæ sacrificio, cùm initium fit Sessionis Synodalis. At in Missæ etiam solennibus, cùm Episcopus celebrabit.

37 Manè item singulis Sessionis diebus, cùm sacræ preces libro Pontificali præscriptæ, ritè habitæ erunt; Concio, Sermouè Ecclesiasticæ disciplinæ rationibus accommodatus, ab Episcopo, vel ab alio eius iussu habeatur.

38 Sessio autem, cùm ad horas pomeridianas prorogatur, detur stata hora signum campanæ ad illius significationem.

39 In qua continuata Sessione Episcopus amictum etiam, albam, stolam, pluuiale rubri coloris, pectorale, & mitram pretiosam induet, duobus de more assistentibus.

Pronunciet que Episcopus initio orationem. *Adsit quæsumus.*

40 Vesperi autem, antequàm vniuscuiusque diei Sessio dimittatur, Clerus vniuersus paulùm ta-

citus, sanctè, religioséque oret pro re, de qua orationem fieri, in eadem, vel in prima Sessione indictum est.

41 Cancellarius autem, à promotore rogatus omnis quotidianæ Sessionis, tùm matutinæ, tùm pomeridianæ acta publica conscribat, in librumque certum referat.

42 Peracta demùm tota vniuscuiusque diei Sessione, Episcopus de more solenniter benedicat.

43 His decretis de Synodi Diœcesanæ habendæ ratione, atque vsu per nos editis, addi, atque de his mutari aliquid in ijs, quæ aut ad dirigendæ Synodi rationem, ordinemvè, aut ad decretorum Prouincialium, aliarumque sanctionum promulgationem pertinent, Episcopo ex causa liceat, prout ex Synodi suæ Diœcesanæ vsu esse videbitur.

De Testibus Synodalibus Prouincialis & Diœcesanæ Synodi.

SVMMARIVM.

1 *Synodales testes deligendi.*
2 *Quique, quot, & à quibus.*
3 *{Metropolitani / Episcoporumve} eos non eligentium pœna.*
4 *Idemque præsentes, iurant: & quid, quaque formula. num. 10.*
Quando item, & vbi. De Synodo Diœcesana, numer. 18. & 29.
5 *Eisdem à Synodo absentibus, quid à Metropolitano, & quid ab Episcopo præstandum. 6.*
7 *Eorumdem nomina à Cancellario Episcopali notanda.*
8 *Eorumque aliquo defuncto, quid ab Episcopo curandum.*
9 *Id testis Synodalis officium suscipere, vel iurare recusans, vt compellendus.*
11 *Testium ipsorum quod munus.*
12 *Quæ ad Metropolitanum, vel Episcopum referant, & quando. 13.*
14 *Ad Prouincialem Synodum eorum quis accedat, & quæ ibi præstet, & quando discedere liceat. 15.*
16 *Viatici, & victus sumptum quis illi suppeditet.*
17 *Ad Diœcesanam verò Synodum, locaud alia proficiscenti, an aliquid viatici, sumptusque dandum, & quibus.*

4. De Test. Synod. 1 VT testium Synodalium munus, sicubi intermissum est, restituatur; atque non nomine solum, sed certis officij partibus, rectè per eos geratur: quibus in Synodo, vel Prouinciali, vel Diœcesana committetur, hæc de illis, eorumque officio statuimus.

2 Primò viri Ecclesiastici ætate, moribusque graues, prudentes, ac virtutum Christianarum studiosi, & spiritualis vitæ amantes, in Concilio Prouinciali à Metropolitano ex vnaquaque Diœcesi duo saltem in Synodo Diœcesana; ab Episcopo è Diœcesi sua septem, pluresuè, prout expedire viderit, testes Synodales deligantur.

3 Quo in officio meminerit & Metropolitanus, & Episcopus pœnæ, in Concilio Lateranensi ab Innocentio III. sancitæ, si vel ille in Concilio Prouinciali, vel hic in Diœcesana Synodo nullos Synodales testes nominarit.

4 Qui à Metropolitano delecti, & nominati sunt, in eodem Prouinciali Concilio; qui ab Episcopo in ipsa Diœcesana Synodo iurati, allatis sanctorum pignoribus, sanctè spondeant, ex formula verborum infrà præscripta, muneris sui partes, infrà constitutas se executuros esse.

5 Si verò à Concilio Prouinciali abest, qui à Metropolitano nominatus est, tunc Episcopus, pro cuius Ciuitate, vel Diœcesi ille electus est, vnius mensis à fine Concilij spatio, eum ad se litteris accersat; eundemque ex ipsa præscripta formula iureiurando obstringat, ac iusiurandi præstiti testimonium, publica auctoritate munitum, intrà alium mensem, ad Metropolitanum omninò mittat.

6 Synodalium testium, qui constituto Concilij tempore, à Metropolitano in vnaquaque Prouinciæ Diœcesi, de more electi pronunciabuntur, si qui absunt, nomina literis edantur, & consignetur: quibus literis ipse Metropolitanus Episcopo, cuius Diœcesis causâ nominati, ac delecti sunt, potestatem faciat astringendi illos iureiurando, quod certis conceptis verbis ex decreto Concilij Prouincialis quarti ab ijs præstari oportet. Id Episcopus vbi è Concilio ad stationem Episcopalem redierit, duorum mensium spatio exequatur: deque re ea accuratè præstita Metropolitanum per literas, eo tantum nomine scriptas certiorem faciat. 6. De Concilio Prouinciali.

7 Testium verò, qui vel Metropolitano in Synodo Prouinciali, Episcopo ex illius auctoritate delegata iusiurandum præstiterunt, nomina à Cancellario fori Episcopalis certo libro, eius iussu notentur.

8 Si quando testis Synodalis à Metropolitano in Synodo Prouinciali delectus, qui iuratus in aliqua Prouinciæ Diœcesi officium illius suscepti muneris gerat: antequàm Concilij proximè futuri dies indicta venerit, diem suum obierit, Episcopi cura sit de illius obitu Metropolitanum certiorem facere, qui alium in illius locum eligat, qui ex verborum formula concepta etiam iuratus, illius muneris partes in illa diœcesi testis Synodalis officio, charitatis zelo, sinceroque debitæ sollicitudinis studio, strenuè in Domino prosequatur.

9 Quicumque siuè absit, siuè præsens adsit, testis nominatus, id vel officium suscipere, vel iusiurandum præstare recusarit, id, vt præstet, si Prouincialis Synodi testis est, à Metropolitano; si Diœcesanæ, ab Episcopo compellatur; ac proptereà si opus videbitur, cum eo mulctis etiam, & pœnis, censurisuè agatur. 4. Ibidem.

10 Ius iurandi autem formula, ex antiquo Canone excerpta, quam præstabunt, hæc est. 35. q. 6. c. 6.

Ego N. testis Synodalis à Reuerendissimo Metropolitano vel, Si in Diœcesana Synodo electus est, *à Reuerendissimo Episcopo nominatus, promitto, spondeo, & iuro, quòd amodò in anteà quicquid noui, aut audiui, aut post modum inquisiturus sum, quod contrà voluntatem Dei, & rectam Christianitatem in Diœcesi, vel regione mihi commissa, factum sit, vel futurum erit, si in diebus meis euenerit, tantùm, vt ad meam cognitionem quocumque modo si sciuero, aut indicatum fuerit mihi, Synodalem causam*

esse, & ad ministerium Reuerendissimi Metropolitani, aut si Diœcesanæ Synodi est, *Reuerendissimi Episcopi pertinere, quod ego nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam vllatenus celabo Reuerendissimo Metropolitano*, aut si Synodi est, *Reuerendissimo Episcopo, aut eius misso, cui hoc inquirere iusserit, quandocumque ex hoc me interrogauerit: sic me Deus adiuuet, & hæ sanctorum Reliquiæ.*

11 Iurati testes hoc perpetuò meminerint se non amore, non odio, non inuidia, non spe, non metu, non pœna, non præmio, non cognatione, non vlla denique re commoueri, aut impediri debere quominùs liberè, & integrè munus suum pro ratione infrà præscripta præstent. Quo igitur tempore hoc munus gesserint personas discretas interrogando simpliciter, & de plano, absque vlla iurisdictione sollicitè inuestigent, hæc quæ sequuntur. Idque singuli aut in vniuersa Ciuitate, & Diœcesi, aut in regione, vnicuique eorum potissimùm, nominatimque commissa.

An Parochi, Canonici, & alij quicumque Ecclesiastici homines, quos residere oportet, præsentes in Ecclesiis suis adsint; anque rursùs si præsentes in Parochialibus, vel Canonicalibus, Clericalibusque ædibus habitent.

An Parochi prætereà, aliique animarum curatores sollicitè, vt debent, fidelium sibi commissorum, saluti inuigilent.

An in sacramentis sanctè ministrandis, in verbi Dei prædicatione, in salutaribus monitis, in rudium, & puerorum ad Doctrinam Christianam institutione, & in cæteris omnibus curæ Parochialis officiis diligentis muneris partes præstent.

An reliqui, quicumque sint, Ecclesiastici ordinis homines Ecclesiæ, si quam obtinent, aut in qua dignitatem, vel Canonicatum, vel Capellam, vel Ecclesiasticum aliquod munus, aut in qua adscripti sunt, oneribus satisfaciant, & præscriptas sibi functiones obeant.

An Ecclesiæ sartæ, tectæ sint; an ornamentis, & supellectili Ecclesiastica necessaria & congrua instructæ: an in illis, aut earum cœmiteriis atriisuè aliquid incultum sit, quodque sordibus obsolescat; anuè aliquid à religioso cultu, & pietate alienum.

Videant item, an populus in via Domini ambulet; frequensque adsit diuinis officiis, & sacris concionibus: & in Ecclesia piè, religioseque versetur: atque dies festos colat.

An ieiunium quadragesimæ, quatuor temporum, stataque reliqua Ecclesiæ ieiunia, obseruet.

An eisdem decimas, primitias, aliaque debita emolumenta, adiumentauè præstare, aut soluere recuset.

An in populo sacrilegi, blasphemi, concubinarij, adulteri, incæstuosi, virginum raptores, an excommunicati, an hæresis, & magiæ, superstitionumuè nomine suspecti sint.

An denique aliæ in eodem morum corruptelæ, quæ correctionem, emendationemue requirant.

Dispiciant item, an quæ Romanorum Pontificum Constitutionibus, Oecumenicis, Prouincialibus, Diœcesanisque Synodis, Episcoporumque edictis quouis de genere decreta, sancitauè sunt, ab iis seruentur, quorum interest, siuè Ecclesiastici, siuè laici homines sint.

12 Quæcumque verò animaduerterint, quæ iam decreta, sancitauè, nullam adhuc, aut non perfectam executionem habuerint; tùm quæ rursùs deprauata, correctionem, vel reformationem desiderent; ea omnia, & singula ordine ad Metropolitanum in Concilio Prouinciali: si verò Diœcesanæ Synodi testes sunt, ad Episcopum in ipsa Synodo referant. Quod officium, vt & præstent vtilius, & rursùs ea de causa nullus patiatur impensam, quæ necessaria non sit, ratio hæc omninò seruetur.

13 Qui Prouinciali Concilio à Metropolitano nominati, & constituti sunt testes Synodales, ij tribus ante mensibus, quàm Concilij proximè futuri stata dies venerit; quæcumque in vrbe, Diœcesiuè, vbi id officium præstare debent; animaduerterint, quæ reformationem, aut correctionem requirant, ea in scriptum relata ad Metropolitanum mittant: testes verò Diœcesanæ Synodi mense saltem, antequàm dies Synodalis venerit, idipsum Episcopo præstent.

14 Cùm verò Prouincialis Concilij dies instabit; in vnaquaque Diœcesi, eo nomine electi inter se conuenient, vt eorum vnus, quem Metropolitanus maluerit, si tamen id illis, vel cùm constituit ad hoc munus, vel posteà literis significauit; alioquin is, de quo inter se conuenerint, accedat: qui constituta die Concilio præsens adsit; ac si quæ interroganda, examinanda, aut cognoscenda ab ipso de ijs, quæ præscripta sunt, aut de aliis, quæ Metropolitanus censuerit, coram fideliter respondeat, summaque integritate, prout iureiurando sanctè adstrictus est.

Prima verò, vel sequenti, si potest, proxima, post Synodum inchoatam congregatione, aut certè, quàm primum potest, referet, & interrogatus respondebit.

15 Quod vbi planè præstiterit, discedat licet: neque post illud tempus, nisi Metropolitanus aliter censuerit, sumptus illi pro victu suppeditetur; sed solùm tantum pro viatico detur, quantum ad redeundum satis sit.

16 Viaticum autem testi Synodali, ad Synodum Prouincialem proficiscenti, & sumptus pro victu necessarius, quamdiù pro munere commorabitur, suppeditetur aliqua pecuniæ contributione, quæ satis sit, à Clero eius Diœcesis facta: quæ Episcopus efficiat, vt sine mora, impedimentouè ei omninò persoluatur.

Episcopus testi Synodali ad Concilium Prouinciale venienti viaticum, sumptusque victui necessarios à Clero aliquod ante constitutum Concilij tempus contribui, ex Synodi Prouincialis quartæ præscripto, iubeat: aut alia ratione, quam potiorem censuerit pecuniam eo nomine necessariam: quæ posteà, vt ex illa contributione, mutuanti restituatur, quamprimùm curet, ne viatici difficultate impeditus vllam veniendi moram interponat, sed ad constitutum tempus in Concilio præsens adesse possit. 4. De Concilio Prouinciali.

17 Ad Diœcesanam verò Synodum testibus Synodalibus venientibus, nihil neque sumptus, neque viatici contribuatur; nisi sint, qui Diœcesanæ Synodo interesse non debent; atque ijs 4. Ibidem.

quidem suppeditetur, ad præscriptam Prouincialibus testibus rationem.

Si testis Synodi, vel Prouincialis, vel Diœcesanæ à suo domicilio ad aliquem locum pro sui muneris functione inuestigaturus accesserit; victus expensa, viaticumque ab iis detur, quorum causa venerit, ad idque dandum Episcopus compellat.

De Monitionibus in Synodo legendis.

SVMMARIVM.

1 *Monitionum in Synodo legendarum vetus institutum retinendum.*
2 *Monitionibus præscriptis addendi, detrahendique Episcopis concessa facultas.*
3 *Ecclesiasticis omnibus quæ generatim proponuntur. 7. 15.*
4 *Quæ speciatim Sacerdotibus. 12.*
5 *Quæ Diaconis, Subdiaconis, & cæteris Clericis. num. 8. 13.*
6 *Quæ beneficiatis, & bonorum Ecclesiasticorum administratoribus.*
9 *Quæ Canonicis Cathedralis, & Collegiatæ Ecclesiæ.*
10 *Quæ dignitatem in eisdem obtinentibus.*
11 *Quæ Parochis, & animarum curatoribus.*
14 *Quæ visitatoribus, Regionum præfectis, Vicariis foraneis.*

4. Verbo Monitiones.

1 PEruetus illud institutum est, tùm sanctorum vsu, tùm Ecclesiæ auctoritate comprobatum, vt quæ sacerdotalem, Clericalemque disciplinam officia, ac partes eius maximè attingunt, ea certis monitionibus comprehensa, ab Episcopo in Synodis Clero proponantur.

2 Cuius instituti ratione, atque exemplo nos adducti, de Episcoporum nostrorum Concilio, atque assensu, monitiones, infrà ordine præscriptas, edendas censuimus: quibus pro libito suo vnusquisque Episcopus addat, & detrahat, prout Ecclesiæ suæ Clero pro temporum ratione vtile esse viderit: tùm illas in vnaquaque Diœcesana Synodo, Sessione publica, vniuerso Clero de libro accuratè legi, grauiterque pronunciari mandet; vt, quò sæpius repetitæ, frequentiorique studio illæ traditæ, atque expositæ sunt, eò diligentius, ac religiosius sanctis Ecclesiasticæ disciplinæ, vitæque officiis vniuersus Clerus in omnes sese partes conformet.

3 Primò, fratres, & filij in Christo charissimi, memores perpetuò estote vocationis, qua vos dignatus est Dominus noster.

Qua assidua recordatione, memoriaque excitati eam vos virtutem induite, vt videant alij, quasi lumen aliquod vestram sanctitatem elucere. Quæ si magna in aliis vitæ Christianæ institutis requiritur, certe in vobis, qui mysteriorum Dei ministri, diuinæque gratiæ dispensatores estis, maior inesse debet.

Et sicut sacro ordine à reliquis hominibus seiuncti estis, ità à communis fidelium vitæ vsu seiuncti, præcipuum quoddam, atque hoc præstantius viuendi genus sequimini, quo ordinis dignitate præcellitis.

Cœlestem in terris vitam, tamquam Angeli Dei, moribus vestris exprimere vsque adeò studete, vt à vobis diuinarum virtutum exempla ad cæteros emanent.

Vna animi consensione, vnoque spiritu in ijs elaborate, vt & diuino cultui, & cœlestium rerum meditationibus, & orationi, & sacrarum, ecclesiasticarumque literarum studiis vacetis: tùm depositis sæcularibus, vanisque sollicitudinibus ab omni vitio alieni, in via Domini rectè ambuletis.

Charitatem in primis, quæ Seminarium est omnium virtutum, omni studio amplectimini.

Humilitatem, Mansuetudinem, Patientiam, Iustitiam, Temperantiam, officiaque Christianæ pietatis reliqua colite. Quæcumque denique sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque sancta ac religiosa, ea cogitate, eaque agite.

Virtutes sanctorum Patrum, quas præcipuas, & quasi hæreditarias nobis ad imitationem reliquerunt, non adumbrare solum, sed omninò exprimere certatim contendite.

Vtque illi, sic vos abstinentiæ, & ieiuniis deditj, clericalis disciplinæ, ac vitæ castissimæ studiosi, tùm patriæ cœlestis sitientes, Deo seruite assiduis diuinarum laudum officiis, & in Ecclesia, quasi in perpetua vestra Sacerdotali, Clericalique statione, continenter versamini.

Quæcumque demùm de muneris vestri partibus, de vitæ modo, vel Pontificum sanctionibus, vel Oecumenicis Conciliis, vel Prouincialibus, Diœcesanisque Synodis, vel alia ratione præscripta sunt, ea vos seruate, ac præstate diligenter.

Omnes, qui Canonicarum horarum officiis deuincti estis, statas eas preces horarias recitate ad præscriptam Calendarij anniuersarij rationem, ac ritum.

Nec verò negligenter, sed attentè, piè, decorè, supplicique mente illas dicite.

Studiosè propterea legite, quæ præsertim à beato Antonino Archiepiscopo conscripta sunt de negligentia in persoluendis horis Canonicis, vt quæ eo nomine errata sunt, omninò caueatis.

Expletis Canonicarum horarum officiis, si quid in illis aut negligentiâ, aut aliâ culpâ commiseritis, paululum colligentes vos, veniam à Deo petite.

4 Qui Sacerdotes eius, Missæ sacrificium sæpiùs facite sanctè ac religiosè.

Ad illud faciendum parate vos omni pietate, in tàm alti mysterij meditatione toto animo defixi; & quò purius id faciatis, propriam conscientiam diligenti, accurato, frequentique examine discutite; tùm singulis saltem hebdomadis, atque adeò sæpius & omninò semper, cùm peccati mortalis conscij estis, vni è confessariis Sacerdotibus, ad Cleri confessiones audiendas constitutis, confiteamini.

In ea sanctissimi sacrificij actione ab erroribus vel leuissimis omninò cauete.

Quæ de illo piè, ritèque celebrando præscripta sunt, ea vos studiosè, diligentèrque seruate.

5 Diaconi, Subdiaconi, & Clerici inferiorum ordinum, quicumque estis, quæ de confitendis sæpè peccatis, de Communione frequenter sumenda vobis iussa sunt, integrè, & sanctè omnia vt debetis, præstate.

Confessarios

Confessarios Sacerdotes, per nos vobis constitutos, quos etiam tanquam vitæ vestræ duces, ac magistros elegimus, adite.

Ecclesiasticæ militiæ omnes vos adscripti estis; ad pietatis, religionisque exercitationes vos vocatos esse cognoscite.

In omni in primis sancta oratione vos assiduè exercete; tùm in meditationis, tacitæque piæ orationis studio singulis diebus, certo temporis spatio, totocastissimi animi sensu incumbite.

Hæc sanctis precibus, præter cætera, supplices, præsertim afflictis rei Christianæ temporibus, orate patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis.

Vt misereatur populi sui.

Vt fidelium animos ad vitia fugienda, ad virtutesque amplectendas sancti Spiritus sui ardore inflammet.

Vt è Principum, Regumque animis euellantur, si quæ sunt discordiæ semina.

Vt ij vna animi consensione Christi regnum propagare studeant, vnamque Dei gloriam, atque Ecclesiæ matris defensionem propositam habeant.

Quicquid verò temporis à diuinis officiis, ab orationis, contemplationisque exercitatione, ab Ecclesiasticis functionibus, & ab aliis necessariis actionibus vacuum habetis, non in otio, neque in desidia, nec verò in rerum nouarum curiositatibus illud conterite; sed, cùm in sortem Domini vocati sitis, in eius lege die, ac nocte meditemini.

Sacrarum igitur literarum studia diligentius colite, quæ vsque adeò complecti debetis, vt qui aspernetur, contrà eum dicat Dominus.

Quia tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.

Frequentes ad statas lectiones, & ad literarum tractationes vobis præscriptas conuenite.

Attento animo in iis adeste, atque in dies ad vberiorem sacrorum studiorum fructum progressionem aliquam habete, vt ad Episcopatum aliquando vocati & diligentiæ, & doctrinæ testimonium detis.

Si qui estis, qui vel tarditate ingenij, vel ingrauescente ætate magnum in literis progressum habere non potestis, ne desistite tamen primùm oratione frequenti intelligentiam vobis necessariam à Deo petere; tùm eò diligentius, ad pietatis, modestiæque studium, ac sanctorum morum disciplinam incumbite; tùm sæpius Sacerdotes peritiores consulite; & ad Clericales, Sacerdotalesque exercitationes conuenite, & libentius, & frequentius.

Concionibus etiam, atque lectionibus sacris, quæ in Ecclesia constitutis diebus, habentur, cùm omnes, quicumque estis, tùm maximè quibus potissimùm conciliaribus decretis iussum est, quo decet, habitu frequentissimi adeste.

Lectione librorũ spiritualiũ, & clericalium, qui probati sint, animos, mentesque vestras pascite.

Quatuor præsertim locos, ex Catechismi Romani doctrina, de duodecim fidei articulis, de septem sacramentis, de decem præceptis, de oratione Dominica, in promptu, atque explicatè habere, omni studio contendite.

Cum iis, & præceptorum Ecclesiæ cognitionem, & preces horarias recitandi peritiam, & Ecclesiasticorum rituum, cæremoniarùmque notitiam coniungite.

Pauculos libros, quorum necessarius delectus vobis, decretis, vel Prouincialibus, vel Diœcesanis præscriptus est, habere ne omittite, aut negligite.

Qui pro facultatibus, proque studiorum ratione plures habere possunt, eorum optamus, & laudamus in iis comparandis diligentiam.

At libros de rebus iocosis, ridiculis, obscœnis, inanibus, ad poësisque profanæ studium pertinentibus, vulgari, aut latino sermone conscriptos, procul abiicite.

Nec verò musicas cantiones ridiculè, voluptuosè, parumque pudicè exaratas adhibete.

Quotidie aliquid ex sacris Bibliis legite; ac, si per ecclesiasticas occupationes licet, qui apti estis, aliquid item ex sanctorum Patrum opusculis Gregorij Magni Pontificis, Cypriani, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, Bernardi, & aliorum, qui sanctitatis & doctrinæ laude in Ecclesia celebrantur.

In iis ad legendum, sanctissimum patrem Ambrosium Episcopum vobis potissimũ proponite.

Illius præcipuè librum de Sacerdotali dignitate legite, quo libro Ecclesiasticos homines commonuit de perfectæ vitæ institutione.

Libros item officiorum, quos vbi primùm Episcopus is factus est, Cleri Mediolanensis potissimum causâ edidit, in manibus assiduis habete.

Hos, atque alios prætereà libros de Sacerdotalis, Clericalisque vitæ rationibus, & officiis, de animarum cura, de Christianiæ pietatis studiis, & exercitationibus, deque aliis eiusdem generis piè confectos, ità legite, vt quæcumque ad vitæ sanctæ normam accommodata ex illis animaduertistis, ac didicistis, moribus exprimatis.

Conciliorum item Prouincialium, & Diœcesanorum Constitutiones, & decreta non percurrite solùm; sed vsque adeò studiosè legite, vt, quæ legeritis post etiam taciti vobiscum aliquando mente reputetis, ac videatis simul non solùm si quicquam est, quod contrà illorum præscriptum egeritis, verùm si quid etiam aliud est, quod ex eisdem exequi, præstariuè omiseritis, aut neglexeritis. Quod vt præstetis, curate omninò, atque efficite,

Estis, diuina misericordia in Ecclesiastico ordine constituti, ad gloriam Dei conseruandam, propagandamque: ideò tùm ordinis vestri ministerium, quod explere debetis; videte, tùm illius dignitatem, ac decorum seruate.

In incessu, statu, gestu, ità vos præbete, vt ab ordinis, quem suscepistis, nomine, & ratione, nullo sanè modo discrepetis, proposito vobis beati patris Ambrosij iudicio, qui Clero adscribi hominem recusauit, propterea quòd eius gestus, & incessus dedeceret.

Habitu non exquisito, non delicato nimis, non serico, ne ornamento quidem: rursùs non sordido, non neglecto, sed graui, & talari, atque eiusmodi tùm domi, tùm foris pro vniuscuiusque vestrum ordinis, gradusque ratione vtimini, vt à decretis eo de genere editis, nulla in re, vel minima, discedatis.

Coronam, quod insigne est ordinis Clericalis,

pro ratione ordinis, quo vos singuli initiati estis, latam, & conspicuam deferte.

Parca, & frugali mensa contenti sitis, & supellectili etiam modesta, ac tenui potius.

Ab omni splendido apparatu, pompaque sæculari abstinete.

Quæcumque acu picta, variè intexta, aulæa item, peristromata reiicite.

Imagines domi non profanas, sed eas habete, quæ pietatis, ac religionis argumentum, & adiumentum præbeant.

In omni vita à fastu, luxu, ambitu, ambitioneuè, & à vanitate longè refugite.

Nec verbis quidem præscriptum vitæ modum peruertite.

Nihil scurriliter, nihil iocosè, nihil indecorè, nihil turpiter loquamini.

Absint à vobis maledicta, obtrectationes, curiositas, leuitas, assentationes, ac nugæ.

Temperantiæ Clericalis disciplinam vobis præscriptam in reliquis etiam omninò tenete.

Comessationes, compotationes, conuiuia publica, laicaliauè tùm maximè in quibus mulieres intersunt, euitate.

Hospites excipite: at illis excipiendis intra parsimoniæ fines vos continete; ità vt Clericalis frugalitatis, non sumptuosi conuiuij testes illos habeatis.

A ludis, spectaculis, circulatorumque atque id genus vilium hominum præstigiis procul estote.

Arma abiicite.

Sic denique cor vestrum corroborate, vt inania spectacula non appetat, à mundi ludis, atque ineptiis abhorreat.

Sensus autem vestros ità dirigite, vt cùm à Deo vtiliter dati sint tamquàm rationis ministri, nè eos perperam adhibeatis, sicut satellites cupiditatum.

Sit igitur vester oculorum aspectus simplex, & pudicus.

Aurium sensus, castus, & prudens; casta mens, casti omnes sensus.

Vitæ, & morũ consuetudo casta, & spiritualis.

Ad eorum Sacerdotum, qui in eiusmodi vitæ studiis, ac disciplina exercitati sunt, familiaritatem vos adiungite, ex qua nobis vestræ ad sanctè agendum progressiones constent.

Ad castitatem autem conseruandam munite omnem viam.

Legite propterea sæpè illum beati Cypriani martyris de singularitate Clericorum librum, qui vos in hac, vt in aliis instruet virtutibus.

Suspectarum autem mulierum consortium omninò vitate.

Cùm aliis verò quibusuis mulieribus, quamuis vel arctissimo consanguinitatis, vel affinitatis vinculo vobis illæ coniunctæ sint, nè in eisdem domiciliis, ædibusuè simul habitate, nisi cùm ex causa alicui vestrum aliquando Episcopalibus literis permissum sit.

In famulatu laicorum nè sitis, multò minùs fœminarum, quamuis nobilium.

Ne verò illas Musicam, literasuè docete, nisi scripta nominatim facultate ab Episcopo permissum cuiquam sit.

Ædes Ecclesiasticas nè laicis locate, nisi concessu Episcopali.

Ac nè ipsas quidem patrimoniales locationi iis date, quorum vita moresuè suspecti sint.

Sæcularibus verò negotiis, vt est sancti Pauli Apostoli documentum, nè vos implicate.

A cuiusuis generis mercatura quæstuosa, omni negotiatione, prædiorum conductione, tùm aliis, vt Prouinciali decreto vobis interdictum est, prorsùs cauete.

Ne pecuniæ, lucriue auidi sitis: nemo potest seruire Deo, & mammonæ: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum sustinebit, & alterum contemnet, inquit Christus Dominus.

Si qui pauperes estis, nè cupiatis diuites fieri, vt nè incidatis in tentationes multas, & in laqueum diaboli.

Paupertatem vestram, nè molestè ferte: paupertatem dilexit, & docuit cælestis magister Christus, qui nascens in præsepio ponitur, & nudus in cruce moritur.

Scitote paupertati socias adiungi, sobrietatem, abstinentiam, & reliquas virtutes, quibus prælucere oportet ministros Dei.

Proponite vobis sanctorum veterum patrum vitam, qui lucrum non spectabant, temporalia non quærebant, & nihil ijs tamen deerat; imò in paupertate illis aliquando abundabat, quod aliis erogarent.

Nè igitur quia tenuem redditum habetis, lucrum quærite, nec quæstum vos appetendo, iniuriam vestro ordini facite, auaritiæ sordibus volutati.

Non sæculi vos mercatores, non mammonæ ministri estis, sed Christi mercatores, nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed bonorum operum abundantia, cum charitate coniuncta, facite thesauros in cœlis.

Studete vos lucrari animas Deo, & cœleste horreum augere.

Exemplo sanctorum, vos paupertate, sobrietate, ac parsimonia ità agite, vt non modo à superuacanearum rerum vsibus abstinentes, sed vestro etiam defraudantes victu, Ecclesiàs vestras, & Altaria exornetis, sarta, tecta habeatis, sacra supellectili instruatis. Alienis item necessitatibus subueniatis, & pauperibus opitulemini.

6 Qui vberiores Ecclesiasticos redditus habetis, Ecclesias è quarum prædiis fructus percipitis, eò magnificentius, & augustius, quò amplioribus donis, bonisuè, augustiorique liberalitate illæ dotatæ sunt, illustri structura, præclaro opere reficite, egregiis muneribus exornate, tùm omni Ecclesiasticæ supellectilis apparatu instruite.

Christi visceribus substantiam Ecclesiasticam erogate, pauperibus scilicet peregrinis, viduis, pupillis, ægrotis, in vincula coniectis, captiuis, quibus egentibus, & esurientibus cum subuenire possitis, si alimenta necessaria denegatis, violatæ charitatis rei estis in conspectu Domini.

Memores estote eius, quod à sanctissimo Patre Ambrosio scriptum est, sua fideles eo animo obtulisse Ecclesiæ ministris, vt per eorum manus, quorum fidei, atque integritati summa omnia tribuebant, ad pauperes peruenirent.

Vos item alij, quicumque estis, quorum fidei Christi patrimonium propriè ad diuini cultus,

pauperumque vsum commissum est, cauete, ne ambitione, aut cupiditate prolapsi, in alium, quàm cui addictum est, conuertatis: idque propterea sacrilegij rei, damnationem æternam subeatis.

7 Vniuersi autem vos, & singuli Ecclesiastici ordinis homines, vt summatim complectamur, quæ muneris vestri sunt, vobiscum frequenter recolite, ministerium vestrum explere studete, sanctissima studia religionis, & officij vestri rebus aliis potiora ducite. In rerum diuinarum, sacrarumque cognitionem omni cura incumbite: quæ diuina, quæ sempiterna sunt, diuitiarum, & honorum, & terrenarum rerum cogitationibus abiectis, amplectamini: restincto cupiditatum ardore integros, castosque vos seruate: mundi voluptates, quæ à diuinis præceptis detorquent, declinate: prædiorum Ecclesiasticorum, quæ non auaritiæ præda, sed instrumenta charitati relicta sunt, redditu, & fructibus nō abutamini: humilitati studete, charitatis opera præstate, induimini Dominum Iesum Christum: sanctorumque eius facta imitamini, vt & horum imitatione, & illius in primis diuinis præceptis, institutisque conformati in vocatione, qua vocati estis, dignè Deo ambuletis, tùm vitæ vestræ splendore laicis hominibus lumen præferatis ad vitam sanctè instituendam, tùm vos repositam vobis iustitiæ coronam demum percipiatis.

Conc. Trid. Sess. 23. in proœm.

Omnes prætereà, & singuli, qui huius Ecclesiæ ministerio adscripti aliquo modo estis, & Diœcesim, & Ecclesias, quas in ea obtinetis, quibusque adscripti estis, stationes vestras, in quibus manendum vobis sit, putate.

In illis ipsi residete.

Ecclesiasticas ipsas ædes habitate: ibique domicilium vestrum verè constituite, & habete.

Debitis muneribus, atque oneribus satisfacite.

Alia item agite, ac præstate ex præscripta Conciliaribus decretis fructuosæ, salutarisque residentiæ ratione.

8 Quicumque item Clerici minorum ordinum estis in Ecclesiis, quibus adscripti estis, singuli ordinis, quo initiati estis, functiones tali pietate obite, vt digni habeamini, qui deinceps altiorē gradū assecuti, sanctæ Dei Ecclesiæ inseruiatis.

Nemo autem vestrum, quicūque estis, si alicui functioni estis deputati, ab ecclesiastica statione, personalisque residentiæ munere discedat, nisi causis per Episcopum probatis, & etiam concessis literis expresso.

Hæc, quæ cōmuniter, atque vniuersè vos moniti estis, singuli seruate, studiosè ac diligenter.

9 At prætereà sigillatim, nominatimque vos, qui in Cathedrali Ecclesia dignitates obtinetis, Canonici item tùm eiusdem Ecclesiæ, tùm reliquarum quarumuis Ecclesiarum Collegiatarum, vel vrbanarum, vel diœcesanarum, quicumque sitis in omni Canonicalis disciplinæ officio ità agite, vt Canonicè, nempè Canonum legibus, ad vitæ vestræ institutum pertinentibus, & Constitutionum Prouincialium, Diœcesanarumque rationi congruenter viuatis Idque primò maximè studete, vt in conspectu Dei omnipotentis puro corde, & casto corpore ministretis.

Tùm singuli vos, ordinis dignitati, aut Canonicatui annexi functiones explete: Canonicalisque muneris partes præstate: omnes in choro statis horis assistite, & ad Deum pro fidelibus, pias, religiosasque fundite precationes.

Dùm eo loco estis, memores estote adesse Christum Iesum Dominum, cui seruite cum timore, & tremore.

Non pigri, non somnolenti, non oscitantes adestote; non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statu.

Attentè, studiosè, ritè, piè, religiosè, diuinas laudes concelebrate: & psallite Deo in conspectu angelorum, cantantes in cordibus vestris Domino.

In Choro nemo priuatim, nemo tacitè officium recitet; sed omnes pariter, quicumque adestis, senes cum iunioribus, laudate nomen Domini in psalmis, hymnis, & canticis.

A quibuscūque colloquiis, & à literarū, librorū lectionibus, atque omni vagatione abstinete.

Pro temporis autem, & officij ratione sedete, state, genua flectite, caput aperite, & inclinate.

Accuratè demum omnia obseruate, quæ eo de genere vobis præscripta sunt, ità vt vestro exemplo aliis Sacerdotibus, Clericisque, & rectè, ritèque psallendi, & sanctè orandi, & piè agendi animum addatis.

In psalmorum autem, canticorum, & hymnorum, intelligentiam studiosè incumbite: vt, dùm psallitis, pro sensuum sanctissimorum, quos mente concepistis, ratione, vos ad omnem pietatis, deuotionisque effectum excitetis.

Non ordinariæ distributionis lucro adducti, sed Dei charitate, religionisque cultu commoti, diuinis officiis adeste, vt verè, ex animoque psalmi verba, illa concinatis. Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Diuinis officiis absolutis, paululum omnes in Choro piè orate, inde abeundi signo per præfectum dato, consurgentes, quo ordine ad Chorum accessistis, eodem in Sacristiam redite, vbi cappas, qui illas induti estis, & superpellicea sine strepitu vllo, vel susurratione deponite.

Canonicales vestros conuentus statis hebdomadæ diebus capitulariter habete.

Omnes, qui debetis, ad illos conuenite.

Inde nè discedite, nisi missione à Capituli præfecto impetrata.

Singuli ordine, & loco sedete.

Sententiam modestè dicite, & suo quisque loco, non præposterè.

A verbis scurrilibus abstinete.

In rebus consultandis rixas, iurgia, & contumelias cauete.

In initio, & fine vniuscuiusque Capituli statas orationes dicite.

Priori loco tractanda proponite, quæ ad diuinum cultum, ad spiritualis vitæ progressionem, ad Eccclesiasticam disciplinam tuendam, tùm quæ ad rerum temporalium gubernationem pertinent, nè negligite.

Cætera hoc de genere toto seruate, quæ Prouincialib. cōstitutionibus vobis præscripta sunt.

Omnia in primis agite pace mutua, concordi voluntate & charitate fraterna vos inuicem diligite. Canonici enim estis, qui sicut pro collegij ratione ex antiquo instituto vna in Collegiata Ecclesia, vnoque item in Canonicali

domicilio collocati fuistis, ità vno pacis, & charitatis fœdere, vnaque animorum consensione coniunctissimi, sicut nascentis Ecclesiæ ministri, quorum erat cor vnum, & anima vna, experiundo videte, sicut in Psalmo scriptum est, quam bonum, & quàm iucundum sit, habitare fratres in vnum.

10 Quicumque verò estis, qui inter Canonicos, Præpositi, aut Archipresbyteri, aut alterius dignitatis nomen, gradumuè obtinetis, sicut honore, & dignitate præstatis, ità virtutum exemplis, vigilantique in vestri muneris, curæuè partibus obeundis sollicitudine prælucete.

11 Parochi præthereà, & cæteri quicumque estis, etiam præpositi, Archipresbyteri, alijuè, qui animarum curam geritis, præter ea, quæ vos cum reliquo Clero communia vniuersè monuimus, illa etiam, quæ præcipuè de vobis decreta sunt, præstate omni sollicitudine.

In primis oues, vobis concreditæ, cognoscendæ sunt, & appellandæ nominatim, pascendæ, & custodiendæ item.

Animarum igitur numerum in Catalogum redigite ad præscriptam normam.

Eorum, qui baptizantur, qui item confirmantur, & compatrum etiam, qui adhibentur, nomina describite.

Matrimonia in Codicem referte.

Parochiæ vestræ incolarum, vitam, & mores inuestigate.

Indagate omni studio, si qui hæresi contaminati sint, aut suspecti; aut si qui sint, qui hæreticorum libros habeant, vendant, emant, importent, vel legant, eosque statim denunciate.

Monete etiam populum, vt id ipsum etiam præstet, ad nostri edicti præscriptum, quod statis temporibus de more promulgate.

Perquirite de dictis, & factis eorum, qui ex hæreticorum finibus veniunt.

Dispicite, si qui è Parochiæ vestræ finibus ad loca proficiscantur, vbi impunè prædicatur, quod à Catholica fide alienum est; tùm etiam an ij profectionis facultate impetrata agant ad præscriptum decreti in Concilio Prouinciali tertio promulgati.

Inuestigate præthereà de iis, qui in vestra Parochia docent, eorumdemque mores, vitam, & fidem obseruate, ac reliqua de iis ipsis præstate, quæ Conciliis Prouincialibus præscripta, iussauè sunt.

Videte, & cauete, nè superstitiones, magicæ cantiones & eiusmodi diabolicæ superstitiones in populo vestro sint.

Cognoscite publicos peccatores, corruptores aliorum, concubinarios, adulteros, vsurarios, blasphemos, & denunciate.

Cognoscite etiam alios populorum corruptores, qui festis diebus non Deo, sed aleis, ludis, choreis, diabolo seruiunt, quique festorum dierum cultum quouis modo violant, quales quales sint: neque obseruant Pontificias, neque Prouinciales de diebus festis colendis constitutiones, aut Edicta Episcopalia.

Istos ab ea malè agendi corruptela reuocare, ac deterrere, omni pietatis officio studete, tùm Episcopo etiam, sicut opus erit significate, vt pro curæ Episcopalis officio salutare remedium afferatur.

Rursus agnoscite etiam pauperes, viduas, pupillos, cæterosque aliena ope egentes, quibus, & salutari consilio, & consolatione, & re subuenite; aut si minùs re potestis, cohortatione alios accendite ad eos subleuandos.

Sique illorum grauior inopia deposcit, festis etiam diebus à pia fidelium liberalitate aliquid in Ecclesia colligendum curate, vt ab Episcopo præscribetur, quod ipsis in eleemosynam conferatur.

Seorsum etiam locupletes Parochiæ incolas conuenite, quibus pauperum egestates proponite, & ostendite eis diuitias à Deo propterea etiam esse tributas, vt inopibus succurrant.

Si qui autem potentiorum opibus in causa aliqua oppressi sunt, illos vnicè, atque intimè eorum patrocinio commendate, qui vel ex suscepto officio id præstare debent, vel quibus Episcopus hanc curam dederit.

Pascite in primis populum vobis commissum prædicatione verbi Dei, salutaribus monitis, administratione item sacramentorum, exemplo, & oratione.

In verbo Dei exponendo planè obseruate quæ Constitutione Prouinciali, & aliis concionatoribus, & vobis præscripta sunt.

Pueros festis, Dominicisque diebus, in Doctrinæ Christianæ rudimentis instruite.

Prouectioris ætatis homines ad eadem intelligenda inuitate.

Patres, matresque familias monete, vt filios filias, cæterosque quos in familia habent, ad statas Doctrinæ Christianæ scholas ipsi conducant.

Confratrum, qui ijs scholis adscripti sunt, operam ad hoc institutum adhibete, curateque, vt mutua inter eos charitatis, morumque disciplina conseruetur.

Alios etiam ad tàm pium opus amplectendum alacriores reddite, atque excitate tùm assiduis vestris cohortationibus, tùm promulgatione thesauri spiritualis indulgentiarum, iis concessi, qui ijs scholis ascribuntur, in illisque operam nauant.

Ne omittite diebus festis inter Missarum solennia aliquid ex iis, quæ in Missa leguntur, fidelibus exponere, & sanctissimi illius sacrificij mysterium aliquod explanare, & aliquando sanctiores illius sacrarum cæremoniarum, rituumque rationes, & significationes explicare, quò diligentius instructi in dies sacrosancti illi sacrificio religiosius intersint.

Docete item, quomodo fideles signo Missæ celebrandæ dato se corde contrito ad eam sanctè audiendam parent.

Curate, atque efficite perpetuis vestris monitionum officiis, vt in illa viri aperto capite, mulieres velato, & in omni eius parte vtroque genu flexo, præterquàm in Euangelio adsint.

Instruite etiam eos, quàm religiosè non solùm in Missæ sacro, verum etiam in diuinis aliis officiis versandum.

Quando standum, quando genua flectenda, quando assurgendum.

Quàm valdè, dù illa fiunt, celebranturuè, fugiẽdæ cõfabulationes, colloquia, deãbulationes, strepitus, clamores, imò verò inanes cogitationes, quibus à pia meditatione, & mysteriorũ,

quæ aguntur, contemplatione, religiosaque oratione animus distrahitur, quàm denique studiosè vitanda reliqua omnia ab eorum officiorum sanctitate, & cultu aliena.

Rursùs quàm sanctè item, quàm religiosè, & quàm demisso, humilique habitu in supplicationibus, litaniis, & stationibus versandum sit.

Qua reuerentia, quouè pietatis studio in Ecclesiis locisuè sacris manendum sit, quæuè ab aliis procul abesse debeant, idque ex sanctionibus Pontificiis, Constitutionibus Conciliaribus, Episcopalibus præterea edictis.

Qua etiam non solum intima religiosi animi præparatione, sed externa etiam cultus, vestitusque modestia, humili genuflexione & armis depositis ad sanctissimam Communionem; tùm etiam ad cætera sacramenta accedendum sit.

Tùm docete, ac monete quomodo dies festi colendi, & sanctificandi sint.

Ostendite indignissimum esse sacris illis diebus non modo à nefariis operibus, illicitisque negotiis non abstinere; verùm etiam religionis, ac pietatis opera non præstare omni diligentia.

Ac præterea nefas esse sacros dies ad maxima Dei beneficia colenda, summasque ei laudes persoluendas, ac debitum sanctis honorem tribuendum institutos, ad illa traduci, quæ ab eo cultu abhorrent: qualia sunt tripudia, ludi, choreæ, spectacula, quibus ad turpes illecebras incitantibus, salutis humanæ hostis diabolus oblectatur.

Denunciate item stata sacrorum temporum ieiunia; docete quomodo ieiunandum, quæ peccati grauitas in violandis sacris ieiuniis.

Quæ præterea Christianæ pietatis officia in sanctorum vigiliis.

Quàm sanctè obseruandum quadragesimale ieiunium: statis autem solennibus, vel Aduentus, vel Septuagesimæ, vel aliorum temporum celebritatibus præmonete fideles, atque diligenter ex pastoralium etiam literarum præscripta recitatione ac ratione instruite ad sacra illorum temporum mysteria, sanctis pietatis officiis religiosè colenda.

Vtque iis omnibus pro temporum, solennitatumque ratione illi instrui possint, sæpè monete, vt Dominicis, aliisque festis diebus, quemadmodum sacra Tridentina Synodus optat, ad Parochialem Ecclesiam conueniant.

Qua in re sæpius monitionem pastoralem eo de genere frequenti populo legite.

Sæpe autem, ac diligenter eosdem docete, quàm assiduè orandum sit.

Quomodo & tacita supplicis mentis meditatione, & piis statis orationibus precandum.

Quàm studiosè, ac religiosè suscipiendum vespertinæ communis orationis institutum, quàm diligenter illud semel susceptum piè retinendum.

Ideóque cùm alias sæpè in anno eandem orandi rationem, cum indulgentiis concessis per summa capita explicate; tùm præcipuè diebus Concilio Prouinciali tertio constitutis in maxima populi frequentia de scripto pronunciate, atque euulgate.

Dominicis diebus instituite populum, & monete, pro quibus oret, vt est in eodem Prouinciali Concilio decretum.

Tùm præterea quas, singulis hebdomadæ feriis, præcipuas precationes, Christianasque meditationes, atque in orando exercitationes sibi propositas in promptu habere possit.

Quàm sæpissimè verò sermonibus vestris populo proponite locos perpetuæ Christianæ meditationis de morte, de iudicio, de inferno, de gloria, & de præmio paradisi.

Monete præterea sedulò, ac frequentissimè patres, matresque familias, vt liberos, familiamque suam ad pietatis, Christianorumque virtutum disciplinam religiosè instituant.

Ad hoc propterea patresfamilias inducite, vt de vitæ spiritualis ratione, & piis exercitationibus libros probatos domi suæ habeant; in quorum lectione versentur: seseque ac familiam instituant ad sanctè agendum.

De patrum familias officio, familiæque institutione, editam in Concilio tertio Prouinciali Constitutionem in Parochiali conuentu legite, singulasque eius partes explicate.

Tùm alia præterea docete, quæ opportuna existimaueritis, quibus illi se, suamque familiam in Christianæ vitæ institutis, atque exercitationibus conforment.

In officinis etiam, & tabernis disciplinæ, vitæque Christianæ rationes obseruate: si quid autem, vel ab artificibus, vel ab institoribus operariisuè committi animaduerteritis, quod dissolutæ disciplinæ sit, id officinarum, tabernarumuè dominos grauiter monete, ostenditéque ea in re officij sui partes.

Estis participes, & socij laborum, curæque Episcopalis, & in messe Episcopo commissa, operarij estis, elaborate vnà cum eo, & contendite, vt populus, cuius cura geritur, tamquàm purum triticum, auxiliante diuina misericordia, congregetur in horrea cœlestia.

Depositum custodi, inquit Apostolus Paulus, id quod vobis singulis dictum esse putate, vt in grege, tamquàm deposito fidei, curæque vestræ commisso diligenter custodiendo, ab omnique peccati labe conseruando, cogitationem, sollicitudinem, curam, studiúmque omne collocetis.

Parochiæ igitur, vnicuique vestrum concreditæ viciniam, cùm à cæteris vitiis omnibus vos singuli sollicite custodite: tùm curate etiam, nè odia, simultates, inimicitiæ, factiones, nec nō temerè iurandi, maledicēdi, imprecādi, prauæ cōsuetudines, ac nè detractiones quidem in ea sint.

At vitia in primis, & peccata, ad quæ populum procliuiorem esse animaduerteritis; reprehendite, atque exagitate.

Nec verò dissimulate peccata: sed annunciate populo scelera eius: publicè peccantes coram omnibus arguite, vt & alij timorem habeant.

Idque agite spiritu fortitudinis Domini, &, vt strenui eius milites, bonam militiam militate, nihil planè trepidantes.

Si ab increpatione, vt vos monet S. Gregorius, reticueritis, quia contra vos odia insurgere reformidatis, non iā Dei lucra, sed vestra quætitis.

Non maledictis, non vexationibus, non calumniis, non alicuius generis contumeliis illud, vel increpandi, vel palàm arguendi officium deserite, modò Christi gloriæ, & animarum saluti seruiatis.

Rursùs non aucupandæ hominum gratiæ studio id agere desistite: seruus Dei non essem, si hominibus placerem, inquit Apostolus.

Væ vobis tacentibus, aut dissimulantibus, si si grex curæ vestræ commissus perierit, sanguinem eius de manibus vestris requiret iustus, & omnipotens Deus.

Si igitur peccatur, nè in increpationibus verba vestra blandientia sint; sed vt à Spiritu sancto scriptum est, stimuli sint, & quasi claui, in altum defixi.

Instate opportunè, importunè, priuatis etiam admonitionibus, consiliis, correptionibus, obiurgationibus, vt peccantes, adiutrice diuina gratia, in viam salutis reuocetis.

In vsum etiam sanctè ita reuocate fraternam correctionem, vt non modò mutua Christiana charitate vos ipsos corripiatis; sed reliquos item, præsertim Parochiæ incolas id charitatis & correctionis officium rectè doceatis.

Ad sermonum verò, admonitionum, correctionum partes explendas, locos vobis comparate, præcipuè ex doctrina Catechismi Romani, in quo magna cum populorum vestrorum salutari vtilitate versari diligenter potestis.

Neque ad hoc multiplicis vestræ Ecclesiasticæ tractationis genus negligite adiumenta, quæ aliunde vtiliter capere potestis.

Cætera autem officia, quæ in sacramentorum administratione, in assidua ad frequentem eorum vsum cohortatione, in ægrorum cura, in aliis Parochialis muneris functionibus, vobis Prouincialibus Diœcesanisque Conciliis præscripta sunt, præstate, atque exequimini accuratè: ad eorumque Conciliarium Constitutionum, decretorumuè normam, omni obseruantiæ, atque obedientiæ studio vos planè conformate.

Quæ verò decretorum Prouincialium, vel Diœcesenarum partes ad laicos, eorumque Christianam disciplinam attinent, quò sæpius euulgatæ, atque inculcatæ, seruentur diligentius; illas, summatim vulgari sermone expressas, crebrò, prout vsu venerit, populis vestris proponite, denunciate, explicate, atque in consuetudinem inducite.

Quæcumque denique vel ad vos, vel ad laicos curæ vestræ commissos pertinent, ea decreta, quo maximo potestis studio, in omnem executionem, disciplinæque vsum introducite. Videteque in primis ac perpendite, quæ sint, & quam religiosæ muneris vestri partes: cauetequè vt in officiis, & curæ vestræ functionibus non modò quicquàm vos non committatis, sed nè omittatis quidem; cùm in sacerdotali vita, pro muneris, quod sustinetis, ratione, tùm grauiores, tùm longè plures, quàm in cæteris hominibus esse possint, omissionis culpæ.

12 Vos prætereà reliqui Sacerdotes, quicumque estis, quibus animarum cura non incumbit, cùm alia omnia, quæ Ecclesiastici ordinis hominibus de diuinorum officiorum cultu, de vitæ honestate; de studiis, & vitæ spiritualis exercitationibus, præscripta, aut monita generatim sunt, tùm quæ nominatim, sigillatimque ad præcipuam vestram executionem attinent, præstate omninò.

13 Vos item reliqui Clerici inferiorum ordinum, quæcumque ad vos, vel nominatim, vel generatim spectant, agite omnia, sicut Clericalis vitæ ratio, Canonum, & Conciliorum decretis præscripta, postulat.

Christi estis, nempè de sorte Domini, & ipse Dominus sors, pars scilicet vestra, tales præbete vos, vt & ipsi possideatis Dominum, & possideamini à Domino, veréque dicatis, Dominus pars hæreditatis meæ.

Filij mei nolite negligere: vos elegit Dominus, vt stetis coram eo, & ministretis illi.

Videte igitur, quàm valdè intentos vos esse oporteat ministeriis vestris, & quàm magnæ vitæ, morumque castitate.

Proborum hominum tantum, præcipuè Sacerdotum, vitæ spiritualis laude præstantium, familiaritate vtamini: ex quorum consuetudine tùm fructus vos capiatis, tùm Episcopus meliorem in dies de vobis opinionem concipiat.

Maiores veremini, & obseruate: eisdemque rectè monentibus obtemperate.

Præter latinæ linguæ, & literarum studia, Ecclesiasticæ in primis disciplinæ institutionibus diligenter incumbite.

Sic demùm vos moribus, & vitæ modestia probate, vt & à Parochis, & à præceptoribus vestris, tùm etiam à populo bonum testimonium Episcopus habeat, vosque dignos iudicet, quos maioribus ordinibus adscribat.

14 Vos verò, qui vel visitationis munus geritis, vel Cleric. disciplinæ curæ quouis nomine præfecti estis, vel in Diœcesi Vicarij foranei cōstituti in explēdis muneris atque officij vobis cōmissi partibus sedulò inuigilate atque elaborate.

Onus, quod sustinetis, quàm graue sit, quàm plenum curis perpendite; tùm quam in eo vobis committendo spem, fiduciamque Episcopus habuit, videte: tùm efficite, vt eius expectationi respondeatis, vigiliarum vestrarum, studiis, assiduaque sollicitudine.

Ecclesias, quæ in vniuscuiusque vestrum regione sunt, sedulò visitate: earumque partes singulas inspicite.

Peruestigate in vniuscuiusque Parochiæ finibus an aliqua publicorum peccatorum labes: an flagitia, quibus Episcopali cura Episcopus medeatur, necesse sit.

Vniuerso Clero, pro regione commissa, inuigilate diligenter; illudque in primis videte, vt in disciplinæ Ecclesiasticæ moribus institutis atque officiis se contineat, Clericalisque moderationis legibus congruenter viuat,

Indecentem eius habitum omninò reiicite; morum sanctæ vitæ, sacrarumque literarum, & institutionis Ecclesiasticæ studia, si quæ in eo languescunt, excitate.

Clerici autem minorum ordinum, in hoc maximè nobis commendati sint, vt illorum omnes, tùm in vitæ moribus, tùm in literarum, ecclesiasticæque doctrinæ studiis progressiones accuratè exploretis, atque vt maximè potestis, paternis cohortationibus, atque obiurgationibus iisque assiduis adiuuetis.

Ecclesiarum item cultum, nitorem, cæteraque eius generis omnia curate vestrâ diligentia, quæ totis in Christo visceribus ab vnoquoque vestrum expetitur.

Quæcumque verò, vel Prouincialium, Diœcesanarumque Synodorum decretis, vel præcipuis

instructionibus, vel visitationum iussis præscripta sunt, ea omnia, vt re ipsâ præstentur, studiosè perpetuò agite.

15 Hæc omnia, & singula his monitionibus nominatim, sigillatimque expressa, tùm cuncta item reliqua, vel Conciliis Prouincialibus, Diœcesanisque sancita, vel alio modo vobis præscripta, vos omnes, ac singuli, quorum interest, quanto potestis amore, & pietate non amplectimini solùm, & legite; sed mente, animoque comprehendite, seruate, omnique sollicita executione præstate; totosque vos ad cohortationum, admonitionum, decretorum, & Constitutionum rationem accommodate. Quod omne vt faciatis, sicut nos pro Episcopalis nostri officij munere vos in hoc Diœcesano conuentu ex Concilij Prouincialis præscripto commonefecimus: ità etiam vnumquemque vestrum, per vnigeniti filij Dei aduentum, per eius Crucem, perque animarum vestrarum salutem obsecramus, obtestamur, diuinaque contestatione monemus. Rursusque vobis ipsis vniuersis, & singulis edicimus, si quis vestrum Constitutionibus, decretisque vel Prouincialibus, vel Diœcesanis, vestrâ causâ editis, non paruerit, contra eum nos acturos esse Ecclesiasticis, Canonicisque sanctionibus.

Cauete igitur nè quem vobiscum paternè modò agentem, sollicitèque monentem, & in conspectu Dei vos hoc sacro deprecantem, auditis, eundem rursùs non in hac vita solùm culpas vestras animaduertentem, sed in diuino prætereà iudicio easdem accusantem audiatis.

At ipse Deus, & Pater noster, & Dominus Iesus Christus dirigat vias vestras in omni sancta obedientia; exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere, & sermone bono; ità vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, per omnia ei placentes; sicque sanctis vestrarum virtutum progressionibus probati, appareatis ante Deum, & patrem nostrum, in Aduentu Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus sanctis eius. Amen.

De Iudiciali foro Episcopi, Episcopalique iurisdictione.

De Foro Episcopali, deque iudiciis & expeditionibus quæ in ipso Ecclesiastico foro aguntur.

SVMMARIVM.

1 *Episcopali foro leges præscriptæ.*

2 *De iudiciis, deque sententia causæ ferenda, cùm congregatio habebitur, illius initio oratio de Spiritu sancto recitanda, eaque oratio vbi proponenda.*

3 *Calumniæ iuramentum à quibus, quaque litis parte exigi possit.*

4 *Iusiurandi relaxatio ad agendum tantummodo detur: & quando neque ad agendum.*

Iusiurandum, qua forma ab Episcopis, & aliis Ecclesiasticis præstandum. De vita & hon. Epis. num. ..... & de vit. & hon. Cleric. numero.

5 *Vbi in foro sæculari Clericum examinari petatur, quid curandum.*

6 *Causæ decem aureorum summariè decidendæ.*

Caussis, & litibus dirimendis cura Episcopi: à quo vt compescendi causarum ministri. Ibid.

7 *Earum defensio, & commendatio quibus prohibetur.*

8 *Matrimonii causam quando inferior Episcopo cognoscere possit.*

9 *Abbates quando de ipsis matrimoniorum caussis cognoscere possint.*

10 *Acta causarum in Codicem referenda. Idem de processibus criminalibus.*

11 *Testium dicta in ciuilibus à quibus scribenda.*

12 *A quibus etiam acta, quibus decretum iudicis & Episcopi adscribitur.*

13 *De seruitutibus agrorum Clericalium quid Episcopus statuere possit.*

14 *Formula iudiciorum, expeditionumque Episcopalium, emittenda.*

15 *Formulæ aliæ emissæ, seruandæ.*

16 *Expeditiones, quo sigillo imprimendæ.*

17 *Hebdomadæ dies feriarum nomine appellandi.*

18 *Dierum vtilium liber, Episcopi curâ conficiendus.*

19 *Pœnæ, & mulctæ locis piis applicandæ.*

20 *Liber mulctarum: earùmque quis particeps non sit.*

21 *Appellatio à sententia Episcopi, vti delegati Apostolici ad Metropolitanum deuoluitur.*

22 *Appellationi ab interlocutoria in causis visitationis non deferendum.*

23 *Literæ Monitoriales quomodo, 26. & à quibus concedendæ. 24*

25 *Quando ad sententiam excommunicationis deueniendum.*

1 VT à foro Episcopali, quantùm fieri potest, auaritiæ labes amoueantur; & quàm minimis possint incommodis, atque sumptibus causæ in eo agantur; nos præter eam diligentiam, quam in ea re maximam Episcopi, in sua quisque Diœcesi adhibere debent; hæc statuenda censuimus. *Vide in Tit. de Cancellario, Notariis, & Scribis.* 1. De Iudic. foro Episc.

2 Stata illa oratio, quam in Synodis de Spiritu sancto dici solenne est, illa scilicet, cuius initium est; *Adsumus Domine*, ritè, sanctèque vt liber Pontificalis vetus ostendit, congregationum initio recitetur quæ de sanctæ Inquisitionis officio, de iudiciis, de sententia causæ ferenda habebuntur. 6. Quæ ad for. pert.

Itidem fiat in omni conuentu, vbi de Clericalibus examinibus de electione institutioneuè eius agetur, aut deliberabitur, in quem alicuius beneficij Ecclesiastici cura, administratioue conferatur. Quam ob causam ea oratio rectè in tabula literis consignetur, certóque congregationum loco affixa, cùm vsu venit, in promptu sit, vnà cum alia stata oratione, quam in initio, & in fine aliarum actionum, congregationumuè ex officio Beatæ Mariæ adhiberi, instituti, morisque est.

3 Vt apud iudicem Ecclesiasticum omni sinceritate iudicia exerceantur; statuimus, atque edicimus, illum non solùm litis principio, sed in omni eius parte, cùm expedire censuerit, atque ex officij sui munere, tàm ab actore, quàm à reo calumniæ iusiurandum exigere posse. 5. De Episcopo Episcopali iur. & foro.

4 Iusiurandum, sicut vinculum iniquitatis esse

non debet; ità eius relaxatio, absolutiouè æquum nullum modò est, vt cuiquam præiudicium afferat. Quamobrem nè cuiquàm in posterum iusiurandi, quo astrictus est, relaxatio, absolutiouè vmquàm detur; nisi ad agendum tantùm; aliàs ex sacrorum Cánonum præscripto, at verò nullo modo ad excipiendum; ac præterea, nè ad agendum quidem posteaquàm quis periurium admisit à quo crimine Episcopus absoluat neminem.

4. Quæ ad forū pert. 5 Vt frequentibus Clericorum cuiuscumque gradus, & ordinis, quos in foro sæculari, concessu Episcopi examinari sæpè contingit, periculis occurratur, Episcopus, eiusque Vicarius, anteaquàm eius examinis facultatem concedat, rerum de quibus in eo foro interrogationes, quæstionesuè instituendæ erunt, capita, diligenter, & matura deliberatione perpendat. Clericum præterea, de cuius examine agitur ad se si libuerit accersat, ac de iisdem rerum capitibus extrà iudicium interroget. Illud autem magnoperè caueat, nè dùm vnius defendendi causâ, quæstiones, examenuè de Clerico haberi permittit, alteri aliquam vel rei familiaris, vel pecuniæ, vel corporis, vel status honorisuè offensionem, aut diminutionem afferat: vnde cùm sæpenumero simultates, & cædes existunt; tùm Clericus etiam aliquando irregularitatis pœnam, maculamuè contrahit. Quarum rerum si aliquam Episcopus suspicionem ex iis ipsis capitibus cognouerit, de quibus quæstio instituenda est, nullam Clerici examinandi facultatem vllo modo permittat. Vbi verò illam aliquando dandam esse iudicauerit: tunc certis capitibus nominatimque explicatis iudicio suo præscriptam, literisque comprehensam concedat, permittatuè. At verò semper, Clerico à Sacerdote iusiurandum deferri iubeat.

3. de iis, quę ad for. Episc. pert. 6 Causæ, quæ decem aureorum nummum summam non excedunt, summariè, simpliciter, ac de plano, sola rei veritate perspecta, sine forma iudicij cognoscantur: id quod ab huius Prouinciæ Episcopis agi licet ex facultate à Pio V. Pont. Maximo eisdem Episcopis concessa.

6. Ibidem. Conc. trid. Sess. 25. c. 10. de ref. c. finé, &c. fi. de dolo & cont. c. 2. de ref. Iud. c. constitut. de procur. Quoniam sæpè fit, vt in causarum controuersiis, id quod vir, & sanctitate, & iuris scientia celebris Iuo pluribus exponit, inimicitiæ oriantur, simultates, odia, rixæ, cæteraque id generis, quæ maximè fideles cauere debent valdè exerceantur: & multa eaque grauia crimina inde aliquando consequantur, ac rursus bona salutariauè opera postponantur, aut negligantur: ideò in foro Ecclesiastico, in quo concordiæ potissimum, paci, litium transactionibus, atque sedationibus controuersiarum planè consulendum est, Episcopus eam ineat rationem: vt Vicarij, aut Iudices fori sui, aut alij Ecclesiastici homines, quos ei curæ præfecerit, anteaquàm litis, reiuè alicuius iudicium constituatur, studeant omni æquitatis officio, paternoque consilio lites dirimere, controuersias sedare, & transactionibus litigantes reconciliare, atque ad eam rem facilius conficiendam, factum, de quo controuertitur, ab ipsis litigantibus, seorsùm singulis ad se vocatis, studeant planè intelligere, quantùm quidem commodè fieri poterit, etiam remotis vtriusque partis aduocatis, & procuratoribus: sin autem id assequi non poterunt, id saltem curent, vt lites breuius, quàm in forò laicali moris est, definiantur.

Locum verò nullum patronis, Aduocatis, Procuratoribus, cæterisque litium ministris dent, aut relinquant, qui quæstus forensis auidi, atque appetentes, causas prætexunt, calumniasque adhibent; tùm ad causarum transactionem impediendam, tùm ad exulcerandos litigantium animos.

Istorum etiam malitiam Episcopus pœnâ priuationis, suspensionisuè officij, postulandi, & procurandi in suo foro; aliisuè pœnis suo arbitratu, pro sua conscientia coerceat, etiam sine vlla iudiciali causæ cognitione.

7 Nemo quisquàm, neque Vicarius, etiam foraneus, neque procurator, aduocatusuè fisci Episcopalis, neque auditor, nec verò alius, qui in familia, famulatuuè Episcopi sit, causarum, quæ in Episcopali foro aguntur, procurationem, defensionem, ac patrocinium nec nomine, nec re ipsa suscipiat, agatuè, præter illas, quas debet, pro suscepti officij munere, & quas præterea pias causas Episcopus, ab illo suscipi, agiuè iusserit. Nec verò quispiam eorum patiatur famulos suos in eo Episcopali foro causas non modò agere; sed nè commendare quidem: minùs verò quicquam vel minimum operæ ponere quo præiudicium, damnumuè cuiquàm inferatur. 5. Ibidem.

Neque præterea ipsi, vel fori Episcopalis ministri, vel Episcopi familiares in causarum commendatione auctoritatem suam interponant: nisi ij sint, quibus pro muneris sui ratione diligenter curandum est, vt lites, controuersiæ, & causæ præsertim miserabilium hominum, quàm celerrimè, & rectissimè in primis definiantur.

8 Quicumque in dignitate Ecclesiastica constituti, etiam exempti; qui intrà fines Diœcesis sunt, & reliqui præterea inferiores Episcopo, nè priuilegiorum, consuetudinisuè prætextu matrimoniorum, & criminum item causas, etiam visitando cognoscant; sed Episcopi iurisdictioni, iudiciouè relinquant, ad præscriptum Concilij Tridentini. 6. Ibidem.

9 Non tamen Abbates, quibus aliàs legitimè talis iurisdictio competit, aliiuè inferiores side immemorabili consuetudine eiusmodi legitimè doceant, quominus de his etiam causis cognoscant, prohibeantur. Sess. 24. c. 20. de ref.

10 Acta omnia notarij in Codicem, non in pagellas referant, quamuis eas cordulâ infigant; idque præstent, mense saltem, postquam rogati illa confecerint. 3. Ibidem.

Fori Episcopalis Cancellarius, ac Notarij certos libros habeant; in quibus causarum Criminalium actiones, quæstiones, ac, quos vocant processus, rectè, ordineque describant, nec verò in folijs. 4. De foro Episcopali, Ecclesiasticouè.

11 Testium dicta, & attestationes, in causis Ciuilibus nè scribantur ab alio, quàm ab ipso causæ Notario, siuè actuario, vel ab alio eius nomine. Quæ attestationes ipsi Notario causæ, siue actuario consignentur, & asseruentur: vt post in Archiuo vnà cum toto processu recon- 3. Ibidem.

dantur, vbi custodiuntur aliorum actorum monimenta.

12 Idem decernitur de instrumentis, actisuè dictæ causæ; quibus decretum iudicis adscribi contigerit.

In aliis verò omnibus, quibus auctoritas, decretumuè Episcopi sit interponendum, Cancellarius tantùm Notarius adhibeatur.

6. De Episcopo, &c. 13 Sæpenumero accidit de seruitute aquæ per alienos agros deducendæ, de orizis intrà certos fines non serendis, atque de aliis eius generis rebus, & causis, controuersias, litesque inter homines Ecclesiasticos, & laicos excitari. Quamobrem Episcopus cuius etiam præter cætera munus est, litium occasiones præcidere, & in commune etiam vtilitatibus publicis consulere quæ ad Ecclesiastici ordinis homines pertinere ex Canonum sanctionibus cognouerit, ea edicto etiam Episcopali, si ità expedire censuerit, æquo iure statuat, & decernat. Videat tamen anteà diligenter, si qua in causa Sedes Apostolica consulenda sit; neque verò tunc eâ inconsultâ quicquam agat, deliberetve.

5. Ibidem. 14 Iudiciorum, causarumque forensium, tùm etiam omnium literarum, expeditionum formula, quæ ad fori Episcopalis rationem, rectè instituendam, & tuendam, quæque ad deprauatos vsus tollendos pertineat, Concilij huius auctoritate per nos conscripta, cum in lucem emittetur, in omni Episcopali Prouinciæ tribunali accuratè diligenterque seruetur.

4. Ibidem. 15 Formulæ certis verbis conceptæ, atque explicatæ Conciliari nostra auctoritate, ad huius Prouinciæ vsum in lucem emissæ, ab omnibus, & singulis, quorum interest, pro concepta, constitutaque ratione seruentur.

16 In omni, & scripto, & actione, quæ sigilli Episcopalis impressionem requirat, Episcopus sigillo sancti Patroni Ecclesiæ, cui præest; imagine aliqua certa expressa, vtatur: quod cùm ad illius sancti viri memoriam, imitationemque excitandam, atque ad Ecclesiæ ornatum, & splendorem insigne est; tùm pietatis rationi conueniens, & cum Ecclesiarum benè institutarum vsu, consuetudineque consentaneum.

Eius verò sigilli certa forma, imagouè, vel pro antiquo illius Ecclesiæ instituto, si id constat, vel, prout Episcopus semel statuerit, perpetuò adhibeatur.

5. De Canc. & Not. 17 Hebdomadæ dies, antiquato gentium à fide abhorrentium more, non Stellarum errantium, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, & Saturni nominibus, sed feriæ appellatione, & distinctione nominari, sanctissimus Pontifex Syluester decreto sanciuit.

Quod cùm non sine multiplici ratione ab eo institutum sit; id Prouinciæ nostræ Episcopi curent, vt omnis Ecclesiastica actio, qualis qualis sit, quæ, vel in Synodis Diocesanis, vel Sacerdotalibus, Clericalibusuè Conuentibus, vel in Canonicalibus Capitulis, vel in foro Episcopali, vel vllo alio loco, temporeuè celebretur, non dierum, qui illarum stellarum appellationem, adhuc etiam vulgò retinent, nomine, sed feriæ distinctione, & ordine rectè notetur.

18 Dierum vtilium librum, quibus à fori sui Ecclesiastici iudiciis feriari liceat, Episcopus conficiendum, edendumque pro fori sui ratione curet. 6. Quæ ad for. pert.

19 Pœnæ, & mulctæ omnes, ac singulæ cuiusuis generis sint, siuè Clericorum, siuè aliorum quorumcumque etiam quas ex superiorum Conciliorum sanctionibus irrogare contigerit, deinceps, piorum locorum, operumue vsui verè, atque omninò attribuantur, nulla prorsùs parte reseruata, aut alij vsui attributa. 4. Ibidem.

20 Rursusque vt attributionis, solutionisque certa, atque explorata ratio constet; Episcopus certum Codicem, in quem eæ explicatè referantur, confici, in Archiuoque Episcopali asseruari diligenter mandet.

Nec verò Vicario, aliiue Episcopalis fori iudici vllam omninò pœnarum mulctarumque partem consequi, habereque vllo quouis colore liceat.

21 Quoties Episcopus, etiam tamquàm Sedis Apostolicæ ex decretis Concilij Tridentini delegatus, sententiam in iis causis tulerit, in quibus ante Concilium, tamquàm ordinarius, eadem iurisdictione, potestateuè vti poterat; si ab illius sententia ad Metropolitanum appellabitur, non propterea, quia alia sententia, tamquàm à Sedis Apostolicæ delegato pronunciata est, à Metropolitani iurisdictione subterfugiatur; sed appellationis causæ cognitio omnis liberè eidem permittatur. 5. Ibidem. Sess. 13. c. 2.

22 Quod Concilij Tridentini decretis sancitum est, vt in visitationis, correctionis, habilitatis, inhabilitatis, & criminum causis ab interlocutoria ante diffinitiuam sententiam, aut ab alio quocumque grauamine nè appelletur; ità omnes, ad quos pertinent, id exequantur, vt non modò appellationi non deferatur: sed neque Metropolitanus, ad quem appellatum est, ante diffinitiuam sententiam cognitionem grauaminis suscipiat, adhibeatuè: ità vt nè simpliciter quidem mandet, acta causæ sumptibus appellantis mitti. Vbi verò sententia diffiniens lata est, quæ ad causas visitationis, & correctionis pertinent, appellari liceat; ità tamen, vt illius executionem non retardet, impediatuè appellatio. Quòd si de grauamine agitur, quod per appellationem à diffinitiua reparari nequeat, quale est grauamen indebitæ carcerationis, tunc appelletur licet, & appellationi planè deferatur. Nec verò prohibeatur, quominùs acta causæ ad iudicem appellationis deferantur. Intereà verò idem, cuius causa agitur, in carcere permaneat, quò ad causâ cognitâ Iudex, ad quem appellatum est, aliter iusserit, decreueritué. Si verò causa correctionis est, vtpotè, cùm quis iniquè in carcerem se coniectum esse, aut diutius in eo fuisse conqueratur, & ad Metropolitanum propterea appellet; de prætenso excessu is cognoscat licet, dummodò quæ ordinarius iudex decreuerit, eorum executio intereà non impediatur. Sess. 13. c. 1. Sess. 22. c. 1. Sess. 24. c. 20. de ref.

23 Excommunicationum, quæ certis monitionibus primùm adhibitis, ad finem reuelationis, vt aiunt, pro deperditis, subtractisuè rebus ferri solent, literæ nè cuiquàm, nisi iis concedantur, qui ob eam causam supplicationis libellum 4. Ibidem.

Episcopo obtulerint, eorumque ipsorum tantum rogatu, quorum ciuiliter interest. Qui supplicationis libellus eiusmodi sit; quo & res ipsa, de qua agitur, & eius pretium item nominatim, speciatimque exprimatur; nisi Ecclesiæ, loci pij, communitatis, vniuersitatis, Collegij, vniuersalisuè successoris res sit, cuius certam notitiam illum, illamve non habere verisimile est, tunc enim supplicantis qualitate in libello expressa, rei, de qua quæritur, descriptio quædam generatim fieri poterit, modo nè sit incerta nimis, aut non verisimilis, sed eiusmodi, quæ saltem ostendat rem ipsam, vt est

Sess. 25. c. 3. de refor. Tridentini Concilij præscriptum, non vulgarem esse: id quod Episcopi concedentis religiosæ conscientiæ, iudicioque pro ratione rei, & personæ relinquitur.

Porrò eiusmodi excommunicationum literæ non concedantur, vt infrà sancitum est.

Pro re criminosa, queve infamiæ notam inurat.

Pro re non occulta omninò.

Pro re, quæ ità iam diù amissa, aut subtracta est, vt illius memoriam amplius non haberi verisimile sit.

Neque rursùs cuiquàm excommunicato, aut manifestè, ac notoriè criminoso.

Neque verò contrà aliquem, quem pro rebus, quæ in monitorijs literis exprimantur, satisfacere non posse constet.

Neque prætereà in loco, vbi eas verisimile sit negligi, contemniue.

Cùm verò pro ratione præscripta aliquando conceduntur, nè tamen in sanctissimis his diebus, in Natiuitate scilicet Domini, Pascha Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, in celebritate sacri Corporis Domini; aliisque anniuersariis solennioribus diebus, vllo modo promulgentur; nisi Episcopus aliter censuerit.

Si item nihil, quod suprà sancitum est, neque aliud quicquam obstat, quominùs concedi possint, nè semper tamen dentur, concedanturuè, sed tantùm cùm Episcopus, serua-

Sess. 2. c. 3. tâ formâ Concilij Tridentini, expedire censuerit.

24 Cui Episcopo soli, neque verò eius Vicario, etiam generali, si modo Episcopus non longius absit, eiusmodi monitoriarum literarum concessio hoc decreto reseruata sit.

25 Iis verò literis monitoriis aliquando datis, ne excommunicationis sententiam Episcopus ferat; nisi de earum promulgatione locis, & temporibus congruis facta, relationem acceperit, & iterum de re ipsa diligentius, accuratiusque deliberarit, ac grauem prætereà causam censuerit, quamobrem illam ferat.

5. Ibidem. 26 Literæ monitionum de rebus surreptis, ablatisuè, nè deinceps dentur, nisi præscriptis rationibus, quæ partim in Concilio Prouinciali quarto explicatæ sunt, partim in hoc enucleatius, vt infrà præscribuntur.

Cætera, quæ huic Titulo aliqua ratione congruere possunt, videantur in Titulo de Cancellario, Notariis, & Scribis Episcopalis Curiæ: & de Archiuo Episcopali.

De Feriis.

SVMMARIVM.

Quadragesimæ tempore ius non dicendum, manè: & quibus aliis diebus. De obseruandis à Christi fidelibus in Aduentu, &c. 33.

1 *Rei festis diebus non torquendi.*

2 *Testes, neque etiam testificentur.*

3 *Id in vtroque foro seruandum Episcopo curante.*

Dierum vtilium liber Episcopi curâ conficiendus. De foro Episc. 18.

1 Rei, ne festis diebus, diuino cultui dicatis, torqueantur; Si modo criminis atrocitas aliud non postulet. 4. De feriis.

2 Ac ne testes quidem, iis diebus testimonium dicant, etiam si feriali die iurati id sint, nisi in causis, in quibus licet eisdem diebus iusiurandum illis deferri.

3 Id omne sanè Episcopus, cùm in Episcopali foro; tùm in sæcularibus iudiciis caueat, vt seruetur.

De Vicario Episcopali, aliisque Iudicibus ordinariis & delegatis, Conseruatoribusque, & Iudicibus laicis.

SVMMARIVM.

1 *Vicarius Episcopalis sit alienæ Diœcesis.*

2 *Non tamen personalis residentiæ onere adstrictus.*

3 *Iuret antequàm officium suscipiat.*

4 *Sacris initiatus existat.*

Vicarii Episcopales, iudicesque alii quid præstent, vt causæ celerius dirimantur. De foro Episcop.

Causarum defensionem, in Episcopali foro non suscipiant: neque commendent. Ibid. 7.

5 *Nullum munus, etiam minimum accipiant ab iis qui causas in Episcopali foro agunt, neque pro executione dispensationum matrimonialium. De Sacram. Matr. 57.*

6 *Pecuniam etiam pro scripturarum visione non capiant.*

7 *Sportularum nomine in causis ordinariis nihil etiam accipiant.*

In causis ordinariis & delegatis à præscripta illis, & iudicibus aliis taxa ne discedant. De Legibus, & Taxa, &c. num. 5.

Contrà facientes, vt puniuntur. Ibid. num. 6.

Literas monitoriales quando concedere possint: remittereque denunciationes matrimoniales. De foro Episcopali, num. 24. Et de Sacram. Matr. 22.

Mulctarum partem non habeant. De foro Episcop. 20.

Quæ facultas illis concessa in Conciliorum Prouincialium decretis. Quæ generatim ad hæc decreta pert. num. 1.

8 *Facultas ipsa gratis danda.*

Taxam Iudicibus ordinariis præscriptam, qui alii Iudices seruent. De Legibus, & Taxa, num. 5.

Vicarius Metropolitanus quos Episcopos Comprouinciales admoneat de Metropolitani inualetudinis periculo. De vita & honest. Episcop. 59.

5. De Episcopo Episcopali iur. & foro. 1 Illud maximè expedit, cum omnique ratione consentiens admodum est, vt Vicarij Episcopales, quò ad eius fieri potest, alienæ potius Diœcesis, quàm illius sint, vbi commissum Vicariæ curæ, officij munus obire, atque exequi debent. Sæpè enim fit, vt cùm iustitiæ quasi oculis tenebras cognatorum, affiniumvè illa innata vis offundat; tùm gratia, metuque eorum, quibuscum vixerunt, viuendumque deinceps est, etiam boni, constantesque viri ab æquitatis norma, rectaque via facilius deflectant.

2 Si prætereà id Vicarij officium ei committitur, qui in aliqua Ecclesia personalis residentiæ munus sustinet, id incommodi, quod permulti interest, manifestò existit, vt non facilè, neque cumulatè, vti par est, vtriusque muneris partes expleat, atque exequatur.

Quare Episcopus, cùm alia via, rationeque in eo vicario munere sibi, suæque Ecclesiæ rectè consulere potest; videat, vt nè illius generis viros ad illud adhibeat.

Nè vel ad seminarii quidem curam, &c. Titulo de Residentia num....

3 Nè Episcopi Vicarius, ministeruè, iudicandi officium, partesque ab eo commissas, anteà aggrediatur, suscipiatue, quàm eidem iusiurandum præstiterit ad formulæ conceptæ præscriptum.

6. Quæ ad for. pert. 4 Æquissimum est, & Canone Concilij Parisiensis traditum, eum, qui vicariam Episcopi personam, & munus Vicarium sustinet, sacris initiatum esse. Quamobrem curet Episcopus Vicarium generalem sibi constituere, qui præter cætera, quæ in Vicarij eiusmodi persona requiruntur, saltem subdiaconus sit.

3. de iis, quę ad Episc. forū pert. 5 Nullum neque munus, neque donum, neque cuiusuis generis xenia, ne esculenta quidem, poculentauè Vicarij ab iis accipiant, qui coram eis causas, vel habent, vel agunt.

6 Nè pecuniæ item quicquam ordinarius, delegatusuè Iudex accipiat pro recognitione, aut, vt vocant, visione scripturarum ad causas, quæ apud se aguntur, pertinentium.

5. Ibidem. 7 Illud præter cætera munus Episcopi est, vt in suo Episcopali foro, vniuersis, & singulis ius gratis reddatur. Quamobrem, præter id, quod alio Concilio Prouinciali de muneribus, & donis cauimus, hoc decreto statuimus, in ordinariis causis nihil quicquàm vel minimum, nè sportularum quidem nomine, nec à spontè etiam dantibus, aut vllo quouis modo à iudice illius fori accipi licere. Si quis acceperit, pœnam, lege Iulia repetundarum sancitam, ipso facto subeat.

4. De foro Episcopali. 8 Quicquid consensus, approbationis, facultatis, licentiæuè, vel alio huiusmodi nomine ex huius, vel superiorum Conciliorum Prouincialium decretis ab Episcopo impetrandum est, eiusuè auctoritate concedendum, id, & ab ipso, & ab eius Cancellario, & quibusuis ministris gratis omninò semper detur, etiam quò ad scriptionem attinet.

Quæ fortè desiderabuntur in hoc Titulo, videantur in Titulis aliis, ad Episcopale forum pertinentibus.

De Causidicis, Procuratoribus, Aduocatis, tam causarum, quàm Fisci Episcopalis: Deque Procuratore, Patronouè piarum causarum.

SVMMARIVM.

1 *Causidici, Aduocati, Fiscales* } *non admittendi antequàm iurent, & quid.*

2 *Iidem iniquam causam defendentes: concubinarii, adulteri, criminosi à foro Episcopali repellendi.*

A patrocinio causarum, earumque commendatione, tàm ipsi quàm sui familiares abstineant. De foro Episcopali, num. 7.

Causarum expeditionem calumniis impedientes, malitiamque in iisdem adhibentes, à quo, & qualiter coercendi, puniendique. Ibid. num. 6.

3 *Procurator, Aduocatusuè, Fiscalis* } *ne causam præbeat calumniis.*

4 *Neque ipse calumniosam causam suscipiat.*

5 *Emgiles nè collateralis, & satellites quicquam extorqueant.*

6 *Testes pro informatione Curiæ solus excipere potest: quæque alia agere liceat.*

7 *Renunciationum de rebus legatis indicem habeat.*

8 *Procurator ab Episcopo constituendus, qui pupillorum, viduarum, miserabiliumque personarum patrocinium suscipiat: quod vt etiam à Magistratibus fiat, Concilium primum hortatur.*

9 *Alius item, & qualis, qui piarum voluntatum executioni, bonorumque Ecclesiasticorum defensioni incumbat.*

10 *Quo in munere is quid præstet.*

1 Causidici, Aduocati Fiscales, ad causas in foro Episcopi nè adhibeantur, prius quàm iureiurando Episcopo se obstrinxerint; se nullam causam suscepturos, quam à iustitia, & æquitate alienam existimauerint. 1. De Causidicis, Aduocatis, & Fiscalibus.

Hortamur etiam Principes, & Magistratus, vt idem in laicorum causis seruandum curent.

2 Procurator, qui causam iniquam in foro Ecclesiastico sciens defenderit: quiue quicquàm negauerit, quod verum scierit, fori Ecclesiastici auditorio, adituve interdicatur, nisi is legitimè se purgarit. Qui prætereà in publico concubinatu, aut adulterio viuunt, aliique publicè criminosi, à foro Episcopali ità arceantur; vt nec Notarij, nec Procuratoris, nec Aduocati officium, nè in vllo quidem causarum genere, gerant. Inferiores quoque, &c. *Vide infrà, Tit. de Inferioribus fori Episcopalis ministris, &c. num. 5.* 3. de iis, quę ad Episcopale for. pert.

3 Eam curam, atque eò cogitationem Procurator, Aduocatusve fisci Episcopalis suscipiat, vt sibi putet procurationis munus commissum esse in inquirenda veritate criminis, de 5. De Procuratore Fisci Episc.

quo agitur; ideò ne eo vmquàm abutatur ad innocentes opprimendos, neve item causam, aut occasionem præbeat, vt calumniis quis vexetur, atque exagitetur.

4 Ne vllam criminis causam suscipiat, procuretve, quam calumniosam esse nouerit: sed cùm, vel de calumnia, vel rei delati innocentia constiterit, statim ab ea causa desistat.

5 Euigilet item vnà cum Vicario, ac sine eo etiam, vt Collateralis, & Satellites, ne quicquàm, vel minimum, extorqueant.

6 Testes pro informatione Curiæ, & Sancti officij Inquisitionis ipse per se, etiam Vicario non præsente, at de illius tamen mandato excipiat licet, iis prætereà quæ de testibus, etiam ad defensionem causæ adhibitis, instituentur, quæstionibus adesse possit: nec vetitum sit, quin & iudici quæstiones, interrogatave quæ ad causam pertineat, in mentem reuocet, atque adeò suggerat: & testes etiam ipsos, si modo iudici placuerit, interroget: imò verò reos item, at ipso tamen iudice præsente.

7 Denunciationum quoque quæ de rebus piè legatis, relictisuè in dies singulos fient, indicem à Cancellario apud se habeat.

4. Ibidem. 8 Pupillorum, Viduarum, & egentium hominum cura Episcopo, communi omnium parenti sacrosanctis Canonum legibus potissimùm commendata, & commissa, negligi non debet; nè si lædantur, vociferentur ad Dominum, qui exaudiet clamorem eorum. Quamobrem pro sui muneris officio Episcopus aliquem constituat Ecclesiasticum vel alium pium hominem, Christianæ charitatis operibus, atque officiis deditum, qui misericordiæ viscera indutus, id generis hominum patrocinium in omni causa suscipiat. Quod si aliqui iàm huic pio operi præfecti sint, id agat Episcopus, vt ij munus sibi creditum exequantur quàm diligentissimè.

3. de Carceris custodibus & reis. Designent verò Episcopi aliquos, qui miserabilium personarum causas gratis defendant.

Magnopere autem hortamur laicos Magistratus, vt eiusmodi in re eadem ratione vtantur.

5. de Episcopo Ep. Iur. & for. 9 Piarum voluntatum executio, bonorumque Ecclesiasticorum defensio omnis, iure Canonum, Ecclesiasticisque constitutionibus, Episcopi curæ, fideique commissa est. Quamobrem is vel Cathedralis Ecclesiæ Canonicum, vel alium Ecclesiasticum hominem arbitratu suo constituat, qui idoneus earum piarum causarum patrocinium suscipiat, atque agat.

10 In eam curam delectus ab Episcopo protector incumbat studio diligenti, vt & voluntatibus piis satisfiat, & bona Ecclesiæ recuperentur, & locis, operibusvè piis fraus nulla, vel minima, quò ad eius fieri potest, adhibeatur.

Præcipuè autem in eo vigilet, vt piarum causarum aduocati & procuratores nè officio vnquàm desint, quod earum procuratio, ac defensio ipsis commissa, deposcit.

Singulis hebdomadis, semel ad minimum, & procuratorem Fisci Episcopalis, & illos conuocet quibuscum deliberationem rationemque omnem, vt diligentissimè pòtest, ineat; tùm de piis legatis exequendis, tùm de Ecclesiæ bonis recuperandis.

Quæ vel ab ipsis aduocatis, procuratoribusve, vel ab aliis, quorum interest, in dies singulos, prout vsu venit, exponi solent, ea studiosè, attenteque audiat: si quæ verò cognouerit in eo statu versari, vt necesse habeant aliquo officio adiuuari, aut tandem ad exitum perduci, is omni studio, etiam pro officij sibi commissi munere, videat, ac procuret opportuna, ad rem adiuuandam, conficiendamve remedia.

Quamobrem, & Vicarium generalem, & aliquando Episcopum, & iudices alios, quibus cum agendum est, toties adeat, quoties adiumento opus erit ad causam.

De Cancellario, Notariis, ac Scribis Cancellariæ Episcopalis: deque Cancellaria ipsa, Secretarioque Episcopi.

SVMMARIVM.

Cancellarij Episcopalis, & substitutorum, Scribarumque. 21. qualitates.

1 *Cancellariæ Episcopalis officium, ab ipso Cancellario exercendum.*

2 *Et quando alios sibi in adiutorium adhibere liceat.*

3 *Notariorum Collegium instituendum.*

4 *Statuta ab ipso Collegio conficienda; officialesque deligendi.*

5 *Formulæ Curiæ testimonium à Notariis quando postulantibus dandum.*

6 *Admittendi in Collegium, examine priùs probandi.*

7 *Qui non admittendi.*

8 *Probati, iusiurandum præstent.*

9 *Iusiurandi, à Notariis præstandi formula.*

10 *Notarij, quacumque auctoritate, etiam Regia, & Imperiali, creati, ab Episcopo examinandi.*

11 *Idonei non inuenti, id officium exercere in spiritualibus prohibendi.*

12 *Notarij originales processus iudicibus non deferant, sed exempla. 24.*

13 *Processibus scribendis quæ obseruent, quæque vitent.*

14 *Qua carta; quibusque caracteribus vtantur.*
Acta omnia in Codicem referant: tùm criminales processus. De foro Episc. num. 10.

15 *Mercedem pro scriptione, editioneque scripturarum in causis quibuscumque certumque in librum referant.*
Codices, & scripta omnia à Cancellario, & Notariis confecta in Archiuum reponenda. De Archiuo Episc. num. 4.
Instrumenta in Archiuum delata, à Notario rogato exscribi liceat. Ibid. num. 5.
Cancellario, Notarioque defuncto, vel amoto, scripta, instrumenta, & acta in Archiuum deferenda. Ibid. num. 6.
Notarius scripturarum rogatus in Archiuum delatarum, vbi illæ edendæ sint, ipse edat: sique abest, obiitvè, quis edat. Ibid. num. 7.
Notarius causæ, testium depositiones scribat. De foro Episcopali, num. 11.
Cancellarius adhibendus, vbi decretum Episcopi sit interponendum. Ibid. num. 12.

16 *Notario deficiente, qui alij adhibendi in illius locum: quidque capiant.*

17 *Cancellarius } Notariique } originalia acta nusquàm exhibeant, nisi in pluteo.*

Neque

18 *Neque scripturæ alicuius exemplum edant sine Vicarii concessu.*

Actis etiam edendis delegatæ executiones litterarum Apostolicarum in forma dignum, quid seruent. Quæ ad benef. collat attinent. numero, 38.

19 *Notariis duorum aureorum merces præscripta in conficiendis collati beneficii litteris, ex decreto Concilii primi, altero Concilii quarti decreto subtrahitur media, & ibidem, num. 33.*

20 *Quæ in scribendis literis dimissoriis testimonialibusque ordinum susceptorum, merces limitata.*

Pro examine testium in executione dispensationum matrimonialium quartam partem aurei capiant. De Sacramento Matrim. 57.

21 *Cancellarius, Notarii, Scribæ,* 23 *Secretarius Epi.* — *nullum donum, nè esculentum, poculentumve capiant: neque patrocinium in foro Episcopali suscipiant, & expeditiones prosequantur. 22.*

24 *Cancellario, Notariis, aliisque* — *quæ gratis expedienda, etiam quod adscriptionem attinet.*

25 *Cancellariis, Notariisque* — *delinquentibus pœna proposita.*

26 *De Notariis sancita ad Cancellarios, & scribas extenduntur.*

27 *Cancellariis Episcoporum assignatæ pensiones tolluntur.*

28 *Cancellariæ Episcopales vendi, locari, cuiúmque nomine quicquàm persolui vetitum est: & quibus præcipuè. 29.*

Dantes, accipientésque vt puniuntur. 28. 29.

Cancellarius librum conficiat, in quo ii describantur, qui fidei professionem emiserunt. De profess. fid. num. 4.

Quæ seruet, in conficiendis litteris facultatis prædicandi. De Concionat. 49.

Quæ in literis dimissoriis studiorum causâ. De Residentia, 13. 14. & pro suscipiendis ordinibus. Quæ ad ordinis sacram. pert. 19.

Quæ in facultate celebrationis Missarum. De Missis sine cantu. 8.

Quæ in peregrinationis literis. De Religios. pereg. 3.

Librum habeat in quo relationes promulgationum referat Apostolicarum Constitutionum. De Iurisd. Episc. 7.

30 *Examinis eorum causa, quibus beneficia conferuntur, & eorum qui ad Concionandi, vel Confessionis audiendæ munus admittantur, quos libros habeat, quidque in eis notet.*

Acta Sessionum Synodalium scribit, decretáque Synodi legit, vbi Canonicus sit. De Synodo Diœces. num. 16.

Testificationes eorum, qui ordines suscipiunt, in certum librum relatas asseruat. Quæ ad ordinis sacram. num. 61.

Literasque publicas facit testimoniales ordinis suscepti, de his attestans, Ibid. nu. 62.

31 *Excommunicatos, sibi à Parocho delatos, in tabellam refert.*

32 *Tabellam ipsam vbi collocet.*

33 *Suspensos, exilioque mulctatos Clericos, in eandem Tabellam scribit: iique cùm absoluuntur, qua poena afficiendi.*

Indicem legatorum Aduocato Fiscali defert. De Causidicis. num. 7.

Librum habeat, in quo descripti sint dies festi, qui in vnaquáque Parochia coluntur. De fest. dierum cultu. 38.

Isque liber qua ratione confectus sit. Ibid. 39.

Visitationis decretis subscribit; quæque alia faciat. De Visitat. 55.

Reliqua quæ conuenire aliqua ratione possunt officio Cancellarii, Notariorúmque, & aliorum, videantur in Tit. de foro Episcopali.

1 QVibus Cancellariæ Episcopalis 1. Tit. 3.
2 munus commissum est, ipsimet in dec. 12.
ea officii exercitatione versentur; si negotiorum tamen multitudo postulat, alios Episcopi iudicio comprobatos, sibi in auxilium adhibere liceat.

3 Singuli Episcopi Collegium notariorum Curiæ Episcopalis primo quoque tempore instituendum curent; quod certum numerum, pro suæ Diœcesis conditione contineat. 1. De Notariis, & Scribis.

4 Collegium statuta, Episcopo probanda, conficiat: officiales deligat, qui iudicent de eorum inter ipsos controuersiis, quæ ad eorundem officium pertineant. In causas autem, quæ inter notarios, & litigatores extiterint, se omninò non interponant, sed eas Episcopi iudicio relinquant. In aliis verò causis, si cuiquam cum eis in iudicio agere contingat, eorum iura, priuilegiáque seruentur.

5 Postulantibus testimonium formulæ Curiæ, quam stylum vocant de aliqua causa, nec detur nec datum vim habeat; nisi ei maior Collegii pars subscripserit, cuius etiam formulæ exemplum ab Episcopo approbatum, & subscriptum publicè in Collegio asseruetur.

6 Qui in Collegium notariorum adscribi voluerint, eos Episcopus diligenter examine probet: tantùm idoneos recipiat.

7 Excommunicatos, infames, & omnes, qui à testimonio dicendo iure repelluntur reiiciat.

Eos, qui vigesimum quintum annum non attigerint; quique per quadriennium in Notariatus officio integrè, peritéque non sint versati, non admittat.

8 Probatos priùs non recipiat, quàm iurarint Episcopo eâ iusiurandi formulâ, quæ infrà scripta est quam etiam ab iis, qui in notariorum Collegium adscripti iàm sunt, ad duos menses præstari iubemus.

9 *Ego N. notarius à Reuerendiss. D. N. Episcopo, vel D. N. eius Vicario delectus, nihil vel dedi, vel pollicitus sum gratiâ huius officii obtinendi.*

Commissum mihi munus diligenter, ac fideliter exercebo.

A litigatoribus, quorum fuero notarius, vel à quocumque alio eorum nomine, quauis de causa, nihil, nè sponte quidem datum accipiam; præter id, quod Episcopi taxatione præfinitum fuerit.

Nihil agam; neque me, aut quemquam alium interponam, quo mihi vlla causa scribenda committatur.

Non ero promotor, vel procurator in causis, quæ agentur coram Reuerendiss. D. Episcopo, seu eius R. D. Vicario generali, vel aliquo ab eis constituto, seu eorum ministro.

In causis verò in quibus sum, vel fuero notarius,

omnes actus iudiciales substantialiter in manuali, seu memoriali coram Reuerendiss. D. Episcopo, seu eius Vicariis, aut alio ab eis præposito, & etiam coram ipsis litigatoribus si expectare voluerint, conscribam.

Conscriptos eos, & instrumenta, & omnia alia, & singula in causis producta, cùm Reuerendissimus D. Episcopus, vel alij supradicti seu litigatores, vel eorum aliquis, petierint, in regestum fideliter quàm celerrimè referam, vel referenda curabo.

Litigatorum postulatu, vel alicuius eorum, in singulis terminis successiuè litigatoribus ipsis copiam dabo, cùm per Reuerendissimum D. Episcopum, seu alios supradictos decreta fuerit, sine recusatione, & fraude, contentus mercede Episcopi taxatione præfinita.

Secreta eiusdem officii, & causarum nemini patefaciam; præsertim attestationes testium, & consilia assessorum; attestationesque & sententias, donec publicata, perlatæ, & sententiatæ, & per Reuerendissimum D. Episcopum, seu alios supradictos subscriptæ fuerint.

Constitutionibus, & mandatis Reuerendissimi Domini Episcopi obtemperabo.

Instituta quoque officii, & officialium Collegii honesta iussa seruabo.

Nec vllo vmquàm tempore contrà faciam; & omnia, & singula suprà scripta, omni dolo, & fraude omninò remotis, inuiolatè præstabo: & ità promitto, & iuro; sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

4. De foro Episc.

10 Vt nè ex Notariorum imperitia detrimenta, & litium occasiones existant, quod de iis ipsis etiam Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creatis, Tridentina Sanctione decretum est, id Episcopi studiosè exequantur, vt eorum peritiam, vsumque etiam examinatione adhibita, perquirant. (Sess. 22. c. 10)

11 Quicúmque verò Notarii, ea per examen disquisitione facta, probati non sint, officii sui in negotiis, litibus, causisque Ecclesiasticis, & spiritualibus exercitatione, atque vsu per illos, vel perpetuò, vel ad tempus prohibeantur, ad eiusdem Concilii præscriptum.

1. De Notariis, & Scribis.

12 Nullus Notarius iudicibus, ordinariis, delegatis, arbitris, nec arbitratoribus originales processus deferat; sed eorum tantùm exempla, & regesta fideliter collata, nisi alicuius inopia aliud aliquando Episcopo suaderet.

13 In huiusmodi exemplis, seu regestis nihil superuacaneum scribant.

Quare nec dies festos, ad substantiam rei non necessarios, apponant.

Nec productarum citationum repetitiones cum inhibitione, vel sine ea, sed illarum executionem tantùm, his, vel similibus verbis adscribant. *Eo die, &c. reproducta fuit citatio, de qua supra, quæ fuit executa, vt suprà.*

Nec dignitates iudicum, vel litigatorum repetant, sed ponant tantum his, vel huiusmodi verbis. *Reuerendissimus Episcopus N. Iudex N. Actor N. Reus.*

14 Nec in carta bibula scribant, nec eâ litera, quæ legi facilè non possit; sin minùs, malè scripta, Episcopus notarii impensa scribi melius iubeat; vel ab iis, qui regestum petierunt, dimidiam tantùm partem taxæ, vel maiorem, si ei videbitur, solui iubeat.

15 Mercedem præterea, quam ex vniuscuiusque causæ, vel ciuilis, vel criminalis scriptione, actioneuè, & processu acceperint, cùm in libro certo exscribant, iis ipsis certis diebus singulis, quibus eam mercedem, aut partem acceperint, & mense, annoque notatis, tùm in ipsius causæ, processusque acti, conscriptique fine adscribant item. 4. Ibidem.

16 Vicarius foraneus, atque alii quibus Episcopus, processum aliquem aliundè, seruata iuris formula, cognoscendum, agendúmque mandauerit, si in processu conficiendo, Notarium non habent, quem adhibeant, duos sibi morum, vitæque integritate homines, qui acta conscribant, ad præscriptam iuris formam asciscant, iisque mercedis taxa maior eâ nè sit, quæ Notariis fori præscripta est; sed aut æqualis, aut minor, pro illius loci ratione. (3. De iis, quæ ad Episc. for. pert.)

17 Cancellarius, & Notarii causarum tàm ciuilium, quàm criminalium acta, gesta, tabulas, instrumentaue, & processus originales, ne vllo nomine, nè inspiciendi quidem tantùm causa vsquam exhibeant, nisi in proprio pluteo, aut Cancellariæ, Archiuiuè loco, idque sine vlla mercede. Illa verò inde alio asportari nè liceat, etiam de eorum, quorum interest, consensu: etiam si cui certo homini transferenda rectè, ac tutò committi possint, præterquam iudici causæ ostendenda. Qui secus fecerit, cùm ab Episcopo plectatur graui pœna, tùm damnum resarciat etiam, si quid quisquàm eo nomine fecerit. (5. De Cancellario, & Notariis.)

18 Ea cautio Cancellario, & Notariis adhibenda est, nè cuipiam alicuius causæ actorum attestationum, sententiæ, vlliusque scripturæ exemplum edant, facultate scripta editionis à Vicario non data. Qui in eo genere deliquerit, officii amissione mulctetur, aliáque pœna puniatur, pro Episcopi arbitrio.

19 Notariis, scriptoribus, aliisque Episcopi ministris, pro omnium opera, sumptu, ac labore, in conficiendis literis, quibus beneficii collatio, confirmatio, institutio, prouisio continetur, non plus duobus aureis ad summum persoluatur. *Moderatio huius decreti videnda in Tit. Quæ ad benef. &c. numero.* 33. (1. Quæ pert. ad coll. benef.) (Ibid. De notar. & scrib.)

20 Notarii in literis dimissoriis, seu testimonialibus, sacri Concilii Tridentini decretum seruent: in aliis, quæ merè spirituales sunt, etiam si nullum stipendium eis constitutum sit, nihil omninò accipiant; præter scripturæ mercedem, ab ordinario statuendam. (Sess. 21. c. 1. de refor.)

Pro singulis literis dimissoriis, quæ pro suscipiendis pluribus, omnibusve minoribus, vel etiam maioribus ordinibus concedentur; itémque pro singulis literis, quibus Notarius testatum faciat plures, omnesve ordines alicui collatos esse, decimam partem aurei nummi tantùm ad summum à Cancellario accipi liceat &c. *reliqua vide Tit. Quæ ad ordinis sacramentum &c. num.* 100. (3. De iis quæ ad Episc. for. pert.)

21 Quod in Concilio Prouinciali tertio Episcoporum Vicariis vetitum est, vt nè esculenta quidem, poculentave ab litigantibus, aliisve, apud se causas agentibus, dono accipiant: idem Cancellario, & notariis interdictum sit, ab illis saltem accipere, in quorum causis acta conscribunt, notariive partes agunt. 4. Ibidem.

5. De Cancel. & Not. Maximè interest, non modò eum, qui officium tanti ponderis támque valde cum Episcopali cura coniunctum gerit, quale est Cancellariæ Episcopalis munus; sed illos etiam, qui vel substituti nomine, operam simul in eo ipso munere ponunt, vel in Cancellariæ scriptorum numero censentur, cùm ab omni alio negotio expeditos esse, quò attentiores sint ad operam curámque susceptam, tùm maximè vacuos, ac planè liberos, ab omni, vel minima suspicione cupiditatis, prauæque affectionis, nè dũ corruptelæ. Quare, præter ea, quæ olim hoc de genere à nobis constituta sunt, hoc decreto etiam vetamus, atque interdicimus, ne eorum quispiam ab vlla cuiusuis loci, ordinisuè vniuersitate, collegio, hominéque vllo nè Diœcesis quidẽ alienæ, qui in foro Episcopali causas, lites, & negotia, cuiuscúmque generis sint, duobus antè annis habuit, aut iàm nunc habet, aliquod vel minimum donũ munusuè, etiam spontè oblatum, ac nè rem quidem esculentam, quæ statim consumi possit, accipere directè, aut indirectè, vlloue modo possit.

22 Nè præterea in eo foro Ecclesiastico, vel in alio, lites, causas, negotiave cuiusquam suscipiat, neque agat: nec verò dispensationes, neque alias eius generis actiones, expeditionesuè persequatur, procuretuè; nisi officii, quod gerunt, ratio aliter, deposcit, aut Episcopus iussit, Qui contrà fecerit, à muneris exercitatione suspendatur, atque eo etiam mulctetur, aliisque pœnis plectatur, arbitratu Episcopi.

23 Nè Episcopus, quicquàm, vel spontè oblatum, nè exiguum quidem à secretario scribisuè dono accipi, aut capi vllo nomine patiatur, nè occasione quidem literarum, quas pro officii munere etiam priuatim, aliquando scribunt.

Ibid. 24 Præter alia, quæ hoc de genere olim, & nunc sancita sunt generatim, vel sigillatim, hoc decreto statuimus, quæ infrà ordine sigillatim, quasi in tabella, notantur, ea ipsa singula, tùm instrumenta, tùm literas, scriptauè à Cancellario gratis, & scribi, & confici, & edi. Id verò omne, vt præstetur, Episcopus omninò efficiat, ac de negligentia, aliauè culpa in Concilio Prouinciali rationem reddat.

Acta Visitationis, eorúmque exempla, quæ iis eduntur, qui visitantur ad præscriptum decreti, hoc Concilio editi.

Facultates, quarum auctoritate Vicarii, ministrique Episcopales decernuntur.

Litteræ testimoniales, dimissoriæuè de suscipiendis ordinibus.

Facultates pontificalia exercendi, quæ Episcopo, aliiuè aliquando conceduntur.

Attestationes, quibus testatum fit, aliquem idoneum esse, cui beneficium conferatur, quiuè ad illud instituatur, siue ea collatio institutiouè Romæ facienda sit, siuè ab inferiore collatore, siuè ab Episcopo.

Rogatus cessionis beneficii liberè coram Ordinario.

Processus, & de natalibus, & ætate, aliisuè conditionibus eorum qui initiandi sunt, aut recipiendi in seminarium.

Instrumentum iusiurandi, quod ab iis præstandum est, qui beneficia obtinent.

Instrumentum, ac testimonium professionis fidei, quæ à quouis præstanda sit.

Instrumentum fideiussionis eorum, qui in seminarium recipiuntur.

Mandatum de aliquo recipiendo in Seminarium.

Facultas, & probationum omnium, & pertinentium ad receptionem nouitiæ, vel ad professionem præstandum.

Confirmatio Abbatissæ, seu Priorissæ.

Facultates quæcumque monialibus earumuè Monasteriis conceduntur.

Facultas ingrediendi Monasteria.

Facultas accedendi ad monialium loca, Collocutionibus præfinita.

Facultas erectionis, institutionisuè confratriæ, scholæuè.

Confirmatio regularum alicuius scholæ, confratriæuè.

Scriptum quo scilicet certæ Ecclesiæ, scholæuè quis adscribitur.

Approbatio ludimagistri.

Literæ dimissoriæ, testimonialesuè.

Facultas absentiæ causâ studii.

Facultas eleemosynam colligendi.

Facultas faciendi sepulchrum.

Facultas absoluendi à casibus reseruatis.

Facultas celebrandi vbique, vel certo loco.

Facultas prædicandi. Sess. 5. c. 2.

Facultas audiendi confessiones.

Litteræ indulgentiarum, vel earũ summæ.

Testimonium consecrationis, reconciliationis Ecclesiæ, Cœmiterii, Altarium, & Campanarum.

Constitutio coadiutoris.

Reductio Missarum, & de commutatione piorum operum.

Facultas abeundi extrà fines Diœcesis, vel peregrinandi.

Literæ, quæ pro officii munere, quauis de causa ad Parochos, Vicarios foraneos, aliosuè scribuntur.

Executio literarum gratiosarum protonotariatus, & equitum: harum tamen literarum causâ scripturæ merces capiatur, & si quid præterea Episcopus concesserit.

Processus, & acta omnia, quæ conficiuntur ad miraculorum veritatem perquirendam.

Itidem de iis, quæ conscribuntur ad sacrarum reliquiarum veritatem indagandam.

Facultas asportãdi cadauer de loco ad locũ.

Exempla, editionesuè decretorum, ordinationum, statutorum, præceptorumuè, quæ Episcopus, aut eius Vicarius ex officio confecerit, seruarique mandarit.

Constitutio Vicarii in quauis Ecclesia ad tempus.

Dispensationes, & processus de defectu natalium, irregularitate, vitio aut defectu corporis, etiam auctoritate ordinaria

Instrumenta, & scripta quæcumque pro mensa Episcopali; & Capitulo conficiuntur; quæ itẽ Seminarii causâ fiunt; ità tamen, vt hoc decreto, solutionis immunitate, Capitulũ, & Seminariũ dumtaxat fruantur: Clerici verò, aliiuè, ad quorum causam, commodumuè illa scripta, instrumentauè intersunt, quiue earum exempla sibi edi petunt, à solutione immunes nè sint.

Litteræ, & expeditiones quæcumque conficiuntur nomine rerum merè spiritualium.

Expeditiones quæcumque pro pauperibus, vel miserabilibus hominibus, de quorum egestate, aut necessitate Episcopi, aut Vicarii iudicio constet.

Litteræ prætereà, & expeditiones omnes aliæ, quas gratis dandas Episcopus censuerit.

Dispensationes, & facultates, quæcumque ex decretis, vel Prouincialibus, vel Diœcesanis, aut eorum occasione dantur.

1. De Notariis, & Scribis.

25 Qui notarii contrà hæc decreta peccarint, vel alioqui in officio suo deliquerint, eos Episcopi ab officii vsu submoueant ad tempus, vel etiam in perpetuum; si id delicti grauitas postularit; & aliis pœnis suo arbitratu coerceant.

26 Quæcumque de notariis sancita sunt, iis etiam scribas, & Cancellarios teneri volumus.

27 Pensiones, in Cancellariis Episcoporum assignatas, vel quæ cuicumque soluantur, irritas, & nullas decernimus; nisi quæ iure tolli non possunt.

28 Cancellarias verò deinceps vendi, locari, vel earum nomine, vel occasione quouis prætextu cuiusuis personæ, quidquam solui, prohibemus.

Notarii, &, si qui prætereà in hoc deliquerint, plectantur amissione officii; & aliis prætereà pœnis Episcopi arbitratu.

5. Quæ gratis in Cancellaria conficien. &c.

29 De emolumentis Cancellariæ Episcopalis, quam Concilio Prou. primo vendi, locari, earumuè nomine quicquàm persolui, vetitum est, nihil prorsus vtilitatis priuatæ ad Episcopum, eiusuè mensam, aut Vicarium, neque ad alios, præterquàm ad Cancellariam, Cancellariumvè, cæterosque eiusdem Cancellariæ ministros, perueniat. Qui aliquid etiam à spontè dantibus perceperit; tùm in conscientiæ foro nè suum faciat, sed pauperibus loci, erogare omninò debet; tùm quadruplo mulctetur, quod vel in Ecclesiæ instaurationem, vel in Sacristiæ vsum erogetur.

5. De Exami. ratione.

30 In omni hac examinandi ratione Cancellarius pro sui officii munere hæc præstet.

Certum librum habeat prouisionum Ecclesiarum Parochialium, aliorumque beneficiorum, quæ examine adhibito, etiam ex literis, Apostolicis, conferenda sunt.

Quo in libro rectè, atque ordine ab eo notentur hæc.

Acta examinis, quæ in singulos dies, prout examinandi occasio tulerit, fiunt.

Dies vacationis certi beneficii, & modus item vacationis, aliáque id generis.

Dies etiam promulgationis, aut prorogationis edicti, quod de concursu proponi solet; cùm beneficii vacationis ratio id postulet, & reliqua etiam, quæ ad promulgationem pertinēt.

Nomina quoque examinatorum, quos Episcopus certi illius beneficii vacantis nomine ad examen conficiendum nominatim delegerit.

Nomina etiam eorum, qui eo nomine examinandi proponuntur.

Dies prætereà, quo quisque examen subiit.

Nomina etiā examinatorū, qui interfuerint.

Approbatio, aut reiectio, quam eorum iudicio singuli tulerint.

Nomen item, & cognomen eius, quem Episcopus, tamquàm aptiorem, magisque idoneum delegerit, cui beneficium ab eo conferatur, ad quem spectat.

Cui libro alia prætereà adscribat, quæ Episcopus censuerit.

Librum alterum conficiat, in quo omnes, & singulos, quos vel concionandi, vel confessionis audiendæ, vel sacræ lectionis interpretandæ causa Episcopus adhibito examine, vel probat, vel improbat.

In hoc ipso libro notet etiam, & nomina Examinatorum, & diem quo examen confecerint, & causas item repulsæ, si quam aliquis tulerit.

Idipsum de certo die, examine, probatione, aut reiectione eorum seruet, quorum experimentum sacræ ordinationis causa fit.

Tertium librum habeat, in quem examina referat, quæ generatim instituuntur, atque adeò conficiuntur ad Cleri progressionem in literarum studiis inuestigandam, atque explorandam.

31 Parochus cùm aliquos, vel excommunicatos, vel interdictos pronunciarit, eorum nomina, cognomina, & diem, quo excommunicati interdictiuè sunt, quàm primùm ad fori Episcopalis Cancellarium deferat. 5. De Episcopo. Episcopali Iur. & foro.

Hic verò in tabella, eo potissimum nomine confecta, rectè exscribat, quæ à Parocho acceperit.

32 Ei prætereà tabellæ, quam in Cancellaria diligenter certo loco asseruet, addat, detrahat, atque mutet quicquid in dies singulos addi, detrahi, mutariuè acciderit.

33 Item de Clericis, qui vel suspensionis censura affecti, vel exilio mulctati sunt, accuratè etiam seruet Cancellarius, notato tempore, quo in ea suspensionis censura, aut in exilio permanere decretum est.

Quò diutius in excommunicationis, interdictiuè censura aliquis permanserit; cum absoluitur, eò grauiori pœnitentia afficiatur. Cōc. Trid. Sess. 25. c. 3. de reform.

De Legibus & Taxa Iudicibus quibuscúmque, Notariis, Scribis, aliisque inferioribus ministris præscriptis, ac præscribendis.

SVMMARIVM.

1 *Taxa Notariis, & Scribis, iudiciisque & causis ab Episcopo præscribenda.* 1.

2 *Iudicibus item, & Aduocatis, Procuratoribus, & aliis certæ statuenda leges.*

3 *Eæ leges, taxaque in Cancellaria Episcopali publicè semper proposita.*

Executoribus, carceris custodibus, ministrisque aliis, taxa etiam præfigenda. De Inferioribus fori Episc. Ministris, num. 1.

4 *Taxa ipsa, vbi adhuc præscripta non sit, infrà quod tempus præscribenda, & à quo comprobanda.*

5 *Taxa à Metropolitano confecta, & à sanctiss. Gregorio Papa XIII. confirmata, à quibus seruanda.*

6 *Contrà facientes, vt puniuntur.*

Constitutio Pontificia confirmatoria Taxæ à Metropolitano Mediolanensi confectæ. De Constit. numero. 40.

1. De Notariis, & Scribis.

1 Episcopi intrà sex menses omnibus Notariis, & Scribis sui fori, tàm Ciuitatis, quàm Diœcesis communem taxam præfiniant, quam pro opere, & officii sui mercede ab vnoquoque in singulis causarum generibus pro loci, & cuiuscúmque rei ac personæ conditione exigi liceat, qui non obtemperarit, in eum vehementer animaduertant.

3. De iis quæ ad Episc. for. pert.

2 Episcopus anni spatio ad summum, fori sui iudiciis, causis & Iudicibus, Aduocatis, Procuratoribus, Notariis, & Ministris quibuscumque etiam infimis, quibus in rebus opus fuerit, certas constituat leges, ad vrbes, Diœcesisque suæ vsum accommodatas,

Illisque omnibus certam etiam taxam præscribat, quam pro sui, vel operis, vel officii, vel laboris mercede, proque causarum, & iudiciorum ratione exigi ab vnoquoque liceat.

3 Quæ fori præscriptæ leges, atque taxæ, in Cancellaria publicè propositæ semper sint, vt notæ sint, & peruulgatæ omnibus.

5. De Cancellar. & Notar.

4 De certa taxæ ratione, forensibus tribunalis Ecclesiastici actionibus præscribenda, in Concilio etiam Prouinciali tertio cauimus; sed quoniam nondùm quicquàm præstitum est, quod omnibus partibus perfectum sit; sex mensium spatium post Synodi huius Prouincialis editionem præstituimus, quo tempore singuli Episcopi prouinciæ causis, negotiis, rebus & actionibus singulis fori sui, certas taxæ rationes, quæ Metropolitano probentur, quàm rectissime præstituant; vt nulla auaritiæ, cupiditatisuè suspicio inde existat.

Si qui non fecerint, Metropolitani ipsius cura sit, intrà annum totum id præstare.

6. Quæ ad for. pert.

5 Constitutio decretorum, & Taxarum à Metropolitano confecta & Apostolicis literis sanctissimi P. N. Gregorii Papæ XIII confirmata, & renouata, quæ per iudices Synodales & Conseruatores Regularium, exemptorumuè quorumcúmque, & per Ordinarios ètiam in causis delegatis, ac per eorum omnium, & singulorum Notarios seruanda, atque ad executionis vsum inducenda est, ab vniuersis, & eorum vnoquóque cuius interest, seruetur diligenter, inuiolatéque, ità tamen, vt si quibus in rebus, causis, negotiisve, aliquo statuto, aut consuetudine laudabili, nihil, vel minus; quàm ea taxa præscribitur, per iudices à Synodo deputatos, ac Regularium, exemptorumve quorumcumque Conseruatores exigi deberet, consuetudo illa, statutumve omninò retineatur, serueturque ad eiusdem Constitutionis præscriptũ.

Quam item Constitutionem, seu taxam Iudicibus Synodalibus, & Conseruatoribus præscriptam, seruet etiam Ordinarius: nisi quibus in rebus consuetudine, decretis, vel Constitutionibus, taxisuè Episcopalibus, taxa minor ei seruanda proposita esset, quam omninò seruet.

6 Si Vicarius, Iudexuè ordinarius in causis ordinariis, vel delegatis, aut Conseruator Regularium, & exemptorum quorumcúmque suis in causis; aut Iudex in Synodo deputatus pro causis commissarii, eorumuè Notarii, aut ministri, quicúmque contrà præscriptum sanctionis illius Pontificiæ quicquam commiserit, deliquerituè, cum eo, quicúmque sit ad præscriptum eiusdem Constitutionis agatur.

Aliqua alia specialia de Taxa, vide in Tit. de Cancell. & Not.

De Præfecto Reformationis Tribunalis & Taxarum.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiasticus vir ab Episcopo quotannis deputandus, qui Tribunalis, & Taxæ legibus exequendis præsit.*

2 *Præfectus is, quæ ipso in officio gerendo, præstet.*

1 Episcopus singulis annis, aut secundo quoque anno Ecclesiasticum virum decernat, qui certis illis legibus exequendis præsit; tùm Prouincialibus, tùm Episcopalibus, quæ ad rectum fori Ecclesiastici vsum, rectámque forensium causarum normam, tùm ad certam taxæ rationem, omnemque denique iudiciorum conformandam disciplinam pertinent. 5. De Præfecto Refor. Trib. & Taxar.

2 Is quæcumque de omni eo genere sancita sunt, omni cautione videat, vt ab iis, quorum interest, planè seruentur, & in morem, quàm diligentissimè fieri potest, inducantur.

Causarum acta, & Codices item, in quos solutiones sigillatim relatæ sunt de improuiso inspectet, quo facilius comperiat, si quid culpæ in taxæ præscriptæ ratione contrahatur.

Si verò præ quæstus cupiditate Cancellarius, Notariusuè plus pecuniæ, quàm præfinita taxæ ratio postulat, eiusque tabella ostendit, ab vllo vnquàm exegerit, id totum eidem restitui iubeat. Et verò qui in eo genere deliquerint pœnis etiam illos affici ab Episcopo, Vicarioue procuret. Ad Episcopum prætereà illorum nomina deferat, quos in illis exequendis, quæ sibi præscripta sunt, muneri suo deesse aliquo modo animaduerterit.

De inferioribus fori Episcopalis Ministris, carceris Custodibus, & Reis.

SVMMARIVM.

1 *Carceris custodibus taxa præscribenda.*

2 *Carceri inclusi res, vbi seruandæ, & quibus restituendæ.*

3 *Carcerati singula hebdomada visitandi: & quid proptereà curandum.*

4 *Deputandi qui miserabilium personarum patrocinium suscipiant.*

5 *Inferiores fori Episcopalis ministri quales sint: & à quibus abstineant.*

1 Præscribant Episcopi taxam executoribus, vel ministris, & carceris custodibus, vt ab iis, qui capti, & in carcerem inclusi sunt, pro comprehensione, & carceris commoratione, & victu id tantummodò exigatur, quod æquitas, & ciborum pretium postulet. Si qui carcere tenentur, sibi, quæ ad victum pertinent, ab aliis, quàm à custodibus, & ministris carceris, suppeditari voluerint, id eis facere liceat: neque proptereà 1. De Carceris Custodib. & Reis.

asperius tractentur; aut in deteriora loca compellantur.

2 Mandent prætereà, vt quamcumque pecuniam, vestes, arma, aliasuè res secum habeant ii, qui in carcere includuntur, tuto loco collocentur, & asseruentur, qui locus duabus claudatur clauibus, quarum altera apud ianitorem carceris sit, altera apud pauperum procuratorē.

Ex illis autem rebus, quæcumque & quotcumque sint, nihil vel ianitori, vel executori, vel cæteris ministris attingere liceat; sed eis, si inde exierint, vel eorum hæredibus, vel illis quibus à Iudice attributæ fuerunt, integræ, & intactæ asseruentur. Qui contrà fecerit, duplo mulctetur, quæ mulcta ei, cui damnum datum fit, attribuatur.

3 Curent etiam per certos homines, ab eis deligendos, semel in hebdomada visitandos eos, qui in carcere tenentur; qui si illos indignius, & acerbius tractare compererint; referant ad Episcopum, qui pro sua prudentia, ac pietate, nè quid iniquius fiat, omninò prouideat.

4 Designent verò Episcopi aliquos, qui miserabilium personarum causas gratis defendant.

5 Inferiores quoque ministri in Christianæ vitæ officiis contineantur: curentque Episcopi, vt à ganeis, & meretricibus, à ludo cuiusuis generis, ab improbatis quæstibus abstineant; nè blasphemi sint, nec vitæ moribus reprehendendis. Si quos deliquisse compertum erit, in eos animaduertatur,

De Carceris Protectore.

SVMMARIVM.

1 *Carceris Protector, Ecclesiasticus, & quis: & quanto tempore perseueret.*
2 *Eius officium quale.*
3 *Cum carceris custodibus quid agat.*
4 *Carceratos monitione, correctioneque egentes, moneat, corripiatque.*
5 *Et quot Episcopo deferat.*

5. De Episcopo epis. Iur. & foro. 1 Sit etiam fori Episcopalis carceris protector vnus è Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, vel alius Ecclesiastici ordinis vir: quem secundo quoque anno, aut breuiori temporis spatio, prout maluerit Episcopus ei curæ, protectioniuè præficiat: rursùsque ab illo munere liberè amoueat, etiam ante præfinitum tempus pro arbitratu suo.

2 Eius officium erit, exquirere diligenter, ac simul curare, vt Aduocatus, Procuratorue pauperum, satellites, & custodes carceris muneri suo nè in aliqua re desint, neque quicquàm committant, quod iis, qui in custodia sunt, fraudi, damnoue esse possit.

Inuestiget præterea sollicito, diligentique studio, quæ illorum cura adhibeatur, cùm in primis ad animæ salutem, tùm etiam ad corporis sustentationem: & quæ verò de toto eo genere in Concilio Prouinciali primo, & tertio cauta sunt, an præstentur quàm rectissimè: & quid denique officii erga ipsos singuli ii præstent, quibus commissum est.

Causæ item eorundem, & quàm celerrimè fieri potest, rectè, cum æquitatis ratione congruenter diffiniantur, etiam atque etiam studiosè videat, ac procuret.

Singulis hebdomadis sæpè, vel minimum bis vnumquemque, qui in carcere est, inuisat. At si qui sunt, qui arctiori secretioriuè custodia inclusi tenentur, eos item visitatum eat: sed hoc omne officium, Vicario consentiente, eodemque præsente, aut Procuratore Fisci Episcopalis, aliouè, quem idem Vicarius maluerit; si ità magis expedire censuerit, ipse præstet, nec verò aliàs.

3 Carceris item custodes sæpiùs per hebdomadam adhibeat, quibuscum agat, quæcúmque non solùm ad mores corrigendos, sed ad vitam sustentandam, necessitatesque subleuandas eorum pertinent, qui in vinculis, custodiauè sunt. Ac proinde libenter, benignéque audiat, quæ quotidie sibi eo de genere ab illis exponentur: & quibus opus esse viderit, vt consulatur, ac prouideatur; in iis omnes curæ, sollicitudinisque partes, vt oportebit, quàm diligentissimè præstet.

4 Si porrò vel vniuersos, vel singulos, qui in carcere sunt, ità se malè gerere perspexerit, vt correctione, monitioneuè opus habeant ad morum disciplinam, eos, prout oportunitas tulerit, & monere, hortari, & obiurgare, & corripere nè desistat.

5 Si verò alios muneri suo deesse, aut in eo peccare animaduerterit, cùm illos sui officii, atque adeò errati moneat in primis; tùm si opus erit, ob eam causam Episcopum, aut Vicarium generalem adeat, cuius auctoritate malorum pertinaciæ occurratur.

De Visitatione ab Episcopo facienda Tribunalis, & Carceris.

SVMMARIVM.

1 *Tribunal Episcopale ab Episcopo quotannis visitandum.*
2 *Carcer etiam ab Episcopo aliquando visitandus.*
3 *Visitatio Carceris quo fine peragenda: quæque curanda.*
Carcerati à Carceris Protectore singula hebdomada pariter inuisendi, De Carceris Protectore, numero. 2.

1 Qvotannis fori sui tribunal Episcopus visitet; inquiratque an præscripta fori ratio, an præfinita taxa seruetur: tùm præthereà, an si quæ corruptelæ, siquiuè abusus irrepserint; an si quid denique vel institui, vel emendari, oportet: idque sollicitè in primis curet, vt eripiantur abusus, tùm restituantur quæcumque ad rectam iudiciorum formam attinent. 3. De iis, quæ ad for. Episc. pert.

2 Episcopus non solùm per certos homines, vt primùm à nobis constitutum est; sed etiam ipse aliquando in anno carcerem visitet: in eoque inclusos paterna charitate consoletur, piéque in Domino adhortetur.

3 Videat item, vt eis ad corporis sustentationem, & ad iustum patrocinium non desit quicquàm: tùm in primis non libri spiritualis lectio, non crebræ religiosorum hominum cohortationes, tùm nè denique aliquid ad animæ salutem.

Curet etiam, vt qui in liberiori custodia sunt; festis saltem, & Dominicis diebus Missæ sacrum audiant, aliquo, vbi fieri potest, exædificato propè carcerem sacello, tùm Doctrinæ Christianæ rudimentis instituantur. Idque officium iis prætereà præstetur, qui in laicalis fori liberiori carcere sunt.

Vt omnes in Pascha confessi, sacram Eucharistiam piè, & salutariter sumant. Quod vt die Natali Domini, & aliis anniuersariis redemptionis nostræ solennitatibus indictisque publicis Iubileis, ac Indulgentiis, faciant, eosdem cohortetur.

De Iurisdictione Episcopali, Apostolicis Constitutionibus, edictisque, & aliis Instructionibus Episcopalibus publicandis, & asseruandis, & Episcoporum gestis memoriæ commendandis.

SVMMARIVM.

Legato Pontificio, Visitatori, Nuncioque Apostolico, Metropolitanouè in Prouinciæ Dioecesim aduentanti, Episcopus Dioecesanus, rocheto contecto obuiam prodeat. De vita, & hon. Episc. num. 12.

Oeconomus ab Episcopo deligendus, qui bona Cathedralis Ecclesiæ administret, & qualis. Quæ pert. ad honor. Eccl. num. 22.

1 *Prælatus exemptus, licet Episcopus sit, in aliena Dioecesi, vbi Ecclesiam exemptam obtinet, absque Episcopi Dioecesani consensu, Pontificalia non exerceat.*

2 *Neque alteri Episcopo potestatem faciat Pontificaliter exercendi.*

3 *Conseruatores à Regularibus electi mutari nequeunt, eorúmque nomina Episcopo Dioecesano significanda.*

4 *Capituli, Clerìuè consilium Episcopus sequi minimè tenetur.*

Episcopus ad aliam Prouinciæ Ciuitatem, locumnè accedens, vt excipiendus. De vita, & hon. Ep. num. 62.

Reliqua ad Episcopum, Episcopalémque iurisdictionem quoquomodo spectantia, in quinto, & sexto Conciliis Prouincialibus contenta, vbi videnda. Ibid. num. 48. 49. 50. 51. 52. & à 57. vsque ad fi.

5 *Bullæ Pontificiæ, Romæ quotannis editæ, Episcoporum cura in suis Dioecesibus, quæque aliæ promulgandæ, eæque vbi asseruandæ.*

6 *Iis promulgandis, qui modus seruandus.*

7 *Promulgationis relatio, à quo, & cui fiat; vbique notanda.*

8 *Edicta etiam Episcopalia, scriptauè alia, vbi, & quomodo promulganda.*

9 *Certi dies Parochis præfigendi, quibus Pontificias sanctiones, decreta Tridentina, Prouincialia, Synodalia, & alia pronuncient.*

10 *Eaque in promulgatione quod Concionatorum, & Parochorum officium.*

11 *Diplomata Pontificia, & Principum quæ in Codicem certum referenda.*

12 *Episcoporum nomina, genus, & Pastorales actiones certo libro notandæ.*

13 *Viri aliquot ab Episcopo deligendi, quibus vtatur in instituendis Ciuitatis, & Dioecesis moribus.*

1 Ne prælatus exemptus, etiam si Episcopus sit, in alienam Dioecesim, intrà cuius fines Ecclesiam quomodocúmque exemptam obtinet, quæ iam inde etiam ab immemorabili vsque tempore iurisdictionem spiritualem habet, alium Episcopum inducat, neque ad sacrum oleum conficiendum, neque ad chrisma ministrandum, neque ad consecrandam Ecclesiam, neque ad alia pontificalia munera obeunda, exercendauè: nec verò ipse illa officia, muneraué ministret, aut exerceat, sine Episcopi Dioecesani concessu. 5. De Episcopo, Episcopali Iuris. & foro.

2 Nè item prælatus inferior, etiam exemptus in Ecclesia, locouè, vbi iurisdictione spirituali vtitur, Episcopo extraneo potestatem faciat ministrandi pontificalia munera.

3 Regulares, quibus ex priuilegio ius competit conseruatores eligendi, ad quos in iudicium vocentur, quos semel delegerint, nè mutent: eorúmque prætereà nomina, mensis spatio, Episcopo Dioecesano significent: alioquin ad Episcopale forum in ius illos vocari liceat.

4 Quibus in actionibus, aut deliberationibus Oecumenica Synodo Tridentina, aut Prouincialibus Conciliis constitutum est de Capituli Clerìuè consilio aliquid agendum esse; non proptereà tamen illud sequendi necessitatem sibi impositam esse, Episcopus existimet; nisi in iis tantùm, de quibus id speciatim, nominatimque cautum est.

5 Summorum Pontificum bullas, quæ quotannis de quauis causa ab illis edentur, Episcopus duobus saltem post mensibus, quàm illas Romæ editas cognouerit, in sua Dioecesi eas potissimum promulgandas curet, quas promulgari in iis ipsis iussum erit; tum illas item, quas ad Ecclesiæ suæ gubernationem pertinere aliqua ratione posse iudicabit. Quarum omnium Bullarum librum confici, & in Episcopali Archiuo asseruari iubeat. 2. Tit. 5. dec. 5.

Metropolitani autem cura sit, eas omnes, cùm primùm acceperit, ad singulos Prouinciæ Episcopos mittere.

6 Summorum Pontificum constitutionibus promulgandis hæc ratio seruetur, vt si earum peruulgationi præfinitus in illis est modus, is adhibeatur; si verò nullus, ad peruulgationem satis sit affixio; quæ, vt moris est, fiat certis publicis locis. 3. De iis quæ ad Episc. for. pert.

7 Cuius affixionis, & peruulgationis relatio, testificatioque ab eo, qui affixerit, fiat Cancellario fori Episcopalis, cuius sit illam in librum referre.

8 Quod de Pontificiarum constitutionum promulgationis modo & loco, vel in hoc, vel in aliis Conciliis Prouincialibus præscriptum est: id non solùm in Pontificiis constitutionibus; sed etiam in edictis Episcopalibus, aliisuè scriptis, quæ promulgari contigerit, locum habeat, planèque seruetur. 4. De foro Episc.

Quò autem studiosius tradantur, & inculcentur, quæcumque illis, vel constitutionibus vel edictis, scriptisuè continentur; Episcopus, si ità expedire censuerit, illas ipsas tum constitutiones, tùm edicta, vel scripta eiusmodi in

Cathedrali Ecclesia saltem populo frequenti, de scripto primùm ità legi curet, vt nè verbum quidem, ne dùm pars vlla omittatur. In aliis deinde Ecclesiis, ac locis, vbi euulgandas censuerit, illæ per capita summatim, vulgarique sermone, prout ille maluerit, explicentur.

9 Certos, statosque dies singulis mensibus, Calendarii instar notatos, quibus vel Pontificias sanctiones, vel Tridentina decreta, vel Prouinciales, Diœcesanasque constitutiones, aut pastorales literas populo euulgari, de scriptoque pronunciari iussum est, Episcopus Parochis præstituat, vt ordine omnia, pro temporum ratione, diligenter promulgata, sæpiusque suis certis diebus repetita, accuratius in executionis vsum inducantur, ac retineantur.

10 Cùm vel sanctiones Pontificias, vel decreta Conciliaria, vel literas, constitutionesuè Episcopales, vel aliquid eiusdem generis promulgari, aut populo enunciari, de scriptóque legi iussum est, vt vberiorem fructum ferant, ac studiosius ad executionis vsum illæ introducantur; Episcopus, concionatores, qui in vrbe sunt, Parochi verò Diœcesani, si quos in suæ Parochialis Ecclesiæ finibus habent, eos diligenter hoc præmonere studeant, vt quod fidelibus enunciandum est, idem illi inter concionandum cohortationibus adiuuent.

Hoc verò cohortandi munus ipsi etiam Parochi studiosè semper præstent.

11 Liber fiat, in quo singula diplomata, siue Summorum Pontificum, siue Imperatorum, siue Regum, Principumuè sint, quæ ad Ecclesiæ illius priuilegia, iura, aliauè id generis quouis modo pertinent, rectè, atque ordinè describantur.

Qui liber in Armario, certo archiui loco, diligenter asseruetur.

3. De iis quæ ad Episc. for. pert.

12 Episcopus, id quod vel ab initio nascentis Ecclesiæ institutum fuit, vt rerum Episcopali studio, curaque gestarum monimenta extarent, conquiri diligentissimè curet; tùm singulorum Episcoporum, qui præcesserunt nomina, genus, & pastorales eorundem actiones. Quæ omnia literis consignari, ordinéque conscripta, in librum certum referri curet, vt eorum memoria conseruetur; & quæ ab iisdem, vel acta, vel instituta sunt, ad aliquam Ecclesiasticæ disciplinæ normam perpetuò vsui esse possint, atque adiumento in illa Ecclesia benè gerenda.

Ibid.

13 Episcopus in vrbe sua viros aliquos, auctoritate præstantes, spiritualis vitæ studiosos deligat, quorum adiumento, & opera vti possit, & in iis cognoscendis, quæ ad Ciuitatis, Diœcesisque suæ morum institutionem pertinent, & in adiuuandis Christianarum virtutum exercitationibus, & in aliis denique quibus populi sibi commissi progressio fiat ad sanctè agendi studium.

De Archiuo Episcopali.

SVMMARIVM.

1 *Archiuum, quod Episcopo, & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ commune sit, instituendum.*

2 *Illud clauibus duabus occludendum, & à quibus illæ custodiendæ.*

3 *Cuique illæ, sede Episcopali vacante, tradendæ.*

4 *Archiuo in ipso certus constituendus locus, vbi causarum Codices, & alia recondantur: isque locus quot clauibus claudendus, & à quibus illæ tenendæ 5.*

6 *In illud scripta, & instrumenta, actáque omnia à Cancellario Notarioué amoto, defunctoué confecta deferenda: dictáque testium, & quæ alia consignanda. 8. De foro Episc. num. 11. 12.*

7 *A quo exscribenda ipsa Archiui exemplaria.*

Inuentaria bonorum & iurium Ecclesiarum, piorúmque locorum, in eo retinenda, librique, Codices, & monimenta, vt infrà sequitur, asseruanda, 43. Quæ pert. ad bonorū. nu. 1. & 2.

Monimenta festorum dierum. De fest. dier. cultu. 30.

Liber eorum, qui fidei professionem emiserunt in Diœcesana Synodo, emittentque. De fidei profess. num. 4.

Liber Reliquiarum recognitarum. De sanctorum Reliquiis. 4.

Scripta, monimentáque ad eas pertinentia. Ibid. 34.

Liber Indulgentiarum perpetuò, vel ad tempus Ecclesiis concessarum. De Indulgentiis, nu. 7.

Liber Altarium, onerum, iuriúmque ad ea pertinentium. De Eccl. fab. 76.

Liber Consecrationum Ecclesiarum, Altarium, Cœmiteriorum, & Campanarum. De Eccl. Consecrat. 6.

Liber Diœcesanorum beneficiorum, isque qualiter confectus. Quæ ad benef. collat. 35.

Liber ordinatorum. Ibidem.

Alter, in quo testificationes ordinandorum summatim relatæ sint, Quæ ad ordinis sacr. & c. 61.

Liber pœnarum, & mulctarum, solutionisque earundem. De foro Episc. 20.

Liber diplomatum Pontificiorum, & Imperatorum, Regumque & quorum. De Iurisd. Episc. 11.

Liber legatorum annuorum cum oneribus adiunctis. De piorum locorum. & c. 19.

Libri impressi, & recogniti. De edit. & vsu sac. lib. 8.

Attestatio promulgationis decreti Concilii Tridentini, de Matrimoniis clandestinis. Quæ ad sacr. Matrim pert. 30. in fi.

Testimonium professionis emissæ. Quæ ad ord. sacr. 26.

1 AT verò in quibus Ecclesiis, vel Cathedralibus, vel Collegiatis Archiuum eiusmodi non sit, ab Episcopo instituatur. *initium huius decreti videatur Quæ ad bonorum & c. num. 2.* 1. quæ pert. ad bonorum & iurium, &c.

Archiua singula duabus clauibus occludatur. 2. Tit. 2. dec. 14.

Cùm primùm aliquis huius prouinciæ Episcopus mortem obierit, Archiui Episcopalis clauis Notarii publici fide, vna Capituli Vicario, altera vni de Capitulo, ad quem, vel officii ratione, vel consuetudine pertinet, si quę nemo talis est, alii antiquiori residenti tradatur; ab eisdémque vna, & item altera asseruetur, quòad alius Episcopus creabitur, cui illas restituant, & rationem de scriptis in inuentario notatis, eorúmque custodiæ commissis eidem reddant. 3. De iis, quæ ad Episc. for. pert.

4 Certus in Archiuo Episcopali locus constituatur; vbi causarum, ac iudiciorum Codices,

instrumenta, acta, scriptauè alia, à Cancellario, & Notariis fori Episcopalis, ad ipsum forum pertinentia singulis annis confecta, quotannis recondantur; ità vt inde, cùm vsu venerit, promi possit, quicquid in Ecclesiastico foro vmquam agitatum erit.

5 Is certus Archiui locus duabus clauibus claudatur; quarum vnam Episcopus, alteram eius Cancellarius habeat.

Notario autem instrumentorum, quæ confecit, exemplum, idque sumptibus suis habere, aut retinere liceat.

6 Si Cancellarius, Notariusuè aliquis decesserit, vel ab officio se abdicarit, amotusuè sit, quæcumque ille, vel instrumenta, vel scripta, vel acta eiusmodi confecit, statim Episcopi iussu in eundem locum deferantur. Quod si processus alicuius causæ nondum sit completus, & causam, ob quam confectus est, partes prosequantur, eius in Archiuum delatio deferri poterit, quòad causa sit peracta.

7 Ex Archiui tabellis, exemplaribusuè, si quæcumque acta, aut instrumenta, quæ Notarii manu, signóque munita, fidem faciant, exscribi contigerit; is, qui rogatus Notarius illa confecit, si viuit, vt operis sui emolumenta consequatur, eorum exemplum, modo edi liceat, ipse conficiat, si præsens est; si verò abest, id seruetur, quod iure cautum est: sin autem obiit, id Episcopalis Cancellarius præstet: mercedem autem inde capiant notarii hæredes: nisi aliter inter Episcopum, & Notarios conueniatur.

Quæ desũt huic titulo, videãtur in Tit. de Archiuo Capitulari de foro Episcopali, De Cãcellario, &c.

Quæ ad sacramentum matrimonij pertinent.

SVMMARIVM.

Matrimonio contrahendo, regula à Concilio Tridentino tradita, seruanda.

2 *Matrimonii libertas nullis legibus sæcularibus violanda.*

3 *Libertatem ipsam impedientes, puniuntur.*

4 *De puellæ minus libera voluntate, vbi Episcopo constet, quid agendum.*

5 *Matrimonii denunciationes quibus diebus, quibusque in locis fiant. 9.*

6 *Eæ non procrastinandæ.*

7 *Quomodo faciendæ, matrimoniumque celebrandum, vbi contrahendum sit à Catholicis in hæreticorum finibus, locisuè finitimis commorantibus.*

8 *Qui modus item præscriptus in matrimoniis, quæ cum vagabundis iniri solent.*

9 *Matrimonii denunciationes ad cuius instantiam fiant.*

10 *Denunciationibus faciendis, quid seruandum vbi contrahentes diuersarum sint Parochiarum.*

11 *Quid item in contrahendo matrimonio; præcipuè cum contrahentes sunt diuersarum Diœcesum.*

12 *Eas denunciationes facturus Parochus quæ priùs inuestiget.*

13 *Quæ à sponsis perquirat.*

14 *Quæque ea in inuestigatione caueat; quæ item cùm sponsalibus intersit.*

15 *Ad quæ sponsos ipsos cohortetur. 17.*

16 *Quæque eosdem moueat,*

18 *Populus docendus, religiosa animi præparatione sacramentum hoc suscipiendum.*

19 *Denunciationes, Episcopi concessu, & causa, remittendæ.*

20 *Non tamen facilè; & quid agendum, vbi ante matrimonium remittantur.*

21 *Earum remittendarum, quæ causæ legitimæ.*

22 *Vicario Generali quando eas remittere liceat.*

23 *Denunciationes semel factæ, quando iterandæ.*

24 *Vltimæ denunciationis die matrimonium non celebrandum. 39.*

25 *Sponsorum ante solemnem matrimonii celebrationem, coeuntium, absolutio Episcopo reseruata.*

26 *Id etiam eorum matrimonium futurum nullum, ab Episcopo declaretur.*

27 *Quique ità contraxerint, puniendi.*

28 *Huic corruptelæ, quomodo Episcopi cura prospiciendum.*

29 *Matrimonium falsò, & scienter impedire tentans, excommunicandus.*

30 *Matrimonium clandestinè attentans contrahere à Parocho repellendus.*

Tridentini decreti de matrimoniis clandestinis promulgatio an facta sit, ab Episcopo inquirendum.

Promulgationéque non facta, quibus adhibitis, & vbi facienda. Ibidem.

31 *Doctrinæ Christianæ rudes, matrimonium contrahere prohibendi priusquàm eam didicerint.*

32 *Matrimonium sine Parocho, aliouè Sacerdote contractum, nullum: qualiter tamen intelligẽdum.*

Nullum item celebratum à non proprio Parocho. 36.

33 *Quarto, & quinto gradibus affinitatis consanguinitatisuè iuncti, matrimonium sine dispensatione contrahere non prohibentur.*

34 *Contrahentes à Parocho monendi, excommunicationis propositæ scienter matrimonia contrahentibus in gradibus prohibitis.*

35 *Matrimonia prohibita contrahere præsumentes, sub spe dispensationis consequendæ, ab Episcopo puniendi; & separati, excommunicati denunciandi.*

37 *Matrimonium in Ecclesia Parochiali celebrandum.*

38 *Idque manè, non autem à prandio.*

39 *Postridieque diei vltimæ denunciationis.*

40 *Benedictio celebratâ Missâ facienda.*

41 *Musica instrumenta non adhibenda in matrimonio contrahendo benedictionéque impertienda.*

42 *Admoniti id facere contemnentes, matrimonio non coniungendi.*

43 *Annulo quis sponsæ digitus induendus.*

44 *Bibendi vsus in Ecclesia, frangendique cyathi contrahendo matrimonio tollendus.*

45 *Quæ alia in nuptiis emendanda.*

46 *Matrimonia, fascinationibus & veneficiis impedientes, aut dirimendi occasionem præbentes, excommunicatione feriuntur.*

47 *Consilium, mandatumuè ad id dantes, eandem censuram subeunt.*

48 *Temporibus ab Ecclesia prohibitis domum sponsam traducentes, interdicti pœnam incurrunt.*

Matrimonia contracta, vnà cum testibus adhibitis, in certum librum describenda.

49 *In eundem librum referendæ facultates Sacerdoti*

alii concessa, vt suprà matrimonio contrahendo intersit.

50 Quæque aliæ attestationes referendæ. 50.

Eæ facultates quibus tantum Sacerdotibus concedendæ. 52.

51 Sacerdotis coadiutoris opera, vbi vtatur Parochus ad matrimonia contrahenda, quid de eo coadiutore in eundem librum notandum.

53 Decreta Tridentina, & Prouincialia de matrimonii sacramento, communi lingua, & quando euulganda.

54 Apostolicæ Constitutiones, litteræuè decretales ad Tridentinorum de matrimonii impedimentis decretorum declarationem editæ, & vbi videndæ.

55 Delegati ad dispensandum in matrimonio irrito, dispensatos iterum contrahere cogant.

56 Matrimonialibus in dispensationibus dotis non competentis causa concessis, vt agendum.

57 Pro executione matrimonialium dispensationum ab Episcopo, Vicarioué nihil omninò capiendum: à Notario verò quantum.

1. Quæ ad facr. Matrim. pert. Sess. 24. c. 1 de ref. matr.

1 DIligentissimi sint Episcopi in ea obseruatione, nè quisquam à regula, quam in celebrando matrimonio seruandam statuit Tridentina Synodus, vlla ex parte discedat.

5. Quæ ad Matr. pert.

2 Matrimonium, cùm sacramentum sit, & maximè liberum; si quæ municipales leges, statuta, decretaué sunt, quibus huic sacramento, sanctæque illius libertati contrà sacrorum Canonum, & Conciliorum præscriptum vllo quouis pacto impedimentum afferatur; eas irritas, rescissas, ac planè nullas decernimus, ac declaramus.

3 Omnibus verò, quacúmque etiam dignitate, potestatéque præditis, interdictum iam nunc perpetuò sit, ne earum etiam legum, statutorum, decretorumuè auctoritate, nec verò alia quauis ratione quicquam statuant, decernant, iubeant, agantuè, quo matrimonii libertas vllo pacto, neque directè, nec vero indirectè, lædatur.

Sess. 24. c. 9

Qui contrà fecerit, pœnas, & censuras Conciliorum & Canonum iure sancitas, ipso facto subeat.

4 Episcopus verò, vbi probabilem pro sua conscientia suspicionem habeat de puellæ minus libera voluntate, tùm exquirat rem diligentissimè; tùm prætereà, si opus esse censuerit, illam certo loco tuto, ac honesto collocet, vbi illa eidem proferat, & explicet liberius suam voluntatem, qualis verè sit.

1. Ibidem. Sess. 24. c. 1

5 Denunciationes, quæ matrimonium antecedere debent, festis illis diebus fiant, qui Ecclesiæ præcepto seruantur, media ea Missa, ad quam frequentior populus conuenire solet, quò id facilius notum omnibus esse possit.

6 Si Parochus in matrimonio denunciationes, vel benedictionem sine probabili causa procrastinarit, cuius iudicium deinde sit Episcopi, ab eo plectetur.

2. Tit. 1. dec. 25.

7 Illud maximè Episcopus interdicat, ne animarum curatores, qui in hæreticorum finibus, vel in locis finitimis habitant, vbi vnicuique liberum est publicè, & impunè hæreticorum more viuere, matrimonii, quod inter Parochiæ suæ, & illorum locorum incolas contrahendum est, secundam denunciationem faciant; neque eos matrimonio coniungant; aut denunciationum, quæ de matrimonio celebrando factæ erunt, fidem, ac testimonium ad ea ipsa loca, vbi illud ineundum est, mittant, nisi priùs eius, qui in locis hæreticorum, aut hæresis nomine suspectis habitat, nomen, & cognomẽ Episcopo denũciarint: ab eoque impetrarint facultatẽ, alias denunciationes faciendi, matrimoniique celebrãdi, vel fidem denunciationum illuc mittendi, quæ eo nomine factæ sunt. Quam facultatem Episcopus nè det, nisi prius de fide Catholica illius hominis cognouerit, qui ea loca incolit; aut, nisi item sibi omninò exploratum sit, matrimonium eiusmodi non contrahi cum hæreticis.

8 Tridentina Constitutio de matrimoniis; quæ cum vagabundis hominibus iniri quandoque solent, seruetur à Parochis vel diligentissimè. Nec verò ipsis Parochis facultatem, vt illos vagos homines matrimonio iungant, Episcopus ante det, quàm norit, eos, & solutos esse, & à catholica communione non alienos. Ibid. dec. 26. Sess. 24. c. 7

9 Matrimonii denunciationes à Parochis tùm demùm fiant, cùm vir, & mulier, eorumuè parentes, vel ii, qui puellæ curam habent, id postularint; sique ambo diuersis in Parochiis habitant; tum in vtrius, & alterius item Parochia fiant.

Matrimonii denunciationes in posterum à Parocho nè fiant, nisi iis ipsis petentibus, aut consentientibus, de quorum matrimonio contrahendo agitur. 3. De iis, quæ ad Matr. sacr. pert.

10 Quòd si diuersis in Parochiis illi habitant, vtriusque item Parochus hoc ipsum seruet. Neque matrimonium alter Parochus denunciet, nisi ab altero Parocho certior factus sit de postulatu; aut consensu illius, qui suæ est curæ subiectus.

11 Caueant autem Parochi nè alienæ Parochiæ sponsum sponsamuè antè matrimonio iungant, quàm testimonium ab illius, qui intrà Parochiæ suæ fines non habitat, Parocho, si eiusdem, vel finitimæ, aut non nimis longinquæ Diœcesis ille sit, scriptum acceperint; cuius testimonii fide sibi testatum fiat, ex Tridentini Concilii præscripto denunciationes, quæ necessariæ sunt, aut Ordinarii sui voluntate omissas esse, aut factas quidem, nullúmque legitimum impedimentum ab vllo homine significatum, quo minùs tale matrimonium contrahi liceat. Illud verò testimonium si à Parocho alienæ Diœcesis fiet; ab Ordinario loci, aut ab eo, cui hoc ille delegarit, subscriptione, ac sigillo comprobatum sit. 2. Tit. 1. dec. 24.

12 Inuestiget etiam ipse Parochus diligenter, aut alius Sacerdos, cui facultas data est, in matrimonium iungendi sponsos, an quod denunciaturus est matrimonium, in eo aliquod subsit impedimentum, quo minùs contrahi liceat: quod si in aliqua probabili coniectura extiterit, qua existimet illud inire non licere; Episcopum ante consulat, quàm vlterius in denunciationibus progrediatur, sponsosuè iungat, quos dubitat matrimonio non licere copulari. 3. Ibidem.

13 Parochus statas matrimonii denunciationes facturus præter notitiam de illis faciendis sibi datam ab agnatis curatoribus illorum, de 4 Quæ ad Matr. pert.

quorum matrimonio agitur; primùm à mari, tùm à fœmina exquirat, an matrimonii, quod inter eos tractatur, denunciationes fieri placeat.

14 Qua in re caueat, nè dùm matrimonii denunciandi voluntatem eorum notam, exploratámque inuestigando habere vult, ea inuestigatione matrimonii istius, aut sponsalium consensum exquirat. Itaque de statis solùm denunciationibus explicatè, ac distinctè, separatimque ab vtroque perquiret; idque à fœmina loco honesto, & in propinquorum conspectu; ità tamen, vt nè quisquam audiat; neque ità propè sit, vt illa præ pudore, vel alia causa, minùs liberè animi sui voluntatem exprimere audeat.

5. Quæ ad Matr. pert. Caueat Parochus, si quando sponsalibus intererit, vt nè de præsenti, sed de futuro matrimonio illa contrahantur: sicque propterea verborum formula dilucidè concipiatur, vt de eorum sensu nulla deinde quæstio, difficultasve oriatur.

5. Ibidem. Sess. 24. c. 1. 15 Parochus, quorum matrimonium ex Concilii Tridentini præscripto publicè ter denunciaturus est, eos primùm graui cohortatione diligenter moneat, vt cùm ad illud ineundum, ieiuniis, orationibusque se parent; tùm etiam, vt eo ritè celebrato, Sacerdotalique benedictione à proprio Parocho accepta, orationi frequentiori interim vacantes, triduò abstineant pro reuerentia: sicque contrà spirituales nequitias, & carnis procacitatem sanctè muniti, salutem, & gratiam Dei ex eo sacramento vberiorem sibi comparare studeant.

6. Quæ ad Matr. pert. 16 Matrimonium futurum Parochus, antequàm in Ecclesia denunciet, præter id, quod ex Concilio Prouinciali quarto perquirere à sponsis debet, illos etiam seorsum moneat; vt videant, nùm matrimonio, quod inter se contrahere volunt, aliquod impedimentum obstet, quod mox infrà explicatum est; neuè alia, quæ ipse pro suo iudicio, & prudentia patefacere, exprimeréque debebit.

Viderint igitur an alteri fidem adstrinxerint, aut iureiurando spoponderint.

An castitatis, religionisve votum ediderint.

An aliquod impedimentum inter eos intercedat cognationis, etiam spiritualis, aut affinitatis, vsque ad gradum, iure, Tridentinóque Concilio prohibitum.

Sess. 24. c. 1 de refor. 17 Si verò filii familiàs sint, hos Parochus valdè cohortetur; vt parentibus, in quorum potestate sunt, eum honorem tribuant, vt illis nè insciis quidem, nè dùm inuitis, rem tanti momenti ineant.

Id prætereà studiosè, paternéque etiam vtrúmque hortetur, vt singulari quadam animi pietate, & oratione in primis frequentiori, in re tam graui ad Deum confugiat.

Quo in genere Thobiæ adolescentis, cùm vxorem duxit, commemorabile exemplum, imitationéque dignum proponat.

3. De iis, quæ ad Matr. sacr. pert. 18 Religiosam, animi præparationem requirit matrimonii ratio & sanctitas; quam cùm minùs intelligant laici homines, fit, vt sæpè grauiter in re peccent, quam sanctè inire debent. Crebrò igitur, cùm vsu venerit, Parochus, hoc ipsum populum doceat; ad idque adhibeat Catechismi Romani locos, & doctrinam.

19 Eas autem denunciationes, nè vlla quidem ex parte remittere eis liceat, nisi proprii Episcopi concessu idque causis iure permissis. 2. Tit. 1. dec. 26. Sess. 24. c. 1

20 Statas illas matrimonii denunciationes, Tridentina sanctione præscriptas, Episcopus nè facilè remittat. Si verò pro sua pietate, ac prudentia earum aliquam quandóque matrimonium contractum est, omitti censuerit, ac posteà, antè consummationem illas planè omnes, aut si minùs omnes, saltem duas, aut minimùm, vnam fieri curet omninò. 4. Quæ pert. ad Matr.

21 Matrimonii denunciationes, quas aliquando ab Episcopo remitti constitutione Tridentina permissum est, is videat, nè ob aliam causam, quàm ea ipsa Constitutione cauetur, remittat; cùm scilicet Ordinarii iudicio verisimilis suspicio est, matrimonium malitiosè impediri posse. At verò si hæc causa non subest, quamobrem illas remittat, ea certè sola, quod instat sacri Aduentus, Quadragesimæve tempus, neque necessaria est, nec verò cum ratione consentiens, cùm præsertim eo sacro tempore, qui iàm matrimonio iuncti sunt, ab illius vsu abstinere potius conuenient sit, nè dum sponsos vnà coniungi. 5. Ibidem.

22 Illas verò ab Episcopo, cùm præsens in vrbe, vel Diœcesi adest, solùm remitti deinceps liceat, ab alio prætereà nemine, ac ne à Vicario quidem generali.

Matrimonii futuri denũciationibus in Ecclesia de more factis, si fortè hoc accidit, vt illud duorum mensium spatio post non contrahatur, nè idem anteà Parochus celebret, quàm iterùm denunciationes ex Concilii Tridentini præscripto, fecerit, edixeritve, si modo illud Episcopus non concesserit.

24 Quo die de matrimonio contrahendo denunciatio vltima facta est, nè eo ipso die, nisi impetrata ab Episcopo facultate, illud celebretur; id autem præterquam si postrema ea denunciatio facta sit pridie illius diei, quo initium est Quadragesimæ, vel Aduentus; ac nisi item Parochus populo, antecedente denunciatione, significarit, eo die, quo postrema denunciatio fiet, matrimonium esse contrahendum. 5. Ibidem.

25 Qui sponsalia contraxerint, si vnà ante coierint, quàm coram Parocho, & testibus matrimonium inter eos celebratum sit, illius peccati, quoniam in eo sæpè delinquitur, absolutionem Episcopo reseruatam esse volumus, grauemque illis pœnitentiam imponi. 2. Tit. 1. dec. 27.

26 Si qui ætate etiam legitima, & Parocho præsente, testibus duobus adhibitis, & Notario item, iurati spoponderunt, se matrimonium inituros; ac deinde non contracto legitimè per verba de præsenti matrimonio, copulationem inter se inierunt, eorum matrimonium nullum ab Episcopo declaretur, ac decernatur. Id verò nè accidat, Parochus quàm sæpissimè populum, vt opus erit, moneat, ad præscriptum Concilii Tridentini. 5. Ibidem. Sess. 24. c. 1

27 Eos prætereà, qui ità contraxerint, grauiter pro arbitratu suo Episcopus puniat. Quod si iidem posteà de præsenti matrimonium contrahere velint, nè prohibeantur, modò seruentur quæ ad Tridentini Concilii præscriptum seruari oportet, si nullum aliud insit legitimum impedimentum. Sess. 24. c. 1

6. Quæ ad Matr. pert. 28 Magnam in eo diligentiam adhibuimus, vt corruptelam, atque adeò peccatum tolleremus, atque radicitiùs extirparemus quod passim in Prouincia nostra à sponsis committitur, qui mutua copulatione anteà vtuntur, quàm matrimonium per verba de præsenti ritè confectum, celebratúmque sit.

Verùm cùm nihil fermè in hoc genere hactenus profecisse animaduertamus; pro officii pastoralis munere perniciosæ isti corruptelæ, peccatóque graui nos diligentius, accuratiúsque prouidendum, & consulendum esse statuimus. Itaque Episcopi cura sit, pœnis, & censuris, quas arbitratu suo constituerit, sancire, nè sponsi, prius quàm matrimonium in Ecclesia per verba de præsenti, ex ritu celebrauerint,
Sess. 24. c. 1 non modò simul nõ habitẽt; sed nè vllo quidem modo mutua cõsuetudine, cõmercioue vtantur.

29 Qui falsum aliquod impedimentum mali-
3. Ibidem. tiosè attulerit, quo futurum legitimè matrimonium impediat, si prudens, sciensque hoc fecerit, præter alias iuris pœnas, excommunicationis etiam pœna afficiatur.

30 Nè Parochus matrimonio quempiam iungat, qui illud clàm contrahere attentarit, sine Episcopi concessu; vt de eo debitas ante possit
Sess. 24. c. 1 sumere pœnas ex Concilii Tridentini decreto: id autem nisi delictum hoc ità est occultè admissũ, vt nullũ eius rei indicium legitimũ extet.

Episcopus diligenter perquirat, an in singulis suæ Ciuitatis, & Diœcesis Parochialibus
3. Ibidem. Ecclesiis Tridentini decreti de matrimoniis
Sess. 24. c. 1 clandestinis promulgatio facta sit; &, vbi factam esse intellexerit, eius, quæ primò in quacumque Parochiali Ecclesia facta sit, si scripto testata esse potest, exemplum, manu Notarii signatum, ad se deferri iubeat.

Quod si minùs scripto, sed solùm testibus probari potest, eo Notario adhibito, examinari mandet. Si verò de promulgatione facilè constare non potest, aut illa omninò facta non est; illud decretum duorum mensium spatio in singulis eorum Parochialibus Ecclesiis, Notario, & testibus adhibitis, promulgari omninò iubeat, & quicquid ad illius decreti promulgati probationem pertineat, id Notarii testimonio munitum, in Episcopali Archiuo asseruetur.

3. Ibidem. 31 Parochus, quos sponsos experiundo viderit, Doctrinæ Christianæ rudimenta planè ignorare, nè matrimonio illos antè iungat, quàm ea item ratione cognorit, didicisse, quæ eo de genere illos planè scire oportet.

Sess. 24. c. 1 32 Qui testibus adhibitis, at sine Parocho, aliove Sacerdote, cui is, vel Ordinarius facultatem dederit, matrimonium de facto contraxerint, nè eos cogi liceat, vt denuò inter se contrahant: nec rursùs eo nomine impediri, quominùs eorũ vnusquisque cũ aliis liberè contrahat, cùm illud eorum factum nè sponsalium quidem, ne dùm matrimonii vim habeat.

6. Quæ ad Matr. pert. 32 Quod Concilio Prouinciali Quinto cautum est, matrimonium verbis de præsenti, sine Parocho, testibusque contractum nullum esse, ac ne sponsalium quidem vim, roburque habere, id ità intelligendum est, eos, qui ità contraxerint, posse tamen Concilii Tridentini conditionibus adhibitis, denuò matrimonium contrahere, dummodò intrà Parochiæ fines, & coram Parocho proprio, testibúsque illud contrahatur, celebreturve.

33 Qui quarto, & quinto affinitatis, consanguinitatisve gradu iuncti sunt, cùm inter se matrimonium, non impetrato dispensationis beneficio, liberè inire contrahereve possint, nè à Parocho, aut ab alio quopiam in posterum impediantur, quo minùs liberè contrahant, seruatis regulis, Tridentina sanctione præscriptis. 5. Ibidem.

34 Parochus, cum matrimonium celebrare voluerit, moneat contrahentes, propositam esse pœnam excommunicationis latæ sententiæ, vltrà alias pœnas à iure inflictas, in eos, qui in gradu prohibito consanguinitatis, vel affinitatis matrimonium contrahere scienter præsumpserint, ac eos omni spe consequendæ dispensationis carere ex præscripto Cõcilii Tridẽtini. c. fi. §. pen. de cland. desp. Clem. vnic. de cons. aff. Sess. 24. c. 5

35 Episcopus verò seuerè animaduertat in eos, qui diuino timore postposito in suarum periculum animarum, scienter huiusmodi coniugia prohibita, etiam ex causa fornicationis, quod frequentius accidere solet, inire, sub spe forsan futuræ dispensationis præsumpserint; ac statim illos, quos ei constiterit taliter contraxisse, adhibita separatione ex Concilii Viennensis præscripto, excommunicatos publicè tamdiù denunciari iubeat, donec suum humiliter recognoscentes errorem, absolutionis obtinere beneficium mereantur. Sess. 24. c. 4

36 Irritum, nullumque ab Episcopo matrimonium declaratur, quod à Parocho loci, vbi illud fit, non ab eo, qui Parochus proprius est contrahentium, celebratur.

37 Ne Parochus vllo alio loco, quàm in Ecclesia ipsa, quæ sacramentorum proprius locus est, sponsos matrimonio iungat; nisi ex facultate ab Episcopo permissa. 2. Tit. 1. dec. 28. Sess. 24. c. 1 de refor.

Matrimonium, quod in Ecclesia celebrari debere sancitum est, altera Prouinciali Synodo; in ea tantùm Ecclesia celebretur, quæ Parochialis est. 3. Ibidem.

38 Celebretur verò manè, non à prandio. Idque omne nisi cùm Episcopus alio vel loco, vel tempore fieri concesserit.

39 Ne solennes nuptias liceat celebrari, nisi post diluculum postridie illiùs diei, qui postremus est temporis, quo Tridentina Constitutione nuptiarum celebritas interdicta est.

40 Parochi, cùm sponsis benedicendum erit, id celebrata Missa, cui illi intersint sẽper faciãt. 1. Ibidem. Sess. 24. c. 1 de refor.

41 Sponsi autem, cùm in Ecclesiam conueniunt, vel ad matrimonium contrahendum, vel ad accipiendam benedictionem, nè Parochus vlla cuiusuis generis musica instrumenta adferri patiatur. 2. Tit. 1. dec. 28.

42 Quòd si ab ipso moniti, id facere contempserint; tamdiù eis matrimonii celebrationem, aut benedictionem differat, quò ad sanctè, vti debent, ob id ad Ecclesiam accesserint.

43 Annulo nuptiali non dexteræ, sed sinistræ manus sponsæ digitus, qui annularis dicitur, induatur; dumque induitur, nè à sponso, sed à Sacerdote, cuius est benedicere, illa verba proferantur: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. 4. Ibidem.

44 Vsum autem illum in Ecclesia bibendi, & frãgẽdi cyathi, & alia id generis, quæ indecorè fiunt, 1. Ibidem.

rè fiunt, cùm aliqui matrimonio iunguntur, amplius nè adhiberi patiantur.

4. Ibidem. 45 Quæ in nuptiis indecorè fiunt, ea ab Episcopis omninò eripi Concilio Prouinciali primo iussum est. In iis porrò ipsis cùm potissimùm minimè ferendæ sint illæ duæ, deprauato morum vsu introductæ corruptelæ: vna scilicet, cùm certa quædam pecunia ab iis extorquetur, qui ex alieno solo, alienauè Parochia vxorem ducunt; altera, cùm per vicos, & plateas, qua iterùm nupta ducitur, clamores, tumultuosæque voces, à profano gentilium more non abhorrentes, ac strepitus hominum, quasi exagitandis secundis nuptiis eduntur; eas sanè à Christianæ pietatis institutis, atque moribus, & à matrimonij, quod celebratur, sanctitate, alienas, Episcopus, cùm omni alia pastoralis officij sui ratione, tùm propositis etiam pœnis, censurisque extirpari, ac planè funditus tolli curet.

5. Ibidem. 46 Tridentina Oecumenica Synodus, illud Episcopali diligentiæ quàm diligentissimè commendauit, vt si quæ, vel hominum vitio, vel temporum iniuriâ corruptelæ in nuptiis celebrandis irrepserint, illæ radicitùs extirpentur. Atque eo quidem vehementius in eiusmodi curam incumbendum est, quò grauius, atque adeò sæpius in illis peccatur. Quare ad nuptias, matrimoniaque impedienda, vel dirimenda eò cùm ventum sit, vt veneficia, fascinationesuè homines adhibeant, atque vsque adeò frequenter id sceleris committant, vt res plena impietatis, ac propterea grauius detestanda. Itaque vt à tanto, tamque nefario crimine, pœnæ grauitate deterreantur; excommunicationis latæ sententiæ vinculo fascinantes, & venefici id generis irretiti sint.

Quam ipsam pœnam etiam illos subire decernimus, si qui in illis soluendis verba improbata, superstitiosa, atque adeò alia, quàm quæ Episcopo primùm probata sunt, adhibuerint; cùm id non sine diuini cultus offensione maximè faciant.

47 Quo etiam genere pœnæ afficiantur, quicumque vel suaserint, vel mandarint, vel consenserint.

Sess. 24. c. 10. 48 Ne quis cuiuscumque gradus, conditionisuè sit, statis temporibus quibus nuptiarum solennitates celebrari interdictum est, domum sponsam traducat, aut nuptialia conuiuia celebret, aliauè eius generis vetita agat.

Qui autem, vel per se, vel alium contrà fecerit, aut eius culpæ quouis modo particeps fuerit; is pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrat; eamque pœnam illum tamdiù sustinere volumus, quò ad sponsi Episcopi iussu separati, meritas pœnas, pro eorum conditione dederint arbitrio eiusdem Episcopi, & interdicto liberari eiusdē iudicio meruerint.

1. Ibidem. 49 Ne autem matrimoniorum, quæ contrahentur, memoria facilè pereat, si quam facultatem Episcopi, aut Parochi cuiquàm alij Sacerdoti, vt in contrahendo matrimonio intersit, concedendam aliquando duxerint, id scripto tantùm faciant, eiusque exemplum Episcopi in aliquo libro descriptum diligenter asseruent.

Sess. 24. c. 1. de refor. Matr. 50 Parochi autem in eum librum referant, in quo coniugum, & testium nomina ex præscripto Tridentini Concilij scribere debent, Quicquid verò eo libro Parochi singulis annis scripserint, id in fine anni Episcopo describendum tradant.

51 Si Parochus Sacerdotem alium coadiutorem habet, cuius etiam ministerio, facultate eidem Sacerdoti concessa, vtitur ad matrimonia contrahenda inter Parochiæ suæ incolas; is illam cautionem adhibeat; vt in libro, qui est de matrimoniis, illius nomen, & cognomen, tùm præterea diem, & mensem, & annum notet, quo ille Parochialis curæ socius, atque coadiutor adiunctus, facultatem à se, vel ab Episcopo consecutus est, matrimonia celebrandi. 3. Ibidem.

52 Nè autem matrimonij celebrandi potestatem Parochus faciat alij Sacerdoti, qui Episcopi iudicio nondum probatus est, vt sacramenta ministret.

53 Episcopi ea, quæ de matrimonio Tridentina Synodo in reformatione matrimonij, & his nostris constitutionibus decreta sunt, communi lingua diuulganda curent; & omnibus suæ Diœcesis Parochis eorum exempla distribuant: vt illi singulis quibusuis tribus mensibus frequentissimo populo in Ecclesiis recitent, nisi aliud Episcopo videatur. 1. Ibidem.

54 Quæ à Summis Pontificibus constitutiones, literæuè decretales ad Tridentinorum de matrimonij impedimentis decretorum declarationem editæ sunt, eas cùm à cæteris, tùm à Parochis præcipuè non ignorari oportet. Cui rei vt occurramus, illas typis impressas, vnà cum hoc libro Concilij Prouincialis Quarti, in vltima parte edi censuimus. 4. Ibidem.

55 Quibus matrimonij contracti in vno aliquo ex impedimentis, quibus illud contractum dirimitur, dispensatio à sancta Sede Apostolica, aut in foro conscientiæ, aut in vtroque foro delegata est; ij caueant, vt ad literarum Apostolicarum præscriptum, illos, cum quibus dispensari concessum est, matrimonium iterum contrahere cogant. Ibidem.

56 In dispensationibus matrimonialibus, dotis non competentis causâ concessis, si modo eo loci, vbi mulier, de cuius matrimonio agitur, habitat, virum pari, æqualique conditione non inueniri verè constet, qui sibi cognationis, affinitatisuè vinculo coniunctus non sit, progrediatur Episcopus ad exequendam eius generis dispensationem, etiam si in locis finitimis aliqui essent, qui nullo gradu cognationis, affinitatisuè iuncti, eam cum exigua dote in matrimonium ducerent. Satis enim est, in eo municipio, locouè, vbi mulier est, diligentiam matrimonij contrahendi adhibitam esse. 5. Ibidem.

57 Pro dispensationum matrimonialium executione, nihil quicquàm prorsus muneris, præmiiuè, etiam spontè oblati, ac ne pro labore quidem, qui in testibus eâ causâ examinandis, aliisuè testificationibus excipiendis, ponitur, Episcopus, aut Vicarius eius capiat. Notarij verò pro examine testium, quartam dumtaxat partem aurei ad summum capiant licet.

Quæ Titulo huic desunt ex ordine Conciliorum Prouincialium videantur in titulo seq. de Meretricibus, & De Histrionibus, &c. De Immoderatis sumptibus. De Patribus familias, & Ludimagistris.

De Adulteris, Concubinariis, Fornicariis, eouè nomine suspectis: deque occasionibus eodem in genere peccandi tollendis.

SVMMARIVM.

Concubinarij publici quando ad pœnitentiam, & communionem admittendi.

1 *Iidem legitimè admoniti, se non emendantes, vt plectendi.*

2 *Vtque contrà eos ab Episcopo procedatur.*

Clericorum Concubinariorum quæ pœna. De Vita & honest. Cler. 106.

Fornicarij notorii, quibus etiam pœnis subiiciuntur. Ibid. 108.

Concubinariorum nomina visitationis tempore à Parocho exhibenda. De visitatione, num. 39.

A Visitatoribus etiam inquirendum, an iidem in Parochiis sint. Ibid. 25.

3 *Ignotus homo, qui mulierem, sub asserto coniugis nomine secum duxerit, quo testimonio permittendus à Parocho in sua Parochia habitare.*

4 *Cohabitatio suspecta maris, & fœminæ ab Episcopo, & Parocho prohibenda.*

5 *Peccandi occasionibus, ex nocturnis excubiis ab eisdem prospiciendum.*

1. tit. 1. dec. 29. Sess. 24. c. 8. de refor. 6. Quæ ad Matr. pert.

1 Concubinarij, legitimè admoniti, si concubinas non eiecerint, abduxerintque se omninò ab earum consuetudine; contra eos Episcopus, etiam Tridentini Concilij auctoritate, excommunicatione, tùm aliis prætereà pœnis seuerè agat.

2 Graue concubinatus crimen est: propterea que quàm ingens in eo funditus conuellendo sollicitudo, & quàm longè omnium diligentissima cura Episcopi esse debeat, cùm Canonum leges, sacrique Oecumenici Concilij Tridentini decreta iubeant; tùm verò Pij Quinti Pontificis Maximi Apostolica sanctio iàm pridem edita perspicuè ostendit. (De Const. num. 11.)

Qua sanctione sanctæ obedientiæ virtute illud iussum est, vt quæ contra Concubinarios eiusdem Concilij Tridentini decretis constituta sunt, in iis ipsis omninò, inuiolatéque exequendis, Episcopi in sua quisque Diœcesi diligenter, sanctéque inuigilent: Deo, Romanoque Pontifici rationem reddituri, si in eo turpi crimine radicitùs extirpando negligenter, aut remissè se gesserint. Quamobrem Episcopus, nemine etiam postulante, aut accusante, ex officio, sine strepitu, & forma iudicij, solaque facti veritate inspecta, contrà istiusmodi Concubinarios, cuiuscumque status, ordinis, dignitatisque illi sint, seuerè agat: proindeque pœnis sacrorum Canonum iure, Summorum Pontificum Constitutionibus, Conciliorumque auctoritate sancitis, & aliis prætereà etiam pecuniariis, arbitrio suo, grauiter puniat Quos autem ter admonitos in contumacia persistere animaduerterit, eos non solùm aliis pœnis; sed excommunicatione etiam ex eodem decreto Tridentino afficiat. (Cõc. Rom. sub Nic. 1. in fi. Conc. Lateranen. sub Leone X. Sess. 9. de ref. curiæ, & aliorum, vers. Concubinarij.)

3. de iis, quæ ad Matr. sacr. pert.

3 Ne patiatur Parochus, quempiam cuiusuis gradus, & conditionis hominem, qui sibi ignotus, in suam Parochiam ab aliena Diœcesi commigrat, cùm muliere, quam secum coniugis nomine duxerit, in ea habitare, si modò vel ex infamia, vel alia legitima suspicione coniicere possit, illam habere in Concubinam: nisi Parochi, à cuius Parochia discessit, literis, certo præscripto tempore, testatum ille fecerit, sibi illam legitimo matrimonio iunctam esse. Quod testimonij scriptum vbi attulerit, id in vrbe Episcopo, in Diœcesi Vicario foraneo exhibeat: qui si id probandi vim illud habere perspexerit, à Parocho, in cuius Parochiæ fines is venit habitatum, illud, eiusuè exemplum in matrimoniorum Codice asseruari iubeat.

Si verò Vicarius foraneus de eo scripto aliquid habet, quod sibi difficultatem, ancipitemque deliberandi curam afferat; illud ad Episcopum quàm diligentissimè mittat, vt eius iudicio declaretur, an illi fides adhibenda sit.

4 Pastoribus non solum pericula propellenda sunt; sed etiam omnis periculosa peccandi occasio pro Pastoralis officij munere eripienda est. Quamobrem, cùm quæ facile existere possent fornicationes, incæstus, & flagitia, vniuersaque carnis vitia, re alia planè nulla facilius, quàm fuga, adiutrice in primis diuina gratia, superentur: Parochus, vt diligentissimè poterit, & Episcopus in primis, tùm auctoritate sua, tùm etiam si opus erit sæcularis magistratus ope implorata, id maximoperè curet, vt nè cum fœmina, quocumque vel arctissimæ propinquitatis gradu coniuncta, mas simul cubet, etiam si ambo puerili ætate sunt; ità tamen grandiusculi, vt aliqua inde suspicio, periculum, occasiouè impuri flagitij committendi existere possit. (5. Quæ ad Matr. pert.)

Nec verò paupertatis, angustæuè habitationis excusationi locus facilè relinquatur, quòminùs istiusmodi impuritatum occasio omnis præcidatur; cùm humi potius, atque adeò sub dio iacere satius esset. Parochi autem tota hac de re iudicium officiumuè intercedat, qui & consilium det, & opem præsentem, vt accuratissimè potest, tantæ impuritatis periculo præstet.

5 Eam ipsam curam Episcopus, & Parochus ponant in eripiendis morum corruptelis, flagitiis, peccatis, peccandiue occasionibus, quæ grauissima cum Dei offensione existunt ex nocturnis illis excubiis, quæ rusticorum concursu, iuuenili turpium verborum licentia, & promiscua marium, fœminarumque turba hyeme in stabulis passim fieri solent.

De Meretricibus, & Lenonibus.

SVMMARIVM.

1 *Meretricum qualis amictus.*

2 *Tabernis meritoriis, quibusque cauponis illis interdicitur.*

3 *Iis certus, & remotus locus assignandus.*

Quo assignato, illis domum locans, excommunicandus. 6.

Eas item in cauponis alens ad quæstum, vt puniatur. 7.

4 *Ornatus omnis illis prohibetur.*

5 *Lenones exterminandi.*

1. de Meret. & Len.

1 VT meretrices ab honestis mulieribus omninò internoscantur, curent Episcopi, vt aliquem amictum palam indutæ sint, quo earum turpem conditionem, & vitam omnes notam habeant.

2 Neve eisdem liceat, etiam si aduenæ sint, in meritoriis tabernis, vel publicis cauponis pernoctare, vel commorari, nisi itineris causâ, idque vnum diem tantùm.

3 Curent etiam in vnaquaque Ciuitate locum eis adsignandum, ab hominum frequentia, & à maioribus Ecclesiis remotum, vbi omnes habitent ea lege; vt, si extra eius loci fines domum, eiusve partem conduxerint, vel in quacumque domo quauis de causa amplius vnum diem habitauerint, & ipsæ, & domini, seu locatores seuerius puniantur. Quam rem quàm primùm efficiendam Principes, & magistratus pro sua pietate suscipient.

4 Ab iis etiam petimus, vt huiusmodi impudicis mulieribus omni gemmarum, auri, argenti, & serici vsu interdicant.

5 Omnesque qui lenocinio quæstum faciunt, ex suis finibus exterminent.

5. Quæ ad Matr. pert.

6 Vbi certus locus meretricum habitationi præfinitus, constitutusque est, cùm extrà eius fines eas habitare non liceat, si quis cuiquàm earum alio, quàm præstituto eo loco, domum, domiciliumve, locarit, excommunicationis pœnâ contrà eum agatur.

7 Prostitutas fœminas, meretricesve in cauponis, diuersoriis, ganeisque ad quæstum alere, cùm id & graui Dei offensione, & magno animarum detrimento, & disciplinæ Christianæ iniuriâ fiat, hoc decreto prohibendum censuimus. Quare nè quisquam vel caupo, vel tabernarius, vel qui cœnaculariam facit, illas in ipsis cauponis, ac diuersoriis habeat, alatve ad turpem quæstum.

Qui contrà fecerit, post huius decreti promulgationem in eius Parochiali Ecclesia factam, tamquam is, qui in statu damnationis notoriè versatur; præmissa monitione, interdicti pœna afficiatur, & aliis prætereà etiam grauioribus arbitratu Episcopi.

De Histrionibus, Mimis, Circulatoribus, Tabernis meritoriis, & aleatoribus.

SVMMARIVM.

1 *Histriones, Mimi, Circulatores* } *eiiciendi: & eos recipientes puniendi. 2.*

Circulatores non permittendi in foris Ecclesiarum diuinorum officiorum tempore versari. De festorum dierum cultu. 13.

2 *Ganeæ, Tabernæ meritoriæ* } *tollendæ.*

3 *Aleatores publici, Illisque domum exponentes, Præsentes.* } *grauiter puniendi.*

4 *Horum nomina, Visitationis tempore, deferenda.*

5 *Otia, vt tollenda.*

1 DE his etiam Principes, & Magistratus commonendos esse duximus. 1. De Histrion. &c.

Vt histriones, & mimos, cæterosque circulatores, & eius generis perditos homines è suis finibus eiiciant; & in caupones, & alios, quicumque eos receperint, acriter animaduertant.

2 Vt ganeas, & tabernas meritorias, omnis nequitiæ sentinas, è Prouincia tollendas curent.

Quod, si quæ ferendæ videbuntur, iubeant neminem in eis hospitio recipi; sed tantùm vinum, & edulia venalia proponi.

3 Et, quoniam vsu compertum est, ex aleæ ludo sæpè furta, rapinas, fraudes, blasphemias, aliaque id generis flagitia proficisci, prohibeant taxillis, aut alea ludi: & grauiter in publicos aleatores, & in eos, qui huiusmodi ludis intersunt, quiuè domum ad recipiendos ludentes expositam habent, animaduertant.

4 Talis, aleauè ludentium, aut istis domicilia exponentium nomina visitatori deferenda. 4. De Visit.

5 Maximè verò efficiant, vt bonis artibus, vel instituendis, vel renouandis, otia, quantùm fieri poterit, è Ciuitatibus tollantur. 1. Ibidem.

De Cauponis, & Hospitatoribus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus, Parochus* } *has monitiones cauponi faciat.*

2 *Vt blasphemos, concubinarios, aleatores, nebulones, impudicos eiiciat, quosque eorum loco admittat.*

3 *Vt in caupona vestibulo, & cubiculis, sacra imago ponatur, & prohibita tollatur.*

4 *Nè lenones, meretrices, histriones, mimos, &c. diutius hospitari patiatur.*

5 *Vt Ecclesiastici separatim excipiantur ab aliis.*

6 *Vt hæreticos denunciet; & diebus ieiuniorum illis cibos vetitos non præbeat.*

7 *Vt mensa benedici curet.*

8 *Ne virum, & mulierem simul cubare sinat.*

9 *Vt Parochum certiorem faciat ægroti in hospitio existentis.*

10 *Vt in reliquis Christianè se gerat.*

1 OFfensionibus, & peccatis, quæ in cauponis committi solent, Pastorali etiam cura, & officio occurrendum est; vt ereptis corruptelis, salutariter consulatur vitæ Christianæ moribus. Quamobrem, cùm Episcopus, cuius officium est in omnium cuiusuis generis hominum curam incumbere; tùm Parochus etiam, si quas, vel cauponas, vel tabernas intrà Parochiæ suæ fines habet, quàm sæpissimè iis, qui cauponariam, tabernariamvè exercent monita proponat, quæ infrà eorum vitæ Christianæ, Christianisque moribus præscribuntur ad eorum salutem procurandam. 4. Quæ ad Matr. pert.

2 Primùm igitur caupo non solùm familiæ suæ, sed etiam hospitibus peregrinis, aliisuè, quos hospitio exceperit, & verbis, & vitæ exemplis, & humanitatis officiis prodesse studeat, ità vt eius familia, quique in famulatu ipsius sunt, cæteris pietatis, castitatis, modestiæque specimē, atque indiciū dent. Proinde impudicos homines

eiusue infamiæ nota inquinatos, blasphemos, concubinarios, eiusue nomine suspectos, aleatores, publicosve lusores, & id generis nebulones, qui aduenas, atque hospites dolis, fallaciisque decipere solent, è familia, domoque sua eiiciat: quorum loco in familia, famulatuque pios homines disciplinæ Christianæ studiosos habeat, qui aduenas ad orationem vespertinam inuitent: quam is domi suæ curet nullo vmquàm pacto stata hora prætermitti.

3 In cauponæ vestibulo, porticuve, & in singulis prætereà cubiculis sacram imaginem apponere ne omittat: profana autem omnia, ac turpiter, obscœnéque inscripta, pictave, inde amoueat omninò.

4 Ne lenones, meretrices, histriones, mimos, & cæteros malæ conditionis homines, nugatoresue, apud se diutius hospitari patiatur.

5 Religiosos, & Ecclesiasticos homines ad se diuertentes separato, si commodè poterit, præsertim à fœminis hospitio, mensaque excipiat: in honore habeat, nec verbis, factisve violari patiatur. Pauperibus item se talem præstet, qualem se præbere Christianum hospitem decet.

6 Hæreticos verò, si quos diuertisse animaduertet, illico denunciet, nec vllo pacto, feria sexta, & Sabbatho, aliis item præscriptis diebus vlli vetitos cibos, quouis prætextu præbeat.

7 Mensæ initio ab hospite, vel ab aliquo familiari benedici curet, adhibita in fine etiam gratiarum actione.

8 Ne virum simul, & mulierem cubare sinat, quos suspicetur matrimonio copulatos non esse.

9 Si quem, dùm in caupona versatur, in febrim, morbumuè incidere contigerit, de eius ægritudine statim Parochum certiorem faciat, qui illum inuisat, & spiritualia remedia eidem quàm primùm adhibeat.

10 Caupo denique Christianus, ità in hospitij munere agat, vt æquitate, sinceritate, & charitate vtatur, & per opera iustitiæ progrediens, damnationem æternam fugiat, ac in æterna tabernacula recipi mereatur.

De immoderatis sumptibus, luxuque, ac vano & superfluo ornatu coercendis.

SVMMARIVM.

1 *Sumptus immoderati, quibus in rebus, magistratus operâ, coercendi.*

2 *Fucus, Cincinni, Inaures, Caudatæ vestes* } *Parochorum persuasionibus deponendæ.*

1. De Immoder. sumpt. coerc. 1 COpiosis, & locupletibus illud semper propositum esse debet sancti Ioannis Apostoli, Si quis habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? vnde facilè intelligunt, quam facultates suas ad pauperum difficultates, & necessitatem subleuandam conferre debeant. Quamobrem magnopere cauendum est, nè subsidia pauperum in superuacaneos sumptus, & inanes delitias effundantur. Proinde admonemus, & enixè hortamur Principes, & Magistratus, vt effusam impensam, & omnem intemperantiam, certis legibus coercentes, modum statuant non solum quotidianis epulis, atque conuiuiis, verùm etiam vestibus, equis, rhedis, famulis, aliisque non necessariis apparatibus; & denique omni, & domestico, & externo ornamento, & instrumento moderationem adhibeant. Qua pecuniæ effusione sublata, innumerabilibus malis, quæ inde ortum habent, occurretur. Quod facilius etiam fiet, si Principes ipsi, quorum mores, & viuendi rationem populi plerumque imitari solent, non modò leges proposuerint; sed etiam, quemadmodum legibus parendum sit, exemplo docuerint.

2 Parochi singuli, quàm maximam possunt, in eo sollicitudinem, persuadendique studium adhibeant, vt omnem luxum, cincinnorum ornatum, inaures, quod signum diaboli sanctus Augustinus nominat, fucum, & vestes in primis, quas caudatas dicunt, Parochiæ suæ mulieres omninò deponant. Qua in re persuadenda argumentorum vim, rationumque momenta sibi comparent, cùm ex sancti Ambrosij, Patris nostri, illarum luxum grauiter exagitantis, libris, tùm ex sancti Chrysostomi, aliorumque Patrum monimentis, in primisque ex Homelia, quam eo de genere grauissimam vir doctissimus, idemque religiosissimus, Iacobus Vitriacus S. R. E. Cardinalis olim habuit. 5. Quæ ad Matr. pert.

Hoc autem omne vsque adeò ab Ecclesia vetitum esse, ille ipse affirmat, vt si caudatæ ad Ecclesiam accederent, sacra communione interdicerentur.

De Patribus familias, & Famulorum Dominis.

SVMMARIVM.

1 *Patres familias Dominique quæ curent in sua familia optimè regenda.*

2 *Domesticæ institutionis regulæ populo à Parocho aliquando explicandæ: quidque ab eodem cum officinarum dominis agendum.* 4.

3 *Eo in officio quid item à Concionatoribus, & Confessariis præstandum.*

Patres familias horâ ab Episcopo præscriptâ, domi cum sua familia orent. De oratione. 4.

5 *Iidem quando à Parocho in Ecclesiam Parochialem conuocandi: quæque illi tunc ab ipso edocendi.* 6.

7 *Patres familias Dominique* } *quid à sua familia, famulisuè præstari curent.*

Puerorum licentiæ, qua ratione ab Episcopo occurrendum. De ludi magistris. 14.

Famuli, filiique à parentibus & Dominis permittendi festis diebus Missæ sacro interesse. De Missis sine cantu. 72.

1 SIcut vberrimum ab optima institutione præmium paterfamilias capiet, quicumque liberos, familiamque suam ad Dei cultum, & ad pietatis, Christianarumque virtutum disciplinam erudierit: ità quicumque debitum hoc paternæ curæ officium neglexerit, vel prætermiserit, is expectet, vt in die Domini sibi durissimum iudicium fiat. 3. de iis, quę ad Matr. sact. pert.

De familiæ igitur suæ salute in primis sollici-

tus, tùm bonorum operum exemplo, tùm crebris cohortationibus se ei magistrum præbeat, ac ducem ad piè, sanctéque agendum.

Curet autem, vt nemo quisquam de familia sua sit, qui Christianæ fidei rudimentis instructus non sit, siue filij, filiæque sint, siue serui, & ancillæ, siue alij in famulatu suo. Quam ob caussam ad illius scholas, quos de familia sua rudes norit, conuenire iubeat; sique eam ampliorem habet, domi etiam instrui studeat; idque ad præscriptas interrogationes paruuli libri, eo nomine editi ad Prouinciæ vsum.

Vt statâ horâ, datis institutæ orationis communis signis campanarum sono, illa omnis certo loco congregata, ad præscriptum temporis spatium, sanctè oret, & precetur.

Vt frequenter illa vniuersa confiteatur, & sacram Eucharistiam sumat.

Vt singulis diebus Missæ sacrificio intersit: aut saltem in vigiliis, statis ieiuniorum temporibus, Quadragesimæ diebus id præstet; festis autem diebus vt nè quis de sua familia interesse vllo modo omittat.

Vt festis prætereà diebus ad sacras Conciones, lectiones, supplicationes, diuina officia, aliasque pietatis Christianæ exercitationes conueniat.

Vt nè quis, iis sacris diebus opus seruile faciat.

Vt vigilias, & quatuor Temporum, & Quadragesimæ, & alia stata ieiunia illi in familia seruent, quibus Ecclesiæ præcepto iussum est.

Quo autem tempore, vel Iubilea celebrantur, vel supplicationes publicæ processionibus fiunt, familiam sæpè moneat, illis sanctis actionibus piè interesse.

Certis item piorum hominum institutis sodalitatibus vnumquemque de famila sua adscribi admoneat; quò se quisque ardentiori studio exerceat in operibus pietatis.

Nè patiatur in familia esse quempiam, qui blasphemus sit, qui periurus; qui item corruptis moribus vtatur, qui obscœnè quicquam vel loquatur, vel agat, qui aleis ludat, qui denique cæteris turpis vitæ exemplum præbeat.

De vitæ prætereà spiritualis ratione, & piis exercitationibus, aut de vitis sanctorum probatos, Sacerdotis Confessarij iudicio libros, in quorum lectione familia aliquando versetur, domum suam introducat, exclusis obscœnè, turpiter, iocosè conscriptis, aliisque id generis libris, vnde morum, institutionisque corruptela existere possit.

Vt autem in domesticæ disciplinæ, institutionisque officiis illa omnis accuratius se contineat; eam aliquãdo paterfamilias recognoscat, inspiciatque in primis, quæ vniuersæ suæ domus Christiana institutio, qui singulorum mores, quę pietatis, vitæque spiritualis progressio.

Quicumque verò mercaturam, artemque aliquam exercent, non domi solum; sed in suis officinis, & tabernis Christianæ vitæ rationes has operariis, institoribus ve suis constituant.

2 Has domesticæ institutionis regulas Parochus per annum aliquando, proutè re esse viderit, frequenti populo explicet: tùm sæpissimè, & publicis sermonibus, & priuatis colloquiis, patresfamilias, Parochiæ suæ incolas, id moneat, atque hortetur, vt quæ eorum propria officia sunt, & munera, in familiæ institutione ea præstare velint paternæ curæ studio.

3 Quod cohortationis officium etiam Concionatores, & Confessarij Sacerdotes quàm frequentissimè, prout opportunum esse censuerint, charitatis zelo præstent.

4 Parochus prætereà, vbi aliquando in artificum, mercatorumue officinis, quæ intrà fines Parochiæ suæ sunt, ab operariis, aliisve, qui illic artem exercent, aliquid committi intellexerit, quod deprauatæ, dissolutæque disciplinæ sit, quod offensionem in Parochia præbeat; quodque à Christianæ institutionis moribus alienum, id officinarum dominos admoneat, vt quicquid illis locis corruptelarum est, inde eripiatur.

5 Quò studiosius populus in officiis Christianæ pietatis instituatur, ex diuinæque legis præceptis institutum vitæ genus sequatur; id Parochus præstet, vt aliquando ineunte præsertim Aduentu, & Quadragesima, patresfamilias, suæ Parochiæ omnes, ad Ecclesiam Parochialem conuocet, hora, quam commodam is censuerit. 4. Quæ pert. ad Matr.

6 Qui in patrum familias conuentu, tum Constitutionem in Concilio tertio Prouinciali de patrum familias officio, familiæque institutione editam, de scripto legat, singulasque eius partes explicet; tùm alia prætereà doceat, quæ opportuna existimauerit, quibus illi se, familiamque suam in Christianæ vitę disciplina conforment, ex præscripto etiam regularum, & instructionum, quæ eo nomine auctoritate nostra edentur.

7 Nulla est amplior hæreditas, nec præclarius patrimonium, quod parentes suis liberis relinquere, neque maius pretium, honestioremque mercedem, quam domini iis, qui sibi in seruitute operam dant, pro fideli eorum famulatu tribuere, ac persoluere possunt, quàm si effecerint, vt boni Christiani euadant, quæ virtus omni terreno thesauro multò pretiosior est censenda. Quamobrem qui in aliqua domo, atque familia duces sunt, curabunt diligenter, vt omnes, quicumque suo sub imperio, & ditione viuunt, ieiunia colant, diuini verbi prædicationem crebrò audiant, sacramentis frequenter vtantur; & omnia demum veri Christiani officia exerceant: famulorum autem domini non solum diebus festis tantùm eis liberi temporis concedere curent, vt eiusmodi officiis vacare possint, sed crebris item eos, ac paternis hortationibus excitare non desistant, nè in studio eiusmodi tam salutari, segniores, neque negligentiores existant: in quo si parentes ipsi, aut domini suo officio in his defuerint; proculdubio expectent fore, sibi vt ante seuerissimum Christi Domini tribunal culpæ tribuantur peccata omnia, quæ liberi, vel famuli non commisissent, si suas illi partes, in hoc, aliisque eiusmodi decretis præscriptas, sibique maximè debitas, præstitissent. Atque id quidem multò magis timendum illis erit, qui aliquo modo impedierint, quominùs pia suprà scripta, & alia huiusmodi officia persoluantur: contrà quos agat Episcopus pro culpæ ratione. *Quod sequitur, vide in Tit. de Ludimag. Ibid. His temporibus.* 5. Quæ ad Matr. pert.

De disciplina Christiana militum.

SVMMARIVM.

1 *Militum Christianorum vitæ disciplina qualis: eaque in re quod Episcopi officium, cum illorum præfectis.* 5.
2 *Imago sacra in eorum stationis loco ponenda.*
3 *Sacerdos deligendus, cuius monitis, in militia spirituali se exerceant.*
4 *Ab obscœnorum librorum lectione abstinentes, in quibus se occupent.*
6 *A quibus aliis abstineant.*
7 *Confratriæ inter ipsos milites instituendæ.*
Milites à fide dissidentes, nè in hæc loca veniant Principum officium. De Hæreticis. 12.
Vbi venerint, quid ab Episcopo curandum. Ibidem. 13.

1. De disciplina Christ. Militum. 1 CHristianorum militum disciplina his temporibus eò prolapsa est, vt in multis Dei offensionibus, quæ à militum corruptelis existunt, operæpretium etiam sit inuigilari Episcopalibus monitis.

Vbi igitur militum præsidium constitutum est, illud cum eorum ducibus, præfectisuè Episcopus studiosè, paternaque charitate agat, vt illi in militari statione constituti, piæ, Christianæque vitæ institutis congruenter viuant; cùm præsertim in militum Christianorum laude positum sit, vt pietatem in primis, & religionem erga Deum obseruent, atque colant.

Quod ergo ad pietatis vsum, atque officium attinet, id omne maximè curetur.

Vt Doctrinæ Christianæ rudimentis milites rectè instituantur.

Vt frequenti Sacræ, & Confessionis, & Communionis vsu se ad benè viuendum communiant.

Vt quotidie & manè, & vesperi certâ statâ horâ Deum precentur.

Vt Rosario quotidiano Beatæ Mariæ Virginis, quod militibus bello contrà Turcas suscepto olim præscriptum fuit, religiosè vtantur.

Vt singulis diebus mane in statione communi collecti litanias recitent.

2 Vt stationis loco sacram imaginem Beatæ Mariæ Virginis, aut Sancti alicuius, quem Patronum sibi, atque intercessorem in cœlis delegerint, ob oculos propositam habeant.

3 Vt Sacerdotem item habeant spiritualis vitæ amantem, Episcopi iudicio delectum, cuius monitis in militiæ spiritualis exercitationibus cursum teneant.

4 Vt in otio militari à librorum obscœnorum, quique Christianos viros non decent, lectione abstineant; sed martyrum vitis legendis, in quibus fortitudo, ac virtus verè militaris elucet, totos sese occupent, cùm per occupationes militares possunt.

5 Illud verò etiam maximè Episcopus cum militum præfectis valdè agat, vt ieiunia, & ciborum delectum ex præcepto Ecclesiæ seruent; à blasphemiis omninò abstineant, quas radicitùs extirpare ille omninò conetur, cùm militis Christiani officium proprium sit, etiam sanguinis profusione tueri gloriam Dei, sine cuius diuina ope nihil reliquum militi Christiano est, quod gloriosum esse possit.

6 Vt à vt furto, rapinisuè abstineant, idque planè eis persuadeat, eius generis criminibus perpetuam infamiam inuri militi.

Vt denique detractiones, mendacia, ingluuiem, aleam, luxuriam, pompamque abhorreant; sed omnes virtutum Christianarum partes exequantur, quæ cùm omni disciplina, tùm in re militari splendescunt, vtilitatesque vberrimas salutariter afferunt.

7 Atque ob has quidem causas illos pias Confratrias instituere Episcopus curet.

De Vsuris, & Vsurariis.

SVMMARIVM.

1 *Vsuræ delictum reprimitur.*
2 *Vsura in mutuo & Deposito.* 5.
3 *In Cambiis*
4 *In venditione & emptione*
5 *In pignore*
6 *In societate*
7 *In societate animalium*
8 *In locationibus animalium*
9 *In contractibus libellariis*
(2–9:) vt committitur.
10 *Hi omnes vsurarii contractus irritantur.*
11 *Principes, Magistratusque ad compescendas vsuras, hortantur.*
Vsurarii quando ad communionem non admittendi. De sanctæ Eucharist. in Eccles. administ. num. 11.
Quando non absoluendi. De Confessario. num. 16.
12 *Vsura ficto meri depositi, & liberæ emptionis nomine, vetatur.*
13 *Vsurarius manifestus Ecclesiasticæ sepulturæ minimè tradendus.*
14 *Quæ sodalitates, & pia loca mutuò dare prohibentur.*
A montibus pietatis quid capi possit ratione mutui. De piorum locorum administ. num. 68.
15 *Vsuras à montibus pietatis exigere vetitum.*
Decreta ad Montes pietatis spectantia obseruari mandatur.
Vsurarii an adsint à Visitatoribus inquirendum: eorumque nomina à Parocho eisdem significanda. De Visitatione. num. 25.

1 VSuram ad perniciem populorum latius manantem pro nostri muneris cura reprimere cupientes, quædam huius generis delicta ex sacrorum Canonum, & probatorum Patrum sententiis delegimus: quæ quoniam frequentius in hac Prouincia committi animaduertimus, ea præcipuè, ac nominatim prohibenda duximus, eo consilio, vt, si quis in aliis etiam eiusdem generis vetitis contractibus deliquerit, pœnas à iure constitutas sibi subeundas esse intelligat. 1. De Vsur.

2 Ex mutuo vel depositis, etiam apud Iudæum factis, nihil præter sortem à quouis homine percipi ex conuento, vel principaliter sperari possit; tametsi pecuniæ ipsæ sint pupillorum, aut viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales; nisi quatenus id iure nominatim permittatur. Cap. salubriter de vsur.

Si quis oblatas re ipsa, loco, & tempore pecunias, etiam dotales, sibi debitas, accipere recusauerit; nihil præter sortem, etiam ratione damni

emergentis, vel lucri cessantis, vel ex quacumque alia causa accipere possit.

3 Nè fiant cambia, cùm literæ ad destinatum locum verè non mittuntur, & ibi non fit solutio; sed vno, & eodem loco pecunia datur, & recipitur; vel quando dantur & accipiuntur pecuniæ cum eo pacto, vt habeatur recursus ad domum, vel ad respondentem dantis, aut accipientis, quod pactum vulgò vocatur *la ricorsa*: atque ità impensæ, aut alterius rei onus imponitur.

4 Nè cui liceat cum altero ità contrahere, vt is totam pecuniæ summam ei, qui dederit, soluat; cùm ille partim pecuniã dederit, partim nominibus; quæ difficilè exigi possiunt, vel in rebus pluris quàm valeant, æstimatis.

Ne cui, præsentem pecuniam quærenti quidquam carius vendatur, vt statim ab venditore per se, vel per interpositam personam vilius ematur.

Nè quis rem aliquam, ob dilatam solutionem carius vendat iusto pretio.

Ne ob anticipatam solutionem res minoris ematur iusto pretio, vel soluatur minus, quàm debeatur.

Ne res vendatur, dilata in tempus solutione, ità, vt pretium quod interim rei accreuerit, venditori soluatur, si eiusdem periculo non sit diminutio.

5 Nè res modico pretio pignori detur, vel vendatur pacto redimendi intra certum tempus: vt si ad dictum tempus res redempta non sit, res libera fit emptoris vel eius, qui pignori accepit.

Ne frumentum, vinum, oleum, aliudué detur, vt eo quod datum est, aliquid amplius exigatur, siuè eiusdem generis, siue alterius quomodocumque, etiam si operæ sint.

Ne quis mutuo det frumentum, vel id genus aliud corruptum, vt tantumdem integri carioris reddatur; etiam si restitutio differatur in quodcumque tempus debitori commodum.

6 Ne in societate, in quam alter pecuniam confert, alter operas, lucri distributio constituatur, nisi per quotas partes.

Nec vltra eas, certa pecuniarum summa, vel quid aliud conferenti pecuniam, persoluatur.

Neque fiat pactio, vt sors salua sit; fructus verò communiter diuidantur.

7 In societate animalium, quæ inæstimata alicui dantur ad custodiam, siuè vt operas præstet, omnes casus etiam fortuiti, semper sint periculo eius, qui dederit; nisi id alterius socij dolo, vel magna negligentia accidisse constiterit.

Nec fiat pactum, vt sors sit semper salua, etiam ex primis fœtibus.

Neuè quidpiam certum, præter sortem, ex fructibus animalium quotannis soluatur.

8 Et in locationibus animalium, quæ fiunt certo pretio, si illa absque dolo, aut negligentia eius, qui conduxit, deteriora fiant, id semper sit damno eius, qui locarit.

Si autem animalia dentur æstimata, ità, vt sors danti salua sit, nihil omninò percipi possit.

9 Nè fiant contractus, qui libellarij, seu ficti libellarij dicuntur, vbi non antecedat emptio certæ rei immobilis pretio iusto vel vbi venditor redimere cogatur; vel vbi non possit redimere, nisi post certum tempus.

Vel vbi annuus census, ad cuius solutionem res obligatur, superat æstimationem fructuum, quos ex ipsa re dominus solet, aut potest percipere.

Et si loco pecuniæ vinum, frumentum, vel quid aliud in singulos annos promittatur; illud ad pecuniæ, & iusti pretij rationem redigatur pro consuetudine locorum.

10 Si qui autem in aliquo ex his casibus, aut aliis, qui vsuram sapiunt, & à iure, vt iniqui, prohibentur, contraxerint, ipsi contractus etiam iureiurando muniti, nulli, irriti, & inanes sint.

Contrahentes verò, tabelliones, qui instrumenta confecerint, proxenetæ vsurarum, aut lucri participes, ministrique omnes horum scelerum & pœnis, iure statutis, & Ecclesiasticis censuris puniantur.

11 Hortamur verò Principes, & magistratus, vt ipsi etiam huic pesti, quibus maximè poterunt, remediis occurrant.

12 Superioris Prouincialis Concilij constitutione, etsi contractus depositi, ex quibus aliquid vltrà sortem percipitur, tum reuenditionis, quæ modico pretio fit, adhibita redimendi pactione, tum alios prætere a quosdam contractus ex sacrorum Canonum iure, & probatorum patrum sententiis, tamquam manifestè vsurarios improbauimus: tamen quoniam sæpe, ficto meri depositi, & liberæ emptionis nomine, quasi liciti contractus specie, vsuræ occultantur; idcircò, & cum eis qui eiusmodi contractuum, aliorumue specie, qui vetiti sunt, vsuram commiserint, & cum Notariis, qui scientes rogati conscripserint, prout iuris est; agatur. 1. Tit. 12 dec. 19.

13 Ne Parochi vsurarium manifestum, vt Gregorij X. Constitutione sancitum est, etiam si in testamento, aliauè quadam vltima voluntate ipse mandarit ea restitui, quæcumque vsuræ nomine acceperit, in sepulturam Ecclesiasticam tradant; nisi pro eorum facultatibus, re ipsa illis satisfactum sit, à quibus vsuras exegerit; aut si ij absunt, Episcopo, Vicarioue eius, vel Parocho, intrà cuius Parochiæ fines ille, dum vixerat, habitarat, vel Notario publico de restitutione cautum sit pignoribus, aut idonea sponsione facta. Qui verò Parochus id generis hominem sciens sepelierit, is nouerit se excommunicationis pœna affectum esse, ex Clementis V. Constitutione, in Concilio Viennensi edita. Ibidem. Dec. 18. ex fin. de Vsur. in 6.

14 Episcopus id sedulò prohibeat, vt quæ fabricæ, Hospitalia, sodalitates, & quæ alia cuiusuis generis pia loca instituta non sunt ad pecuniam mutuò dandam; eorum administratores nè vlla causæ specie cuiquàm homini, nec etiam vniuersitati loci, aut vicinis dent mutuò. 1. Tit. 3. dec. 20.

Quod si ipsi administratores mutuò, vel dederint, vel quod grauius est, ab iis locis sumpserint, ab earum administratione statim amoti sint, indignique censeantur, qui per sex annos illorum, aliorumuè piorum locorum administrationem gerant. Tùm etiam illorum Præfectus, quouis nomine vocetur, qui huic rei consenserit, excommunicationis pœnam subeat.

Ibid. dec. 21. 15 Nè quisquam, pecuniam apud Montes pietatis deponat, vel eidem mutuò det, vt inde aliquid, nè minimum quidem lucri, aut eius, quod interest, nomine percipiat. Qui verò ex pacto quidquam ea causa perceperit, quod Montis pietatis pecuniam vel mutui, vel depositi nomine dederit; cum eo, tamquàm cum vsurario homine agatur ad iuris præscriptum.

Quæ præterea de Montibus pietatis decreta superiori Concilio sunt, ea Episcopus obseruari curet, vel diligentissimè: compellatque illorum institutiones sibi ab administratoribus ostendi, atque exhiberi.

De piorum locorum administratione.

SVMMARIVM.

1 *Hospitalia, aliaque loca pia, qua ratione administranda.*

2 *Administratores ædificia ruinosa sarcienda curent.*

3 *Onus impositum obeant.*

4 *Hospitalitatem exerceant. Fructusque veris pauperibus distribuant. 9.*

Et nè ea in re fraus fiat, quæ ratio ineunda numer. 10. 55.

5 *Quæque alia ab eisdem præstanda. & num. 6. post primum decretum.*

6 *Vtque compellendi, si suo muneri defuerint.*

7 *Administratores esse non possint illorum debitores.*

8 *Iidem, antequàm munus suum exequantur, quod iuramentum præstent.*

11 *Malè administrantes, vt puniendi.*

Quanto tempore in eo munere perseuerent. numero 13.

12 *Administrationis rationem Episcopo reddant.*

Rationis eiusdem Codicum conficiendorum præscribenda formula. 14.

15 *Et quando ratio ipsa Episcopo reddenda.*

16 *Et à quibus eorum liberatio facienda.*

17 *Liber parandus in quo decreta in Capitulo confecta, referantur.*

18 *Liber alter, in quo, eodem in Capitulo proposita, tàm deliberata, quàm reiecta, notentur.*

19 *Liber alius, in quo legata, relicta, donataue quæcumque ad pios vsus registrentur, cum oneribus illis adiunctis. 62.*

Ad quorum onerum satisfactionem ab Episcopo compellendi. 21.

20 *Libri eiusdem exemplum in Archiuum deferendum.*

22 *Legatorum, & onerum eorumdem tabella in loco Capitulari proponenda, & qualiter concipienda.*

23 *Administratores ipsi bona ipsorum piorum locorum non alienent. num. 21.*

Ab aliis alienata, & occupata, recuperent. 2. & Quæ pert. ad bonorum, &c. num. 12.

Recuperata ad longum tempus non locent. Ibidem num. 14.

Neque ipsi, per se, vel interpositas personas conducant. Ibid. num. 26.

24 *Quomodo quæque cautione illa locanda. num. 25. in fine.*

25 *Quibus minimè locentur.*

Locatione ad longum tempus inita, qui modus seruandus, vt ipsorum bonorum memoria conseruetur. Quæ pertin. ad bonorum, &c. numer. 15.

Eaque facta pactionibus de prædiis melioribus reddendis, quam vim habeat. Ibid. num. 16.

Eorumdem bonorum omnium, tàm mobilium, quàm immobilium, iuriumque & redditnum inuentarium conficiendum. Ibidem numero 1, & 2.

Inuentarij ipsius exempla tria conscribenda, & vbi custodienda. Ibid. num. 2.

Bona iuraue piorum locorum vsurpantes, excommunicantur. De benef. Iurisp. 10.

26 *Hospitalia, piaque alia loca, præsertim in quibus hospitalitas, muneraque alia non exercentur Episcopo per Parochum deferenda.*

27 *Episcopi contra contumaces agentes, à Magistratibus non impediendi.*

28 *Hospitalium nomine, cum eleemosyna quæritur, quæ seruanda.*

29 *In hospitalibus mares à fœminis separatim hospitent.*

30 *Hospitalia quibus mendicis non pateant.*

31 *Mendici verè ægroti, certo in loco eleemosynis sustentandi.*

32 *In hospitalibus, locisque piis, Doctrinæ Christianæ institutum introducendum.*

Hospitalium, piorumnè locorum sumptibus qui aluntur curatoribus instantibus quales se præstent, suprà num. 6.

33 *Hospitalarius qualis item sit.*

34 *Quæ cauebit in hospitalitate.*

35 *Quæ item curabit, inuestigabitque.*

36 *Hospitalium, in quibus infantes expositi aluntur, Curatores, quæ curent, vt lac infantibus non desit.*

37 *Hospitalis, piiuè loci, origo, titulus, institutum, in tabella marmorea incidantur, eaque, vbi ad perpetuitatem collocanda.*

38 *Institutio ad determinatum vsum facta, ne vsum in alium vertatur.*

Hospitalia, aliaque pia loca, non instituta ad pecuniam mutuò dandam, ne mutent. De Vsuris, num. 14.

39 *Eleemosynis debitis erogandis consilium Parochi adhibendum.*

40 *Certi quoque viri ab Episcopo deligendi, quorum testimonio constet de paupertate illorum, quibus eleemosynæ eroganda sunt.*

41 *In pauperum delectu, quæ ratio habenda.*

42 *Eleemosynæ in quem alium vsum non conuertenda.*

43 *Reliqua ad pios vsus relicta, in alios etiam similes vsus non auertantur, sine Episcopi facultate.*

44 *Eleemosynæ per capita, familiasuè distribui solita, veris pauperibus distribuendæ: nisi mens alia fuerit testatoris.*

45 *Pœna contrafacientium.*

Eleemosynam dantes, quæ accipientes moneant, suprà num. 6. in fi.

46 *Distributioni eleemosynarum, vt constet satisfactum, quæ ratio ineunda.*

47 *Distributionis tempus, & ratio in certum Codicem à Parocho referenda.*

48 *Distribuisse non ostendentes, ad satisfaciendum compellendi.*

49 *Parochi, quod officium in perquirendis eleemosynarum erogandarum oneribus, in inquiren-*

1 VT pia loca omnia fideliter, diligentérque administrentur, quæ sacrum Tridentinum Concilium Episcoporum curæ, ac studio maximè commendauit; hæc mandamus, quæ illi ab omnibus seruanda curabunt. 1. de Piorum locorum adm. Sess. 7. c. 15. Sess. 25. c. 8.

2 Qui hospitalia, seu alia pia loca ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumuè vsum præcipuè instituta in commendam, administrationem, aut quemcumque titulum, aut Ecclesiis suis vnita, obtinent; domos, & ædificia horum locorum ruinosa, vel disiecta sarciant, & restituant.

Quæ ab aliis occupata, aut amissa, iniusteuè alienata sunt, recuperent.

3 Impositum illis onus, & officium omninò obeant.

4 Hospitalitatemque ex fructibus, illi muneri attributis, re ipsa exerceant.

5 Cæteraque omnia præstent, quæ à Viennensi, & Tridentino Concilio præscribuntur. Clem. quia de relig. dom.

6 Quod officium si moniti ab ordinario non fecerint, vel per Ecclesiasticas censuras, & alia iuris remedia ad sui muneris functionem compellantur; vel eiusdem Tridentini Concilij præscripto eos Episcopi ab illa administratione, curauè in perpetuum amoueant. Sess. 25. c. 8. & sess. 7. ca. vlt.

Quibus nullo modo condonent, aut remittant eos fructus, quos contra Hospitalium institutionem perceptos, in foro conscientiæ restituere tenentur.

7 Præfectis, rectoribus, ministris, aut aliis quocumque nomine nuncupatis, fabricæ Ecclesiarum, sodalitatum, scholarum, & hospitalium, piorumque cuiusuis generis aliorum locorum curatoribus, etiam laicis hæc, præter illa superioribus Conciliis edita, de iis ipsis decreta præscribenda, & decernenda etiam censuimus. 4. Quæ ad loca pia pert.

Quicumque piorum locorum administrationem, procurationemuè suscipiunt, geruntuè, illud in primis sæpè meminisse debent, se pauperum, pupillorum, viduarum, senum, egestate, aut ægritudine laborantium, peregrinorum, & aliorum id generis hominum, aliena ope egentium, prout propria vniuscuiusque loci instituta ratio est, curam sustinere, & illam quidem tanti esse, vt, cùm potissimum Episcopo, tamquam communi omnium, & eorum præcipuè miserabilium hominum parenti, ea sacrosanctis Canonum legibus commissa sit: tùm quicquid in illos, vel misericordiæ, vel beneficij, vel operæ, vel opis, vel officij confertur; quicquidvè rursus damni, detrimenti, iniuriæuè infertur; id omne Christus Dominus sæpè in Euangelio demonstret, in se collatum, aut illatum esse, ac propterea se in die iudicij, prout benè illis factum, aut neglectum, omissumuè in eorum necessitatibus subleuandis erit, retributurum. Quare primò ij valdè curent, vt omnibus suscepti muneris partibus satisfaciant: deinde videant, vt nihil quicquam à curæ, quam gerunt, ratione alienum, vllo modo, pactouè admittant: tùm id sollicitè studeant, vt quæ officia illis pro administrationis susceptæ munere debent, ea obeant, atque adeò præstent omni Conc. Trid. Sess. 25. c. 8. de ref.

piæ charitatis affectu, ob oculos maximè in iis ipsis proposito semper Christo Domino, cui illis, & alendis, & vestiendis cibum, potum, vestitum, aliamuè curam, atque operam ministrant.

Non suis, sed eorum, quorum curam susceperunt, commodis atque vtilitatibus seruiant.

Omnibus piè consulant, nec vllam partem pro susceptæ curationis, procurationisuè officio negligant.

Munus quod gerunt, sæpè sibi proponant eiusmodi esse, in quo non profanæ cuiusquam administrationis, negotiiuè, sed sanctæ, spiritualisque actionis partes, atque officia, & Deo gratissima charitatis opera exequantur piè, religiosè, & quàm diligentissimè.

Cùm capitula, congregationesuè habent, tum initio, tùm in fine sanctis precibus, & orationibus in libro officij beatissimæ Mariæ virginis, eo nomine præscriptis, vtantur.

Cùm verò aliquid aggrediuntur, quod ad curæ suæ rationes pertineat, initium à piâ oratione faciant, vt quod inchoatur, benè, salutariterque succedat.

Omni denique morum grauitate, vitæ integritate, pietatis religione, & spiritualium exercitationum, Episcopo probatarum quas inter se collegiatim præstent, studiis tales se præbeant, vt eorum locorum rectam administrationem, piamque institutionem non solùm conseruent; sed optimis progressionibus, Deo auctore, adiuuent, atque amplificent.

Qui locorum piorum sumptibus gratis aluntur, curanturuè, aut literarum, aliarumuè artium disciplinâ instituuntur, ratio postulat, pietatis studiis, atque exercitationibus eos præ cæteris deditos esse, eorumque precibus animas illorum adiuuari, à quibus illud subsidij relictum est, ad eiusmodi pij instituti sustentationem.

Quare illud eorum locorum curatores, vel præfectos, ac Sacerdotes, præsertim, qui in iis spiritualem curam gerunt monemus, vt ab iis, qui ibi aluntur, si legere norint, statas de beata Maria Virgine preces horarias; si verò rudes sint, saltem institutam illam certis salutationis Angelicæ calculis, orandi rationem, scilicet de beata eadem Virgine coronam in singulos dies piè præstari sedulò curent.

Qui prætereà eleemosynam dant; hoc illos, qui accipiunt, sæpè moneant; vt pro iis qui bona reliquerunt, piè precentur.

Id verò præstetur, cùm in locis piis, tùm vbicumque eleemosynarum distributio fit. Hoc sanè & Episcopo curæ sit item.

Ibidem. 7 Qui pecuniam Ecclesiis, confraternitatibus, aut quibuscumque piis locis debent, illorum procuratores, syndici, ministri esse, aut vllam denique in eis officij, aut negotij partem administrare non possint.

8 Administratores Ecclesiastici, vel laici piorum locorum, siuè Hospitalia, Montes pietatis, Confraternitates, Misericordiæ, Charitates, Consortia, Disciplinæ, siuè alio quocumque nomine nuncupata sint, qui nunc sunt, intrà tres menses, qui deinceps deligentur, antequàm ad administrationem accedant, iurent, se fideliter, & accuratè munus suum exequuturos.

9 Fructus, qui pauperibus addicti fuerint, veris pauperibus tantùm distribuant, quemadmodum cuiusque inopia, & eius voluntas, à quo bona illa profecta sunt, postularit.

10 Qua in re, nè vlla fraus fieri possit, ineatur aliqua ratio, Episcopo probanda, qua ei constare possit, in quas personas fructus illi erogati fuerint.

11 Quos autem compererit Episcopus, vel iniquè distribuendo, vel in suum commodum vertendo, vel inutilibus, & superuacaneis sumptibus faciendis malè in administratione versari; eos pro modo culpæ puniat: & ad restitutionem legitimè compellat, & ab officio etiam, si ei videbitur amoueat.

12 Quod si contrà, quàm à Tridentino Concilio decretum est, nè rationem administrationis reddant, tribunal Episcopi declinare voluerint; Ecclesiasticis pœnis ab eodem coërceantur. Sess. 22. c. 9

13 Piorum locorum procuratores, ministriuè etiam inferiores, cauendum est valdè, nè diutius, quàm par est, in curatione, administrationeuè, sibi commissa, perseuerantes, rerum sibi arrogent imperium. Porrò si aliàs idonei sunt ad alia munera eorumdem locorum gerenda, eosdem transferri licebit, nisi ex illis sint, quos superioribus Conciliis certo tempore quibusdam muneribus vacare iussum est. 4. Ibidem. Sess. 25. c. 8. de ref.

At hoc curetur omninò, vt gestæ procurationis, administratiuè muneris rationes, sæpè, diligenterque reddant.

14 Quamobrem formula præscribatur, qua, & diaria, & codices rationum non coniectos, sed ordine, rectéque confectos teneant: vt inde facilè ducatur omnis explicata ratio, tùm accepti, tùm expensi.

15 Episcopus verò, etiam ex Tridentini Concilij decreto, semel saltem in anno à quibuscumque piorum locorum, etiam quæ merè laicalia, & priuata sunt, præfectis, curatoribusuè rationes administrationis, curæuè repetere nè omittat vllo modo. Sess. 22. c. 9

16 Episcopus non solum, vt superioribus Conciliis cautum est, locorum piorum administrationis rationibus intersit; sed etiam liberationi illius administrationis. Quæ liberatio ab eorum locorum præfectis solùm nè fiat, sed præsente, consentienteuè Episcopo, alioqui si secùs fiet, rescissa sit, planéque nulla, ad Tridentini Concilij præscriptum. 6. Quæ ad Confr. piaue loca pert. Sess. 2. c. 9.

17 Decreta, vel, quas vocant, ordinationes in Capitulo confecta, in librum præcipuum, Capitularium ordinationum nomine inscriptum: omnes, ac singulæ à Cancellario diligenter, ordineque referantur. Quibus ordinationibus manu, quorum id muneris est, ante Capitulum proximè futurum subscribatur. 4. Ibidem.

Tùm præterea in hoc ipso Capitulo illæ ab eodem Cancellario de libro ad verbum recitentur.

18 Codex item alius paretur; in quo præcipuè notatis singulis diebus, ordine exscribantur, quæ in vnoquoque præfectorum, administratorumuè conuentu, Capitulouè proponuntur, aut aguntur: quæque rursùs proposita, ac suffragiis permissa, reiecta sunt: vt quæ deliberata, quæuè repulsa sint, facile omni tempore ex illius

codicis monimentis constent.

19 Librum item præcipuum conficiant, & habeant, in quo cùm omnia singulaque annua legata, tùm onera illis adiuncta, ordine, distinctè, enucleatéque præscripta omninò sint.

20 Cuius libri exemplum, publici notarij manu signo, auctoritatéque munitum, in Archiuum Episcopale, vbi asseruetur, eodem spatio deferant. Quod sanè omne deinceps, singulis annis perpetuò præstent quod ad ea legata, onerave attinet, quæ iis deinceps annis fieri contigerit, aut facta locum habere.

21 Episcopus autem omnes administratores piorum locorum etiam quouis nomine exemptorum, ac merè laicalium, & priuatorum compellat omnibus iuris remediis, ad singulorum onerum satisfactionem iis ipsis locis incumbendo: neque vllo prætextu patiatur, eorum prædia, bonaué alienari contra summorum pontificum literas, & sacros Canones, & Concilia etiam Prouincialia nostra, aut contrà piam testatorum voluntatem, qui ea bona, ad certum illum pium vsum destinarunt.

22 Tabellam item publicè propositam, quo loco in Capitulum conuenire solent, perpetuò habeant, in qua pro mensium ratione, proque rerum genere, ex norma præscripta, ea ipsa & legata, & onera breuiter dilucideque notata sint.

i. Ibidem. 23 Iis, qui bona piorum locorum administrant, ea si mobilia sint, vel pretiosa mobilia, vendere, permutare in emphyteusim dare, aut quouis modo alienare; nisi iis seruatis, quæ à sacris Canonibus requiruntur, & ex consensu, atque auctoritate Episcopi, nullo modo liceat. Qui contrà fecerint, Episcopi arbitrio puniantur; &, quod actum est, irritum, ac nullum sit.

24 Piorum locorum bona administratorum arbitrio nè locentur; sed publicè locanda proponantur, facta omnibus conducendi potestate.

25 Quos piis locis aliquid debere constiterit, iis eorum locorum bona locari nè liceat.

Qui piorum locorum bona conducere voluerit, det idoneum fideiussorem, cum quo iure agi possit æquè, atque cum ipso principali conductore. Aliter facta locatio, & conductio irrita, ac nulla sit.

26 Vt autem hæc, cæteraque omnia, quæ Tridentina Synodus de Hospitalibus, & aliis piis locis statuit, facilius Episcopi præstare possint; præcipimus Parochis, vt diligenter singula, quæ in Parochiis suis sint Hospitalia, & pia loca, eaque præsertim in quibus re ipsa hospitalitas, cæteraue administratorum munera non exerceantur; ad Episcopum quàm primùm deferant, cuius arbitrio Parochi huius officij prætermissi pœnas dabunt.

27 Rogamus autem principes, & magistratus omnes, nè Episcopos suo officio fungentes, & contrà contumaces iure agentes impediant; sed ea, qua decet, pietate, eos omni ope, & auxilio iuuent.

28 In petendis eleemosynis, Hospitalium, & aliorum locorum piorum nomine, hæc præcipuè seruari iubemus.

Vt in illis Hospitalibus, & piis locis re ipsa, quæ debetur hospitalitas, & opera exerceantur.

Vt ea loca sint in illa Diœcesi, in qua eleemosyna petenda sit: neque ea ad vtilitatem eiusmodi locorum alienæ Diœcesis conuertatur.

Vt qui petet, sit eiusdem Diœcesis.

Sit bonæ existimationis.

Non fuerit ex numero quæstorum, quos damnauit sancta Tridentina Synodus.

Illud officium gratis, vel constituta certa mercede præstet, nec vllo modo particeps sit eleemosynarum.

Ab Episcopo eiusdem Diœcesis scriptam licentiam, quotannis renouandam impetrarit.

Qui contrà, quàm de hoc decreto sancitum est, petierit, ab Episcopo grauiter puniatur.

Cui etiam curæ erit, vt quæ eleemosynæ collectæ fuerint, verè in pium tantummodo eorum locorum vsum, quorum nomine petitæ fuerint, conferantur.

29. 30 In Hospitalibus, piisque diuersoriis, vbi hospitalitas exercetur, mares cum fœminis, etiam specie matrimonij, nisi id certissimè constet, versari nè liceat: neuè ea loca, quæ bonorum subsidio sunt addicta, circulatoribus, aleatoribus, nebulonibus, & istiusmodi nequissimis hominibus pateant.

Mendici, morbum simulantes; moneantur, vt se in aliqua arte potius exercentes, inde sibi honestum vitæ subsidium comparent, quam ignauiæ, ac desidiæ dediti, ostiatim in triuiis, & in templis misertimè mendicent.

Si id recusauerint, curent Episcopi vt eiiciantur; neque illis domorum hospitalium prætereà aditus pateat.

31 Summoperè verò hortamur principes, & magistratus, reliquosque omnes Christi fideles, vt mendicos, verè ægrotos, vnum in locum conducendos, ibique eleemosynis sustentandos, studiosissimè curent.

32 Episcopus prætereà eam ineat rationem, vt & in hospitalibus, & in aliis piis locis, vbi plures, vel mares, vel fœminæ curantur, aut aluntur, hoc tradendæ Doctrinæ Christianæ institutum introducatur: quo illi pascantur hoc prætereà spirituali cibo. 3. De Scholis Doctr. Christ.

33 Charitatis, beneficentiæque omnibus officiis, quæ in proximos conferuntur, magnam cœlestis gloriæ mercedem propositam esse, sacræ literæ ostendunt: sed illa maximè Deo grata, atque accepta opera sunt, quibus benignè fit, ac succurritur egentissimis hominibus, ægrotis, ac peregrinis. Itaque vt quæ ad eam rationem pertinent, legibus, & sanctionibus communita, rectè obseruentur, hæc pro pastoralis curæ nostræ munere decernimus. 5. Quæ ad Scholas.

Primò hospitalarius, siuè, cui hospitalium ædium custodia committitur, vir sit, cuius fides, pietas, vitæ innocentia, sedulitas, charitas grauium virorum testimonio commendata sit.

34 Caueat nè à quoquam, cùm hospitium ingreditur, aut, cùm inde discedit, quicquam, vel minimum, ac nè spontè quidem oblatum, exigat, petat, accipiatuè.

Nè cum mendicis, qui ad quæstum omni simulandi arte vtuntur, aliquam turpis lucri pactionem pro iis recipiendis ineat.

35 Curet item nè quid peregrini, aduenæ, pauperes hospitio excepti, contrà Christianam pietatem, bonosque mores admittant.

Quinimò certam horam, tùm manè, tùm vesperi præscribet, qua, ictibus paruulæ campanæ datis, omnes simul aliquantisper orent.

Doctrinæ Christianæ institutionem introducat, qua præfinito aliquo temporis spatio erudiantur.

Si enim iis ad corporis victum, curamque benignè suppeditatur, illud etiam maximè curandum est, vt spiritale Doctrinæ Christianæ pabulum eisdem tribuatur.

Ne pueros vnà cum adolescentioribus, maioribusque natu in eodem lecto cubare permittat.

Neque item eos, qui integra valetudine sunt, cum ægrotis, aliquo modo laborantibus.

Qui autem integra sunt valetudine, nè diutius triduò in hospitio morentur, nisi aliter ex ipsius hospitalis instituto permittatur.

At, cum eosdem paucis post diebus redire animaduertit, inuestiget diligenter, quousque iter fecerint; ac sedulò videat, nè ij modò adhoc, modò ad illud hospitale domicilium diuertentes, se peregrinos fingant, de vrbe, oppidoue tamen verè non exeant, turpi quæstui, atque etiam aleis, multisque aliis flagitiis operam dantes, quod aliquando euenire compertum est, studiosè Episcopus curet, vt in ædibus hospitalibus, quæ vnionis, vt vocant, iure, alij domui hospitali adiunctæ sunt, vbi longo temporis spatio hospitalitas intermissa est, quàm primùm restituatur, vt iuris est.

4. Ibidem. 36 Hospitalium locorum, vbi infantes expositi aluntur, curatores, præfectiue caueant, vt illos lactentes nutricibus, quas eo nomine conduxerint, plures non assignent, quàm earum vnaquaque lacte suo alere possit, nè ob hanc culpam plerosque illorum fame necari contingat. Quamobrem, quot ad lactandi vsum nutricibus opus habent, totidem sanè sollicitè conquirant, & conducant. Si hæc non possunt alia omni ratione prospiciant, vt lactentium puerorum vitæ succurratur.

37 Cùm ad pia instituta perpetuò retinenda, rectéque exequenda plurimùm prosit eorum monimentum, ad posteritatem firmiter proditum; Episcopi ea cura sit, vt cùm vel in vrbe, vel in Diœcesi locus aliquis pius exædificatur, aut instituitur: illius origo, institutum, titulus, & alia eiusdem generis, quæ opportuna censuerit, in marmore, lapideue solido, aut in tabula ænea incisa, loco eiusdem ædificationis illustri collocata, ad perpetuitatem prodita extent, sicut in nonnullis huius Prouinciæ locis aliqua huius generis adhuc cernuntur: idque ipsum prætereà in locis piis, iam exædificatis, institutisue, vbi commodè potest, effici, ac præstari curet.

38 Vbi vel fundationis iure, vel alio probato instituto hospitales ædes, locaue pia aliqua ad pauperes, aut peregrinos, aut senes certosue alios id generis homines hospitio excipiendos, alendosuè extant, Episcopus, cuius potissimùm est curare, atque adeo efficere vt piæ hominum voluntates ad eorum præscriptum rectam executionem habeant, videat, agatque, vt ne ab iis locis per illorum curatores, præfectos, ministrosue, ij, quorum causâ illa exædificata, institutave sunt, repellantur, si illos recipi per facultates licet: ac nè rursus alij hospitio excipiantur, qui excipi non deberent: vtque in cæteris etiam ab' hospitalium, piorumue locorum instituto nè discedatur, neque contrà fiat, quàm de illorum curatione, administrationeve à testatoribus, aut ab aliis, qui illa instituerunt, præscriptum est.

39 Illud interdum, prout vsu venerit, ab Episcopo moneantur, qui eleemosynam erogare, quouis modo, aut nomine debent, vt sibi in ea erogatione Parochi in primis testimonium, consiliumque adhibere studeant, quò melius consultum sit, ac prospectum conscientiæ suæ, cùm ille pauperum, & egentium notitiam magis exploratam habeat.

40 Tùm verò quibus locis ità opus esse Episcopus censuerit, præsertim vbi compererit in distributionibus eleemosynarum quicquam peccatum esse, vel quia non verè pauperibus distributio fit, vel aliàs minùs fideliter, vel non ad præscriptum piæ testatorum voluntatis, constituat etiam, vel Parochum, vel pios aliquos ex vicinia illa, vel Parochia laicos, quorum testimonio de paupertate illorum, quibus erogandæ sunt eleemosynæ, constet, antequàm ab illis, quorum id curæ est, distribuantur, vel aliàs id generis certas regulas, quibus caueatur ab eiusmodi erroribus, in posterum præscribat in distributione seruandas ab illis locis piis, etiam quæ merè laicalia sint, ac priuata, aut quauis ratione ab Episcopo exempta.

41 In pauperum delectu non egestatis, inopiæque solùm, sed morum etiam, ac vitæ probitatis ratio habeatur. Quo in genere hæc præter cætera de illis inuestigentur, an scilicet Doctrinæ Christianæ scholas frequentent; an fidei prima rudimenta teneant; anque religiosè, & piè viuant.

42 Quæ porrò eleemosynæ pauperibus, aut singulis etiam siuè hominibus, siue familiis quauis ratione debentur, nè in alium cuiuscumque rei vsum, ac nè in Ecclesiæ quidem instaurationem, ornatumve eas erogari liceat, nisi, & eorum, quorum interest, consensu, & Episcopi prætereà concessu, eoque literis exarato.

43 Quæcumque item, quæ ad certos pios vsus relicta ab aliis etiam, quam à piorum locorum administratoribus persolui, aut præstari debent, in alios etiam similes vsus, nè necessitatis quidem prætextu permutentur, etiam si testatoris hæredes, quicumque sint, ei rei assentiantur: nisi Episcopus re perspecta, eam præstiterit facultatem, quæ iure permittendi ab eo dari poterit, illius permutationis causa. Sess. 25. c. 4 & 8. de ref. Sess. 22. c. 6.

44 Quæcumque eleemosynæ nomine indistinctè per capita, familiasve, distribuuntur, ex deinceps in illos tantùm, qui in iis verè pauperes sunt, conferantur; nisi ex testamento, fundationisve tabulis, aut aliunde legitimè Episcopo constiterit, illis etiam, paupertate non laborantibus, indistinctè distribuendas esse.

45 Qui aliter distribuerit, ei pœna sit, dupli restitutio, grauiorve arbitrio Episcopi.

46 Vt piis vniuscuiusque generis distributionibus, quas in vrbe, & in Diœcesi, vel ex vltima voluntate, vel ex consuetudine, aliauè ratione quis præstare debet, satisfactum esse Episcopo constet, prout Concilio primo Prouinciali per nos decretum est; eam rationem is adhibeat,

vbi expedire censuerit, vt quod, vel ab vniuersitatibus, vel à sodalitiis, piisuè locis quibuscumque etiam merè laicalibus, & priuatis & exemptis, quouis modo, vel à quouis homine eleemosynæ nomine, aut aliàs piè erogandum distribuendumque est, quicquid illud sit, adhibitis etiam duobus viris, per vniuersitates delectis, suo, vel in Diœcesi Vicarij foranei iudicio probatis, & Parocho item in opera pietatis præscripta, erogetur, & conferatur.

47 Parochus autem in Codicem certum referat, quæ eiusmodi distributiones, quo die, & quibus adhibitis factæ sint: eorumque & testium subscriptionem adhibere curet.

48 Si verò, vel vniuersitas, vel quispiam se neque hac, neque alia ratione distribuisse, Episcopo legitimè ostenderit, ad satisfaciendum ab eodem compellatur.

49 Parochus, tamquàm Parochiæ suæ pauperum pater, sæpè paternè, diligenterque perquirat, primùm, an si quæ in Parochialis suæ viciniæ finibus eleemosynæ sint, quæ, vel à piorum locorum curatoribus, vel ab aliquo Collegio, vniuersitateuè, vel ab vlla familia, vel à singulis hominibus in pauperum vsum aut sustentationem erogari quouis nomine debeant: præstereà videat an illarum erogatio fiat; in eos ipsos, qui verè egentes, pauperesque sunt; anque etiam illud, quod, qualeve eleemosynæ nomine in illos conferri debet, integrè, sincereque totum conferatur, erogetur, ac distribuatur.

Si quid verò animaduerterit, cui cautionem, remediumve adhiberi oporteat, ad Episcopum quamprimum deferat.

1. Ibidem. 50 Curent Episcopi, vt retento piè eleemosynæ instituto, tollantur publicæ illæ commessationes, cæteraque huius generis, quæ à sodalitatibus, quas confratrias, vel confraternitates vocant; præsertim intrà ambitum Ecclesiarum die Pentecostes, & die Cœnæ Domini, ac certis aliis solennibus festis diebus, pietatis specie fieri solent, non sine bonorum offensione, propositâ pœnâ suo arbitratu.

1. tit. 3. dec. 24. 51 Illud interdicat Episcopus nè in vllis eleemosynarum oblationibus quæ cuiuis Ecclesiæ fiunt, musica instrumènta, organo excepto, in Ecclesia adhibeantur; neuè alia fiant, vel gerantur, quæ domo Dei indigna sint. Nè item puellæ eleemosynas Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum hominum nomine quæritent, id quod non sine earum pudicitiæ discrimine quibusdam in locis introductum erat.

4. Ibidem. 52 Nemo operta, obuolutaque præ pudore facie eleemosynam sine Episcopi, aut si in Diœcesi, saltem Vicarij foranei, concessu, eoque scriptis exarato, quæritet. Nec verò eam facultatem cuiquam Episcopus, Vicariusve det, nisi illius & egestatem, & morum, vitæque rationem, antè planè notam exploratamque habuerit.

53 Primo quoque dominico mensis, alioue die, quem Episcopus statuerit, in omni Ecclesia Cathedrali, & Parochiali etiam si regularis sit, vt egentium, qui præsertim præ pudore ostiatim mendicare, eleemosynamve quæritare non audent, necessitati, pia fidelium liberalitate succurratur à locupletibus Parochiæ incolis, cæterisque, vt antiquæ consuetudinis est, aliquid per eos colligatur, quos huic curæ Episcopus præposuerit.

Quæ eleemosynarum collectio, singulis etiam itatis quatuor anni temporibus, quibus in hoc opere misericordiæ promptius, impensiusque incumbendum est, per eosdem fiat.

54 Dominica verò proximè præcedenti quò fideles, & in dando effusiores sint, & paratiores, ad Parochialem Ecclesiam cum voluntariis oblationibus veniant, eleemosynarum collecta intra Missarum solennia indicatur, sequenti verborum formula ex Sanctissimi Leonis Pontificis sermonibus desumpta.

In eandem verò sententiam Parochus, prout vsu venerit, vberius cum populo aget.

55 *Ventura Dominica dies, vel feria quarta quatuor temporum dilectissimi, Collecta eleemosynarum futura est. Hortor, & moneo charitatem vestram, vt omnes ad Ecclesiam Parochialem cum voluntariis oblationibus eleemosynarum conueniatis: in quo opere, etsi non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas. Itaque & animæ vestræ, & pauperum memores, promptam exhibete largitatem, & pro possibilitate virium vestrarum, spontaneas Collectas vestras sollicitè præparate, vt quicquid vobis de temporalibus facultatibus dempseritis, id multiplicatum in æterna retributione sumatis, in egentibus pascentes Christum, qui nobis illos tantoperè commendauit, vt se in ipsis, & pasci, & vestiri, & suscipi testaretur idem Christus Dominus, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum Amen.* Formula denunciandi collectæ eleemosynarum.

56 Vbi mendicorum vagantium, & curæ spirituali, & victui necessario ità consultum non est, vt certo scilicet quodam pio loco collecti, non mendicatim victum sibi quæritent, sed ex aliena misericordia ibi habeant, vnde se sustentent: Episcopus, quod Concilio Prouinciali secundo de eorumdem vita, moribusque præscriptum est, in eo exequendo illam inire rationem curet, vt certo præcipuo libro per singulos Parochos illi, si qui eiusmodi intra Parochiæ fines sunt, tum alij etiam, alia ratione accuratè, ordinéque describantur.

57 Hæc verò sedulò ab iisdem Parochis observari mandet.

Quò, aut vnde illi migrent.

Quod vitæ Christianæ institutum teneant.

An fidei rudimenta norint.

An diebus festis saltem Missæ sacrificio intersint.

An sæpè confessi, crebro, etiam per annum, aut certè saltem constituto Paschæ tempore, sacram Eucharistiam sumant.

Quos neque libro descriptos, neque in Pascha confessos communicasse ex eo animaduerterint, quòd certum chirographum non ostendant, quo se confessos, & sacram Communionem sumpsisse testatum faciant, nè pro Parochialis Ecclesiæ suæ foribus, nec intrà Parochiæ fines eos mendicare Parochi permittant, omnémque propter eà cautionem, quantùm in se est, adhibeant.

Quos doctrinæ Christianæ rudes, mendicos vagantes viderint, festis diebus stata hora ad eiusdem doctrinæ scholas conuenire diligenter curent, eosdemque instruant.

2. Ibidem. 58 Pœnam excommunicationis eo ipso habendam proponimus notariis, scribisque omnibus, qui testamenta, codicillos, aliasve tabulas de legatis ad pias causas, de rebus, quæ pro malè partis, vel furto ablatis relictæ sunt, quas ipsi rogati conscripserint, aut ab aliis scriptas apud se habeant: nisi ad tres menses Episcopo id significauerint; iis verò, qui post hac eius generis negotia scripserint, nisi intra mensem, cuius initium fiat à morte testatoris, eidem Episcopo rem notatam fecerint: eamque particulam de legatis, vel relictis rebus descriptam, & auctoritate publica munitam, debita mercede accepta, illi tradiderint. Quæ omnia sic agantur, nisi iustum intercesserit impedimentum; quo sublato, ea quæ suprà scripta sunt, notarij exequantur.

Decretum autem hoc nostrum bis quotannis ab omnibus Parochis populo sibi commisso recitari volumus.

2. Tit. 3. dec. 17. Ne notarij, qui testamenta, codicillos, aliasuè tabulas de rebus quæ piarum causarum nomine legatæ, relictæuè sunt, vel ipsi rogati conscripserint, vel aliis conscriptas apud se habent, magnos nimis labores in iis omnibus conquirendis sustineant; neve si id quod ipsis superiori Concilio præscriptum est, commiserint, excommunicationem eodem Concilio propositam subeant: idcircò illam sanctionem, piarum causarum nomine à nobis editam, ità interpretamur, ac moderamur, quò faciliorem etiam executionem illa habeat.

Quicumque Notarij sciunt se rogatos, testamenta, aliasuè vltimæ voluntatis tabulas, de rebus piarum causarum nomine relictis, confecisse; nisi sex mensium spatio, postquam testatoris mortem scierint, illa Episcopo significarint, quæcumque in ipsis tabulis à se conscriptis legata pia facta sint; ij excommunicationis pœnam ipso iure incurrant.

Qui verò in posterum eius generis tabulas, testamentauè scripserint eandem pœnam ipso facto subeant; nisi tribus post mensibus, quam testatoris mortem cognouerint, pia legata, relictauè, Episcopo denunciarint. Hoc autem de sex, & trium mensium spatio decretum, vim tantùm habere statuimus, cùm primùm Concilium hoc in lucem emissum erit, ac promulgatum.

Vt autem Notariorum, qui iam mortem obierunt exemplaria, & quæuis alia scripta, quibus res piarum causarum nomine relictæ, aut legatæ, notatæ, ac descriptæ sunt, conquiri possint: Episcopus propositis etiam pœnis, & censuris, eam, quæ sibi facilior videbitur, ineat rei perficiendæ rationem.

Qui Notarij prætereà ex superioris Concilij decreto excommunicationem subierint, Episcopus eos absolutionem humiliter petentes, à censuris absoluat: si modò ipsius Episcopi arbitratu ante satisfecerint, ad decreti huius præscriptum.

5. De iis, quæ ad bon. Eccl. pert. 59 De Notariis legata pia non denunciantibus, decretum in altera Prouinciali Synodo editum, quotannis die Dominico Aduentus vltimo, & Quadragesimæ secundo, in vnaquaque Parochiali Ecclesia promulgetur.

2. Tit. 3. dec. 16. 60 Hæres, vltimarumuè voluntatum exequutor, si quæ piarum causarum nomine legata, relictauè sunt: ea anni spatio ad summum aut tempore ab ipso testatore præscripto, non præstiterit, ab Episcopo, vt ratio iuris postulat, pœnis ipso iure constitutis, omninò cogatur piam testatoris voluntatem explere. Sess. 22. c. 8

Nec verò præscriptum illud, vel à iure, vel à testatore tempus, ab Episcopo prorogetur, nisi sibi constiterit, quæ earum causarum nomine relicta, aut legata sunt, verè præstari non potuisse.

61 Episcopus verò in Parochiis, vbi opus erit, duos probatæ vitæ homines, pietatis amantes, & auctoritate præditos deligat, quorum opera, studio, atque adiumento ad piorum locorum, piarumque causarum iura persequenda vtatur quò ad expedire visum sibi erit.

62 Quæcumque verò ad pios vsus, vel legata, vel relicta, vel donata sunt: ea sibi iam denunciata, aut alio modo cognita, Episcopus trium mensium spatio in librum certum ordine referri curet. Quo prætereà libro quàm primùm eiusdem iussu notentur, quæ deinceps quouis modo sciuerit, ad eos vsus legata, donatave. 3. Ibidem.

63 Testatorum piæ voluntati nè fraus fiat, Episcopalis curæ est, quamobrem, quæcumque vel res vel pecunia, cuipiam Sacerdotum conuentui, vel alij cuipiam homini, legata eo nomine est, vt pauperibus in eleemosynam conferatur: ea neque tota, nec verò pars cuiquam eiusdem conuentus Sacerdoti, neque vniuerso etiam illorum conuentui, nec ab illo sibi ipsi, nè paupertatis quidem causâ, vel vlla egestatis specie distribuatur, nisi huius rei facultate ab Episcopo, eaque scriptis data. Sess. 22. c. 8 Clem. Quia contingit, de relig. domib.

64 Quæ legati nomine relicta sunt, certo pio vsui, ea nè necessitatis quidem causâ, nec verò hæredum eius, qui reliquerit, consensu, ad alterius rei, quæ æquè item pia sit, vsum conuertantur: nisi Episcopus, re tota primùm cognita, illius commutationis potestatem fecerit, quæ iuris permissu ab eo fieri possit.

65 Prohibeat Episcopus, nè bona, census, prouentus, aliaque eius generis, quæ ad Ecclesiarum fabricas quauis ratione pertinent, ab earum præfectis, aut ministris ad alios vsus auertantur, quàm institutum est, aut certè debent. Idem præterea, ex Tridentini Concilij præscripto, fabricarum redditus in vsus Ecclesiæ necessarios, atque vtiles, vt expedire magis visum fuerit, erogari curet. 2. Tit. 3. dec. 18. Sess. 22. c. 9 9. de refor.

66 Episcopi omnem curam, & operam suam conferant ad erigenda, & instituenda ex auctoritate Summi Pontificis loca pia, quæ Montes pietatis appellantur, in singulis Ciuitatibus, & insignioribus oppidis; vnde mutuas pecunias pauperes possint accipere. Eaque, & quæ iam constituta sunt, studiosè, & fideliter administranda curent.

67 Principes autem, & Magistratus obsecramus, vt in ea re Episcoporum studium, & diligentiam omni ope adiuuent. 1. De Piorum locor. administ.

68 Nec in eis quidquàm præter sortem, nisi pro ministris, & aliis necessariis sumptibus, id-

que ex Summi Pontificis auctoritate accipiatur

Quæcumque huic titulo defuerint, aliqua tamen ratione pertinere poterunt, videantur in tit. Quæ pertinent ad bonorum, &c.

Quæ ad Sodalitates pertinent.

SVMMARIVM.

1 *Sodalitates disciplinatorum, instituendæ, institutæque Indulgentiarum à Gregorio XIII. concessarum promulgatione adiuuandæ.*
2 *Dies certus præscribendus, quo sodales confessi communionem sumant.*
3 *Institutio sodalitatum Apostolica, vel ordinaria auctoritate facienda.*
4 *Sodalitates ab Episcopo visitandæ, quidque in ea visitatione agendum.*
5 *Sodales ad publicas processiones accedant.*
In priuatis processionibus Sacerdotem præeuntem adhibeant. 16.
Quas tamen noctu non obeant absque licentia: eoque in casu mulieres non intersint, numero 26.
6 *Iidem vtantur regula Metropolitani iussu edenda.*
7 *Contumaces, vt puniendi.*
Nè mutuo non dent pecuniam, si suam id non tolerat institutum. De Vsur. num. 14.
Neque Indulgentias publicent. De Indulgentiis, num. 8.
8 *Neque sibi inuicem thurificationem benedictionemuè adhibeant.*
9 *Confratriæ, qui non adscribendi: & qui adscripti eiiciendi.*
10 *Amictus à quo ipsis Confratribus dandus.*
11 *Vbi is asseruandus: & cui dimittendus.*
12 *Confratres de quibus non colloquantur.*
13 *Quæ legere prohibentur.*
14 *Vesperis in Ecclesia non absolutis in suis Oratoriis officia non recitent*
15 *Neque dum Christianæ doctrinæ institutio exercetur.*
17 *Confratribus arma ad oratorium deferre prohibetur, & quibus conceditur.*
18 *Confratriarum in Oratoriis quæ cadauera sepelire non liceat.*
19 *Confratribus eleemosynam quærere absque licentia interdicitur.*
20 *Officiales, Parocho assistente creandi: & quid iurent, quæque præstent.*
Quanto tempore eo in officio perseuerent. De Piorum locorum administr. num. 13.
Quando, & cui rationem reddant. Ibid. numero 13. 14. 15.
A quo, rationibus redditis, liberationem obtineant, Ibid. num. 16.
Bonorum omnium, quæ possident Inuentarium faciant. Ibid. num. 1.
Eiusdemque Inuentarij quot exemplaria conficiant, & vbi custodiant. Ibid. num. 2.
Bona ipsa non alienent; & si alienata, recuperent. Ibidem. num. 20. 21. & 23.
Nullo modo ipsi conducant. Quæ pert. ad bonorum, &c. num. 26.
Quibus, & quomodo locent. De piorum locorum administr. num. 23. 24. 25.
Vbi ex ipsorum bonorum oneribus ad eleemosynarum distributionem teneantur, quibus, & quorum consilio illas distribuant: & in quos alios vsus non conuertant: quæque alia eius distributionis causa seruent, & caueant. Ibid. à num. 46. ad 52.
Legata, in certum librum referant: Eorumdemque legatorum debitores in tabellam redigant. Ibid. 62.
Quæ legata in alium, quàm designatum vsum non conuertant. Ibidem. 63. 64.
Sodalitas fraternæ correctionis instituenda, certis illi præscriptis regulis.
Sodalitas nominis Dei instituenda. De blasphemia, num. 6.
Sodalitates Doctrinæ Christianæ, vbi erigendæ. De fid. init. à Parocho trad. numero 2. 4. 6.
22 *Sodalitates Virginum sanctæ Vrsulæ, & Viduarum sanctæ Annæ, erigendæ.*
23 *Sodalitas pacis, ad inimicitias tollendas, constituenda.*
24 *Confratriæ vnicuique Sacerdos ab Episcopo constituendus, & de eius vita, & officio.*
25 *Confratriæ locum digniorem quæ obtinere debent.*
27 *Decreta Prouincialia ad sodalitates, Confratriasuè pertinentia, per Episcopum executioni demandanda.*
Confratres laici mutuo officium sepulturæ non præstent.

QVò maior in dies ad Christianæ pietatis studium progressus sit fidelium; id curet Episcopus, vt cùm disciplinatorum, pœnitentiumque sodalitates, aliasque eiusmodi frequentes instituat, tùm institutas omni Pastorali studio adiuuet, & ad conseruandas illas disciplinæ, ac pœnitentiæ rationes, & ad alias excitandas spiritualium virtutum progressiones. Id quò facilius fiat, ardentiorique studio, quotannis aliquando, prout è re esse viderit, literas promulgari iubeat quibus Sanctissimus D. N. Gregorius XIII. præclarum spiritualis indulgentiæ donum liberaliter in Domino illis concessit, qui iis sodalitatibus adscripti, sibi flagella disciplinamque certis statutis diebus adhibuerint. 3. Quædam quæ ad sodalit. pert.

2 Præscribat itidem diem certum, quo in singulos annos illarum sodalitatum homines, qui in vrbe sunt, vno loco omnes; qui in Diœcesi, omnes item suo quique in oppido, locove in vnum conuenientes; primùm contriti, & confessi sacram Eucharistiam sumant; tùm solennem processionem agant, perpetua, grataque memoria prosequentes concessi sibi spiritualis doni gratiam.

3 Ne vllæ cuiusuis nominis piæ Confratriæ instituantur, eriganturve, neue erectæ, aut institutæ Collegij sibi habitum sumant, sine Sedis Apostolicæ, vel Episcopi auctoritate, & facultate literis explicata. 4. Quæ ad loca pia pert.

4 Sodalitates quascumque seu Confratrias, quæ Disciplinatorum nomine vocantur, Episcopus, vt Tridentino Concilio iussum est, visitet: librosque vel Constitutionum, vel Meditationum, orationumuè, si qui in eisdem extant, studiosè recognoscat, nè quid falsum, commen- Sess. 22. c. 8. 2. tit. 3. dec. 22.

titiumve, aut apocryphum in illis sit; & si quæ inuenerit, quæ emendationem desiderent, illa vel omninò tollere, vel emendare curet.

5 Efficiat præterea vt Confratres, etiam nominatim non vocati, ad statas, & solennes Processiones accedant, easque rectè, atque ordine obeant; vtque non mercede conducti, sed pietatis gratia flagella sibi adhibeant.

6 Easdem item Confratrias in eam pristinam Disciplinatorum regulam redigere curent, quæ iussu nostro recognita, & emendata, & huius temporis rationi accommodata, ad communem earum sodalitatum vsum edetur.

7 Si quę verò hoc decreto pręcepta illi vel contempserint, vel neglexerint, aliaque non obierint, quæ ad eorum sodalitatis officium pertinent, pro rei grauitate seuerius ab Episcopo corripiantur; sin autem emendari nulla alia ratione poterunt, eorum sodalitates extinguantur eiusdem Episcopi iudicio.

4. quę pert. ad sac. Ord. 8 Ne verò laici, neuè Disciplinatorum Confratres, alteriusuè cuiusuis Confratriæ homines, ne moniales item, vt Canone vetitum est, benedictionem, thurificationémuè, sibi mutuò, neque verò aliis, impartiantur.

5. Quæ ad Scholas, Confrat. & ad loca pia pert. 9 Ne cuiusuis Confratriæ, Scholæve præfectus, in scholæ suæ numero quemquam Doctrinæ Christianæ rudem, atque ignarum ascribi permittat, cuiuscumque ætatis, aut conditionis ille sit. Id verò curæ sit Sacerdoti proprio illius scholæ, vel Parocho, in cuius finibus est.

10 Nè facinorosi homines, neve turpis vitæ, aut infamiæ labe notati, in Disciplinatorum, alteriusve generis Confratriis ascribantur. Si qui verò iam ascripti sunt, si moniti, honestæ vitæ rationibus se non conformarint, à Confratrum numero, Episcopali auctoritate, & cura amoueantur.

Nè à Disciplinatorum, Confratrumve alterius generis præfecto cuiquam, qui in Confratria ascribendus sit, amictum, quod insigne Confratriæ est, dari liceat, nisi præsente Parocho, aliovè Sacerdote, qui amictum illum statis precibus benedicat.

11 Quem amictum Confratres nè vnquàm domi, aliove loco; sed in schola asseruent. Qui verò è Confratria aut abibunt, aut eiicientur, illum Confratriæ ipsi dimittant, præfectoque sine vlla exceptione tradant.

12 Laici Confratres cuiuscumque Confratriæ de fidei dogmatibus nè disceptationes, colloquia, sermonesve habeant. Videat prætereà Episcopus diligenter, vt in Oratoriis suis collocutiones de iis tantùm rebus instituant, quarum tractatio, & collocutio, laicalis ordinis hominibus conueniat.

13 Ne quicquàm, quod vulgari sermone conscriptum sit, in vlla cuiusuis generis Confratria, Scholave legi, recitaive liceat; nisi primùm ab Episcopo, vel ab eo, cui ille mandarit, recognitum sit, & subscriptione comprobatum.

14 Quo tempore in Basilica Cathedrali, Ecclesiave Parochiali officium vesperarum celebratur, tunc, nè in vllis Confratriæ, Scholæve Oratoriis Ciuitatis, aut loci illius ab eisdem Confratribus recitari liceat officia; sed vel antè, vel post, recitentur; ita tamen, vt non solùm eiusmodi officiorum occasione non diuertantur illi à diuinis officiis publicis: sed nec etiam à scholis Doctrinæ Christianæ, in quibus eiusmodi Confratres vtiles adiutores, & operarij esse solent.

16 Disciplinati, Confratresve cuiuscumque Scholæ, cùm processiones, supplicationesve Collegiatim ipsi agunt, Capellanum, Sacerdotemve alium adhibeant: cuius sit, eam religiosam actionem dirigere: nisi cùm aliquando sine Sacerdote processionis, supplicationisuè agendæ facultatem à Parocho, aut ab Episcopo impetrarint.

17 Nè Confratri cuiquam ad Confratriæ Ecclesiam Oratoriumve arma vllius generis ferre liceat; nisi pro dignitatis suæ, aut officij, quod gerit, ratione, hoc alicui conueniens sit.

Nemini autem vnquàm, cùm Confratriæ amictu indutus est, id liceat.

18 Ne in Confratriarum, Scholarumve Oratoriis, Ecclesiisuè cadauera, etiam sodalium sepeliri liceat; nisi id licere ex certis priuilegij tabulis, aut probatæ consuetudinis immemorabili vsu constiterit Episcopo. Vbi verò Confratribus ius sepulturæ tantùm concessum est, alij nemini, neque electionis etiam iure ibi sepeliri liceat, sed nè Confratribus quidem ipsis, nisi per sex menses ante obitum in sodalitio ritè adscriptus sit.

19 Ne cuiquam Confratriæ vsquam eleemosynam quæritare liceat; nisi facultate, quæ literis exarata sit, ab Episcopo impetrata.

20 Nè in vllo disciplinatorum, aliarumvè Scholarum Confratria, Officiales, Ministrosve creari, aut eligi liceat; nisi vel Parocho, vel alio Sacerdote ab Episcopo constituto, præsente; si modò aliud Episcopo non videatur.

21 Multa mala existunt ex prætermisso, & valde his temporibus neglecto, fraternæ correctionis officio, debito ac necessario. Quamobrem curent Episcopi in sua quisque non solùm vrbe; sed in Diœcesi etiam, aliquam hominum, qui moribus, vitæque innocentia grauiores sint, Sodalitatem constituere, quæ in hoc fraternæ correctionis officium Christiana charitate incumbat: aut hoc ipsum officij munus alteri sodalitati adscribi studeant, quæ id rectè præstare possit. 3. Quædam quæ ad sodalit. pert.

Cui sodalitati certas fraternè corrigendi regulas præscribant, studio, & opera probatorum Theologorum.

22 Sodalitates illæ duæ, vna virginum, sanctæ Vrsulæ, altera viduarum, sanctæ Annæ nomine in aliquot Prouinciæ huius vrbibus piè institutæ, ac Religiosis spiritualis disciplinæ regulis conformatæ vberrimos, adiutrice Dei gratia, fructus, & populis, & familiis attulerunt, non modò ad retinendum, sed ad excitandum vehementius in fœmineo sexu innocentis vitæ omnis Christianæ pietatis, & charitatis studium. 4. Quæ ad loca pia pert.

Quare vnusquisque Episcopus tùm in vrbe, tùm in oppidis Diœcesis suæ insignibus, sodalitatem vtramque vt opportunum viderit, quàm diligentissimè erigi, instituiuè curet.

23 Vt odijs, dissidijs, atque inimicitiis occurratur, rursusque paci, cuius fideles in primis amantissimi esse debent, tot sanctissimis vinculis inter se iuncti, consulatur, id præter cætera

Episcopi paterna sollicitudine curent, in sua quique vrbe, & Diœcesi, aliquam hominum, qui morum grauitate, spectata integritate, & auctoritate præstantiores Confratriam, vt in huius Prouinciæ nonnullis vrbibus instituta iam est, instituere: cuius officium sit, discordiæ flammas restinguere, dissidia amouere, concordiam inire; pacemque inter omnes reconciliare; aut hoc ipsum componendæ inter dissidentes pacis officium alteri Confratriæ adiungant, quæ rectè, aptéque idipsum præstare queat.

6. Quæ ad Conf. pert. 24 Vnicuique Confratriæ Episcopus Sacerdotem constitui studeat vitæ spiritalis vsu peritum, benéque in sanctis exercitationibus versatum, qui salutaribus consiliis, monitis, documentis, aliisque officiis Confratres in omnem agendi partem, tamquàm pater, & Dux spiritualis conformet.

Conc. trid. Sess. 25. ca. 13. de reg. & mo. 25 Vt multarum controuersiarum, dissensionumuè, quæ in plerisque Confratriis, ex eò quòd priorem locum appetunt multis Prouinciæ locis magna cum populi offensione oriuntur, occasio tollatur: Nos decernimus eas Confratrias, earumque Confratres, Scholaresuè, qui in posterum, locum in publicis processionibus, sumpto de Episcopi aut sanctæ Sedis Apostolicæ facultate habitu, sibi dari petierint, atque obtinuerint, debere locum digniorem aliis Confratribus cedere, qui habitu antiquiores consueuerunt illas supplicationes anteà obire, etiam si ipsæ tempore antiquiores sint, maioribusque priuilegiis communitæ. Id verò ita decretum in omni Confratria seruetur; nisi, cùm ob causam Episcopo aliter videbitur.

26 Quæ ad sanctæ pietatis institutum, atque vsum salutariter instituta sunt, Pastoralis curæ est, cauere, nè deprauatis moribus corrumpantur. Quoniam igitur in processionibus, quæ à nonnullis Confratriis, societatibusuè noctu fiunt, religiosè quidem illis primùm institutis, offensio aliqua inesse potest: idcircò nè illas in posterum noctu agi liceat, nisi & Episcopi concessu, & regulis certis ab eo præscriptis. Mulieres autem processiones nocturnas obire interdictum omninò sit.

27 Quæcumque & in hoc quinto Concilio, & in aliis superioribus de disciplinatorum scholis, aliisuè Confratriis, etiam laicalibus constituta, aut præscripta sunt, ea Episcopus ab illis inuiolatè, integréque seruari mandet: etiam si in Ecclesiis regularium illæ Scholæ, Confraternitatesuè erectæ sint, exerceanturuè; ita vt si quid contrà ab eisdem vsquàm factum erit, id pro culpæ modo ab Episcopo grauiter puniatur arbitratu suo. 5. Quæ ad Scholas, &c.

Finis Quinti Libri.



CONSTITVTIONVM, ET DECRETORVM

Synodalium Prouinciæ Mediolanensis.

LIBER SEXTVS.

De Regularibus, & Exemptis.

SVMMARIVM.

Regulares Confessarij in quibus ab Episcopo recognoscendi. De Visitatione 26.

Iidem ab eodem approbandi, etiam vbi temporalem iurisdictionem habent. De Confess. 6.

Prælatus Regularis, & exemptus non se ingerat in aliena Diœcesi ad Confessarios approbandum. Ibid. num. 5.

Confessionem audientes, absque licentia, excommunicati. Ibid. 1.

Idonei licet inuenti ad Confessiones audiendas, quo tamen testimonio ad id munus admittendi. Ibid. 4.

Regularium Confessariorum nomina quando à Prælato Regulari ad Episcopum defer. Ibid. 32.

Quando etiam illi ab Episcopo conuocandi, & in quo monendi. Ibid. 33.

Confessionis auditæ testimonium pœnitentibus ab eisdem dandum. Ibid. 36.

Amouendi si male eo in officio se gerant. Ibid. nu. 7.

Regulares absoluentes à casibus Episcopo reseruatis, excommunicationem incurrunt; & quando suspensionem tantum. Ibid. 24. & 26.

Ieiunia, festosque dies quos populi seruant, seruent & ipsi. De fest. dier. cultu. 36.

Regularium Ordinatorum nomina in librum referenda. Quæ ad ordinis sacram. 99.

Regulares sacris Ordinibus non adscribendi, nisi docuerint se professionem religionis fecisse. Ibid. numero 26.

Regularium superiores quando, & ad quod tempus dimissorias concedant, tàm ob ordinationem, quàm ob morum testimonium. Ibid. 19. & 20.

Testificentur de functionibus præstitis in ordine inferiori, & quibuslibet aliis. Ibid. 17. & 18. 20.

Iisdem Regularibus ordinandis quæ alia ratio seruanda. Ibid. 25.

Regularia beneficia Seminario contribuant. De Seminario. 3.

A Regularibus præsentati ad beneficia, ab Episc. comprobandi. De benef. Iurispatr. num. 2.

Beneficiorum, quorum ius collationis, institutionisuè ad exemptos, & alios inferiores Episcopo spectat, lites, & causæ à quo cognoscendæ. Ibidem num. 7.

Regulares Curati festis diebus Concionem habeant, quæque alia præstent. De Parochiis. 48.

Curati à Regularibus prouisi in suis Ecclesiis ab Episcopo residere cogendi. Ibid. num. 4.

Regulares Curati ad Synodum Diœcesanam accedant, & congregationes obeant. De Synodo Diœces. 5.

Curatæ Ecclesiæ Monasteriis vnitæ ab Episcopo visitandæ. De Visitation. 22.

Monasteria quoque commendata visitanda. Ibidem numero 27.

Parochiæ nouæ, in Parochiis regularium ab Episcopo erigendæ. De Parochiis. 35.

Regulares, & exempti sacra olea à Cathedrali sumant. De sacramentalibus. 31.

Regulares Curati Episcopum admoneant de delicto in sua Ecclesia commisso. De immunitat. Eccles. 7.

Regulares ad processiones publicas vocandi. De Process. 5.

Censurisque & pœnis ad id compellendi. Ibid. 6.

Regularibus Parochis locus in funere præscriptus. De Funerib. 18.

Regulares Conseruatorem delectum non mutent. De Iurisd. Episc. 3.

Quando causas matrimoniorum & criminum cognoscere possint. De foro Episcop. 8.

Conseruatores Regularium taxam à Metropolitano Mediol. confectam, & à Gregorio Papa XIII. confirmatam obseruent. De legib. & Taxa. 5.

Contrà facientes, vt puniendi. Ibid. num. 6.

Interdicta ab Episcopo promulgata, à Regularibus promulganda seruandaque. De Censuris. num. 5.

1 QVod sacrosancti Tridentini Concilij decreto de interpretatione sacræ scripturæ in monachorum monasteriis instituenda sancitum est, id Episcopi omninò efficiant, vt quibus in monasteriis commodè præstari potest, ea instituatur, vel si intermissa est, restituatur. 4. quæ per ad reg.

2 Qua in re præstanda Abbatem, atque alios quocumque nomine vocatos, qui monasterio præsunt, opportunis iuris remediis compellant.

3 Si quæ fœmina, cuiusuis etiam conditionis, dignitatis, gradus, ac generis splendore illustris, virorum regularium cuiuscumque vel ordinis, vel instituti claustra vbicumque in illis, etiam prioribus monasterij conuentus, domusuè claustralis porticibus, primariæ eiusdem ianuæ exteriori proximis, contrà quàm Apostolicis Summorum Pontificum Pij V. & Gregorij XIII. Constitutionibus sancitum est, ingrediatur, pro earum sanctionum iure Episcopus pœnarum, censurarumque declaratione, & irrogatione contra illam seuerè agat.

4 Ad priores autem illas claustri porticus, exteriorique ostio viciniores, vt à sancta Sede Apostolica declaratum est, ingressus mulieribus non vetatur, quo tempore in iis, cùm cœmiteria, sepulcrauè sint, pro mortuis fiunt, à Regularium vniuerso monasterij, domusuè illius conuentu supplicationes, processionesuè publicæ de more aguntur.

5. 6 In claustrorum autem finibus censeantur horti etiam, ac viridaria, vineæ, & eiusmodi loca, quæ monasteriis, domibusuè Regularium ita continenter sunt adiuncta, vt ab illis domibus, vel monasteriis ad eos hortos, locauè aditus sit, nulla via, locouè publico interiecto. Sin autem de claustrorum finibus, circumscriptioneuè dubitatio, aut difficultas aliquando existat, per loci ordinarium, adhibitis Regularium superioribus, illa explicetur; certaque demùm ipsis limitibus claustralibus definitio, circumscriptiouè statuatur; vt nè ob varias eorum superiorum Regularium interpretationes occasio præbeatur, quamobrem censurarum vinculis fidelium animæ irretiantur. 5. de Mon. & Reg.

7 Constitutio illa, qua à Pio V. Summo Pontifice interdictum est, omnes cuiusuis ordinis mulieres etiam generis splendore, aut dignitatis illustres, Monasteria ingredi, quotannis semel, atque adeò sæpius certis festis diebus, arbitrio Episcopi promulgetur. De Const. 13.

Quæ alia hoc Tit. fortasse desiderantur, vide Tit. de Confessariis, & Concionatoribus, & prædicatione verbi Dei, & copiosius in Indice.

De Monialibus.

De Ecclesia exteriori, & interiori Monialium, tàm ex decretis Prouincialibus quam instruct. Eccl. fabr.

SVMMARIVM.

1 DEmonstratâ formâ aliarum Ecclesiarum, sequitur instructio Ecclesiæ monialium. Instr. fabr. Eccl. lib. 1. cap. 32.

Hæc igitur exstrui potest, quæ vna tantùm naui constet; in orientemque versùs, si pro monasterij situ fieri potest, spectet.

2 Ampla sit pro situs ratione: tecto fornicato, aut laqueato, cæterisque rebus instructa ad præscriptum.

3 Capella maior nulla in ea insit: sed paries in transuerso fiat, quo interior Ecclesia ab exteriori, vbi Sacerdos sacrum facit, diuidatur. Ibid. De Altari maiori.

4 Parieti illi in transuersum ducto, Altare innitatur, in eius medio exædificatum: quod latitudine, longitudine, & altitudine sit, Altari maiori suprà præscripta.

5 Gradus in ascensu Altaris tres sint, vnà cum eo, quem scabellum constituit: singuli autem gradus formâ, & modo, supra præfinito. Scabellum verò, seu bradella eiusmodi item, suprà in Altaris maioris exstructione constituta.

6 E conspectu Altaris in transuerso eo pariete fenestra fiat: vnde moniales Missæ sacrum spectent, & audiant. Ibid. De fenestra in Alt. mai. constit.

7 Quæ fenestra ità, sicut Altare, late patens sit, altè ducta cubitis circiter duobus: cuius ima pars à superficie Altaris, pariete altè exstructa sit cubito vno, & vnciis saltem decem.

Munita sit opere clathrato ferreo, eòque duplici, ac simili, & inter se vnciis circiter duodecim distanti.

Vniuscuiusque autem clathrati operis cancelli, ità tamen compacti sint, vt vnius ab altero interuallum sit non amplius vnciis tribus: atque ità benè septi, vt vnus ab altero diuelli, disiungiuè nullo modo facilè queat. Intrinsecus autem valuas habeat, pessulo, & claue munitas: quæ aut à lateribus aperiantur, aut trochlæa, funiculoque tractili sursum ducantur.

Fenestra, qua sanctissimæ Eucharistiæ eleuatio prospicitur, altius nè pateat cubitis duobus, & vnciis duodecim, latè verò, vt Altaris latitudo est. 4. de Moni.

Cui fenestræ, clathra ferrea duo, palmi spatio inter se distantia firmiter configantur. Virgæ autem ferreæ, quibus clathra compacta sunt, singulæ inter se distent non amplius vnciis tribus.

Sint autem inter se insertæ, ità, vt loco suo dimoueri non queant.

Claudantur autem fenestræ ab interiori parte firmis valuis, sera, & claui, quæ apud præfectam asseruetur. 1. De clau. su. & quæ

Ea fenestra perpetuò lineo panno contecta ad eam, &c.

sit, qui tantummodo cum sustollitur sacrosancta Eucharistia, amoueatur. Fenestræ autem ratio sit eiusmodi, vt Sacerdos ex Altari moniales intueri nequeat.

4. De Monialibus. 9 Vbi autem illa è latere Altaris, Ecclesiæuè, aut alio loco, etiam superiori, est, vnde moniales eos, qui in Ecclesia exteriore sunt, spectare possunt, efficiat Episcopus quàm primùm, vt super Altare, vnde Missæ sacrificium moniales intuentur, ad instructionum præscriptum exstruatur, laterali illa, aliauè, quæcunque sit penitus obstructa.

Instr. fabr. lib. j. c. 32. 10 Altare concamerato opere contegi poterit, pariete crassiori facto aut columellis binis, pilisuè paulùm ab ipso pariete distantibus, erectis: quibus opus fornicatum, cameratumuè nitatur.

Quæ columellæ ab Altaris vtroque cornu distent cubitis duobus.

Si fornix non sit, integumento ligneo, vel ex panno serico, telauè confecto, eoque aptè ornato, quod capocelum vocant, operiatur.

1. De diu. offic. precat. & lect. Monial. Sess. 25. c. 10. de reg. & m. 11 Quoniam verò à Tridentina sancta Synodo prohibetur, nè in Choro, vel Monasterij septis, sed in Ecclesia publica sanctissimum Christi Corpus conseruetur; efficiant Superiores, vt eiusmodi decreto vbique obtemperetur.

4. Ibidem. Sess. 25. c. 10. de reg. Sanctissimum sacramentum nè alibi, quàm in Altari maiori asseruetur, cui lampas in Ecclesia interiori semper præluceat, & in exteriori, cùm illius fores patebunt.

Instr. fabr. Ibidem. De fenest. ad vsum exp. vest. sa. 12 In pariete transuerso inter vnam, & alteram Ecclesiam interiecto, à parte, quæ monialium Sacristiæ commodior sit, fenestra fiat, rotâ aptè constitutâ, vnde sacræ vestes ad Missæ sacri vsum exponantur.

13 Quæ rota, fenestrauè à solo pauimenti altè extructa sit tribus circiter cubitis. Hæc ipsa rota eiusmodi sit, vt tota penè sita inhæreat in crassitudine parietis, qui aliquo incrustationis opere crassior propterea fiat.

14 Munietur valuis ab vno, & altero latere, quæ binæ sint, vnæ ab interiori monialium parte, alteræ extrinsecùs: & ambæ aptè claudantur clauibus: quarum interior à præfecta, exterior à Capellano teneatur.

Vide infr. de Rotis ex 4. In huius fenestræ, & rotæ structura, seruentur cætera, infrà communiter præscripta rotis conficiendis.

Ibid. de fenest. ad vsũ minist. sacræ comm. 15 Ab altera parte Altaris, in eodem transuerso pariete, fenestellula alia sculptorio, inauratoque opere piè ornata, exstruatur, vnde monialibus sacra Communio ministretur.

Cuius fenestellulæ planum æquale sit, & à pauimento Ecclesiæ altè exædificatum cubitis duobus, vnciis sexdecim. Hæc fenestellula latè pateat extrinsecùs cubitum vnum, & vncias duodecim, altè extructa cubitum itidem vnum, & vncias xviij. ità vt in primo aspectu latioris, intrinsecùs autem angustioris formæ speciem præ se ferat.

Tota autem in ipsa parietis crassitudine inerit, quæ cubitalis sit; ità tamen, vt intrinsecùs à parte monialium extremi parietis crassitudo, nè latior sit vnciis duabus, aut tribus. Intùs verò in eo extremo pariete spatium insit, cubito vno: in quo spatio fenestellula, altitudine vnciarum octo, latitudine sex, fiat; vnde monialibus sacra Eucharistia præbeatur.

16 In fenestellula à parte interiori valuulæ ferreæ, aut æneæ sint, politè confectæ, quæ pessulo, & claue obserentur, à parte exteriori valuulæ paulò maiores, quibus tota fenestellula sepiatur, adiunctis, sera, claue, & pessulo.

17 Sub ipsa fenestellula in pauimento Ecclesiæ paruulum scabellum collocetur, altitudine vnciarum octo, quod tapeto sterni possit: vbi stans Sacerdos sacram Communionem monialibus ministret. Hoc autem scabellum modò altius, modò humilius exstrui poterit pro statura Sacerdotis ministrantis.

A parte verò interiori, vbi moniales sunt, scabellum alterum non minus duobus cubitis, ab omni parte patens, ad quod aliquot gradibus ascendatur, exstrui poterit; ità, vt ibi genibus flexis illæ facilè fenestellulam, vnde sacram Communionem sumunt, ore attingant. In ipsius autem fenestellulæ pariete nihil impedimenti subtus ex assibus exstruetur, quo propius monialis, sacramentum sumens, ipsi fenestellulæ hæreat.

Fenestella, ad Ecclesiam versus spectans, per quam moniales sacram Eucharistiam sumunt, ità altè, aptéque struatur, vt Sacerdos illam ministrando commodè stet, non genua flectat. Cui fenestellæ extrinsecùs valuulæ ligneæ præter illas, quæ modo sunt, apponantur, quæ parietem æquent; earum clauis apud Confessarium perpetuò sit. 4. Ibidem.

18 Fenestra prætereà alia fiat, quæ à parte superiori fenestellulæ, vnde sacra Eucharistia sumitur, in Ecclesia exteriori sit: vbi sacræ Reliquiæ, si quæ sunt, rectè, atque ordine recondantur. Instr. fabr. Ibidem. de fenestra sacr. reliq.

Quæ fenestra ab interiori parte altitudinis sit vnciarum sexdecim; latitudinis duodecim: munita verò clathris ferreis, adiuncto opere vitreo pellucido, pannoque serico obducto, & valuis prætereà clausis; ità vt sacras Reliquias inspicere, nec verò tangere vllo modo queant.

19 A parte verò exteriori, quæ in Ecclesiam spectat, eiusmodi sit; vbi loculi, vasculauè Reliquiarum aptè collocentur; valuasque habeat benè firmas, seris, & pessulis tribus munitas: quæ tribus etiam clauibus, & vnaquæque fabrili opere diuerso distincta claudantur.

Reliquiæ sacræ in fenestella recondantur, quæ ad instructionum nostrarum præscriptum, in pariete Ecclesiæ interioris exædificata, ab ea tantùm parte, quæ ad exteriorem Ecclesiam spectat, aperiri possit. Claudatur autem hæc fenestella tribus clauibus, diuerso opere confectis; quarum vna apud Episcopum, altera apud Confessarium, tertia apud monanasterij præfectam sit. 4. Ibidem.

20 In superiori prætereà parte fenestræ, vbi rota collocata est, fenestellula pro præscriptæ formulæ ratione exstruatur: in qua sacrum oleum infirmorum asseruetur. Hæc verò fenestellula à parte tantum exterioris Ecclesiæ patefieri queat, adhibitis firmis valuulis, sera, & claue. Sin autem nullæ in ea Ecclesia Reli- Instr. fabr. Ibidem. de fenestra sacri olei infir.

quiæ extrà Altare asseruandæ sunt: hæc in superiori parte fenestra fiat, vnde sacta Communio ministratur.

1. De clausura, &c. Bulla Greg. XIII. 1572. 21 Ostia, per quæ à septis monasterij in exteriorem Ecclesiam patet aditus, ad mensem muro obstruantur. Si quid in hoc præfectæ culpa, vel negligentia commissum fuerit, ea & officio, & velo superioris arbitrio priuetur.

22 Omnes fenestræ, & cancelli, & quicumque locus, per quem moniales externam Ecclesiam introspicere possint, inædificentur, præter fenestram, in qua collocata est rota: & fenestellulam ad solum sacrosanctæ Eucharistiæ sumendæ vsum constitutam, ac illam fenestram, per quam Corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, à Sacerdote celebrante elatum, aspicere possint.

4. Ibidem. Nulla fenestra, præter illas, primo Concilio Prouinciali nominatim præscriptas, è monasterio in Ecclesiam, Sacristiamuè exteriorem spectet, ac nè rima quidem, ne dum foramen vllum in ea extet, vnde aspectus, aut collocutio fieri possit.

Inst. Ibid. De Gr. ad Altaris. 23 A gradu vltimo scabelli Altaris, distantes sex cubitis, tres alij gradus, aut plures, pro situs ratione, de Architecti consilio fiant: per quos ad gremium Ecclesiæ descendatur. Quod aliquantò humilius pauimento erit: vbi Altare exædificatum est.

In summo gradu clathra ferrea ad præscriptum suffigantur.

Gradus ij singuli nè altiores sint vnciis octo, nè latiores vigintiquatuor, in transuersumque Ecclesiæ ducti; aut tàm longè patentes, quantùm spatij ostium in clathris ferreis capit

Ibid. De Sacrist. 24 In capite Ecclesiæ paruula Sacristia, cuius ianua intrà clathrorum fines sit, aptè exstruatur; quæ sacerdotibus, sacras vestes exuentibus, vsui sit.

25 Qua in ædificatione illud caueatur, nè quicquàm operis, siue fenestra sit, siue rota, aliuduè eiusmodi fiat; vnde in monasterium monialium prospectus, aut auditus sit. Idque propterea, labrum aquarium, quod in Sacristia exteriori ad vsum lauationis manuum exstruetur, nullũ omninò tubulum, canalemve habeat, per quem ex interiori monasterij Sacristia aquam excipiat, quæ eò aliundè importetur, aut infundatur. Neuè quicquam ædificij in superiori parte fiat; quò ipsis monialibus aditus vllò modo esse possit.

Fiat in ea, & Oratorium, & Altare vnum, quod vsui sit, cùm Sacerdotes sacris se vestibus induunt, & vasculum præscripta forma ad abluendas manus: idque nè in pariete, inter monasterium, & Sacristiam interiecto; & armarium item, in quo sacra indumenta asseruentur; & aliud prætereà nihil.

Ibid. De Capellis. 26 In monialium Ecclesia Capellæ duæ, vna à dextro, altera à finistro latere fiant, forma præscripta, eæque in gremio Ecclesiæ, si ibi ob aliquam causam plures Missas eodem tempore aliquando celebrari necesse est.

Ibid. de fenestra Alt. 27 Cautio sit, vt fenestra Altaris clathrata ità constituatur, nè inde in viam publicam, præsertim vbi spectacula aguntur, aut multitudinis frequens transitus est, prospici possit.

Cui rei, vt occurratur, atrium paruulum pro foribus Ecclesiæ exstruendum est: cuius atrij ianua ab aliquo latere sit, quod ipsis foribus Ecclesiæ rectà non respondeat; aut certè, si aliud fieri non possit, ipsius Ecclesiæ aditus è latere sit: idque Architecti iudicio pro situs ratione.

28 Ne magnifici, & sumptuosi apparatus fiant, cùm dies festus Ecclesiæ monialium celebratur: sed pij, ac modesti, & qui Religionem, non inanem aliquam speciem præ se ferant. 1. De Concion. Conf. &c. Mon.

Quò non admittantur musici, figuratum cantum, aut quoduis musicum instrumentum adhibentes.

Quod de cantu figurato, & musico quouis instrumento, & musicis item die festo Ecclesiæ monialium, in exteriori Ecclesia non adhibendis, Concilio Prouinciali primo sancitum per nos est; id etiam omni alio die, & tempore illis vetitum esse decernimus. 4. Ibidem.

Nec verò quicquam aliud præter Missam in exteriori illarum Ecclesia ab aliis canatur; cùm vesperarum, & reliquarum Canonicarum horarum officia ab ipsis monialibus cani possint.

29 Ecclesia interior, vna tantùm naui constet, sine vllis Capellis: pauimento vndique æquali sit, neque ab vlla parte gradibus paulò altior. Instr. fabr. Ibidem. de Eccl. interiori.

Illud verò pauimentum cubito vno, aut vno & dimidio humilius sit, quàm pauimentum, vbi Altare extrinsecùs collocatum est.

30 Illud, vbi maximè potest, cauendum est, nè monialium Ecclesia interior propè vias publicas exstruatur: quæ si pro situs ratione exædificetur, aliquando necesse est: nè à pariete, qui ad vias publicas vergit, fenestræ fiant; sed lumen excipiatur à parte, quæ monasterium attingit: contráque fiat in Ecclesia exteriori, cuius fenestræ non à monasterio, sed à via publica sint.

31 Turris Campanilis, Ecclesiæ interiori monialium coniuncta esse debet: cuius neque ostium, neque fenestra, ac nè rima quidem vlla in Ecclesiam exteriorem aliqua ex parte spectet. Alkè exstruatur pro Ecclesiæ ratione; ità tamen, vt humilior, ac depressior existat, quàm structuræ forma, modusque postulet. Ibidem. de Turri Campanilis.

Primum eius tabulatum fornice benè firma constet: in qua, vel ab aliquo latere inesse potest ostiolum angustum, per quod, cùm necesse erit, ad summam turrim ascensus detur: neque aliunde aditus pateat. At foramina exigua sint, per quæ tractorij campanarum funes tantùm ducantur. Ostiolum verò illud ità compactum sit, vt claudatur pessulis binis, feris binis, clauibus binis, opere fabrili diuerso. Reliqua superiora tabulata ex materia lignea esse poterunt: lumen excipient ex fenestriculis exiguis, iisdemque clathra is: summum verò fenestras, vt moris est, habebit.

32 Organum autem in posterum nè constituatur; nisi locus, in quo aptè locetur, Superioris iudicio ante probetur. 1. De clausura, &c.

33 Prohibentur etiam moniales ipsæ intus, aut per alios foris sonare musicis instrumentis, præter Organa, & Harpicordium, quo ars Organo sonandi discitur.

Quæ ad hunc titulum pertinere possint, videantur tit. sequenti. & De clausura, &c.

De Monasterio Monialium, & eius partibus, tàm ex decretis Prouinc. quàm instruct. fabricæ.

SVMMARIVM.

1 *Monasterium nouum Monialium, ex decretis Prouincialibus qualiter ædificandum, reconcinnandumuè. & 2.*

2 *Situs eiusdem vbi, ex instructionibus fabricæ Ecclesiasticæ deligendus.*

3 *Loca inferiora, quæque superiora habeat: & quæ alia ab his distincta.*

Loca inferiora quæ. } *& qualia.*

4 *Atriolum Capitulare, & num. 36.*
5 *Triclinium, seu Refectoriũ, & n. 36.*
6 *Cella vinaria, cum loco adiuncto.*
7 *Coquina, cum cellis aliis.*
8 *Locus lauationis manuum, & n. 36.*
9 *Locus calefactionis, & num. 36.*
10 *Locus laborum, & num. 36.*
11 *Porticus.*
12 *Cellæ collocutionis.*
13 *Fenestræ collocutionis.*
14 *Ianuæ.*
15 *Rotæ.*
16 *Furnus. Et De clausura, num. 20.*
17 *Locus lauationis.*
18 *Tonstrina.*
19 *Locus Cancellariæ.*
20 *Promptuarium.*
21 *Officina aromataria.*

Loca superiora quæ. } *& qualia.*

22 *Locus dormitionis, aut cellæ dormitoriæ. & n. 36.*
23 *Latrinæ.*
24 *Locus scholæ Nouitiarũ.*
25 *Vestiarium.*
26 *Horreum, Granariumuè.*

Loca distincta quæ. } *& qualia.*

27 *Valetudinariũ, & n. 36.*
28 *Locus educationis puellarum.*
29 *Viridarium.*
30 *Carcer, & locus secessionis.*
31 *Locus interior, & exterior audiendæ confessionis.*
32 *Diuersorium confessarij, & num. 36.*
33 *Foresteria, Hospitiauè.*
34 *Diuersorium famulorũ, & colonorum aduenientium.*
35 *Domicilium conuersarũ*

36 *Cautiones quæ adhibendæ tota Monasterij ædificatione.*

37 *Cautiones quædam de omni Ecclesiastica ædificatione.*

4. De Monialibus. 1 SI quando nouum monialium Monasterium construetur, hoc in primis curabitur, vt nulla fenestra, nullauè specula aliò, quàm intus Monasterij septum spectet. Quod septum non simplici pariete, sed ipsis claustris, porticibusuè claudatur.

In eius autem septi medio viridarium magna ex parte constitui poterit.

Ad huius formæ modum Monasteria, quæ iam exædificata sunt, quò ad eius fieri poterit, accommodari, reconcinnariuè, id Episcopo curæ sit.

2 Ecclesiæ Monialium adiunctum est illarum Monasterium: de quo demùm restat, vt instructionem aliquam breui conscribamus. *Instr. fabr. lib. 1. c. 33. de Monast. Monial.*

Primò Monasterij huius situs deligatur, qui ex Canonis Agathensis cautione, procul, vt par est, absit cùm à Monachorum, Regulariumuè Monasteriis, tùm etiam à Canonicalibus, Clericalibusuè ædibus, Ecclesiis Collegiatis, à turribus, à mœniis publicis, propugnaculis, vallo, arce, & à præaltis ædificiis, vnde etiam prospectus intrò esse possit. Laicali porrò ædificio coniunctum, vbi fieri potest, nulla parte sit: sed aliquo interuallo disiunctum, ac separatum.

Longè item à plateis, emporiis, omni foro, viaque denique qua iumenta, currus, vehicula, aliaque id generis crebrius agi, duciuè solent, & à locis item, vbi multitudinis, vel concursatio, vel conuentus, vel strepitus fit.

Rursus cautio etiam sit, nè eius monasterij positio eligatur in loco abdito, occulto, valdeque admodum remoto ab hominum frequentia: ne prætereà, quod sacra Tridentina Synodus à monasterij monialium ratione alienum censuit, extra vrbis, oppidi, alteriusuè loci mœnia vllo sanè modo. *Sess. 25. c. 5. de reg.*

3 Loca huius monasterij, omnibus partibus absoluti, de quibus infrà sigillatim dicemus, hæc sunt, pro vario vsu distincta. Ac primò quidem inferiora.

Atriolum Capituli.
Triclinium, quod Refectorium dicunt.
Cella vinaria.
Coquina.
Locus Calefactionis.
Locus vasis aquarij ad manus abluendas.
Locus laborum.
Porticus.
Cella interior, & exterior ad collocutionis vsum.
Ianuæ.
Rotæ.
Furnus.
Locus lauationis.
Tonstrina.
Locus Cancellariæ.
Promptuarium.
Officina aromataria.

Loca superiora.

Locus Dormitionis, aut Cellæ Dormitoriæ.
Locus Scholæ Nouitiarum.
Locus Vestiarius.
Horreum.

Loca distincta.

Valetudinarium.
Locus educationis puellarum.
Viridarium.
Carcer, & locus secessionis.
Locus interior, & exterior confessionis.
Diuersorium item exterius colonorum aduenientium.
Diuersorium Confessarij Sacerdotis.

Ibidem. de Atriolo Capituli.

4 Atriolum, in quo capitularis monialium Conuentus habetur magnum esse debet pro monialium numero, constitutis ab omni parte sedilibus. Forma sit non oblonga, nec verò angusta; sed, quò ad eius fieri potest, quadrata specie potius; vt quando à præfecta cohortatio, monitioue fit, vndique commodius exaudiatur.

Sub obscurum potius esse debet, quàm illustre: tùm prætereà picturis aliquot pietatem excitantibus, ornatum; ab ea præsertim parte, in qua præfectæ sedile collocatum est.

Ibidem. de Refect. & cella vinaria.

5 Triclinium, quod refectorium vocant, loco exstruatur, qui cæteris monasterij partibus commodior sit.

Structura ampla fiat, quæ commodè capiat non modò moniales omnes, ab omni parte parietum sedentes, sed aliquantò etiam plures, quas deinceps in monasterium pro illius amplitudine, facultatumque ratione recipi posse verisimile est.

Habeat à capite ornatum sacrarum imaginum, piè, decoréque pictarum: ab vno etiam latere suggestum, in medio pariete exstructum, vnde sacra lectio commodè in omni parte audiatur.

Fenestras item ab vtroque latere, vnde lux hauriatur.

6 Cellam prætereà vinariam subtus exædificatam; quæ fenestras itidem habeat, ordine, rectéque partitas.

Vtrique loco, Triclinio scilicet, & Cellæ Vinariæ, locus alius propè esse debet, isque vsui præfectæ cellæ vinariæ, ad lagenas, crateras testaceas, vasaque eiusmodi vinaria, & aquaria reponenda: aut, si fieri potest, ob eum ipsum vsum cohors paruula cum puteo.

Inst. Ibid. De Coquina.

7 Coquinæ positio, vt maximè potest, triclinio propè sit, vt inde per fenestram, aut paruulo vestibulo interiecto, fercula, lancesuè exponantur monialibus in triclinio ministrantibus.

Eius situs amplè patere debet, camino, qui illius magnitudini pro ratione respondeat, exstructo, clibano item paruo, in quo esculenta coquantur.

Huic coquinariæ structuræ loca hæc ad eiusdem vsum adiuncta esse debent, cella, vbi cocti cibi dimensio fit; cella promptuaria, penariauè esculenti, obsoniiuè quotidiani: locus ad lances, ollas, vasauè escaria lauanda; & cohors prætereà ab aliis separata cum puteo: vnde si aqua tabulis ligneis ductilibus hauritur, adhiberi, accommodariuè poterunt canales plumbei, aut lignei, alteriusuè generis, per quos, prout opus erit, aqua in locum lauationis, & in coquinam ducatur.

Alia item cohors exstruetur ad gallinarij vsum.

Ibidem de loco lauat. Mon.

8 Locus vasis, labrinè aquarij, ad quem moniales, antequàm mensæ benedicant, manus abluturæ conueniunt, à triclinio, & ab atriolo capituli, non longè exstrui debet, ea porrò magnitudine, quæ monialium numero respondeat.

Quo loco malluuium, vas scilicet aquarium, vel marmoreum, vel æneum, alteriusuè generis, in pariete agglutinatum, totidem papillas habeat, quot eius longitudo requirit: subtus exædificato prætereà sinu aquario concauo, & accliui, vnde per foramina aqua è malluuio effluens, aliò deriuetur.

9 Locus calefactionis, quem hypocaustum dicunt, camerata scilicet structura, vbi, igne succenso, moniales per hyemem ad calefaciendum conueniunt, exædificari potest; non longè à triclinio & loco lauationis manuum: isque tantæ magnitudinis esse debet, quanta numerum earum capiat. Ibid. De loco Calef.

Caminum structilem, quaqua versum latè patentem habeat, aut parieti hærentem, aut in medio extructum; vt ab omni parte locus sit ad calescendum.

10 Loci laborum, quò ad opera, manibus elaboranda, moniales certis horis conueniunt, situs illustris esse debet, nec ab vlla parte subobscurus, vt vndique lumen hauriatur, quod in laboribus conficiendis, & in operibus, vel contexendis, vel acu pingendis, elaborandisuè necessariò requiritur. Ibid. De loco lab.

Sit item peramplus, & structura eiusmodi, qua locus luminosus reddatur.

In vnoquoque monasterio, vbi neque locus communis vestium, neque alter est item, in quo operibus elaborandis moniales exerceantur, vterque quàm primùm fieri potest, constituatur, construaturve. *Reliqua videantur in tit. de Præfectis, & aliis ministris Mon.* 4. de Monialibus.

11 Porticus simplices sint, nempè è simplici columnarum, aut pilastratarum ordine constructæ: atque adeò structura omni humili potius, quàm magnifica, & sumptuosa: ab omnique parte ductæ, quadri formam præbeant. Hæ, vt aliæ suprà expositæ ædificationes, tecto laqueato, alioue ligneo opere constare possunt: at ob perpetuitatem, tùm etiam, vt periculum incendij cautius euitetur, opere fornicato potius fieri debent. Instr. Ibid. de Porticibus.

12 Cella collocutionis, & interior, & exterior, loco non semoto, neque abdito, sed publico, perspicuoque exstrui debet, ac propè monasterij ostium auditorij. Instr. Ibid. de Cellis collocut.

Interioris Cellæ fenestræ lumen à monasterio intrinsecùs excipiant; exterioris verò à parte, quæ extrinsecùs est. Porrò illa cautio adhibeatur, vt præter vnam, pluresuè fenestras, ad collocutionem accommodatas, in pariete, inter vtramque cellam interiecto, nulla omninò alia insit.

Ostia locorum, quæ collocutioni solùm, & intus, & foris sunt attributa, semper clausa sint: quorum claues sint apud antiquissimam earum monialium, quæ audiendis sermonibus sint præpositæ. Nec, nisi cùm opus sit longiori collocutione, aperiantur. Cæterum ianitrix ex clathrata fenestellula, ianua tamen clausa, rotariæ ex rota respondebunt pulsantibus. 1. De clausura, &c.

Loca autem intus, & foris collocutioni attributa, cùm ibi sint, qui loquantur, semper pateant, vt, quinàm sint, videri possint.

13 Fenestra collocutionis benè munita sit opere clathrato ferreo duplici, vnciarum circiter duodecim interuallo inter vnum, & alterum interiecto. Opus verò clathratum eiusmodi sit, vt spissi clathri, firmiter infixi, inter se singuli, non amplius distent vnciis tribus. Instr. Ibid. de fenestris collocutionis.

Instruatur prætereà lamina ferrea: quæ latius paulò, quàm fenestra, vndique patens, à parte monasterij intus parieti infixa, firmoque bitumine agglutinata, clathrato operi interiori adhærescat. Sit verò plena aliquot foraminibus magnitudine ciceris, iisdemque inter se distantibus spatio vnciarum circiter trium.

Habeat item fenestellulam, in medio exstructam, vncias sexdecim vndique patentem: quæ sera, vecte, & claue claudatur.

Obducatur item fenestra, intrinsecus tela, nigri coloris affixa instrumento telari, quod aperiri queat.

Quibus porrò in monasteriis illud ordinis, regulæque institutum est, vt è fenestra collocutionis nullus monialium conspectus detur, in iis illa fenestra, simplici tantùm opere clathrato instructa, & lamina ferrea obducta sit, quæ nullam fenestellulam habeat, & telare eiusmodi, quod non aperiatur.

1. Vt supra. Monialibus nulla quidem nimia diligentia videri debet ad eius thesauri custodiam, cuius causâ propinquis, rei familiari, ac terrenis omnibus rebus, curisque renunciantes, in septa Monasterij se incluserunt.

Vt igitur sanctum earum propositum, ea ex parte, quæ diaboli insidiis maximè patet, communiatur, curent Episcopi, vt ad omnes fenestellas, vbi colloquendum sit, duo ferrei clathri, seu cancelli construantur, qui saltem palmo distent, alter ab altero.

Inter virgas ferreas, quibus singuli cancelli compacti sunt, non plus omninò, quàm vncia intersit. Sint autem virgæ ità solidæ vt neque facilè frangi, neque flecti possint.

Intimo verò cancello, quo moniales ad colloquendum accedunt, ferrea lamina appingatur, quæ moueri nequeat; sitque exiguis foraminibus, ad audiendi tantùm commoditatem perforata, cui lineus pannus nigri coloris, ligneis tabellis affixus, instar fenestræ, quæ aperiri possit, cùm erit colloquendum apponatur.

In ea lamina fieri possit quadrata fenestellula nouem tantummodo vnciarum, cuius clauis à præfecta custodiatur: neque eam fenestellulam aperire liceat, nisi quo tempore colloquendum sit cum Episcopo, vel ordinis superioribus, aut cum parentibus, & fratribus monialium, & aliis arctâ propinquitate generis coniunctis: aut cùm instrumentum aliquod confici, vel sacrum sermonem audiri oporteat.

Quod verò ad huius fenestellulæ concessionem attinet, excepta sint monasteria, quorum moniales, vel lege, vel consuetudine ab externis hominibus conspici numquàm solent.

4. De Mon. Ne fenestra laminæ ferreæ, vt primo Concilio Prouinciali cautum est, vmquam aperiatur, nisi perrarò, & ob causam, quam vrgentem Episcopus iudicarit.

Ibidem. Loca collocutionum interna, parlatoria, vulgò vocata, quæ in posterum fient, vna, eademque spatij circumscriptione, nullo interiecto pariete, contineantur, & ad formæ, qua iam pleraque exædificata sunt, modum accommodentur, vbi id non magno incommodo fieri poterit, vt ab eisdem auscultatricibus omnes possint collocutiones exaudiri.

Instr. fabr. Ibidem. Vbi ob monialium multitudinem duabus, tribusuè, aut pluribus ad collocutionem fenestris opus est: eas vno in loco, cellauè, si commodum est, intus exstrui expedit ad rationem præscriptam: ità tamen, vt recta, ordineque longè ductæ, spatium inter se habeant quatuor, vel quinque cubitorum. Distingui tamen, ac separari illæ poterunt pariete interiecto, si modo in eo fenestra, aperturauè sit, vnde monialis, ad clathratam collocutionis fenestram colloquens, ab aliis, quæ in cæteris deinceps fenestris colloquuntur, rectè conspiciatur.

Nec verò rota ductilis in vllo collocutionis loco imponatur, constituaturuè, nisi in vno tantùm, nempè in fenestra, ad eam rotæ collocationem potissimùm accommodata.

Si verò loca, vt dicunt, parlatoria complura erunt, in vno tantùm, aut in altero ad summum, superiorum iudicio rota sit. 4. Ibidem.

Collocutionum loca in monialium monasteriis, tàm intrinsecùs, quàm extrinsecus constituta claui clausa perpetuò sint; nisi cùm ibi quis est collocutionis causâ ex facultate legitima. Clauis autem apud præfectam custodiatur. 6. Quæ ad Mon. pert.

Vt autem, quod de vetito ad monialium monasteria accessu cautum est, certis diebus verè seruetur, clauis etiam adhibeatur ostio loci exterioris collocutionum in monasteriis: quæ clauis, noctu præsertim ab Episcopo committatur Confessario, aliiuè pio viro arbitratu suo. Is verò illis diebus nè aperiat, neuè clauem aperiendi tradat, nisi facultatem Episcopi scriptam exhibenti.

14 Monasterium ianuas, per quas ad illius septa aditus pateat, duas habeat, & alias prætereà nullas. Quarum duarum ianuarum, vna iumentis, curribus, vehiculisque agendis, altera aliis vsibus, & commodis necessariis inseruiat. Quò autem in monasterio vna tantùm ad omnem tùm actum, tùm vsum satis esse videbitur, in eo illa dumtaxat vna sit. 4. Ibidem.

Ianua vtraque è duplici assere, eoque firmo constet, ac sine vlla item sit, nè minima quidem rimula. Limen è marmore, solidouè lapide habeat, quod strictim ipsi portæ cohærescat.

Ianuæ curruum, iumentorumuè altera ex asseribus firmis, ad cancelli speciem confecta, in monasterio ipso adiungatur, quæ à prima ianua paululum distet, formaque sit in fabricæ Ecclesiasticæ instructionibus demonstrata.

Ad ianuam alteram, aliis vsibus accommodatam, cui rota, quem turnum vocant, adiungetur, moniales duæ semper assistant, quæ ianitrices constituentur.

Singulæ hæ tres ianuæ clauibus duabus, fabrili opere inter se diuersis, claudantur, quarum vnam etiam die, monasterij præfecta, alteram monialis, quæ professione anterior est, apud se perpetuò habeat.

Ianuæ septorum monasterij die clausæ sint vnâ saltem claue; quæ ab antiquiore ianitrice custodiatur, vt cùm opus fuerit, aperiri possint. Nequaquam autem aperiantur; nisi duabus ianitricibus præsentibus. At noctu duabus clauibus diuersis claudantur; quarum altera asseruetur à præfecta, altera verò ab eadem ianitrice antiquiore. Cùm autem ianuæ aliquâ necessariâ causâ aperiuntur, moniales non audeant eò accedere, vt externum quidquam aspiciant, vel- 1. De Præfectis, & aliis Minist. Monial.

cum

cum vllo omnino, aut mare, aut fœmina colloquantur. Quæ id ausa fuerit, includatur in cellam, vbi tamdiù sit, quamdiù superiori videbitur, qua pœna etiam plectatur ea, quæ ianuæ præposita est, si aut id permiserit, aut eiusmodi petulantiam statim ad superiorem non detulerit.

Vt suprà. Quò autem sanctior huius clausuræ cautio adhibeatur, Episcopus, vbi expedire censuerit, pessulū vectemue ostiis singulis clausuræ ab exteriore parte claudendum apponi mandet arbitratu suo, clauéque noctu præsertim ei cōmittat, quem fidum, probū, aptūque esse iudicarit.

Inst. fab. Ibid. De ianuis. Ianuæ duæ tantùm, vt par est, in monasterio struantur; vna, quæ auditorii dicitur, vsui ad ingressus necessarios, altera ad iumenta, currus, vehiculaue agenda.

Illa prior loco non obscuro, neque occulto, sed conspicuo, omnibusque monasterii partibus commodo fiat; nec verò amplè pateat: valuis benè firmis, duplici assere confectis, & vectibus, pessulisve binis, & clauibus, fabrili opere inter se differentibus, claudatur. In iis porrò valuis ostiolum prætereà construatur, idemque firmissimis valuis, sera, aut vecte, pessulo, claueque duplici, ac diuersa, munitum; vt nè ob rem minimam ianua grandior aperiatur, patefiatve necesse sit.

In his valuis insit exigua fenestricula, vel orbicularis, vel quadrangularis, vel alia quauis forma: nec amplius vndique pateat quinque, aut sex vnciis. Muniatur lamina ferrea, minutis foratibus, grano milii non maioribus, plena: intrinsecùs prætereà obtegatur crassa tela, aut tenui tabella; quæ reuolui possit, cùm foras prospectatur. Situs autem ianuæ huius is esse debet, vt inde, cùm fores aliquando aperiuntur, nullus monialibus prospectus in viam publicam esse possit, sed impediatur, obstruaturve atrio aliquo interiecto: aut ianua à latere aliquo fiat, vnde non rectà eò spectetur; sed in aliquem vestibuli parietem proximum.

Ianuæ porrò limen è marmore, lapideuè solido sit, atque eiusmodi, quod strictim illam attingat.

Antepagmenta item vtrumque ianuæ latus firmiter muniant: ab omnique parte valuis arctissimè cohærescant.

Rimæ prætereà tùm ianuæ, tùm ostioli; ità benè compactæ, commissæuè esse debent, vt nullum nè tenuissimū quidem, conspiciliū insit.

Huic ianuæ proxima esse, struiuè debet paruula cella: vbi ianitrices opus faciant, indéque fores pulsantibus præstò sint, vt respondeant.

Proximè item rota constituetur, quæ ad eam ianitricum cellam, aut ad locum proximum spectet.

Ianua altera vehicularis, loco item conspicuo, exstruatur, tanta sanè magnitudine, quanta vsui esse potest, ad vehicula, cisia, plaustrave agenda.

Limine lapideo, vt suprà, marmoratove constare debet, vt nè exiguæ quidem rei exitus relinquatur. Nullum verò ostiolum planè habeat.

Valuis duplicibus, vectibus firmissimis, clauiumque duplicium, at opere fabrili distinctarum, firmitudine, vt altera, instructa sit. Prætereà opus valuarum duplicatum in vno pariete adhiberi potest, vnum scilicet intrinsecùs à parte monialium, alterum forinsecùs à via publica.

Ianua hæc ad eam monasterii partem struatur, vbi, & lignile, & cella carbonaria ad coquinæ vsum, & apotheca vinaria commodè esse possit.

Procul ab hac ianua, quatuor, aut quinque cubitis, intus in monasterio transenna ex asseribus querneis, roboreisve, iis singulis, spatio vnciarum circiter trium inter se distantibus, aut ex alia firmissima materia, eodem interuallo, conficiatur: quæ vsque ad ianuæ culmen altè ducta, vectibus suis, sera, & clauibus, benè claudatur.

15 Rotæ omnes amoueantur, atque obstruantur, ac in posterum vetitæ perpetuò sint, præter illam, ianuæ communi adiunctam; & alteram in loco, quem parlatorium vocant, exstructam; & tertiam, quæ est in cellula confessionum, & quartam in Ecclesia ad sacras vestes, & ornamenta Missæ sacro necessaria e monasterio exponenda accommodatam. *4. De Moenia.*

Cibus verò in omni monasterii hospitio, etiam Confessarii, è rota communi exponatur.

Singulis rotis à parte anteriori monasterii vncus firmiter impactus sit, nè pro libito verti extrinsecus queant.

Si verò loca, vt dicunt parlatoria, &c. *vt suprà, num. 13. in fi.*

Rotæ, quæ in Ecclesiam spectat, valuæ ligneæ binæ apponantur, alteræ interiores, quarum clauis à præfecta teneatur, alteræ exteriores, quarum clauis apud Capellanum sit, aliumve, qui superiori videbitur,

Rotarum altitudo nè maior sit cubito, & vnciis octo; latitudo autem cubitalis.

Rota confessionum minor ab omni parte sit dimidia præscripta quantitate.

Rota, vel in Ecclesia, vel propè ianuam, vel alio loco ad præscriptum constituta, aut ænea sit, aut lignea, ab omni parte laminis, quas de tola dicunt, diligenter vestita. Altè pateat cubitum, & vncias octo: latè cubitum item: at ab ore nè latius vnciis sexdecim. Tota denique rectè commissa, aptéque compacta sit; vt nè rimula quidem ab vlla omninò parte sit, appareatve, vnde foras spectetur. *Inst. fab. Ibid. De Rotis.*

Intrinsecùs à parte monasterii vncum ferreum, aut vectē paruulū firmiter infixū habeat, quo obfirmetur; nè forinsecùs circumagi possit, nisi à monialibus, quæ intus sunt, relaxetur.

Claudatur etiam ab interiori parte firmis valuis, vecte, sera, & claue.

16 Furnus à loco cubiculari, quem dormitorium vocant, & vestiario, vt longissimè pro situs ratione potest, exstruatur, nè vllum incendii periculum inde creetur. *Ibid. De Furno.*

Huic propè struatur farinarium, loco vel superiori, vel inferiori, vel alio quouis commodiori: alter item locus, vbi incernicula, cribra, cæteraque instrumenta farinaria reponuntur: nisi farinarium eiusmodi sit, quod hæc etiam cōmodè capiat: tertius prætereà locus erit panificii, vbi panis scilicet fit, & fermentatur: isque vndique benè conclusus, & constipatus. Huic panificii loco, & puteus, & paruulus furnus cum aheno coniuncti sint.

In præfurnio foramen cubitale insit, per quod carbones candentes, omnisve pruna furnaria in

fossam, subtus fornice substructam, demittatur.

A parte superiori furni, paruulum vaporarium, vulgò *lastufetta*, exstruatur, quod multiplici vsui esse poterit.

Nec verò in exædificatione fumi, negligenda ratio est loci, vbi ligna arida aliáque materia commodè esse possit, ad furni calefaciendi vsum.

Inst. Ibid. De loco lauat.

In vnoquoque, vide infrà, de Clausura. nu. 20.

17 Locus lauationis viridario, hortisuè proximus esse debet, ob id commodi, vt quæ lota, madidauè sunt, in iis loco aprico expandantur, solique exponantur. Si horti desunt, structura fiat, ad quam gradibus, scalisuè ascendatur: vbi à summo, porticus pensiles sint, longuriis, perticisuè rectis, ac transuersalibus distinctæ: vnde vestes, stragula, linteamina, & alia lota id generis quæcumque, soli exposita, pendeant, vt assiccescant.

Hæc porrò structura loco aprico sit, non sublimis admodum, vt nè inde aliorsum extrà monasterii fines prospectus fiat. Si quando verò is lauationis locus, præ situs angustiis, exstrui in plano monasterii non potest, subtus commodè exstruatur.

Porrò lauationis locus amplè satis patere debet, pauimento etiam latericio, aliauè materia constratus: habeat puteum, vnde tympano, quod rotæ haustoriæ genus, *la tromba* dicunt, aqua hauriatur: habeat item labra aquaria lapidea, furnulos, clibanosuè cum ahenis. Huic loco substernatur fossa, lacunauè, profundè, ampléque effossa, in quam aqua diffusa descendat.

Huic etiam coniuncta sit cella carbonaria: è qua carbones promantur ad ahena calefaciẽda.

Ibid. de Tonstrina.

18 Lauacri loco propè esse conuenit couriceũ. nempè constrinam, vbi moniales capita lauẽt.

Sit in constrina caminus, furnus exiguus, ahenum furno impositum, ad lixiui conficiendi vsum, & receptaculum aquæ sordidæ.

Ibid. de loco Cancellariæ.

19 Cancellariæ situs deligatur loco monasterii commodissimo, & luminoso admodum: quo loco benè materiata cella exædificetur: vbi præfectæ monialium conueniant ad computandas, subducendasuè monasterii rationes.

Sit hæc cella, tabularum constructione vndique cincta, sittybis, armariis, ac forulis distincta: in quibus Codices rationum monasterii, aduersaria, volumina accepti, & expensi, scripta, instrumenta, actauè publica, ad monasterii ius quouis modo pertinentia, accuratè asseruari possint; & arcæ item nummariæ, aliaque prætereà id generis.

Binis clauibus, seris totidem, vectibus etiam binis, duplicibus quoque firmissimis foribus claudatur.

Ibid. de prõptuar.

20 De cella penaria, ad esculenti quotidiani vsum accommodata, diximus: sed habenda etiam ratio est promptuarii, loci scilicet, vbi frugum, leguminum, olei, & aliarum rerũ, quæ ad annonaria cibaria pertinent, annona reconditur, indéque rursùs, prout vsu venit, promitur.

Promptuarium hoc exstruatur loco semoto: opere tectorio, gypsatouè vndique densè ità incrustetur, vt nè rima quidem vlquàm appareat; quò cautius muribus, foricibusuè omnis foratus penitus præclusus sit.

Habeat capsas, cistas, fiscinas, & vasa quæque repositoria, suis locis distincta.

Claudatur duplici sera, claueque diuerso opere confecta.

Ibid. de offic. arom.

21 Monasterii vsui officina aromataria, medicamentariauè esse potest: in qua, etsi non omne medicinæ genus asseruatur: ea tamen simplicia medicamenta, quæ facilè conficiuntur, quæque ad subitanei morbi accessiones depellendas, aut mitigandas valent, inesse debent.

Huius officinæ medicamentariæ situs procul sit aliquantulum ab Ecclesia, à loco laborum, ab omni denique monasterii parte, quæ strepitibus exposita esse non debet; cùm hæc ob herbarum contusionem, medicamentorum confectionem, multiplicem mortarii situm, frequentémque conuersationem, ab illis vacua non sit.

Loco exstruatur non æstuoso, sed subalgido potius.

Distincta sit intus asseribus, parieti agglutinatis, infixisuè certo aliquo spatio singulis inter se disiunctis: inter quos transuersales tabulæ aliquot, firmis fulcimentis subnixæ, infigantur: in quibus tamquàm certis repositoriis, vasa quæque aromataria ordine collocentur.

Huic officinæ propè adiuncta sit paruula cella: vbi aquæ distillatæ, & reliqua vascula vnguentaria, medicamentariauè asseruentur. Hæc verò cella suppleat, si quando officina, tabernauè, vasa hæc non capit.

Altera prætereà subfrigida itidem, vbi herbæ, vasaque ad distillandi vsum reponuntur, & carbonum aliquantulum.

In vna ex his cellis caminus struatur.

Aquariolum item sit, vnde aqua in suffossam lacunam deducatur.

Si prætereà cohortis cum puteo locus dari possit multum afferret commoditatis: si minùs, hæc aromatariæ officinæ structura propè puteum fiat. Atque hæc quidem de inferioribus monasterii partibus: nunc ad superiores transeamus. *Medicamenta, vide infrà de Clausura. numero. 53.*

Inst. Ibid. De super. Monast. part. &c.

22 Superiores monasterii partes initio commemorauimus: in iis potissimum cautio diligens, certaque ratio habenda est atrii cubicularis, quod Dormitorium dicunt. Primò igitur eius situs loco deligatur, qui non patiatur cœli grauitatẽ; sed ad eã partẽ vergat, vbi pro climatis ratione, aër non aduersus sit, nõ crassus, non concretus. Sit verò in primis nulli seruituti expositus, vt aliundè introrsum prospectus detur, aut eius luminibus extrinsecus alia parietis, ædificiiuè substructione officiatur: neque rursùs inde aliorsum prospiciatur.

Atrium cubiculare, prout structuræ inferioris ratio fert, monialiumque numerus postulat, triplex, aut quadruplex erit; ità vt in omni claustri parte vnum sit: idque tanta latitudine, & longitudine quanta est ædificatio locorum inferiorum.

Ab vnoquoque atrii capite fenestræ grandiores, vnde lux hauriatur. struantur, à pauimento prealtæ sex, aut septem cubitis. Firmiter verò clathratæ sint, & opere prætereà vitreo pellucido obductæ, opertæuè: ità tamen, vt superior earum pars ad aëris conclusi euaporationem aperiri aliquando possit. Sin autem ab atrii latere aliqua fenestricula etiã opus est: fiat ab ea

parte tantùm, quæ in claustrum vergit.

Atrium vnumquodque in partes diuisum, exiguis cellis distinguetur: quæ singulæ quinque aut sex cubitis amplæ, storeis, densè contextis, aut telis, tentoriolisuè expansis separabuntur.

Quod si atria dormitionis communia, sicut ità fieri debere, instituti antiqui ratio suadet, non fiũt; sed propriæ cubiculares cellæ separatim distinctéque exstruentur; eæ inter se proximæ, coniunctæque esse debebunt, & ordine ab vtroque latere ductæ, aditu medio interiecto, in quadrũ, si fieri potest, desinẽt. Hæ, nè amplæ sint, sed ab omni parte cubitorũ circiter septẽ magnitudine, paruulum lectulum capiant. Simplici, humilique structura sint, nulláque pictura. Fenestriculam vnam tantum habeant singulæ.

Ostiolum itẽ, quod non sera, aut vecte claudatur, sed pessulo, quod *alzapiede* dicunt, valuis ità affixo, vt forinsecùs funiculo attracto facilè aperiatur. Caminum verò nullum omninò.

4. De Monialibus. Caminus si quis in priuatis cellis exstructus est, perpetuò ita obstruatur, vt in eo ignis accendi nullo modo queat.

Inst. Ibid. Si quando maiori aliquantò amplitudine eæ cellæ struendæ erunt, cautio omninò adhibeatur, vt in iis spatium detur, quod lectulos tres saltem capiat, vel plures arbitratu Superioris, duos autem dumtaxat nullo modo.

Cautio præthereà sit, vt fenestra nulla struatur, vnde extrà monasterii fines spectetur: si quæ verò aut in vlla cella aut alio loco superiori fiat necesse est, è qua, vel in hortos, vel in loca proxima prospectus sit: huius fenestræ antis seu pilastratis clathra ferrea vndique infigantur firmissimè: quibus forinsecùs spatio cubiti vnius, & dimidii opponatur transenna, è marmore, aut è laminis ferreis confecta, foraminibusque vncialibus plena, & totã fenestram ab omni parte complectẽs, parieti suffixa, cohæreſcat.

Nullæ porrò, nè exigua quidem fenestricula, neque in inferioribus, nec in superioribus monasterii partibus exstruatur: vnde in viam publicam prospectetur.

Atria denique dormitionis siue communia, siue cellis propriis distincta, eam structuram habere debent, vt vna scala tantùm, aut duabus ad summum, eò ascendatur: sicque illarum foribus, aditibusque clausis, nullus alius prætereà aditus insit, per quem ad ipsa atria ingressus, ascensusuè fiat.

4. De Monialib. Antiquus, & probatus communium dormitionis locorum vsus, vbi fieri commodè potest, restituatur, & ad pristinam consuetudinem reuocetur.

1. De Communi vitæ vsu. Vniuersæ moniales, si fieri possit, vno loco dormiant, à præfecta aut à vicaria optimè concluso: cuius claues ab ipsa præfecta asseruentur.

Singulæ autem in singulis lectis omninò dormiant, & in singulis etiam cellis; si tanta ibi sit copia cellarum, vt omnes capere possint.

Cellæ verò diù, noctuque apertæ sint; vt præfecta in singulas horas inspicere eas possit,

4. Ibid. c. Nec in cellulis. Quibus in cellulis, aliouè loco priuatim non reponatur quicquàm, custodiaturuè, quod eo ipso tempore necessarium non sit.

1. Ibidem. Dato autem signo eundi cubitum, locoque vbi dormitur, clauso, præfecta, aut eius vicaria, aut aliqua ex Discretis, omnes cellas visitet; vt an omnes suis dormiant locis, animaduertat.

23 His dormitionis locis, situ semoto, latrinæ proximæ ità construantur, vt certa sedilia habeant; quæ singula, intermedio aliquo interiecto distincta, secessum exiguum præbeant, in quem monialis se coniiciat, nè à cæteris conspiciatur. Inst. Ibid. De Latrinis.

Totus verò is latrinarum locus non modò conclusus, sed benè constipatus esse debet, vt neque conspectus existat, neque teter odor.

24 Situ, ab atriis cubicularibus separato, & à monialium frequentia paululùm semoto, Gynæceum nouitiarum construatur; locus scilicet scholæ vbi illæ degant. Qui locus, amplè patere debet; tùm ad eam partem vergat, quæ cœli salubritatem habeat: benè verò conclusus, latrinas suas habeat, & cæteras partes, vsui necessario accommodatas. Ibid. De loco scholæ Noui.

25 In vnoquoque Monasterio, *&c. suprà nu.* 10.

In loco vestiario indumenta cuiusuis generis, vestesque omnes asseruentur. 4. De Monialib.

Loco aprico exstrui debet vestiarium commune, ab vtroque latere fenestratum: in quo vestiario lanea vestimenta tantùm seruentur. Inst. Ibid. De vestiario.

Vndique cinctum sit armariis altitudine quinque aut sex cubitorum, ordine prætereà, rectéque distinctis: quæ singula forulos suos habeant tantæ longitudinis, quanta stata longitudo est vestitus monialis.

Pro vestiarii foribus porticus, longè ducta, & aperta sit: vbi forinsecùs instrumentis ferreis, parieti certo interuallo suffixis, collocatisque inter vnum, alterumque instrumentũ longuriis, perticisuè transuersalibus vestimenta certo tempore inde pendeant, atque excutiantur.

Huic vestiario cella item vestiaria iuncta esse debet: in qua vestes lineæ, omnisque linea supellex, recondantur: si modo vestiarium, suprà demonstratum, ea magnitudine non sit, quæ capsas, armariaué supellectilis lineæ distinctè capiat. At verò vbi potest, potius esse debet, vt hæc à vestiario distincta sit.

Tertia prætereà cella vestiaria adiungi debet, suis itidem armariis vndique instructa, vbi lodices, culcitræ, cæteráque id generis obstragula, ac vestes pelliceæ, distinctè, distributéque reponantur.

At cella hæc non situ aprico, sed algido potius struenda est.

26 Granaria struantur loco, ianuæ proximo: eorũ scalæ situ cõspicuo sint: fores benè firmæ, duplici claue, sera, & vecte singulæ claudantur. Inst. Ibid. De gran.

Quo in granario, neque alio monasterii loco, nè triticum, neque aliæ fruges, præterquàm ad monasterii vsum, & necessitatẽ asseruentur. 4. De Moni.

27 Expositis inferioribus, & superioribus monasterii partibus, reliqua etiã loca, & domicilia sũt, quæ ab illis seiũcta aliquo modo esse debẽt. Ac primùm quidem de valetudinario dicemus. Inst. fabr. De Valetudin.

Porrò valetudinarium, locus is scilicet, in quo valetudinariæ, ægritudinéque affectæ, vel conualescentes moniales curantur, exstrui debet in situ non interiori monasterii, sed paululò remotiori, quàm proximè ianuæ auditorii, at loco in primis salubri.

Hæc valetudinarii structura partes item habebit tùm superiores, tùm inferiores, triclinium

videlicet longè patens cubitis circiter viginti; late pro ratione longitudinis; coquinam vnam, cellam promptuariam vnam, cellam lauationis vnam, cohortem cum suo puteo vnam, lignile vnum, porticum vnam, cellas binas, ternasuè inferiores, quæ mediocri magnitudine, singulæ tres lectos capiant, & caminum præterea habeant, aut singulæ, aut binæ. A superiori autem parte cellæ cubiculares sint quatuor, aut sex, moderata etiam amplitudine: eæque item, vt suprà, camino instructæ sint: habeantque sessum latrinarum paulò suprà descriptum.

Vbi præterea ad valetudinarii huius vsum, locus paruulo viridario dari potest; benè consultum esset valetudinariæ huic structuræ: cuius totus ambitus, ostio tantùm constans, foribus vnis claudatur.

4. De Monia. Communis ille curationis ægrotantium locus, quem infirmariam vocant, vbi adhuc exædificatus, exstructusuè non est, quàm citissimè potest, constituatur, exstruatur, ædificeturuè. Extrà cuius loci fines monialis ægrotans nè cubet; at valetudine recuperata illic nè diutiùs moretur deliciarum causa.

Inst. fab. Ibid. De loco edu. puellarum. 28 Quibus in monasteriis puellas, in monialium disciplinam traditas, educari permissum est; ibi certum iis domicilium construatur, vbi distinctè à monialibus alantur: omniaque ab illis, præter Ecclesiam, separata habeant. Id sanè domicilium partibus his constet, atriolo exiguo cum suo camino, cella penaria, cohorte cum puteo, & parua porticu, lignili, & cubiculis inferioribus binis; à superiori parte, atrio dormitionis, aut aliquot grandioribus, quæ singula lectulos tres saltem, quatuoruè, aut plures, nec pauciores capiant.

Huius domicilii circuitus, vnis tantùm foribus contineatur.

Viridarii etiã locus, vbi esse potest, commodè erit.

4. De Monia. 29 Horti, qui in monasteriis monialium ampliùs nimis patent, quotidianaque hominum opera, atque cultura opus habent, vbi fieri potest, in angustiores fines concludantur.

Inst. fab. Ibid. de Hortis viridariouè Mog. Horti monialium ob multa violandæ clausuræ pericula non esse debent vasta amplitudine. Cum enim præ vastitate non facilè possint parietibus cingi; id fit vt in monasterii partes vulgo pateat, & aditus & prospectus.

Sint igitur spatio centum cubitorum, aut paulò amplius ab omni parte. Vndique parietibus cingantur crassitudine cubiti vnius, & vnciarum octo, altitudine non minori sexdecim cubitis, eaque à superficie terræ ducta.

Nec verò, etiam si horti circumcingi commodè, facilèque possint, præscriptum cubitorum centum spatium eos excedere conueniens est; vt nè, cùm præ magnitudine à monialibus conuersisuè, quæ intrà monasterii claustra degunt, coli, conseriuè non queant, necesse sit, cõtrà clausuræ regulas, rusticos, exterosque operarios ad eorũ culturã, cõsitionemuè introduci.

Ne taleæ, nè plantæ aliæ, nè vites, nè arbores cuiusuis generis propè parietes conserantur intrinsecùs, neque verò extrinsecùs; nisi interuallo distantes cubitorum ad minimum sex.

Neque in eorum fundo arbores grandiores serantur; sed arbusta humiliora, eaque rariora.

Nec lignorum strues in iis fiat, non paleæ, non fœni aceruus.

Non præterea tugurium vllum, non casa quæuis, vel humillima, struatur.

Nec fœnisecio, pratouè fundus eorum destinetur: sed perpetuò eiusmodi sit, in quo olera, herbæ medicæ, & coquinariæ, non voluptariæ serantur.

Si per hortos, fossa, canalibusuè aquæ deductio fit: cautio sit, vt ille aquæductus firmissimè operiatur aliquo lapideo, cœmẽtitiouè opere, ducto ab ore, quo aqua influit, longè cubitos circiter sex, & foris, & intus dimensos. Os verò, per quod ab initio illius lapidei operis confluit aqua, & alterum, vnde in illius fines effluit, cancellis ferreis, vtrinque muniatur. Itidemque fiat in extrema ea hortorum parte vnde foras erumpit.

Rursus idem aquæductus sine vllis clathratis cancellis fieri poterit, si totus tanto spatio tegatur, quantus hortorum fundus est, per quem aqua fluit.

Si quam autem deductionem inde fieri opus est, vel ad hortorum irrigationem, vel ad lauationis vsum; riuuli aliquot deriuari per minuta foramina poterunt, quò volunt, rursusque ad aquæ ductum reduci.

30 Monasteria, vt olim etiam habuerunt, carcerem firmum habere debent, in quem si quæ monialis, aliquando à disciplina aberrans, flagitiosè egerit, pro culpæ grauitate detrudatur. Inst. fab. Ibid. De Carc. & loco secess.

Porrò carcer à via publica, & ab ædibus item viciniæ procul erit, sed intima superioris monasterii parte, quæ à monialium etiam frequentia, & concursu remotior sit.

Benè munitus, benè materiatus, benèque fornicatus, fenestriculam cubitalem, firmiter clathratam, altè à solo exstructam habeat, vnde parum luminis excipiatur: ostiolum item, binis munitum valuis, in quibus interioribus fenestellula minima insit, binisque seris, ac binis vectibus clausum.

Compedes etiam, vt in antiquis etiam regulis cautum est, habeat, & manicas ferreas, quibus vinciantur, cùm opus est, in carcerem coniectæ.

Nec verò in carcere caminus, neque foramen aliud insit; nisi latrina angustis tubulis substructa.

Nõ lõgè à carcere locus secessionis sit, isque & liberior, & cõmodior, quã structura carceris. Quo in loco moniales, à cæteris semotæ, aliquando salutarem pœnitentiam ob leuiores culpas peragant.

31 Atque hactenùs quidem de monasterii partibus: nunc sequitur, vt dicamus de locis adiunctis. Est igitur primũ habẽda ratio loci, in quo moniales confitentur. Cuius loci situs, paululò ab Ecclesia remotior, cellam alteram forinsecùs iunctam habere debet, vbi confessarius Sacerdos earum confessiones audiat. Inst. Ibid. De loco aud. sacræ confess.

Locus porrò interior, vbi moniales cõfitẽtur, à parte inferiori sit, ne scalæ ascẽsu opus habeat, benè verò pauimentatus sit, aut opere fornicato subtus cõstet, nè humidus, vliginosusuè sit; ab omni itẽ strepitu valdè admodũ semotus, atque adeò vndique accõmodatus, vt nè monialis cõfitendo audiri à quoquã alio, quã à cõfessario possit.

Ab omni denique parte spatiũ habeat cubito-

rum circiter sex, aut septem. Confessarii Sacerdotis item cella, eodem modo, & forma extrinsecùs iuncta struatur.

In pariete vtriusque loci, cellæuè communi, fiat ad confessionis vsum fenestricula altitudine cubitali ad summum; latitudine vnciarum circiter sexdecim pro altitudinis ratione, Quæ fenestricula, & clathratis ferreis, & lamina ferrea, cum suis minutis foraminibus, & tela prætereà nigra affixa, benè munita, nullo modo aperiri possit.

Idem ex 4. §. Rotæ, ver. Cibus. de Mon. Eodem in pariete rota inesse poterit dimidio minuscula, quàm aliæ præfinitæ: hacque rota ad vsum exponendi confessario, si quas res necessarias habet, eadémque rota, firmiter, benéque instructa extet, vt de aliis rotis demonstratum est.

1. De Concio. &c. Clathri lamina, & linea tela fenestellulæ eius loci, vbi moniales confitentur, ità compactæ cohæreant, vt remoueri non possint, & inde tantū audiri, aspici autē nullo modo possint.

4. De Monia, Fenestella confessionum altè vncias sexdecim, latè duodecim, nec verò amplius pateat; septa autem sit firmis clathris ferreis ad formæ præscriptæ rationem, & lamina item ferrea benè solida, pariete firmissimè agglutinata; & foraminum instar ciceris tenuium plena, panno lineo nigro obducta: qui pannus ligneis tabellis sic affigatur, vt non facilè amoueatur.

Ibidem. Rota confessionum minor ab omni parte sit dimidia præscripta quantitate.

Inst. fab. Ibid. De diuers. Confess. 32 Exædificetur prætereà diuersorium, in situ, intrà ianuam exteriorem, viæ publicæ iunctam, & illam interiorem, qua ad claustra aditus fit, interiecto, cellis duabus, vna inferiori, altera superiori, constans: quibus confessarius Sacerdos vti possit, cùm pernoctare necesse habet, vt moniali cuipiam, periculosè ægrotanti, præsto sit, sanctissimorum sacramentorum ministratione. Hoc diuersorium, & caminum, & latrinam, & alia vsui necessario accommodata, habeat, at rotam nullam, nullámque fenestram omninò, vnde, vel aspectus, vel collocutio quouis vmquàm prætextu esse possit Nec verò plures habeat cellas, præter illas duas; vt omnis alia conuersationis, aut commercii occasio, ab eo remota, exclusauè sit; neque denique vllum prætereà locum, vel exiguum. Ità enim omninò fiet, vt minor, aut nulla commoditas, occasioue relinquatur in eo cōmorandi, nisi necessaria de causa. Quæ ratio locū etiam habeat in diuersorii sequentis ædificatione.

4. De Mon. 33 Ne in locis, ad hospitii vsum exstructis, quæ foresteriæ nominantur, vbi interdum ob vrgentem necessitatem, aut cibus capitur, aut dormitur, fenestræ vllæ, nè exiguæ quidem, vi sint, quæ in monasterium spectent.

Cibus in omni monasterii hospitio, etiam confessarii, è rota communi exponatur.

1. De Concio. &c. Monial. §. Nemini. Si in iis locis dormitur, quæ monasterium attingunt, fenestræ aut rotæ nè sint; & si sunt, statim muro obstruantur; vt nihil à monialibus, quod in eo loco agatur, aut dicatur aspici, aut audiri possit.

4. Ibidem. Tecta hospitii, & aliarum cuiusuis generis domorum, à monasterii tectis, vt separata penitus, ac valdè disiuncta sint, curetur omninò.

Neminem cuiusuis status, vel conditionis hominē, neque laicū, neque ecclesiasticū in vllo quouis monasterio monialiū hospitiis illis, quas foresterias dicunt, excipi, aut ad ea siue in Diœcesi siue in vrbe diuertari liceat, excepto cōfessario Sacerdote, cui aliquando, ob vrgentem necessitatem id conceditur. In Diœcesi verò, monasterii etiam visitatori, & curatoribus, procuratoribusve, vbi interdum hoc ipsum concedendum necessario, Episcopus censuerit.

34 Diuersorium in eodem intermedio situ, quod aduentantibus colonis, famulisve monialium vsui sit, construatur, quod diuersorium cubicula bina, trinauè habeat, ac nullam nec rotæ, neque collocutionis fenestram. Inst. fab. de diuers. ext. fam. & colon. aduen.

Neque ab rē esset, vt id à monasterii ædificio disiunctum aliquo exiguo spatio sit; vt nè saltem tectis contingatur.

35 Domicilii, extrà clausuræ fines positi, in quo conuersæ, non professæ, habitent, ea ratio in illius ædificatione haberi debet, vt scilicet intrinsecùs à parte monialium, claudatur, aperiaturve. Id vero præstari poterit ratione, infrà demonstrata. Inst. Ibid. De Domicil. cōuers.

In illo ipso intermedio situ, extrà clausuræ, fines, domicilium fiat, quod conuersas tot capiat, quot ad monasterii vsū opus esse verisimile est.

Habeat hæc domicilii habitatio, singulas partes necessarias, locum dormitionis scilicet communem, coquinam, puteum, lignile, & alia item loca, vsui necessario opportuna.

Porrò in huius domicilii exstructione hæc cautio sit, vt nè in parietibus exterioribus, ad viam publicam spectantibus fenestra vlla, ac nè foratus quidē exiguus, cōspiciliūve minimū fiat.

Vt deinde vna tantùm ianua constet: quæ propè clausuræ monasterii parietem, quicumque ille sit, exstruatur.

Fiat in eo clausuræ pariete foratus amplitudine vnciarum circiter sex: per quem vectis ligneus eadem crassitudine transmissus, idemque in transuersum actus, ac paululùm in parietem, qui è regione est, iniectus, firmiter illius ianuæ valuas occludat.

In cuius vectis summa parte, quæ à monialibus est, clauis, seráque ità aptè accommodata sit, vt intrinsecùs moniales facilè aperiant, rursúsque claudant.

Si verò ea transuersarii vectis ratione confici non potest, vt ianua illa occludatur; hoc etiam fieri facile erit, vt vectis, non transuersus, sed rectà ad ianuam, quæ è foratus regione est, ductus à summa parte valuis innixus, atque oppositus, firmè occludat.

In hoc domicilio à latere monasterii fenestricula exigua quæ non amplius vndique pateat, quiuque aut sex vnciis, munita etiam lamina ferrea, plenáque minutis foraminibus, exstruenda est, vnde præfecta Conuersas euocet, ac spectet, an domi sint, cùm ianua clausa est, tùm illæ foras discessuræ, benedictionem, missionémque inde ab ea petant.

36 Primò in tota monasterii ædificatione diligens clausuræ ratio habeatur; vt scilicet illius situs, quantuscūque est, omni ex parte, idoneis, benéque materiatis parietibus cōcludatur: quorum prætereà altitudo sit cubitorum ad minimum viginti quatuor, exceptis hortorum muris, quorum altitudinem suprà demon- Inst. fab. Ibid. Caut. quædam in tota Mon. ædif.

struximus: crassitudo cubitalis, ac paulò etiam maior; aut minor certè nullo modo. Porrò à parietibus exterioribus nullus insit caminus in iis effusus: at eminēs, è superficiéque intrinsecùs extans, non vetatur; nulla prætereà fenestra, non fenestricula, non conspiciliū, ac nè rimula quidem, vnde etiam minutus prospectus sit.

In singulis monasterii partibus, ad communem vsum exstruendis, vt potè Refectorio, Capituli atrio, Valetudinario, Dormitorio, Calefactionis, Lauationisque manuum, & laborum item loco, atque aliis id generis, tū in primis in Ecclesiæ interioris ædificatione, nō negligēda, sed adhibenda ea cautio est, vt singula eiusmodi loca, ad quæ moniales frequētes conuenire solent, ampla structura sint, quæ commodè capiant non modò omnes, quæ iam sunt, sed aliquantò plures, quas etiā deinceps in idē monasterium recipi pro facultatum, eleemosynarumque ratione, & accessione, posse verisimile est.

Illa porrò etiam cautio, vel maxima sit; vt nè in vlla colloquii exteriori cella, nec in vllo vel Confessarii Sacerdotis, vel colonorum, famulorūuè aduenietium diuersorio, neque in vlla alia quauis monasterii parte exteriori, ædificationeuè, extrinsecùs facta, locus superior quisquàm sit, ad quem monialibus aditus detur: nec rursus in vlla monasterii parte interiori, locus item superior; quo aliis accessus, ingressusve esse vllo modo possit.

Est illud prætereà cauendum, vt quicùmque in monasterio sunt aditus, vestibula, angiportus, aliaque id generis; nè tenebricosa, nè subobscura sint, sed dilucida, & illustria.

In omni denique vel anguli, vel aditus, vel scalæ, vel atrii monasterii capite, sacra aliqua imago, piè expressa, extet.

Inst. fab. lib. 1. c. 34. Cautiones quædam de omni Eccl. ædificat.

37 Hæc de fabrica exteriori, & interiori. Ecclesiæ, de Cœmiteriis, de Sacristia, aliisque partibus, ædificationi Ecclesiasticæ adiunctis, de Ecclesiæ simplicis, & Oratorii exstructione, ac rursùs de Ecclesiæ monasteriique monialium structura, speciatim, suprà locis suis scripsimus. Illud verò generatim ad omnem Ecclesiasticam ædificationem attinet, vt scilicet, neque in Ecclesiæ, Capellæ, Altaris partisve cuiuscuis alterius, quæ ipsius Ecclesiæ vsum, decoremve attingat, fabrica, ornatuque nihil operis, quale quale sit, statuatur, fiat, inscribatur, effingatur, exprimaturve, quod à Christiana pietate, & religione remotum, aut quod profanum, quod deforme, quod voluptarium, quod turpe, vel obscœnum sit, quodve popularem magnificentiam, aut familiarum insignia ostentans, gentilicii operis speciem præbeat.

Non vetatur tamen pro fabricæ firmitudine, si ità architectonicæ ratio aliquando postulat, aliqua structura generis, vel Dorici, vel Ionici, vel Corinthii, vel alterius huiusmodi operis.

Id omne cùm fabricæ Præfecti, Architective, antequàm ædificationis initium fiat, consultò caueant: tum in primis curæ Episcopalis est, videre, ne quid tale ab iis in opere Ecclesiastico committatur.

Id denique in huiusce etiam libri conclusione ponimus, vt cùm de dote, vel Ecclesiæ, vel sacello, vel Altari certa constituenda, iure Canonum cautum sit; Episcopus, priusquàm, eiusmodi Ecclesiasticæ ædificationis, aut fundationis facultatem det, eo de genere diligēter, consultóque idonea sponsione, publicisque tabulis caueat, ex eorundem Canonum præscripto.

De Monialibus, & primo de earum numero.

SVMMARIVM.

1 *Formulæ rectè viuendi monialibus præscriptæ, ab iisdem omnino seruanda.*
2 *Monialium numerus ab Episcopo constituendus, quaque ratione, & quando augeri possit. 3.*
3 *Impedimenti Summus Pontifex admonendus.*
4 *Moniales duodecim alere non valentes monasteria, aliis vnienda.*
5 *Vnione non expediente, quid agendum.*
6 *Monasterii supprimēdi fructus quibus attribuēdi.*
7 *Monialibus paupertate laborantibus, qualiter illis succurrendum, quæque eleemosynæ applicandæ, & quamdiu applicatio duret. De Constitut. 13. 14.*

1 VT in monasteriis Regularium mulierum, quæ in religionem Deo se dicarunt, & integra conseruetur, vetus disciplina; & si fortasse vsquàm deprauata est, restituatur; ad eumque sese ipsæ conformantes, in rerum diuinarum contemplatione liberius conquiescant: nos has piè, rectéque viuendi formulas, partim Concilii Tridentini decretis traditas, partim pro ratione horum temporum ad Prouinciæ nostræ vtilitatem constitutas, ab omnibus in hac Prouincia monialibus, etiam quæ Regularium curæ commissæ, vel alia quauis ratione Episcoporum iurisdictioni subiectæ non sunt, ex facultate à Summo Pontifice Pio IV. nobis data, seruari omninò iubemus. 1. De Monia.

2 Ex Tridentini Concilii iussu, vnicuique monasterio eum Superior monialium numerum constituat, qui pro modo, & facultate loci, & consuetis eleemosynis sustentari commodè possit; idque intrà annum facere studeat, neque eum numerum, nisi facta monasterio annua, quæ satis sit, fructuum accessione, augeri vllo modo liceat. 1. Ibidem. De Mon. numero. Sess. 25. c. 3 de ref. regul. Bulla Pii V. 1566

3 Quod de certo Monialium numero singulis Monasteriis constituendo Tridentina Synodus decreuit, quodque item Summus Pontifex Pius V. de Monialium, & earum, quæ Conuersæ dicuntur, clausura, litteris editis sanxit; id vtrumque Episcopus, quàm diligentissimè potest, exequi curet. Quòd si aliquid obstiterit, quominùs illud à se præstari queat; ipsum Summum Pontificem sex mensium spatio consulat, idque exequatur, quod sibi ea de re ab illo rescriptum erit. 1. Capita quædam ad Mon. per. cap. 1. Sess. 25. c. 3. de ref. reg. Bulla edita 4. kal. Iunii. 1566.

Hancque ipsam in iis exequendis diligentiam à Regularibus præstari idem sedulò studeat. *Vide Tit. de Conuersis. 3.*

4 Monasteria, in quibus duodecim non sunt, quæ professæ velo vtantur, quæque eum numerum propriis fructibus, aut consuetis eleemosynis alere non possunt, transferre, & cum aliis monasteriis eiusdem, aut alterius ordinis vnire 1. De Monialium numero.

studeat Episcopus diligenter, vocatis ad id superioribus Regularibus; si modo res agatur eius monasterii, cuius cura ad illos pertineat.

5 Si verò eiusmodi vnio minimè expedire videatur, eum numerum monialium tempore interire, & ad nihilum redigi sinat, adempta, omninò illis monialibus facultate recipiendi nouitias.

6 Earum autem monialium monasteria, & monasteriorum fructus iam nunc aliis monasteriis, aut locis, quibus ex legibus eius ordinis deberi videbuntur, attribuantur.

De Præfectis, & aliis Ministris Monialibus.

SVMMARIVM.

1 *Præfecta monialium officium suum perpetuum esse prætendens, iura sua, quibus, & infrà quod tempus exhibeat.*
2 *Eum honorem non ambiat, & ambientis pœna.*
3 *Qualis, cuiúsque ætatis esse debeat. 4.*
5 *Præfecta ipsa, Vicaria, Discretæ, tacitis suffragiis eligendæ.*
Quæ tamen cauenda in ipsis suffragiis ferẽdis. 16.
Quæque moniales ad ipsa suffragia ferenda non admittendæ.
6 *Præfecta sorores quibus officiis fungi nequeant.*
7 *Officia minora, quibus monialibus, & à quibus committenda, & qualiter.*
8 *Quanto tempore ea officia durent.*
9 *Officia ipsa non renuenda.*
10 *Præfecta quod officium in monialibus admonendis, & aliis, ergaque ægrotantes. 43.*
11 *Præfecta, Vicariæ obedientia à monialibus præstanda.*
12 *Inobedientes, contumacesve à quibus, & apud quos deferendæ, vtque plectendæ.*
Pœnitentiam quoque suscipere renuentes, vt castigandæ. 14.
13 *Præfecta singulis hebdomadis capitulum habeat, & quamobrem.*
15 *Nihil deliberet, nisi consentientibus Discretis; & in quibus Capitulum adhibeat.*
18 *Discretæ quales, earumque numerus.*
19 *Præfecta, sermonibus audiendis, quales, eiusque officium.*
20 *Nouitiarum Magistra quam curam habeat.*
21 *Quibus rebus eas maximè erudiat.*
22 *Monialis id munus temerè assumens, vt compescenda.*
Præfecta ianuæ, quid agat: quotque ianitrices deputandæ. De Monast. Monial. num. 14.
23 *Præfectæ monialium laboribus duæ.*
24 *Earum officium quale.*
25 *Monialis nulla quidquàm elaborandum accipiat.*
26 *Nullibique quàm laborum loco manibus elaboret.*
27 *In monasterio nè sint diuersa manuum opera.*
28 *A labore, sine causa abstinens, quomodo puniẽda.*
29 *Loco, vbi laboratur, sacra lectio adhibenda.*
30 *Quæque res ibi prohibeantur.*
31 *Laborum magistra librum habeat, in quo lucra præscribantur.*
Laborum communis locus, vbi non est, exstruendus. De Monast. Mon. num. 10.
32 *Præfectæ, & aliæ officiales, sui officii edoctæ, rationem administrationis, quando superiori, vel aliis reddant.*
33 *Capsa in singulis monialium monasteriis constituenda ad vsum cõmunis pecuniæ conseruãdæ.*
34 *Earum aperiendarum quæ ratio.*
35 *Horrei, & farinarii ostia quot, & quibus clauibus concludenda, & à quibus custodienda.*
36 *Monasterio vnicuique ab Episcopo præscribendum quantùm sit satis rerum ad anniuersariam victus sustentationem.*
37 *Præfecta in administratione negligens ab officio submouenda.*
38 *Debita aureos quinquaginta excedentia non contrahenda.*
39 *Præfecta, bona monasterii quando non alienet, neque ædificet.*
Bonorum alienatione non legitimè facta, quid agendum. Quæ pert. ad bonorum, & num. 14.
40 *Monasterii bona, vt locanda.*
41 *Eorundem Inuentarium conficiendum, & in Episcopale Archiuum deferendum.*
42 *Præfecta curæ ægrotantium monialium, qualem se illis præbeat.*

1 Episcopi ad duos menses, posteaquàm hæ constitutiones in lucem editæ erunt, Abbatissas, & quascúmque præfectas, quæ suum præfecturæ officium perpetuum esse profitentur, edicto etiam, si ità iudicarint, moneant, propositâ priuationis pœnâ, quam ipso facto subeant vt illæ iura sibi à sede Apostolica concessa, ad alterum mensem ipsis, aut eorum Vicariis, ac simul illarum superioribus, si Regularium curæ commissæ sunt, exhibeant; vt, an rectè se habent cognosci, & de iis, si opus erit, ad Summum Pontificem referri possit. Quod si eo præscripto tempore non exhibuerint; eo dignitatis gradu illas priuatas Episcopus declaret; detque operam earum superior, vt aliæ in earum locum ritè sufficiantur. 1. De Præfectis, & aliis min. Mo.

2 Nulla monialis ambiat, aut vllo quouis modo siue directè siue indirectè per se, aut per aliam, honores, officiave cuiusuis generis sui monasterii quærat, hac constituta pœna; vt & ipsa, & quæ sibi in ea refauerint, in Capitulo per tres sextas ferias ad pedes singularum monialium terram deosculantes, suam accusent ambitionem. Ipsaque prætereà, si id officium consequuta erit, eo, cæterisque muneribus priuetur Superioris arbitratu.

3 Singulæ, propria voluntate deposita, & ad obtemperandum paratæ, sibique Dei gloriam, & communem monasterii vtilitatem tantummodo proponentes, ad honores, & officia eas eligẽt, quas omni remoto humanitatis affectu, Spiritus sancti impulsu, ad id munus magis idoneas esse iudicauerint.

4 Præfecta quocumque nomine appelletur, ex Tridentini Concilii decreto nè minor quadraginta annis eligatur; quæve in vitæ honestæ laude vixerit octo annis, postquàm professa est. Quod, si in eodem monasterio non eiusmodi reperiatur, ex alio eiusdem ordinis deligi possit. Sess. 25. c. 7. Conc. Carthag. 3.

Sin autem superiori, qui electioni præest, hoc etiam incommodum esse videatur, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligatur ex iis, quæ in eodem monasterio triginta annis maiores natu sint: quæue annis saltem quinque post Conc. Agath. c. 19. c. Statimo niales, 20.

q. 1. c. Indemnitatibus, de elect. in 6. professionem rectè vixerit. In reliquis constitutiones singulorum ordinum monasteriorum seruentur.

Sess. 25. c. 6. 5 Huiusmodi præfecta, & eius Vicaria, Discretæ etiam, quæ alio nomine Matres consilii vocantur, vbi eæ à capitulo eligi consueuerunt, tacitis suffragiis, coram superiore, aut eius ministro eligantur; qui extrà monasterium ad cancellos, siue clathros stet, ex decreto Tridentini Concilii.

Sess. ead. c. 7 Nequaquam autem ad hæc officia deligi possint, nisi præfecta duas ex tribus partibus calculorum tulerit, vel suffragiis, vel accessu. Vicaria verò, & discretæ pluribus dimidia parte suffragiis creentur.

6 In quibus monasteriis plures germanæ sorores sunt, si earum vna monasterio præficitur, reliquæ sorores, neque Vicariæ, neque Discretæ, neque ianitrices fieri, neque scribæ, aut celerariæ officio fungi possint.

7 Minora verò officia, veluti ianuæ, rotæ, sermonibus præpositarum, earumve, quæ nouitias docent, Sacristiæ præfectarum, & quæ iis præsunt, quæ manuum industriâ sese exercent; illarum prætereà, quæ scribæ, aut ratiocinatoris munere funguntur, & quæ ægrotis ministrant, ab eo, qui electioni præest, vnà cum confessore, præfecta, Vicaria, & Discretis pro earum mentis conscientia, quibus opportunum videbitur, tribuantur, quo decreto nihil derogatum sit iis monasteriis, in quibus ad huiusmodi officia Capituli suffragiis moniales deligi solent.

8 Earum officia, quæ electæ fuerint, sint duorum annorum, aut, in quibus ea esset consuetudo, ad summum trium. Illis cùm perfunctæ fuerint, tantumdem saltem temporis vacent ab officiis; nec in eisdem confirmari possint à monialibus, nisi grauis causa extiterit, iudicio Superioris probata, qui etiam eas ante tempus officio præfinitum, inde mouere possit, si id malè administrant.

9 Quæ delectæ fuerint, quemadmodum earum obedientia postulat, officia suscipiant; & eorum munera sine recusatione humiliter exequantur, quæ aliter fecerint sine iusta causa, quæ superiori probata sit, iure suffragii priuentur, vt neque ipsæ alias eligere, neque ab aliis eligi possint, arbitrio Superioris.

10 Præfecta monasterii, tamquàm communis omnium monialium mater, ipsarum & corporis, & animæ saluti diligentissimè consulat; easque studiosè admoneat; vt puro corde sint, vitæque integritatem seruent; & ad perfectionem virtutum omnium contendant. Si quidem quæ religionem susceperunt, nisi ad summum illum gradum pro viribus peruenire conentur minùs sanè efficiunt, quàm debent; pro vitæ & ordinis instituto, quod profitentur. Meminerit autem libri reddendam esse rationem iustissimo iudici erratorum, quæcumque moniales eius negligentiâ, aut culpa admiserint.

In primis verò curet, vt pax, & concordia sororum conseruetur, sublatis, quantum ab ea fieri poterit, omnibus dissidiis, ac discordiæ causis vt, quemadmodum debent, vnum corpus, & vnus spiritus in earum sponso Iesu Christo, perfecto charitatis vinculo colligentur.

Studeat etiam, vt singulæ suo munere rectè fungantur: neque vlla alterius officium occupet, nisi auxilii causa; idque ipsius iussu: & vt omnia ordine perficiantur, in primisque vt silentium horis, ac locis præscriptis seruetur. Si verò alicuius importunitas, aut re, aut verbo, rorum pace perturbata, charitatem violar acerrimè ab ipsa præfecta, & si opus erit, à Superiore etiam monialium puniatur, & eius animi elatio edometur.

11 Huic autem præfectæ, eiusve Vicariæ, quæ, illa absente, eius vim; & locum obtinet, moniales omnes omninò obedientiam, & obseruantiam præstent, quemadmodum earum votum postulat.

12 Quæ verò eius iussa neglexerit, neque pœnitentiam sibi impositam adhibere voluerit, aut superbè, & iniuriosè responderit, non habita eius dignitatis ratione, aut contumaciter defendendo, vel excusando, eam impedierit, quominùs illas reprehendat, aut castiget, quæ aliquid commiserint, vt suæ contumaciæ, & insolentiæ graues pœnas pendat, apud superiorem accusetur ab iis, quas Discretas appellauimus, quæ nisi id fecerint, flagella, disciplinæ nomine, sibi semel adhibere; & humi cibum capere cogantur.

13 Singulis etiam hebdomadis præfecta monialium conuentum, siue Capitulum habeat, corrigendi causa moniales pro erratis, quæ ipsæ publicè, vel in suorum officiorum munere admiserint, quorum veniam ipsæ spontè; atque humiliter coram omnibus petant, eisque pœnitentiam imponendi, aliaque adhibendi, quæ earum institutis tradita sunt ad ipsas in humilitate, & sui contemptione continendas, atque ad virtutes omnes studiosè sectandas.

14 Caueant autem moniales, nè pœnitentiam sibi à præfecta impositam pertinaciter recusent: neve superioris temporis delicta sibi inuicem iniquo animo obiiciant. Quæ hoc commiserit, ei hæc sit pœna, vt statim ad singularum monialium pedes terram exosculetur; sibique flagella nomine disciplinæ adhibeat.

15 In negotiis paulò grauioribus præfectæ nihil decernant; nisi scientibus, & consentientibus maiori ex parte Discretis, seu Matribus consilii.

In iis verò, quæ maioris sunt deliberationis, præfectæ vniuersum monialium Capitulum conuocent; idque ipsis ratum sit, quod maiori monialium parti placuerit.

16 In omnibus autem tacitis suffragiis caueant moniales, nè suffragii pilas, vel calculos inter se tradant in manus; iis, quæ id commiserint, ea pœna sit, vt priuatæ Capitulo, neque eligere, neq; eligi suffragio possint arbitrio Superioris.

17 Ad suffragia autem de quacumque referenda non admittantur; nisi quæ triennium post emissam professionem in monasterio fuerint commoratæ.

18 Discretæ probitate, & prudentia cæteris monialibus antecellant. Neque sint pauciores quatuor, vbi moniales plures non sint quadraginta; quod si plures sint, saltem sex creentur.

19 Moniales reliquarum sermonibus audiendis eiusmodi præponantur, quę ætate matura, & spectata probitate sint. Hæ diligenter, fideliterque suo officio fungantur: & ità loquentibus

reliquis adsistant, vt quicquid tùm intus, tùm foris dictum, factumuè fuerit, ipsæ audiant; ac studiosè animaduertant, nec enim quidquam aut itá secretò proferri, vt eas lateat; aut, quod indignum sit Dei ancillis, dici, aut fieri patientur: in quo si quidquam secùs commissum fuerit earum culpa, vel negligentia, grauissimâ pœnâ sui Superioris arbitrio puniantur.

20 Nouitiarum curam sola magistra electa, loco à cæteris monialibus separato habeat, alia præterea nulla.

21 Hæc nouitias in timore, & cultu Dei, & in obseruatione religionis erudiat, conetur que & vitæ exemplo, quæ nullam habeat ansam reprehensionis, assiduisque admonitionibus, itá eas instituere in spiritualis, & sanctæ vitæ ratione; vt progredientes, Deo adiutore, perfectæ eius ancillæ possint euadere.

22 Quæ autem sibi id temerè assumpserit, vt aliquam ex nouitiis erudiat, ius ei suffragii adimatur; vt neque eligere, neque eligi possit, quamdiu superiori placuerit. *Quod sequitur viden. in Tit. De Clausura.*

23 Quo tempore mutantur officia; vna, aut duæ moniales maturæ ac prudentes præficiantur monialium laboribus.

24 Hæ ad rotam recipiant, quæ elaboranda sunt; iisque distribuant, quæ ad id opus faciendum sunt idoneæ: quibus perfectis, ea ex eadem rota restituant iis, quorum sunt, accepta mercede, semper ea præsente quæ rotæ est præposita.

Ibidem. 25 Nulla prætereà quidquam quod elaborandum sit, nè cognatorum quidem, aut affinium, accipiat, quæ contrà fecerit, singulis vicibus sibi flagella disciplinæ nomine adhibeat eo loco, quo moniales operibus elaborandis exercent.

4. De moni. In operibus vel accipiendis, vel restituendis nulla alia monialis se ingerat, nisi laborum magistra: cui secum aliquando, cum necesse erit, aliquam monialem, operis alicuius conficiendi vsu peritiorem, adhibere liceat.

26 Ne monialis, ianitricibus exceptis, alibi, quàm loco operibus elaborandis cõstituto, acu pingat, aliudue quicquam manibus elaboret.

27 Illud porro, quò ad eius fieri potest cauendum erit, vt in monasterio nè sint multiplicia, diuersique generis opera manuũ, seu laboreria.

1. Ibid De Præfectis. 28 Si qua vel morbo, vel iusta alia causa non impedita, pigritia, vel desidia, aut pertinacia quadam ab huiusmodi laboribus abstinuerit, obsonio priuetur totum id tempus, quo labori non incubuerit.

29 In loco item, vbi moniales in laboribus exercentur, lectio quotidie adhibeatur, qua absoluta inter se conferant, quæ audierint; certatimque eiectis vitiis, ad virtutes consequendas seipsas cohortentur.

4. Ibidem. Hoc loco laborum communi, non solùm ad Concilii primi præscriptum, lectio de vita spirituali adhibeatur; verùm etiam ab omni otioso verbo abstineatur.

1. Ibidem. 30 Curet laborum magistra, nè sermones, aut cantus profani, aut à monialium conditione, & instituto abhorrentes inferantur.

4. Ibidem. 31 Laborum, operumuè magistra librum certum habeat, in quo quicquid ex iis laboribus lucri, emolumentiuè capitur, enucleatè itá præscribat, vt cerni facile queat, si quid in ea re desideretur.

32 Præfectæ, etiam si earum officium sit perpetuum, scribæ, ac reliquæ, quæ monasterii bona quocumque modo administrant, fideliter, & accuratè eorum rationem præscriptam habeant. 1. Ibidem.

Singulisque tribus mensibus ad Capitulum summatim referant rationes accepti, & expensi; vt omnes, quo modo se res monasterii habeant, intelligere possint. Verum quotannis rationem rerum omnium, quas administrarint, separatim Superiori reddant; aut eius Vicario: ac si fuerint, monasterii curatoribus deputatis. Quæ autem, aut sibi vindicarint, aut perperam perdiderint monasterii bona, superioris arbitratu acerrimè puniantur.

33 Vt autem nulla fraudis occasio relinquatur, in singulis monasteriis singulæ capsæ constituantur ad hunc vsum, vt in illis communis pecunia collocetur: quæ duabus clauibus, iis inter se diuersis, clausæ sint; quarum altera à præfecta monasterii, altera à maiori Discreta asseruetur.

34 Nec verò capsa aperiri, aut in ea poni pecunia, aut inde auferri possit; nisi & præfecta, & maior Discreta, & scriba monialis, quæ eius rationem ineat, interfuerint.

35 Duabus item clauibus, iisque diuersis horrei, & eius loci, vbi farina asseruetur, ostia concludantur: quæ singulæ à singulis matribus, ei officio præpositis, custodiantur. Eæ autem semper adsint, cùm triticum, vel farina importatur, vel exportatur.

36 Singulis annis, vt primo Concilio iussum est, impensarum, quæ in victum, aliumque monasterii vsum, erogatæ sunt, rationes per eos, quorum interest, à præfecta repetantur. Quantùm verò, & tritici, & vini, & obsonii, & aliarum rerum ad anniuersarii victus sustentationem vnicuique monasterio satis esse Episcopus existimarit, id ipse accuratè præscribat. 4. Ibidem.

37 In ea autem præscripta dispensatione, administrationeuè, si præfecta negligentem se præstiterit, ab officii sui munere suspendatur.

38 Aes alienum, quod quinquaginta nummum aureorum summam excedat, nè in vllo monasterio contrahatur, sine suorum curatorum permissu, concessuue, qui in magni momenti rebus Episcopum consulant.

39 Præfecta, & moniales bona monasterii alienare, permutare, locare, aut contrahere nullo modo possint, nisi sciente, consentiente, ac præsente earum Superiore, aut eius Vicario: seruatis item cæteris quæ iure seruari debent; aliter contractus irritus, ac nullus sit. 1. Ibidem.

Neque item ædificare, nisi consentientibus superioribus, ac ciuibus monasterii curatoribus; qui operam dabunt, vt id quàm minimo sumptu, commode, ac decenter fiat.

40 Ne sæcularibus negotiis moniales se implicent; vt simul multis fraudibus, ac detrimentis occurratur hoc sedulò Episcopus curet, vt illorum prædia locentur, idque sub hasta auctione facta; nisi aliter quandoque expedire censuerit. 4. Ibidem.

41 Bonorum & iurium omniũ ad monasterium

quodcumque etiam regularibus subiectũ, pertinentium, inuentarium probabili forma conscriptum, sex mensium spatio, ad Archiuum Episcopale ab iis quorum interest, deferatur, nè fraus vllo modo fiat, numero monialium ab Episcopo præfinito. Quamobrem si quas etiam alienationes eorum bonorum, iuriúmque fieri deinceps contigerit, de iis Episcopus certior fiat.

1. Ibidem. 42 Quæ præpositæ sunt curæ ægrotantium, pias, & misericordes se illis præbeant, quantâ maxima possunt, & patientiâ, & diligentiâ: ac tales se illis præstent, quales cæteras vellent, si ipsæ ægrotarent.

Aegrotis cibus, & medicamenta opportuna à præfecta, & ab electis ad id ministris ità adhibeantur, vt monasterii facultates tulerint.

43 Præfecta autem charitatis causa eas quotidie visitet, vt & solatio sit; & melius ab eis cognoscat, ac curet, quæ ipsis sint necessaria; si verò aliqua moritur, confessor cum comite, quem superior approbarit, ingrediatur septa monasterii tũc, cùm eius corpus ad sepulturam dandum fuerit; piéque ac celeriter, quod eo tempore persoluendum sit officio fungatur.

De Puellis ad Religionem admittendis.

SVMMARIVM.

1 *Puellis ad Religionem admittendis, quod Præfectæ, & superioris officium. 2.*
2 *Inuitæ minimè ad Religionem cogendæ; pœnáque cogentium.*
3 *Iisdem Monasterium ingredi postulantibus, quid attendendum.*
4 *Moniales ex vna familia quot in monasterio recipi possint.*
5 *Eæ separatim priùs libero loco ab Episcopo examinandæ.*
6 *Examen ipsum præcedat inquisitio de moribus, vita, ætate, & voluntate libera, & quomodo, qualisque earum ætas.*
7 *Puellæ quoties, & cui peccata confiteantur, communionem quando sumant; quæque alia præstent.*
8 *Quibus suffragiis admittendæ; & quid eisdem latis à præfecta curandum. 9.*
10 *Puellæ admissæ in certum librum referendæ.*
11 *Admissione puellarum facta, quo vestitu ab illis vtendum.*
12 *Eisdémque quod tempus ad induendum monialium habitum præscriptum.*
13 *Qua hora, à quibus, & qualiter ad monasterium deducendæ.*
14 *Quaque cæremonia, & à quo vestiendæ.*
Quo die monialem habitum induit, quæ in foresteriis, & alibi vetantur. De Nouitiis. 11.
15 *Nomina gentilium fœminarum nouitiis monialibus non imponenda.*
16 *Neque eisdem tradendus regularis habitus, antequam confirmatæ sint.*
Puellis eisdem vestiendis qui ritus adhibendus. De Nouitiis. 4.
Præfecta, aut superior regularis nouitiam habitum suscipere permittens, non explorata illius per Episcopum voluntate, seuerè punienda. Ibid. 5.
17 *Habitu suscepto è monasterii septis egredi non liceat.*
18 *Nouitiæ causa quid monasterio ante professionem dandum.*
19 *Moniales, à puella regularem habitum suscepturæ parentibus, quæ ante professionem non sumant.*
20 *Impensarum, & alimentorum nomine, quid monasterio Episcopi præscripto attribuendum.*
21 *Pecunia eo nomine danda, apud quem deponenda.*

1 Puellæ cùm primùm ad suscipiendum sacrum habitum offeruntur, monia- 1. De puellis ad Relig. admittẽn.
2 lium præfecta, parentes, vel eos, quorum curæ commissæ sunt, admoneat excom- Sess. 25. c. 18 de Regul. & Monial.
municationis, quæ proposita est à sacro Tridentino Concilio iis, qui suas puellas, vel alienas inuitas eum cogunt suscipere, aut profiteri religionem. Idem ab earum superiore fiat, cùm eius consensus requiretur.

3 Cum puella Monasterium ingredi postulabit, vt locum, vbi profiteri cogitet, illa inspiciat; primò studiosè, diligenterque cognoscatur, an verè id illius propositum sit, anque illud curiositate tentet; nec propterea per monasteria plura vagari permittatur. 4. De Monia.

4 In iis monasteriis, in quibus moniales pauciores sint quinquaginta, duæ tantùm germanæ sorores, aut tres, quæ sint vnius generis, ac familiæ recipi possint. 1. Ibidem.

Vbi verò plures sunt quinquaginta monialibus, ibi tres tantummodo sorores, aut quatuor eiusdem familiæ recipi liceat: si ità monialium capitulo videatur.

5 Præfecta, & moniales de puella, earum suffragiis ad suscipiendam religionem admittenda, quicquam polliceri, aut Capitulum cogere non audeant; prius quàm libero loco ab Episcopo, aut ab eo, cui ipse id munus delegarit, puella secretò examinata, ac probata, facultatem suscipiendi in eo monasterio religionem scripto consecuta fuerit, consentiente etiam illius monasterii superiore.

6 Ab iis autem omnibus prius diligenter inquiratur de moribus, vita, ætate, quæ maior sit duodecim annis; ac de libera, & pia voluntate puellæ.

Quæ anno saltem, antequàm examinetur, & monialium Capitulo admittenda proponatur, propositum religionis suscipiendæ in eo monasterio, & Episcopo, & monialibus, earumque superiori patefecerit, vt interim huiusmodi inquisitio maturè fieri possit.

7 Quo etiam tempore ipsa confessori illius monasterii, aut, cui Episcopus eiusmodi munus puellas has audiendi commiserit, semel singulis mensibus peccata sua confiteatur; sacrosanctámque sumat Eucharistiã, ac persæpe moniales in locis collocutionum alloquatur: vt ab eis tùm explorari accuratius, tùm admoneri melius de omnibus, quæcumque illi agenda, & ferenda erunt religionis causa intrà septa monasteriorum; nè vllo vnquam tempore conqueri, & inscitiam excusare possit.

8 De puella admittenda ad suscipiendam religionem, ac mox etiam nouitia ad professionem, ferantur tacita suffragia, vt singulæ moniales, nullo affectu impeditæ, liberè suæ conscientiæ possint satisfacere.

4. Ibid. Puellæ, cùm ad cætera, tùm ad professionem recipiantur, monialium suffragiis occultè latis. Idque ipsum ex Concilii Prouincialis primi decreto, quod auctoritate literarum Pii Quinti Pontificis in monasteriis, etiam eorundem regularium iuri subiectis, locum habet, in monasteriis etiam regularium iuri, curæque subiectis planè seruetur.

1. Ibidem. Nec verò huiusmodi puella ad religionem, neuè nouitia ad professionem recipiatur: nisi duas ex tribus partibus suffragiorum tulerit.

Puellæ ad religionem admissio aliter facta, quàm præscriptum sit, irrita sit, & nulla.

Præfecta verò, cuius culpa, vel negligentia id factum fuerit, ab officii administratione submota, velo etiam ad sex menses eo ipso priuata esse intelligatur.

10 Præfecta autem statim de suffragiorum exitu superiorem admoneat: vt in librum, ad huiusmodi vsum institutum eius nomen, quæ recepta sit, ab eo referatur.

11 Cùm primùm suffragiis Capituli aliqua recepta est, statim omnes vestium delitias, & inanem ornatum deponat: & nigro, vel fusco vestitu, aut albo, at non serico induatur ea modestia, & submissione; vt omnes intelligant, eam mundo renunciasse: vt Deo religiosè inseruiat, quo vestitu semper vtatur; donec in monasterium introeat; & intereà à choreis, & spectaculis inanibus abstineat.

12 Quæ verò eo modo, quo diximus, recepta fuerit, monialium vestibus in monasterio indui non possit: nisi sex mensibus, postquam recepta fuerit, idque concessu Episcopi, & monialium superioris; quibus liberum sit, vel producere, vel contrahere illud semestre tempus, quemadmodum eis expedire videbitur.

13 Tumultus autem euitandi causa, deducatur mane ad monasterium ab intimis propinquis mulieribus, nullâ pompâ, nulloque inuitatu aliorum; & sola introducatur in Ecclesiam interiorem monasterii: Missaque audita, & sumpta Communione, cæterisque solennibus cæremoniis adhibitis, coram reliquis monialibus, à Superiore, aut monasterii Confessore vestiatur, qui illam adeò grauem, sacramque actionem aliquo pio sermone prosequatur. Quod etiam in professione seruetur.

15 Superior, siue confessor hanc cautionem adhibeat, nè puellæ nouitiæ nomen gentilium fœminarum imponat; sed sanctarum, quæ ab Ecclesia celebrantur,

3. Quædã quæ ad Moniales & alios reg. pert. 16 Puellæ, quæ regularem habitum induere voluerint, nè eo habitu induantur, antequàm confirmationis sacramentum susceperint; si facultas sit breui illud suscipiendi.

1. Ibidem. 17 Quæ puella postquàm monialium vestẽ susceperit, amplius è monasterii septis exire non possit: nisi fortasse, nondum professam pœniteret in monasterium introisse. Si verò semel exierit, nulla in posterum facultas redeundi concedatur.

Ses. 25. c. 16 18 Nouitiæ causa ante professionem ex decreto Tridentini Concilii nihil monasterio detur, præter id, quod necessarium sit ad victum, & vestitum eius temporis, quo fuerit in nouitiatu: quod totum repræsentari volumus, antequàm puella in monasterium ingrediatur.

19 Vt Tridentini constitutioni, quæ est de reformatione Regularium cap. 16. fraus nulla fiat; illud Episcopus, pœna anathematis, & dantibus, & recipientibus proposita, interdicat, ne moniales à puellæ, quæ regularem habitum in earum monasterio susceptura est, parentibus, vel consanguineis, vel curatoribus, nec verò ab aliis, quibus ipsi ob id sponsione caueant, pecuniam mutuò, aut depositi, alioue quouis nomine sumant, antequàm illa professionem regularem confecerit. 1. Capitulã quædam ad Moniales pert. cap. 4.

20 Episcopus præterea tum impensas æstimet, quæ, & in religionis ingressu, & tempore professionis fieri solent pro vestitu, aut pro aliis rebus, ad ipsius puellæ, vel monasterii vsum, commoditatemve pertinẽtibus; tùm pecuniæ etiam summam præscribat, quam puella alimentorum nomine, monasterio det; nisi census, aut alia bona immobilia, quorum annui fructus, eiusdem iudicio, ad ea alimenta satis sint, Monasterio attribuantur.

21 Ea autem omnis pecuniæ summa, eo nomine ab Episcopo decreta, re ipsa apud certum hominem, & virum bonum deponatur, qui professione confecta, illam statim monasterio tradat, vt decretum est superiori Concilio.

De Nouitijs ad Professionem recipiendis.

SVMMARIVM.

1 *Nouitia monialis cuius ætatis ad professionem recipienda.*

2 *Nouitiæ professuræ tempus à Præfecta quando Episcopo significandum; quodque Episcopi ea in re officium.*

3 *Quo loco, quibus præsentibus, & qua ratione examinanda.*

4 *Eadem ad professionem admittenda, quo ritu vtendum, quæque cæremoniæ adhibendæ. De Puellis ad Relig. admitt. 13. 14.*

5 *Professionem facere permittens Præfecta, superiorvè Regularis non explorata nouitiæ voluntate, examinevè adhibito, grauiter plectendi. Inuitam quoque profiteri cogens, excommunicatur. De Puellis ad Relig. admitt. 1.*

6 *Professione facta, quod à moniali Monasterio datur, apud quem deponendum.*

7 *Nouitia quomodo bonis renunciet.*

8 *Ad professionem non admittenda officium recitare nesciens, & à quo faciendum periculum.* 9. *Suffragiis tacitis nouitia ad professionem admittenda. De Puellis ad Relig. ad. 8.*

10 *Professionis memoria, vt notanda.*

11 *Professionis die in foresteriis quæ fieri vetantur.*

12 *Moniales solemniter velandi ritus reuocandus.*

1 QVoniam ex Tridentini Concilii decreto professio ante decimum sextum annum expletum, & ante annum probationis post susceptum habitum facta, nulla est, nullamque parit obligationem; curent Episcopi, ne nouitia vlla ante illam ætatem, & tempus ad professionem admittatur. 1. De Nouit. ad prof. recip. Ses. 25. c. 15

2 Præfecta autem monasterio triginta ante diebus Episcopo significet, quo tempore nouitia professura sit; vt vel ipse, vel, si is abest, im-

pedituſve, alius, cui ille id negotii dederit, nouitiæ voluntatem cognoſcat: perſpiciatque an eiuſmodi conditionibus ſit, quas monaſterii illius, & ordinis regula poſtulat: an item monaſterium idoneum. Ei denique demonſtret, quàm grauis ea res ſit, quàmve multas res tria illa religionis vota requirant; vt ea antequàm ad profeſſionem recipiatur, vinculi vim intelligat, quo ſe obſtringi vult.

Seſ.25.c.17 Si Præfecta id facere neglexerit, eiuſdem Tridentini Concilii decreto ab eius officio tamdiu amoueatur, quò ad Epiſcopo videbitur.

3 Nouitia nè examinetur intra ſepta monaſterii, ſed extrà, in publica eius monaſterii Eccleſia, vt liberè, & fidenter ſuam voluntatem exponere poſſit.

5. Quæ ad Mon. pert. Seſ.25.c.17 Cùm nouitiæ, antea quàm profeſſionem præſtet, voluntatem Epiſcopus pro facultate, ſibi decreto Tridentino data, explorare volet, hoc agere ei liceat, loco, vbi crates monaſterii ſunt; nec propterea à ſeptis illa egrediatur: niſi cauſa ſit, probabiliſve eiuſdem Epiſcopi iudicio ſuſpicio, quamobrem potius eſſe cenſuerit, vt alio loco eius voluntas perquiratur: tuncque vel in Eccleſiam monaſterii exteriorem, vel in aliam proximam, prout commodius, decentiuſve fieri viderit, illam perduci iubeat, Qua in Eccleſia, præſentibus matronis duabus, ætate grauibus, honeſtis, & nouitiæ gradu cognationis, quantùm poteſt propinquioribus, quas ipſa, aut moniales delegerint, eius animum, voluntatemque Epiſcopus rectè indaget, loco paulò remotiori, ità vt, quæ adſunt, matronæ videre, non tamen auribus percipere poſſint indagationem, reſponſionemve.

4 Vt & in puellis, moniali veſtitu induendis, & in admittendis ad profeſſionem nouitiis, vnus, idemque ritus ab prouinciæ Epiſcopis adhibeatur, cùm eius generis regulæ variæ illæ quidem, ac planè inter ſe diuerſæ, diſſimileſque ſint, liber de eo ritu, huius Synodi Prouincialis authoritate per nos edetur: ad cuius præſcriptũ omnis ea ratio ineatur, tum puellas induendi, tùm nouitias ad profeſſionem admittendi.

5 Si quæ monialium præfecta, earumque ſuperior Regularis, virginem aliquam, non explorata per Epiſcopum illius voluntate, examineve adhibito, religioſum veſtitum ſuſcipere, aut profeſſionem conficere permiſerit, ab ipſo Epiſcopo ſeuera pœna afficiatur.

1. Ibidem. 6 Quod verò profeſſione facta, eleemoſynæ gratiâ ad profeſſam ſuſtentandam monaſterio datur, id quo tempore puella religionis habitum ſuſcipiet, apud virum, monialibus, & earum ſuperiori probatum, deponatur, vt nullo impedimento tùm monialibus præſto eſſe poſſit.

Seſſ.25.c.16. 7 Nulla autem renunciatio bonis à nouitia fiat; niſi, quemadmodum à Concilio Tridentino iuſſum eſt, facultate ab Epiſcopo, vel eius Vicario permiſſa, ad duos proximos menſes ante profeſſionem fiat.

8 Et quoniam, quæ moniales, profeſſione facta, velum ſuſceperunt, quotidie ſuæ religionis diuinum officium dicere debent; nulla ad profeſſionem admittatur, quæ congruè legere, & officium dicere neſciat.

9 Id autẽ experiri debebit is, cuius officium eſt eas examinãdi: qui ſe præſẽte, eã legere iubebit.

10 Profeſſionis autem, & anni, quo facta eſt, in libro, ad eum vſum confecto, memoria conſeruetur, manu eius monialis, quæ ſcribæ officio fungitur; adhibita ſubſcriptione eius, quæ profeſſa ſit, ſi modò ſcribere ſciuerit, & ſuperioris, qui eam admiſerit.

11 Quo die puella profitetur, vel monialem habitum induit, in foreſteriis, ædibuſque monialium, ab eius propinquis, & amicis conuiuia nè fiant, neque bellaria dentur.

12 Vbi religioſus iſte, & vetus monialis ſolenniter velandæ mos his temporibus antiquatus eſt, ad priſtinum vſum, ex veteri inſtituto, & ritu reuocetur, dum modò intrà monaſterium id fiat.

De diuinis Officiis, Precationibus, & Lectione Monialium.

SVMMARIVM.

1 *Moniales die, noctuque Chorum frequentent.*
2 *Singulæ diuinis officiis interſint, & quo habitu.*
3 *Quo ſono, cantuuè vtantur; quaſque res precando fugiant.*
4 *Orationem mentalem quando habeant, & quæ meditentur.*
5 *Diebus feſtis horam aliqua in lectione conſumant.*
6 *Earum libri recognoſcendi, & à quibus.*
7 *Scriptoque tantùm approbati ab eiſdem retinendi.*

1 CVm ad ſanctimoniales valdè pertineat laudare aſſiduè Deum creatorem, & redemptorem mundi, eidem gratias agere & ſupplicare, vt ſuam miſericordiam omnibus hominibus ad ſalutem impertiat: idcircò moniales omnes, die, noctúque chorum frequentent: ſacriſque officiis diſtinctè, attentéque ab ipſis, & voce, & pio animi affectu celebrãdis, interſint: illis ſolum exceptis, quarum præfecta iuſti impedimenti excuſationem acceperit. 1. De diuin. off. Prec. & lect. Mo.

2 Adſint autem ſingulæ initio diuinorum officiorum, congruenti ſui ordinis veſtitu indutæ, in ſuis, ac propriis locis & vſque ad finem perſiſtant: non prius inde diſcedentes, quàm præfecta, aut vice eius alia, diſceſſus ſignificationem fecerit; niſi neceſſitate aliud poſtulante, id eadem permiſerit.

3 Soni, cantus, qui honeſti, & ſpirituales non ſint; colloquia etiam, riſus, quicquid præterea indignum eſt domo Dei, & eius diuina maieſtate, cum qua colloquimur in oratione, omninò amoueantur. Quæcumque autem contrà hæc, quæ iuſſa ſunt, aliquid fecerit, præfectæ arbitrio pro modo culpæ acriter puniatur.

4 Et quia mentis oratio tantò præſtantior ea, quæ ſolum ore exprimitur, quantò anima eſt excellentior corpore; piis incredibile ſolatium affert, & fructum; eoſque quotidie nouis cumulat muneribus, in Deum quodam modo conuertens: ideò moniales, & velatæ, & conuerſæ, præter horas Canonicas, aliaſque orationes, quas ex officio habere debent quotidie in chorum vniuerſæ conueniẽtes, niſi neceſſariò impediantur; ſaltem per horam mentalẽ orationem, adhibeãt: ſemi hora videlicet poſt matutinum:

itémque

itemque post nonam, aut Completorium, sublatis ad Deum mentibus piis, & salutaribus rebus contemplandis, præsertim verò vitam, doctrinamque D. N. Iesu Christi, atque eius sancta mysteria studiosè meditabuntur, passionem videlicet, mortem, resurrectionem, ascensionem in cœlum, extremum aduentum ad iudicium, beatorum gloriam, & damnatorum supplicia; aliaque eiusmodi, quæ ad Dei gloriam, & propriam, proximorumque salutem pertineant.

Ibidem. 5 Diebus festis vt otium, à quo mala omnia oriuntur, euitetur; moniales tempus, quòd sibi à diuinis officiis, & consuetis orationibus superfuerit, in sacra aliqua lectione consumant, quæ ad Dei, & sui ipsius cognitionem eas ducat, viamque monstret perfectionis, & æternæ vitæ; idque vel separatim, vel coniunctim faciant, cùm huiusmodi lectio suauis, & fructuosa sit animarum oblectatio, vitia coerceat; ad virtutes inflammet, contrà autem inanium librorum lectio mentes corrumpat.

6 Quod nè accidat, Superior, aut confessor omnes monasterij libros perspiciat, & recognoscat; singulas moniales in virtute obedientiæ suos proferre cogens.

5. Quæ ad Mon. pert. 7 Moniales, libros cuiusuis generis apud se minimè retineant; nisi quos Episcopus, vel is, cui id curæ dederit scripto approbarit.

De Communi Vitæ vsu, ac de proprietate tollenda.

SVMMARIVM.

1 *Moniales communiter viuant.* 3.
2 *Omnia ad communem monasterij vtilitatem conferant.*
4 *Proprietatis tollendæ causa, quod Confessariorum officium.*
5 *Vestes omnes communi in loco asseruandæ.* 6.
7 *Ægrotarum, vbi custodiendæ.*
8 *Moniales dona non capiant nisi consentiente Præfecta.*
9 *Neque nummos apud se retineant.* 11.
10 *Præfecta & Discreta* } *Cellas monialium quando visitent.*
11 *Proprietaria inuenta, vt punienda.*
12 *Monialibus catellus, speculum, suffimenta, vnguenta prohibentur: vasaque fruticum, & florum vendendi causa: offulæ quoque ad donandum vendendumque confici vetantur.*
13 *Moniales eleemosynam facere, donare, vendere, legareque non possunt.*
14 *Quando, & quibus eisdem aliquid donare liceat.*
15 *Ad benedictionem mensæ quando conueniant.*
16 *Mensæ benedictio à Præfecta vel Vicaria fienda.*
17 *Quo ordine discumbant: & quando à mensa discedant.*
18 *Lectio in mensa habenda.*
Moniales vno loco dormiant singulæ in singulis lectis, & cellis. De Monast. Monial. nu. 22.
Cellæ die, noctuque apertæ sint; eæque à quibus visitandæ post signum da:um eundi cubitum. Ibidem.

1 IN omnibus [illegible] ad cibum, potum, somnum, [illegible] ceteraque res attinet, omnes comm[illegible] viuant; vt à sacro Tridentino Concilio decretum est: neque quidquam inter eas differat, aut alia alij præferatur, aut posthabeatur, quemadmodum votum paupertatis postulat: vt tuum & meum atque omnis priuata rerum possessio, & re, & verbo omninò tollatur, omnis etiam superuacaneus, & inanis rerum vsus, neque vlla sit, quæ quidquam possideat, aut adhibeat, vt proprium; etiam si ad necessitatem concessum sit. 1. de Com. vitæ vsu ac de prop. toll. Sess. 25. c. 2. de reg. & Monial.

2 Omnes itaque monasterij prouentus, cuiuscumque generis sint, eleemosynæ etiam, & quæstus ex laboribus; libelli prætereà, legata, & bona mobilia, & immobilia, quæ testamento relicta, & quæ donationis, vel alia quauis causa obtigerint, à singulis monialibus ad communem monasterij vtilitatem conferantur.

Præfecta verò pro sua prudentia, & humanitate ex illis ipsis bonis eius necessitati potissimùm consulat, ad quam pertinerent, nisi obstaret paupertatis votum.

3 Curetur omninò, vt exquisita illa, ac religiosa communis vitæ ratio, atque vsus in monasterio studiosè introducatur; vt que spiritualis vitæ, sanctæque institutionis disciplinam, ac studia moniales sectentur diligenter. 4. De Mon.

4 Vtque omnis proprietatis occasio tollatur de monasterijs, confessores, ac præfectæ, voti paupertatis accuratius seruandi gratiâ, monialibus suadere studebunt, vt curent omnes vestes lineas, laneas, vel pelliceas, aut cuiusuis generis in communi loco asseruandas; duasque ex monialibus, quo tempore mutantur officia, ijs excutiēdis, purgandis, & sarciendis præficiēdas: quæ etiam sororibus in singulas hebdomadas pro tempore, & vt vsus feret, eas distribuāt, nullaque vestes apud se habeat, præter eas, quæ ad quotidianum vsum sunt necessariæ. 1. Ibidem.

6 In loco vestiario indumenta cuiusuis generis, vestesque omnes asseruentur. 4. Ibidem.

Nec in cellulis, alioué loco priuatim reponatur quicquam, custodiaturué, quod eo ipso tempore necessarium non sit.

7 Ægrotarum verò vestes, contagionis nomine suspectæ, separatim custodiantur, aut apud illas ipsas relinquantur. 1. Ibidem.

8 Dona quæ singulis mittuntur, ad præfectam adferantur: nec nulla possit illa accipere, aut ad vsum adhibere, nisi sciente, & consentiente præfecta; quæ in id omninò incumbere debet, vt ex monasterio vitium proprietatis, tamquam multorum malorum causam euellat; neque cuiquè permittat, vt pecuniam apud se habeat.

9 Monialis nummos nè modicos quidē, apud se quouis nomine nè habeat, neque de præfectæ etiam consensu: nisi officij, quod gerit, ratio aliter postulat. Alioquin, vt proprietatis rea puniatur. Quam pœnam, & præfecta, quæ id vllo modo vlloué prætextu permiserit, & monialis item subeat, quæ resciuerit, nec præfectæ bidui spatio: aut si hæc in culpa sit, superiori quam primùm potuerit, non denunciarit. 4. Ibidem.

10 Ter autem in singulos annos, Præfecta vnà cum Discretis, cellas, & supellectilem singu- 1. Ibidem.

Ee

larum monialium diligenter, inquirat: & scrutetur, nè vlla quidquam habeat proprij, aut plus quàm quantùm ei ad suum vsum concessum fuerit.

Sess. 25. c. 2. de reg. & Mon.

11 Quod si quæ proprij aliquid tenere deprehensa, aut conuicta fuerit: ea biennio actiua, & passiua voce priuata sit ex Tridentini Concilij decreto, atque etiam iuxtà suæ regulæ, & ordinis constitutiones puniatur, multóque magis, quæ ex communi, aut ex eo, quod alicuius vsui tributum sit, furtim sibi aliquid vindicauerit.

12 Si prætereà speculum, catellus, vnguenta, aut suffimenta, & huiusmodi inanium rerum quidquam apud aliquam repertum fuerit; superior statim id è monasterio auferendum, & eam, apud quam inuentum fuerit, acriter puniendam curabit.

4. de Monialibus.

Fructuum, florumve vasa in monasteriis nullo modo teneantur, eos vel fructus, vel flores vendendi causâ.

1. De Clausura.

Moniales etiam nè offulas, aut cætera huiusmodi conficiant, donandi gratiâ, prohibemus: propter temporis iacturam, & sumptum, qui in eas impenditur. Quæ contrà decretum aliquid commiserit, vel permiserit, superioris arbitratu puniatur: maximè verò in præfectam animaduertatur.

4. Ibidem.

Offulas, & alia huius generis non modò donandi, vt primo Concilio vetitum est; sed etiam vendendi causâ, à moniale aut monasterio confici nè liceat.

1. De communi vitæ vsu, &c.

13 Monialis, siuè velata, siue conuersa sit, eleemosynam dare, largiri, aut vendere esculentas res, vestes, aut bona cuiusuis generis sint: etiam si ad vsum ei attributa sint, aut etiam legare omninò non possit. Quæ secùs fecerit, velum ei per mensem adimatur; ac ter se verberibus ad disciplinam affligere cogatur.

14 In quo tamen integrum sit præfectæ concedere facultatem: cui concedi debere iudicarit, aliquid deuotionis, ac religionis causâ vel aliud exiguum elargiendi propinquis, aut benè merentibus.

15. 16 Ad sonitum minoris campanæ omnes conueniant ad benedictionem mensæ, quam præfecta, vel Vicaria, vel, ipsis absentibus, antiquior Discreta faciat.

17 Deinde loco, & ordine discumbentes non prius discedant, quam Deo gratiæ actæ fuerint, quæ non obedierit, vno die obsonio priuetur: ac postremo loco in mensa sedere cogatur.

18 Mane, & vesperi ad primam ac secundam mensam aliquis spiritualis liber, qui ad religionem incendat, quotidie legatur, omnibus discumbentibus, cum silentio, & attentione audientibus: vt vnà cum corpore, mens etiam recreetur. Vniuersæ Moniales. *De Monasterio Monial.* 22.

De Clausura, & quæ ad eam tuendam aliqua ratione pertinent.

SVMMARIVM.

Clausuræ monialium tuendæ causa, quæ de fenestellis, & locis collocutionum, ianuis, rotis, fenestris aliis, ostiis, & cancellis construendis, obstruendisuè, multisque aliis præscripta sunt. De Ecclesia, & de Monasterio Monial. num. 12. 13. 14. 15. & à num. 6. ad 25.

1 *Monasteria Monialium è vicinorum Religiosorum præcipuè ædibus non inspicienda: vtque prospiciendum.*

2 *Prospectus is vbi tolli non possit, quid agendum.*

3 *Regulares viri nè propè Monast. Mon. ædificent, & quare.*

4 *Moniales etiam, nè propè eorundem Regularium virorum monasteria fabricent.*

5 *Monasteriis monialium ædes proxima quibus non locandæ.*

6 *Quæ in eis agi vetantur.*

Horti, qui angustiores reddendi. De Monast. Mon. num. 29.

7 *Locus vnde extrà monasterium prospici possit, qui facultate patefaciendum.*

8 *Cautio ea in licentia danda, & eo prospectu arcendo.*

9 *Moniales professæ è monasterii septis, non egrediantur: & quam ob causam quaque facultate egredi possint. 60.*

Egredientes, vt plectendæ. Ibidem.

10 *Apostatæ moniales ad sua monasteria redire cogendæ: & quando in Conuertitarum numerum adscribendæ.*

11 *Moniales, ex quacumque causa, etiam criminali, è monasterio non educendæ.*

12 *Monasterii monialium septa nemo ingrediatur.*

13 *Monialis quempiam introducentis pœna.*

14 *Ingrediens absque licentia Ordinarii, excommunicatus. 38.*

Moniales quoque ingredi aliquem permittentes, excommunicatæ. 41.

Facultates ingrediendi septa monasterii quando, & quomodo concedendæ. 16.

16 *Quæ causæ indicandæ necessariæ ad illas concedendas: eaque vbi enunciandæ.*

17 *Facultates ipsæ in scriptis ab Episcopo dandæ: & quando à Vicario concedi possint.*

Alius hoc attentans, excommunicatus. 40.

18 *Ministros ingredientes, quæ moniales associent, alloquantur.*

19 *Ingredientibus obuiam prodeuntes deducentes & sermonibus præsentes, vt velatæ existant.*

20 *Medici septa ingressuri ab Episcopo probandi.*

21 *Eunorum vsus, ad tollendum ministrorum ingressum, introducendus.*

22 *Facultates habentes, ea non nisi in vrgentibus necessitatibus vtantur: aliàs excommunicati.*

23 *Episcopo, Superiori, Confessario, quibus ex causis septa ingredi non liceat.*

24 *Episcopi, Superiores, qua causa ingrediantur, & cum quibus.*

25 *Monasterii intra septa pernoctantes, & permittentes, excommunicati.*

26 *Animalia, quæ in eis non alenda.*

27 *Moniales cum nemine externo, licentia carente, colloquantur: & quo potissimum tempore. 31.*

28 *Contrà facientes quæ pœna.*

29 *Licentia à rotæ præpositis accipienda, & Præfectæ præsentanda: & quod ea in re Præfectæ officium.*

1 CVrent Episcopi, & alij superiores, nè è vicinorum ædibus quicumque illi sint, monasteria inspiciantur; maximè vero si fratrum cuiusuis ordinis, aut presbyterorum ædes illis immineant: quo casu parietes altius tolli, & nouos ædificari iubeant eorum sumptibus, quorum Episcopi, & ij, qui monasteriorum curatores sint, interesse iudicauerint, quacumque appellatione remota. *1. De Clausura, &c.*

Quamobrem etiam sæcularium principum auxilium implorent, vt monialibus ab externorum hominum aspectu, & auditu liberis securè per monasterium ambulare liceat.

2 Quibus monasteriis de vicinorum, præsertim religiosorum prospectu tollendo ità caueri non potest, sicut Concilio Prouinciali primo iussum est; eorum fenestræ, si lumen excipi aliundè licet, obstruantur: sin minùs, ab illa seruitute defendatur operis structura, in instructionibus nostris demonstrata, quæ in porticibus item quas logias dicunt, ab eadem seruitute tuendis, adhibeatur. *4. De Mon.*

3 Regulares viri in posterum, nè in ea loca migrent; neuè areas, monasteriis monialium proximas, ædificandi causâ emant: vnde monialium aspectus fieri possit. *1. Ibidem.*

4 Moniales item monasteriorum ædificatione vicina regularium virorum ædibus, aut iis locis, vnde ipsæ ab illis inspici possint, in posterum prohibemus.

5 Ædes proximæ monasteriis sanctimonialium famosis mulieribus nè locentur.

6 Neuè ibidem spectacula, cantus, saltus, ludi, & huiusmodi profanæ res, & inanes exerceantur; quæ eas à sacro officio auocare, aut ipsis offensionis causam præbere possint.

7 Ne fenestra, in vllo cuiusuis ordinis monialium monasterio, etiam regularium iuri, curæue subiecto, neuè ostium vllum, aliudue id generis foramen, vnde aliquis extrà monasterij claustra prospectus sit, pateфiat, aperiaturuè sine Episcopi, cui monasteriorum omnium clausura commendata est, concessu. *4. Ibidem. Sess. 25. c. 5. de regul.*

8 Nec verò id ille permittat, concedatuè; nisi vbi locum diligenter inspexerit, & ità fieri necessarium censuerit. Tuncque ad impediendum, arcendumuè eum prospectum illa ipsa cautio, suprà mox præscripta, adhibeatur.

9 Quemadmodum à sacro Tridentino Concilio sancitum est, moniali professæ nulla ratione è monasterij septis egredi liceat; nisi ex causa legitima, quæ ab Episcopo probata sit. *1. Ibidem. Sess. 25. c. 5. de reg. & Mon.*

Huiusmodi verò licentia egrediendi nullo pacto permittatur; nisi id grauissima res, & summa necessitas postularit: neque iis monialibus, quibus nisi ex summi Pontificis concessu, egredi fas est.

10 Apostatæ, fugitiuæ, & delicti causa eiectæ è monasteriis, quæ cum sacro vestitu, aut sine eo vagantur, non sine scandalo religionis, ab Episcopis, cæterisque earum Superioribus petito etiam sæcularium principum auxilio ad sua monasteria redire cogantur; vt ibi dignas pœnas pendant suorum scelerum. Quod si superioribus in monasteria restitui debere minimè videantur, in earum mulierum numerum, quas conuertitas vocant, cum bonis, quæ attulerunt, ad monasterium, adscribantur.

6. Quæ ad Mon. pert. 11 Ea autem bona illis mortuis, priori monasterio restituantur, occasione correctionis, pœnitentiæ, seu examinis, in causis etiam criminalibus, & grauioribus, monialis è clausura nè educatur; etiam si in aliud monasterium, locumve pium conducenda, ne ad breue quidem tempus.

1. Ibidem. 12. 13 Si quæ monialis in monasterij septa marem, aut fœminam cuiusuis ætatis, conditionisve, etiamsi matres, aut sorores sint, introduxerit, tribus mensibus in carcerem concludatur; eique singulis sextis feriis ieiunanti nihil præter panem, & aquam ad cibum, & potum adhibeatur, atque ad annum velum adimatur. Eandem pœnam subeant, quæ rotæ, & ianuæ præpositæ fuerint: præfectæ etiam, & quæuis aliæ, quarum consensu id commissum sit.

14 Quicumque verò Clericus, siuè sæcularis, siue regularis, cuiuscumque ordinis, aut laicus cuiuscumque status, dignitatis, gradus, conditionis ipsarum monialium septa interdiu, vel noctu introire ausus fuerit, præter excommunicationis pœnam, quam ex Concilij Tridentini decreto iure subit, aliis etiam grauissimis pœnis, habita personæ, criminisque ratione puniatur. Et si Ecclesiasticus sit, aut beneficia obtineat, suorum etiam ordinum munere, ex Ordinarij voluntate prohibeatur, suisque omnibus beneficiis priuetur. Quo decreto excipimus eos, quibus ob necessariam monasterio eorum operam, & industriam Superior septa ingrediendi facultatem, quotannis renouandam, scripto permiserit. Sess. 25. c. 5. de reg. & Mon.

Sess. & cap. eod. 15 Is autem meminerit sibi à Tridentino Concilio ius ademptum esse eiusmodi facultates concedendi; nisi in casibus necessariis: ideóque caueat, nè, quæ intus officia moniales obire possunt, ad ea, præstanda externi in septa monasterij introducantur, atque vt in hac necessitate dignoscenda, vna, eademque ratio vbique seruetur, & ille facile concedendi vsus coerceatur; Episcopus adhibitis in Concilium omnibus monasteriorum Superioribus etiam Regularibus, statuat, ac præscribat, quæ opera in monasteriis necessarium externorum ingressum requirant. Quam verò rationem in hac re præscripserit, ea ab omnibus, Regularibus, inuiolatè seruetur.

4. Ibidem. 16 Causæ necessariæ, ob quas intra septa monasterij ingredi licet, in hac Prouinciali Synodo, ex primi Concilij decreto, vel explicatæ, vel tamquam nullo modo reiectæ in extrema huius Concilij parte editæ, atque impressæ in singulis monialium monasteriis, etiam regularium curæ subiectis, edicantur, & enuncientur: nec verò ab iis vllo modo, vllaue ratione, ac prætextu discedi liceat.

6. Quæ ad Mon. pert. 17 Facultas ingrediendi septa monasterij nulla detur, nisi in scripto, neque verò quæ sine scriptis concessa est cuiquàm suffragetur, nisi quando vnà cum Episcopo is monasterium ingreditur. Episcopus autem solum modò, ac nullo modo Vicarius generalis hanc potestatem faciat, nisi speciatim ei Episcopus auctoritatem delegarit, qua aliis ingrediendi facultatē dare possit, atque Episcopus quidē eam auctoritatem minimè alij demandet, nisi Vicario tantum generali, ac neque ei item, cum ipse præsens est.

18 Ministris, quibus ob necessariam causam monialium septa ingrediendi facultas aliquando datur, illæ solum moniales, quas præfecta delegerit, imperent; aliæ verò prætereà nullæ quicquam illis vel iubeant, vel alloquantur. 4. Ibidem.

19 Moniales cùm in eo loco, vbi ab aliis, qui foris sunt, etiam à concionatore, aut à Superiore videri possunt, sermoni, concioniuè intersunt, omnes facie sint operta, & contecta velo, vsque ad os deducto.

Idem præstent, quæ cuiuis, etiam medico, aut superiori monasterij septa ingredienti, obuiam prodeunt, vel illum excipiunt, deducuntuè.

20 Probentur ab Episcopo medici aliquot, quos concessu etiam monasterij superiorum, intrà illius septa adhiberi liceat: si quando præter medicum ordinarium alios etiam morbi grauitas requirit.

21 In vnoquoque monasterio, Episcopi, furnorum, in quibus panis coquatur, vsum introducant, vt pistoribus, eorumque ministris ingressus in monasterium prohibeatur omninò. Nec verò vir quisquam ad furnum purgandum, inflammandumve, aut ad aliud quicquam faciendum, quod à monialibus fieri, agiuè potest, introducatur.

22 Caueant, qui ab Episcopo, superioreve facultatem habent ingrediendi monasterium, nè pro libito intrà eius septa, datæ facultatis prætextu ingrediantur: sed tunc solùm cùm vrgens necessitas deposcet: vt nè ex Sanctissimi Pontificis Gregorij XIII. sanctione, excommunicationis pœnam statim subeant: à qua, nisi per sedem Apostolicam absolui non possunt. 5. Quæ ad Mon. pert.

23 Ne prætereà religiosis hominibus septa monasterij, etiam suæ curæ commissi ingredi liceat, nè eâ causa, vt testantium, qui in monialium Ecclesia, vel sepeliri, vel anniuersaria quotannis agi voluerint, piæ voluntati satisfaciant: sed quæ anniuersaria ex testamento debentur, in earum exteriori Ecclesia præstent.

Nec verò processionis, in solennitate Corporis Domini agendæ causa, confessarius sacerdos, aut alius superior eò ingrediatur, ac nè Episcopus quidem eo nomine, neque alios ingredi patiatur.

Neque item causa vel monialium cubiculis benedicendi: vel eâ, locauè monasterij aqua benedicta aspergendi.

Nec etiam cum vestitus sacer puellis tradendus est, vel illæ ad professionem admittendæ sunt, vel ministrandum sacramentum confirmationis, Episcopus, Superiorуè tàm Regularis quàm sæcularis, aut confessarius, aliusuè ad septa monasterij introeat: sed in Ecclesia exteriori, vbi sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum ad fenestellam ministratur, hæc illis, vel puellis, vel monialibus in Ecclesia interiori manentibus, præstentur.

24 Neque Missæ celebrandæ causâ, ad interiorem Ecclesiam, monasteriiuè septa, Episcopus, superiorуè introeat vnquam: nisi tantùm, cùm præfecta monasterij, aut alia monialis consecranda est: tuncque nè moniales egrediantur: sed iis adiunctis etiam, quos ad ministerium cōficiendum necessarios habet, ministris, introeat licet, intus Missam celebret, ritumque consecrandi adhibeat, ad Pontificalis libri præscriptū

6 Quæ ad Mon. pert. Episcopi, & Prælati omnes tàm sæculares quam Regulares, quibus monasteriorum monialium, quouis modo cura concredita est; facultate sibi ex officio data in ea ingrediendi, ità demum vtantur: vt scilicet cum necessaria causa vrget, ingrediantur; paucosque comites, & eos quidem seniores ac religiosos homines secum adhibeant; nè pœnas, ac censuras Gregorij XIII. Summi Pontificis constitutione ipso facto inflictas subeant: quam constitutionem accuratè seruent.

1. Ibidem. 25 Intra septa monasterij mares, & fœminæ cuiusvis generis, etiamsi ipsis monialibus inseruiant, vel sint ætate confecti, nulla de causa pernoctare possint, proposita pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam & is, qui pernoctarit, & præfecta, quæ id permiserit, subeat, quibus addatur aliæ pœnæ Superioris arbitratu.

26 Neuè intus in eisdem septis boues, equos, & iumenta cuiusuis generis alant.

Si contrà fiet, præfecta tres menses ab officij sui munere amoueatur.

27 Moniales cum nemine externo omninò colloquantur: nisi is licentiam scriptam, & obsignatam à Superiore monasterij, aut ab eo, quem is suo nomine substituerit; atque in Cancellaria Episcopali gratis descriptam attulerit,

28 Quæ contrà id fecerit, priuetur trium mensium facultate loquendi cum externis omnibus cuiusuis sexus, etiam propinquis, cogaturque singulis sextis feriis eius temporis, disciplinæ nomine, flagella sibi publicè adhibere, & orare eo psalmo, *Miserere mei Deus.*

29 Licentiæ autem, scripto permissæ, accipiantur ab iis, quæ rotæ sint præpositæ; priusquam ad præfectam deferantur, quàm illæ accersantur, quæ scripto nominatæ sint. Præfecta, vbi scriptum legerit, manumque & signum eius agnouerit, cuius officium sit facultatem colloquendi concedere, benedictione adhibita, permittat iis, quæ scripto nominentur; vt cum illis tantummodo loquantur, qui nominatim descripti sint: idque ad communem collocutionis fenestellam, non ad ianuam, neque in Ecclesia, aut alibi, præsentibus semper monialibus arbitris ei muneri præfectis.

30 Quæ verò ad colloquendum accesserint, breui finem loquendi faciant, caueantque nè tempus, quo nihil est pretiosius, inani, aut inutili sermone consumant.

31 Non est ferendum, vt moniales, præsertim sacris diebus, aberrantes, ab oratione, cæterisque piis exercitationibus, sermonibus minimè necessariis tempus consumant: idcircò, quibus diebus sumitur sacrosancta Eucharistia, & quoties dies festi ex præcepto Ecclesiæ celebrantur; tempore etiam Aduentus, & Quadragesimæ; in vigiliis prætereà de præcepto; omni denique tempore; cùm diuina fiunt officia, moniales cum externo nemine omninò colloqui possint: nisi necessitas ità postulet.

32 Moniales verò, tàm quæ audiendis sermonibus præpositæ sunt, quàm illæ, quæ loquentur, nè monasterium absurdis, & inanibus rumoribus compleatur, cum nemine omninò communicent, quæ ab externis acceperint: nisi, cùm præfecta, si eis expedire videbitur, vt aliqua ad eam referantur.

33 Vigilent præfectæ, & quæ sermonibus audiendis præpositæ sunt, nè quisquam ad colloquendum cum monialibus accedat simulato eius nomine, qui scripta licentia nominatur. Quod si id à quoquam commissum fuerit, is ab Episcopo: quæ verò cum eo collocuta fuerit, &, quæ scientes permiserint, à suo Superiore harum constitutionum præscripto, graui pœnâ eorum arbitratu afficiantur.

34 Quicumque verò Clericus, siue sæcularis, siue regularis, cuiuscumque ordinis, aut laicus cuiuscumque status, dignitatis, gradus, & conditionis ad monialium monasteria accesserit; & cum earum aliqua, non impetrata, vt præscriptum est, colloquendi facultate, sermonem habuerit, grauiter puniatur.

35 Hoc autem edicto, neque patres, neque fratres teneri volumus, quibus non impetrata illa colloquendi facultate; sed seruatis cæteris regulis, hac ipsa de re latis, cum filiabus, & sororibus tantùm colloqui, non tamen septa vmquàm ingredi licebit. Ex eod. Concilio Prouinciali primo de Concionatoribus, &c. mon. n. 13.

Quod in Concilio Prouinciali primo de facultate scripta, ad monialium monasteria accedendi sancitum est; id tùm mares tùm fœminas, quocumque etiam gradu, dignitate, genereuè illustres, inuiolatè seruare decernimus; etiam si pater, mater, fratres, sorores siue monialis, quam visitatum veniunt. Idque omninò vbique præstari cura Episcopi sit. 4. Ibidem.

36 Nemini omninò neque sacro, neque profano, neque mari, neque fœminæ liceat adire monasteria monialium docendi causâ cantum, quem figuratum vocant. 1. Ibidem.

In iis tamen monasteriis, in quibus non in exteriori Ecclesia à sæcularibus, sed intus à monialibus organo sonatur, permittere poterit Superior alicui viro, moribus, & ætate ab Episcopo probato, vt foris ad fenestellam collocutionis monialem organistam tantùm sonandi artem edoceat, si in eo studij genere plus proficere necesse habeat.

Hæc autem intus, ad ipsam fenestellam discens, commorabitur; cui semper adsistent duæ ex iis, quæ audiendis sermonibus præpositæ sunt.

Quæ contrà fecerit, siuè præfecta, siuè alia, velo priuetur aliisque prætereà pœnis afficiatur, arbitratu Superioris. *Quod sequitur vide De Ecclesia Monialium, num. 32.*

Facultas superiori Concilio permissa, vt Monialis organista, sonandi artem, Episcopi concessu, doceri possit, abrogata sit: atque ità, vt nemini, nec viro, nec fœminæ, etiam cuiusuis Superiori facultate, ad monasterium quoduis accedere fas sit eius rei causa: sed quæ monialis vel organo sonandi, vel musicæ artis perita est, alias moniales instruere poterit. 1. Capita quædam ad Mon. pert. cap. 3.

Quoniam superioribus Conciliis Prouincialibus, non satis, quantum rei grauitas deposcit, adhuc monialium periculo consultum, ac prouisum est, quod cùm ex frequenti ad earum monasteria accessu, tùm ex ingressu etiam septorum clausuræ existere potest; idcircò eo de genere hæc addenda censuimus. Vt autē hæc ipsa notoria sint, edicto Episcopali duorum mensiū spatio, & deinceps quotannis sermone vul- 6. Quæ ad Mon. pert.

gari frequenter prout opus erit, populo promulgari, singulisque præterea monialium Monasteriis, earumque præfectis edici, denunciarive Episcopus mandet.

37 Nè quis Clericus, laicusve cuiuscumque generis, ordinis, conditionis, sexus, ætatisve sit, absque Episcopi, aut eius Vicarij concessu literis exarato, ad monialium monasteria, quouis prætextu causave, ac ne eo quidem nomine inuisendi, alloquendive puellas tantùm, quæ ibi educantur, vnquam accedat, propositis pœnis, & censuris arbitrio Episcopi.

38 Ne quis item absque eiusdem Episcopi facultate scripta, intra septa monasterij monialium, in posterum ingredi audeat. Si quis contrà fecerit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat, ex Concilij Tridentini, Apostolicarumque sanctionum, quas Summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. eo nomine ediderunt, præscripto. A qua excommunicatione non ab alio nisi à Summo Pontifice Romano absolui possit.

39 Neque in posterum aliquis Ecclesiasticus, sæcularis, Regularis, aut laicus quocumque gradu, auctoritate, dignitateve præditus, cuiquam homini Ecclesiastico etiam Regulari, aut laico facultatem ad monialium Monasteria accedendi, nè colloquendi quidem gratiâ, concedat.

Sess. 25. c. 5. de reg. & Mon.

40 Nec verò monasterij septa ingrediendi potestatem faciat, quauis consuetudine, statuto, lege, priuilegiisvè, etiā sedis Apostolicæ auctoritate, ante Concilij Tridentini promulgationem roboratis, & communitis non obstantibus.

Siquis contrà commiserit, pœnam excommunicationis ipso facto subeat, aliasque arbitrio Episcopi.

41 Abbatissæ, Priorissæ, & aliæ moniales, quæ Ecclesiasticos, aut laicos homines, quauis causa, prætextuve intrà monasterij septa absque Episcopi concessu literis consignato, ingredi permiserint, ipso facto excommunicationis pœnam subeant, à qua è sanctionis Sanctissimi D. N. Gregorij XIII. præscripto non possint, nisi à Summo Pontifice absolui, præter alias pœnas eadem constitutione propositas.

42 Quæ verò moniales absque Episcopi concessu scriptis exarato, quemquam, vel marem, vel fœminam, contra quàm suprà præscriptum est, ad collocutionum, rotarumve loca admiserint, biennio mulctatæ sint suffragio omni. Si verò iterum in hoc genere deliquerint, arbitrio Episcopi puniantur, tùm deinceps si itidem offenderint, excommunicationis etiam pœnam ipso facto subeant.

43 Præfecta autem monasterij facultates omnes scriptas, quas vnusquisque exhibuerit, siue de accedendo ad monasteria, siue de ingrediendo illæ sint, accuratè asseruet; Episcopoque clausuram visitanti, & aliàs quoties postulabit, exhibeat, vt eas cum libra, quod regestum nuncupatur, conferre possit.

1. Ibidem.

44 Nè liceat monialibus depositi, aut custodiæ causâ, in monasterio habere pecuniam, gemmas, vestes, aut eius generis res vllas cuiusuis personæ, nec vasa quidem florum, aut fruticum.

Quod si quæ in præsenti habeant, vt omnis incommodi causa tollatur, ad tres menses, quibus debent, ea restituant.

Contumacibus, aut negligentibus pœna sit; præfectis, officij; cæteris, veli spoliatio.

45 Moniales, nè animi quidem relaxandi causa sæcularium virili, aut muliebri vestitu vtantur; cùm dedeceat Dei famulas, vestes ab earum professione alienas induere, verùm decoro semper seruato omnium, & temporum, & actionum, permittente præfecta, honestè, & quemadmodum sacras Deo virgines decet, animum remittere, licebit.

46 Ne moniali cuiusuis ordinis albas, & vestes, aliauè indumenta, Missæ sacrificij vsui dicata, induere liceat. 4. de Monialibus.

47 Nulli moniali fas sit ad quemquàm secreto literas scribere, præter superiorem, & Episcopum, si de aliqua graui re esset admonendus. 1. Ibidem.

48 Neque ad se missas literas aperire, & legere, nisi præfecta prius eas coram Vicaria legerit; aut se præsente legi iusserit.

Quæ contrà hanc legem aut scripserit, aut acceperit literas, per duos menses è sua cella pedem non efferat: & singulis sextis feriis, ità ieiunare cogatur, vt tantùm pane, & aqua vescatur.

Ac si eæ literæ suspicionem aliquam criminis haberent, ea, ad quam scriptæ fuerunt, præter prædictam pœnam, sex menses, & facultate loquendi ad fenestellam monialium collocutionis; & velo priuetur.

49 Verùm, nè præfecta falli possit, fictis ei literis ostensis, quæ aliæ sint ab acceptis, & ab illis, per quas responsum est; quæ rotæ præpositæ fuerint, omnes accipient literas, quæ ad monasterium peruenerint; easque statim ad præfectam afferent, à qua etiam literas, à monialibus scriptas, accipient clausas, & obsignatas coram eadem ipsa, quas deinceps nunciis externis tradent.

50 Monialis ne atramentarium calamum, aliudve cuiusuis generis instrumentum, quod ad scribendum vsui sit, in cella, alioue loco priuatim habeat. Quod si quando scribere necesse habet, id ne faciat, nisi præfectæ concessu. 5. Quæ ad Mon. pert.

51 Hæc verò nè facilè concedat, permittatve; sed explorata, perspectaque scribendi causa, eaque graui, & necessaria, facultatem det de atramentario, cæterisque ad scriptionem necessariis accommodet: quæ vbi monialis adhibuerit, quàm primum præfectæ restituat, simulque rectè ostendat, quæcumque scripserit.

52 Abstineat monialis à muneribus dandis. Eleemosynam verò per rotam, portamve monasterij dari vetitum sit omninò, quoniam inde non leuia pericula, vel damna potius extare compertissimum est: sed quibus monasteriis pro ratione facultatum eleemosynam dare permissum erit ab Episcopo, alioue superiore, ab illis detur pecunia, frumentumve, aut aliud eiusmodi piis aliquibus viris, præsertim verò locorum piorum curatoribus, qui pauperibus distribuant alio loco, quàm apud monasteria. 4. De Mon.

53 Medicamenta, si quæ Episcopus, aut alius

superior vendi, aut foras dari permiserit, ab aromataria seniore solùm dentur, & ab alia præterea nulla, nec verò priuato, sed monasterij nomine, vendantur, denturuè.

54 Moniali nè liceat ijs, qui extra claustra sunt, vel medicamenta parare, præbereve, vel manum medendi causa admouere, vel remedia exponere, vel aliud quicquam ad rem medicam pertinens exercere.

4. Ibidem. 56 Caminus si quis in priuatis cellis extructus est, perpetuò ita obstruatur, vt in eo ignis accendi nullo modo queat.

Cùm vel fenestra, vel ostium, vel caminus obstruitur, illius cardines sic euellantur; vt non ad tempus, sed ad perpetuitatem id actum sit; Idem in fenestris, ostiis, & caminis iam obstructis, seruetur.

4. Ibidem. 57 Intra monasterij septa nemini alij, nisi monialibus sepulchrum, aut sacer sepulturæ locus detur, sitvè. Nec verò monialium cadauera extra septa efferantur ad sepeliendum.

58 Ad tuendam etiam clausuram ea cautio adhibeatur, vt neque triticum, neque aliæ fruges, neque annona in vllis monasteriis, præterquam ad monasterij vsum, & necessitatem asseruentur.

5. Quæ ad Mon. pert. Sess. 25. ca. 5. de reg. & Mon. 59 Meminerit Episcopus, se, vt est Bonifacij octaui Pontif. & Concilij Tridentini edita sanctio, diuinij iudicij obtestationem, ac maledictionis æternæ exterminationem esse subiturum, si in monialium, etiam quæ ab sua iurisdictione liberæ, immunesque sunt, clausura restituenda, atque adeò conseruanda se negligenter gesserit.

Quare studiosè in eo euigilet pastorali sollicitudine; vt non modo in monasteriis suæ curæ, iurique subiectis, verùm in illis, quorum curationi regulares cuiusuis ordinis præsunt, illa omni ex parte, vt diligentissimè fieri potest, seruetur, propositis etiam Tridentini eiusdem Concilij, & arbitrij sui pœnis.

3. Ibidem. 60 Contra moniales item, & illas etiam, quarum curam Regulares gerunt, si quando è clausuræ finibus exierint, facultate à sede Apostolica non impetrata, censuris Ecclesiasticis, aliisque iuris remediis agat, prout è re esse viderit.

4. De Mona. 61 Viri aliquot pij, ij denique solertes ab Episcopo deligantur, qui, festis præsertim diebus monialium monasteria, etiam regularium iuri curæve subiecta, adeant, forisque vndique perspiciant, si quid contrà quàm de illis præscriptum est, fiat, agaturve; anque quisquam sit, qui facultate non impetrata, cum illis colloquatur.

62 Monialium monasteria, &c. *Tit. de Visit. numero 27.*

6. Quæ ad Mon. pert. Episcopus autem, cùm clausuras monialium, etiam earum, quæ Regularium curæ, iurisdictionique subiectæ sunt, visitabit, de clausuræ custodia, & decretorum, quæ ad eam rectè tuendam, quouis modo pertinent, vsu, atque obseruatione, moniales, etiam singulas, vt opus esse viderit, diligenter interroget.

5. De Mon. Sess. 25. ca. 5. de reg. & Monial. 63 Quæ monialium monasteria extra vrbis, aut oppidi mœnia sita, Episcopus Tridentini decreti auctoritate, in vrbem, vel oppida frequentiora, vt tuta sint, transferri oportere, aut expedire censuerit, nè ea in Ecclesias sæculares transferat, vbi animarum cura geritur.

64 Si quando moniales, legitima facultate, ad aliquod monasterium transferri contigerit; eam curam, cogitationemque Episcopus suscipiat, vt quò à paucissimis conspiciantur, benè manè, sub auroram scilicet, à viris ætate, moruмque honestate grauibus, cognationeque propinquoribus eò deducantur. 5. Quæ ad Mon. pert.

Quæ in hoc Tit. desiderantur, videantur in Titulis, De Ecclesia interiori, & exteriori Monial. & De Monasterio earumdem.

De Conuersis.

SVMMARIVM.

1 *Conuersæ moniales, qua ætate, quam ob causam quaque facultate exire possint è monasterij septis: & egressæ quæ caueant, quæque obseruent.* 2.

4 *Contumaces, vt puniendæ.*

Conuersæ orationem mentalem quando habeant. De diuin. off. 4.

Eleemosynam facere, donare, vendere quæ prohibentur. De Communi vitæ vsu. 13.

1 Conuersis minimùm quadraginta annos natis, & Superiori probatis, facultas sit exeundi è septis monasterij, propter negotia monasterio necessaria, permittente tamen præfecta, quotiescumque exeundum fuerit. 1. de Conuersis.

Cui etiam liberum sit, eas, si ità videbitur, intra septa semper retinere quod vt faciat, si modò possit, eam vehementer cohortamur.

Ad funera autem nè prodeant, nisi quæ ordinis sint mendicantium.

2 Exeuntes verò binæ prodeant; neque longius discedant, altera ab altera, quàm vt se inuicem aspicere, & audire possint.

Quibus si ex vrbe egredi contigerit, semper in eodem lecto somnum capiant.

Caueantque nè in cuiusquam famosæ personæ domum introeant, etiam si illa de monasterio benè merita fuerit.

Neuè in domiciliis, vbi aliæ honestæ mulieres non habitent, pernoctent.

Neue literas, aut mandata clàm perferant.

Aut quidquàm inane monialibus recenseant, quod foris viderint, aut audierint.

Delinquentibus pœna sit, carcer, aut etiam grauior, arbitratu Superioris.

3 Quod sanctissimus D.N. Gregorius XIII. de monialibus sanciuit; id Episcopus exequatur quàm diligentissimè, præsertim quod de certo earum numero constituendo decreuit, quod de eleemosynis præstandis, quod de ostiolo obstruendo quo aditus è monasterio patet ad exteriorem Ecclesiam; quod de clausura ab eisdem non violanda, & à conuersis etiam seruanda, præscripsit. Idque omne efficiat omninò, vt executionem habeat, cùm in Monasteriis, quorum curam gerit, tùm in illis Regularium curationi commissis: idque eiusdem constitutionis auctoritate. 5. d Mon. & reg.

4 Si quæ autem moniales, conuersæ non iis paruerint, quæ eadem sanctione de clausura statuta sunt; pœna violatæ clausuræ plectantur.

De Mulieribus Pœnitentibus.

SVMMARIVM.

1 *Mulieres pœnitentes, quarum consensu ad professionem recipiendæ.*

2 *Eæ in dote, ætate, renunciatione, & quibus aliis, vt moniales, dum recipiuntur, & profitentur, non habendæ.*

6. Quæ ad Mon. pert. 1 Regulæ constitutionesuè speciatim editæ de pœnitentibus mulieribus, quæ professionem emittunt, seruentur, ne in iis recipiendis consensus duarum partium monialium requiratur, vt Concilio Prouinciali primo sancitum est: id quod in aliis solùm monialibus locum habere hoc loco declaratur: sed maior pars satis sit, etiam in professione emittenda.

2 Nec verò in earum mulierum domiciliis certus numerus constituatur; nec rursùs in iis locum habeat, quod de eleemosyna loco dotis alimentiuè, eiusque summa, & addictione in monialium monasteriis præstare decretum est: sed illud in necessariis alimenti expensis erogetur: reliquum autem in alias monasterij necessitates, aut in bonorum immobilium emptione arbitrio superioris conuertatur.

Iis mulieribus liceat professionem emittere, ea ætate, eoque temporis probationis spacio, quibus iure communi liceat, aut earum constitutionibus speciatim cautum est.

In earum prætereà renunciatione, & obligatione, constitutiones earum, & earum superioris, aut ius commune seruetur.

Neque nouitiæ, si quid in anno probationis dederint, mulieresue acceperint, pœnis plectantur, nisi speciatim aliter caueatur.

Mulieres item, quas absoluto probationis anno, non habiles esse, neque idoneas ad professionem compertum est; aut se proficeri illæ recusauerint, è monasteriis nisi causis iure permissis, nè eiiciantur. Verum Episcopus probationis, nouitiatusque tempus proroget, licet.

Ne verò item, quæ mulieres habiles non sunt ad officium, velumque nigrum suscipiendum, etiam si domus illa conuersis opus non habeat, contrà institutum repellantur.

De Puellis Sæcularibus, quæ in Monasteriis educantur.

SVMMARIVM.

1 *Puellæ sæculares educationis causa in monialium monasteria introductæ post annum exeant.*

2 *In posterum non recipiantur, nisi Superiore permittente.*

3 *Quibus Puellis non permittendum: egressæque vt iterum recipiendæ.*

4 *Receptæ, quo habitu induantur, & cum quibus non colloquantur.*

5 *Quo loco dormiant.*

6 *Earum educationis causa quantum soluendum.*

7 *Si moniales fieri nolunt, quæ seruanda.*

8 *Domi suæ viuentes, quæ cum monialibus non agant.*

1 Puellæ sæculares cuiusuis generis, conditionis, & ætatis, quæ, nunc in clausura monasterij, educationis, aliauè causa commorantur, post annum è monasterio exire cogantur; nisi omnibus iis præditæ, quæ ad suscipiendam religionem, monasterij institutis, Tridentini Concilij, & harum constitutionum decretis requiritur, monachalem vestem sumere voluerint. Episcopis tamen facultas permittitur probabili de causa prorogandi tempus suo arbitratu, consentiente Superiore Regulari in iis monasteriis, quæ ei subiecta fuerint. 1. De Puellis sæc. quæ in Monial. educ.

2 In posterum puellæ educationis causa, in monasteria nè recipiantur, sine licentia, scripto permissa ab Episcopo, ac Superiore Regulari, si ei subiectum fuerit monasterium, cui etiam prius accesserit scriptus Metropolitani consensus.

3 Hæc autem licentia non concedatur puellis, quæ habeant, à quibus regi, & educari commodè possint, aut iis, quæ decimum annum non compleuerint, aut maioribus quindecim annis.

Quæ semel exeunt è monasterio, amplius, aut in illud, aut in in vllum prætereà aliud admitti non possint; nisi cum moniales fieri voluerint.

4 Huiusmodi autem puellæ nigri tantummodo, aut fusci, vel albi coloris vestes, non sericas adhibeant; nullo prætereà exquisito ornamenti genere vtantur; nè sint cincinnatæ, neve habeant inaures, nec monilia, aut eius generis inanes delitias.

Cum propinquis, aliisve externis nè colloquantur: nisi eisdem seruatis, quæ suprà de monialibus eo in genere decreta sunt.

5 Dormiant, cibum capiant, versenturque loco separato à monialibus iis exceptis, quæ ipsis regendis, & instituendis præpositæ sunt: cum nullaque moniali consuetudinem habeant, pręterquam in Ecclesia; cùm Missa aut diuina officia celebrantur.

6 Puellarum alimenti, & educationis causa quotannis monasterio non minus soluatur triginta aureis: cuius pecuniæ dimidium in singulos sex menses repræsentetur. Quod si ea pecunia per ipsos sex menses non numerata fuerit; puellæ ad suos remittantur, quos magistratus monasterio omninò satisfacere cogant.

7 Quæcumque ex iis puellis monialis fieri voluerit, ad propinquos suos mittatur, aut ad eos, qui ipsius curam habent, apud quos saltem per mensem maneat, priusquam ab Episcopo, aut ab eius ministris examinetur. Idque vt facilius, ac melius eius libera voluntas exquiri, & explorari possit.

8 Puellas verò, domi suæ foris viuentes, neque literas, neque vllam omninò artem monialibus docere liceat; nè ad fenestellas quidem, aliauè collocutionis loca. Quod, si id monialium præfecta quouis modo permiserit; semestris administrandi officio priuetur,

De Concionatoribus, Confessoribus, Visitatoribus, Capellanis, & Procuratoribus Monialium.

SVMMARIVM.

1 *Concionatores monialium quales; iisque quando, & vbi illis concionentur, & à quibus deligendi.*
2 *Concionatoribus ipsis quando cum monialibus colloqui non licet.*
3 *Confessores monialium quales, & quando earum peccata audiant; & Eucharistiam administrent.*
4 *A quo probandi*
5 *Quando mutandi: & quando priuandi. 8.*
6 *Intrà monasterij septa non ingrediantur, septaque ingressi, à quot monialibus comitandi.*
7 *In foresteriis quando comedant, & dormiant. & De Monast. Monial. num. 33. in fi.*
Confessionum locus qualis. Ibid. num. 31.
9 *In eisdem foresteriis comedentes, ac dormientes Regulares, & Clerici alij, vt puniendi.*
13 *Regularibus monialium fratribus, quando cum eisdem monialibus colloqui liceat.*
14 *Confessorum socij quales, & cum quibus monialibus colloqui possint.*
15 *Confessor extraordinarius monialibus dandus.*
16 *Confessor ordinarius, extraordinariè illarum confessiones non audiat.*
17 *Confessores dona à monialibus non capiant. & num. 20.*
Confessariis stipendium in pecunia dandum. 22.
Visitatores monialium quando in foresteriis vesci, & cubare possint. 10.
Iidem dona à monialibus non accipiant. 11.
Quando illis monialium sumptu viuere liceat. num. 12.
18 *Capellani monialium quales; & à quibus deligendi. Et qua facultate. De Missis sine cantu, num. 36.*
19 *Cum quibus monialibus colloquantur.*
Munera à monialibus non capiant. 20.
21 *Missarum celebrandarum munus à monialibus non suscipiant.*
22 *Capellanorum stipendium pecuniarium sit.*
23 *Procuratores, Famuli, Ministrique* } *Monialium quales, & à quibus probandi.*
24 *Procuratores, quibus, & quando rationem reddant.*
25 *Illis certæ regulæ præscribendæ: à quibus nullum donum capiendum, suprà num. 20.*
26 *Inuentarium bonorum ab eisdem conficiendum, & in Archiuum Episcopale deferendum.*
27 *Vicarij perpetui in Parochialibus Ecclesiis Monasteriis annexis, constituendi.*

1. Concio. &c. Mon. 1 QVi monasteriis præsunt, doctos, prudentes, ac pios concionatores adhibeant, qui bis saltem in singulos menses ad cancellos collocutionis monialium, vel ad fenestellas Ecclesiæ, Dei verbum prædicent, easque erudiant in omnibus, quæ ad Dei cultum, & sempiternam salutem consequendam pertinent:

2 Concionatoribus autem nè liceat cum monialibus separatim colloqui nisi eis à Superiore monasterij licentia permittatur.

3 Præficiantur etiam monialibus confessores, & ætate prouecti, & prudentes, & Deum timentes; qui semel saltem, in singulos menses audiant peccata monialium: eisque sacrosanctum Eucharistiam administrent; quemadmodum sacrum Tridentinum Concilium debere censuit. Sess. 25. ca. 10. de reg.

4 Nemo Regularis peccata monialium possit audire: nisi prius à generali Capitulo, aut sui ordinis Generali, aut eo absente, ab ipsius Vicario generali probatus fuerit: cuius rei fidem fecerit Episcopo eius loci, vbi fuerit monasterium, aut eius Vicario.

5 Omnes Monialium, & Sæculares, & Regulares Confessores, confecto biennio, aut ad summum triennio, mutentur: nisi iusta aliqua, aut necessaria causa Episcopo, aut eius ordinis Generali, si Regularibus subiectum sit monasterium, postulare videatur, vt illis tempus prorogetur.

6 Iidem monasterij septa ingredi non possint: nisi id eis à superiore aliqua de causa concessum fuerit; excepta causa administrandi sacramenta ægrotis monialibus, cùm graui, & periculoso morbo laborant: quo tempore dùm intra septa commorantur, eos duæ, aut tres moniales, quæ ætate cæteris præstent, comitentur. Eædemque omnes prosequantur, quicumque septa monasterij introierint, etiam Superiores, ac visitatores facta prius significatione sonitu minoris campanæ monialibus se recipiendi: quam consuetudinem, nisi præfecta seruarit, officio moueatur superioris arbitrio.

7 Confessores in monasteriorum locis, quos foresterias vocant, cibi capiendi causâ nè morentur, nisi confessionis tempore.

Neque tum etiam ibi noctu cubent; nisi cùm alicui ex monialium numero mors instaret, vt præstò esse possint administrandis sacramentis, & reliquis pietatis officiis; aut cùm propinquum monasterio domicilium non habent: vt in multis monasteriis, quæ sunt in Diœcesi.

Nemini autem confessori sæculari, aut Regulari assiduè habitare liceat foris in foresteriis, & ædibus monialium: aut earum sumptibus ibi viuere: nec, si in iis locis dormitur, quæ monasterium attingunt, fenestræ, aut rotæ sint. Et si sunt, statim muro obstruantur: vt nihil à monialibus, quod in eo loco agatur, aut dicatur, aspici, aut audiri possit.

8 Qui verò confessores in iis deliquerint, statim, & officio priuentur: & facultas tùm adeundi illud monasterium: tùm diuina administrandi eis arbitrio Superioris adimatur. Ibidem.

9 Eandem pœnam subeant omnes Regulares, & alij cuiusuis generis Clerici, qui cibum, aut somnum capient in locis collocutionum, ad foresteriis monialium: aut munera alicui moniali, quæ secundo, arctiorive cognationis gradu coniuncta non sit, dederint, aut ab ea acceperint.

10 Superiores tamen, suo arbitratu, cum illis colloqui, & in foresteriis vesci, & cubare possint, quo tempore visitant monasteria: si tamen ibi fratrum sui ordinis monasteria non habeant,

Quæ si sunt, apud eos diuersari debent, neque graues esse monialibus.

11 Iidem pecuniam, munera, aut præmia à monialibus nè accipiant; quo illæ apertè intelligant in eiusmodi visitatione tantummodo ab eis consuli Dei gloriæ, & monialium saluti.

12 Liceat verò iis Superioribus, qui premuntur inopia, sumptu monialium viuere, cùm eas visitant, aut adeunt alia de causa, quæ ad ipsarum vtilitatem spectet.

13 Regularibus, qui fratres sint monialium, permissu Superiorum quemadmodum, suprà dictum est, semel in singulos annos cum sororibus monialibus tantùm colloqui liceat: idque præsentibus iis, quæ collocutioni præpositæ sunt, quod, si illi aliquos secùm adduxerint, ij cum monialibus omninò nè colloquantur, proposita ea pœna, quæ superius colloquentitibus sine licentia est constituta.

14 Socij confessorum Regularium sint ætate prouecti, & Superiori suo probati, neque cum vlla moniali colloqui possint, nisi cum præfectæ, & rotæ, aut foresteriæ, præposita, si quid opus sit confessoribus, tùm cùm peccata audiunt, eiusdem pœnæ periculo.

Sess. 25. ca. 10. 15 Prætereà Superiores ex decreto sacri Tridentini Concilij quotannis idoneum confessorem extraordinarium monialibus sibi subiectis exhibeant, cui curent, vt vniuersæ confiteantur vt quæ huiusmodi indigent medicina propter aliquem occultum animi morbum, neque ipsæ eam postulare, aut accipere ab vsitato confessore vnquàm auderent, liberius mederi suis malis possint: ac diaboli laqueos euadere, vnà cum reliquis confessori nouo sua peccata confitendo.

3. De Mon. & reg. 16 Qui ordinarius confessor, in aliquo monialium Monasterio constitutus aliquando fuerit, nè idem ad earum confessiones extraordinariè audiendas mittatur; si modò non aliter quandoque Episcopus censuerit.

17 Confessarij monialium ab eis, aut singulis, aut vniuersis, aut ab earum Præfecta, nè monasterij quidem nomine, quidquam, etiam minimum dono accipiant: nisi, si quid eis annuæ certæ portionis Episcopi iussu datur ad vitæ sustentationem.

1. Ibidem. 18 Sacerdotes, qui in monialium Ecclesiis publicis rem diuinam facturi sunt, benè audiant, bonis moribus sint: & ab eo etiam approbati, qui monasterio præsidet.

Ex quibus, qui à monialibus mercede conducuntur, non ab illis, sed à Superiore, aut eius iussu à confessore monialium deligantur.

19 Qui nisi eis facultas scripto concessa sit, cum monialibus nè colloquantur, nisi cum iis, quæ sacristiæ præsunt; quibuscum ad rotam Ecclesiæ quàm breuissimè loquantur de his tantummodò rebus, quæ ad Missæ sacrificium sint necessaria.

4. De Mon. 20 Confessarij, & Capellani item Sacerdotes monialium, & ministri prætereà, quos illarum curæ Episcopus præfecerit, quicumque sint, nè munus vllum, nè minimum quidem, nec verò esculenta, poculentave ab illis vllo nomine neque publico, neque priuato capiant accipiantve, pœna proposita eiusdem Episcopi arbitratu irroganda. Neque prætereà quicquam capiant dono, ea specie, prætextuve datum quod res eiusmodi sint, quæ Ecclesiastico vsui inseruiant, qualia sunt corporalia, purificatoria, indumenta Clericalia, sacræ imagines, & alia id generis.

Nec verò item aliud, manuum opere elaboratum, artificioseue confectum, ab illis accipiant, ac ne laborem quidem, opusve, quod in vestibus vel purgandis vel sarciendis, vel reficiendis ponitur.

21 Caueant item Capellani Sacerdotes, nè ab vlla moniali priuatim, sed à monasterij præfecta, aut ab illa, quæ sacristiæ præposita est, munus missas celebrandi suscipiant. Cum qua præfecta, præpositauè solùm; nec verò cum aliis monialibus colloquantur, tum de rebus scilicet, quæ ad suum munus solum modo pertinent.

Idemque hoc de genere toto à monialibus seruetur, pœna tum illis, tùm Capellanis proposita, Episcopi arbitrio.

22 Quibus verò Confessariis, Capellanisve Sacerdotibus aliquid annui stipendij ad vitæ sustentandæ vsum Episcopi permissu dandum videbitur, id omninò certa pecuniæ summa detur: nisi aliquando Episcopus aliter concesserit, nempè loco pecuniæ triticum, vel vinum, vel aliquid eiusmodi dari.

23 Præfecta monialium neminem ad monasterij famulatum, & procurationem admittat, cuius ætas, & mores earum Superiori probati non sint. 1. Ibid.

Eiusdem etiam superioris sit approbatio eorum, qui nunc monialibus inseruiunt. Quo in numero medici, tonsores, furno, aut pistrino præpositi, cæterique omnes intelligantur, quibus in monialium septa introeundum sit.

24 Qui monasterij res procurant, quotannis suæ administrationis rationem reddiant iis, quos diximus: & ad duos menses bonis prædibus caueant Cancellariis Episcoporum, se fideliter rationem reddituros suæ administrationis, quod si facere neglexerint, officio priuati censeatur.

25 Monasterij vniuscuiusque curatoribus, procuratoribus, patronis, defensoribus ab Episcopo certæ regulæ præscribantur: ex quibus cognoscant singulas muneris sui partes: ij verò curatores, & id generis ministri ab Episcopo singulis monasteriis, curæ suæ subiectis, illos non habentibus constituantur: ita tamen, vt eiusdem Episcopi arbitratu à muneris illius cura omnes, & singuli semper amoueri queant. 4. Ibidem.

26 Bonorum & iurium omnium, ad monasterium quodcumque, etiam regularibus subiectum, pertinentium, inuentarium, probabili forma conscriptum, sex mensium spatio, ad Archiuum Episcopale ab iis, quorum interest, deferatur, nè fraus vllo modo fiat, numero monialium ab Episcopo præfinito.

Quamobrem si quas etiam alienationes eorum bonorum, iuriumque fieri deinceps contigerit, de iis Episcopus certior fiat. 1. Ibidem.

27 In Parochialibus Ecclesiis, quæ monialium monasteriis annexæ sunt, perpetui Vicarij, ex formula Tridentini Concilij præscripta, ab Episcopis constituantur. Sess. 7. ca. 7 Sess. 25. c. 11 de reg. & Monial.

De propria Regula, & Constitutionibus his assiduè legendis.

SVMMARIVM.

1 *Regulæ monasteriorum quando monialibus legendæ.*
2 *Constitutiones conciliares quando eis quoque euulgandæ.*
3 *Ea præfectæ exemplo, & auctoritate seruandæ.*
4 *A Confessoribus, vulgariter redditæ, explicandæ.*
5 *Ab iis etiam obseruandæ, quæ arctiori regulæ adstringuntur.*

1.De Prop. reg.& constit. his assid. leg. 1 QVia moniales, quæ professæ sunt, non solum Dei, & sanctæ Ecclesiæ præcepta, quæ Christianis omnibus præscripta sunt; sed etiam suæ regulæ, & ordinis leges, & instituta seruare debent; operæ pretium erit, illius suæ vocationis, & professionis debitum officium in memoriam quàm sæpissimè reuocare. Ideò in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, vt in singulis monasteriis ab aliqua moniali, cæteris professis audientibus, quotidie legatur saltem caput vnum constitutionum regulæ, aut ordinis, cui adstrictæ sunt, cuius lectionis initium fiat à primo, & ita procedatur ad extremum; ac deinceps ad primum caput redeatur: vt eodem ordine, ac progressione seruata, numquam sacræ huius exercitationis vsus intermittatur.

2 Prætereà has etiam constitutiones frequenter legi iubemus, vt crebra salutarium præceptorum commemoratione moniales in obeundo suo munere diligentiores euadant.

3 Qua in re præfectam monemus, vt cæteras ad summam legum obseruationem non minus exemplo suo inuitet, quàm auctoritate compellat.

4 Denique præcipitur omnibus monialium confessoribus, vt illis vniuersis semel legant, & explicent omnia hæc decreta: quæ in vulgarem sermonem conuersa, ad communem prouinciæ vtilitatem primo quoque tempore curabimus edenda: eaque vt omninò, quemadmodum debent, seruent, vehementer cohortentur.

5 Quæ moniales arctioribus constitutionum regulæque vinculis adstrictæ viuunt; non is est animi nostri sensus, vt ab illis, susceptæ vitæ institutis discedant; sed vnà cùm iis hæc quoque decreta ab illis seruari iubemus.

De Censuris.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatis denunciandis, quod Episcopi, & quod Parochi officium. 8.*
2 *Excommunicati tribus mensibus in excommunicatione permanentes, quibus Episcopis denunciandi: quibus illorum absolutio significanda.*
3 *Excommunicationem per annum sustinentes, vt plectendi.*
Interdictum, & denunciatio Paschæ tempore non communicantium, quaque cautione illud relaxandum. De sanctâ Euch. in Eccl. adm. nu. 8.
4 *Interdicti / Excommunicatique.* } *moniti vt ab Eccl. exeãt. si non obedierint, à Sede Apostol. tantũ absoluẽdi.*
5 *Interdicta Episcopalia, censuræque aliæ, à Regularibus promulganda, & seruanda.*
Excommunicatorum / Interdictorumue. } *nomina Regularibus, & infrà quod tẽpus, mittẽda.* 9
6 *Eadem ad Episcopalem Cancellarium per Parochum deferenda.*
A Cancellario ipso in tabellam referenda: eaque tabella in Cancellaria asseruanda. De Cancellario. num. 31.
7 *Alia quoque tabella in Sacristia retinenda.*
Exilioque mulctati. / Suspensi Clerici } *in tabella eadem, vt referendi. Ibid. num. 33.*
Excommunicati / Interdictique } *quò diutius absolutionem petierint, eo grauius puniẽdi. Ib. in fi.*
10 *Excommunicationum, & aliarum censurarum ius à Parocho explicandum: à quo etiam docendum quemadmodum peccata euitentur.*
11 *Excommunicationes omnes in tabellam relatæ, quando, & vbi publicandæ.*
Excommunicationes, censuræque aliæ, tàm latæ, quàm ferendæ, Tridentinis & Prouincialibus decretis contentæ. In indice, verbo. Excommunicatio. Interdictum, suspensio, videndæ.
Excommunicationum litteræ, pro rebus deperditis, vt concedendæ, remissiuè. De foro Episc. 23. & seq.

1 QVò diligentius studeant, qui excõmunicationis pœna affecti sunt, in sanctę matris Ecclesię gremium restitui, ac nè alij eorumdem commercio consuetudineuè per imprudentiam vtantur, nos veterum Canonum auctoritatem sequuti, id iubemus, vt Episcopus, cùm excommunicationis sententiam contra aliquem tulerit, eumque excommunicatum, palam denunciari iusserit, eius nomen, & cognomen, tùm ad Cathedralis, & propriæ Parochialis Ecclesiæ valuas affigi, tùm descriptum mitti curet Parochis, & vrbanis, & Diœcesanis: qui primo saltem cuiusque mensis Dominico die illum populo excommunicatum denuncient; neque hoc agere desistant, quò ad ipsis Episcopus significarit, eumdem matri Ecclesiæ reconciliatum esse. 1. Tit. 1. dec. 21.

2.3. Quod si tres mẽses is excommunicationis vinculo irretitus permanserit; illius nomen, & cognomen Episcopus tùm reliquis huius Prouinciæ Episcopis, tùm illis prætereà denunciet, ac significet, quorum Diœceses sibi finitimæ sunt. Cùm autem ille ipse ad matris Ecclesiæ gremium redierit, quibus anteà illum excommunicatum Episcopus denunciauerat, iis eundem absolutum quàm primùm significet. Quòd si quis per annum in excommunicatione permanserit; ad Episcopum Parochus eum deferat, vt contrà illum agatur, quemadmodum & canonum iure, & summorum Pontificum sanctionibus decretum est.

4 Et verò publicè excommunicatos, interdictosve, qui à Sacerdote celebrante, vt ab Ecclesia exeant, nominatim moniti, permanere ausierint, excommunicationis vinculo irretitos esse, neque ab alio, nisi à sede Apostolica solùm, absolui posse, ostendat Parochus vt De Episcopo, Episcopali iur. & foro.

Clementis Quinti sanctione cautum est.

5 Interdicta ab Episcopo promulgata, non solum, quæ vniuersos, sed quæ singulos etiam attingunt, ab ordine omni regularium in suis Ecclesiis, & promulgentur, & seruentur item, vt Tridentinum decretum iubet.

Sess. 25. ca. 12. de reg.

6 Parochus cùm aliquos, vel excommunicatos, vel interdictos pronunciarit, eorum nomina, cognomina, & diem, quo excommunicati, interdictiuè sunt, quàm primum ad fori Episcopalis Cancellarium deferat. *Quod sequitur, vide De Cancellario.*

6. Quæ ad Pœnit. sac. pert.

7 Iubeat Episcopus in omni sacristia certo conspicuo loco tabellam affigi, in qua eorum, qui interdicti, aut excommunicationis vinculo irretiti sunt, nomina, & cognomina rectè descripta, in omnium conspectu sint; vt, & si quandoque fortassè præsentes sint, à diuinis officiis, Ecclesiaque eiiciantur.

8 Et si contrà Concilij Prouincialis decretum in ea censura perstiterint, in singulos menses ad eiusdem præscriptum de more denuncientur.

9 Illorum præterea singulorum nomina, & censuræ item, qua affecti sunt genus, octo post diebus, quàm interdicti, excommunicatiuè sunt, ad Regulares quoque mittantur, vt cum istis ipsi etiam agant ad præscriptum constitutionis, quam Summus Pontif. Bonifacius VIII. eo de genere edidit. Quod si contràfecerint, pœnas subibunt ea ipsa constitutione sancitas.

5. De iis, quæ ad pœnit. sac. pert.

10 Quò diligentius fideles caueant, nè excommunicationis vllius vinculis irretiantur: hoc Parochi sæpè præstent, vt eos sæpe doceant, quàm grauis excommunicationis pœna sit: & quàm valdè omni studio cauenda: idque ad præscriptum faciant instructionis, quæ cura nostra ad prouinciæ vsum conficietur.

Idem illi efficiant ex præscripta similis instructionis formula ad ea peccata detestanda, quæ frequentius à suæ Parochiæ hominibus committi animaduerterit.

5. Ibidem.

Non solùm excommunicationis, vt tertio Concilio decretum est; sed etiam interdicti, aliarumque censurarum vim, & potestatem Parochus iis sermonibus, concionibusuè aliquando explicet, quos ad populum habet.

11 Quæcumque excommunicationum sententiæ, vel Summis Pontificibus, vel Tridentini, aliorumque generalium, & Prouincialium Mediolanensis Conciliorum decretis, vel Diœcesanarum cuiuscumque vrbis Synodorum constitutionibus latæ sunt, quibus ipso facto, vel iure homines irretiuntur; hæ omnes, summatim vulgari sermone expressæ, & in tabellam aliquam ordine relatæ, die primo Dominico Quadragesimæ in singulis Cathedralibus Ecclesiis, de suggestu frequenti populo de scripto legantur, quò fideles meminerint, diligenter ab illis cauendum esse. Idque etiam fiat in Parochialibus illis Ecclesiis singulis, vbi id fieri Episcopus expedire censuerit.

De Pœnis, & Mulctis.

SVMMARIVM.

1 *Pœnis, his constitutionibus statutis, non derogatur aliis per sacros Canones & Trid. Concil. constitutis.*

2 *Mulctæ Ecclesiasticis impositæ in Episcopi commodum non conuertendæ.*

3 *Quibus illæ assignandæ.*

4 *Quando Seminario applicandæ.*
Et quando locis piis. 10.

5 *Notarius illarum attributionis rogatus infra triduum pia loca admoneat.*

6 *Mulctæ laicis irrogatæ vt diuidundæ.*

7 *Quibus non remittendæ: & qualiter cõmutandæ.*
Mulctæ Canonicis constitutæ, Sacristiæ, aut fabricæ Ecclesiæ applicandæ. Tit. sequenti, num. 12.
Vsum in alium non conuertendæ. Ibid.
Eæ in certum librum referendæ. De foro Episc. numero 19.
Earum quis particeps non sit. 2. Ibid. num. 20.
Beneficiis quando Clericos priuare liceat. De vita & hon cler. 100.
Pœnæ, mulctæuè omnes, tam certæ, quàm arbitrariæ his sex Conciliis comprehensæ, in Indice verbo, Pœna, Mulctæuè, videndæ.

1 Quibus pœnis, nostris in hac Prouinciali Synodo decretis, delicta coercemus, nihil de illis animaduersionibus derogamus, quas veteres canones, & sacrum Tridentinum Concilium in eadem peccata constituerant. Quare negligentes, vel contumaces, & illis, & his pœnis puniendos decernimus. 1. De Pœnis.

2 Quotiescumque delicti causa Clerici mulctandi sunt, quæ ab illis exigenda erit pecunia, nullo modo ad Episcopum perueniat; in eiusve commoda quauis ratione conuertatur, sed idem Episcopus parte pecuniæ, quæ tertiam non superet, assignata delatori, reliquam piis operibus, aut locis, quibus ei videbitur, omninò attribuat.

4 Quam pecuniam, si qui piorum locorum, aut operum administratores intrà mensem ab eo die, quo solui debet, numerandam non exegerint; ea Seminario iàm nunc adiudicata intelligatur.

5 Notarius autem, qui attributionis instrumenta confecerit, triduò ea de re loca pia, quorum interent, admoneat, alioqui eis sua pecunia satisfaciat.

6 Mulctas verò, quæ ob delicta Ecclesiastica, vel mixti fori, laicis, à iudicibus Ecclesiasticis irrogabuntur, ad hunc modum diuidi volumus.

Vt tertia parte piis locis, aut operibus, eadem, qua supra diximus, conditione addicta, tertia ad fiscum principum sæcularium pertineat; reliquum accusatori detur.

7 Quibus verò tùm Clericis, tùm laicis pecuniæ mulcta imponenda fuerit, si sint soluendo, ne eis pecuniam remittant Episcopi, nisi graui de causa, quod iudicium eorum conscientiæ periculo sit, sin inopes sint, pecuniam aliqua alia salutari pœna commutent, quæ eius generis sit, vt peccatorum vulnera contrariis remediis curentur.

Quæ generatim ad hæc decreta Prouincialia, & alia pertinent.

SVMMARIVM.

1 *Decretis his Conciliaribus concessa Episcopis facultas, eorumque ministris gratis est concedenda.*

2 *Facultas ipsa Episcopis cõcessa, in quibus ad suos Vicarios extenditur, & in quibus non.*
3 *Decretorum Conciliarium declaratio, & interpretatio Metropolitano reseruata.*
4 *Decreta, in quibus ad Ecclesias Ambrosianas extendenda: & in quibus non.*
5 *Eorum publicatio, & affixio, vbi, & quomodo facienda, & quando valere incipiat.*
6 *Lectio eorundem in Synodo.*
Quoque alio tempore. 8. & seq.
Decreta ad Ecclesiasticos quoscumque laicos pertinentia, vbi, & quando legenda, & denunciãda. 9. 10.
7 *Asseruatio illorum vbi facienda.*
11 *Decretis his, & aliis sanctionibus publicandis, certus dies præscriptus, ab Episcopo mutari potest.*
Illorum non obseruantium pœnæ. 13.
12 *Mulctæ, decretis Conciliaribus constitutæ, nec certis locis attributæ, Sacristiæ, vel fabricæ, tantum applicandæ.*
14 *Gratiæ Deo agendæ, pro rebus Conciliaribus benè peractis.*
15 *Abusus quauis causa in Indulgentias introducti à Metropolitano ad Summum Pontificem deferendi.*
16 *Cathedralibus Ecclesiis, quarum fructus tenues, vt prospiciatur, quod in Synodo actum.*
17 *Constitutiones, & priuilegia Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum recognoscenda, an repugnent decretis Tridentini Concilii.*
18 *Postulatio facienda à Summo Pontifice per Comprouinciales Episcopos ità habenda, ac si in Sessione facta fuisset.*
19 *Decreta omnia sanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio, & auctoritati subiiciuntur.*

1. De Pœnis & aliis, quæ generatim ad has Cõstit. pert. 1 QVidquid consensus, approbationis sententiæ, vel alio huiusmodi nomine, Episcopi ex facultate, in hac Synodo eis permissa, concesserint, & ab ipsis, & ab eorum quibusuis ministris, gratis omninò detur.

4. De foro episcopali. Quicquid consensus, approbationis, facultatis, licentiæuè, vel alio huiusmodi nomine ex huius, vel superiorum Conciliorum Prouincialium decretis ab Episcopo impetrandum est, eiusuè auctoritate concedendum, id, & ab ipso, & ab eius Cancellario, & quibusuis ministris gratis omninò semper detur, etiam quò ad scriptionem attinet.

1. Ibidem. 2 Quamcumque facultatem ex decretis in hac sacra Synodo editis; habent Episcopi, eam ipsos per suos Vicarios exequi posse volumus: nisi in iis, quæ propriè ad ordinem Episcopalem pertineant, aut in quibus Vicarii à sacris Canonibus, aut à Concilio Tridentino, vel à nobis expresè exclusi sunt.

3. Quæ gener. ad hæc dec. & ad alia pert. 4. & 5. de eodem. Quamcũmque facultatem ex decretis in hac tertia Prouinciali Synodo Mediolanensi à nobis editis, habent Episcopi; eam, ipsos per suos Vicarios generales exequi posse volumus; nisi in iis, quæ propriè ad ordinem Episcopalem pertineant: aut in quibus Vicarii à sacris Canonibus, aut à Concilio Tridentino, vel à nobis expresè exclusi sunt.

6. De codẽ. Quamcumque facultatem ex decretis in hac Prouinciali Synodo Mediolanensi sexta per nos editis habent Episcopi, eam ipsos per suos Vicarios generales, aut per alios, quibus concesserint, & delegarint, exequi posse volumus: nisi in iis, quæ propriè ad ordinem Episcopalem pertineant; aut in quibus Vicarii à sacris Canonibus, aut à Concilio Tridentino vel à nobis expresè exclusi sint.

3 Si in hus decretis ante alteram Mediolanensis prouinciæ Synodum, vlla difficultas orta fuerit, eius, & omnium quæ ipsis decretis continentur, interpretationem Metropolitano reseruamus; salua semper Sedis Apostolicæ auctoritate. 1. Ibidem. 3. Ibidem iisdem verbis.

Si quæ in his decretis difficultas orta ante erit quàm alia Mediolanensis Prouinciæ Synodus habeatur; eius difficultatis, tùm omnium, quæ ipsis decretis tradita sunt, interpretationem, & explicationem nobis reseruamus: salua semper Sedis Apostolicæ auctoritate. 2. Ibidem.

Si in his decretis ante alteram Mediolanensis Prouinciæ Synodum vlla difficultas orta erit, eius declarationem, tùm verò præthereà omnium quæ eisdem decretis continentur, interpretationem, & explicationem nobis, & successoribus nostris Archiepiscopis, perpetuo reseruamus, salua semper Sedis Apostolicæ auctoritate. 4. Ibidem. 5. Ibidem iisdem verbis.

Si in his decretis ante alteram Mediolanensis Prouinciæ Synodum, vlla difficultas orta erit, eius declarationem, tùm verò prætereà omnium, quæ eisdem decretis continentur, interpretationem, & explicationem nobis vsque ad proximam futuram Prouincialémque Synodum reseruamus; salua semper Sedis Apostolicæ auctoritate. 6. Ibidem.

4 Quidque de sacramentorum administratione, Missæ celebratione, diuinorumque officiorum modo, & ratione in hac Synodo decreuimus, id neque ad Mediolanensem Ecclesiam, quæ sancti Ambrosii præscripto, & instituto, proprios ritus, ac ceremonias habet; neque ad cæteras, quæcũmque eodem iure, ac modo, ex antiquissimo tempore sacra facere consueuerunt, in iis, quæ eius institutis, ritibus, & cæremoniis expresè aduersantur, pertinere volumus. Cæteris verò, & Mediolanensis Ecclesia, & quæ eiusdem ritibus vtuntur, æquè teneantur, atque aliæ, quæ in Prouincia nostra sunt, Ecclesiæ. 1. Ibidem. 3. Idem iisdẽ verbis.

Quæcumque etiam de sacramentorum administratione, Missæ sacrificii celebratione, diuinorumque officiorũ modo, & ratione in hac, & superioribus Prouincialibus Synodis decreuimus, ea planè omnia, & singula ad Metropolitanam etiam, cæterásque quascũmque Ecclesias, ritu Ambrosiano vtentes pertinere sancimus, ac declaramus; nisi si quid eiusmodi erit, quod, vel per nos, vel deinceps per successores nostros Archiepiscopos nominatim, speciatimque declaretur, Ambrosianis ipsis ritibus, institutisuè expresè aduersari. 4. 5. 6. Idem iisdem verbis.

5 Vt nemini eorum, quæ in hac sancta Synodo decreta sunt ignorantiam excusare liceat; edicimus, vt ex quo primũm die edita, in valuis Metropolitanæ Ecclesiæ proposita fuerint, ad duos menses, omnes se, & his decretis; & si contrà fecerint, pœnis, quæ eis continentur, teneri intelligant. 1 Ibidem. 3 4 5. Ibidem, & idem.

Ab eo etiam affixionis die eorum decretorum temporis initium sumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præstari iubemus.

1. Ibidem. Vt autem, quæ in hac Prouinciali Synodo decreta sunt, ad ea præstanda, vlla ignorantiæ excusatione nemini huius prouinciæ homini vti liceat; illud edicimus, vt quo primum die in lucem emissa, ad nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ valuas affixa erunt, tunc duorum mensium spatio omnes se, & his decretis, & si contra quidquam admiserint, pœnis, ac mulctis, quæ in eis constitutæ sunt, obstrictos esse sciant.

Ab eo etiam affixionis, & promulgationis die tempus eorum decretorum inchoari decernimus, quibus certo præscripto dierum spatio aliquid præstari iussum est.

6. Ibidem. Vt nemini eorum, quæ in hac sexta Prouinciali nostra Synodo, à nobis decreta sunt, ignorantiã excusare liceat; edicimus, vt ea, quo primũ die de illis edictũ promulgationis Ecclesiæ Metropolitanæ valuis propositum erit, ad duos mẽses, omnes se, & his decretis, & si cõtrà fecerint, pœnis, quæ eis cõtinentur, teneri intelligãt.

Ab eo etiam affixionis die eorum decretorum temporis initium sumendum decernimus, quibus aliquid intrà certum tempus præstari iubemus.

1. Ibidem. 6 Iubebunt præterea singuli Episcopi, si eis expedire videbitur, ea omnia, suæ quoque Cathedralis Ecclesiæ valuis affigi: & proxima sua Diœcesana Synodo legi, ac recitari, quò studiosius eorũ præcepta omnium animis inculcẽtur.

2. Ibidem. Vnusquisque præterea Episcopus ea omnia in proxima Diœcesana Synodo legi, ac recitari iubebit: & si ità expedire censuerit, suæ etiam Cathedralis Ecclesiæ valuis proponi: quò studiosius omnium animis præcepta eorum tradantur. in 3. 4. & 5. legitur, eorum præcepta fixa inhæreant.

3.4.5. Ibidem, & idem.

6. Ibidem, Vnusquisque præterea Episcopus, ea in proxima Diœcesana Synodo ad præscriptum sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini promulgari iubebit, & quò studiosius omnium animis eorum præcepta fixa inhæreant, singulæ etiam Cathedrales, & Collegiatæ, & Parochiales Ecclesiæ huius Prouinciæ has nostras Constitutiones aliquo loco collocatas perpetuò asseruent.

1.2.3.4.5.6 Idem ibidem. 7 Singulæ etiam Cathedrales, & Collegiatæ, & Parochiales Ecclesiæ huius prouinciæ, has constitutiones certo aliquo loco collocatas, perpetuò asseruent.

1. Ibidem. 8 Episcopi singulis quatuor anni temporibus, si id opportunum cẽsuerint, legi iubeant coram se, & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatarum, omnia ea, quæ de vita, & honestate Clericorum, deque diuinorum officiorum celebratione in hac nostra Prouinciali Synodo statuta fuerunt; vt ea crebrò repetita, facilius in mores inducantur.

5. Ibidem. 9 Quæcumque vel ad Cleri, vel ad populi conformandos mores, ad Ecclesiasticámque omnem disciplinam retinendam, Prouincialibus, aut Diœcesanis Synodis à nobis, aut à coëpiscopis nostris sancita sunt, ex illis eò vberior, Deo iuuante fructus existet, quò sæpius, vel promulgatione, vel certo lectionis studio inculcata, iis notiora fient, à quibus illa, & sciri, & animo comprehendi, reque ipsa præstari oportet.

Episcopus igitur, præter alia, quæ hoc de genere aliàs decreta sunt, & Canonicis, & Parochis, & reliquis Clericis certum tempus statuat, quo omnia, quæcũque iis Prouincialibus, Diœcesanisque decretis de iis constituta sunt, illis legantur; ità vt, quæ decretorum partes ad Canonicalem disciplinam pertinent, Canonici, & quæ causâ suâ constitutiones latæ sunt, Parochi, & Clerici itidem, & ii omnes, quæ ad vniuersum Clerum spectant, illas, lectione repetita, animo comprehendentes, præscriptas munerum suorum partes singuli studiosius exequãtur. Si quis autem eorum aliquando, Episcopi iussu, interrogatus, illas per negligentiam, aliamuè culpam ignorarit, pro eius culpæ, & personæ ratione illum Episcopus corripiat, aut aliàs præterea cum eodem agat. In seminario quoque itidem seruetur, vt earum, vel institutis, vel monitis, vel præceptis Clerici informentur.

10 Quæ verò decretorum partes ad laicos attinent, illas summatim vulgari sermone expressas, & certis anni tẽporib' distributas, prout vsu venerit, à Parochis denunciari iubeat: quò sæpius inculcata, seruentur diligentius.

11 Quibus Prouincialium nostrorum Conciliorum est aliquis adscriptus dies, quo vel summorum Pontificum sanctiones, vel Tridentinas, Prouincialesuè Constitutiones promulgari iussum est; illis decretis certum præscriptum diem eam promulgationem mutari ab Episcopo liceat, certumque alium constitui: quo die, singulis annis in sua Diœcesi id opportunius præstari posse censeat.

12 Quibus in decretis mulctæ iis nominatim constitutæ sunt, qui dignitates, aut Canonicatus obtinent, nec certis locis attributæ, vsui sacristiæ, aut fabricæ illorum Ecclesiæ ab Episcopo attribuantur.

Neque verò eas ad alium vsum conuerti, neque easdem remitti; nec præterea de iis ipsis, etiam ab vniuerso Capitulo transigi liceat, nisi Episcopi auctoritate.

13 Quæcumque his nostris, aliisuè superiori 2. Ibidem. Synodo Prouinciali editis constitutionibus, decretisuè sancita sunt, ea omnia in sua quisque Episcopus Diœcesi, diligenter obseruet; & ab aliis, quorum interest, seruanda curet omnibus iuris remediis.

His decretis, Constitutionibusque in Con- 4. Ibidem. cilio Prouinciali quarto sancitis, ac promulgatis, quicumque vel vniuersi, vel singuli, quorum interest, non paruerint, aut aliquid contrà commiserint, admiserintuè: ii mulctas, & pœnas luãt, iis ipsis decretis sancitas, ac alias præterea ex Ecclesiasticis, Cõciliaribusque sanctionibus, & Canonum iure præscriptas: cõpellanturque præterea ad parendum, omnibus iuris remediis.

Omni Episcopalis sollicitudinis officio, stu- 5. Ibidem. dioque vigilanti Episcopi, pro sui muneris ratione, in eam curam incumbant, vt quæcumque & in superioribus nostris Conciliis, & in hac quinta Synodo Prouinciali decreta, constitutaque sunt, diligentem, atque adeò omnem executionem, quemadmodum par est, planè habeant. Quicumque verò vel vniuersi, vel singuli, quorum interest, non paruerint, aut aliquid

contrà commiserint, admiserintve, ii mulctas, & pœnas luant, iis ipsis decretis sancitas, tùm alias præterea Ecclesiasticis, Conciliaribusque sanctionibus, & Canonum iure præscriptas. Compellanturque præterea ab Episcopo ad parendum omnibus iuris remediis, aliis etiam pœnis, & censuris constitutis, & irrogatis pro arbitrio suo.

1. Ibidem. 14 Maximas Deo gratias agere debemus, quod, quæ pro communi Prouinciæ salute hoc tempore statuenda videbantur, ad optatum exitum perducta sint, quodque eiusdem beneficio principes vniuersæ prouinciæ ii obtigerunt, à quibus omnem opem, auctoritatem, & auxilium in eis exequendis, quæ sancita sunt, iure optimo sperare, & expectare liceat, quod, vt ex animo, ac summo studio præstent, pro nostri officii munere, eos vehementer hortamur, & per viscera Domini nostri Iesu Christi obsecramus.

Sess. 24. De Inuoc. vener. & Reliquiar. 15 Ex præcepto sacri Tridentini Concilii collegimus, & cognouimus abusus omnes, qui in Indulgentias ex superstitione, ignorantia, irreuerentia, aut quauis causa in Prouincia Mediolanensi irrepserunt; vt Metropolitanus de iis, ex sententia Synodi, ad summum Romanum Pontificem referat. Cuius auctoritate, & prudentia constitutis iis, quæ huic Prouinciæ nostræ expedire videbuntur, fideles salutarem indulgentiarum fructum piè, & sanctè percipiant.

Ses. 24. c. 13 16 Actum est diligenter à nobis ex præscripto sacri Tridentini Concilii, quæ ratio iniri posset, vt aliquæ Ecclesiæ Cathedrales Prouinciæ nostræ Mediolanẽsis, quarum sunt tenues fructus, ità nouis prouentibus augerentur; vt, & ad illarum necessitatem, & ad Episcopalem dignitatem satis essent. Eam autem rationem nomine Synodi Metropolitanus ad Sanctiss. D. N. referat, qui cognita rei necessitate, pro sua prudentia, & pietate, & Episcopis, & Ecclesiis consulere poterit.

17 Episcopi, duobus adhibitis de Capitulo illius Ecclesiæ, cuius res agitur, quorum alter suo, alter Capituli iudicio deligatur, statuta, constitutiones, priuilegia, & indulta Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum recognoscentes, accuratè videant, an in illis quidquàm sit, quod ab ipsis sacri Concilii Tridentini decretis sit alienum; ad quorum præscriptum omnia, & ex Constitutione Sanctissimi D. N. Pii IIII. & ex eodem Concilio, corrigant, & emendent. Quòd si Episcopo, & Canonicis aliqua de iis acciderit, dubitatio, ad Metropolitanum referant: qui à Summo Romano Pontifice explicationem eorum postulet, quæ difficultatem habere videbuntur. 1. Ibidem.

18 Quia multa à Summo Romano Pontifice, & publicæ totius Prouinciæ Mediolanensis, & priuatæ singularum Ecclesiarum vtilitatis causâ petenda sunt; decernimus: vt quicquid ab eius sanctitate communibus nostris, & qui adsunt, Prouincialium Episcoporum literis postulabitur, id huius Synodi nomine, & auctoritate ità factum intelligatur, perinde ac si in Sessione publicè postulatum esset. 1.2.3. Ibid.

19 Omnia, & singula, quæ in hac sacra Synodo decreta, actaque sunt, qua debemus obedientia, ac reuerentia, auctoritati ac iudicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum matris, & magistræ semper emendanda, & corrigenda subiicimus. 1.2.3.4.5.6

Finis. Laus Deo.



DE SVBSCRIPTIONIBVS EPISCOPORVM QVI Synodis Prouincialibus interfuerunt.

SVMMARIVM.

1 *Quarta* } *Synodi Prouincialis decretis, qui Episcopi, quique alii absentium nomine*
2 *Quintæ* } *præsentes, subscripserunt.*
3 *Sexta* }

Quartum. 1 Os Carolus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Praxedis, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mediolani, de consilio, & assensu Reuerendissimorum Coëpiscoporum nostrorum, definientes subscripsimus.

Ego Antonius, Laudæ Episcopus, consentiens subscripsi.

Ego Dominicus, Episcopus Brixiensis, consentiens subscripsi.

Ego Nicolaus, Episcopus Cremonæ, consentiens subscripsi,

Ego Federicus, Episcopus Bergomensis, consentiens subscripsi.

Ego F. Dominicus Episcopus Astensis consentiens subscripsi.

Ego F. Benedictus Herba, Episcopus Casalensis, consentiens subscripsi.

Ego Guarnerius, Episcopus Alexandrinus, consentiens subscripsi.

Ego Io. Franciscus Episcopus Vercellensis, consentiens subscripsi.

Ego Vincentius Marinus Episcopus Albensis, consentiens subscripsi.

Ego Franciscus Galbianus, Episcopus

Intimiliensis, consentiens subscripsi.

Ego Romulus, Episcopus Nouariensis, consentiens subscripsi.

Ego Lucas Tortus, Prothonotarius Apostolicus I. V. D. & Vicarius Generalis multùm Illustris, & Reuerendissimi D. Domini Cæsaris ex Comitibus Gambaræ, Episcopi Dertonæ, eiusdémque in hoc specialis procurator, eius nomine interfui, & subscripsi; & omnia, & singula in hac sancta Synodo decreta, atque acta, edita, & publicata, eius & Ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Io. Antonius Cart. Archipresbyter sanctæ Iuliæ procurator specialis Illustris, & Reuerendissimi D. Petri Fauni Episcopi Aquensis eius nomine interfui, & subscripsi; & omnia, ac singula in hac sancta Synodo acta, edita, & publicata, eius, & Ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Benedictus Citadinus Canonicus Ecclesiæ maioris Mediolani, procurator specialis Illustris, & Reuerendiss. D. Io. Ambrosii Flisci Episcopi Sauonensis, eius nomine interfui, & subscripsi; & omnia, ac singula in hac sancta Synodo acta, edita, & publicata, eius, & Ecclesiæ suæ nomine recipio.

Quintum. 2 Nos Carolus S. R. Eccl. Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Praxedis, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mediolanensis, de Concilio, & assensu Reuerendissimorum Coëpiscoporum nostrorum subscripsimus.

Ego Cæsar Episcopus Dertonensis consentiens subscripsi.

Ego Hieronymus Episcopus Laudensis consentiens, subscripsi.

Ego Petrus Episcopus Aquensis, consentiens subscripsi.

Ego Dominicus Episcopus Brixiensis, consentiens subscripsi.

Ego Nicolaus Episcopus Cremonensis consentiens subscripsi.

Ego Hieronymus Episcopus Bergomi consentiens subscripsi.

Ego F. Dominicus Episcopus Astensis consentiens subscripsi.

Ego Guarnerius Episcopus Alexandrinensis, consentiens subscripsi.

Ego Io. Franciscus Episcopus Vercellensis consentiens subscripsi.

Ego Vincentius Episcopus Albensis consentiens subscripsi.

Ego Franciscus Episcopus Vintimiliensis consentiens subscripsi.

Ego Cæsar Episcopus Sauonensis consentiens subscripsi.

Ego Alexander Episcopus Casalensis consentiens subscripsi.

Ego Alexander Episcopus Vigleuanensis, consentiens subscripsi.

Ego P. Cotta Episcopus Nouariæ consentiens subscripsi.

Sextum. 3 Nos Carolus S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Praxedis, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus sanctæ Ecclesiæ Mediolanensis, de consilio, & assensu Reuerendissimorum Coepiscoporum nostrorum definientes subscripsimus.

Ego Cæsar Episcopus Dertonensis consentiens subscripsi.

Ego Nicolaus Episcopus Cremonensis, consentiens subscripsi.

Ego Hieronymus Episcopus Bergomi consentiens subscripsi.

Ego Ioannes Episcopus Brixiæ consentiens subscripsi.

Ego F. Dominicus Episcopus Astensis consentiens subscripsi.

Ego Guarnerius Episcopus Alexandrinus, consentiens subscripsi.

Ego Vincentius Episcopus Albensis consentiens subscripsi.

Ego Franciscus Episcopus Vintimiliensis consentiens subscripsi.

Ego Alexander Episcopus Casalensis consentiens subscripsi.

Ego Vincentius Picaluua Archipresbyter Oppidi Cassinarum, Procurator specialis Illustris, & Reuerendissimi Episcopi Aquensis, eius nomine interfui, & subscripsi: & omnia, & singula in hac sancta sexta Synodo acta, decreta, edita & promulgata, eius, & Ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Io. Paulus Albergonus, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Nouariæ, procurator specialis Illustris, & Reuerendiss. D. Francisci Episcopi Nouaren. eius nomine interfui, & subscripsi; & omnia, ac singula in hac sancta sexta Synodo acta, decreta, edita, & promulgata, eius, & ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Paulus Granutius I. V. D. Prothonotarius Apostolicus Perillustris, ac Reuerendissimi D. I. Francisci Episcopi Vercellensis, Sanctissimi, D. N. Papæ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ, nunc apud Serenissimum Rodolphum Imperatorem Nuncii, Vicarius generalis, eiusdémque in hoc specialis procurator, eius nomine interfui, & subscripsi, & omnia, ac singula in hac sancta sexta Synodo decreta, acta, edita, & publicata, eius, & ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Antonius Iordanus clericus Sauonensis Illustr. ac Reuer. D. Dominici Grimaldi Episcopi Sauonensis hoc tempore S. D. N. Papæ apud Auenionem Gubernatoris, ad hoc specialis procurator, eius nomine subscripsi, & omnia, ac singula in hac sancta sexta Synodo prouinciali Mediolanen. acta, decreta, edita, & promulgata, eius, & ecclesiæ, suæ nomine recipio.

Ego M. Ant. Amidanus, presbyter Cremonen. Multum Illustris. & Reuerendiss. D. Ludouici Tabernæ Lauden. Episcopi, & Nuncii Apostolici ad Serenissimum, & Catholicum Hispaniarum Regem Philippum Generalis Vicarius, ac ad id etiam procurator specialis, eius, & ecclesiæ suæ nomine, omnia, & singula in sexta Synodo Prouinciali Mediolanensi acta, & decreta, edita, & promulgata recipio.

De Indictionibus futurorum Conciliorum Prouincialium.

SVMMARIVM.

1 *Quarti*
2 *Quinti* } *futurorum Conciliorum prouincialium*
3 *Sexti* } *indictio.*
4 *Septimi*

Tertium. 1 CArolus miseratione diuina tituli Sanctæ Praxedis S. R. E. Presbyter Cardinalis, Borrhomæus nuncupatus, sanctæque Mediolanen. Ecclesiæ Archiepiscopus.


Omnibus, & singulis Reuer. Dominis Episcopis, qui adsunt, & Synodo Prouinciali Mediolanensi, quacunque ratione interesse debent, omnibusque item Capitulis, & Ecclesiarum Cathedralium procuratoribus, qui præsentes intersunt, indicimus, significamus, denunciamus, & intimamus proximam sequentem Synodum Prouincialem Mediolanensem quartam, Deo omnipotente auctore, & ad eius laudem, hac eadem in vrbe, hoc ipso loco, anno 1576. die decimo mensis Maii, qui dies erit feria quinta Dominicæ secundæ post Resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, inchoandam, & celebrandam esse. Quamobrem eos omnes, & singulos Reuer. Dominos Episcopos, qui hic præsentes adsunt, monemus: Procuratores verò ecclesiarum Cathedralium inuitamus, vt eo die ad Synodum prouincialem quartam, iuuante Deo, Mediolani celebrandam, constituto, hic omninò intersint, nisi diem celebrationis ipsius Synodi aliqua ex causa à nobis prorogatum fuisse nostris, ad eos datis literis, intellexerint. Quod si ipsorum Reuerendissimorum Episcoporum nostrorum aliquis legitimo tunc detentus erit impedimento, nuncium ad se excusandum, atque ad id impedimentum probandum, ad nos mittat: cui etiam facultas ab ipso detur, ea omnia, & singula nomine suo, & Ecclesiæ suæ recipiendi, quæ Spiritu sancto duce, in ipsa Synodo à nobis de consilio, & assensu Reuerendissimorum Episcoporum nostrorum decernentur, aut constituentur.


2 Carolus, miseratione diuina Tit. Sanctæ Praxedis S. R. E. Presbyter Cardinalis, sanctæque Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Quartum Idem. tempore solũ habẽdi Concilii, vt hic, mutato.

Omnibus, & singulis, &c. Anno MDLXXIX. die septimo mensis Maii, proximè sequentis, qui dies erit feria quinta Dominicæ secundæ post Pascha Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, inchoandam & celebrandam esse. Reliqua, vt suprà.

3 Carolus, &c. *Omnibus, & singulis Reuerendissimis Dominis Episcopis, &c. Anno. MDLXXXII. die decimo mensis Maii, proximè sequentis, qui dies erit feria quinta Dominicæ tertiæ post Pascha Resurrectionis. D. N. Iesu Christi inchoandam, & celebrandam esse, Reliqua, vt suprà.* Quintum Idem. tempore solũ habẽdi Concilii, vt hic, mutato.

4 Carolus, &c. *Omnibus & singulis Reuerendiss. Dominis Episcopis Derthonen. Aquen. Cremonen. Bergomen. Brixien. Asten. Alexandrinen. Nouarien. Vercellen. Alben. Vintimillien. Casalen. Lauden. Sauonen. Vigleuanen. Placentino, Albingaunen. aliisque vniuersis, & singulis, qui Synodo Prouinciali Mediolanen. quacunque ratione interesse debent, omnibusque item Capitulis, & Ecclesiarum Cathedralium. Procuratoribus, hoc publico decreto indicimus, significamus, denunciamus, & intimamus proximam sequentem Synodum Prouincialem Mediolanen. septimam, Deo Omnipotente auctore, & ad eius laudem, hac eadem in vrbe, hoc ipso loco, Anno Domini, MDLXXXV. die vigesimonono mensis Aprilis, qui dies erit feria quinta Dominicæ tertiæ post Pascha Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi inchoandam, & celebrandam esse. Reliqua vt suprà.* Sextum Idem his tantum additis.





APPENDIX DE CVRA PESTILENTIÆ.

Ex Concilio quinto Prouinciali.

CAPVT PRIMVM.

SVMMARIVM.

1 *Pestilentia, quæ loca inuaserit.*
2 *Pestilentiæ vis.*
3 *Pestis, ob Dei offensiones irruit.*

5. Constit. pars 1. 1  Vperioribus proximis annis funesta pestilentiæ contagio primùm vrbes aliquot Italiæ celeberrimas, oppida permulta, & pagos complures, deinde sensim longè, latéque dimanans, Mediolanum, eiusque Diœcesim ferè omnem, & aliquam Prouinciæ partem itá vehementer inuasit, vt multiplicem, variámque stragem ediderit. Quo afflictissimo tempore res multas commiseratione, lachrymis, luctuque dignas, & aliunde audiuimus, & oculis nostris in vrbe, Diœcesique Mediolanensi adspeximus.

2 Tanta enim illius vis est, támque vehemens, vt, cùm occultè in omnes partes progrediens, breui momento temporis, quasi repentino quodam impetu turbidæ tempestatis, homines obruat, teterrimi contagii metu omnes ferè consternantur. Quamobrem eo pauore animi commoti, atque obstupefacti plerique, tantùm abest, vt officii sui partes fortiter amplectantur, vt, quasi è mentis suæ statu repente dimoti, ne cogitare quidem, ne dùm deliberationes, consiliáque suscipere possint, quid in calamitate publica expediat, & quid planè necessarium sit. Alii verò eo metu affecti, dùm humanæ prudentiæ cautionibus se tueri volunt, eam sibi sollicitudinem, quæ tota mundanæ diligentiæ præsidiis nititur, itá præposterè struunt, vt religionis, pietatisque Christianæ, si omninò non obliuiscuntur, eius tamen officia intermittant: nàm sæpè fit, vt Missæ sacrificio interesse, sacramenta suscipere, Ecclesiam frequentare, ad conciones sacras conuenire, supplicationes publicas, publicæque orationis munus obire negligant, & quos cognationis gradu coniunctissimos, quosque charos habēt, si quando fortasse ii in pestiferam labem, aut in suspicionem eius inciderint; non modo illos non curent; sed etiam ab iis ipsis longè admodum refugiant. Atque hæc quidem ipsa animi perculsio cùm eos inuadit, qui potestate, auctoritate, & opibus præstant, certè multis partibus calamitosior est, quàm omnis pestis contagio, cùm inde non mora solùm aliqua, sed etiam impedimentum non mediocre procurationi, & apparatui remediorum afferatur, & alia deinde multa perniciosa damna existant. Immò, quod graue est, inde accidit, vt egentibus aliquando alimenta necessaria non suppeditentur; pestiferis plagis medicina non adhibeatur, & subsidia spiritualia, id quod grauissimum est, interdum non ministrentur, Ecclesiasticæ stationes nonnullis in locis deserantur, diuinorum officiorum cultus sæpè negligentior sit, pietatisque Christianæ exercitationes languescant. In tanta igitur rerum difficultate pro paternæ charitatis studio, proque Archiepiscopalis officii nostri munere necesse habuimus multiplicem sollicitudinem suscipere, multos labores subire, multas functiones exequi, quas à pastore gregi sibi commisso præstari, & Christiana charitas, & Pastoralis curæ ratio efflagitabat. At omni rationi planè cōsentaneum est, vt quemadmodum parens optimus, qui filios vnicè diligit, cū in præsenti, tùm in futurum eis prospicit, ac parat, quæ sunt ad vitæ cultū necessaria: itá nos paternæ charitatis officio adducti, omni præcautione fidelibus Prouinciæ nostræ, in hoc Concilio Prouinciali quinto consulamus, prouideamusque deinceps, quæ experiendo cognouimus, pestilentiæ tempore salutaria esse adiumenta.

3 Id verò etiam maximè faciēdum censuimus, cùm præsertim subuerendum sit, nè aliquando ob easdem Dei offensiones, ob maléque facta, quorum seminaria nondum euulsa sunt, iterum illa pestifera labes in Prouinciam nostram irruat. Atque hæc quidem ipsa ob eam prætereà causam præcauere volumus, quòd cùm pestis vis subitò irrumpat, atque dimanet, non modò

de iis opportuna sunt, maturè deliberandi, consultandique tempus relinquit, sed celerrimè agendi necessitatem omnem imponit. Accedit etiam, quòd illius calamitatis, atque incommodorum recens memoria cùm sit, ac recordatio, hoc tempore facilius multò est, quàm multis post annis eo de genere adiumenta opportuna excogitare, consiliaque adhibere, dum præsertim superstites adhuc sunt, qui semel pestiferæ contagionis mala, & detrimenta experti sunt. Est verò illa item ratio, quod, cùm nos in hoc Prouinciali conuentu, spiritualibus præsidiis, miseri cordiæque operib⁹, è charitatis fonte manantibus, vniuersos, & singulos omnis generis, & ordinis homines in pestilentiæ tempore instruimus; hæc tota nostra, vel instructio, vel præcautio eò refertur, vt officiorum sanctitate, & operum religione, quasi pro publicæ valetudinis recuperatæ munere, grati animi erga Deum testimonia demus, atque offeramus.

Partitio officiorum, quæ pestilentiæ tempore præstanda sunt.

Capvt. II.

Svmmarivm.

1 *Charitatis officia multa pestilentiæ tempore præstanda.*

2 *Officiorum ipsorum alia propria, & alia communia: & ad quos illa spectent.*

1 Svnt igitur permulta officia, quæ pestilentibus temporibus Christiana charitas docet præstanda esse, siue tempus spectetur, quò primùm pestis suspicio, periculumuè imminet; siue locus inspiciatur: in cuius viscera, illa miserandum in modum sese infudit; siue hoc ipsum consideretur, cùm scilicet, ea paulatim languescente, non solum spes recuperandæ publicæ valetudinis ostenditur, sed, cùm omnem à morbo confirmationem maior in dies progressio fiat, demùm omnis inde conualescentia existit.

2 Atque in iis quidem officiis alia propria vniuscuiusque sunt, vt potè Episcopi, & Parochi, & Cleri, tàm sæcularis, quàm Regularis, & Magistratus, & patrisfamilias, & omnis deniq; populi: alia verò quædam communia, quæ eiusmodi sunt, vnde illa, quæ propriè, præcipuéque à singulis præstanda sunt, proficiscuntur, atque emanant.

Officia multiplicis considerationis communia.

Capvt. III.

Svmmarivm.

1 *Officia communia cuius considerationis.* 2. 3.

2 *Peccatum, pestilentiæ causa.*

4 *Ad eam auertendam, quæ remedia adhibenda: Quodque ea in re Episcopi, Parochi, & Concionatoris officium.* 5.

1 IN communibus porrò officiis, in quorum assidua cogitatione, atque vsu omnes sese piè exercebunt, hæc sanè erunt. Primùm secum tota mentis cogitatione, totoque animo reputabunt omnes homines, quæ, & quanta pestilentiæ vis sit, quàm tetra illius contagio, quantas, & quàm varias strages breui edat; quàm multas miserias, quàmque horribiles calamitates rebus publicis importet; quā breui animi consternatione cunctos vel fortissimos viros aliquando afficiat; quàm valde ob eam causam formidolosa, quòd ità de repentè ab hoc sæculo ad tremendum illud Christi Domini iudicium animas abripit.

Deinde attentissima meditatione considerabunt, à quo pestifera illa lues existat, nempè à Deo, cuius voluntati in primis illam acceptam referent. Dauid enim, optione data trium calamitatum, pestis, famis, & belli, in ea deliberandi facultate pestilentiam maluit, cùm dixerit, malle se in manus Dei, quàm hominum incidere.

2 Tùm causas, quamobrem peste Deus mortales affligat, diligenti indagatione perquirent. Atque in iis quidem causis cùm multæ aliæ afferantur, ob quas calamitatibus, miseriis, aduersisque rebus homines ille deuexet, tamen hoc sibi certò persuadeant, quod à sanctissimis Patribus traditum est, cùm Dei Maiestatem multis hominum peccatis, flagitiisque lædi, ac violari vident, hanc ipsam causam potius esse, cur is calamitates, & plagas infligat; eo tamen consilio, vt in viam reducat homines, ne, vt ait S. Paulus, cum hoc mundo damnentur.

3 In eam prætereà cogitationem incumbent, quàm multiplex, quàmque ampla materia, & quasi seges Christianæ virtutis, charitatisque exercendæ detur illa tam graui afflictione, grauissimisque illis, & permultis difficultatibus, quas secum pestilentia inuehit. Qua in cogitatione videant simul meritorum, quibus adiutrice diuina gratia, ad cœlum via munitur, fructus inde extare posse, & amplissimos, & vberrimos.

Hæc porrò per se satis explorata sunt, meditationum, cogitationumque officia, in quibus pestilenti tempore fideles assiduè versabuntur: sed multa inde consequuntur, quæ eo ipso præsertim tempore in omnium animis, mentibusque perpetuò infixa inhærere debent.

Atqui in iis illud maximè sibi propositum habebunt, quantò anima corpori præstat, tantò studiosius animæ cura, & sollicitudo, corporis incolumitati, & studio in periculo præferenda est, in quo, & anima, & corpus eo pestilenti tempore versantur.

Immò verò illud pro certo, exploratóque habeant, à Deo potissimùm, & publicam, & priuatam singulorum incolumitatem, prosperamque corporis valetudinem omni pietatis officio implorari oportere: nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam, inquit Propheta. Quamobrem sciant, spem omnem irritam, atque inanem esse, quæ Dei ope in primis non nititur, sed tota solum, vel in humana prudentia, diligentiauè, aut in rerum copia, atque opibus, aut in corporis robore & viribus, aut in aliis id generis præsidiis collocatur.

4 In animum autem perpetuò inducent, recuperandæ, & publicæ, & priuatæ valetudinis, incolumitatisque eas potissimùm rationes esse, quæ ad Dei gratiam reconciliandam, ad veram peccatorum pœnitentiam, ad prauos vsus emendandos diligentissimè conferuntur. Iis porrò officiis, & rationibus neglectis, aut prætermis-

fis, cætera putabunt parum valere, imò planè inutilia esse, illa verò etiam perniciosa admodùm remedia, quæ secum peccatum coniunctum habent.

Hæc omnia cùm sibi quisque perpetuò persuasa habeat, tùm maximè & priuatis colloquiis, & publicis concionibus non solùm Episcopus, sed Parochi, & concionatores pro suo quisque munere, hominum mentibus quàm diligentissimè inserere studebunt, tamquàm semina quædam officiorum ferè omnium Christianorum, quæ infrà explicata, & demonstrata pestilentibus temporibus præstanda sunt. His porrò officiis cogitationum meditationumq; certarum: quas eo de genere sibi fideles animo rectissimè conceperint, instructi, non modo non languescẽt; sed valdè etiã se excitabunt in omnes partes præstãdi Christianæ charitatis opera.

De Præsentia, & Constantia omnium.

Capvt. IIII.

Svmmarivm.

Episcopi
Parochorum. 3
1 *Sacerdotum.* 4. } *præsentia, & constantia tempore pestis.*
Clericorum
Magistratuum.
Populi, 5.

2 *Episcopi exemplum, & officium in aliis ad constantiam cohortandis.*

1 SI vllo vmquam tempore, vel afflictissimo, aut Episcopi sollicitudo, ant Sacerdotum ministerium, aut magistratuum, decurionum, & aliorum omnium, qui præsertim prudentia, fortitudine, constantia, charitate, aliisque virtutibus præstant, studio quàm diligentissimo opus est; certè in pestilentia, cuius immanissima vi, repentinoque impetu cuncta, ni si eorum virtute fulciantur, breui labuntur, atque ruunt, est maximè necessarium. Itaque ii omnes, singulique labenti patriæ, & auctoritate, & exemplo, & muneris commissi officio opem necessario tempore ferre studebunt: proindeque non modo illam non deserent, vt imperita multitudo aliquando factitare consueuit, vt potè quæ ab omni consilio inops vulgo consternata, ac sola tantum pestis voce perculsa longè refugit, sed in eius custodia, quasique vigilia ità permanebunt, vt à rebus, & publicis, & priuatis, quibus eorum potestate, aut officio, virtutéque succurrendum est, oculos nunquàm deiiciant.

Nec verò in tanta omnium perturbatione, ac trepidatione, animo demisso, & contracto erunt, sed forti, magno, atque adeò paratissimo ad omnia charitatis officia, & ministeria. Neque propterea in ancipiti deliberatione versabuntur, aut in quæstionem adducent, quæ ipsi officia necessario præstare debeant, quæ rursùs minùs necessaria, quouè, illis præstandis deuincti, sed ardenti dilectionis, & pietatis studio incensi, cuncta potius iis officiis metientur, quæ sibi, in summa ea necessitate, periculouè constitutis, præstari ab aliis maximè velint.

Hanc ipsam porrò rationem, atque vsum in populis, etiam finitimis peste, aliauè calamitate ob pestem afflictis, subleuandis, & adiuuandis adhibebunt.

Et quoniam cunctis aliis studiis, atque officiis potior, multisque partibus præstantior est spiritualis cura, paternaque charitas, quam Episcopus, Parochi, animarum Curatores, & Sacerdotes, tamquàm optimi parentes de filiorum salute solliciti, omni paterno studio conferunt: ideò ipsos in primis admonemus, vt præsentes adsint pestilentiæ tempore, quo fideles opus admodum habent, & ipsius Episcopi auxilio, & eorundem Parochorum, Sacerdotumuè ministerio, cùm ad cætera omnia charitatis, misericordiæque opera, atque officia, tùm maximè ad spiritualia adiumenta, & ad Deum non solum precibus, sanctissimisque orationibus, sed etiam omnialia ratione placandum.

2 Quamobrem ob oculos sibi proposito tàm magno populi sibi commissi, periculo, paternæ caritatis viscerà indutus, constantique illa Episcopalis animi virtute præditus, quæcumque pietatis officia à parente optimo, filiis præstari afflictissimo illo tempore oporteat, ea studio, & ministerio suo ità præstabit, vt ad omnia caritatis Christianæ opera cæteri homines inflammentur, cùm maximè singulari, & egregia illo suo exemplo, tùm vero etiam pio quodam ardore sanctarum cohortationum, quas ad Clerum, ad populum, ad magistratus, decurionesque præsertim adhibebit, vt vniuscuiusque studium officiumque tùm vniuersè, tùm sigillatim excitet, & inflammet, cunctosque in curæ suæ officiis constantissimè contineat.

3 Parochi autem, animarumuè curatores, tantum abest, vt necessario eo tempore populum, cuius curam gerunt, aliquo modo destituant, vt fixa animi deliberatione sibi statuendum putent, omnia prorsùs, etiam mortis pericula paratissimo animo subire potius, quàm fideles, Christi sanguine redemptos, ac sibi præcipuè in curam traditos, in summa penè omnium adiumentorum necessitate deserere.

4 Reliqui etiam Sacerdotes, & Clerici, qui Ecclesiæ stipendio aluntur, vt Dei laudes concelebrent, precesque pro populo adhibeant, tunc maximè intelligent, sibi in statione, & quasi in perenni vigilia quadam Sacerdotali, & Clericali manendum esse; cùm diuinæ iræ placatio exoretur oportet, supplicationibus, litaniis, sacrificiis, frequenti sacramentorum vsu, & aliis Christianæ religionis ministeriis, quæ potissimùm sacerdotalis officii sunt.

5 Populus verò non modo longius à patria, quæ vna omnes omnium charitates complectitur, non refugiet; sed præ illius amore persistet, hocque vnum sibi præscribet, vt ereptis morum erroribus, conuulsisque vitiorum seminibus, vnde pestiferam labem, atque exitium comparatum esse existimare debet, criminum, & peccatorum, quæcumque conceperit, admiserituè, verè sanctéque pœniteat, & vitæ emendandæ propositum, fixa deliberatione suscipiat, supplex item quàm frequentissimè ad Deum confugiat, qui in medio etiam nubis, & afflictionis arcum propitiationis suæ ostendit, funestaque ærumna oppressos, suæ item diuinæ benignitatis ope subleuat.

Episcopi sollicitudo in orationibus publicis.

Capvt. V.

Svmmarivm.

1 *Processiones triduanæ ab Episcopo indicendæ.*
2 *Et qua humilitate agendæ.*
3 *Oratio quadraginta horarum celebranda; in qua sermo singulis horis habendus.*
4 *Peccatorum confessio, & communio.*
5 *Processiones vniuscuiusque Collegii.*
6 *Statio certarum Ecclesiarum.*
7 *Oratio matutina, & vespertina.*
8 *Oratio sine intermissione.*
9 *Litaniæ quotidianæ.*
10 *Ieiunium, feria sexta, & Sabbatho.*
11 *Benedictio ædium.*
12 *Litteræ ad Metropolitanum, & alios Episcopos.*

1 Iam verò Episcopus, ad quem gregis custodiendi perpetua cura refertur, vt
2 vniuersi populi supplicantis religiosa, solemnique oratione Deum placet, cùm primùm in locis finitimis pestis grassatur, certas, statasque publicas processiones triduanas non semel; sed iterum, atque adeò sæpius, si opus erit, & in vrbe, & Diœcesi indicet, quas ieiunio, eleemosyna, sacco, cilicio, omnique mœsto, & lugubri amictu, pedibus nudis, capite aperto, omni pœnitentiæ publicæ modo, vocibus ex intimo animo ad misericordiæ implorationem emissis, gemitu, lachrymis profusis, intentissimo assiduarum precum studio, & omni denique non externo solum, sed interno pietatis religiosæ officio sanctè agi, atque celebrari studebit.

Ad quas processiones etiam sanctorum reliquias sacras, præsertim, quæ insigniores sunt, vniuersè aliquando adhibebit.

3 Statam illam, & solemnem orationem quadraginta horarum, religiosè celebrabit: ad quam vniuersus Clerus, & populus, per certas regiones, & Parochias distinctus, ex Concilii Prouincialis quarti decreto, piè, & ordine conueniat. Atque in eius quidem celebritate, quò religiosius omnis Clerus, populusque ad publicæ precationis studium excitetur, sermo breuis statis singulis horis à perito Sacerdote, qui orantes vehementius inflammet.

4 Curabit etiam, vt omnes, & singuli peccata confessi, certo dominico: aliouè festo die, sacram communionem sanctè sumant.

5 Statas præterea processiones, quæ speciatim ab vniuerso vniuscuiúsque Collegiatæ Ecclesiæ Clero, etiam Regulari, & ab vnaquaque Ciuitatis, vel Diœcesis regione in singulas hebdomadas fiant, certo præscripto modo instituet.

6 Certarum Ecclesiarum, in quibus præsertim insignia pietatis & religionis monimenta extant, visitationem constituet, vt ad eas scilicet supplicandi causa, ac studio, vniuscuiusque viciniæ Parochialis populus collegiatim certis diebus conueniat.

7 Orationem matutinam, ac vespertinam ardentius excitabit, & verò, vbi intermissa est, restituet quàm diligentissimè.

8 Orationem item sine intermissione, vbique, & in vrbe, & in Diœcesi, certa Parochialium Collegiatarúmque Ecclesiarum, ac Monasteriorum præterea distinctione indicet, atque statuet.

9 Litaniarum etiam quotidianarum, quas, & domi, & foris, certis locis, in Ecclesiisque præsertim adhiberi curabit, certam rationem inibit.

10 Ieiunium, si minus in hebdomada pluribus diebus, at in feria sexta saltem, vel Sabbatho, præter statos vigiliarum dies à populo agi suadebit: alia præterea veræ pœnitentiæ signa, diuinæ misericordiæ implorandæ studio suscipienda, demonstrabit.

11 In iis quoque religiosis adiumentis illud etiam adhibebit, vt vniuscuiusque Parochiæ ædibus, domiciliis, & habitationibus Parochi singula, stata religiosa prece ritè benedicant, ad instructionis, eo de genere in hoc Concilio editæ præscriptum.

12 Vt autem denique totius Prouinciæ populi supplicatione etiam adiuuetur, eo necessario tempore litteras de periculo, suspicioneuè pestilentiæ ad Metropolitanum, cæterosque Prouinciæ Episcopos celerrimè scribet.

Cura Metropolitani, & Prouincialium Episcoporum.

Capvt. VI.

Svmmarivm.

1 *Metropolitani cura, quæ pietatis opera indicenda, Diœcesi Prouinciæ peste affecta. 5.*
2 *Coepiscoporum quæ item officia præstanda.*

1 Pestilentiæ, quæ vrbi, locouè Prouinciali imminet, periculo audito, Metropolitanus eam curam, cogitationémque suscipiet, vt non solùm in Metropolitana vrbe, eiusque Diœcesi; sed in vniuersa Prouincia supplicationem, orationem, & alia pietatis opera indicat, literis omni cohortatione plenis.

2 Reliqui Prouinciæ Episcopi ei, cuius Diœcesis ex pestis periculo laborat, charitatis officia nauare non different.

Illi animum, spiritumque addent, & maiorem omni officiorum ratione facient, ad Episcopalis, paternæque charitatis partes in pestilentia, surrepserit, exercendas. Quod officium sæpius præstabit vicinior Episcopus.

Proposito etiam exemplo sanctissimi Pontificis Cornelii, & beati Cypriani Episcopi, martyrum, quorum alter alteri, in laboribus, & periculis versanti, literas plenas consolationis scribebat, Episcopum crebris literis consolabuntur item, & confirmabunt.

Curam etiam aliquam inibunt, vt de illius, & Diœcesis, & vrbis statu certiores aliquando fiant, quò ardentiori studio flagrent subleuandi necessitates.

Studebunt in primis ei opem afferre tùm oratione, publicisque supplicationibus, tum etiam eleemosynarum, prout vnusquisque poterit, largitionibus.

Omnem aliam præterea rationem quisque

diligentissimè exquiret, qua fratris Episcopi, eiusque etiam populi periculo, & difficultatibus, cum eo coniunctis, opportunè, ac benignè succurratur.

3 Id omne pietatis officium Metropolitanus longè flagrantiori studio præstabit, vt eius exemplo, ac documento cæteri Prouinciales inflammentur ad rei piæ imitationem.

Sollicitudo Episcopi in morum corruptelis eripiendis.

Capvt. VII.

Svmmarivm.

1 *Episcopi, quæ sollicitudo in morum corruptelis eripiendis.*
2 *In officiis pietatis ad vsum reuocandis.*
3 *Vitæ Episcopalis conformatio.*
4 *Familiæ Episcopalis disciplina sanctior.*
5 *Fori Episcopalis recognitio.*
6 *Inuestigatio Clericalis disciplinæ.*
7 *Synodi Diœcesanæ celebratio.*
8 *Vicariorum foraneorum euocatio.*
9 *Confessariorum, & Concionatorum congregatio.*
10 *Cleri, & Parochorum conuocatio.*
11 *Monasteriorum virorum & Monialium Locorum piorum* } *reformatio.*
12 *Confratriarum.*
13 *Ciuitatis, & populi vniuersi morum conformatio.*

1 Episcopus præterea, cuius Diœcesis in periculo pestis versatur, tunc in primis accuratè inuestiget, quæ potissimùm corruptelæ, quæ publica peccata sint, & quæ scelera, flagitiaue, quibus Deus maximè offendatur, eiusque ira concitetur. Hæc igitur cùm funditus conuellere studeat, tùm verò ea, quæcumque sint diuino cultui repugnantia.

2 Ac rursùs, omnia pietatis officia in vsum vt diligentissimè reuocentur, sedulò curabit.

3 Sanctioris disciplinæ initium à se faciet, perinde ac si peccatis suis potissimùm pestilentiæ, qua populus affligitur, causam dedisset; proinde in eo attentè figet oculos, vt accuratè perspiciat, quid à se velit Deus, quid iubeat, quid prohibeat.

Ad normam voluntatis diuinæ omnia sua consilia, omnes cogitationes, omnia opera, & verba, omnes denique vitæ suæ rationes conformabit: & officii sui pastoralis momenta diuini iudicii legibus perpendet.

Et sua, & populi peccata piis, & crebris gemitibus deplorabit.

Assidua prece, summáque sanctissimæ orationis contentione, diuini luminis illustrationem sibi deposcet, vt omnia videre, omnibus consulere, esse pro omnibus vehementer sollicitus; & omnia denique quæ ad populi sui curam rectissimam pertinent, circumspicere, & mentis oculis collustrare, necessario tempore possit, supplex perpetuò Deum orabit, vt disiectis peccatorum nubibus, pluuiam, & rorem diuinæ suæ misericordiæ effundat in populum suæ curæ commissum.

4 Cùm igitur vitæ suæ rationes diligenter examinabit, cunctaque videbit, quæ à se præstari oportet, vt non modò in graui culpa; sed in nulla quidem, vel minima offensa sit apud Deum; tùm familiæ instituta, mores, omnem denique disciplinam recognoscet; & omnia non tantùm vniuersè, sed speciatim, sigillatimque diligentissimè perlustrabit.

Tantumque quo ad eius fieri humanitus poterit, aberit, vt quicquàm offensionis, culpæuè in vllo quoquàm residere patiatur, vt statuat potius, quasi nexu disciplinæ sanctissimæ deuincire omnem familiam, ac domum Episcopalem, quæ, tamquàm officina Christianarum virtutum, cæteris exposita esse debet ad imitationem.

5 Fori prætereà sui Ecclesiastici rationem, atque vsum omnem explorabit, hocque attentius, ac diligentius, quò grauiores Dei offensiones, ex iniquè factis iniquisq; iudiciis existere solēt.

6 Peruestigabit etiam, ac dispiciet attentissimè Ecclesiæ suæ Cathedralis, & Cleri illius disciplinam; in qua, si quid vel vniuersè, vel speciatim offendi animaduerterit, studiosissimè emendabit, & corriget: cùm præsertim inde documenta omnis optimæ institutionis, & normæ sumi conueniat.

7 Vt verò reliquis omnibus, in quibus aliqua offensio subesse possit, prospiciatur, & consulatur, Synodum Diœcesanam, si expedire censuerit, diligentissimè habebit, in qua præcauebit, quæ opportuna, quæ necessaria, quæque salutaria maximè erunt, pro temporis ratione.

8 At si minùs Synodum coget, saltem Vicarios foraneos ob eam ipsam causam euocabit, vt non in vrbe solum, sed in omni Diœcesis parte, etiam atque etiam diligenter, depulsis morum erroribus, profligatis publicis offensionibus, euulsisque malefactorum seminibus omnis vitæ emendatio, & disciplinæ Christiano nomine dignæ instauratio, atque adeò institutio, procuretur.

9 Hoc idem, quò in omnes partes rectè, sanctéque agendi studium vehementius excitetur, cùm Sacerdotibus confessariis, & concionatoribus aget quam diligentissimè.

10 Reliquum etiam Ciuitatis Clerum sæcularem, & Parochos potissimùm sæpius conuocabit; quos omnes cùm ad vitæ innocentiam, tùm ad virtutes, quæ in Sacerdotali, Clericalique ordine elucere debent, eorumque officia, vsque adeò excitabit, vt salutaris inde fructus in populum deriuetur.

11 Præfectos item monasteriorum cuiusuis ordinis, quæ in ciuitate sunt, ad se aliquando accerset; quibus cum omni cohortatione, sanctisque admonitionibus, & iis quidem frequentibus, vbi opus erit, aget, vt in omni monasterio, tùm virorum, tùm etiam feminarum, si quæ illorum curæ commissæ sunt, sanctè, religioséque viuatur, quemadmodum ex suscepti ordinis instituto ab iis fieri oportet, qui in religionem se Deo dicarunt. Monialium verò, quarum curam gerit, reformationis rationem omnem suscipiet, & exequetur: quò sanctius illæ religionis officiis deditæ, calamitati publicæ, & vitæ meritis, & oratione, precationibusq; succurrāt.

12 Itidem agere non desistet cum præfectis,

curatoribus; ministrisuè locorum piorum & cum cæteris item piarum confratriarum, scholarumuè hominibus.

13 Nec verò peccata, & offensiones publicas dissimulabit, si quas in eo, qui ciuitati præest, in magistratibus, in decurionibusque inesse perspexerit: sed annunciabit eis errata, in quibus offendunt. Nihilque ad salutem publicam potius esse ostendet, quàm ab illis in primis pietatis Christianæ opera vnicè coli, quámque iustitiæ munus, & officium depulso omnis cupiditatis dominatu, rectissimè, atque æquissimè omnibus administrari.

Omni etiam officii genere cum eisdem aget, atque hoc sedulò instabit, & vrgebit, vt publica auctoritate, publicoque decreto, si modò res eiusmodi est, de qua per illos decerni liceat, tollantur, & radicitus extirpentur, quæcumque sunt, ob quæ Deus palàm præsertim ac publicè offendatur.

De populi denique vniuersi disciplina conformanda, & peccatis tollendis, ad quæ procliuius, frequentiusuè prolabitur, omnem rationem etiam cum Sacerdotibus inibit, totus in ea cura defixus, vt à Dei offensionibus ad virtutum Christianarum officia illum planè reuocet.

Immò verò hoc etiam valdè studebit, vt voluptariæ omnes actiones, in quibus vulgi multitudo aliquando versatur, inani opinatione, cùm putet, pestilentiam mundanis lætitiis facilius caueri, omninò abiiciantur, quales sunt saltationes, profanæ cantiones, comessationes, crapulæ, & cætera eius generis: quibus plerumque multa peccata coniuncta sunt.

Populum quoque inducere procurabit, & ad constituendum profusis sumptibus modum, & ad inueteratas malas consuetudines detestandas, atque planè abiiciendas.

Id omne non solùm cum populo Ciuitatis, sed etiam cum Diœcesano paterna sollicitudine aget.

Accerset prætereà ad se omnes præfectos vniuscuiusque collegii, etiam artificum, quorum operam, & diligentiam adhibebit ad rescindēdos prauos vsus, si qui in eorū collegiis, aut artificiis sunt, vnde aliqua Dei offensio existat.

Patribus familias illud magnoperè suadebit, vt aleatorii ludi, imprecationes, blasphemiæ, verba impura, & turpia, impudicæ choreæ, saltationes, pompæ, luxus, profusa conuiuia, & cætera, quæ ab intemperantia manant, procul ab omni domo arceantur.

Omnes verò, & vrbis, & Diœcesis partes cùm ipse accurrendo inuiset; tùm alios probatos viros Ecclesiasticos ob eam causam nomine suo mittet: & verò quæ opportuna sunt, curabit, atque adeò exequetur, vt nulla ex parte optimi parentis, vigilantisque pastoris cura, studium, vel ministerium desideretur.

Singulorum crimina diligentius inuestigabit, quæ præsertim cùm diuturniora sint, ad iræ diuinæ concitationem plus roboris habent, vt adulteria, concubinatus, vsuræ, nefarii contractus, bonorum Ecclesiasticorum vsurpationes, res malè partæ, & alia eiusdem generis, quibus præsens, salutaréque remedium accommodabit.

Quamobrem vnumquemque, quasi somno obliuionis in peccatis dormientem excitabit, vt opus erit, ad pœnitentiam, ad lachrymas, & flagitiorum detestationem, depulsionémque vt re ipsa præstet, quæ cum disciplinæ Christianæ rationibus, & studiis conueniunt.

Pacem, & concordiam inter dissidentes reconciliabit.

Lites componere, controuersias dirimere, cuncta cuiusuis generis dissidia tollere, simultatem, & odia restinguere, factionum semina conuellere studebit.

Quæ malè parta sunt, maléque ablata restitui curabit.

Omnes denique pastoralis officii, atque auctoritatis neruos eò intendet, vt & offensis publicis sublatis, & disciplinæ Christianæ sanctionibus institutis, & omni rectè agendi studio, omnique Christianarum virtutum vsu, & exercitatione ab vniuerso Clero, populoque imploretur, atque exoretur misericordia Dei.

Cura in aliis cautionibus tuendæ publicæ valetudinis.

Capvt VIII.

Svmmarivm.

1 *Tuendæ publicæ valetudinis causa edicta, & qualia ab Episcopo proponenda.* 2.

3 *Præfecto Regionario. Vicario foraneo, Visitatoribus.* } *quæ facultates cōcedēdæ.* *Parochi.*

4 *Ecclesiasticorum aliorum* 5 *Magistratus Decurionum* } *cura, & cautio in publica valetudine procuranda.*

1 His adiumentis spiritalibus alias cautiones Episcopus adhibebit. Atque in primis quidem edictis Episcopalibus, aliaque omni ratione de publica valetudine tuendà certas rationes inibit, atque edicet, quas cùm in locis Ecclesiasticis, tùm ab hominibus Clericalis ordinis, ab aliisque Episcopali iurisdictioni subiectis inuiolatè ob bonum publicum seruari mandabit.

2 In omni autem deliberatione, & cautione, quam tuendæ publicæ incolumitatis causa suscipiet, id studebit, vt consultationibus cum magistratu sanitatis habitis, quicquid ipse eo nomine cauerit, cum illius publicis edictis, ad valetudinis publicæ commodum, piè & rectè pertinentibus, non dissentiat, nec discrepet; sed in omni eius generis ratione, quæ ad bonum publicum tota refertur, vnus, idemque sit vtriusque consensus, summáque in re adiuuanda publica charitatis conspiratio.

3 Idem præter ea, quæ hac instructione demonstrata sunt, potestatem etiam præfecto regionario, & Vicario foraneo, ac aliis visitatoribus faciet, alia non modo generatim, sed speciatim statuendi, atque exequendi, quæ in pestifera contagione vtilia opportuna, & necessaria illi viderint ad publicam valetudinem tuendam, quæ ab Episcopalibus præscriptis, & regulis non discrepent.

Quicquid verò illi agent, opportunéque ac necessariò statuent, id quàm primùm Episcopo significabunt.

In omni autem re, quam Magistratus sanitatis aget, vel cauebit, publicæ valetudinis causa, operam dabunt, vt diligentem eius cautionem, studiáque imitentur ad Episcopalium regularum præscriptum.

4 Parochi etiam, cæterique Ecclesiastici homines id vnum quoque maximè studebunt, vt publicam valetudinem omni charitatis officio curent, ac prætereà in executionis vsum accuratissimè perducant quæcumque non solùm hac instructione explicata sunt; sed quæ Episcopus hoc ipso de genere, prout opportuna viderit, publicæ salutis causa statuerit, & quæ item præfectus regionarius, aut Vicarius foraneus, aliusuè visitator monuerit, mandarituè: immo etiam si Clericalis ordinis homines sunt, qui intrà alicuius Parochiæ fines habitant, illa quoque seruabunt, quæcùmque vel ex hac instructione, vel ex Episcopi voluntate, vel alia iusta ratione Parochus commune fecerit.

Quæ prætereà à magistratibus Decurionibusuè ad eam publicæ incolumitatis rationem piè, ac vtiliter constituentur, eadem, vt à populo planè seruentur, omni cohortationis officio monebunt,

5 Magistratus autem, & decuriones, vt eidem publicæ valetudini prospiciatur, & consulatur, cùm omnia sapienter Christianæque pietati congruenter agent, tùm valdè cauebunt, quæ diuino cultui, & charitatis officiis cùm impedimentum afferre possint, illa maximè fugienda, suo loco infrà demonstramus, ac vehementer in Domino monemus.

Sollicitudo in vniuscuiusque præparatione spirituali.

Capvt. IX.

Svmmarivm.

1 *Episcopi sollicitudo in Confirmationis sacramento ministrando.*
2 *In generali peccatorum confessione agenda.*
3 *In sacramentorum pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequentatione.*
4 *In hortando ad pietatis operum exercitationem.*
In suadendo, vt æs alienum dissoluatur.
Vt lites componantur.
5 *Vt testamenta conficiantur.*
Vt res domesticæ, ante mortem, explicentur.
Præfectorum Regionariorum. Vicariorum foraneorum.
6 *Visitatorum. Parochorum. Præfectorum Collegiis, & Confraternitatibus.* } *sollicitudo eadem, quæ suprà Episcopo præscripta.*

1 SOllicitus prætereà in eo Episcopus erit, vt imminenti illo pestis periculo, Confirmationis sacramentum, quibus per ætatem, ex doctrina Romani Catechismi ministrandum est, vbique ministret; cùm illi, si pestis irruet, in eo statu futuri sint, vt periculum mortis non modo in singulas horas, sed in singula momenta pertimescant.

2 Id etiam sedulò curabit, vt suæ quisque conscientiæ latebris diligentissimè discussis, omnis antè actæ vitæ peccata confiteatur.

3 Tùm etiam, vt ad tàm salutare pœnitentiæ sacramentum omnis frequenter accedat ità vt cùm quis se peccati mortalis labe inquinatum esse conscius erit eo sacramento illud expiare quàm primùm studeat: nec verò ad extremum differat, cùm non modo suspicari sed certè omninò timere possit, ac debeat, si pestis Dei permissu irruerit, illo pestilenti tempore maxima cum difficultate sibi præstò fore subsidia tàm corporis, quàm animæ.

Itidem ad frequentem sanctissimæ Eucharistiæ vsum fideles omni studio accendet; & vt saltem semel in hebdomada illam sumant.

4 Ad ea, quibus Dei iram placari, eiusque misericordiam implorari compertum est, pietatis opera, præsertim ad assiduam orationem, ad ieiunium, ad eleemosynam crebrò hortetur. Ad cuius largitiones vberiores populum fidelem valde etiam incendet, illud singulare exemplum Ethnicorum, qui euangelicæ lucis expertes, cùm in grauissimam pestem olim incidérint, opinione persuasi, eam sibi calamitatem inflictam esse, quòd nullum pietatis studium, nullúmque beneficentiæ, liberalitatisque officium egentibus hominibus contulerint, ad ad eam propulsandam id consilii adhibuerunt, vt eorum domus, officinæ, tabernæ, indigentibus, ac pauperibus paterent, qui inde res, quas propterea palam omnibus exposuerant, ad vitæ vsum necessarias, gratis, liberéque sumerent.

5 Ab omnibus, eo pestis imminentis periculo proposito, domi suæ disponi, & consuli suadebit, vt scilicet vnusquisque æs alienum, si quod contraxit, rectè dissoluat, nomina quæcumque explicet; lites componat, transigatuè: testamentum conficiat; nec denique res domesticas contractas, difficultatibusque implicatas relinquat; nè fortassè, si mors, vt in pestilentia euenire solet, continuò oppresserit, sibi, liberis, bonisque suis rectè consulere minus possit: indeque propterea vel litium, discordiarumuè inter filios, agnatosuè semina, vel æris alieni soluendi difficultates, tardioresuè solutiones, vel controuersiæ aliæ, & quod graue est, spiritualia incommoda existant, quæ animæ saluti detrimentum, perniciemuè afferant.

6 Hæc eadem sanè omnia, & singula officia, in regione sibi commissa, & præfecti regionarii, & Vicarii foranei, & visitatores, & Parochi in Parochiali vicinia ex Episcopi instructione, & præscripto pro suo quisque munere præstare, atque exequi studebunt.

Hæc itidem ipsa pro sui muneris partibus cùm in collegiis, confraternitatibusque præfecti, tùm in ædibus priuatis curabunt diligenti studio, omnique charitatis contentione.

Præparatio adiumentorum spiritualium peste imminente.

Capvt. X.

Svmmarivm.

1 *Confessariorum. Concionatorum.*
2 *Sacerdotum. 3.*
3 *Visitatorum.* } *præparatio, & deputatio, curante Episcopo.*
4 *Indulgentiarum à Summo Pontifice procuratio, & pro quibus.*

5 *Librorum*

4 *Librorum spiritualium delectus.*
6 *Facultatum à Summo Pontif. impetratio, & quarum.*
7 *A Metropolitano item; & quibus illæ concedēdæ.*

1 Episcopus verò omnia adiumenta, antequàm pestis populum inuadat, diligenter conquirat, & parare studeat, quibus fiat, vt si pestis ingrueret, nè quid illis populis, quos inuaserit, desit; neque ad animæ salutem, neque ad corporis medicamentum, victum, & curam.

Confessarios, concionatoresque quorum ministerio, operaue necessario eo tempore adiuuetur, aliunde, vt diligentissimè potest, ad se accersere, & conducere, tùm ad vrbem, tùm ad Diœcesis oppida, & loca præsertim insigniora curabit.

2 Ac præter Parochorum curam certos etiam alios Sacerdotes vndique, quantùm poterit, omni pietatis officio conquiret: qui charitatis ardore inflammati, paratissimi sint ad omnia Ecclesiastica ministeria illis præstanda, quos, vel pestis morbus, vel suspicio inuaserit.

Iis, & concionatoribus, & confessariis, & aliis Sacerdotibus necessaria alimenta, vt subministrentur, omni ratione curabit.

3 Alios præterea Clericalis ordinis homines, charitatis studio flagrantes deliget, qui modo huc, modo illuc visitando accurrere possint.

Delectum item habebit aliquorum Sacerdotum, atque aliorum quos potissimùm adhibere possit ad curam Ecclesiasticorum hominum pestis morbo suspicioneuè laborātium.

4 Ad omnem porrò curam, quo vehementius vniuersi, & singuli pestilentiæ tempore incendantur, indulgentiam, à Summo Pontifice iis procurabit, vtpotè.

Sacerdotibus, qui peste affectis sacramenta ministrarint.

Medicis eos curantibus.

Chirurgis, tonsoribusuè, qui venam secant, quiuè plagis medicamentum apponunt.

Nutricibus, quæ infantibus peste laborantibus, suspectisuè lac præbent.

Obstetricibus, quæ mulierum in eo morbo, suspicioneuè versantium, partum adiuuant.

Ministris, qui peste ægrotantibus assistunt.

Baiulis, qui pestiferè affectos, suspectosuè ad curationis locum perducunt, feruntvè.

Illis item, qui peste mortuorum corpora sepeliunt.

Iis denique omnibus, quicumque sint, vel mares, vel fœminæ, qui illorum sustentationi, & curationi aliquo modo seruiunt; qui item eleemosynam, pro facultatum ratione in eorum adiumentum contulerint.

Facultatem item sibi ab eodem dari curabit, adiunctis ad eam certis priuilegiis, vt Regularium cuiusuis ordinis opera, ministerioue sine vlla mora aut impedimento superiorum, pestilentiæ tempore vti possit.

5 Vt præterea populi charitas ad pauperum, pestilentiæ morbo, si Deus permiserit, laborantium curam, piumque studium accendatur, & longè, lateque progrediatur; libros, eo de genere grauissimè conscriptos, quos necessario eo tempore studiosè legat, ad vsum proponet, vt pote Gregorij Nazianzeni homiliam, sermones duos Gregorij Nysseni de pauperibus subleuandis, & Cypriani martyris sermonem vnum de mortalitate, & alterum item de eleemosyna; atque aliorum præterea Patrum libros eiusdem generis. Vt verò, quæ ab illis, vel præcepta sunt, in morem, atque vsum afflictissimo præsertim pestilentiæ tempore inducantur: eos libellos, vulgariter conuersos, exiguoque volumine comprehensos, typis impressos, atque editos extare voltimus.

Iis præterea libris alios de rerum spiritualium officiis, studiisque rectè conscriptos, prout opus esse viderit, ad legendum, cùm ob alios fructus, vtilitatesque adiunget, tùm etiam, vt nè populus, propter intermissas magna ex parte, in pestilentiæ periculis artes, & negotiationes, otio languescens, ad turpes, inanesque voluptates tempus traducat.

6 Alias verò facultates, quæcumque pestis tempore vel necessariæ, vel opportunæ à Summo Pontifice impetrandæ erunt, ità in tempore diligenter impetrare studebit, vt si peste statim irruente literarum cursus intercludatur, aut retardetur, ne mora vlla iis adiumentis interponatur, quæ in pestilentia opus esse possunt.

In iis facultatibus erunt hæ scilicet.

Facultas concedendi plenariam indulgentiam peste laborantibus confessis, aut contritionis signa ostendentibus.

Facultas concedendi indulgentiam iis, qui in quotidiana oratione, per septem horas distincta, versantur.

Facultas priuilegiumuè aliquot altarium, vt cùm in eis scilicet Sacerdos pro aliquo defuncto Missæ Sacrificium obtulerit, eius animæ suffragetur ad liberationem à pœnis purgatorij.

Facultas, quæ etiam delegari possit, absoluendi saltem in foro Conscientiæ à peccatis, delictis, & censuris, Summo Pontifici reseruatis, etiā in literis, die cœnæ Domini promulgatis.

Facultas etiam aliqua absoluendi in foro exteriori.

Dispensandi item cum Sacerdotibus in quibusdam irregularitatibus, etiam ob mortem secutam contractis, id quod facile euenire pestilentiæ tempore potest in curatione ægrotorum etiam sine vlla delicti culpa.

Conuertendi etiam alicuius eleemosynæ legatæ vsum, saltem ad tempus, si quando ad pauperum necessitates subleuandas illud expedire, vel necessarium censuerit.

Quæ enim ob piam aliquam causam legata, relictauè sunt, vt videlicet, vel in diuinum cultum, vel in puellarum nubentium dotem, vel in alium eius generis vsum erogentur; ea tunc sæpè expedit ad egentium hominum victum, & sustentationem conuerti.

Decernendi, statuēdiue vtilitatis publicæ causa quicquid opus erit, atque adeò compellandi etiam, vt Ecclesiastici homines ab Episcopali iurisdictione exempti, & Regulares etiam, ac locorum præterea piorum, si quæ eiusmodi loca ab Episcopi iurisdictione immunia sunt, præfecti, curatoresuè seruent, atque adeò præstent, quæcūque is ob publicam vtilitatē decreuerit

statuerituè, pœnis etiam, & censuris propositis.

7 A Metropolitano etiam facultatem impetrabit, qua dum pestis est, sibi permissum sit ab aliquorum decretorum Prouincialium præscriptis rationibus, quæ in pestilentia seruari minùs possunt, aliquando discedere; vtpotè à côditionibus loci, & Altaris, in quo Missa celebranda erit; à regulis item, quibus vetitum est, extra sedem confessionalem in Ecclesia confessiones audire: & ab institutis etiam celebrandi foraneos conuentus; & ab aliis quàmpluribus eiusmodi decretis Prouincialibus; quorum potestatem sibi à Metropolitano fieri opus esse, aut expedire ipse viderit.

Et quoniam pestis tempore tùm in ciuitate difficilis, tùm in Diœcesi difficilior ad Episcopum aditus esse potest; id propterea in iis, quæ Episcopalem auctoritatem requirunt, tunc expedit, ampliores facultates, & Parochis, & reliquis confessariis Sacerdotibus, & Vicariis præsertim foraneis concedi, permittiuè. Itaque pro locorum, personarumque ratione, proque pestis periculosius imminentis grauitate, liberius præsertim Vicariis foraneis facultates varias delegabit; in quibus erunt hæ.

Facultas absoluendi, etiam in vtroque foro, à peccatis criminibusve, interdicto, & censuris, sibi reseruatis; ea adiuncta etiam facultate, vt cui delegarit, is saltem in foro conscientiæ eandem subdelegare possit.

Permittendi sacram confessionem audire extra Ecclesiæ fines, atque adeò etiam fœminis extrà confessionalem sedem.

Concedendi, vt Missa celebrari possit in omni Ecclesia & Altari, etiam ligneo, vt in viis locisque eiusmodi, & prorogandi rursus facultatem datam.

Confitendi, & approbandi, etiam sine examine, confessarios, etiam qui Clericorum confessiones audiant.

Intermittendi Sacerdotales, Clericalesuè illos conuentus singulis mensibus præscriptos.

Preparatio annonæ; & Ministrorum ad curationem, & sustentationem publicam.

Capvt XI.

Svmmarivm.

1 *Episcopi sollicitudo in præparatione annonæ: & ministrorum ad publicam curationem necessariorum.* 7.
2 *Gregorii Magni exemplum in caritate annonæ.*
3 *Eleemosynæ colligendæ causa Episcopi officium cum Magistratibus.*
4 *Exemplũ Episcopale in erogatione eleemosynarũ.*
5 *Pauperum, & piorum locorum descriptio; pauperumque in locum vnum congregatio.*
6 *Confratria charitatis pestis tempore instituenda.*
Supellectilis, librorũ, & scripturarũ locus, & situs.

1 Nec verò ea præparatio, atque adeò præcautio negligenda est, vt à pestis contagione incolumis, & tuta supellex, vel Ecclesiæ vel Sacristiæ conseruetur.

Ideò, quæ præsertim pretiosior est, diligenter seligatur, & loco benè munito, & remotiori cautissimè foribus etiam obsignatis asseruetur. Quo etiã loco monimenta iuriũ, libri volumina scriptáque grauiora, quæ ad Ecclesias pertinẽt, in armario, aut arca custodiantur diligenter.

Omni officij genere Episcopus cum Magistratibus, decurionibusuè aget, atque adeò omni sollicitudine instabit, vt propius accedente pestilentiæ periculo, patriæ, quæ ex horribili, funestaque illa contagione, multis, variisque detrimentis affici potest, quàm opportunissimè, celerrimèque omni sua ope succurrant.

Videant in primis, omnique ratione præcaueant, vt cùm in peste difficultas annonæ simul inesse soleat, ne quid ad rei frumentariæ, omnisque annonæ vbertatẽ desit, ac proinde cautionem diligentissimam adhibeant; vt nemo quisquã sit, qui necessario eo tempore frumentũ supprimat, cùm præsertim sæpè fiat, vt grauissimo illo tempore, longè plures, quemadmodum vsu compertum, litterisque traditũ est, fame necẽtur, quàm pestilentiæ vi extinguãtur.

2 Quamobrem omnes, qui opibus circũfluunt, & ipsi magistratus præsertim, qui ciuitati præsunt, propositum sibi aliquando habebunt, clarum illud exemplũ Sanctissimi Pontif. Gregor. Magni, qui & in peste, & in annonæ caritate apertis publicis horreis frumẽtaria largitione vsus est ad populi laborantis sustentationem.

3 Rationem præterea Episcopus cum eisdem magistratibus inibit, vt tùm ex publico ærario, censuuè, tùm etiã eleemosynis, & omni alia subueniendi via, multorum inopia, egestateuè laborantium, victui necessario succurratur; eo præsertim afflicto tempore, quo præ pestis periculo, & metu, artificia, negotiationes, nundinationes, & questus, mercaturæuè cõmercium, agrorũ cultura, omnes aliæ cuiuscumque opificij exercitationes languescunt, aut etiam magna ex parte cessant, vnde homines sibi victum parare solent: quo fit, vt innumerabiles homines, qui aliàs ab omni re inopes non sunt, sæpissimè ex fame laborent.

4 Quo in officio omni ità Episcopus se geret, vt cùm se eleemosynarum largitionibus, pauperũ, miserabiliumque hominum, verè parentem, pastoremque ostenderit, exemplo etiam suo, non minùs, quàm cohortationibus, omnique alio officio cæteros ad illorum sustentationem alliciat, atque inflammet.

5 Vt verò, quod ad sustentationem satis esse possit, omninò procuretur, omnes, & singuli, quibus subueniendũ erit certo libro, rectè ordineque describantur. Qua in re monasteriorum etiã & piorum collegiorum, tàm virorum, quàm fœminarum, ac pauperum Clericorum ratio habebitur, quibus necessario eo tempore aliquid in eleemosynam conferendum erit.

Tantùm verò absit, vt inopes, & pauperes, pro quibus etiam Christus Dominus sanguinem profudit, è ciuitate, oppidis, pagisuè, ab omni ope destituti exturbentur, vt non modò aliorum, sed mendicantium etiam ratio habeatur, ea scilicet, vt in vnum locum congregentur omnes; vbi, cùm alimenta corporis, tùm maximè omnia adiumenta spiritualia suppeditẽtur.

6 Parochi etiã, vbi instituta non est, in sua quisque regione Parochiali, confraternitatẽ, scholamuè hominum, charitatis nomine Episcopali auctoritate instituent. Cuius confrater-

hitatis erit, necessario illo tempore, & eleemosynas colligere, & cætera charitatis officia obire, ac præstare, quibus pauperes, & egentissimi homines subleuentur.

7 Instabit prætereà Episcopus, vt iidem Magistratus medicos certos cōducant, conscribātvè, ac paratos habeāt, qui peste laborātes curēt.

Chirurgos, tonsoresvè certos deligant, qui venam secent, medicamentaque apponant.

Medicamenta, resque ad eorum victum necessarias parent, ac subministrent.

Famulos, famulasque & alios homines charitate Christiana præditos conquirant, qui operam, curationisuè sollicitudinē eisdem nauent.

Obstetrices certas habeant, quæ partum mulierum, peste ægrotantium, eoue nomine suspectarum excipiant.

Nutrices item certas ad eorumdem liberos lacte alendos.

Caprarum etiam certum aliquem numerum ad lactis eisdem præbendi vsum, si quando nutricum copia non datur.

Vespillones item, quos Monattos dicunt, plures conducant, quorum alij illa officia præstent, quæ à contagio integra sunt, & ab omni suspicione vacua: alij sint, qui peste affectis se duces, ac ministros præbeant; qui mortuorum corpora sepeliant; qui infecta domicilia expurgent & pannos itidem infectos, & alia id generis exequantur.

Præparatio locorum curationis publicæ.

Capvt XII.

Svmmarivm.

1 *Loca publicæ curationis complura; & qualia.*
2 *Eorumdem distinctio.*
3 *Situs eorum, & qualis.* 4.
5 *Tuguriorum exstructio.*
6 *Crucis erectio.*
7 *Capellarum ædificatio: quaque illarum forma.* 8.
9 *Sacerdotum constitutio.* 13.
Victualium illis suppeditatio, & à quibus, & cuius opera. 14. 15.
10 *Domicilium Sacerdotale, & situs.* 16.
11 *Cœmiterij constitutio, & situs.*
12 *Capellarum supellex.*
15 *Episcopi officium cum Magistratibus de Victualibus præstandis.*
16 *Ecclesiasticorum hominum, & quorum domicilia alia.*

1 Domos publicas hospitales locauè complura, ampla, & distincta, quæ alia scilicet peste affectis, alia eo nomine grauiter suspectis, alia minus suspectis, alia conualescentibus vsui sint, apparent, necessariaque supellectile instruant.

2 Quæ distincta partim peste tabescentibus, partim suspectis, partim ministris, tùm in re cibaria, tùm in lectisterniis, tùm in pannorum purgatione, & lotione vsui sint.

Vestes prætereà, & lectisternia ad commutationis vsum parent illis, qui, vel à peste conualescentes, confirmatiuè, aut à suspicione planè liberi, inde migrant.

3 Situm etiam tuguriorum ad multiplicem illum vsum deligant, & præfiniant. Qua in re etiam, atque etiam caueant, ne loca, ædes, domicilia, aream, ac situs vllos quicumque sint, qui ad Ecclesiæ, lociuè pij cuiuscumque ius pertinent, vsurpent, occupent, impediant, aut aliqua seruitute implicent, nè ad breue quidem tempus. Quod si aliquo modo attentent, id nè cōmittāt, Episcopus inhibebit, atque interdicet.

Si verò nullo modo aliunde situs, locauè haberi possunt, sed ad eam rem necessario vsui Ecclesiastica sunt: tunc ei, vel Ecclesiæ, vel loco, cuius sunt, scriptis publicis; à notario, rectè, ritéque confectis, omninò caueatur, vt quicquid damni, detrimentiuè eo nomine fecerit, id resarciatur.

4 Qui situs amplus sit, vt ægroti à grauiter suspectis, hi à leuiter suspectis, qui etiam à conualescentibus separatim, aliquo scilicet interiecto sepimento, habitare possint.

Loco sit non humido, non vliginoso, sed editiori, & aprico, sicco, & salubri. Propè aquam fluentem sit, non torrentem tamen, vnde inundatio, eluuiouè aliquando extare possit.

Extra vrbem, oppidum, pagumuè, loco tamen propinquo, & commodo, vt adiumenta ad animæ curationem, & corporis vsum, aliaque charitatis officia, atque subsidia facilè, & opportunè illis subministrari, ac præstari possint.

Parent item materiam omnem, quæ idonea, quæque satis sit, ad tuguria, capellas, & domicilia, in eo situ benè exstruenda, vt infrà.

5 In eo situ cùm tuguria exstruenda erunt, hoc videant, & studeant.

Vt ita vel densissima palea, vel tabularum sectilium apta inter se commissura struantur, vt ab omni, aut pluuiæ, aut venti impetu, turbine, iniuriauè temporis tuta sint.

Vt ordine recto collocentur, & si fieri potest, à parte anteriori, ad septentrionem versus, vel in aliam partem salubrem spectent.

Vt singula, quò magis ab omni vligine, humiditatéque defendantur, exiguo riuulo cingantur, per quem aqua pluuia ex eorum culmine, defluens, aliò extra illorum situm deriuetur.

Vt eorum solum subiectis transuersis lignis, aut tabulis, palea insuper multa stratis, ab humo altius saltem tribus palmis extet.

Domicilia, seu casas extra septa tuguriorum parent ad vsum laicorum præfectorum, curatorum, custodum, & ministrorum.

Loca item distincta lauationis, & purgationis vestium, & pannorum cuiuscumque generis.

Habitationē item distinctā, ad eorū vsum, qui illis purgandis, abluendisuè operam nauabunt.

Supellectilem etiam necessariam suprà demonstratam, necessariàque instrumenta praeparent ad horum locorum publicæ curationis vsum.

Prospiciant quoque nè peste ingrauescente, palea desit, ad quotidianam tuguriorum subministrationem.

6 In omni autem domo hospitali, publicoue tuguriorum loco, tùm Crux alta, curante Episcopo benè firmiterque humi suffixa erigetur loco medio, eoque editiori, & conspicuo: tùm ea in primis ratio habeatur, vt si ibi capella ex pariete iam non est, ea cum Altari ex tabulis sectilibus, & asseribus exstruatur.

7 Immò verò vbi plures Sacerdotes constituendi erunt, si minùs totidem capellæ, at saltem duæ omninò exstruantur.

8 Atque in earum quidem exstructione hæ rationes mox infrà demonstratæ adhibebuntur.

Situ eminentiore struantur, ab omnique parte conspicuo, vt qui in tuguriolis, cellisuè sunt, ab eorum ostio, quò ad eius fieri potest, Sacerdotem celebrantem prospiciant.

Eo prætereà loco sint, si fieri potest, vt qui foris sunt, ministri, famuli, custodesuè, Missæ etiam sacrificium aspiciant.

Erunt item formâ, quæ quadri speciem exhibeat, longè, latèque brachia sex, aut minimum quinque patebunt.

Partes autem à latere ad ingressum capellæ versùs, ampliores etiam fiant licet, vsque adeò, vt pars anterior latè patens sit, brachia octo, aut rectè septem.

Pauimentum capellæ à tuguriorum solo altius extabit brachia quatuor, vel quinque: ad cuius altitudinem ascensus fiet gradibus ligneis, vt Sacerdos celebrans è tuguriis paulò remotioribus prospici rectè queat.

Ligna verò, tignauè, quibus capellæ structura sustentatur, ità firma, solida, fixa, atque inter se benè, aptéque compacta erunt, vt ventorum impetu, ac vi non modo non corruat, sed nè labascat quidem.

Ab omni latere capella fenestram cum valuis habebit, per quam Missæ sacrificium spectetur, cùm sudum, serenumuè erit: alioqui valuis occludetur, ne ex vento, pluuia, iniuriauè temporis, aliquid incommodi, indecori, offensionisuè accidat. Quæ verò fenestra à parte posteriori Altaris struetur, si quando struatur necesse est, ab Altaris superficie extabit altius vno brachio.

Pars anterior illius capellæ ità exstruetur, vt sera, claui, pessulo, vecte, & valuis benè firmis instructa, à furti, rapinæ alteriusve iniuriæ periculo tuta sit, quò cautius sacræ vestes, sacraque vasa ad Missæ cultum pertinentia in capella seruentur: & sanctissimum etiam Sacramẽtum, quod ministrandum est ibidem custodiatur.

9 At verò vbi certus Sacerdos, qui assiduè assistat spirituali tuguriorũ curationi, non constituetur, tunc capella non intrà, sed extra eorum fines, loco paulò remotiore, ità procul struetur, vt Sacerdos, aliunde accersitus, qui ibi Missæ sacrificium celebret, à contagionis periculo, ac suspicione tutus, pestilentiæ lege, ab Episcopo præscripta, non debeat statos illos dies separatim ab aliorum vitæ commercio manere.

10 Vbi Sacerdotes constituentur, qui præcipuè illis tuguriorũ locis in cura spirituali inuigilẽt, domiciliũ eis parabitur loco finitimo, ac segregato aliquantulũ à tuguriis; & vt fieri potest, ab aliis domiciliis incolarum, propè habitantium.

Si verò tale domiciliũ, lapidibus exstructũ inueniri non potest, ex tabulis sectilibus, asseribusuè fiet loco nõ longè à positura capellarũ.

At si quando illud Sacerdotũ domiciliũ à finibus tuguriorũ aliquantulũ aberit; eorum vnicuique parabitur etiã propinquiori loco tuguriolum forma decenti, ex tabulis sectilibus, paleisuè confectũ, vbi interdiu per pluuiam maneat, & cibũ, ac somnum aliquando capiat, quò diligẽtiori assiduitate curæ sibi cõmissę incũbat.

Domicilium Sacerdotale tale omninò erit, vt in eo Sacerdos separatim à Clerico habitare possit, itidemque ab alio Sacerdote, si plures ibi constituendi erunt.

11 Si ad mortuorum sepulturam cœmeterium Parochiale & alia antiqua cœmeteria, locauè sacra ab Episcopo ad eum vsum constituta, satis non fore existimabitur, situs alius parabitur, qui tuguriorum loco finitimus sit, quique peste ingrauescente mortuorũ numerum capiat; & appositus prætereà sit, vt pariete cingi, & vbi aliquãdo deinceps exstrui sacellũ cõmodè possit.

Situs hic & ab Episcopo ritè consecrabitur, & firmissima sepe saltem, aut densis asseribus, aut macerie vndique ità cingetur, vt & lupis, & reliquis bestiis aditus omninò obstruatur.

12 Capella vnaquæque vbi Sacerdos constituẽdus erit, instruetur hac supellectile; vt potè lapide sacro, calice, patena, cruce, & alia prætereà sacra imagine, candelabris binis, vestium apparatu ad Missæ vsum necessario, & mappis itẽ eo numero, vt suo tempore commutari queant.

Habebit prætereà vasculum aquæ sanctæ, aspergillum, & tintinabulum.

Superpellicea etiam numero saltem totidem, quot Sacerdotes sunt, & quot item Clerici.

Laternas itẽ quatuor cum cereis: quæ ad sanctissimi sacramẽti, cũ fertur, cultũ adhibebũtur.

Pixis etiam comparabitur, & tabernaculum ligneum, vbi sanctissimum sacramentum custodiatur, & vmbella item, quæ saltem exigua, ab vno tantùm homine gestetur.

Sacri olei vas etiam sit, ad vsum ministrandæ extremæ vnctionis.

Libri rituales sacramentorum totidem, quot Sacerdotes.

Hæc porrò supellex etiam, quod ad mappas attinet, conduplicabitur, vbi Sacerdotes plures residebunt, prout erit eorum numerus, saltem, quæ attinet ad mappas, & vestes.

Feretrum prætereà, vnum, duo, pluraué.

Pallium etiam præcipuum apparabitur, quod ad efferenda corpora eorum, qui peste mortem obierint, vsui erit; & plura item, eaque loco distincto, & separato ab omni alia supellectile, asseruabuntur.

Armarium sub Altari extructum, ad vsum asseruandi supellectilem sacrarũ Missæ vestium.

13 Hospitalibus domiciliis, locisve tuguriorũ, vbi hominum exiguus numerus, peste irruente, collocandus erit, Sacerdotem saltem vnum Episcopus præficiet: vbi verò aliqua multitudo, duos, atque adeò plures, pro multiplici varietate, & multitudine illorum, qui eò perducẽdi erunt; vt vnus peste affectis, pluresuè etiam, si quando morientium multitudo plures postulat, alter suspectis, alius minùs suspectis, vel conualescentibus, vel ministris quoque operam spiritualem nauet: eamque ob causam omnes in locis curationis resideãt, assiduique sint, quibus singuli Clerici adiungentur, qui eisdem in Missę sacrificio, aliisque functionibus ministrẽt.

14 Iis Sacerdotibus, & Clericis, quæ ad victum, vestitumque necessaria sunt, supppeditabuntur à ministris publicis ex eo sumptu, vnde alimenta aliis præbentur, qui in eadem hospitali domo, locouè sunt.

15 Cum eisdem magistratibus, & decurionibus Episcopus aget, vt nihil denique in sumptibus faciendis, aliisque officiis præstandis prætermittant, aut negligant: vt omni externa cura omnique externa administratione opportunè prospiciant imminentibus necessitatibus. Id porrò studium cùm laudabile est, ac nomine Christiano, & commemorabili pietate dignum, tùm planè necessarium.

16 Episcopus præterea certas domos, aut domicilia, locaue ampla, & à cæteris distincta parari studebit, quæ vsui esse possint, aut Ecclesiastici ordinis hominibus, qui præsertim collegiatim viuunt, aut monialibus, aut iis, qui in hospitalibus curantur, si fortè pestis in monasteria, hospitaliaue loca inuaserit. Ad quæ domicilia, locaue, vel ij omnes, qui in pestem, suspicionemuè inciderint, perducantur, asportenturuè; vel contra fiat, vt scilicet peste affectis remanentibus, ad illa ipsa domicilia cæteri benè valentes & ab omni suspicione liberi, qui fint eiusdem vel collegij vel monasterij, vel hospitalis ædis, habitatum veniant, nè illorum contagione inficiantur.

Officia, ipso pestilentiæ tempore ministranda, & constans in primis ministratio.

Capvt XIII.

Svmmarivm.

1 *Pestilentiæ tempore ab Episcopo sollicitudo laboriosior adhibenda: quæque officia tunc ab illo præstanda cum Parochis, Sacerdotibus, Magistratibus, populo.*

2 *Parochi } constantia, & quibus argumentis, ac Episcopi } rationibus illam sibi comparent.*

3 *Eorumdem ardentior charitatis zelus, multorum sanctorum exemplo.*

4 *Populi constantia, & officia.*

1 Cum pestilens contagio, vel in ciuitatē, vel in aliquam eius partem, vel in Diœcesim, eiusuè locum aliquem sese intruderit, eò diligentior cura, & sollicitudo laboriosior præposita Episcopo erit, quò grauius, certiusque periculum fidelibus, suæ curæ commissis instat.

Parochorum, & Sacerdotum, quos conquisierit, sollicitudinem omni cohortatione, omnique officio, atque imitationis exemplo, quo aliis præibit, ardentius accendet.

Quem verò locum pestis peruaserit, eò quàm primùm Episcopus certos Sacerdotes mittet, qui spirituali curationi incumbant. Cui curationi intereà Vicarius foraneus, si locus Diœcesis sit, prouidebit, dum Episcopus illos mittet.

Magistratuum, decurionumque studium, & procurationem, quam pestis periculo imminente paulò ante excitarat, vehementius eo ipso tempore inflammare non desistet, quo pestifera lues iam serpere incepit.

Populi itē charitatem, & pietatē sanctissimis, tùm orationū, piarūque exercitationū, tùm misericordiæ operū institutis, eò diligentius, studiosiusq; incēdet, quo vehemētius illū, pestilētię metu perculsū, afflictū, ac penè prostratū cernit. Quo in genere illam animi consternationem, ac stupiditatem quasi vecordiam quandam, quæ ex repentinis illis funestæ labis euentibus quàm sæpissimè accidit, ex hominum mentibus ita euellere studebit, vt & summi, & medij, & infimi non modò præ timore partes officij sui non deserant; sed erga Deum religione, & pietate in patriam, & amore erga suos, & charitate in ciues, valdè accensi, in omni fortitudinis, constantiæque officio sese contineant, atque excitent, non solùm ad labores, Christi Domini causa necessario tempore fortiter sustinendos, sed ad pericula etiam subeunda constantissimè. Itaque omnium animos confirmabit, non dictis tantùm, sed factis, Episcopali robore, Episcopalique virtute verè dignis.

Perpetuò igitur huc, atque illuc accurret, afflictos eriget, mœrentes mœstosque consolabitur, egentes subleuabit, orationis studium excitabit, opera, atque officia pietatis languere non sinet; & omnia denique tuebitur, quibus animi exsuscitantur, & maiores fiunt ad omnem sanctarum virtutum exercitationem.

2 Parochi autem, & Episcopi præclaro documento, exemploque instructi, & proposita in primis etiam sibi illa immensa charitate, qua animas sibi in curam traditas, Christus Dominus dilexit, pretiosoque sanguine, in ara Crucis profuso, redemit, non modò vmquàm non erūt in ancipiti deliberatione officiorum, quæ eis necessariò præstare debeant, sed nihil potius statuent, quàm illis in discrimine, calamitateque versantibus, omne spirituale pabulum ministrare, etiam si vitæ periculum subeant, memoria, & recordatione ea excitati, quòd sibi specialis cura commissa est, illas pascendi.

Et verò meminerint, multò conuenientius, negligens quoddam studium obiici, quod ipso ad Parochiales suos spiritualibus adiumentis necessario tempore subleuandos adhibent, quā quòd vitio is dari solet, qui languescente charitate sunt, nullaque cura ducuntur eosdem adiuuandi rebus ad corporis vsum necessariis.

In ea etiam recordatione versabuntur, magnam sibi oblatam opportunitatem, & accommodatam, cùm ad vitam pro grege profundendam, tùm ad operam ei vtiliter, necessarioque nauandam, non sine præclara testificatione desiderij, & zeli, quo exardescere debent salutis animarum.

In contagionis etiam periculo, quod certè hominum opinione longè minus est, ob oculos sibi ponent præcipuam illam curam, qua suos ministros Deus admirabiliter tuetur, ab omnique periculo incolumes conseruat, dū ad diuinæ maiestatis gloriam, animarumque salutem procurandam, ministeria sua religiosè conferunt. Id quod pestilentiæ superiori tempore animaduerti licet, quo perpauci, aut ferè nulli animarum curatores, qui in suæ curæ benè gerendæ officio, constantissimi, Parochialibus suis peste tabescentibus cùm alia sacramenta, tùm extremam etiam vnctionem ministrarint, mortem obierunt: contrà verò qui à sui ministerij functione longè refugerunt, complures morte erepti fuerunt.

Si rursùs contra euenisset, hoc secū statuent, nihil Sacerdoti, curam animarum gerenti,

optabilius, nihilque ad caritatis meritum ferè præstantius, quàm pro animarum, quæ sibi, suæque fidei concreditæ sunt salute mortem oppetere. Immò verò non defuerunt sanctissimi viri, qui scripserunt tale mortis genus, à martyrij gloria non longè admodum abesse.

His, atque adeò aliis generis commentationibus, & rationibus, quæ permultæ, illæ quidem sacrarum literarum monimentis consignatæ sunt, & sanctorum patrum documentis exemplisque explicatæ, Parochi, quasi stimulis curæ suæ incitati in dies ardentiori zelo sese inflammabunt, ad rectè, cumulatéque exequendas Parochialis sui muneris partes.

3 Iam verò igitur, & Episcopus pastoralis officij sui religione adductus, & iidem Parochi, animarumuè curatores, muneris suscepti rationibus commoti studiosè, sollicitéque præstabunt, muneris, ministeriique sui officia: ad quæ etiam, atque etiam vehementius sese excitabunt, exemplo accensi sanctorum virorum, Cypriani martyris, Basilij Magni, & Nicolai Episcoporum, Bernardini Senensis, beatique Rochi, quorum omnium mirifica in contagioso morbo cura extitit, & præterea Augustini sanctissimi epistola ad Honoratum conscripta, & præclaris item illis Dionysij Alexandrini literis, ex quibus Sacerdotalis, Clericalisque officij functiones, quas in grauissima peste Sacerdotes, Diaconique executi sunt, à se etiam omni caritatis studio, suscipiendas præstandasque facilè intelligent.

Sed nè longè solùm exempla petantur, domi etiam sunt, quorum documentis homines Ecclesiastici ordinis ad omne caritatis officiorum genus in pestifera labe exequendum instruantur.

Atque ij quidem sunt, Metropolitanæ Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopi duo, omni laude florentes, Benedictus, & Aspertus. Hic in teterrima peste, quæ suo tempore omnem Italiam populumque Mediolanensem præcipuè inuaserat, pestilenti lue tabescentes perpetuo studio visitasse, eisque sacramenta omnia ministrasse fertur: idque ipsum officium, eius exemplo, & iussu Parochi etiam accuratè præstitisse dicuntur; ille omni Europa, Italia, & vrbe, ditionéque Mediolanensi præsertim pestilentiæ morbo vexata, atque afflicta, cùm ea ipsa officia præstitisset; tùm cibum etiam, ac victum tabe languentibus manu sua ministrasse commemoratur.

4 Populus denique fidelis, Ecclesiasticorum hominum studiis, atque exemplis inflammatus, & eiusdem Dionysij præcipuis literis commonitus non afflictione, quasi tabescens, sed immenso quodam caritatis Christianæ, beneuolentiæque fraternæ ardore incensus, patriam non destituet, coniunctissimos non deseret, fidelium corpora insepulta non proiiciet, neque cætera aget, quæ à pietatis Christianæ officio aliena, olim gentes, à fidei religione auersas in pestilentia egisse iisdem Dionysij literis, proditum est.

Immò is occasionem nactus sanctè exercendi officia caritatis, omnisque religiosæ virtutis, talem se præstare studebit, quales in teterrima illa peste, quam ipsius item Dionysij literæ narrant, extitisse dicuntur, qui minimè perterrefacti, pestis morbo afflictos frequentissimè inuisebant, illis sedulò inseruiebant, curationemque omnem ob Christi amorem pro viribus adhibebant.

Cautiones adhibendæ nè pestis latius serpat.

Caput XIV.

Summarium.

1 *Cautiones, quæ ab Episcopo adhibendæ nè pestis latius serpat.*
2 *Processionum vsus, & ordo.* 3.
4 *Scholæ institutionis Christianæ, quo loco pestis tempore habendæ.*
Officia Parochialia quæ in Ecclesia gerenda, vbi Ecclesia Parochialis sit extra septa.
Sanctissimum etiam Sacramentum vbi asseruandum.
6 *Altare, vbi collocandum tempore pestis, & quando in eo celebrandum.*
7 *Parochialibus extrà cancellos degentibus, quæ ecclesia statuenda, vt Missam audiant, & aliis officiis intersint.*
8 *Sacerdos illis constituendus, & quorum sumptu. Quando etiam Parochus illis operam nauet: quæque alia ratio circa id ineunda.*
9 *Cancellorum ratio, quæ adhibenda, vbi ab existentibus intrà, & extra cancellos, Missa, concioque sit audienda.*
10 *Aqua benedictæ vas extrà cancellos collocandũ.*
11 *Oratorij, loco publico deputandi, ad Missam celebrandam, visitatio, & cautio.*
12 *Oratoriis in ipsis, quæ à Parocho denunciandæ populo significanda.* 13.
14 *Quæ ab eodem cum Syndicis agenda.*
15 *Quæ item cum patribus familias.*
16 *Quæ etiam cum populo.* 18.
17 *Liber Parochialis peste mortuorum, & liberatorũ.*
19 *Magistratus officium, nè pestis latius serpat.*
20 *Quarantena pestis tempore.*
23 *In ea quid prauidendum.*
23 *Illius ineundæ ratio.*
Magistratus deliberatio de ea habenda. 21.

1 Vbi pestis contagio aliquam, vel vrbis, vel Diœcesis partem inuadere cœpit, eam diligentem cautionem Episcopus adhibebit, primùm vt & in Parochis, & in omnibus Ecclesiastici ordinis hominibus, & vniuerso populo, pietatis Christianæ officia, studia, atque exercitationes, non solum aliqua ex parte non minuantur, & languefiant; sed quàm maximè fieri potest, diligenti sollicitudine augeantur, & sancto religionis zelo ardentius inflammentur. Deinde hoc sedulò maximè cauebit, vt dùm in eo excitandæ pietatis officio, ac studio versatur, dumque hoc enixè curat, vt celebritate summa, vniuersique populi conuentu, & religioso hominum cœtu res omnis Christiana eo tempore peragatur, at huic necessario in primis studio adiungat etiam omnem sollicitudinem, & cautionem, nè pestilentiæ vis latius serpat, sed reprimatur, atque extinguatur.

2 Et quoniam sanctarum processionum vsus

afflictissimo quoque tempore, & in pestilentia præsertim, grauissimoque morbo ab Ecclesia Dei perpetuò adhibitus est; ideò Episcopus non solùm imminente, vt narratum est, sed ingrauescente in dies peste, processiones, & supplicationes solennes toties instituet, atque adeò peraget, quoties opus esse viderit.

Quo in processionum officio præstando, hoc studiosius inhærebit, quod præter sanctissimorum patrum Basilij Episcopi, & Mamerti Viennensis documenta, ex quibus eæ processiones, quàm vtiles ad omnem calamitatem propellendam, quàm salutares sint, facilè intelligi potest, exemplis etiam vehementius inflammare debet, duorum sanctissimorum virorum Gregorij Magni, Pontificis, & Eutichij Constantinopolitani.

Hic vbi primùm processiones instituit, pestis vis tamdiù extincta est, dum ille ex hac vita migrauit. Ille verò Pontifice Pelagio, pestilentia mortuo, non modò non intermittendas, sed certo distincto fidelium ordine, ac solenni prece celebrandas illas censuit, non repentina morte deterritus hominum, qui octuaginta cum illo in processione obierant. Ad quod sanè officium perpetuò retinendum, piéque excitandum, apud nos in primis valere debet, vel plurimum, hoc etiam præclarum, luculentumque exemplum, quòd cum scilicet sexaginta ferè ante hæc tempora annis ciuitas Mediolanensis eo funestæ pestis contagio varia, multiplicique strage diu afflicta, tandem nullo alio remedio sustentaretur, diuinitus liberata est, publicarum processionum, & triduanarum supplicationum officiis, & ardentissimis pietatis pœnitentiæque studiis, atque operibus.

3 Et si, inquit Cyprianus martyr sanctissimus, plurimorum mens solida est, & anima deuota, quæ pestilentiæ impetu non mouetur: sed tanquam petra fortis, & stabilis turbidam, violentamque eius tempestatem frangit: tamen quia nonnulli, vel præ imbecillitate animi, vel præ dulcedine sæcularis vitæ, ac quadam quasi mollitie minùs stant fortiter, nec pectoris sui inuictum robur necessario tempore præstare possunt: ideò vtiis, qui in peste valde sibi cauendum putant ad cautiones descendimus, quas mox infrà demonstramus.

Id igitur Episcopus curabit, atque efficiet, vt cùm in omni Ecclesia, omnique celebritate, tùm in processionibus homines non conferti, non densi simul, & compressi inter se sint, sed ordine distincti, & aliquo interuallo separati, vt contagioni locus non detur.

Qua verò in Ecclesia pluries manè diebus singulis missæ sacrificium celebrabitur, hoc cauebit, vt non eodem tempore ad eandem Ecclesiam, cùm præsertim perangusta est, populus conueniat, sed diuerso tempore tamen, nisi necessaria causa aliter postulet.

4 Scholæ prætereà institutionis Christianæ, loco aperto, & amplo, vtpotè in cemeterio, foro, triuio, habebuntur; idem expedire videtur, cùm in orationis communis, aliorumque pietatis officiorum exercitatione, tùm in concionibus aliquando.

5 Ecclesia Parochialis, si extra illa septa est, quibus hominum aliundè venientium, & viatorum peregrinorumuè aditus, & ingressus pestis temporibus præcludi, atque obstrui solet: Parochus si intra illa septa vel intra oppidi lociuè mœnia, Ecclesiã aliam idoneam, & domiciliũ propinquũ vbi ipse habitet, inuenerit, eo sanctissimũ sacramentum & curæ Paroch. munus de Vicarij foranei consensu transferat; licebit. At si aliò iustis de causis minus expediret, ibi tamen ea Parochialia munera geret, ad quæ frequens populi concursus est, qualis est diebus festis Missæ Parochialis celebratio, prædicatio, vesperarum officium, & orationis communis, ac rei huiusmodi exercitatio. Id porrò omne, Episcopi iudicio, & voluntate statuetur.

6 Eiusdem iudicium erit, si quando pestis vel periculum, vel contagio aliquem locum vexare incipit, an propterea, vt populo locus amplus & commodus detur, Altare extra Ecclesiæ parietes, aut intra, sed in ipso ianuæ ingressu collocabitur, præsertim cùm vel Sacerdos, qui celebrat, pestis nomine suspectus admodum sit, & Ecclesia perangusta satis, vel contagio ad illius loci complures domos faciliusuè dimanarit.

Quod si Episcopus ita faciendum censuerit, tunc Vicarius foraneus, eiusdem concessu Missæ sacrificium in Altari portatili, quod ob eas causas intus in Ecclesia propè ianuam collocabitur, aliquoties celebrare permittet, idque præsertim die festo, & in Ecclesia præsertim, quæ exigua, & angusta valde est pro ratione multitudinis, quæ confertissima eò ad Missæ sacrificium vno tempore conueniet. Cùm verò Altaris portatilis facultatem dabit, eam cautionem præscribet, vt eo loco, & ità collocetur, vt ab omni venti, temporisuè iniuria, ab omnique rei indecentis, atque offensionem præbentis, periculo tutum sit.

7 Parochialibus suis, qui quoniam extra custodiæ fines, & cancellorum septa habitant, suspicionem aliquando maiorem præbent, cùm nullus ad eos aditus viatorum, peregrinorumuè præclusus sit, sed valde apertus ac planè liber Episcopi concessu, & auctoritate ita prospiciet, atque consulet, vt in aliqua propinqua Ecclesia, sacellouè probato ad Missæ sacrificium conueniant; vbi itidem sermonibus, statis denunciationibus, cohortationibus, scholis Christianæ institutionis, festo solennique officio vesperarum, processionibus, litaniis, orationi communi, & aliis pietatis Christianæ exercitationibus intersint.

8 Quam ob causam eis certum aliquem proprium Sacerdotem Diœcesanum constituet: cuius sustentationi succurretur eleemosynis, quas, vel ipsi, vel omnes illius Parochiæ homines ad eam conferent, aut certè alia inita eius sustentandi ratione, vt commodius fieri poterit. Sin hac via non succedet; hanc aliam aggredietur, vt, dùm pestilentiæ suspicio, & periculum est, aliquem Sacerdotem Capellanum illius oppidi lociuè, qui idoneus ad Parochialia officia præstet, Episcopi concessu ad illos homines eo potissimùm tempore mittet, quo tantùm illius ministerio opus est. Si verò complures Parochi sunt, vnus aliquis eorum curæ causa illuc se conferet. Immò si vel vnus tantùm Parochus animarumque curator est, eam aliquando cogi-

rationem atque laborem suscipiet, vt ad Parochiales illos suos, cùm per alias curæ occupationes licet, crebrò proficiscatur, vt tùm Missæ sacrificium celebret, sermonem habeat, & id generis officia omnibus vniuersè præstet, tùm etiam speciatim singulis, quibus opus est, sacramenta ministret & alia adiumenta spiritualia præbeat, quæ à se in primis præstari, suscepti officij Parochialis munus deposcit.

Sed demùm si omni ea ratione, ac via spiritualibus illorum necessitatibus non satis prospectum, consultumque esse potest, nullo tamen modo Vicarius foraneus, aut præfectus, aut Parochus patietur, Parochiales illos, qui verè pestilentiæ morbo non laborant, nec verò certis causis in suspicione contagij verè sunt, Ecclesiæ Parochialis communis, aliarumuè, quæ illius membra sunt, aut intra eius fines positæ, aditu, & ingressu excludi, atque adeò prohiberi quo minùs ibi missæ sacrificio, sacris concionibus, & cæteris Christianæ pietatis actionibus vniuersè intersint, atque præterea vnusquisque speciatim sacramenta ibidem, aliaque spiritualia adiumenta à Parocho sumat.

9 Eam quoque rationem Parochus Episcopi concessu inire poterit, vt si quando præsertim, qui extra custodiæ septa habitant pauciores sunt, quàm illi, qui intrà eiusdem fines domicilium habent, aliqui cancelli, per quos missæ sacrificium inspici possit, intus in Ecclesia Parochiali, si eius amplitudo hoc tulerit; alioquin in ipso vestibulo præfigantur, vt distincti, & separati inter se sint, qui intra septa morantur, ab illis qui pauciores foris manent: atque hac quidem necessaria causa Parochus permittet eos Parochiales extra Ecclesiæ ostiũ missæ sacrificium tunc spectare nullo decreto vel Prouinciali, vel Diœcesano obstante.

Hæc ipsa cancellorum ratio, & viatorum, & illorum etiam causa adhiberi poterit, qui alienæ curæ homines ad aliquam aliam Ecclesiam, Vicarij foranei iussu conuenient, quod licet fortasse locus, vbi habitant, ab omni contagione, suspicioneuè liber sit: tamen vbi Ecclesia Parochialis sita est, ad quam conuenire debent, locus pestilentiæ morbo laborat.

Cancellorum etiam sepimento eos quoque Parochus separabit, quos ex aliena Parochia ad Missæ sacrificium, diuina officia, & concionem accedere animaduerterit. Verùm cum istis, vt maximè potest, admonitione omni aget, vt ad propriam eorum Ecclesiam Parochialem conueniant.

10 Iis, qui extra præfixos in Ecclesia cancellos manent, aquæ sanctæ vas præcipuum ab alio distinctum, ac separato loco collocatum, apparabitur. Quod extra Ecclesiam, dùm pestis suspicio est, ponatur licet, modò tamen à canibus, aliisque brutis animantibus, & omni rei indecentis periculo tutum sit, aut inde in Ecclesiam, locumuè tutum asportari possit, Missæ sacrificio, diuinisque officiis peractis.

11 Vbi vel vniuersus populus, vel magna pars eius, aut vniuersa vicinia ædium suarum exitu prohibetur; Missæ sacrificium in oratoriis, Altaribusuè, quæ iàm parietibus exædificata sunt, quæuè tunc ex asseribus in vicinia, foro, via publica, locouè opportuniori exstruentur, celebrari Episcopus permittet: qui locum, vbi illa struentur, cùm primùm inspiciet, arbitratuque suo deliget, tùm cauebit sic extrui, vt suprà cautum est, de omni periculo euitando.

Hanc porrò curam is, cùm per alias occupationes non potest, in vrbe præfectis regionariis, aliisuè, quos maluerit, & in Diœcesi vicariis foraneis relinquet.

12 In iis oratoriis, Altaribusuè, atque adeò singulis viciniis Parochus, prout opus erit, statas denunciationes dierum festorum, vigiliarum, matrimoniorum, & rerum aliarum, quas de more enunciare solet, promulgabit, atque edicet, ediciuè curabit.

13 Parochus quàm sæpissimè Parochiales suos, etiam de Altari moneat quàm grauiter peccent, qui præ metu alicuius vel incommodi, vel detrimenti, aut alia causa pestiferam, contagiosamque labem, qua infecti sunt, occultè celant, quamque exitiosum vitæ suæ detrimentum inferant, propterea quod si ab initio curationi se darent, facilius morbum depellerent; ac rursùs quàm vehementius aliis noceant, qui ob eam causam, quoniam illos non cauent, se facile contagione inficiunt: & verò, quod maximè omnium interest, certo repentinæ mortis periculo sese ipsi offerunt, vt nè contritionem quidem, qua sua peccata doleant, animo concipiendi, nedum sanctissima sacramenta sumendi spatium, vel exiguum habeant.

14 Parochialis viciniæ, lociuè Decanis, vel Syndicis, Consulibusuè id curæ Episcopi nomine commendabit, vt diligenter, vigilantique studio singulorum morbum explorent, & si quem in contagionem incidisse compererint, quàm primùm se, & laicos, etiam eo nomine constitutos, certiores faciat, quibus, ex legibus magistratus sanitatis id denunciare debent.

15 Idipsum patresfamilias monebit, vt hoc itidem de iis ipsis singulis sedulò præstent, qui in sua familia, famulatuuè sunt.

16 Populo præterea suadebit, vt omnes, & singuli valetudinis publicæ zelum, studiumque suscipiant, ità vt si quis aliquem viciniæ suæ hominem, aliumuè ex peste laborare certò scit, aut probabiliter suspicatur, rem omnem confestim, & sibi, & laicis illis à magistratu cõstitutis denunciet. Ad quod sanè officium quò vehementius incitet, certis argumentis demonstrabit, quàm graues pœnas Deus ab iis reposcet, quorum negligentia, culpauè, tot, tamque acerba damna, & mala non modo illis peste tabescentibus, quorum morbum patefacere debuerant; sed aliis etiam singulis, qui contagionem contraxerunt, & vniuersitati denique importata sint.

Aliam præterea rationem omnem idem Parochus adhibebit, vt de cuiusque morbo certior quàm primùm fiat.

Illud verò præter cætera populo significabit, sibi ab Episcopo illud præscriptum esse, vt si quem in Parochiali vicinia ægrè se habere senserit, illum statim inuisat: quò diligentius in tempore sanctissima sacramenta ministret, omnéque aliud adiumentum, cùm ad animæ salutem in primis; tùm ad corporis etiam curationem conferat.

17 Certo libro omnes, & singulos Parochia-

les suos notabit, non modò eos, qui pestilentia, suspicioneuè laborarint, ac demùm liberati fuerint, vbicumque vel domi vel in locis publicæ curationis degerint, sed illos etiam qui pestifera labe affecti, mortem obierint, vbicumque manserint.

18 Denique opportunè Episcopus, tamquàm populi pater, vt multis rebus, quæ pestis tempore incommodè, acerbéque de repentè accidunt, paterna cura prospicere possit, per Parochos,& alios tùm Ecclesiasticos homines,quos huic curæ præfecerit,tùm per pios etiam laicos sibi nunciari, & significari curet, quæcumque Episcopalis officij sollicitudinem, operam, & studium requirunt.

19 Magistratus porrò, & Decuriones ad eas sollicitudines, quas maximas, prudentérque excogitatas in peste propulsanda ponunt, illam vnam maximè omnium necessariam curam adiungét,vt primò pietatis opera atque officia promouere studeant; tùm illa summoperè caueant, quæ piis officiis, diuino cultui, sanctis charitatis Christianæ exercitationibus, & religiosis publicis orationibus, aliquo modo vel repugnant, vel certè obstant: cùm hæc istiusmodi sint, quæ non imminuant, aut depellant, sed vehementius excitent; prouocentuè vim, impetumque pestilentiæ. Contrà verò illud certum, atque exploratum est, illam restingui frequenti piorum operum vsu, religioso diuinæ charitatis cultu, & publicis supplicationibus. Hoc ex antiquis Christianæ religionis exemplis, quæ narrata sunt, planè declaratur.

Quamobrem hæc, præter cetera videbunt omni pietatis studio.

Vt in supplicationibus publicis frequentissimè sint.

Vt sanctarum, spiritualiumque exercitationum studia, atque officia, nè quidquàm impediant.

Vt nihil obstent, quominùs ad Missæ sacrificium fideles conueniant, conciones adeant, processionibus publicis intersint,orationes item publicas obeant, & priuatim quoque precêtur.

Nec præterea quidquam impedimenti afferant, quo minùs funera,Ecclesiastico more ducantur, & sepulturæ locus sacer detur,eiusdemque item officium peragatur.

Nec verò prohibeant liberis parentes, rursusque parentibus liberos,&cognatis cognatos, cùm vel pestilentia affecti sunt, vel contagionis nomine suspecti, inseruire: neque publicorum ministrorum suorum, aut eorum, qui oppidorum, vel vniuersitatum administrationi, curationique præsunt, minitationibus, aut perterrefactione patiantur illos ab iis pietatis, charitatisque officiis auocari, abduci, abstrahiuè.

Vt caueant nè Parochos, animarúmque curatores, & certos illos Sacerdotes, qui in publicis curationum locis ad sacramenta ministranda constituentur, aliosuè Ecclesiastici ordinis homines vllo quouis modo, vel nomine vel prætextu impediant, quin, & sacramentorum administrationem, & debitas muneris Parochialis functiones,debitauè curæ officia tùm vniuersè, generatimque populo,tùm speciatim singulis contagione etiam affectis, suspectisuè præstent.

Hoc item ab illis in Dominò vehementer petimus.

Vt nè aditu, exituuè oppidorum,pagorum,locorumuè eosdem prohibeant, contrà Ecclesiasticæ libertatis iura, & Episcopi præscripta, cui salutem, incolumitatémque populi suæ curæ commissi, non minus sibi, quam ipsis cordi esse persuasum habere debent. Quo in genere tanto grauius peccarent eo periculoso tempore, quo Ecclesiæ ministros huc, atque illuc confestim die, noctuque in singulas horas, vel in momenta potius ad salutem animarum procurandam accurrere magis necessarium est, quàm alios etiam publicos præfectos, curatoresuè valetudinis corporum, quibus aditus, atque exitus in omnes partes dari,& patere solet.

Vt longè refugiant ab eo detestabili vsu, peste affectos, suspectosve, tamquam pro derelicto habitos, abiecta scilicet omni eorum cura, ab vrbe, municipio, oppidouè inhumanè exturbandi.

Vt nè in iis ipsis è domicilio ad tuguriola abripiendis plus exquisitæ diligentiæ adhibeant quàm pro charitatis Christianæ ratione adhiberi par est.

Vt nè in illis secludendis, domique custodiendis seuerius agant, quàm cum Christiana charitate conueniens est.

Vt denique in omni cautione non magis prudentiæ suæ,quàm diuino auxilio innitantur.

20 Cùm verò ex Ecclesiasticis monimentis nusquam compertum sit, fidelem populum vnius ciuitatis, oppidiuè, vniuersum, vmquam in pestilentia, vt contagionem euitaret, hoc commisisse, vt diuturno admodum tempore totus ab Ecclesiæ conuentu penitus abstineret, eiusque stationes planè desereret: immò verò contrà perspici possit, crebrius, ardentiorique diuinæ caritatis studio,quàm anteà consueuerat Ecclesias frequentare: ob eam causam Magistratus diligenter videbit, vt ne quarantenæ, quam dicunt, lege, illum vniuersum domo exire prohibeat, quò fiat, vt diutius, quàm religionis pietas postulet, officia prætermittat, quæ in Ecclesia Deo præstare debet. Nam vt silentio prætereantur difficultates, incommoda, detrimenta, damna, mala, quæ inde multa Reipublicæ gubernationi euenire possent, cauendum etiam maximè est, nè, cùm populi multitudo sanctarum ceremoniarum, quæ oculorum aspectu cernuntur, vsu, & ritu, ad pietatis studium incendatur, si domi reclusa, aliquamdiù ad Ecclesiam non conueniat, magna ex parte religionis officia non modo in ea inculta sint, sed planè deflorescant. Qua quidem ex re longè grauior pernicies pertimescenda est, quàm ex omni vel funestissima pestilentia.

21 Quare Magistratus de quarantena diligenter, accuratè,& piè in primis,etiam atque etiam videbit, matura deliberatione, & re omni cum Episcopo communicata, vt non minùs animarum pesti, quàm corporum contagioni,quæ infinitis partibus inferior est, rectè prospiciatur.

22 Quòd si aliquando indicetur,illud maximè præuidendum erit, nè in Aduentum, Quadragesimam, solennitates Domini, sacraque alia tempora incidat, quibus pro sacrosancta diuinorum officiorum celebritate populi fidelis

conuentus in Ecclesia, & frequens, & solennis itidem esse debet, vt solennia sacra sunt, quæ ex Spiritus sancti doctrina, religiosis cærimoniis, diuinoque ritu celebrantur.

13 Ea prætereà ratio ineunda erit, vt speciatim, potiùs, quàm vniuersè, & in summa instanti necessitate quaranteua fiat; ità vt vel fœminæ solùm cum pueris, vel aliquando viri, vel vnius viciniæ tantùm, quæ grauius è suspicione laborat, homines certo illo tẽporis spatio, eoque non diuturniori domi se contineant.

Cautio in Sacerdote ministrante.

Cap. XV.

Summarium.

1 *Paroch. } in suspicionem pestis incidens, quam Sacerdos } ad hibeat cautionem.*

2 *Quæ item adhibenda cautio in audienda confessione, ministranda Eucharistia, & Sacramentis aliis in pestilentiæ suspicionem incidentibus. 3.*

3 *Sacerdotum plurium deputatio, ministeriorumque inter eos diuisio.*

SI Parochus ob aliam causam, quàm ob ministerij sui Parochialis occasionem in pestis suspicionem inciderit, plures sanè dies domi se continebit, quot scilicet pro suspicionis ratione Episcopus boni publici causa statuerit. Quod verò ad ministeria Parochialibus suis præstanda attinet, ea ipsa ratio seruabitur quæ Parocho suprà proposita est, si quando ministerij sui occasione in suspicionem incidit.

2 Idem Parochus, aliusuè Sacerdos, qui peste laborantium curam gerit, quoties hominem sibi commissum habet, qui in pestilentiam, suspicionemuè inciderit, vt & nullo loco officiis desit, quæ in eum conferre debet, & quàm cautissimè potest, omne periculum euitet, vbi se ad Dei voluntatem totum accommodarit, deliberationemque susceperit mortis in singulas horas obeundæ, vt animabus sibi in curam traditis, ad salutem prosit: præsidium verò incolumitatis suæ in Dei potissimùm custodia posuerit; has etiam cautiones adhibere poterit.

Vt si quando hominis peste affecti, suspectiue confessionem audit, loco audiat, qui aliquantulum à lecto distet.

Cùm verò sine magno illius incommodo id fieri potest, curet licet, vt ad fenestram, aut ostium, aut in porticum, vestibulumve, aut ad impluuium, aliumve locum apertum accedat, vbi illum confitentem audiat, vt cubiculum declinet, in quo contagionis periculum timeri solet.

Vt eadem cautione in sanctissimæ Eucharistiæ ministratione vtatur.

Vt aliis remediis se præmuniat, quæ religiosorum hominum in primis consilio probata, medicorum iudicio vim aliquam repellendæ contagionis habent.

Vt dùm intrà septa curationis publicæ sunt, vestes contractiores, aut ità succinctas, quæ infrà genua vix protendant, adhibeat.

Vt in ijs ministrationibus non pluuiali, sed solùm superpelliceo, & stola vtatur.

Sacræ hostiæ particulam vnam, aut plures, quæ ad communicantium vsum tunc satis erunt, ferre poterit: nec verò aliam prætereà, quæ de more reportetur, dùm ad Ecclesiam, capellamuè redit.

At verò in omni Sacramento, multóque magis in sanctissima Eucharistia ministranda, cauebit, vt euitandi periculi, vel suspicionis causa nè quid vel minimum, quod nociuum sit, ad ministrationis ritum introducat, neuè instrumentum, aliudve quid simile ad ministrationem pro digitis, vel adeò in ijs ipsis adhibeat.

Extra domicilij ianuam, aut tuguriorum septa eos consistere iubebit, qui sanctissimum sacramentum luminibus prosequuntur, Clerico excepto.

Quorum luminum loco aliqua, si fieri potest, per eos accendi mandet, qui intra illud domiciliũ, eave septa habitant, cùm iam suspecti sint.

Sacerdotes, præfecti curationi spirituali hospitalis domus, alteriusuè loci, vbi morbo infecti, suspectiuè curantur, abstineant ab omni vel consuetudine, vel alio contrahendæ contagionis periculo, quod aliunde existere possit, quàm ex sacris fũctionibus, & ministeriis, & aliis charitatis officiis, quæ præstanda susceperunt.

3 Eorum Sacerdotum, si plures sunt, vnus deligetur, qui ægrotis sacram communionem præbeat, cæteraque ministeria præstet, quibus obeundis propius accedat necesse est: at verò plures etiam pro multitudine ægrotorum; alius autem, qui peste suspectis curam, operamque suam in ijs ipsis ministeriis nauet; alius minùs suspectis, & conualescentibus, custodibusve, & famulis, cæterisque ministrabit, qui à suspicione liberi, in hospitalis domus, aut loci tuguriorum finibus extra septa degunt.

In sacramento autem pœnitentiæ ministrando; in sacra concione habenda; in doctrina Christiana tradenda; & aliis functionibus, quibus præstandis ad eos peste, vel affectos, vel suspectos appropinquare non est necesse, vnus, & item alter vicissim, prout inter se conuenerint; aut, prout Episcopus maluerit, operam suam, curamque non ægrotis solùm, suspectisuè nauare poterit; sed cæteris etiam, atque adeò illis, qui rectè valentes, extra tuguriorum fines collocati constitutique sunt ad locorum eorum custodiam, vsum, & famulatum.

Cùm eorum Sacerdotum vnus ægrotis curam, ministeriumque nauat, alter ijs, qui tantùm in suspectis habentur; cautè etiam ijs ambo mutua inter se consuetudine vtentur; nè præ suspicione fideles à suscipiendo eorum ministerio auertantur. Atque si in ijsdem domiciliis habitant, eorum tamen commercium aliquo interuallo disiunctum erit.

Eorum vnusquisque ad Missæ sacrificij vsum distinctas sacras vestes, mappas Altaris, distinctosuè etiam calices, si fieri potest, habebunt.

In capellis quoque Altaribusuè distinctis celebrabunt.

Si verò vna tantùm Capella est, vnumuè Altare, nè vnus alterius indumenta, mappasuè adhibeat, tangatuè.

Si aliquando, vel in Missæ sacrificio, vel in sanctissimæ eucharistiæ ministratione, cùm

Clericus desit, qui ministret, alter alteri ministrare necesse habet; vtriusque cautio eadem erit.

Cautio in Sacerdote, qui ministrauit.

Capvt XVI.

Svmmarivm.

1 *Parochus Sacerdos* { *ob ministrationem sacramentorum, & aliorum ministeriorum in pestis suspicionem incidens, quid faciat; à quibus abstineat; quæque caueat. 8. 9.*

2 *Parochus Sacerdos Clericus Famulus.* } *6.* { *extrà Parochiam, & è loco illis deputato egredi probibentur. 9. & quando egredi possint. 7.*

3 *Egrediens, quo signo vtatur: & quando vti desinet. 7. Et quando iterum vtatur. 9.*

4 *Baptismus, quo ritu, durante suspicione, ministrandus.*

5 *Deputatio Sacerdotis idonei ad sacramenta peste liberis ministranda.*

1 PArochus, aliusuè Sacerdos, cùm vel peste tabescenti extremam vnctionem ministrauerit, vel in eius cubiculo confessionem propius audierit, aut aliud denique egerit, vnde apud populum in probabilem pestis suspicionem inciderit, tunc aliorum commercio consuetudineuè per aliquot dies abstineat, nè benè valentibus contagij periculum, aut certè timorem inijciat.

Dùm is, tanquàm suspectus, domi se continet, si fortè acciderit opus esse alicui, itidem suspecto, aut infecto, qui Parochiæ suæ sit, aut alienæ, at curæ suæ commissus, huic ministerium suum, operamuè sacramentis ministrandis præstabit.

Quo tempore ab aliorum commercio abstinet, in Parochiali tantum Ecclesia, aliauè, quam præfectus regionarius, aut Vicarius foraneus constituerit, Missam celebrabit, & in eo præterea solùm Altari, in quo nemo alius Sacerdos eo tempore celebrabit.

Quod Altare si fieri potest, Cancellis munietur, quibus populo ingressus præcludatur.

Quo ipso tempore ad Missæ celebrationem vestes sacras & mappas Altaris adhibebit, quæ separatim loco distincto asseruabuntur; nec aliis Sacerdotibus tunc vsui erunt.

De suggestu, alioue eius generis loco, qui à populi frequentia aliquo interuallo disiunctus sit, sermonem, concionemuè habere poterit.

Confessionem in Ecclesia intus, & foris, at in sede confessionali audiet; quæ præter laminam perforatam, aliquid etiam intermedium, interiectumuè habeat, opere chartaceo confectum. Extrà etiam confessionalem sedem audiat licet; ità tamen vt confitens ab eo distet tribus, quatuoruè cubitis.

Parochialem etiam viciniam, aliamuè curæ suæ commissam, obeat licet, cùm vel funus curare, vel alia Parochialia officia præstare necesse habebit.

Alia prætereà loca adire poterit, cùm peccata confessurus ad alium Parochum, confessariumuè, qui propius absit, se conferat, opus est.

At sanè expediet eum confessarium ad eum potius in Parochiæ finibus accedere.

Cauebit autem, nè in chorum Ecclesiæ, vbi alij Sacerdotes sunt; neque aliò item, vbi frequens hominum conuentus est, proximè ad eos accedat.

2 Nec verò idem Sacerdos extrà Parochiæ fines, excepta causa, quæ commemorata est, sine Episcopi, aut præfecti regionarij, Vicarijve foranei facultate scripta discedet.

Neque porrò facultas dabitur, nisi cùm aliis suspectis sacramenta ministraturus est; aut benè valentium etiam adhibita paulò ante demonstrata cautione, confessionem, Episcopi iussu, auditurus, aut ad Episcopum res, ad curam suam pertinentes relaturus, aut aliquid acturus, quod sua causâ agi necesse est.

3 Quàm diu verò ab aliorum consuetudine suspicionis causâ abstinet, cùm domo, aliqua causa, facultateve egredietur; semper, præterquàm cùm sanctissimam Eucharistiam feret, ferulam albi coloris, quattuor cubitis longam, quod signum suspicionis erit, manu gestabit, vt omnes eius congressum proximumque accessum cauere possint.

4 Eo ipso tempore, dum suspectus est, baptismum infusionis, non immersionis ritu, vbi huius ritus consuetudo aliis temporibus est, ministrabit; statas verò baptismi cerimonias ad id tempus differet, quo à suspicione liber erit: aut alium Sacerdotem adhibebit, qui baptismum statis cerimoniis ministret.

5 Alterius etiam Sacerdotis ministerio vtetur, ad sanctissimam Eucharistiam, extremamque vnctionem, Parochialibus suis ministrandam pestis suspicione non laborantibus.

Quamobrem Parocho, dum eo loco pestis est, vbi curam gerit, facultas detur, alium Sacerdotem substituendi, qui ab ordinis munere non sit suspensus, vt Parochialis curæ munera obeat. Ne tamen audiendis confessionibus alium Sacerdotem substituere possit, quem anteà Episcopus non probarit; nisi huius substitutionis potestatem idem fecisset.

6 Clericus, famulusuè Parochi suspecti, aliusuè, cuius opera vti velit, quo tempore ille domi se continet, inde etiam nè ipsi quidem egrediantur ad præscriptum: si quando autem exire necesse habebunt, ferulam de more gestabunt.

7 Vbi septimus dies, aut aliud tempus, ab Episcopo præscriptum prout viderit expedire, præterijt, quo Parochus in pestis suspicionem ob ministerium incidit, neque aliqua parte se læsum sentit; nec verò suspicatur se contagione infectum esse; liberè, vt anteà, & sine ferula omnia loca adire, Parochialisque curæ munera obire potest, nisi aliter Episcopus iusserit. Idem de Parochi Clerico, famulo, familiauè censendum erit: quæ ex Parochi, ob ministerium, suspicione sese domi continuit.

8 Parochus autem, & Sacerdotes in loco curationis publicæ constituti, nè propiùs accedant, congrediantur uè cum iis, qui à pestis suspicione liberi sunt: neuè alia ratione eis periculum, aut suspicionem contagionis afferant.

9 Quamobrem è loco, in quo collocati sunt,

facultate ab Episcopo, præfectoue regionario, aut à Vicario foraneo in Diœcesi non impetrata, nè discedant. Nec verò illi præfectus scilicet regionarius, & Vicarius foraneus, Episcopo inconsulto, dent nisi ob causam, quæ vel ad spirituale ministerium, vel ad publicam curationem spectet: ob quas causas sæpè accidit, eos ad alia loca mitti oportere. Cùm autem foras quauis causa facultateuè exeunt, ferulam albam, Parochis suprà constitutam gestabunt.

Cautio in homine Ecclesiastico ob aliam causam suspecto, aut peste etiam infecto, adhibenda.

Capvt XVII.

Svmmarivm.

1 *Cautio ab Ecclesiastico peste infecto, hæc adhibenda; vt domi ipse, & sua familia se contineat. neminemque intra eam admittat.*

2 *Et quorum curâ id ab ipsis exequendum. 9.*

3 *Parochi officium cum Ecclesiastico peste laborante: deque eodem cum Episcopo vel præfecto regionario, Vicarioue foraneo. 4. Et curatoribus publicæ valetudinis. 5.*

6 *Regionarij præfecti Vicarijque foranei. } cura in procuranda purgatione domorum, & supellectilis Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum.*

Supellectilis Ecclesiasticæ index, & locus. 3.

7 *Medici à Parocho adhibendi, ad cognoscendum an quis peste mortuus, vel nè.*

8 *Vicarij foranei officium in prohibendo Ecclesiasticis egressu è loco suspecto, & in adhibendis cautionibus prædictis. 9.*

1 AD tuendam publicam valetudinem Episcopus eam facultatem Parocho dabit, vt non modò Ecclesiasticis hominibus, qui in Parochiali vicinia habitant; sed etiam socio curæ Parochialis, & Parocho item, proximè habitanti, si quis eorum in pestilentiam, eiusque suspicionem inciderit, hæc, vt infrà, præcipere, iubereuè possit.

Vt is scilicet vel infectus, vel suspectus intra domicilium, certi præscripti tẽporis lege se contineat, aliorumque consuetudine abstineat.

Vt neminem alium intrò ad se domum recipiat admittatuè.

Vt illius familia hoc ipsum omne itidem præstet.

2 Hanc eandem potestatem præfectus regionarius cùm in reliquos Ecclesiasticos homines, tùm in Parochos ipsos exequetur, non solùm si quando eorum quispiam peste afficitur, pestisuè suspicionem præbet, verùm etiam alia de causa. Ad cuius rei exequendæ vsum pœnis arbitrij sui contra contumaces aget.

Hæc ipsa facultas erit etiam vniuscuiusque Vicarij foranei, cui prætereà laicos homines, cum Ecclesiasticos idoneos non habebit, qui
1 hæc exequantur, substituere licebit; si quid præsertim de repentè acciderit, quod aliena opera opus habeat.

Eisdem prætereà singulis licebit, etiam laicorum ministrorum custodiam, si ità quandoque expedire censuerint, adhibere.

3 Parochus igitur, vbi primùm Ecclesiasticus homo in suspicionem pestis incidit, facultate sibi data, vt opus esse viderit, statim diligenter, & prudenter vtetur.

Ecclesiæ autem vestes, & præcipuè, quibus ille propriè vtebatur, vnde contagium existere possit, omni diligentissima cautione, vt nihil planè amittatur, certo loco, ab aliorum consuetudine semoto, reponi, & custodiri curabit. Qui locus benè sepietur, & munietur, & suppellectilis, quæ in eo recondetur, index, omnisque alia opportuna cautio adhibebitur.

4 Episcopum prætereà, aut præfectum regionarium, aut Vicarium foraneum de tota re certiorem itidem faciet, vt, vbi rem ipsam diligenter cognouerit, vel aliquid aliud, vel idipsum diligentius statuat, prout expedire videbitur.

5 Rem item omnem curatoribus publicæ valetudinis, in ea vicinia constitutis, quàm primùm significabit, vt & subministrentur, quæ eorum opera, ministerioue ei tunc subministrare necesse est, & omnis alia diligens cautio ab illis adhibeatur, quæ necessaria esset ad alios homines conquirendos, qui cum eo, alijsuè illius familiæ, domusuè commercium habuissent; aut alio modo eius rei causa suspecti esse possunt.

Si verò Parochus est, aut eius Clericus, aut familia domusuè, quæ in suspicionem incidit, hæc ipsa officia socius Parochialis curæ, si quem habet, alioqui Parochus propinquior præstabit.

6 Curabit porrò præfectus regionarius, aut Vicarius foraneus impensè admodum, vt & domicilia, & supellex Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum hominum quam diligentissimè expurgentur.

Ad cuius expurgationis rationem omne exquisiti studij, cautionisque genus Episcopus adhiberi iubebit, quod ex Magistratus præscripto in laicalibus rebus expurgandis adhiberi solet. Et vbi opus esse censuerit, ad expurgationem eorundem ministrorum operam vtendam curabit.

7 Cum ex facti, quod euenerit, ratione, dubium existit, an quis peste mortuus sit, anuè illius supellex eo nomine suspecta, anuè alio genere morbi affectus, tunc Parochus medicos in consilium adhibebit, aliosuè peritos, eosque potissimùm, quos Magistratus curæ eiusmodi præfecerit, vt de re tota certius statuatur.

8 Parochus, aliusuè Ecclesiastici ordinis homo, qui loca incolit, quorum commercium ob suspicionis causam vetitum edicto publico est, nè inde egrediatur, prohibeat Vicarius foraneus, sicut cæteris eorum locorum incolis prohibitum est: ità tamen vt certis iis regulis, & facultatibus, quæ Ecclesiasticis hominibus peste suspectis, suprà constitutæ sunt, vtatur, & fruatur, præsertim, qui animarum curam quouis modo, aut nomine gerit.

9 Hæc omnis cautio tùm in Sacerdote ministrante, tùm in eo, qui ministrauit, tùm etiam in Ecclesiastico homine peste suspecto, quicunque sit,

que fit, vt diligentissimè adhibeatur, atque seruetur, Parochi, vt suprà, cura erit. Quæ sanè cura omnis, cautioque in vrbe ad præfectum regionarium, & in Diœcesi ad vicarium foraneum maximè pertinebit.

Cautio in Monasteriis, & Collegiis piis adhibenda.

Capvt XVIII.

Svmmarivm.

1 *Cautio in Monasteriis, & locis piis quæ adhibẽda.*
2 *Diuina officia,* } *non omittenda.*
3 *Missæ celebratio* }
4 *Eleemosyna illis facienda, & vnde. Vide etiam cap. seq. num. 5.*
5 *Monasterio incapace, ad continendum suspectos, & liberos, quæ via ineunda.*
6 *Monasteriis Monialium peste suspectis, quæ alia cautio adhibenda.*
Clausuramque quando ob pestem egredi liceat.

1 SI regularium hominum monasterium, aliudve Collegium Ecclesiasticum, aut domus, vbi collegiatim viuitur, in pestilentiam, eiusuè suspicionem inciderit, eadem tota ratio, & cautio, quæ mox suprà demonstrata est, ab Episcopo, & præfecto regionario, Vicarioue foraneo ipsius Episcopi nomine ita diligenter adhibeatur; vt omnes qui in eo monasterio, collegioue habitant; nisi aliquos solùm peste suspectos esse, manifestò constet, ab aliorum hominum consuetudine, commercioue abstineant, & intra monasterij, domusve septa se contineant, ad Episcopi præscriptum. Eam verò cautionem inter se adhibebunt, vt alter ab altero ita separatim in consuetudine versetur, vt nè contagium contrahere possit. Quamobrem etiam in hortis tuguria strui expediet.

2 Verùm nè propterea in eorum Ecclesia diuinus cultus intermittatur: sed diuina officia in choro, vt moris est, obeant; ita tamen, vt ibi alter ab altero separatim aliquo exiguo spatio interiecto sit.

3 Missas singuli in singulis Altaribus distinctis celebrent, sacris adhibitis indumentis, & instrumentis, quæ ex communi sacristiæ supellectile sumpta, ad suum quisque vsum eo tempore sigillatim locoque separato seruabit, & custodiet.

Ne verò vllum populo periculum inde existat, à capellis, vbi celebrabitur, & choro aditus ipsius populi secludatur, cancellis ferreis, ligneisve, aut alio eiusmodi sepimento.

4 At nè dum se intra septa ab aliorum consuetudine abstinent, quicquam ad victum eis desit, è publico illo sumptu, qui necessario eo tempore ad pauperum sustentationem constitutus est, eleemosynam vt opus erit, subministrari curandum erit.

5 Si Ecclesiasticorum hominum in eodem monasterio, locoue collegiatim viuentium, magnus admodum numerus est, qui pestis nomine suspectus sit, nec verò domus, habitationisue amplitudo eiusmodi est, vt omnes tuguriis etiam extructis commodè separatim habitare possint: expedit, vel eos omnes, qui ex peste, suspicioneve laborant, vel his relictis, alios rectè valentes, suspicionéque liberos ad aliam domum, monasteriumve, aut etiam ad plura traduci, quæ tamen vacua sint, & ita constructa, vt dùm curationis, aut suspicionis causa in illis manent, regularem modestiam Ecclesiasticamque ordinis sui disciplinam rectè seruare possint.

6 Hæc ipsa cura, & cautio adhibebitur, si quando fortasse monialium, in eodem monasterio viuentium, magnum numerum pestis peruaserit.

Sed in earum monasteriis, pestis nomine suspectis, magna ab Episcopo cautio adhibenda erit, nè ex ea occasione intra septa monasterij aditus sit, sine necessaria causa.

Nec verò extra clausuræ septa, finesve egrediendi facultas, nisi vrgente, necessariaque item causa monialibus permittatur.

Si verò aliquando necessitas efflagitat, vt illæ intus visitentur, aut inspiciantur; hoc nè à viris fiat, sed à fœminis honestis, curabit Episcopus.

Hoc ipsum itidem seruabit, si quando Monattorum opera, aut alia eiusmodi necessaria erunt.

De Baptismo infanti peste laboranti, suspectove ministrando.

Capvt XIX.

Svmmarivm.

1 *Baptismus, infantibus peste affectis, vel suspectis, vt ministrandus.*
2 *Liber baptizatorum pestis tempore.*

1 INfans nuper natus, peste laborans, aut eo nomine suspectus, quia à matre, pestifero morbo affecta ortus est, quàm primùm ob instans mortis periculum à Sacerdote, peste laborantium curam gerente, infusionis ritu baptizabitur, aliis statis cerimoniis tunc non adhibitis. Si Sacerdos abest, idem confestim ab alio præstabitur, qui præsens baptizandi formam norit: nec verò compater adhibeatur; aut talis, qualis infans est, compater, aut commater asciscetur, nempè ex morbo laborans, aut ex eadem causæ origine suspectus, si alij, qui liberi sunt, suspicione contagionis deterriti, id munus refugerint.

Posteà, si infans superstes erit, quàm primùm ab omni suspicione liber erit, in Ecclesiam Parochialem suam Sacerdoti Parocho offeretur, qui ex Ecclesiæ instituto reliquas statas cerimonias ei adhibebit.

Idem in baptismo seruabitur infantum, qui expositi dubium est, an pestilentia suspecti sint.

Hoc ipsum quoque præstabitur in baptismo infantum, qui non ita manifesto suspecti videntur, quales ij sunt, qui è mulieribus benè valentibus nascuntur: quæ tamen ex aliqua suspicione vel domi inclusæ, vel ad loca publicæ curationis perductæ sunt, quoniam vel in loco suspecto fuerunt, vel cum homine suspecto consuetudinem habuerunt.

1 Sacerdotes locorum curationis publicæ, quibus baptismum ministrarint, eorum, & parentum nomina, & reliqua de more in librum certum referant: quem deinceps à pestifera lue purgatum ad archiuum Episcopale ferant. Vniuscuiusque autem, quem baptizarint, baptismum exscriptum proprio etiam eius Parocho tradant: quem etiam, cùm primùm inde illi emittuntur, certiorem faciant de cerimoniis reliquis, quas non adhibuerint, vt ille in Parochiali Ecclesia ritè suppleat.

Officia Confratrum charitatis, & collectio eleemosynarum, ac distributio.

Capvt XX.

Svmmarivm.

1 *Collectio eleemosynarum pestis tempore; & à quibus: & qua ratione facienda.* 5.
2 *Capsæ ad eleemosynas colligendas vbi affigẽdæ.*
3 *Eleemosynæ distribuendæ modus.* 5. *Eiusdem distributio Parocho vetita.* 6. *Et quando permissa.* 7.
4 *Piorum locorum bona non alienanda: nec obliganda.*
8 *Eleemosynarum participes qui sint: quique non.*

SCholæ charitatis homines Parocho describendis Parochiæ pauperibus operam nauabunt, quos semel diligenter descriptos, sæpè generatim recognoscent. Qua in recognitione si quid vel addendum, vel mutandum viderint, id Parocho nunciabunt, qui in descriptionis libro notabit, quod eo in genere opus erit, & Episcopo etiam referent.

Iidem singulis diebus sedulò pauperes inuisent, eosque præsertim, qui peste tabescunt, suspectiuè sunt.

Si quos inuenerint, qui recenter in morbum inciderint, quiuè spiritualis alicuius adiumenti indigeant, de iis eundem Parochum certiorem facient. Ipsi verò sollicito studio in id incumbent, vt quæ ad corporis vsum necessaria sunt, pauperibus, pesteque affectis vndique conquirant.

Vt autem omni ex parte cumulatiora charitatis subsidia comparent, cùm ad Episcopum, tùm ad præfectos regionarios, vicariosuè foraneos, & Parochos perfugium sæpissimè habebunt; quorum etiam auctoritate ad omnem eleemosynæ, piique subsidij conquisitionem, atque apparatum vtentur; sæpè etiam magistratum, & decuriones, conuenient, vt opus erit.

Id Parochus præter cætera maximè Parochiales suos cohortabitur, vt his præsertim pestilentiæ temporibus, omni commiseratione dignis, quantum maximam per facultates possunt, eleemosynam conferant ad subleuandas necessitates, non solùm peste laborantium, suspectorumve; sed aliorum etiam, qui rerum inopia premuntur.

Quam ob causam singulis hebdomadis, semel, atque adeò sæpius, rariusuè, prout necessitas vrget, Parochialiumque opes ferunt, viciniam suam, adhibitis charitatis sodalibus, in omnes partes obibit, omnique studio, & charitatis pia contentione eleemosynam, quæ in eorum miserabilium vsum erogetur, ab omnibus efflagitabit.

2 In Ecclesia prætereà Parochiali, in omnique viciniæ parte, præsertim pro foribus eorum, qui peste infecti, suspectiuè sunt, capsulas aliquas duabus clauibus, inter se diuersis singulas clausas, certoque signo, quod præcipuum Episcopus constituerit, notatasque & distinctas publicè proponet, atque affiget: in quas oblatæ eleemosynæ eo nomine conijciantur. E clauibus illis duabus vnam ipse Parochus, & alteram ille ex confratribus charitatis asseruabit, quem Episcopus, præfectusuè, vel Vicarius foraneus delegerit.

Si qua in Parochiali vicinia cõplures sunt, vel pestifera labe inquinati, vel suspecti, vel alij inopes homines, quibus aliunde non satis succurri possit; Parochus ad Episcopum confugiet, cuius concessu in finitima etiam vicinia Parochiali capsulam eleemosynæ proponere, aut alia ratione subsidia charitatis comparare possit ad illorum sustentationem.

3 Vt autem necessario eo tempore pauperum egestati vndique succurratur; eam facultatẽ, si ità necessitas tulerit, Episcopus aliquando permittet, vt pioru locorum, præfecti, curatoresuè eleemosynarũ, quas certo præscripto tempore dari moris est, distributionẽ anticipent, vtpotè quæ eleemosyna semestri, aut longioris temporis spatio in egentiũ vsum erogari consueuerat, ea omnis duobus, tribusve mensibus, aut breuiori tempore, prout opus erit, distribuatur.

Ea autem cautio adhibebitur, vt nè eleemosynæ distribuendæ ratio, atque vsus sine legitima auctoritate, & facultate vmquam immutetur, verbi gratia, quod puellis, virginibusve nuptui dandis in dotem pia liberalitate erogari solet, aut debet, nè in panis eleemosynam, aliudve genus conuertatur.

4 Nec verò piorum locorum prædia, aliauè bona immobilia hypothecæ, pignoriuè dentur, aut alienentur, contrà ac testatorum voluntate, Canonum iure, Pontificiis constitutionibus, & conciliorum, aut Synodi Prouincialis nostræ primæ decretis cautum est.

5 Omnis eleemosyna, quæ à charitatis cõfratribus congeretur, de Parochi, aut præfecti regionarii, aut Vicarij foranei consilio, & assensu, in eorum hominũ vsum necessarium erogabitur.

In eleemosynę autẽ erogatione habebitur ratio cùm in primis inopiæ, paupertatisque Sacerdotum, & monasteriorum cuiusuis generis, & ordinis, tùm hospitalium ædium, locorumve, quæ intrà Parochialis viciniæ fines sita sunt.

Quibus Sacerdotibus, & monasteriis, ex ærario etiã publico, aut censu, vnde reliqui pauperes sustentãtur, necessaria alimẽta subministrari oportebit; cùm ob alias causas, tùm quia publico Ecclesiæ nomine religiosi illi homines quotidianis sacrificiis, supplicationibus, diuinorumque officiorum cultu, & moniales etiam sacra lachrymarum vi, peccatorum deploratione, gemitu, vigiliis, ieiunio, atque assidua oratione, Dei iram afflictissimo illo tempore placare contendunt.

6 Cauebit autem Parochus, ne rei cuiusquàm,

quæ ad corporales quorumuis hominum, etiam peste laborantium, suspectorumuè necessitates pertineat, præcipuumque onus sibi suscipiat, quo retardetur, aut impediatur, quin proprium curæ suæ officium exequatur: quod totum in rerum spiritualium procuratione, atque administratione versari in primis debet. Ideò ab ordinario munere eleemosynæ distribuendæ, subuentionisque publicæ erogandæ abstinebit.

7 Si quo autem in loco, & pauperum ingens necessitas, & penuria hominum vt id muneris rectè gerere possit, aliquando hoc suadebit: vt istius modi pondus ipse suscipiat, ac sustineat, ad Episcopum adibit, cuius facultate illud subeat, ac gerat.

Adhibere autem secum semper studebit pios aliquot Parochialis viciniæ homines, aut confratres charitatis, quos tùm adiutores, tùm etiam testes fidelis dispensationis habebit. Hoc etiam ipsum, & præfectus regionarius, & Vicarius foraneus exequi præstareque curabunt.

8 Vt omnis eleemosyna, quæcumque sit, quæ colligetur, quibus oportet, rectéque distribuatur; nec verò imprudenter vsurpetur, atque absorbeatur ab iis, qui aliunde cùm habeant, vnde viuant, iniqua illa vsurpatione exitium animæ suæ pariunt, & vitæ periculum illis præbent, qui summa rerum omnium angustia premantur; ideo regionarius præfectus, Vicarius foraneus, Visitator Episcopalis, & Parochus in primis omni opportuna ratione vbicumque sunt, qui pestis, suspicionisuè causa domi inclusi, aut etiam inopiæ nomine illam etiam pro foribus, aut de fenestris efflagitant, istos, & aliquando populum vniuersum, prout occasio tulerit, id grauiter monebit, docebitque peccati mortalis vinculo irretitos teneri, si qui sunt, qui consequendæ eleemosynæ causam aliquam prætexunt, & assimulant; atque adeò, si quam eo nomine, & causæ simulatione consequuntur, planè restituere debent.

Quamobrem grauissimè peccabunt, quicumque eleemosynam capient, illis egentibus hominibus solùm constitutam, qui aliunde certo reclusionis, aliouè præstituto tempore non habent, vnde victum sibi parent: si re vera ipsi in eo paupertatis statu non sunt: nec verò eam eleemosynam sine conscientiæ offensione, & labe retinere vllo modo poterunt, præsertim, si ipsius eleemosynæ curatores aliqua significatione, rationeuè præcauerint, se constituisse iis tantùm, qui ea inopia, paupertateuè premuntur, illam distribuere.

Cura præstandæ & exercendæ pietatis in locis publicæ curationis, ac domibus occlusis.

Caput XXI.

Summarium.

1 *Crux* } *in triuiis erigenda.*
2 *Altaria* }
3 *Asseruatio sanctissimi Sacramenti, & vbi.*
4 *Oratio sine intermissione.*
5 *Sacerdotibus deficientibus, quid agendum, & à quibus.*
6 *Sumptio sanctæ Eucharistiæ.*
7 *Certa Christianæ vitæ disciplina in domibus occlusis.*
9 *Oratio septies in die certis horis.*
10 *Orationis signum in campanis dandum, & quomodo: & quibus in Ecclesiis.*
11 *Litaniæ cantandæ, recitandæuè, & vbi.*
Litaniarum libelli, quibus, & à quibus distribuendi. 13.
12 *Officium beatæ Virginis quando recitandum, cum publicatione indulgentiarum.*
Parochorum } *studium, vt prædicta præstentur.*
1 *Sacerdotum* }

In omni triuio crux loco decenti erigetur, ad quam orantes, & precantes spectent.

Ibidem, ad Episcopi præscriptum, altaria exstruantur, in quibus Missæ sacrificium offeratur; ita vt, qui Sacerdos etiam regularis in illis obtulerit, celebrauerituè Episcopi iussu, satisfecisse censeatur muneri, quo astrictus est, celebrandi in alio cuiusuis Ecclesiæ Altari.

3 In Capella domus hospitalis, lociuè publicæ curationis perpetuò sanctissimum Sacramentum asseruetur: cui lampas accensa præluceat.

4 In qua Capella Sacerdos, qui spirituali curationi præest, aliquando orationem sine intermissione instituet, religioséque atque ordine haberi studebit.

5 Vbi ob pestilentiæ propagationem, obitumve, vel ægritudinem Sacerdotum, desunt, qui spiritualem peste languentium, vel suspectorum curam sustineant, gerantve, vt quàm diligentissimè conquirantur, Vicarius foraneus in Diœcesi Episcopum certiorem celerrimè, & sæpissimè faciet, præfectus, in ciuitate: intereà vero eorum curam Parochis, aliisuè Sacerdotibus probatis, qui proximè habitant, magnoperè commendabit.

Idem officium præstabunt, si quando ob suspicionem pestis in Parocho, vel etiam infectionem inciderit, vt scilicet alium Sacerdotem in eius locum substituat, qui Parochialis curæ partes necessario tempore exequatur, quas ille per suspicionem iis, qui suspicione carent, præstare minùs potest.

Cùm nemo Sacerdos est, qui publici tuguriorum loci curationem gerat; hoc saltem curabitur, vt in die festo, & in hebdomada etiam certis aliis diebus eò loci, aliquis Sacerdos Ecclesiæ, aut viciniæ Parochialis Missæ sacrificium in oratorio ob eam causam extra tuguriorum septa extructo offerat. Si verò nè id quidem fieri potest, quoniam nemo alius Sacerdos est, nisi vnus tantùm Parochus, hic ipse aliquando per hebdomadam eò se conferet ad Missæ sacrum celebrandum.

Vbi in eo tuguriorum loco Sacerdotes plures sunt, tùm id curabunt, vt omnes quicumque ibi sunt, Missam spectent, audiantve, tùm ipsi ob eam causam inter se rationem inibunt, vt cùm præsertim vna tantùm Capella sit, alius benè mane, alius paulò tardius Missam celebret; aut certa alia hora commodiore id quisque præstet.

6 Præcipuè Parochus hoc valdè curabit, vt si

quando, vel vniuersi ciues, vel aliqua vicinia, familiauè Parochialis domo egredi prohibentur; omnes, & singuli, antequàm se in suis quisque domiciliis per illud dierum spatium includant, peccata confessi, sacram communionem sumant. Si verò præ temporis exiguitate id tunc non præstabunt, præstent saltem eo ipso ineunte tempore, & deinceps præterea singulis hebdomadis, aut quintodecimo quoque die, prout se illis per alias occupationes posse sacramenta ministrare viderit.

At pro curæ suæ ratione, quæ ad ægrorum salutem spiritualia adiumenta spectant, hæc omnibus alijs anteponet.

7 Certam aliquam Christianæ vitæ normam eo tempore, cùm populus intra domesticos parietes aliquamdiù se continet, pastoralibus litteris Episcopus commonstrabit, vt quotidianas habeat pietatis Christianæ exercitationes, quibus perpetuum cursum teneat in via salutis.

Pietatis autem ea officia proponet patribus familias, vt non solùm mane, sed vesperi, & meridie, singulisque horis ac momentis habeant spirituales exercitationes, in quibus omnis familia piè versetur.

8 Quamobrem, præter cætera, libros in singulas familias introducendos curabit, non solùm eos, quos suprà commemorauimus, sed sacrorum bibliorum partem aliquam, vt pote historiam Iob, Tobiæ, Epistolam sancti Iacobi, & volumen præterea de vitis sanctorum: è quibus seliget præsertim vitam sancti Sebastiani, S. Gregorij Magni, S. Rochi, S. Macarij, S. Euthychij Patriarchæ Constantinopolitani, S. Nicolai Episcopi, S. Bernardini Senensis, qui omnes pestilentiæ documenta, & exempla præbuerunt sanctissimarum virtutum.

9 Ad alias religiosas orationes introducet certos psalmos, & hos potissimùm, nempè psalmum sextum, decimum sextum, vigesimum quartum, trigesimum primum, trigesimum septimum, quinquagesimum, septuagesimum octauum, centesimum primum, centesimum item & vigesimum nonum.

Stata præterea illa oratio Parochi, & Sacerdotis, quæ in singulos dies septies certis horis adhibebitur, etiam à custodibus, & ministris instituetur in omnibus tuguriorum septis, hospitalibus ædibus, singulis familiæ inclusæ domiciliis, omni loco, & publicè, & priuatim.

Quæ oratio vt rectè, religioséque peragatur, curandū est diligenter ad Episcopi præscriptū.

10 Itaque orationis huius signum in vniuersi, vel partis populi reclusione, dabitur campanis primariæ Ecclesiæ; Collegiatarum item tàm Regularium, quàm Secularium, si quæ ibi sunt, dabitur. Idem in Ecclesia Parochiali fiet, cuius viciniæ homines, familiæuè aliquæ, contagionis nomine suspectæ, domi se continent.

Itidem fiet percussione paruulæ campanæ hospitalis, aut alterius loci curationis publicæ.

Signi ratio hæc seruabitur, vt distincto certo temporis spatio, nempè secundâ quâque horâ, aut longiori, breuioriuè interuallo, prout dies contractiores, vel longiores sunt, septies in die campana pulsetur.

Initio orationis significandæ percussio campanarum fiet, vt de more fit, cùm salutationis Angelicæ, quæ *Aue Maria* dicitur, signum datur; postea continenter per horæ quadrantem, certis campanæ ictibus, breui interuallo distinctis, eiusdem significatio fiet, quæ sono terminabitur, vt oratio vespertina solet.

11 Dùm verò campanis pulsatur, litaniæ, supplicationesuè ad Episcopi præscriptum concinentur, recitabunturuè; ità, vt vel è fenestris, foribusuè ædium ab vna parte sint, qui illas præcinant, & vicissim ab altera, qui religiosè succinant, & respondeant.

Quod sicubi ità prestari non potest, intus in ædibus ipsis, loco omnium communi, aut, vbi optimè potest, statis illis significationis horis præstabitur.

Quam ob causam in vnaquaque vicinia, vbi hęc precatio horaria celebrabitur, vnus, pluresuè Ecclesiastici homines, aut, si tales non adsunt alij pij viri, orationis vsu instructi, ad fenestram, foresuè ædium adhibebuntur, qui stata quaque hora, qua significatio fiet, orationis huius institutum, atque vsum rectè, ritéque moderentur, & dirigant, & eius studium in horas ferè singulas ardentius excitabunt.

12 Curabit præterea Parochus, vt diebus saltem festis, vbi sunt, qui benè norint, de beata Maria virgine officium precum horarium statis illis septem horis distinctè recitent.

Sæpè euulgabit, atque edicet, quò fidelium mentes ad huius precationis vsum, studiumque inflammet, indulgentias eo nomine concessas.

13 Ac pręterea quidem, vnicuique Parocho, & Sacerdoti, breui illorum librorum, quibus Episcopi iussu certæ preces, & litaniæ eius orationis causa editæ continentur, copia fiet, & gratis aliquo modo suppeditabitur, vt Parochialibus suis, & aliis, prout vsu venerit, rectè distribuat.

14 His, atque adeò aliis omnibus pietatis exercitationibus Parochus, aliiuè Sacerdotes, curationi spirituali præfecti, homines sibi commissos, tempus in domibus occlusis, aliisque locis tuguriorum salutariter, & religiosè consumere studebunt quàm diligentissimè; vt nè otio tabescentes procliuius prolabantur ad Dei offensiones, & ad turpia flagitia.

Cura disciplinæ morum in eisdem locis.

Capvt XXII.

Svmmarivm.

1 *Cura disciplinæ morum in locis publicis, Parochis, & Sacerdotibus commendata.*

2 *Mulierum* }
3 *Virginum* } *pudicitiæ, & cura earumdem opera consulendum.*
4 *Pupillorum* }

5 *Marium à fœminis separatio.*

6 *Matrimonio celebrando à Tridentini Concilii forma non recedendum: & quid vlterius cauendum.*

7 *Concubinatus suspicioni vt prospiciendum: quique ea de re per Parochum admonendæ.*

8 *Morum corruptelæ quæcumque Sacerdotum opera tollendæ.*

9 *Viri deligendi, qui morum corruptelas denuncient, & quibus.*

1 PArochus, animarumque curator, & alij item Sacerdotes, curæ spirituali in locis præfecti, vbi infecti, suspectiue morantur, charitate paterna, & diligenti studio videbunt vitam, mores, pietatem, & religionem non modò eorum, qui pestis morbo suspecti, in hospitalibus, publicis domicilijs, aut intra tuguriorum septa, sibi commissa habitant, & illorum, qui præsertim reclusi, intra Parochiæ suæ fines, in priuatis domiciliis manent, sed monattorum, & famulorum, & ministrorum, quicumque illis operam nauant, & eorum prætereà qui in illorum custodia collocati sunt.

2 Mulierum pudicitiæ, & adolescentum honestati prospiciant, qui intra ea septa, hospitalesuè domos, aut domicilia priuata inclusi degunt.

3 Præcipuam autem curam suscipient, & sustinebunt, puellarum, virginum, & fœminarum, quæ vel parentibus, vel coniugibus mortuis discrimini, & periculo pudoris, ac pudicitiæ magis obnoxiæ, atque expositæ sunt.

Eas senioribus fœminis, & spectata honestatae pietatisque studio insignibus, quæ in illis locis morantur, diligentissimè committent; quasique in manum tradent, & commendabunt omni charitatis officio.

4 Pupillorum item, præsertim infantum curam gerent, eamque potissimùm rationem habebunt, vt certo loco separato, dùm in publicæ curationis domicilijs, locisuè sunt, piè, rectéque educentur.

5 Cura eorumdem erit, hæc etiam, vt quò ad eius fieri potest, à fœminis mares vbique separatim degant, præterquàm si qui sunt eiusdem familiæ.

Curabunt prætereà vt non solùm euitandæ contagionis, sed honestatis in primis tuendæ causâ, qui in vno cubiculo, tuguriolóue degunt nullum suspectum commercium consuetudinemuè habeant cùm aliis, qui vel sunt diuersæ familiæ, vel in alio diuerso tugurio, cubiculouè manent.

6 Sæpè fit, vt in iis curationis publicæ locis non modò palàm, sed occultè futuri matrimonij sponsiones fiant: ideò Episcopus curabit, vt qui in illis locis, aut paulò postquàm inde egressi sunt, matrimonium conficere volunt, illius statæ denunciationes cùm in Ecclesia Parochiali, tùm eo etiam loci, vbi inclusi pestis causâ sunt, aut paulò antè fuerunt, fiant.

Ne quid verò de matrimonio contrà agatur, quàm Tridentina sanctione præscriptum est, ideò quàm sæpissimè illa in locis publicæ curationis promulgetur, atque exponatur.

Ne prætereà puellæ in fraudem inducantur; omnis alia diligens ratio per Parochum, Sacerdotemuè, qui spirituali curationi præest, adhibebitur.

7 Vbi aliqua, vel concubinatus, vel vitæ turpis suspicio suborietur, aut indicium exister, de hac re omni Parochus, Sacerdosuè, spiritualis curæ præfectus, Vicarium foraneum, aut præfectum regionarium, & hi Episcopum certiorem statim faciant, vt in tempore primùm re inuestigata, cùm remedium opportunum periculo adhibere possit, tùm flagitiosa vita, omnique vitio diffluens, reprimatur, & coerceatur.

8 Illæ verò morum corruptelæ, quæ in iis locis magna cum Dei offensione vulgò existere solent, quales sunt, commessationes, exhilarationes, cachinnationes, inhonestæ congressiones, obscœnæ collocutiones, detractiones, maledicendi vsus, ludificationes, gesticulationes, lusiones, ludi aleatorij, saltationes, tripudia, crapulæ, compotationes, congressusque illi, tot peccatis coniuncti, omnesque demùm turpes actiones, vt tollantur, radicitúsque extirpentur; iidem Sacerdotes, & priuatis colloquiis, & concionibus, & suasionibus, & cohortationibus, & omni officij genere agent planè diligenter.

Quod si iis rationibus assequi non poterunt, quod ex disciplinæ Christianæ vsu erit, Episcopum ipsum adibunt, qui offensionibus eius generis omni via occurrat.

9 Quam ob causam, quò diligentius scilicet idem Episcopus nota, atque explorata habeat, quæcumque in iis locis ad morum emendationem, correptionémque opus erunt; certos etiam aliquos laicos homines, Christianæ, sanctæque disciplinæ studiosos, non modò in tuguriorum finibus, hospitalibusque ædibus publicis, sed in omni Parochia secretò constituet, qui omnia inhonestæ, turpisque vitæ pericula, flagitiosas actiones, & corruptam omnem eorum disciplinam, qui ibi degunt, prudenti exploratione, diligenter indagent: quæque in offensa esse viderint, de iis, vel Episcopum ipsum, præfectumve regionarium, vel Vicarium foraneum, vel Parochum, vel Sacerdotem etiam curatorem sæpiissimè, atque adeò quotidie, si opus erit, certiorem facient.

Quæ disciplinæ ratio Parocho, & Sacerdotibus curationis publicis tenenda sit.

CAPVT XXIII.

SVMMARIVM.

1 Parochi Sacerdotumque } disciplina in curatione publica.

2 Hi ad testamenti factionem neminem inducant Abstinebuntque à testamenti, Codicilli, & omnis vltimæ voluntatis conscriptione. 3.

1 PArochus, & Sacerdotes curationis publicæ cùm diligentem in aliis morum speculationem, curam, exercitationemque pietatis adhibuerint: hoc etiam maximè studebunt, vt ipsi, piè, sanctéque viuendi studio, omnique religionis officio, atque omni documento, & exemplo, cæteris omnibus præluceant, ac summa quidem cautione in eo vtantur, vt non modò quicquàm non offendant, peccentve, sed ab omni peccati suspicione planè liberi sint.

Omni igitur intima, & externa pietate in illis publicæ curationis locis seruient Dei gloriæ, cuius religiosus cultus perpetuò ob eorum oculos versari debet.

Studio charitatis, quæ in eorum animis fixa semper inhæreat, agent omnia.

Quo studio ducti, & curæ susceptæ officio commoti longè ab iis actionibus refugient, quæ offensionem, aut mali suspicionem pariēt.

2 Cauebunt, nè eos, qui peste, suspicioneuè laborant, ad testamenti factionem, aut ad aliud vltimæ voluntatis genus, nè agnatis quidem illorum flagitantibus, vllo modo inducant, atque impellant: nisi aliquando, vel Christiana charitas, vel propinquorum status, commiseratione dignus, aliter suaserit: tuncque si temporis spatium datur, rem ipsam, vt est, cum Episcopo aut præfecto regionario, aut Vicario suo foraneo communicabunt.

3 A testamenti, codicillorum, donationis, & alterius id generis vltimæ voluntatis conscriptione abstinebunt; nisi vrgens necessitas aliter deposcat, cùm alij scilicet æquè idonei non sint, neque aliundè asciri possint, qui conscribant: tuncque vt auaritiæ, & sordidi quæstus suspicioni occurratur, testes, quò ad eius fieri potest, auctoritate, & vitæ moribus insignes adhibebunt.

Idem præstabunt, si quando aliorum pecuniam, supellectilemuè asseruandi, aut in aliquem vsum erogandi, curam suscipient.

Speculatio in ministris publicæ curationis adhibenda.

Capvt XXIV.

Svmmarivm.

1 *Parochi Sacerdotum* } *Speculatio in ministris publicæ curationis, & quibus capitibus constet, & quorũ operâ exequenda.* 13.

2 *Antiani nihil extorqueant, surripiantque.* 3.

4 *Manè non vesperi ad curationis locum perducendi.*

5 *Viui cum mortuis, infecti cum suspectis non asportandi.*

6 *Supellex infecti, à supellectile suspecti separatim vehenda.*

7 *Liberis à peste domum redeuntibus, spatium concedendum ad res suas colligendas.*

8 *Tuguria infectorum à suspectis; hæcque à minus suspectis, vt diuidenda.*

9 *Liber eorum, qui ad loca curationis publicæ adducuntur, & qualis.*

10 *Tugurio in vnoquoque palea, cultrica, lodix non desit.*

11 *Infectis, suspectis, Ministrisque* } *lectus, supellex, medicinæ, cibus, opportunè ordine parandi.*

12 *Supellex, tuguriaque lignea infectorum, & suspectorum purganda, & quæ comburenda: quæque alia agenda.*

1 Parochus & Sacerdos, qui in hospitalibus, publicis ædibus, locisuè tuguriorum spiritualem curam gerit, hæc diligenti speculatione videbit,

Primò, vt eorum locorum præfecti, curatores, cæterique omnes, qui, vel operam, vel officium, vel famulatum in illorum hominũ curam, subleuationemque conferunt, nè quid negligant, prætermittant, deferantuè, quod ad operæ, curæ, officij, ministeriiuè suscepti partes attinet.

Vt nè quid prætereà committant, quod illis fraudi, & detrimento sit: quodque pia sollicitudine, & sincera cura, quam nauare debent indignum existat.

Quare ipse Parochus, Sacerdosve præcipua capita, mox infrà demonstranda, in primis animaduertet, in quibus scilicet frequentes eorum offensiones esse solent,

Vt potissimùm illi ipsi, quicumque sint, charitatis studio, non negligenti opera, non languescenti ministerio, nec verò immodestè, non petulanter, non proteruè, non contumaciter exequantur debiti officij partes.

Vt mulieris morbosæ, suspectæuè corpus, aut cadauer dumtaxat inspiciatur, cùm necesse maximè est. Et verò inspectioni necessarij solùm ministri intersint, vtpotè medicus, Chyrurgus, mulier aliqua, & alius prætereà nemo.

Vt inspiciendis item marium corporibus ministri tantùm adhibeantur, qui videlicet necessarij sunt.

2 Videbit item Parochus, Sacerdosuè, vt præfecti, vespillones, viciniæ curatores, quos Antianos dicunt, alijque ministri, nihil omninò pecuniæ, muneris, donique extorqueant, cùm vel domicilia clauduntur, vel aperiuntur, vel alia quauis occasione modouè.

3 Vt ne pecunia, resque aliqua, aut supellex peste languentium vel suspectorum, vel mortuorum diripiatur, dissipeturque & maximè cùm vel domo educuntur, vel moriuntur, vel in sepulturam traduntur, vel eorum domicilia purgantur, aut eorum supellex ad loca purgationis exportatur,

4 Vt qui ad loca publicæ curationis perducuntur, vehunturuè, non vesperi, aut sub noctem, sed benè manè si fieri potest, perducantur, asportenturve, quò Sacerdotibus, qui in iis curationis locis resident, temporis spatium detur audiendi eorum confessiones, & alia, quæ domi non susceperant, spiritualia adiumenta ministrandi, antequàm nox aduenerit, in qua, vt plerisque accidit, morte eripiant.

5 Vt nè eodem curru, vehiculouè mortui simul & viui, aut morbo tabescentes vnà cum his, qui solùm suspecti sunt, asportentur, si modo tamen suspecti non illi quidem sunt, qui sua sponte morbo affectis operam, curam, & studium nauent.

6 Vt hæc ipsa cautio, diligensque distinctio in exportanda, importandauè supellectile adhibeatur, vt illa scilicet, quæ peste languescentis est, distincto curru, ac separatim vehatur, ab ea, quæ suspecti hominis est.

Ideoque curandum erit, vt vehicula plura, quæ ad eum distinctionis vsum satis sint, in tempore apparentur.

7 Vt iis, qui ad loca publicæ curationis, domo abducuntur, temporis spatium detur colligendi pecuniam suam, supellectilem disponendi, constituendique cæteras res domesticas: ità tamen, vt nè diuturnior mora fraudi sit, & detrimento valetudini publicæ.

Vt spatium etiam detur colligendi sarcinulas, & aduehendi secum lectum, culcitras stramētitias, lodices, linteamina, tegetes, storeasue, vestes, & alia id generis vsui necessaria. Sin autē

ab initio tempus non habuerunt, detur posteà, adhibità custodià, vt moris est, & cautione.

Vt euitandæ contagionis causâ, tuguria morbo languentium, aliquo interiecto sepimento, verè ab illis seiuncta sint, quæ suspecti habitant. Eadem cautio adhibeatur tuguriorum, vbi sunt minùs suspecti, vt separentur ab iis, qui grauissimè suspecti sunt. Itidem de conualescentibus.

9 Vt ordine describantur certo libro quicũque ad loca publicæ curationis abducuntur. Quæ descriptionis ratio vniuscuiusque tugurij, cellæuè numero respondeat; vt singuli à Parocho, Sacerdoteuè constituto, medico, chirurgo, cæterisque ministris, facilè, distinctè inueniantur.

Vt ob eam ipsam causam, quoties quis recens ad loca curationis venit, aut inde abit; aut de vno in alterum commigrat; id omne iisdem ministris significetur, & Sacerdoti præsertim, vt ministerij sui partes ei præstet.

10 Vt in vniuscuiusque tugurio, cubiculouè ad lectum sternendum quo ad eius fieri potest, satis paleæ sit, culcitra item stramentitia, & cento, lodixuè.

11 Vt quibus vel ex morbo laborantibus, vel suspectis, lectus, stramentis laneis, aliaque supellectile apparari, & sterni debet, ij pro ratione, statuque personarum, illud ipsum commodum consequantur, & ministri item publicè ad locum curationis constituti.

Vt iisdem ministris, aliisque rectè valentibus victus certa ratione suppeditetur, qui satis sit.

Vt ægrotis item stata hora subministretur, quibus etiam ratio adhibeatur cibi, qualis sit, & quantus, & quo item modo præbeatur.

Vt medicinæ, medicamentave in tempore, certisque præscriptis horis, & ordine apparentur, conficiantur, & præbeantur.

12 Vt & vestes, & supellex, & tuguria, cubiculave, quæ ex asseribus constructa sunt, vbi peste infecti, suspective manserunt, aut mortui sunt, proùt opportunitas tulerit, diligenter purgentur. Illa verò tuguriola ex paleis inflammentur. Nec vero vsui sint aliis, qui solùm suspecti sunt.

Vt ea ipsa tuguriola, cùm opus est, palea recenti, cùm intrinsecus optimè circumuestiantur; tùm extrinsecùs vndique obtegantur, vt nè quando pluuia influat.

Vt mortuis efferendis, & sepeliendis nihil contrà agatur, fiatve, quàm de efferendi, sepeliendive modo, & de loco, vbi sepeliendi sunt, Episcopus statuerit.

Vt verò hæc omnia in executionis vsum rectè inducantur; Parochus, omnisque alius Sacerdos, quicumque intra tuguriorum septa curam gerit, præfectus regionarius, & Vicarius foraneus, vt diligentissimè poterunt, curabunt, crebris cohortationibus, assiduisque ad monitionibus, omni charitate plenis; atque adeò, vbi opus est, reprehensionibus. Et omni prætereà paterno officio cum illis agent, ad quos summa curationis spectat, vt ordine, & quàm rectissimè cuncta gerantur. Quod si ne his quidem officiis, quicquàm adiumenti ad rem optimè administrandam non afferent; perfugium vt primùm possunt, ad Episcopum habebunt, cuius consilio, studio, ope, & auctoritate, etiam apud magistratum, vt opus erit, si quæ perperam aguntur, ad rectam normam redigantur.

Visitationis officium multiplex.

CAP. XVV.

SVMMARIVM.

Visitationis officium multiplex in quibus consistat. num. 1.

1 *Regionum præfecti, Vicarij foranei, Visitatores* } *quarum rerum executionem procurent.*

2 *Loca curationis publicæ visitent: ob eamque rem quid inquirant.*

3 *Episcopi visitationis officia.*

4 *Literæ pastorales ad populos.*

EA omnia, quæ paulò ante, & mox infrà demonstrantur, vel ad curas, vel ad pietatis exercitationes, vel ad hominum mores, vel ad Sacerdotum in primis vitæ honestatem, & disciplinam pertinent, vt rectam omnem executionem habeant; hoc præfecti regionarij, aut Vicarij foranei, aliique Episcopales visitatores videbunt, curabuntque diligentissimè.

2 Quare loca publicæ curationis frequenter, vel quotidiè potius cùm opus erit, visitabunt, cunctaque perspicient, atque explorabunt, tùm quæ ad peste languentium, suspectorum, aut animæ salutem, aut corporis curationem spectant; tùm etiam quæ de eo genere omni speciatim, vniuerséque conscripta sunt.

Ac si quid vel deesse, vel in aliqua re peccari, offendiuè viderint, ad ipsum Episcopum referent, qui de omni cautione, cura, piaque exercitatione; & disciplina sollicitus, in omnium executione, vt opus erit, studiosè euigilabit.

3 Episcopus verò frequens in eo erit, vt vniuersos, & ferè singulos, peste vel infectos, vel suspectos, inuisat; paterna charitate consoletur, Episcopali liberalitate, & eleemosyna, quam manu sua præbebit, subleuet, si quos, inopia laborantes viderit: nocumenta opportuna det, atque accommodata ad sanctè, & cum Dei voluntate congruenter vitam agendam, mortémque fortiter, Christianoque more in Domino obeundam.

Crebrò item familias, quæ domi ob suspicionem se continent, breui sermone alloquetur, & ostendet in primis quæ vnicuique agenda sint, quæ rursùs fugienda.

Sæpè præterea in Diœcesis loca infecta, suspectauè excurret, cunctaque oculis, paterna charitate incensus, lustrabit, vt populo suo afflicto, perculso, & penè prostrato, consolationes, remedia, subsidia, & alia Episcopalis dilectionis officia adhibeat, & præstet.

Non visitatores solùm, sed alios etiam sæpè mittet, qui hæc eadem officia præstent.

Præfectorum, curatorum, ministrorum publicæ curationis, operam, studiumque excitabit.

Si quos negligentes, & delinquentes in officio compererit, cum iis non modò cohortatione, sed aliquando etiam seueriore obiurgationis acerbitate aget, vt sui quique muneris partes rectè, diligenter, & salutariter exequantur.

Si verò aliquando monitos obstinatè operam dare cognouerit, vt contumaciter, maléque agant; vt isti ab officio suscepto amoueantur, curabit, atque efficiet.

Monattorum vitia, quæ in eo genere hominum grauissima inesse solent, increpabit acerrimè. Sique hac via non succedet, vt in officio rectè agendi se contineant, illam aggredietur, vt magistratus pœnas reposcant flagitiorum, quæ admiserint.

4 Et quoniam per Episcopales occupationes omnibus locis præsens adesse non potest, eam etiam rationem aliquando inibit, vt ad populos literas pastorales scribat, quibus illos consoletur, confirmet, & excitet ad optima quæque, prout occasio tulerit.

Cura spiritualis sigillatim vnicuique peste affecto, vel suspecto à Sacerdote adhibenda.

Capvt XXVI.

Svmmarivm.

1 *Cura spiritualis vnicuique peste laboranti, suspectoque à Parocho, Sacerdoteuè præstanda in his consistit.* 8.
2 *Vt illum celerrimè inuisat; & sine mora sacramentum Pænitentiæ ministret.*
3 *Vt illi Eucharistiam pro viatico quàm primùm tradat, vbi certum sit eum peste infectum* 10. *Vbi verò in suspicione tantum sit, vti communionem ministret.* 9.
4 *Vt extremæ vnctionis sacramentum sine mora conferat: vbi mortis certitudo sit.* 11.
5 *Vt facultate absoluendi à casibus reseruatis non abutatur.*
6 *Vt indulgentiam concedat, Episcopalemque benedictionem impertiat.*
7 *Vt illum mortuum suffragiis adiuuet.*
11 *An supradicta diligentissimè præstentur, à quibus inquirendum.*

1 Vbi primùm Parochus, aliusuè certus Sacerdos constitutus, aliquem, curæ suæ commissum, pestilentiæ morbo laborare certior factus est, eum, vt celerrimè potest, paterna charitate inuiset; atque in primis diligentissimè pœnitentiæ sacramentum ministrabit, & alia deinceps omnia adiumenta spiritualia ad animæ salutem.

2 Quamobrem diligenter planè cauebit, vt nè, cùm morbi, ex quo aliquis laborat, vis suspicionem pestilentiæ præbeat, falsa, inanique spe ductus, eum diutius in vita permansurum, id culpæ contrahat, vt absque sacramentis ille discedat.

Itaque hoc præsertim nullo modo prætermittet, quin pœnitentiæ sacramentum, morâ non interposita, ministret.

3 Sacram autem Eucharistiam (nisi ob vomitum, aliudue impedimentum necesse est, aliquid moræ interponi) quàm primùm pro viatico ægrotanti, etiam si cibum sumpserit, omninò ministrabit; nisi manifestò apparet, illum à morbo conualescere: pestilentia enim ægrotans in eo statu versatur, vt timendum sit, nè vel ad punctum temporis mortem obeat.

4 Quare extremæ etiam vnctionis sacramentum sine cunctatione, moraque ei ministrare poterit.

5 In sacramento pœnitentiæ ministrando videbit, vt facultate, vel Episcopali, vel etiam Pontificia, qua etiam à criminibus illis, quæ Apostolicis literis die Cœnæ Domini editis, continentur, absolui permissum erit, prudentissimè, atque salutariter vtatur.

Denique ægrotanti omnia illa charitatis ministeria, & officia præstabit, quæ in extremo vitæ spiritu, aliis, curæ suæ commissis, præstare aliàs debet,

6 At verò prætereà dùm æger aliquo sensu viget, earum Pontificalium literarum auctoritate, indulgentiam ei concedet, Episcopique benedictionem impertiet.

Consolationes proponet, quibus illum ad benè, sanctéque in Domino moriendum excitet.

7 Vbi illum obiisse audierit, eius animæ auxilium feret orationibus, precibus, & in primis sanctissimo Missæ sacrificio.

8 Eam ipsam diligentiam, quam peste laboranti adhibendam esse, paulò ante demonstratum est, idem Parochus, & sacerdos in spirituale adiumentum illius conferet, qui ex morbi solùm suspicione laborat.

9 Sed, quod ad sanctissimæ communionis ministrationem pertinet, dùm ille in suspicione tantùm est, semel ab initio eam, non pro viatico tamen ministrabit, & deinceps aliquoties etiam atque adeò sæpius, vel rarius, pro pietatis studio, quo ille tenetur, proque curæ occupationibus, quibus ipse Parochus, vel Sacerdos destinetur.

10 Et verò, quàmuis paucis ante diebus sacram ei communionem præbuerit, cùm tamen indicium eiusmodi erit, ex quo perspicuè manifestum sit, atque adeò certum, pestifera labe illum infectum esse, sanctissimum viaticum, etiam posteaquam cibum ægrotans ceperit, sine mora, pro illius præparatione, & statu ministrabit.

11 Quod sanè omne vt diligentissimè præstetur, videbit Episcopus omni accurata exploratione, quam à præfectis regionariis, & Vicariis foraneis adhiberi mandabit.

Mox item extremæ vnctionis sacramentum ministrare poterit, vt paulò antè narratum est,

Cura homini Ecclesiastico peste laboranti, vel suspecto, adhibenda.

Capvt XXVII.

Svmmarivm.

1 *Cura præcipua à Parocho Sacerdoteuè adhibenda erga hominem Ecclesiasticum peste laborantem in spiritualibus subsidiis consistit.*
2 *Eleemosynæ conquisitio ad vsum corporis.*
3 *Monitio præfecti Regionarii, Vicarii foranei, Epi-*

scopi de Ecclesiastici hominis pestilentia, suspicioneuè.

4 *Parocho Sacerdoti* { *cura spirituali præfecto peste laboranti quis alius officia Sacerdotalia præstet.* 5.

6. *Ecclesiasticus homo morbo affectus, suspectusuè, ad loca curationis publicæ quando non, & quando maximè ducendus, & qua ratione, & quomodo ibi tractandus, & à quibus visitandus.* 7.

Peste nondùm irrumpente, viri ab Episcopo deligendi, qui sibi in morbum incidenti ministrent. num 10.

8 *Episcopus, eiusque familia in pestis suspicionem incidens, quid agat, seruetque.*

Episcopus peste ægrotans, vt se consoletur. 11

Domo non egrediatur, & quid ibi agat, cum Canonicis, & 12.

Eodem ægrotante supplicationes agendæ, oratioque sine intermissione indicenda. 13.

9 *Episcopo pestilentia affecto, proximior Episcopus, & Metropolitanus per Capitulum admonendus, & quod illius officium.*

1 CLericalis ordinis homo, cùm in pestem, eiusuè suspicionem intidit, illius maximè præcipuam, singularemque curam Parochus, aliusque Sacerdos, qui in publicæ curationis loco Sacramentis administrandis præfectus erit, suscipiet, atque geret, ità confestim, atque adeo in primis ad spiritualia auxilia, remediaque confugiens vt documento, atque exemplo suo pietatem laicorum accendat, quo in genere ei propterea nullo sanè loco deerit. Quæ verò ad corporis vsum necessaria sunt, ea, qua via, & ratione suprà demonstratum est, satis, abundéque eidem subministrabuntur.

2 Itaque idem Parochus, cum opus est, id præcipuè studebit, vt cùm ipse ad illius vsum eleemosynæ aliquid conferat, tùm charitatis subsidia ab hominibus, tam Ecclesiasticis, quàm laicis conquirat studiosè, ac præterea, si necessitas vrget, ab Episcopo item.

3 De hominis Ecclesiastici pestilentia, aut suspicione Parochus vrbis præfectum regionarium, eumuè, cui tale munus Episcopus commiserit, Diœcesanus Parochus Vicarius foraneum, vt celerrimè potest, & quàm diligentissimè certiorem faciet: & verò Episcopum vterque, vt & hic, & eorum vnus quisque illa prætereà opera, atque officia præstare, aliaque studia ad illius auxilium conferre possit, quæ illa temporum ratio suadet, atque deposcit.

4 Parochus, Sacerdosuè, qui spiritualem curam intra loci publicæ curationis septa administrat, si morbo inficitur, aut aliquam eius suspicionem præbet, ei socius, si quem in cura Parochiali habet, omnia sacerdotalia ministeria, & officia præstabit, ordine, qui mox suprà expositum est, de cura spirituali vnicuique adhibenda. Si verò plures Sacerdotes eorum septorum curatores sunt, qui susceptæ curæ munere prior est, ea præstabit, nisi inter illos aliter conuenerit. Vbi autem socium nemo est, aut alius, in partem illius curæ euocatus, ijs planè officijs, curandum erit, vt Parochus, qui proximus est, satisfaciat,

5 Veruntamen ex peste laboranti Parocho nec curæ socium habenti, sacramenta, præsertim sanctissimam Eucharistiam & Extremam vnctionem, si ille in Diœcesi est, ab eius præposito, alioue, qui plebis totius curæ præest, si in Ciuitate, ab Archipresbytero Cathedralis Ecclesiæ, vel etiam ab ipso Episcopo alioue Sacerdote, quem sibi adiutorem eo tempore Episcopus asciuerit, vbi nullum in mora periculum subsit, ministrari, cùm proprium valdè est, & cum charitatis fraternæ officio maximè coniunctum, tùm etiam ad Parochi languescentis consolationem longè accommodatissimum.

Quod vt in morem, vsumque inducatur, & planè præstetur, hoc Episcopus suo in primis exemplo studebit.

6 Ecclesiasticus homo, morbo affectus, aut suspectus, vt ad loca publicæ curationis perducatur, asporteturuè, hoc maximè studeat is, cui Episcopus id curæ dederit, si modò curæ, quam gerit, aut officij, cui præest, ratio, vel ætas eius ingrauescens, vel alia eius generis causa aliter non postulet: nàm ijs locis, longè melius, quàm domi suæ subministrabuntur quæcumque tùm ad animæ salutem, tùm ad corporis curationem necessaria sunt.

Atqui illius perducendi, asportandiuè ea ratio adhibeatur, quæ eius statui, & ordinis Ecclesiastici dignitati conueniens est.

Vt ne simul cum alijs, vt vulgò fit, & tamquàm vnus de populo, sed solus, & vt is, cui præ ordinis dignitate honor deferendus est perducatur.

Vt ne vehiculo, curruuè cõmuni asportetur.

Tugurium habeat, quàmuis intra aliorum septa collocatum quò commodius, & medici, & medicamentorum copiam aliorumque ministrorum operam habeat; vt à reliquis tamen opere distinctum, & longiùs aliquantò separatum.

Diligentius instructum sit storeis, tegetibusuè, stramentis, lecto, culcitris stramẽtitijs, culcitris laneis, ceruicalibus, linteaminibus, & omni alia necessaria supellectile.

Is propè habeat famulum, aliumuè pium hominem, qui operam ei nauet in rebus corporis vsui necessarijs.

Ex ministris, qui extra septa famulatum, operamuè præbent, vnum aliquem habeat, qui præcipuè ei victum, medicamenta, & alias res necessarias opportunè extrinsecùs apparet.

Eius cura saltem alicui medico, & Chirurgo, alijuè curatori, aut ministro commendetur diligenter, ac sigillatim.

7 Sæpius & ab Episcopo ipso, & à Parocho, & à præfecto, seu Vicario foraneo, & alijs Episcopi etiam nomine visitetur.

8 Si aliquando acciderit, Episcopum pestis nomine suspectum fieri, domi se continebit, quamdiù expedire censuerit.

Dùm autem se domi continet, si pro suæ speculationis munere, tempore tàm necessario, sibi aliquid oculis perlustrandum sit, vt opportunius prospiciat, & consulat, in vrbe, Diœcesiuè foras prodibit, vt opus erit.

De familia autem sua si quis in pestis suspicionem inciderit, eum seruare iubebit, quæ de Pa-

rocho, Parochique familiæ demonstrata sunt.
9 Sin autem pestilentia afficietur, de eius periculo per Capitulum, vel duos priores de Capitulo certior statim fiet Episcopus, qui propiùs abest, & Metropolitanus item. Cuius erit, fratrem Episcopum, ità laborantem, omni sollicitudine, & charitatis officio consolari: eique salutaria adiumenta, vt accuratissimè poterit, adhibere.
10 At ne Episcopus, si fortè in pestilentiam inciderit, vlla ope spirituali in primis destituatur, id sibi subsidij comparabit, antea quàm pestis in Diœcesim irrumpat, vt certos sibi Sacerdotes, charitatis zelo flagrantes, spiritualisque vitæ vsu peritos, præsertim ex Capitulo, conquirat, & paret, qui laboranti ex peste Episcopo, constanter ministrent, quæ ad animæ salutem pertinent.
11 Is verò, tùm æger, se etiam pijs, cælestibusque meditationibus consolabitur, tùm spiritualium Sacerdotum assistentium colloquijs, atque etiam, si per morbi vim licet, lectione aliqua de sanctis, vt potè Cypriano martyre, Bernardino Senensi, & beato Rocho, & alijs, quorum diuinæ virtutes in pestilentia eluxerunt.
12 Neque dùm morbo laborat, ex ædibus Episcopalibus, se aliò conferet, sed in ijs persistet, vt si fortè obeat, Clero & Canonicis, præsertim Ecclesiæ Cathedralis, id quod sanctissimi Episcopi religiosè fecerunt, tùm reliquis etiam extremum ferè spiritum agens, salutaria monita tradat, atque in statione sua Episcopali, quemadmodum Episcopum decet, ex hac vita migret ad Dominum.
13 Erit autem Capituli Cathedrali Ecclesiæ præ omnibus, dùm ille in pestis ægritudine est, supplicationi instare; ac prætereà Vicarij generalis, orationem sine intermissione in vrbe, Diœcesique indicere, & habere, vt pro eo, communi omnium parente, precatio assidua, religiosaque ab vniuerso clero, populoque habeatur ad Deum,

Cura adhibenda, vbi quis conualescit à peste, aut ab eius suspicione liberatur.

CAPVT XXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Cura Parochi erga conualescentes à peste, eò spectat, vt ad confessionem generalem inducantur.*
2 *Vt sacramenta frequentent.*
3 *Vt orationis matutinæ, & vespertinæ vsum retineant, & alia religiosa officia exerceant.*
4 *Vt à peccandi occasionibus se abducant.*
5 *Vt puellæ, Virgines, Mulieres iuuenes* } *lectissimæ fœminæ cõmendentur: vtque Parochus earum custodiam gerat.* 6.
7 *Vt puerorum, Adolescentum, Infantum, Ope destitutorum* } *curam paternam suscipiat.*

IN eam etiam curam totus incumbet Parochus, vt omnes, & singuli, qui à morbo conualescunt, aut à pestis periculo, suspicioneuè libere euadũt, tunc maximè fixa animi deliberatione propositoque verè nouæ vitę suscepto, & diligentissimè, religioséque discussa conscientia, peccata omnia, quæcumque in anteacta vita admiserint, probato confessario Sacerdoti confiteantur; si quando pestis initio id minùs præstiterint.
2 Vt sanctissimorum sacramentorum frequentem vsum adhibeant.
3 Vt precationis, & orationis assiduæ, & frequentius, præsertim matutinæ, & vespertinæ vsum item, & consuetudinem suscipiant, aut susceptam retineant perpetuò.

Vt alia Christianæ religionis officia, quibus vitæ spiritualis studium exardescit, amplectantur, & colant diligenti exercitatione.
4 Vt ab omni malè agendi consuetudine, ab omnique peccandi occasione sese abducant, hominum, qui vitiorum, flagitiorumque impuritate inquinati sunt, commercium, & familiaritatem refugiant; & peccatorum, in quibus anteà prauo quodam vsu versati sunt, seminaria præcidere studeant.

Alia præterea grati animi officia illis commonstrabit, quæ infrà, cùm de peste extincta agitur, vberius explicata sunt.
5 Quoniam autem sæpè fit, vt in ijs puellæ, & virgines, & mulieres florenti ætate, parentum, aut aliorum, qui proximè propinqui sunt, morte, ab omni ope destitutæ sunt, ac proinde periculum sit, nè ad impudicitiam turpiter prolabantur; ideò Parochus si quas in Parochiali vicinia habet, aut etiam ex Parochia sua in communis curationis hospitali, aliouè loco collocatas, illas singulas matronæ honestæ, illis propinquitate, aut vicinia coniunctæ, alijuè fœminæ lectissimæ, quo maximo potest, charitatis studio, commendet, vt eas, si necesse est, eleemosynæ etiã largitione subleuet: in omnibusq; rebus cùm earum curam illa suscipiat; tum maximè, id quod caput est, in timore Dei sanctæque vitæ ratione, easdem instituat, ac præsertim ab omni labe puras, atq; integras cõseruet.
6 Atque in omni quidem huius custodiæ, officijuè genere ille ipse Parochus curam præcipuam maximè sustinebit. Ideóque vbi primùm vel conualuerint, vel à suspicione liberæ erunt, illius cura, & studio in monasterio, locouè pio collocabuntur; aut matronæ honestæ famulatui addicentur; aut alia honesta cõditione earum necessitatibus, ac simul pudori prospicietur: & quò rectiùs, & cautiùs id omne agatur, ad Episcopum etiam, si opus erit, confugiet.
7 Puerorum, & adolescentum, qui mortuis parentibus, & propinquis in eodem statu versantur, & infantum etiam lactentium, & aliorum prætereà, qui ab omni re inopes, aliorũ auxilio destituuntur, eandem ipsam curam, & sollicitudinem paternam suscipiet, ac sustinebit.

Cura mortuorum.

CAPVT XXIX.

SVMMARIVM.

1 *Mortuorum Episcopi cura.*
2 *Mortuus quot horis insepultus remaneat; quando, & quomodo, & à quibus efferendus.*
3 *Vespilones, Monattiuè, efferendis mortuis præ-*

faciendi: ijsque deficientibus à quibus alijs efferēdi.
4 *Funus, ex ritu Ecclesiæ; & à quibus Sacerdotibus agendum.* 6.
5 *Impensa funeris à quibus facienda.*
Eleemosyna funeris quanta. 8.
Sepultura, sepulturæque locus qualis, numero. 9. 10.
7 *Sepulturæ nemo tradendus inscio Parocho, Sacerdoteuè: & quid ea in re ab illis agendum.*
11 *Clerici funus à quo celebrandum.*
12 *Officia pro mortuis quæ, quando, & à quibus agenda.* 14. *eaque in re officium Parochi numero.* 15. 16.
13 *Episcopi mortui funus, & exequiæ.*
17 *Episcopi officium in suffragijs mortuorum procurandis.*

1 HÆc pro mortuis pestilenti tempore præstanda Episcopus curabit, eoque vigilantius, quò grauior culpa multorum in eo charitatis officio aliquando existit.

Si quis igitur peste affectus, eouè nomine suspectus mortem obit, eius corpus nè citius duodecim horis, nec verò tardius quatuor, & viginti horis, vel eo circiter temporis spatio sepeliatur, postquàm obijt.

Noctu nè efferatur, nisi Episcopi concessu scripto aliter quandoque iustis causis permissum sit.

Curru item nè vehatur, nisi præ mortuorum multitudine, aliauè causa secùs fiat necesse est.

Nè humeris vnius tantùm, tamquàm onus gestetur, succolleturue; nec verò nudum, nulloque operimento tectum, etiam si curru feratur, nec alio modo indecenter, atque inhumanè.

Porrò à duobus efferatur decorè, binis longurijs, aut hastilibus solidis, benèque firmis, quibus feretrum sustineatur, aut scala decenti, alioue eius generis opere. Sit autem inclusum in capsam, vel linteamine rectè inuolutum; tùm pallio prætereà, ad hunc vsum constituto, corpora operiantur, etiam quando vehiculo efferuntur.

3 Ad efferendum vespillones, qui Monatti vulgò dicuntur, adhibebuntur; qui si minùs publico stipendio conducti sunt: curandum erit, vt corporis, & efferendi, & sepeliendi curam suscipiant, & gerant, qui in ea ipsa domo, familiauè sunt, in qua erat qui pestis morbo obijt, aut illi, qui, vel cognatione, vel amore, & charitate coniunctiores, cùm eius pestilentiæ contagio laborantis, curam præcipuam habuerint; vt ab illius latere non discesserint, mortui etiam funus, & sepulturam libentius, atque minori periculo curabunt, ac præstabunt, cùm officio charitatis adducti, tùm etiam quia nihilominus aliquo temporis spatio ex lege magistratus, qui sanitati præest, seclusi, ab aliorum consuetudine sint oportet.

4 Funeris statis precibus, & psalmorum, aliorumque orationum officio, vt Ecclesiæ ritus est, prosequendi, celebrandiuè munus, ad Sacerdotes, locis illis peste laborantium constitutos, pertinebit, si qui sunt: alioquin id officium præstabit vnà cū clerico proprius mortui Parochus.

At vnicuique tamen Parocho, animarumuè curatori liberum, integrumque erit, suis impensis certum alium Sacerdotem vnà cum Clerico constituere, qui Parochialibus suis, pestilentiâ mortuis, officium funerale præstet, cùm scilicet non in Parochiali Ecclesia, sed in cæmiterijs sepelientur, quæ præcipuè ad sepulturam constituta sunt pestis morbo morientium.

5 Si mortuus aliquid in bonis reliquit, hæredes omnem, & ceræ, & funeris totius impensam facere cogantur, pro illius qui obijt, dignitate: proque Cleri, qui ad funus adhibetur, ratione, ac pro sepulturæ, quam sibi in aliqua certa sede delegit, modo. Sin autem vel in ædibus hospitalibus, vel in ijs locis tuguriorum mortem obijt, in earum ædium, locorumuè cæmiterio humabitur: cuius funeris, sepulturæuè officiū Sacerdotes, & Clerici obibunt, qui ibi curam gerunt, vbi si complures non sunt, is vnus tantùm, qui est, ad funus satis erit. Ceræ porrò sumptus, ab hospitalibus, eorumuè locorum curatoribus fiet: isque à bonis mortui, si quæ in illis, vel hospitalib. domibus, vel tuguriolis relicta sunt, resarcietur.

Vbi nulla alia ratio sumptus fit pro funere defuncti, ceram in funeris sumptum conferre, & sepulturam in cæmiterio curare, Parochi sit; vt cæteris Parochialibus suis, ab omni re inopibus, qui obeunt, itidem præstare debent.

6 Et campanarum sono, & cruce prælata, & luminibus accensis, & cæteris cærimonijs, statoque omni ritu Ecclesiastico & Parocho alioue Sacerdote, & Clerico saltem vno funus ducatur: etiam si Episcopi concessu, noctu fiat, & curru item non vnus solùm, sed plures, peste extincti efferantur. Quo in funere idem Parochus aliusuè Sacerdos, & Clericus superpelliceo induti, cùm pro ædium, alteriusuè loci foribus, vnde efferuntur, tùm in via, tùm loco demùm, vbi sepeliuntur, psalmorum, precumque officium, vt moris est, pro mortuis præstent.

7 E domicilio autem, locoue, vbi quis peste mortuus est, non anteà efferetur sepulturæ causa, quam Parochus, alijuè illius curæ Sacerdotes, de obitu certiores in eo tēpore per vespillones, aliosuè ministros fiant, atque certa sepulturæ hora constituta, Parochus, aut constitutus ille sacerdos aduenerit, præsensuè adsit: qui vt in tempore adsit, curet omninò. E loco, vnde effertur, Parochus, alijuè Clericalis ordinis homines, qui funus obibunt, non antè ad Ecclesiam, cæmiteriumuè discedent, quàm mortui corpus vespillones feretro, aut curru, alioue modo efferendum sumpserint, vt illi, quod ritus Ecclesiæ sanctæ sanctæ postulat, statis precibus funus ritè ducant.

8 Funeris, sepulturæuè causa ne Parochus, aliusuè Sacerdos, neque Clericus item, plus eleemosynæ, ne spontè quidem oblatæ, vllo quouis nomine, prætextuuè capiat, quàm vel dari ob funus alio tempore solet, vel ab Episcopo præscriptum est, aut concessum.

Nec verò emolumenti cuiusquam societatem cum vespillonibus, alijsuè funerum curatoribus, cæterisque id generis eo nomine ineat; cui rei, alijsque auaritiæ sordibus, atque suspicionibus vt occurratur, quicquid fructus, eleemosynæuè in singulos menses ab exequijs, quæ peste mortuorum nomine fient, acceperit:

in vrbe præfecto regionario, aut, si in Diœcesi est, Vicario foraneo singulis item mensibus scripto significet.

9 Peste mortui corpus nè extra loci sacri fines sepeliatur, nè eo quidem nomine, quòd aliquo post tempore ad locum consecratum transferatur: sed in Parochialis Ecclesiæ, intra cuius fines obijt cæmiterio humetur, aut, vbi illud non est, in ea ipsa Ecclesia, vel communi sepulturæ loco, vel, si consensus ius habentium accesserit, priuato. Si verò præ cœmiterij, Ecclesiæue Parochialis angustia, aut præ mortuorum multitudine aliud ab Episcopo, cœmiterium, vel in viciniæ Parochiali, vel in hospitalibus, vel in tuguriorum loco consecratum est, in eo ipse sepeliat licet.

10 In sepeliendi officio ea cautio adhibeatur, vt in cœmiterijs, præsertim quæ in vrbe, oppido, aut vico sunt, altius fossæ effodiantur, vbi in sepulturam corpora tradantur, ne inde fœtor contagiosus exhalet. Earum igitur altitudo tanta erit, vt supra cadauer terra extet altè cõgesta tres, quatuoruè cubitos. Vbi verò sæpius sepulchrum aperiendum est, eò altius erit: &, quoties sepelietur, toties terra, aut calx, aut arena conijciatur, qua corpus benè obtegatur. Hæc atque adeò alia potior ratio adhibebitur ad corporum fœtoris vim continendam.

11 Clericalis ordinis homo si fortè decedit, eius funus ab aliquo Cleri numero celebretur, & corpus intus in Ecclesia sepeliatur, si secùs fieri non cogit loci longinquitas, ad quem effertur.

12 In Altaribus priuilegiatis saltem pro Ecclesiastici ordinis hominibus tot Missæ pro defunctis celebrabuntur, quot ex illis peste mortui sunt; ità vt singulæ Missæ singulis mortuis applicentur.

13 Si Episcopum mori contigerit, eius funus, & exequiæ curabuntur, & celebrabuntur ad Concilij primi, & quarti Prouincialis præscriptum. Pro qua defuncti anima fiet, vt eodem Concilio quarto cautum est. Nec verò quicquam obstabit, quo minùs ei defuncto omnia debita pietatis officia præstentur: hocque ardentiori charitate, quòd paternam illius, accensamque dilectionem periculoso illo tempore gregi, sibi commisso, præstitit: pro quo non modò facultates, sed vitam constantissimè in Domino profudit.

14 Et quoniam illud in pestilentia quàm sæpissimè accidit, vt parentes simul, & liberi, eodem ferè tempore obeant, neque hæredem, successoremuè vllum relinquant, aut, si quos relinquunt, illi quidem sint cognationis gradu non arctius coniuncti, aut aliquando, si liberi superstites sunt, ij vel minores natu, vel sæpè eodem morbo affecti, vel suspecti, ob eamque causam à cæteris seclusi sunt. Quò fit, vt nemo ferè sit, qui Missæ sacrificijs, & statis diuinarum precum officijs, alijsque pietatis operibus eorum animas adiuuare curet. Quamobrem præfectus regionarius, & Vicarius foraneus in sua quisque regione, vbi peste laboratur, pro mortuis Missæ solenne sacrificiũ, præter aliam Missam conuentualem singulis hebdomadis, quò ad pestilentia cessauerit, feria secunda à Clero vniuscuiusque collegiatæ celebrari iubeat; si modò per diei festi celebritatem, quæ in illam feriam incidit, id præstari licet.

Hoc idem Sacerdotes singuli Missæ sacrificium facient.

In ea ipsa feria, quæ primùm in singulos menses inciderit, in vnaquaque vrbis regione, & in singulis Diœcesis partibus quibus Vicarius foraneus præest, ab omnibus eiusdem regionis, & partium illarum Diœcesanarum Parochis solenne pro mortuis officium, solenneque etiam Missæ sacrificium peragatur, quòd si in ea feria per officij ritum peragi non potest; in alia proximè sequenti præstetur. Huic autem rei præstandæ modum Episcopus pro Diœcesis suæ ratione præscribet.

Singulis præterea diebus, præterquàm, cùm pro officij ratione, aut ob aliam causam non potest, Sacerdos vnusquisque in Missæ sacrificio orationem, collectamuè pro mortuis religiosè dicat.

Moniales etiam certo hebdomadæ die, ab Episcopo præscripto, officium mortuorum recitent.

15 Singulis quoque diebus dominicis vnusquisque Parochus, animarumuè curator, populum intra Missarum solemnia admonebit, vt non modò tunc, cùm in Missæ sacrificio præsens adest, pro mortuis simul precetur, sed postridie illius diei, quo pro illis fiet, in Ecclesiam ad diuina officia, solenneque Missæ sacrificium frequens conueniat. Qui verò impeditus adesse non potest, saltem vel domi, vel in officina, tabernauè, vel vbicumque erit, pro eis paululum oret, religiosis precibus adhibitis, prout est pietatis suæ diligens studium.

16 Singulis denique dominicis diebus prima hora noctis certum campanarum signum de more solenne detur, quo & oratio quæ tunc à fidelibus pro mortuis facienda est, & diuinorum officiorum celebritas, quæ postero die eorũ causa agetur, omnibus vniuersè significetur.

17 Hæc autem omnis defunctorum animabus piè suffragandi ratio, Episcopo curante, ità inibitur, statueturque in tota Diœcesi, vel in eius parte, vt pestis sese diffuderit, vel Episcopus idem censuerit.

Hoc ipsum omne vt in suis Ecclesiis à regularibus præstetur, omni cohortationis officio ille curabit. Quin etiam literis cum Metropolitano, & aliis Prouinciæ Episcopis aget, vt par pietatis studium in sua quisque Ecclesia iis defunctis præstent.

Peste restincta quæ præstanda.

Capvt XXX.

Svmmarivm.

1 Peste restincta, gratiarum actio, supplicationibus agenda numero 17. hocque ab Episcopo procuranda. 1.

2 Sacra communio.

3 Oratio quadraginta horarum.

4 Supplicationes triduanæ.

5 Christianæ institutionis regulæ.

6 Votorum persolutio.

7 Legatorum præstatio.

8 Vitiorum, & malarum corruptelarum profligatio.

9 Pietatis officiorum exercitatio.

10 Visitatio

10 *Visitatio Ecclesiarum per se, & per alios. 12. & quæ in ipsa visitatione procuranda. 11. 13.*
11 *Charitatis operum restitutio; & quarum aliarum spiritualium rerum excitatio, & instauratio.*
13 *Librorum de baptizatis, & matrimonio iunctis tempore pestis, exhibitio.*
14 *Cum Magistratibus, & Decurionibus de re frumentaria deliberatio.*
15 *Viduarum, Pupillorum, Sacerdotum, Laicorum & quorum patrocinium.*
16 *Mortuorum suffragatio.*
18 *Aliorum Episcoporum congratulatio.*
19 *Accepti beneficii ob recuperatam valetudinem, gratitudo; & consideratio à quo id euenerit. 20. Eaque in re Parochorum, & concionatorum officium 21.*
22 *Peccantium obstinatorum monitio, & perterrefactio.*
23 *Ad colendam beneficii memoriam proposita ratio.*
24 *Tuendæ recuperatæ valetudinis proposita regula.*
25 *Beneficii accepti perpetuum monumentum.*

1 DEi munere, beneficióque cùm primùm pestilentiæ vis paulatim languescere incipit, in eo potissimùm Episcopi cura versabitur, vt omni officii genere is populum excitet, atque inflammet non modò *ad orationem, obsecrationem, & gratiarum actionem*, sicut Apostolus monet; sed ad præcipua quædam religionis Christianæ studia, atque adeò opera, quibus diuinum illud beneficium, ac singulare, piâ, gratâque memoriâ prosequatur perpetuò.

2 Primo vt omnes, & singulos ad gratiarum actionem instruat, ac paret; illud curabit, efficietque, vt peccata sanctè confessi, certo religioso die sacram communionem frequentissimi sumant.

3 Deinde statam illam orationem quadraginta horarum indicet, & celebrabit religiosissimè: ad quam cùm populus per vicinias Parochiales distinctus certis præfinitis horis conueniet, in omni illa horaria statione, concionantis vel breuissimo sermone incitetur, atque accendatur ad ea officia, quæ sanctissima ob accepti beneficii memoriam præstare quisque debet.

4 Posteà verò supplicationes triduanas indicet: quas solemni apparatu, & omni religiosorum ordine, & frequentissimo vniuersi populi concursu; & præterea tertio scilicet eorum die, sacra omni pompa sanctarum reliquiarum ritè, religiosè, rectè, atque ordine celebrari studebit.

5 Atque vt rectissimam quidem viam emendationis, sanctiorisque vitæ populus vniuersùs suscipiat, ac teneat: curabit in primis, vt vicinia Parochialis omnis, & vnaquæque familia, si minùs id pestis tempore fecit, nunc tandem Dei offensiones, morum corruptelas, prauos vsus, quibus anteà sese vllo tempore implicuerat, perpetua deliberatione, perpetuáque omni detestatione pellat, abhorreat, planéque abiiciat.

Certas verò Christianæ institutionis regulas vnicuique hominum generi, ordini, & conditioni accõmodatas, Episcopus commonstrabit.

6 Curabit item hoc diligenter, vt si quæ vota vel publicè, vel priuatim nuncupata sunt, quàm primùm, & piè, & religiosè, ritéque persoluantur ad præscriptum huius Concilii.

7 Vt legata, alioue nomine relicta, aut donata quæcumque in pestilentia pii vsus causa sunt, rectè, seduloque præstentur.

8 Vt quæ vitia, & quas morum corruptelas, dùm pestis vis, atque impetus irruebat, publicè, palámque populus detestabatur, hoc maximè professus, se illa tamquàm peccatorum seminaria, vnde pestilentia extitit, abiecturum: ea planè in perpetuum profligat, eorum malorum fibras, & radices præcidat.

9 Vt in primis quæ Christianæ pietatis officia, ac quæ studia pestifero morbo languerunt, diligentius excitentur.

10 Quamobrem visitationis munus quam primùm aggredietur diligentissimè: in quo munere hoc potissimùm studebit, atque exequetur.

Vt Ecclesiæ præsertim Parochiales, si quæ ob pestem damni, detrimentiuè, aliquid fecerunt, resarciantur, & necessaria supellectile apparatuue instruantur.

11 Vt loca instaurentur, charitatisque opera, & subsidia, si quæ vel neglecta, vel prætermissa, vel intermissa sunt, omninò restituantur, atque excitentur religiosius.

Vt Academiæ, Scholæ, Collegiauè piè instituta renouentur, flagrantiori studio.

Vt diuinorum officiorum cultus omni parte florescat.

Vt sacræ conciones & frequentiores sint, & omni sanctissimæ disciplinæ officio instructiores; itidémque sacræ lectiones. Quamobrem lectissimos concionatores vndique conducere studebit ad suæ Diœcesis loca.

Vt in primis doctrinæ Christianæ Scholæ studiosius, frequentiorique multitudine exerceantur.

Vt piorum hominum Scholæ frequentissimæ sint, ardentiusque versentur in omni pie agendi cursu, & progressione.

Vt aliæ piæ confraternitates erigantur, aliaque item piè instituta opera, exercitationesque excitentur.

Vt causæ piæ diligentissimè explicentur: &, si quæ in foro sunt, ad exitum perducantur.

Vt omnes denique, & singuli officia, studiaque sanctæ Christianæ disciplinæ diligentius amplectantur, & colant.

Frequentissimi ad indulgentiarum, & stationum celebritatem concurrant.

Ecclesias crebrius, religiosiusque frequententent.

Dierum festorum celebritatem ab omni seruili, mundanoque opere abstinentes, sanctè venerentur, & sanctificent officiis atque actionibus cælesti præmio dignis.

Vt patres familias omnibus, & singulis, quos in familia, famulatuuè habẽt, sanctè viuendi leges accuratius tradant ad præscriptũ regu-

larum, quas ipse Episcopus eo nomine ediderit. Quantò autem quisque generis splendore, dignitate, opibus, præstat; tantò ardentiori studio omnis pietatis instituta, progressiones, atque officia tueatur.

Vt mercatores, artifices, institores, & cæteri cuiuscúmque opificii homines, ministriuè, peste restincta, non tàm in excitandis industriæ, artisque suæ studiis, resumendisque ipsis artificiis diligentes sint, quam solliciti admodum, & studiosi non modò in suscipiendis sanctè agendi institutis, sed in reiiciendo omni vitio, quod in artis suæ vsu, atque exercitatione aliquando subesse solet: ità vt quæstui salutem animæ in negotiationibus, actionibus, artificiis planè anteponant.

Monebit prætereà crebris sermonibus, in mercatura, quam faciunt, in omnique commercio nihil fraudis, nihil doli, nihil quæstus nefarii, nihil falsi, nihil periurii committendum, concipiendumuè esse: ab officinis, & tabernis omnem viuendi intemperantiam, & turpiter dictorum obscœnitatem profligandam esse: à iudiciali foro omnem auaritiam, rapinas, ambitionem, iniquitates, & pupillorum, viduarum, egentiumque hominum vexationes exterminari oportere: à priuatorum ædibus intemperantis, profusæque vitæ consuetudinem, ludos aleatorios, immoderatos sumptus, seruorũ greges, conuiuiorum exquisitos apparatus, ingentem vestium pompam, & omnia denique quasi peccatorum seminaria conuellenda: à ciuitate capitales inimicitias, odia, simultates, factiones, improborum hominum cœtus, ludos publicos, & spectacula omnia prophana abiicienda. Hæc enim cùm eiusmodi sunt, ob quæ Deus iratus, pestifero morbo populum contuderit, ac debilitarit; posteàquam eius singulari misericordia, donoque publica valetudo recuperata est; sunt omni cura, studioque euitanda, ne accepto beneficio fideles abutantur, ad Dei iram grauius concitandam.

12 Hanc verò visitationem, quæ omnibus officiis cumulata esse debet, Episcopus, quò studiosius præstet, atque adeò perfectius, alios etiam visitatores adhibebit, qui omnes commonstratæ visitationis partes adiuuent, atque exequantur.

13 In qua visitatione illud etiam curæ erit, vt libri de matrimoniis & baptismis in pestilentia ministratis, proprio Parocho confestim tradantur; qui in codicem Parochialem quæcumque de eo ministrationis genere notata sunt, referantur ad præscriptum.

Vt item infantibus, in pestilentia natis, quibus ob periculum statæ solennes baptismi cærimoniæ adhibitæ non sunt, quàmprimùm illis de more, rituque adhibeantur.

14 Et quoniam sæpè fit, vt, peste depulsa, fames populum adoriatur; ideò eam etiam cogitationem, & curam Episcopus suscipiet, vt, re cum magistratibus, Decurionibusuè deliberata, populo in rei frumentariæ caritate, quæ existere posset, aliqua ratione succurratur; nè fame conficiantur, qui pestilentia extincti non sunt.

15 Viduarum præterea, pupillorum, & pupillarum, eam curam suscipiat, quæ suprà commonstrata est.

Sacerdotum, & religiosorum hominum, qui pestis tempore benè, piéque se gesserunt, ac pericula non reformidarunt, vt spirituali adiumento ægrotantibus subuenirent, patrocinium curámque habebit. Idem laicis, & mulieribus præsertim, quæ infectis morbo operam nauarunt, ipse præstabit.

16 Pro iis verò, qui pestilentia confecti obierunt, per annum post recuperatam publicam valetudinem omnis diligentia, quæ suprà præscripta est, seruabitur in eorum animabus suffragandis.

17 Porrò Episcopus cum Metropolitano, is verò cum Prouinciæ Episcopis aget, vt supplicationibus, processionúmque solennitate, & omni pietatis sanctæ officio, vbique in Prouincia de recuperata valetudine Deo gratiæ habeantur.

18 Rursus Episcopi Prouinciæ Coepiscopum, cuius Diœcesis, vbi suè Dei beneficio à peste liberata est, paterna charitate inuisent; eidémque cùm priuatim pio colloquio, tùm publicè populo sanctissima concione gratulabuntur.

19 Vt porrò singularis beneficii, quod pestis morbo depulso, à Dei misericordia populus accepit, perpetuò memor sit, id Episcopus omni in primis ratione curabit; nè ob ingrati animi crimen, quod graue est, grauissimásque Dei offensiones parit, grauiora deinceps mala, perniciosiusque exitium sentiat: ac proptereà grauitate exemplorum, quæ ex sacris vtriusque testamenti litteris sumuntur, sæpissimè declarabit, quàm valdè oderit Deus ingrati animi crimen.

Itaque id vnum studebit, vt populus beneficium agnoscat, & quale sit, & quantum, quàmque omni munere, & dono, non corporali solùm, sed spirituali plenum, & cumulatum: ità vt planè ille intelligat se, peste liberatum, non modò pristina commoda publicæ valetudinis recuperasse; sed etiam spirituales vtilitates, spiritualiaque emolumenta, quibus aliquando in pestilentia caruerat magno cum periculo salutis.

Crebrò illum excitabit ad sanctarum exercitationum, quibus in pestilentia difficulter vtebatur, religiosum studium, ad frequentem sacramentorum vsum, ad stationes obeundas, ad conciones, & lectiones sacras audiendas, ad dies festos in Ecclesiis, piis orationibus, sanctisque meditationibus consumendos. Ad quæ officia ardentius eum incendet, propositis incommodis, difficultatibusque quibus non sine quadam animi acerbitate, & cruciatu tunc implici ti erant; cùm præsertim vel in ipsa media morte non haberent aliquando, vnde spiritualibus adiumentis, & consolationibus sustentarentur.

20 Id studebit, vt pestis extinctæ beneficium planè agnoscat non ab hominum prudentia, consilio, medicamentorum procuratione existere; sed à Deo in primis, qui mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.

Itaque insigni illius misericordia factum esse populus sciat, vt sedatis pestilentiæ tempestatibus, tranquillitate viræ perfruatur. Alioqui verendum esset, nè grauius plectetur, vt olim populus Hebræus, qui Ægypti seruitute Dei ope mirabiliter liberatus, diuinum beneficiũ grati

animi pietate cùm non agnouisset, pœnis deinde acerbissimis affectus est.

21 Cùm igitur Parochi, tùm concionatores ob eam causam sæpissimè eam monebunt, & locis, quos ex sacrarum literarum fontibus haurient, vbertimè tractatis, ostendent, in rebus prosperis, & ad voluntatem fluentibus, arrogantiam & superbiam fugiendam esse; sed Deo in primis omnium bonorum parenti, & auctori, quicquid prosperè & optimè successit, tribuendum esse: *Ne dixeris in corde tuo, fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt; sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse vires tibi præbuerit*, inquit ipse Deus. Id quò grauius in fidelium mentibus inserant, flagitia, & peccata aliquando exagitabunt, quæ populus admiserit, rursúsque Dei beneficia præclarè commemorabunt; ità vt is non auditione solùm percipiat, sed intimo animi sensu cognoscat, se non meritis suis, sed singulari Dei benignitate à pestilentia liberatum esse.

Cum illis, qui pestifera ærumna correpti, vitam, moresque emendarunt, quique à *Domino castigati*, inquit propheta, *eruditi sunt ad diuinas iustificationes*, ità agent, vt cùm emendationem tum liberationis à peste munus à Deo potissimum agnoscant ac de vtroque beneficio perpetuas ei gratias agant; & cum mortifero morbo iam affecti, eóque diuinitus liberati, omnis malè anteactæ vitæ pœnitentes, viam sanctè agendi ingressi sint, in ea longius progrediantur perpetuò, neque eorum pœnitentia ficta sit, & simulata, vel breuis, quæ solum metu periculi nixa fuerit, quemadmodum de Antiochi, & Esau falsa pœnitentia litteris diuinis proditum est.

Eorum autem mentis cæcitatem grauissimè increpabunt, qui carnis sensu ducti, & mundi illecebris deliniti, quoniam opibus affluunt, cùm omnia sibi licere putent, non modo certissimo pestilentiæ periculo; sed neque recuperatæ valetudinis beneficio meliores facti sunt: *Attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt faciem suam super petram, & noluerunt reuerti*: de istis ita narrat propheta Hieremias.

22 Illos denique qui peste restincta, obstinato, obfirmatoque animo sunt ad peccandum, vehementius deterrebit, vt scilicet, quamuis peste liberati sint, grauiora sibi pertimescenda proponant; cùm causa etiam adhuc subsit, vnde sempiternam plagam accipiant. Recuperatio enim valetudinis magnam suspicionem, & metum perito medico affert, qui rursus multa signa videt, ex quibus animaduertit, causam sublatam non esse morbi, ex quo æger periculose laborauerat.

Illos monebit, etiam si vnà cum bonis piorúmque operum studiosis viris, valetudinis publicæ fruuntur beneficio, fore tamen aliquando, vt diuino iudicio, ab illis segregati, sempiternæ salutis fructu careant.

Idipsi præterea, quo secundioribus rebus in hac vita vtuntur; eo magis illis timendum esse ostendant; certóque persuadeant nullum denique malum, nullumve flagitium concipi, admittiuè, de quo Deus pœnam iustissimam non reposcat.

Ac proinde etiam illis metuendum sit, nè sempiternis illis cælestis hæreditatis bonis priuentur, qui caducis, & fluxis huius vitæ rebus, & muneribus, donisque temporaneis aucti sunt.

Nè item cùm eleemosynas, orationes, ieiunia, aliaque pia opera Deus respexerit; eo liberationis beneficio solum illa officia compenset, tanquàm cælesti præmio indigna, quod è charitatis fonte non emanarint.

Et quod grauius multò est, illud extimescendum demonstrent, vt nè scilicet, cùm isti desperatæ vitæ emendatione sint, Deus propterea, peste depulsa, *dimiserit eos secundum desideria cordis eorum, illosque* liberè, & impunè peccare permiserit, vt posteà acerbissimis cruciatibus, ac sempiternis torqueantur, quippè, cùm maximè tunc iratus ille sit, cùm minimè irascitur. Sic enim populo Hæbreo iratior fuit, cùm iratus non erat amplius: *& requiescet, inquit, indignatio mea in te, & auferetur Zelus meus à te, & quiescam, ne irascar amplius, eo quod non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ, & prouocasti me in omnibus his.*

Docebunt, nisi Dei munere fructum fideles ferant, inde hoc aliquando fore, vt non solùm illud amittant; sed eò grauioribus pœnis afficiantur, quòd se diuino beneficio indignos præbuerint, diuináque benignitate abusi sint ad offensiones ipsius Dei, à quo tale munus, domumque acceperunt.

Recuperatæ valetudinis beneficium tributum, ob eamque causam vitæ spatium datum esse suadebunt, vt illud in pœnitentiæ operibus, & in sanctioris disciplinæ rationibus conficiatur.

23 Accendent populum ad omnia pietatis officia, quæ memoris, gratique animi sint.

Vt scilicet intimis sensibus, menteque humili, & religiosa cum id beneficium à Deo solo extitisse agnoscat, cor omne ad Deum conferat: *Præbe mihi*, ille inquit, *cor tuum.*

Vt omni oratione, prece, supplicatione, & diuinarum laudum concelebratione gratias Deo agat.

Vt tale beneficium liberis commemoret, exteris hominibus, quàm singulare fuerit, narret, & omni mutua gratulatione ità prosequatur, vt commemorando & gratulando, sese magis atque magis accendat ad sanctiora, & diuturniora, vel perpetua potius gratiarum actionis officia.

Vt se totum Deo offerat, restinctisque cupiditatibus, & exultantis animi sensibus repressis, ità se comparet, vt malit omnes res vel amplissimas reiicere, quàm à Dei voluntate diuinisque præceptis, & monitis discedere: idque sibi propositum habeat, quæcumque possidet, cùm à Deo habere, tùm ad illius gloriam, & ad suam, suorumque liberorum, agnatorum, propinquorum spiritualem salutem procurandam se libenti animo, liberalique voluntate erogaturum.

Ac propterea, quæ à pestis incendio facultates liberatæ sunt, earum partem Deo tribuat: decimas, & primitias libentius persoluat: supellectilem, & ornamenta ecclesiis ad religiosum illius cultum libenter, studioséque cōferat,

Vt recuperata publica valetudine non omnibus mundi lætitiis, vt fit, exultet: sed intelligat, quæ fidelis populi lætitia in recuperata publica incolumitate esse debeat, quàm moderatum gaudium, quàm cum veræ pietatis officiis coniunctum.

Nec verò mundi lætitiis elatus, insolentius se extollat; quod vna scilicet incolumitate publica, diuitiis, opibus, auri, argenti, rerumque omnium copia circumfluat: sed hæc intimè in Domino gaudeat, & lætetur, quòd peste Dei beneficio depulsa, tot, tantisque spiritualibus commodis, quibus in pestilentia caruerat, liberè fruatur. Quòd ecclesias frequentet, quòd ad supplicationes frequens conueniat, quòd processiones solemnes obeat; quòd in sacris concionibus, rerumque diuinarum interpretationibus audiendis versetur; quòd frequenti sacramentorum vsu sese salutariter pascat; hæc sanè sunt salutaria commoda, ex quibus solidum, perpetuumque in Domino gaudium capiat, Quantam enim consolationem fideles ex sacramentorum vsu percipiant, vel ex hoc vno cognosci potest, quod dignum omni commemoratione est. Fuit Mediolani, dùm pestis proximis annis sæuiebat in publica hospitali domo S. Gregorii homo quidam, qui peste mortuus putabatur, inde igitur ad locum asportatur, vnde cæteri mortui, ad cæmiterium efferuntur. Eo loci cùm in magno cadauerum aceruo tota nocte penè sepultus fuisset; manè dùm publicæ curationis sacerdos, qui peste ægrotantibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ferre consueuerat, illac transiret, vbi ille, cadaueribus penè opertus iacebat; de repente ardenti sumendæ Eucharistiæ desiderio excitatus se in genua erexit, & hac diuina occasione exhilaratus, voce, quàm ab illo, animam exhalante, consolatio vix elicuerat, à sacerdote supplex petiit, sibi quoque sanctissimum viaticum dari: quod vbi sacerdos libentissimè ministrauit, & ille religiosè, summaque veneratione accepit, eodem loco statim in pestis acerbitate cum summo percepti sacri viatici gaudio ex hac vita migrauit. Quem fidelem hoc pii hominis exēplū non afficit; cui non iucūda hæc plena consolationis cōmemoratio;

Iidem præterea, & concionibus, & sermonibus agent, vt valetudinis publicæ recuperatæ munus prosequantur non voluntate solum obediendi diuinis præceptis; sed operibus, & affectionibus sanctissimis, quæ in diuinis monitis exequendis elucent.

Vt gratiarum actio, quæ ex sanctissimo omni opere constare debet, in perpetuis benè viuendi officiis perseueret.

Vt hæc ipsa à toto populo, non à parte solum celebretur, ita vt alii benè agendo ædificent, alii malè agendo destruant.

Vt hæc ipsa non diuisa sit, vt partim scilicet Deo, partim mundo tribuatur; sed omnis ad Dei gloriam referatur.

Sacerdotes autem, & curatores animarum in primis sollicitudines suas, & vigilias in eo consument, vt populi, sibi culturæque suæ commissi disciplinam studiosè instaurent, quò vberiores fructus, eosque sempiternæ vitæ præmio dignos ferant.

24 Tuendæ autem recuperatæ publicæ valetudinis regulam proponant, à Christo Domino traditam, his verbis; *Vade, & noli amplius peccare, nè quid grauius tibi contingat.*

Atque in huius quidem argumenti genere omnem progressionem spiritualem, libro Memoriali Mediolanensi vberrimè explicatam, excitabunt summo studio; summa omnis officii contentione, & rationum momentis ex eodem libro depromptis: quem ob eam causam ad omnis eius generis tractationem adhibebunt.

25 Episcopus autem in vniuersam hanc curam, & sollicitudinem cùm perpetuo incumbet; tum curabit, vt perpetuum sit aliquod beneficii huius monimentum. Quamobrem rationem aliquam suscipiet, vt ad colendam eius memoriam, aut ecclesia, altareuè ædificetur, aut hospitalis domus eo nomine struatur, aut anniuersariæ eleemosynæ, alteriusve rei pium opus erigatur, aut dies festus aliquis potissimum instituatur, quo Missa solemnis, & supplicatio anniuersaria celebretur; aut piorum hominum confratria præcipua instituatur certis religiosi officii rationibus.

Finis. Laus Deo.





APPENDIX ALTERA.

SACRAMENTALE AMBROSIANVM.

In quo continentur instructiones pro administratione omnium Sacramentorum.

Carolus S. R. E. Presb. Card. Tituli S. Praxedis, Archiepiscopus vniuerso Clero vrbis diœcesisque suæ Mediolanensis salutem in Christo Iesu.

NObis in Archiepiscopali hac vigilia versantibus, ea præter cæteras vna proposita est sollicitudo, vt quam ecclesiæ huius hæreditatem sacram, iam olim Ambrosius sanctissimus à beatæ memoriæ Archiepiscopis, Miroclete, Eustorgio, & Dionysio acceptam, se conseruaturum esse dixerat, eam deinceps ab ipso Ambrosio patre auctam, & perpetuo sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ matris consensu retentam, & religiosa consuetudine, vsuque prædecessorum nostrorum constantissimè conseruatam, nos pariter Deo benè iuuante integram non modò seruemus, verùm etiam si quam eius partem, vel negligenter omissam, vel certè aliquo modo parum cultam animaduertimus, diligentissimè itidem, & restituamus, & excolamus. Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui consolatus est nos in laboribus, vigiliisque huius ipsius nostræ solicitudinis. Superioribus annis Breuiarium, quod opus fuit diuturni temporis, magnæque diligentiæ, ita restituendum curauimus, vt antiqua huius nostræ ecclesiæ monumenta, veteresque concelebrandis diuinis laudibus Ambrosianos ritus iam planè integros liceat agnoscere. Nunc sanè sunt item reliqua, in quibus iamdiu fixæ cùm sint non solùm cogitationes, sed labores nostri; denique apparere, & extare debent. Atque in iis quidem (præter Missale, in cuius quoque edendi curam incumbimus) præcipuum etiam opus est, quod Sacramentale ex vetustissimo vsu vocamus. Id porrò si seriùs, quàm decreto Synodali iampridem promiseramus, in lucem prodiit, vos ipsi probè nostis factum esse multitudine, magnitudineque occupationum Archiepiscopalium; quibus pro temporum varietate nos non solùm in singulos dies, sed in singula ferè momenta assiduè distenti, necesse sæpissimè habuimus cursum interrumpere industriæ, & curæ, quam in eo conficiendo diligentissimam ponere iampridem statueramus. Verùm si recta reputamus via, profectò ab huius nobis commissæ Ecclesiæ rationibus haud quaquàm alienum fuit, rem, quæ tempus, & diligentiam postulabat, diutius differri; vt pluribus, quàm ab initio potueramus, iisdem, necessariis partibus eam absolutam redderemus. Copiã certè habuimus exemplarium, quæ & manu scripta, & impressa, eáque antiqua admodum, ex multis tam basilicæ nostræ Metropolitanæ, quàm aliarum ecclesiarum vrbis, diœcesisque vniuersæ tabulariis conquisita, ac suppeditata, adhiberi ab iis Ecclesiastici ordinis viris voluimus, quos & pietatis studio flagrantes & doctrinæ laude claros, & rituum sacrorum vsu literatè peritos ad opus delegimus. Ex sancti Ambrosii item fontibus multa hausimus, quem Ecclesia hæc patrem magistrumque habet omnium virtutum gloria florentem; quique cùm de iis qui initiantur mysteriis, tum de sacramentis libros præcipuè scripsit. Neque solùm his domesticis adiumentis contenti fuimus, sed aliunde subsidia comparauimus, ab iis præsertim religiosis scriptoribus, qui rituum nostrorum & diligentissimi interpretes, & testes locupletissimi extiterunt. Cum iis igitur monumentis recognosci ab initio potuit, vt certè recognitum est, opus Sacramentale, quod modò emittimus. Sed quoniam ad eius perfectionem etiam non parum interesse censuimus, exspectare, vt prouinciæ concilia aliquot haberemus, in quibus singulis, sapientissimorum Episcoporum consilio, & pietate, nos de re non doctrina solùm, sed vsu probatum aliquid semper statueremus: rem vsque adeo protulimus, vt synodis prouincialibus Dei munere sex iam demum celebratis, necessarium opus plurimis decretis adiuuerimus. Accedit etiam hoc, quòd cùm editionibus libri Sacramentalis diem de die vsque adeo duxerimus, vt omnis diœcesis nostræ visitationem ante absoluerimus: ex hac ipsa Archiepiscopali speculatione, in qua vsu multa comperimus ad Sacramentorum administrationem cultúmque

opportuna, quæ minus præstabuntur; adiumenta item rei conficiendæ non parua ipsi subministrauimus. Quæ quidem adiumenta, in iis quæ instructionum, seu rubricarum nomine cuique sacramento copiosè adiici iussimus, in primis apparebunt. Quamobrem si diutius libri editio iam prorogata est: diuturnitas tamen vtilitates permultas peperit, quas ex assiduo illius vsu vos ipsi cognoscetis. Sacramentale igitur edimus, multis partibus excultum atque absolutum, vt mox supra demonstrauimus. Vestrum est omnium, & singulorum qui sacerdotes estis, quique in vrbe, & diœcesi nostra Mediolanensi sacramenta ritu moréque Ambrosiano ministratis, ita vos huius Sacramentalis regulis instituere, in omnésque partes conformare, vt cùm ad illius præscriptum ea purè, sanctè, & religiosè tractetis: tùm cæremoniis & ritibus hoc ipsi traditis vtamini, neque vllis prætereà aliis. Atque ob eam sanè causam iubemus, vos vniuersos singulosque quorum interest, duobus post editionem mensibus hoc ipsum habere, legere, atque in vsum introducere, vt charitatis vestræ, qua in procuranda animarum salute eximiè præcellere debetis, studiũ in Domino commendemus.

RVBRICÆ SEV INSTRVctiones Generales.

De Sacramentorum administratione.

IN sanctissimis sacramentis & ministrandis & percipiendis, religiosa, diligensque cura requiritur. Quæ sane res cùm ex ipsis mysteriis intelligi possit; tum etiam perspicitur ex precibus, & sacris cæremoniis, quæ à diuinis, apostolicisque traditionibus deriuatæ, ac perpetuo sanctæ Ecclesiæ vsu corroboratæ, ad hæc vsque tempora piè retinentur, sacramenta enim à Christo Domino saluatore nostro instituta, & ad communem omnium salutem proposita, cum cœlestia munera sint, atque instrumenta diuinæ gratiæ, solennibus cæremoniis tractantur, & ministrantur: vt eorum tum administratio sancta sit, tum perceptio plena religionis. Quare primo loco hæc generatim traduntur, vt tam qui sacramenta ministrat, quàm qui sumit, ad pietatis suæ partes breuiter instruatur.

Primò igitur parochus, omnisque sacerdos, cuius est sacramenta administrare, meminisse debet, sancta se tractare, omnique ferè temporis momento paratum esse oportere ad tam sanctæ administrationis munus. Quamobrem is, cùm alios per sacramenta purget, atque illuminet, hoc maximè studebit, vt ipse vitam purè, castè, ac religiosè agat, mentémque item, & animum ab omni peccati labe purum adiutrice Dei gratia conseruet diligenter. Nam etsi sacramenta, diuinam quidem virtutem quæ illis inest, nunquam amittunt; tamen impurè ea ministrantibus æternam mortem afferunt. Itáque primùm solicitè, & intimè recogitare debet, an alicuius peccati mortalis (quod sanctissima cautione sacerdos euitare debet) sibi conscius sit. Quòd si reum se esse nouit, prius sacramentali confessione se expiare studebit: contritionem certè habere quàm diligentissimè curet.

Quacunque diei, aut noctis hora ad sacramenta ministranda vocabitur (cum præcipuum eius munus, cuius causâ à reliquo populo separatur, ab ecclesiáque sustentatur, præter cætera, eorum administratio sit) nullam tam sanctis pietatis officiis moram interponet. Immo populum sæpe numero, prout occasio tulerit, accuratè præmonebit, vt cùm opus est parochiali ministratione atque officio, se quàm primum, & liberè accersat, nulla habita nec temporis, neque loci longè distantis, neque alterius cuiuscunque incommodi ratione.

Cum autem accersetur, tantùm abest, vt verbis, vel vultu, vel alio signo ostendat se grauatè iturum, vt illius, cui ministrare debet salutis desiderio se accensum patrem præbens, verborum benignitate, vultúque hilari charitatem paternam significante, & libentissimè, & vt potest, celerrimè accedat.

Anteà verò quàm accedat, paululum saltem in sacræ actionis quam suscepturus est meditatione attentè versabitur. Atque vt, & ipse sanctè ministret; & cui ministrabit, piè salutaritérque percipiat (nisi cùm necessitas eum festinare cogit) genibus flexis ad altare paululum orabit, & hanc orationem adhibere poterit, vbi propria ad scripta non est.

Psal. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium; & tui amoris in eis ignem accende.

Vers. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Resp. Sicut erat &c. Iterum. Veni sancte Spiritus.

Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Domine Deus omnipotens, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti sacerdotalis officij, propitius esto mihi peccatori, vt condignè possim diuinæ clementiæ tuæ sacramenta fidelibus ad ea confugientibus ministrare. Per Dominum nostrum, &c.

Et præterea nè titubanter quidquam in ministratione agat, quamuis ordinem ministrandi, cæremoniásque ritè teneat, antea tamen quàm ministret, attentè ex libro religiosa animi intentione, quæ agenda sunt, recognoscet.

Si incommoda valetudine laborat, qua tamen à sacramenti ministratione non impediatur, alium sacerdotem ab Archiepiscopo probatum sibi comitem adiunget: quo adiutore vtetur, si quando præ ægritudine, vel in via, vel in ministratione deficeret.

Accerset item parochiæ suæ clericos, quos decenti habitu, & superpelliceo in primis rectè indutos, tot vt poterit adhibebit, quot sacramenti ratio deposcet. Præmonebit eos breui cohortatione quandoque, quàm modestè, & quanta deuotione eam functionem prosequi debeant.

Hoc etiam præcauebit, vt vestes sacræ, supellex, & vasa, quæ ad ministrationis vsum adhibentur, ab omni sorde pura sint, atque adeo quodam ecclesiasticæ munditiæ nitore colluceant.

In omni sacramentorum administratione semper superpelliceum decens, & stolam adhibebit, quæ stola colore erit, quem sacramenti ministrandi ratio ritè postulat.

De libro hoc preces, & sacramentorum formulas, cæteráque pro ratione eorum quæ ministrabit, rectè leget: nec verò memoriæ, quæ plerumque labitur, confidat.

Sacramenti quod ministrabit, vim, rationem, vsum, salutarésque fructus, prout temporis, ac personæ ratio, & præsentium multitudo tulerit, diligenter explicabit, præsertim catechismi Romani doctrinis: quas partim etiam sumere poterit ex libris sancti patris nostri Ambrosii de sacramentis; & de iis, qui initiantur mysteriis

Cum verò cæremoniæ, quæ ad sacramenta adhibentur, mentes illorum, qui eas intuentur, accuratéque obseruant, ad sublimium rerum cogitationem erigant, fidémque, & charitatem in iis ipsis excitent; earum etiam vim, sanctioresque significationes, vt diligentissimè poterit, idem populo exponet, cùm vsu venerit.

Ritibus autem, & cæremoniis vtetur hoc libro præscriptis: quibus nihil, ne alicuius quidem priuatæ deuotionis nomine addet, nec detrahet; neque verò aliquid mutabit: nisi aliter aliquando faciendum rubrica suo loco ostendat.

Dum verò ad ministrandum proficiscitur, animi meditatione attentus erit ad rem, quam sanctè acturus est: piè psalmos, & orationes statas in hoc libro præscriptas recitabit. Nihil quidquam cum alio colloquetur, nisi necessitatis causâ, & quàm breuissime; neque salutationibus in via vacabit.

Grauiter præterea maturéque incedet, non properanter, nisi instante necessitate, callopodiis autem, seu zoccolis, nunquam vtetur sanctissimis sacramentis ferendis.

Sacramentum præterea aliquod cum ministrat, vt id magna cum religione præstet, singula verba, quæ ad illius formam rationémque pertinent, omni animi attentione, & pietate distinctè pronunciabit, & clara item voce, vt ab illis audiri possit, quibus ministratur.

Sacras item precationes sanctè grauiterque dicet. Solennes præterea alios ritus cæremoniásque ita decenter obseruabit, vt veluti ante oculos ponere videatur eximia illa dona, quæ in eo sacramento continentur.

Ita verò demum in omni sacramenti administratione se geret, vt non actione solùm tota; sed vultu etiam, illos qui adsunt, incitet ad pietatem, ac deuotionem.

Illudque norit præterea officii sui esse; & hac sancta administrandi ratione, & præterea assiduis orationibus, & doctrina, & omni sacerdotali industria, fideles sibi commissos tales efficere, quibus dignè, vtilitérque sacramenta ministrari possint.

Lumina adhibebit in ministratione, prout sacramenti ratio deposcit: id quod cum mysterii significatione, & reuerentiæ, cultúsque officio fit.

Sacramenti ministrationem cum aggreditur, id intendat, idque sibi agere proponat, quod Christus Dominus instituit, & sancta mater Ecclesia intendit, atque agit.

In ipsa verò ministratione, animo menteque defixus erit in cogitatione sacramenti quod ministrat, idque quantùm fieri potest, studiosè curabit.

Illud porrò cauebit, vt ne in administratione, eiusve causa, aut occasione aliquid exigat, petatvo aliquo modo. Sed quæ gratis accepit, gratis ministret, sine aliqua, vel minima cuiuscúnque auaritiæ suspicione.

Vt autem sacramentis debitus religionis cultus, etiam externus, ab iis tribuatur, qui ea suscipiunt: non patietur quemquam ad illa suscipienda accedere, nisi exteriori quoque habitu, vestiúmque modestia, debitam illis venerationem præseferat.

Videbit igitur, vt viri armis depositis, vtque mulieres rectè velato capite accedant; vt omnes vestitu, & toto corporis habitu modesto humilitatem christianam præseferant.

Curabit etiam pro loco, & tempore, & personarum ordine, vt idem faciant, quicunque, dum sacramentum ministratur, aliquod officium præstant, vt potè patrini, & paranymphi.

Monebit id quoque reliquos omnes qui adsunt, vt remoto inani colloquio, actúque indecenti, piè ac deuotè, vt debent, intersint capite aperto, mente etiam ipsi reputantes cœlestia illa dona, quæ sacramentorum virtute fidelibus impartiuntur.

Iudæos autem, infideles, hæreticos, & excommunicatos non patietur in sacramentorum administratione præsentes adesse: nec verò catechumenos.

Cætera denique omnia ritè, & ordine seruabit, prout vnicuique sacramenti administrationi accommodata, suis quæque locis sigillatim demonstrata sunt.

Cùm verò sacramenta quinque tantùm, nempè Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Matrimonium, & Extremam vnctionem, Parochus ex officio administrare possit, eorum cæremoniæ, quas rectè seruet, locis propriis præscriptæ sunt.

Reliquis autem sacramentis duobus, Confirmationi, & Ordini, quorum administratio solius Episcopi est, non cæremoniæ administrandi in hoc libro adscribuntur; sed adiungi operæ pretium fuit breuem quandam instructionem rerum, quas cum ea Episcopus solenniter ministrabit, debet ipse Parochus, pro curæ parochialis munere agere atque exequi.

Rubricæ, seu instructiones.

De Baptismi administratione.

Baptismus inter sacramenta sicut primum locum obtinet, ita maximè etiam necessarius est: cum sine eo nemini pateat aditus ad cœleste regnum: (Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei,) inquit Christus Dominus. Quare Sacerdos cuius est hoc sacramentum ministrare, cùm ea omnia, quæcunque ad illud conficiendum attinent, rectè scire, accuratè animaduertere, ritéque seruare debet: tum pleráque etiam, prout vsu venerit, populum accuratè præmonebit, ac docebit. Quæ omnia, vt ordine faciléque præstet, hoc loco breuiter traduntur, atque exponuntur Ioan. 3.

Quæ Parochus in Baptismi ministratione, quod ad eius materiam, & formam attinet, animaduertat, & populum etiam doceat.

IN Baptismo, sicut in cæteris sacramentis, cum præter eius, qui ministrat intentionem, de qua mox suprà dictum est, materia, forma, & minister requirantur; de iis Parochus, vt infrà obseruabit, ac fideles quoque instruet, ac monebit, prout opportunum viderit.

Quod igitur ad huius sacramenti materiam pertinet, id animaduertet, vt aqua (quæ materia sacramenti Baptismi est) non solùm vera, naturalisque sit, sed etiam eo ipso anno, quemadmodum sanctè cautum est, benedicta in Sabbato sancto Paschæ Resurrectionis Domini, aut Sabbatho Pentecostes.

His igitur duobus Sabbatis, quibus ex veteri instituto fontis baptismalis benedictionem agi, celebrarique solemne est, ipse cum clericis parochiæ suæ quotannis, si in vrbe est, ad Basilicam Metropolitanam; si in diœcesi, ad ecclesiam plebanam tempestiuè conueniet: vasculum proprium, atque vsui huic tantummodo addictum, idémque nitidum afferet; quo aquam baptismalem inde in ecclesiam suam reportet.

Eò cùm venerit, superpelliceo, & stola alba indutus, cum clero ecclesiæ vbi fontis celebritas agitur, processionem ordine ad fontem obibit, & ministerium etiam suum, vbi opus erit in benedictione præstabit.

Peracta solẽni benedictione, vasculum quod portauit, offeret, vt aqua benedicta impleatur impleti os diligenter occludat: tũ illud velo albi coloris conteget, in parochialemque ecclesiam debita veneratione deferet, clericis duobus proximè præeuntibus, qui lumina portent.

Ad ecclesiam suam vbi venerit, vasculum cum luminibus in fonte baptisterii collocabit: inde in sacristiam rectà veniet: vbi mox sacris Missæ vestibus se induit, sicque indutus cum clero, & populo ad fontem procedit: vbi canit

Psalm. 41. antiphonam. *Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.*

Mox vasculum aquæ baptismalis capit, effunditque in fontem: ac mox, adiuuante Diacono, aliove ministro, aliam prætereà aquam, quanta satis sit ad eum implendum, quem statim rectè claudet.

Tum quo ordine venit, ad altare procedit, & Missam celebrat nec verò ante Missam celebrabit his Sabbatis, nisi absoluta fontis actione. Sed si ob viæ longitudinem, aliamve causam ad suam ecclesiam in tempore redire non possit, vt post huiusmodi actionem liceat Missam celebrare; illam ante celebrare poterit: reliqua verò, vt dictum est peragere.

Aquam baptismalem (quoniam puram illam quidem, mundam, nitidámque esse; ob tanti sacramenti dignitatem conuenit) in ipso fonte per totum annum, quoad eius fieri potest, tum decorè, tum purè conseruabit. Quam ob causam cum fontem pro sacramenti maiestate ex præscripto decenter extructum, ornatumque habebit: tum etiam totum ipsius fontis opus vndique ita contectum tenebit, vt nec puluis, neque vllæ aliæ sordes intrò penetrent, quibus aqua corrumpi, aut impura fieri possit.

Quòd si intra annum, præ temporis diuturnitate, aliave causa illam corrumpi contigerit, in sacrarium propè fontem Parochus proiiciet: statimque & fontem purgabit; & verò si in vrbe est, ad Metropolitanam, si in diœcesi, ad plebanam ecclesiam veniet, vnde proprio vasculo nitido aquam baptismalem accipiat, in parochialémque ecclesiam secretò ferat: vbi quamprimum in fontem effundet, baptismalique aquæ allatæ tantùm etiam aquæ puræ, nitidæ, & recentis addet, quantùm satis erit.

Hoc ipsum quoque præstabit, si etiam aqua baptismalis per annum aliquo modo defecerit.

Si verò in ecclesia, vel Metropolitana, vel plebana, vbi fontis benedictionem fieri solenne est, aquam baptismalem corrumpi, aut deficere contigerit: tunc Archipresbyter, aut Præpositus, rocheto, cappa, & stola violacea, indutus, fonte primùm diligenter purgato, & aquæ puræ, mundæ, recentisque pleno, oleoque sacro, quod aquæ immisceri debet, parato, benedictionem omissis cæteris cæremoniis peraget, vt infrà suo loco inter Benedictiones, adhibitis saltem duobus clericis.

At verò nè temeraria manus abutatur aqua baptismali ad superstitionem, & perniciem; sacerdos fontem ex præscripto benè communitum, sera etiam, clauique claudet, quam ne clerico quidem committens, apud se custodiet perpetuò.

Et quoniam interdum accidit, vt in summa hyeme aqua baptismalis vi frigoris conglaciet, aut gelida nimis fiat: tunc vt aliquo calore liquefacta, aut calefacta, vsui ad baptizandum infantem esse possit (cum animaduerti debeat, nè illa gelida nimis ei noceat) aliam aquam vase mundo calefactam immisceri licet, quæ aqua calefacta longè paucior erit, quàm illa quæ benedicta est. Qua in re etiam cauebit sacerdos, nè quid aliud commisceat, quàm aquam puram, ac naturalem, quamuis calidam.

Verùm cum huius sacramenti ea sit necessitas, vt etiam à laicis instante mortis periculo illud administrari liceat; ne hoc quidem, cum occasio tulerit, præstare prætermittet: vt populum huius sacramenti materiam doceat esse, omne naturalis aquæ genus, siue ea maris sit, siue fluuii, siue paludis, siue putei, siue fontis, quæ sine vlla adiunctione aqua dici solet. Aliis autem liquoribus, aut aquis, quæ è floribus, herbis, aliisve id generis exprimuntur, eliciunturve, Baptismum confici non posse ostẽdet: aquam prætereа puram mundámque esse, pro sacramenti dignitate conuenire: nisi necessitate vrgente, in qua vti licet etiam aqua lutulenta.

Sequitur forma baptismi, quæ est: *Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quæ, dum infans ter mergitur, continuata pronuntiatione, & singulorum verborum distinctione, rectè integréque profertur, nihil addendo, omittendo, aut mutando.

Et verò quod ad formam ipsam pertinet, ipse Parochus non solùm populo generatim ob baptizandi necessitatem; sed etiam priuatim, præcipueque obstetricibus, in ecclesia tamen, eam planè ostendet, ac tradet.

Quam etiam formam, an illæ rectè teneant, aliquando eodem loco accuratè videbit, ac

diligenter quæret. Proindeque illarum, quæ intra parochiæ suæ fines habitant, nomina certo libro descripta habebit, vt illas interdum instruat, non solùm Baptismi quæ materia sit, vt mox dictum est, sed quæ etiam forma, & quæ intentio baptizantis.

Ab hac autem ipsa baptismi forma, ne minimùm quidem vnquam discedat, vt præscriptum est, nisi cum forma sub conditione vtendum sit, quæ est cum adiunctione verborum: quæ infrà suo loco ponitur.

Qua forma vtitur, cum infans, aliusve, qui Baptismo offertur re diligenter perquisita, dubium relinquitur, aut certè non apparet, eum baptizatum esse: vt de expositis, inuentisque paruulis dubitari, atque ignorari sæpe numerò solet.

Quòd si re accuratè inuestigata, exploratum habuerit, illum forma seruata baptizatum esse; caueat omnino, nè hanc sub conditione baptizandi formam adhibeat: cùm sacrilegium committat, si contra fecerit; & illud impedimentum contrahat, quod sacri canones irregularitatem vocant.

Si verò fœtus ex vtero matris, quæ in partu periculosè laborat, vel manu, vel pede, vel alia aliqua parte extans, ob necessitatem in ea ipsa parte ab obstetrice baptizatus est; cum superstes erit, sub eadem conditione baptizetur, adhibitis cæteris Baptismi cæremoniis.

Si verò in capite, quod primum ex vtero prodiit, baptizatus est, forma rectè seruata; quando superuixerit, ad ecclesiam deferatur, ei tantùm reliquæ cæremoniæ adhibeantur, quæ ad solennitatem Baptismi attinent.

Si quando præterea monstrum humanum Baptismo offertur, videndum est antequàm baptizetur, an vna persona sit, an verò duæ; tum masculus ne sit, an fœmina. Sique re perspecta dubium est, an sint duo, vt potè quia duo capita non habet, nec pectora benè distincta, vnus intentione certa, neque vaga, simpliciter baptizetur: alter verò, seu alij sub conditione: *si non es baptizatus &c.*

Si verò quia duo capita, pectora duo, aut corpora etiam distincta in monstro apparent, homines duos esse perspicuum est, singuli simpliciter baptizentur.

Quòd si mortis periculum in mora erit, numero plurali baptizentur: *Ego vos baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Sin autem vna persona est, vt potè vnum tantùm caput habens, tanquam vnus baptizetur, etiam si alia membra plura geminatave habeat.

At verò monstrum, quod hominis speciem non præsefert, non baptizetur, nisi primùm Archiepiscopus consulatur: de cuius etiam consilio agetur, quod supra de monstro humano dictum est, si tempus dabitur.

De ministro Baptismi.

MVnus conficiendi hoc sacramentum, quamuis sacerdoti commissum sit: tamen cogente necessitate, omnes, etiam laici, & fœminæ quoque, sine solennibus tamen ceremoniis, baptizare possunt. Illud verò cauendum est (quod etiam Parochus, prout occasio tulerit, accuratè monebit) vt ne fœmina viro præsente; neque rursus clericus præsente subdiacono: hicque itidem coram diacono; nemóque præterea eorum coram sacerdote baptizare audeat: ipse autem norit, sibi licere baptizare, etiam præsente suo Episcopo.

Et quoniam si vel à muliere, vel à laico secus fit, graue peccatum admittitur, id etiam monebit.

Obstetricibus autem, quæ baptizare consueuerunt formamque Baptismi tenent, baptizare quidem necessitate vrgente permittitur, etiam præsente laico, qui huius sacramenti conficiendi planè ignarus, rudisque sit.

Verùm grauissimè Parochus monebit, quàm grauiter illæ peccent, si quando mortis necessitate non cogente, Baptismum ministrare audent.

Quamobrem illud etiam interdum opportunè nunciabit, vt cum mulier propè paritura ægrè se habet, de eiúsque partu timetur, studeat in primis Parochum in tempore accersere: aut, si eum habere non potest, aliquem ex ecclesiasticis ministris, aut denique virum laicum baptizandi peritum in promptu habere, vt nè obstetricibus fœminis, nisi in summa necessitate, cui aliter prouideri nullo modo potest, baptizandi locus vnquam detur.

Parentes autem omnino caueant, nè liberos suos baptizent absque manifesta necessitate, cùm scilicet alii quoquo modo apti non adsunt, & periculi vrget necessitas, quod ipse etiam monebit, prout vsu aliquando venerit.

De modo ministrandi Baptismi.

MInistratur Baptismus triplici modo, immersione, infusione aquæ, & aspersione. Sed immersionis modus cum antiquissimi in sancta Dei Ecclesia instituti ritusque sit, idémque in ecclesia Ambrosiana perpetuò retentus: ab ea mergendi consuetudine recedi non licet, nisi imminens mortis periculum instet; tumque vel aquæ infusione, vel aspersione ministrabitur, seruata illa stata baptizandi forma.

Ad aquæ baptismalis infusionem, non manus, sed vas ob eam causam paratum adhibebitur.

Id Parochus mergendo seruabit, vt ab ea parte fontis baptismalis stet, vbi directo obtutu orientem spectet.

In immersione hoc seruabit, vt infantis latera manu vtraque firmiter excipiens, illius supini occiput ter mergat: primò dicens, *In nomine Patris*, iterùm, *& Filij*, tertiò, *& Spiritus sancti.* Qua in immersione animaduertet, vt dum mergit, infantem nè lædat, at aquam verè illius occiput immersione tangat.

Si quando autem duo, pluresve infantes Baptismo offeruntur, eorum vnicuique exorcismum, catechismum, & reliquas statas cæremonias separatim adhibebit: super iis tamen simul orationes dicere poterit, numerúmque commutare vbi opus est, vt pluribus conueniat.

Infantibus autem oblatis, partim maribus, partim fœminis, separatim, atque ordine ministrabit, maribus scilicet primò, & deinde

fœminis, mutata nominis verbique ratione pro sexus genere.

Prou.4.tit. quæ pert. ad sacram baptis. §.ii quis. Et verò quod in Ecclesia Ambrosiana veteris instituti, & consuetudinis est, decreto etiam prouinciali renouatum, vt infantes in hebdomada authentica nati, Sabbato sancto ad Basilicam Metropolitanam; & qui item hebdomada Pentecosten proximè antecedente in lucem editi sunt, ad eandem Basilicam Baptismo offerantur; id vnusquisque Parochus seruet; vt iis solenni ritu huius ecclesiæ Archiepiscopus Baptismum ministret. A qua solennitate, quæ Archiepiscopalis muneris est, alius omnis, vel Archipresbyter, vel Præpositus, vel Parochus, tam vrbis, quàm diœcesis abstinebit.

De cæremoniis, quæ in Baptismo adhibentur.

Ritus, cæremoniæ, & solennitates, quæ in Baptismo adhibentur, eiusmodi sunt, quas omittere nefas est, nisi cum baptizandi necessitas instat.

Quamobrem Parochus, cùm illas, tum earum mysteria, & significationes rectè tenebit, vt & religiosè ritéque hoc sacramentum ministret; & peritè pieque earum mysteria fidelibus exponat.

Has autem statas cæremonias sacerdos cùm Baptismum ministrabit, numquam planè omittet, nisi quando ob necessitatem ministrabit.

Atque omnes quidem hæ cæremoniæ precatiónésque ad tria capita rediguntur.

Aliæ enim sunt, quæ antequàm accedatur ad Baptismi fontem, seruantur: aliæ, quæ cùm ad ipsum fontem ventum est, adhibentur: & aliæ præterea, quæ peracto iam Baptismo addi solent.

De cæremonijs, quæ priusquàm Baptismus ministratur adhibentur:

In primis aqua paranda est, qua ad Baptismum vti oportet.

Consecratur enim Baptismi fons, addito mysticæ vnctionis oleo: neque id omni tempore, sed Sabbato Paschæ Resurrectionis Domini, & Pentecostes.

Hæc enim sacra duo tempora, mysteriorum plena, Baptismo celebrando solennia legitimáque esse docent Ecclesiæ Patres, & in primis Leo Pontifex sanctissimus.

Epist. 4. ad Episcop. Siciliæ. cap. 3. *Nam quamuis*, (inquit is,) *totum, quidquid Christo Domino, & virtutis diuinæ est, & infirmitatis humanæ, ad nostræ reparationis tendat effectum, propriè tamen Paschali tempore, nempè in morte crucifixi, & in resurrectione ex mortuis potentia baptismatis nouam creaturam condit ex veteri, vt in renascentibus, & mors Christi operetur, & vita*, Ad Rom. 6. *dicente Beato Apostolo Paulo: An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cùm illo per Baptismum in mortem, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul, & resurrectionis erimus, &c. ex quibus apparet, Paschale tempus electum ad filios hominum regenerandos, & in filios Dei adoptandos.*

Huic paschali obseruantiæ additur etiam Pentecostes ex aduentu Spiritus sancti consecrata solennitas, quæ de Paschalis festi pendet articulo. Ead. epist. cap. 4.

Eo autem die, quo omnem credentium numerum promissus Spiritus sancti repleuit aduentus, trium millium populum sua prædicatione conuersum lauacro baptismatis consecrauit.

Aqua autem adhibetur, ad significandam animæ ablutionem, quam Baptismus efficit.

Ideoque ab Apostolo *lauacrum* appellatur: oleum autem ad ostendendam gratiam Spiritus sancti, quæ per Baptismum datur.

Deinde ante fores ecclesiæ, qui Baptismo initiandi sunt, offeruntur, propterea quòd indigni sint, qui more fidelium, domum Dei, antequam Christo Domino se addixerint, ingrediantur.

Tum verò Parochus ab eis exquirit, qui illos offerat.

Quo cognito, ter conceptis verbis eum qui baptizandus est, interrogat. *Abrenuncias, &c.*

Et eius nomine patrinus ad singulas interrogationes respondet.

Abrenuncio.

Et quoniam huius sponsionis chyrographum sanctè conceptum magnam vim habet in cœlo, tum Parochus illos admonet, & contestatur dicens: *Memor esto sermonis tui, &c.* vt ex his verbis intelligant, quàm diligenter hæc sponsio præstanda sit: sciantque hanc professionem Christianorum esse propriam, vt *non sint de hoc mundo*, sed cor habeant ad Dominum, qui in cœlis est, *expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.*

Ad huius, aliorumque mysteriorum explicationem adhibebit doctrinam patris nostri sanctissimi Ambrosij.

Et verò cum huius ipsius mysterii, harúmque sponsionum ratio diligentissimè explicata sit canone Concilii Parisiensis, non alienum est illius verba exscribere: Concil. Parisien. 2. lib. 1. cap. 9. *Constat igitur vnumquemque fidelem Deo in baptismate duarum pactionum nexibus se obligare: altera, qua abrenunciare Diabolo, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius: altera verò qua se in patrem, & filium, & Spiritum sanctum credere profitetur.*

Vnde etiam sub eiusdem sanctæ Trinitatis inuocatione baptismatis gratiam consequitur.

Cùm ergo post huiuscemodi abrenunciationem quibuslibet illecebris vitiorum illectus, ad ea quibus renunciauit, redit; nec non, & post tantæ fidei perceptionem in apostasiam, aut infidelitatis, aut hæreticæ prauitatis, aut fraterni schismatis prolabitur: proculdubio vtriusque pactionis transgressor efficitur; quarum altera, quia Baptismi iteratione nequit, pœnitentiæ lamentis, eleemosynarum largitionibus, cæterisque bonorum operum exhibitionibus dilui potest.

Altera verò, qua prædictæ contagionis lepra commaculata fuerit, nisi hac primùm per Christi caruerit gratiam, & ad vnitatem Ecclesiæ redierit, mundari, & pristinæ fidei colorem, sanitatísque vigorem recuperare non poterit.

Quia ergo flammeus ille gladius, qui propter

Gen. 3. *peccatum primi hominis ianuam paradisi obice mortalibus immobili oppilauerat, in sacro sancto baptismatis fonte extinguitur, & eadem ianua credentibus aperitur: omnibus fidelibus studendum est, vt pactionis, & sponsionis, quam cum Deo in baptismate fecerunt, semper memores existant; caueantque nè quibuslibet vitiorum sordibus se maculantes, non solùm eundem sibi reaccendant ignem, verùm etiam immundum spiritum à se tempore baptismatis expulsum, cum septenario dæmonum numero sibi addito, ad se quoquo modo redire faciant: fiantque illis, vt Dominus ait, nouissima peiora prioribus: & in eis quod*
2.Petr.2. *beatus Petrus Apostolus ait: Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod traditum est illis, sancto mandato*, aptetúrque eis illud, quod idem ait: *canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti.*

Postea saliua oris sui Parochus tangit infantis aures, & nares, prolatis Christi Domini verbis, quibus aures, & linguam surdi, & muti tangendo vsus est: *Epheta hoc est adaperire*: celebratur enim mysterium apertionis aurium: vt aperiantur nares ad accipiendum odorem notitiæ Dei, & pietatis æternæ; & ad discernendum bonum odorem à malo, sanam doctrinam à corrupta; aures autem ad audiendum mandata Dei; vt doctrina, quæ de ore altissimi fluxit, per eius aures intret, & ei suauiter oleat.

Deinde adhibetur exsufflatio, vt hoc mysterio Spiritui sancto cedat fugiens malignus spiritus: id quod fit non sine Christi exemplo,
Ioan.20. qui insufflauit in discipulos suos, vt Spiritum sanctum eis daret.

Tum sequitur exorcismus ad expellendum Diabolum, eiusque vires frangendas, & debilitandas sacris illis, & religiosis verbis.

Obsignantur præterea oleo sacro, figura crucis, pectus, & scapulæ: vt intelligamus, eos qui Baptismo initiantur, *quasi Christi athletas*, ait sanctus Ambrosius, *luctamen huius sæculi luctaturos.* solent enim luctantes inungi. Deinde, vt sciamus Baptismi gratiam non nostris meritis, sed Christi beneficio, & gratuita misericordia donari, quæ oleo significatur. Præterea, quia oleum est medicamenti
Luc. 10. species, quandoquidem Samaritanus infudit in vulnera oleum, & vinum: ideò hac vnctione demonstratur, intima animæ nostræ vulnera, & morbos hac medicina curari; fomitemque ipsum, quamuis non omninò extinguatur, at certè debilitari, viresque, & robur spirituale nobis addi, quo Satanæ, carnisque tentationum impetus depellamus. Pectus præterea vngitur, vt intelligamus, mentem animumque diuina virtute corroborari. Scapulæ verò, quia dantur homini vires ad iugum Christi Domini ferendum.

Inungitur ante, & retro, vt vndique muniatur, & confirmetur, ad opera bona præstanda corde, & corpore, voluntate, & opere.

Nomine deinde, quod parentes imponi volunt, appellatur, signoque sanctæ Crucis obsignatur; quod ostendit, eum qui Baptismo initiatur, Christi Domini seruituti addici, cum nominis impositio signum sit dominii. Quam ob causam cùm vellet Deus docere Adam, Gen. eum principem, & dominum esse omnium animantium, ad eum illa adduxit, quibus nomina imponeret.

Sal item in illius os qui ad Baptismum adducendus est, inseritur, quo significatur, eum fidei doctrina, & gratiæ dono consecuturum esse, vt à peccatorum putredine liberetur, saporémque bonorum operum percipiat, & diuinæ sapientiæ pabulo delectetur.

Iis peractis, infans in Ecclesiam introducitur: vbi primùm apud sacrum fontem humi collocatur. Qui ritus cùm supplicem eius petitionem, qui se baptizari postulat, ostendit (cùm prostrati humi olim baptismum peterent) tùm significatio est sanctæ humilitatis, quam Christianus profiteri debet.

Tum sacerdos vnà cum eo, qui baptizandus est, aut si infans, cum compatre, commatreve dicit symbolum Apostolorum, & orationem Dominicam.

Quæ res indicat fidei professionem, quam Christianum publicè præstare oportet.

De cæremoniis, quæ cùm ad Baptismi fontem ventum est, adhibentur.

SEd cum iam Baptismum administrari oportet, quærit Parochus ab eo, qui baptizandus est, num baptizari velit: quo quidem per se, vel eius nomine patrino annuente, statim de fide orthodoxa ab eo quærit trina interrogatione, vt tres sunt in diuinitate personæ. Id verò fit, vt sciamus, primùm sine recta fide Baptismum nihil ad æternam salutem prodesse: Nam *qui crediderit, & baptizatus* Mar.vlt. *fuerit, hic saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* deinde, hoc Baptismi sacramentum esse, dicique sacramentum fidei, vt per illud infantibus habitus fidei infundatur; & adultorum fides gratiâ Dei illustretur, formetur, & perficiatur.

Trina item interrogatio, trináque responsio, quæ fit verbo, *Credo* adhibetur: *vt multiplicem lapsum*, (inquit sanctus Ambrosius,) *superioris ætatis, absoluat trina confessio.* Denique, *vt vobis*, (inquit idem.) *afferatur exemplum,* Ioan.vlt. *sanctus Apostolus Petrus posteaquàm in passione Domini lapsus videtur infirmitate conditionis humanæ, qui ante negauerat, postea vt illum lapsum aboleret, & solueret, tertiò interrogatus à Christo, si Christum amaret, tunc ille dicit: Tu nosti Domine, quia amo te, tertiò dixit, vt tertiò absolueretur. Sicut ergo peccatum dimittit pater, sic dimittit filius, sic & Spiritus sanctus.*

Interrogatus ter mergitur, in memoriam mortis, & resurrectionis Christi Domini: vtque intelligat, se cum Christo consepultum resurrecturum esse. Trina autem mersione, significatur triduana Domini sepultura.

De cæremoniis, quæ peracto Baptismo seruantur.

POst Baptismum dicitur litania genibus flexis; vt intelligamus, Baptismi sacramento eum communioni sanctorum adscriptum esse, quorum nomina inuocantur.

Inungitur præterea à Parocho in vertice sacro Chrismate, vt intelligat se ab eo die Christo capiti tanquàm membrum coniunctum esse, atque eius corpori insitum, & ea re Christianum à Christo, Christum verò à chrismate appellari. Induitur postea baptizatus vestè alba. *quæ vestis,* (inquit sanctus Ambrosius) *est indicium, quòd baptizatus exuerit inuolucrum peccatorum, & induerit innocentiæ casta velamina.*

Indicat item resurrectionis gloriam, ad quam per Baptismum renascimur.

Libertatem christianam, quam hoc sacramento sumus assecuti, erepti de seruitute Diaboli.

Innocentiam, atque integritatem, quam in omni vita baptizatus seruare debet. Lætitiam internam, & gaudium spiritus. Sicut enim vestis pulla est signum tristitiæ, ita candida gaudium indicat.

Traditur demum baptizato in manum cereus ardens, quo cereo significantur tres theologicæ virtutes, quæ ipsi hoc sacramento infunduntur; fides in lumine, charitas in calore, spes in cerei recta altitudine: quæ sursum ascendit; vt spes nostra ad cælos vsque excitatur, atque erigitur. Id præterea, quòd Baptismo nobis fit communicatio lucis, & depulsio tenebrarum: ob eamque causam Baptismus *sacramentum illuminationis,* & baptizati, ii quidem *illuminati* à patribus dicuntur.

Ex antiquissima catholicæ Ecclesiæ consuetudine, cum præter ministrum, qui Baptismum conficit, alii etiam ad sacram ablutionem adhibeantur, qui patrini, aut compatres vocantur: Parochus de iis, vt infrà animaduertet, ac seruabit.

Non adhiberi sinet ex ijs plures, quàm vnum tantùm, siue virum, siue mulierem, ex sacrorum canonum præscripto; vel ad summum vnum, & vnam, vt Concilio Tridentino statutum est. (Sess. 24. decret. de ref. matr. cap. 2)

Non tamen simul virum, & vxorem adhibebit. Nec excommunicatos, interdictos, publicè criminosos, infamesve; pueros natu minores quatuordecim annis; nec præterea, qui sana mēte non sunt; neque eos, qui in Pascha communionem non sumpserint; nec verò monachos, regulares, clericosve sæculares sacris initiatos, ad infantem de Baptismo suscipiendum adhiberi sinet. Nec præterea illos, quos putet ignorare symbolum, orationémque Dominicam, salutationem angelicam, rudimentaque fidei christianæ; neque item eos, qui nondum Confirmationis sacramentum susceperint.

Eam quoque rationem cohortando habebit, vt nè peregrini, hospites ignoti, & ii denique compatres adhibeantur, quorum domicilium cum longè absit, verisimile non est, consuetudinem inter baptizatum eosque ita futuram, vt suscepti muneris functionem in eo instruendo præstare possint.

Præmonebit autem accuratè parentes paulò ante Baptismi ministrationem, vt compatres tales deligant, quales eos esse oportet; qui vitæ exemplis, & christiana disciplina, castisque moribus alios instruere debent. Itaque in hoc delectu, non nobilitatis, aut diuitiarum, non potentiæ, non auctoritatis, non potestatis, non amicitiæ, non cuiusuis alterius commodi, emolumentive rationem habebunt; sed eos potius seligent, qui filiorum animæ magis consulere, quàm qui inopiæ subuenire possint. Compatres, cùm in Baptismi ministerio symbolum, & orationem Dominicam dici ritus postulat, vnà secum recitare iubebit.

Non patietur autem eos sacrum attingere chrisma.

Neque item infanti, eiusve parentibus quidquam Baptismi tempore ab eo, eave donari; neque, vt canone vetitum est, quidquam sibi pecuniæ dari.

Infantem propterea quem baptizauerit, supra altare non collocabit: ne inde compatrum muneribus redimatur.

Nec compatri, commatriue linteola ad Baptismum adhibita, tangenda, aut osculanda exhiberi sinet.

Compatres denique is cùm sæpè aliàs, præsertim Paschali tempore, & in Pentecoste; tùm maximè posteaquam Baptismum ministrauerit, huiusce debiti officii monebit; docebitque eos hac potissimùm lege obstrictos esse, vt spirituales filiolos perpetuò commendatos habeant, ad vitamque Christianam instituant; ac iuxta sancti Augustini sententiam admonere non desistant, vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant; & ante omnia, nisi à parentibus, aut ab aliis instruantur, symbolum, orationémque Dominicam illos doceant: decalogúmque etiam, & quæ sunt prima christianæ religionis rudimenta. Proinde ipse Parochus inibit studiosè certam aliquam rationem perquirendi etiam huius officii, quod compatres verè præstent. Speciatim autem grauibus verbis eos commonefaciet, quorum filios animaduerterit doctrinæ christianæ scholas non frequentare, puerilibus ineptiis, ac vitiis deditos esse, aut in rebus humanis, puta in pascendo grege ità perpetuò occupatos, vt ne festis quidem diebus ad Missam accedant.

De ijs, quæ Parochus antequam infans in ecclesiam ad Baptismum deferatur, curet, ac præmoneat.

PArochus infantem natum in ecclesiam quamprimùm aut omnino, vt in Concilio Prouinciali 1. cauetur, ante nonum diem ad Baptismum suscipiendum deferri curabit. (Tit. de bap.)

Idque etiam, cùm ob necessitatem domi baptizatus est, vt statæ ceremoniæ ex ritu ecclesiæ suppleantur.

Sine

Sine vllo pompæ ornatu, sed simplici amictu eundem deferri, præmonebit: cum candela: quæ, vbi commodè haberi poterit, ceræ albæ erit.

Admonebit etiam de nomine quod infanti imponetur, vt turpe non sit, non obscœnum, non ridiculum, non fabulosum, non ethnicum, non falsorum Deorum, non brutorum animantium, non facinorosorum hominum, nisi nomen tale sit, quod sancti habuerunt. Est enim cum pietatis, disciplinæque Christianæ ratione atque officio coniunctum, quo primùm tempore nomen Christo Domino in Baptismo datur, id eligi, atque imponi, cuius nominis recordatione fideles aliquando excitati, neque turpiter agant, & in ijs piorum operum curriculis versentur, quæ proponunt eis exempla sanctorum, quorum nomina habent.

Exposito autem infanti nomẽ imponet, quod in schedula collo eius appensa scriptum est: illudque notabit certo libro, quò facilius, atque adeo certius, qui infantem exposuit, si quandó voluerit, ex nomine recognoscat.

Quam ob causam aliquando pro opportunitatis ratione, hospitalium locorum, vbi infantes exponi moris est, administratores, præfectosve monebit, vt ea ipsa schedula asseruetur diligenter.

Cùm verò sæpè aliàs, prout locus, tempus, personarumque conditio tulerit, tum maximè cùm expositũ baptizat, hoc grauiter monebit: vt omnes, quicũque sint, caueant suos, aut alienos filios exponere, nisi vrgens, magnaque necessitas id facere cogat: tuneque si fieri potest, ne exponant in compitis, via, aliove loco, vbi facilè perirent; sed in hospitalibus, locisve speciatim eo nomine constitutis: ac præterea collo appensâ alligatavè infantis, qui exponitur schedula, aut nota alia indicante nomen, & Baptismum, si baptizatus est.

Cùm infans, præsertim si iter longius est, ad Baptismum feretur, vas etiam aquæ portari monebit Parochus; vt si quod fortassè mortis periculum (quod aliquando incidere potest) in itinere euenerit, ministretur etiam in via periculo instante.

Vestem etiam candidam paruulam instar pallioli, è tela linea, aliove genere non serico tamen, albi coloris confectam, quæ collo annecti possit, è domo parentum infantis portari significabit: qua veste illum baptizatum induet cum dicet, *Accipe vestem candidam*, vt infrà suo loco.

De ijs quæ Parochus curet, cùm timetur de partu.

QVoniam de improuiso periculum partus incidit, hoc etiam Parochus aliquando monebit; vt obstetrix, aliave mulier partu præsens, si quando aliquam in parturiendo ita laborantem animaduerterit, vt fœtui periculum mortis probabile antequam integrè nascatur immineat, vbi primùm aliquod membrum vitalem motum habens ex matris vtero extare videbit, illud aqua perfundens, aspergensve, nullo nomine imposito baptizet, dicens: Ego te *Baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Si quando autem in partu mulier obierit, hoc fieri admonebit, vt vterus aperiatur, indéque fœtus eductus, si viuit, quamprimùm baptizetur. Id verò magna cautione fiat, & is viuus ex vtero extrahatur, & tunc in primis, cùm mater verè mortua est, ne pro salute filij mater occidatur.

Hoc verò etiam parentes, & domesticos, prout opportunitas feret, admonebit; pro fœtu qui in vtero est, Deum assiduè intiméque precari, vt ille incolumis in lucem edatur, dignusque sit anteaquam obeat, Baptismi gratiam percipere, ne sine salutis sacramento decedat.

Et quod piæ deuotionis est, id quoque prout vsu venerit admonebit, vt tempori pariendi propinqua mulier ad ecclesiam accedat, vbi pro ea præsente sacerdos oret.

Mulier autem eo nomine cum veniet, piè ac deuotè ad altare maius benedictionem suscipiet; quam ille ritè adhibebit, vt suo loco descripta est.

De ijs, quæ Parochus ipse seruet, & paret, anteaquam Baptismum ministret.

PRimò Parochus videbit, vt sine conscientia peccati mortalis, quemadmodum supra in rubricis generalibus traditum est, purè sanctèque sacramentum hoc administret.

Ieiunus, & mane ministrabit, nisi necessitas aliter postulat. Nec verò ante ortum, neque post occasum solis, nisi itidem necessitate vrgente.

Ex aliena autem parochia infantem delatum non baptizabit, nisi instante necessitate, aut de Episcopi, Parochive proprij licentia; aut alia legitima facultate. Quamobrem primò quæret, an suæ Parochiæ sit infans Baptismo oblatus.

Diligenter in primis ante inuestigabit, an infans baptizatus sit, & à quo, & qua materia, & qua forma. Eum verò, qui baptizauit, de forma prolata interrogabit, vt certò sciat, an ea rectè adhibita sit. Quam si certò compererit ritè adhibitam esse, nullo modo Baptismum iterabit, sed preces, & alia quæ ad Baptismi solennitatem pertinent, supplebit.

Neque autem in priuatis ædibus, oratoriis, aliove loco, præter quàm in ecclesia Parochiali, baptismalive, solenniter baptizabit.

Paulò antequàm Baptismum ministrat, præparabit oleum sanctum, & chrisma, suis quodque vascalis perspicuè, vt supra distinctũ, eo ipso anno in hebdomada sancta die Cœnæ Domini benedictum. Veteri autem, vel oleo sancto, vel chrismate non vtetur, nisi antequam nouum habeatur, necessitas illius vtendi inciderit. Omnis autem Parochus, vsque adeo in tempore alium sacerdotem, aut clericum sacris initiatum mittet, qui sacrum oleum recens ferat è Basilica Metropolitana, ecclesiaue plebana, vt eo recenti vti possit,

oeat vetus adhibere. Verùm neque necess... allato aliquid reliqui est de veteri, in ... si recenti ... spadario statim comburatur.

... verò oleum sacrum, chrismave intra annum deficere videtur, neque aliunde haberi potest; in tempore aliud non benedictum, vt alio loco dictum est, sensim tantùm infundet, vt hoc minus sit, quàm illud, quod consecratum benedictumve est.

Parata quoque habebit hæc omnia, vt potè peluim vsui ecclesiæ addictam, in qua lauet manus peracta Baptismi ministratione: vas item aquæ: mappulam; bambacium ad abstergendas infantis partes, oleo, & chrismate sacro linitas, quod quidem bambacium afferet in peluicula decenti, in eadem reponendum post abstersionem. medullam panis item ad abstergendos sibi digitos inunctos; vasculum cum sale benedicendo; mantile decens,& mundum ad abstergendum caput baptizati ad præscriptum Concilij Prouincialis quarti. Tit.de bap.

Sal, non domo infantis, qui baptizandus est, asportatum: sed in vasculo, quod vasi chrismatis adiungitur, benè paratum habebit: ita vt purum sit, candidum, nec verò commistum, ac præterea non humidum, sed siccum.

Illud verò speciatim benedicat ad vsum eius, qui tum baptizandus est: neque sale vtetur diebus Dominicis exorcizato ad aquæ benedictionem. Si quid verò supererit, cauebit, ne aliò asportetur, sed in sacrarium, aut in aquæ benedictæ labrum proijcietur.

Parabit item hunc librum: in quo præuidebit etiam, ac dispiciet ordinem, & cæremonias Baptismi.

Habebit etiam vnum, aut plures vbi fieri potest, clericos paratos, superpelliceis indutos, sibi opportunè ministrantes.

In altari præterea, si quod in baptisterio, aut propè baptisterium est, paratas habebit candelas duas: quæ accensæ colluceant, dùm Baptismum ministrat. quòd si altare satis commodum Baptisterio non sit, in mensa ibi cum mappa decenti posita eadem lumina habebit.

In ipsa autem ministratione, præter cætera, quæ vel generatim, vel speciatim iam supra tradita sunt, hæc etiam animaduertet: vt vbi litera N. scribitur, nomen eius, eorumve, qui catechizantur, baptizanturve, aptè rectéque exprimat pro ratione sexus, numeri, & casus.

Vbi adscripta est crux †, crucis figuram formabit.

His ita paratis, & animaduersis, Parochus, sacerdosve, infante ad Baptismum oblato lauat manus: superpelliceo, stolaque violacea in exorcismis, catechismisque vtitur; cùm ad baptizandum accedit, illa deposita, aliam albi coloris sumit.

Accedens igitur ad fores Ecclesiæ, interrogat primò, qui susceptores sint: tum baptizandi ordinem tenet, vt infrà.

Ordo Baptismi paruulorum.

INfans sub vestibulo Ecclesiæ præforibus à compatre, aut commatre, brachio dextro illum, vel illam sustentante, ita offertur, vt è conspectu Parochi sit: qui superpelliceo, & stola violacea indutus, in limine ostij Ecclesiæ stans, primò interroget, an suæ Parochiæ; tum masculus ne sit, an fœmina: post, an domi baptizatus. Vbi verò baptizatus non sit, ita vt infra ordine, riteque interrogat: & aduertat, vt genus in pronunciando semper mutet, si fœmina fuerit, vt in rubricis dictum est.

Parochus. *Quis illum offert?*

Patrinus. *Ego.*

Paroch. *Quid vult fieri?*

Patrinus. *Christianus.*

Parochus. *Meretur à parentibus suis?*

Patrinus. *Meretur.*

Tum Parochus abrenunciationis mysterium inchoando, ad infantem versus, interrogat.

Abrenuncias Diabolo?

Patrinus pro infante respondet.

Abrenuncio.

Parochus. *Abrenuncias sæculo, & pompis eius?*

Patrinus. *Abrenuncio.*

Tum Parochus illum admonet, & contestatur dicens,

Memor esto sermonis tui: & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Patrinus. *Memor ero.*

Deinde Parochus pollice, & indice saliua oris sui perfuso, tangit infantis aures, & nares.

Cum tangit aures, dicit. *Epheta, quod est, adaperire.*

Nares tangendo, dicit. *In odorem suauitatis, in Christo Iesu Domino nostro in vitam æternam. ℟. Amen.*

Post ter faciem illius ad similitudinem Crucis exsufflat, dicendo.

Exsufflo te immundissime spiritus, in nomine † Domini nostri Iesu Christi. Tu autem effugare Diabole: appropinquabit enim iudicium Dei.

Hic oleo catechumenorum pollice suo intincto, eum vngit in pectore, & inter scapulas, signum Crucis faciendo, simulque dicendo.

Ego te linio oleo salutis, in Christo Iesu Domino nostro, vt habeas vitam æternam. ℟. Amen.

Postea bambacio partes vnctas abstergit: quod in peluicula reponit, vt post Baptismum comburatur, & in sacrarium mittatur, ac deinceps dicit.

Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

AEternam, & iustissimam pietatem tuam deprecor Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, luminis auctor, & veritatis, super hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eum, & sanctifica: da ei scientiam veram, vt dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui. Teneat firmam spem, consilium rectum, & doctrinam sanctam: vt aptus sit ad percipiendam gratiam tuam. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Exsufflat in faciem eius ad similitudinem Crucis, tum dicit.

Exorcizo te, omnis immundissime Spiritus, in nomine Domini nostri † Iesu Christi. Omnis

incursio aduersarij, omnis ira, omne phantasma, eradicare, & effugare ab hoc plasmate Dei, quod Dominus noster Iesus Christus hodie ad templum sanctum suum vocare dignatus est, vt fiat templum Dei viui, & Spiritus Sanctus habitet in eo, in nomine † Dei Patris omnipotentis, & in nomine † Iesu Christi filii eius, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem.

℞. *Amen.*

Hic interrogat, quod nomen parentes, aut offerentes infanti imponi volunt, eoque nomine appellans, crucem in fronte faciens dicit.

N. *Accipe signum sanctæ † Crucis, serua præcepta diuina: verbo Dei hodie renasceris, & cæleste luce formaris. Ingredere templum Dei viui, & sublato errore tenebrarum, euasisse te laqueos mortis latus agnosce. Nunc ergo promissa cœlestia, & aduentum Dei omnipotentis expecta: vt possis sperare venturum verbum genitum, virginali partu editum, credentibus annunciatum, in cuius inuocatione illuminaris, cuiusque signaculo in fronte signaris, per hoc signum quod non delebitur, in nomine † Dei patris omnipotentis, & in nomine † Iesu Christi filii eius, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem.*

℞. *Amen.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℞. *Et cum spiritu tuo.*

Oratio.

DEus, cui ad initiandum nulla paruitas non idonea est, qui omnem ætatem, omnemque sexum ad maiestatis tuæ cultum dignanter admittis; tibi hæc noui hominis exordia, & rudis vitæ dicamus infantiam. Da vt hunc ignarum mali paruulum vnigeniti tui signo sanctæ † Crucis tueatur inscriptio: tuus sit, tibi adolescat, te timeat, te diligat, te creatorem suum semper agnoscat, & ad sanctum lauacrum regenerationis te deducente perueniat. Per eumdem Dominum nostrum, &c.

Hoc loco Parochus exorcizat, & benedicit sal. In quo benedicendo exsufflat super illud ad similitudinem Crucis, & dicit.

Exorcizo te creatura salis, in nomine Dei Patris † omnipotentis, & in charitate Domini nostri Iesu Christi, & in virtute Spiritus † Sancti. Exorcizo te per Deum † viuum, per Deum † verum, per Deum † Sanctum, per Deum, qui te ad tutelam generis humani procreauit, & populo venienti ad credulitatem per seruos suos consecrari præcepit. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, vt hæc creatura salis in nomine sanctæ Trinitatis efficiatur salutare sacramentum, ad effugandum inimicum: quam tu, Domine, sanctificando † sanctifices, & benedicendo † benedicas: vt fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum. In nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem.

℞. *Amen.*

Deinde accipit sal benedictum primoribus digitis, & dum modicum immittit in os infantis, eum nominatim appellando, ita dicit.

N. *Accipe sal sapientiæ: propitiatum sit tibi in vitam æternam.*

℞. *Amen.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℞. *Et cum spiritu tuo.*

Oratio.

DEus Patrum nostrorum, Deus vniuersæ conditor veritatis, te supplices exoramus, vt hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius: vt hoc primum pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas, quominus cibo repleatur cœlesti: quatenus sit semper diuino spiritu feruens, spe gaudens, & tuo nomini seruiens. Perduc eum ad nouæ regenerationis lauacrum, vt cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Dominum nostrum, &c.

℣. *Dominus vobiscum.*

℞. *Et cum spiritu tuo.*

Oratio.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, & filios Israël de terra Ægypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die & nocte; te quæsumus Domine, vt mittere digneris sanctum Angelum tuum, vt similiter custodiat & hunc famulum tuum N. & perducat eum ad gratiam Baptismi tui. Ergo maledicte Diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo viuo, & vero; da honorem Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto: & recede ab hoc famulo Dei, quia istum sibi Deus, & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam, & benedictionem, fontemque baptismatis vocare dignatus est. Et hoc † signum sanctæ Crucis, quod nos fronti eius damus, tu maledicte Diabole nunquam audeas violare. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum, qui venturus est iudicare sæculum per ignem.

℞. *Amen.*

Hoc loco Parochus exuit stolam violaceã, & induit albi coloris aliam: qua non infantem tãgens, sed nutu significans vt introeat, præeundo illum introducit in ecclesiam, dicens:

Ingredere fili in Domum Dei: audi patrem tuum docentem te viam scientiæ.

Dum accedit ad fontem, potest dicere Psalmum sequentem. Psalmus 41.

Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat, &c. vsque ad finem cum *Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.*

Infans apud sacrum fontem humi collocatur, pedibus versis ad baptismalẽ fontem: & sacerdos ad altare spectãs, vnà cum compatre, cõmatrevè dicit, Credo, & Pater noster. Deinde.

℣. *Dominus vobiscum.*

Resp. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius de excelsa sede maiestatis tuæ super hunc famulum tuum N. comparentem, qui ad tuam cucurrit Ecclesiam. Concede ei Domine, vt sub protectione manus tuæ ad sacri Baptismatis gratiã peruenire mereatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Postea interrogat eum qui baptizandus est proprio nomine hoc modo.

Parochus. N. *Quid petis?* Patrinus. *Baptizari.*

Par. *Credis in Deum patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ?* Pat. *Credo.*

Par. *Credis & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, natum, & passum?* Pat. *Credo.*

Par. *Credis & in spiritum sanctum: sanctam*

Ecclesiam Catholicam: sanctorum communionem: remissionem peccatorum: carnis resurrectionem: vitam æternam? Pat. *Credo.*

Deinde Parochus infantem supinum à patrino sublatum vtraque manu excipit, ita vt dextera capiti eius propior sit. tum ter occiput mergit in aqua in crucis formam. Et mergendo, si certò scit, illum non esse baptizatum, explicatè profert.

N. *Ego te baptizo, in nomine patris, † & filij, † & Spiritus † sancti. Amen.*

Quæ verba proferantur, dum ter mergit: semel dum ait: N. *Ego te baptizo, in nomine patris.* Iterum dum ait: *& filij.* Tertiò dum dicit: *& Spiritus sancti. Amen.*

Compater autem postremò manum infanti supponit, & de fonte leuat; atque ita tenet, vt orientem spectet.

Sin autem Parochus re inuestigata atque explorata, dubitat, an infans baptizatus sit, ita dicit,

N. *Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es: Ego te baptizo in nomine Patris † & Filij † & Spiritus † Sancti. Amen.*

Idque mergendo modo suprà notato.

Parochus baptizati infantis caput mantili abstergit: tum genibus flexis cum compatre, dicit litaniam.

Baptizato infante, sacerdos intingit pollicem in Chrismate, & profert orationem sequentem: & dum dicit, *Ipse te liniat*, &c. vngit verticem infantis in formam Crucis.

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oratio. Deus omnipotens, pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regenerauit ex aqua, & spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem peccatorum omnium: ipse te liniat chrismate salutis in Christo † Iesu Domino nostro, in vitam æternam.

℟. *Amen.*

Deinde bambacio eum abstergit, & reponit vt suprà: imponitque ei vestem candidam: & dum imponit, ita dicit.

Accipe vestem candidam, sanctam, & immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, vt habeas vitam æternam, & viuas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Postea dat Compatri, Commatrive infãtem in dextera tenenti, candelam accensam, & ait.

Accipe lampadem ardentem irreprehensibilem: custodi Baptismum tuum, serua Dei mandata, vt cum Dominus venerit ad nuptias, possis ei occurrere vnà cum omnibus sanctis in aula cælesti, habeasque vitam æternam, & viuas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerasti famulum tuum ex aqua, & spiritu sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum: tribue ei continuam sanitatem, ad cognoscendam Diuinitatis tuæ virtutem. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

℟. *Benedicat, & exaudiat nos Deus. Amen.*

℣. *Procedamus cum pace.*

℟. *In nomine Christi.*

℣. *Benedicamus Domino.*

℟. *Deo gratias.*

℣. *Benedictio Dei omnipotentis, Patris, † & Filij, † & Spiritus † sancti descendat super te, & maneat semper.* ℟. *Amen.*

Quæ seruanda sunt post Baptismum.

Baptismo expleto, medulla panis digitos Parochus absterget: aquâ manus ambas solus lauabit, neque vllus præterea alius: aquam ablutionis in sacrarium statim effundet.

Si quæ autem linteola ad abstergendum infantis caput allata erunt, ea sic adhibita, in vsum profanum non conuertet. quòd si ecclesiæ vsibus accommodari nequeunt, comburet: cinerem verò in sacrario recondet.

Lotis manibus, sermonem pro personarum multitudine, statuque habebit; in quo præter cætera aliquam etiam considerationem Christianam explicabit de solenni sponsione, quam vnusquisque fidelis in Baptismo facit: vt fideles qui adsunt, tam sanctæ promissionis recordatione excitati, videant, atque exequantur, quæ solenniter spoponderunt.

Compatres præterea monebit, docebitque eorum officij partes, quas pro susceptionis, fideiussionisve munere præstare debent: vt scilicet, quemadmodum sanctus Augustinus monet, infanti semper solicitudinem veræ charitatis impendant, curentque vt is instituatur doctrinæ Christianæ rudimentis: admoneantque vt idem castitatem custodiat: à maledicto, & periurio linguam cohibeat: cantica turpia & obscœna non proferat: superbia non efferatur, non inuideat: iracundiam, odiumve in corde non teneat: & alia id generis.

Demonstrabit item cognatioñe spiritualem, quæ inter Compatres & baptizatum, illiusque patrem & matrem: ac præterea inter baptizantem, baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantùm contracta est.

Quæ cognatio spiritualis, docebit, quam mutuis sanctæ charitatis officijs, & quam syncerè, & quã castè in primis colenda sit. Monebit, de pœna excõmunicationis decreto Concilij Prouincialis proposita ipso facto subeunda, si ante annum exactum puerpera, nutrixve, aut alia quæuis mulier, aut alius quicunque vir, infantẽ vnà secum in lecto teneat sine præscripta cautione: aut si quis id facere coegerit.

Monebit item, vt puerpera, simulatque domo pedem à partu effert, ecclesiã parochialẽ adeat, vbi benedictionem accipiat, stata prece præscripta in huius libri parte secunda.

Cauebit, ne ob eam causam ipse, puerperæ domum ingrediatur, etiam si illa aduersa valetudine laboret.

Neque eidem panem benedictum sub hostiæ forma præbebit.

Cauebit à comessationibus Baptismi tempore, etiam domi parentum infantis.

Notabit præscripta ratione in libro baptizatorum, anteaquam discedatur, si cõmodè fieri potest, nomina, & cognomina, ac patriam infan-

tis, parentum, & patrini, ac matrinæ, siue in ecclesia, siue domi infans baptizatus est: annum item, & diem, cæteraque ad præscriptum formulæ traditæ.

Monebit denique eundem Baptismi diem à parentibus notari: vt quo die infans baptizatus est, eum ex instituto patrum, quotannis ardentiori prece, eleemosyna si per facultates potest, omnique charitatis opere atque officio, spiritalisque gaudij celebritate recolat: memor se chyrographo damnationis deleto, hæreditatis cœlestis participem in Christo Domino factum esse. *Repete*, inquit sanctissimus pater noster Ambrosius, *quid interrogatus sis: recognosce, quid responderis. Renunciasti Diabolo, & operibus eius, mundo, & luxuriæ eius, ac voluptatibus. memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis.*

ORDO.

Supplendi in ecclesia solennes Baptismi cæremonias, cùm infans domi ob necessitatem baptizatus est.

PArochus superpelliceo & stola violacea indutus, in limine ecclesiæ de infante domi baptizato in vestibulo ecclesiæ oblato, vt superius dictum est, interrogat. deinde à patrino nomen infantis inquirit: tum illum appellans dicit:

N. Memor esto sermonis tui, &c. vt suprà.

Deinde Parochus pollice & indice saliua oris superfuso, tangit infantis aures, primò dexteram, deinde sinistram dicendo:

Epheta, quod est, adaperire, &c. vt suprà.

Hic oleo catechumenorum pollice suo insincto eum vngit in pectore, & inter scapulas, signum crucis faciendo, simulque dicendo:

Ego te linio oleo salutis, &c. vt suprà.

Postea bombacio partes vnctas abstergit: ac deinceps dicit.

Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo,

Oratio. Æternam, ac iustissimam pietatem tuam deprecor Domine sancte, &c. vt suprà.

Hic illum appellans signat in fronte signo Crucis, his verbis.

N. Accipe signum † sanctæ Crucis, &c. vt suprà.

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oratio. Deus, cui ad initiandum nulla paruitas non idonea est, &c. vt suprà.

Hoc loco Parochus exorcizat, & benedicit sal. vt suprà.

Deinde accipit sal benedictum, &c. vt suprà.

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oratio. Deus patrum nostrorum, &c. vt suprà.

Deinde stola alba suscepta, introducit eum in Ecclesiam, & ait.

Ingredere fili, &c. vt suprà.

Dum accedit ad fontem, potest dicere Psalmum.

Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, &c. vt suprà.

Infans apud sacrum fontem humi collocatur: & sacerdos vnà cum compatre, commatreve dicit.

Credo, & Pater noster, vt

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius de excelsa sede maiestatis tuæ super hunc famulum tuum N. qui ad tuam cucurrit ecclesiam. Per Dominum nostrum, &c.

Deinde dicit cum compatre Litaniam genibus flexis, vt suprà.

Postea persequitur reliqua omnia vt suprà vsque ad finem.

De Baptismo Adultorum.

LIcet Episcopalis curæ sit, quemadmodum concilij, Prouincialibus decretum est, vt quæ cura, & diligentia ex canonũ præscripto, Patrumque doctrina adhibenda est, in ijs ad Baptismum admittendis, qui adulta, seu perfecta sunt ætate, ea ne vllo modo omittatur, Episcopi plerumque eius ætatis homines ipsi baptizare soleant: hoc tamen loco ea res omnino prætermittenda non fuit. Prou. 5. tit. de Bapt. pa. 119. §. Libris.

Cùm is Baptismum petit, siue Iudæus ille sit, siue paganus, siue alius; primò quærantur testimonia certa de eius conditione, anteacta vita, statuque omni: & hominis voluntas diligenter exploretur; vtrum ex animo, veráque pietate Baptismum petat.

Si ita comperiatur, per pium religiosumque virum inquiratur, vtrum priorem vitæ rationem deserere verè proponat; vtrum peccatorum suorum pœniteat, atque in posterum abstinere statuat.

Ad quæ si ille rectè, piéque animo sit paratus; tum idoneo religiosoque viro committatur, à quo per aliquot menses (nisi iusta, vel necessaria causa breuius spatium requirat) fidei doctrina, & Christianæ vitæ institutionibus accuratè erudiatur; & congrua quoque abstinentia exerceatur.

Cùm satis fuerit Archiepiscopi arbitrio Christianè instructus, ad Ecclesiam ducatur communi vestitu, albam vestem mox post Baptismum ritè accepturus: eique statæ cæremoniæ adhibeantur ex ordine Baptismi paruulorum.

Et quoniam dilatio Baptismo adulti conuenit, poterit plerumque ad maiorem sacramenti cultum, vnum ex statis temporibus Paschatis, & Pentecostes exspectari.

Interroganti respondeat ipse, non patrinus: quòd si fortè mutus, aut furiosus baptizandus esset, Archiepiscopus consulatur: qui item statuat, quando illa interrogatio adhibenda sit, *Meretur à parentibus*?

Patrinus tamen semper assistat, tanquam qui pro baptizando spondeat.

Genuflexus debet, qui baptizandus est, fidem profiteri, Baptismumque petere.

Baptizetur per immersionem, vt ritus Ambrosianæ Ecclesiæ postulat siquidem commodè fieri possit: alioqui per infusionem.

Quomodo autem qui baptizatus est, posteà curetur, siue à patrinis, quorum proprium officium est, siue ab alijs ab Archiepiscopo probatis, Concilio Prouinciali primo expressum est, quo loco de Iudæis agitur. Tit. de Iud. pa. 54.

DE SACRAMENTO Confirmationis.

Rubricæ seu instructiones.

Quæ Parochus, alijve sacerdotes curent, atque exequantur, Episcopo sacramentum Confirmationis ministrante.

QVI per Baptismum Christiani facti sunt, quoniam ij adhuc imbecilli in spirituali certamine viriliter pugnare non queunt; Chrismatis sacramento, quo Spiritus sanctus in corda fidelium se infundit, roborati, nisi aliud illius efficientiam impediat, aduersus omnes carnis, mundi, & Diaboli impetus fortiores fiunt, nouæque virtutis robore firmiores Christi milites esse incipiunt; ob eam causam Confirmatio sacramentum hoc appellatur cuius sacramenti ministrandi solus Episcopus habet potestatem ordinariam. At Parochus tamen pro curæ suæ munere in eo inuigilabit, vt aliquas etiam partes curet atque exequatur, quæ ad illud piè religioséque suscipiendum attinent.

Primùm igitur Dominico, festove, die qui solennem huius sacramenti administrationem proximè præcedat, pastorales Archiepiscopi literas promulgabit; vnde etiam instructionem sumet sermonis & cohortationis suæ.

Argumentum quoque ei vberrimum ad instruendum populum suppeditabunt, sacramenti huius vis, natura, & dignitas, salutaresq; effectus; ac præterea rituum & cæremoniarum quę adhibentur, sanctiores significationes: qua in re etiam catechismi Romani doctrinam, & sententias patrum appositas habebit,

Materia huius sacramenti est Chrisma, quod ex oleo & balsamo, solenni Episcopi consecratione conficitur: atque id non omni quouis tempore, sed stato sacro solennique die cœnæ Domini. Hinc ostendet Parochus, quanta religione, quantis virtutibus, quàm multis rectè factis conscientia Christiani hominis nitere debeat: quandoquidem nitorem illum oleum significat. quod cùm pingue sit, naturaq; sua diffluat, gratiæ etiam plenitudinem exprimit; quæ per Spiritum sanctum à Christo capite in alios redundat, atque effunditur. Hic locus est, quo Parochus demonstrabit illa diuinæ gratiæ munera fidelibus collata: ex quibus diuinæ misericordiæ abundantiam pietatis officijs agnoscāt, religioséque recolant. Virtutum autem omnium, quibus homo Christianus circumfluere debet, suauitatem in omnem partem diffundere, illum oportere, significat illud quo linitur, balsamum oleo mixtum, cuius odoratus iucundissimus diffluit, quod idem, quoniam putrescere non sinit, quæ illo fuerint circumlita, ostendit, hominem confirmatum facilius à contagione peccatorum defendi posse.

Forma illa solennis, qua Episcopus in sacramento hoc ministrando vtitur, plena mysterijs est: quibus etiam populo explicandis Parochus studium adhibebit: diuinam potestatem, quæ, vt principalis causa in sacramento operatur, ostendet in ijs verbis: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Tum præterea in ijs verbis, *Confirmo te Chrismate salutis*, obseruabit atque adeo exponet robur animi, & spiritus quod per sacram vnctionem fidelibus ad salutem tribuitur: id quod latius explicabit ab effectibus huius sacramenti, qui mox infrà ordine exponuntur. Sed huius diuini roboris & fortitudinis, quæ hoc sacramento confertur, exemplum longè omnium maximè illustre Parochus facilè ab sanctis Apostolis sumet: qui antea quidem imbecilles, timidique clausis ædibus se continebant: sed vbi postea die sacro Pentecostes Spiritum sanctum acceperunt, facti sunt viri fortes, constantissimi, atque ad omne certamen & pugnam pro fidei confessione, & propagatione expeditissimi: ita vt summa Apostolicæ virtutis contentione vniuersum orbem terrarum, breui etiam repugnantibus importunissimis hostibus, Euangelij luce collustrarint. Atque huius quidem generis copia ex aliis quoque locis magna Parocho concionanti suppeditabitur.

Obseruabit item Parochus, dum sanctæ Confirmationis formulam Episcopus profert, ab eo simul imprimi fronti eius quem confirmat, signum Crucis.

Primum eo ritu ostendet, Christianum hominem, non verecundia, quæ in fronte maximè elucet; neque metu, nec periculo perterreri vnquam debere, quin palam, & liberè Iesum Christũ ignominiosè pro peccatis nostris Cruci affixũ, & omnem eius doctrinam confiteatur.

Deinde appositè etiam exponet, illo crucis signo quo Christus Dominus triumphauit, Christianum hominem, in cuius fronte, dum confirmatur, illud imprimitur, in numerum adscribi fortissimorum eius militum.

Hunc instruendi populi locum is nactus, admirabiles etiam alios huius sacramenti effectus diligenter exponet. illum præsertim, qui ad Spiritus sancti septem dona pertinet: de quibus cum alii Patres, tum S. Ambrosius ita loquitur.

Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur: Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, atque virtutis, Spiritus cognitionis, atque pietatis, Spiritus sancti timoris. septem quasi virtutes spiritus. Et omnes quidem virtutes ad Spiritum pertinent, sed istæ quasi Cardinales sunt, quasi principales. Quid enim tam principale, quàm pietas? Quid tam principale, quàm cognitio Dei? Quid tam principale, quàm virtus? Quid tam principale, quàm timor Dei? Sicut timor sæculi infirmitas, ita timor Dei magna est fortitudo. Istæ sunt septem virtutes, quando consignaris. Nam vt ait Apostolus sanctus: Quia multiformis est sapientia Domini nostri, & multiformis sapientia Dei; ita multiformis est spiritus sanctus, qui habet diuersas variasque virtutes.

Cùm dona Spiritus sancti Parochialibus suis exponet, illos etiam ad id inflammabit, vt ea cùm frequenter, tum verò quo tempore hoc sacramentum ab Episcopo ministratur, animo menteq; reputent, ac simul videant in tanta diuinorum munerum gratia progressiones suas.

Repete, inquit sanctus Ambrosius, quia rece-

pisti signaculum spiritale, spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum consilij, atque virtutis, spiritum cognitionis, & pietatis, spiritum sancti timoris: & serua, quod accepisti. Signauit te Deus pater, confirmauit te Christus Dominus, & dedit pignus spiritus in corde tuo, sicut Apostolica lectione didicisti.

In Pentecoste præcipuè hoc sacramentum ministrari ostendet, quoniam eo maximè die Apostoli Spiritus sancti virtute roborati confirmatique sint: cuius facti recordatione fideles admonebit, quæ quantaque mysteria in sacra Confirmatione cogitanda sint.

Episcopus eum leuiter in maxilla cædit, quem Chrismate confirmat. Hunc ritum Parochus ita docebit, vt sciat homo Christianus, se iam militem esse, cuius pugna, & victoria eluceat in patiendis iniuriis, non in illis inferendis: deinde se in Christiana militia constitutum esse, in qua non huius vitæ iucunditates & commoda quærat, sed incommoda potius, atque adeò mala multa patienter ferat: at præterea intelligat officij sui esse, in acie stare, teláque vnde veniant obseruare; ita vt quamuis illis telorum ictibus corpus, honor, opésque lædantur, anima tamen nullo pacto offendatur.

Patrinum hoc etiam sacramento adhiberi ostendet, vt sciat Christianus, se Spiritus sancti gratia perfectionem ita esse assecutum, vt sibi ipse tamen non fidat, sed aliorum, qui vel ætate, vel disciplina prouectiores sunt, monita consiliáque libenter audiat, atque amplectatur.

Postremò pacem confirmatis dari ostendet, vt intelligant, se gratiæ cælestis plenitudinem, & pacem, quæ exuperat omnem sensum consecutos esse.

Ex iis omnibus denique ritibus facilè parochialibus suis demonstrabit, quanti momenti sit esse confirmatum.

Iam verò sacramentum hoc, vt mox supra demonstratum est, cùm sit res sanctitatis plena, per quam fidelibus diuina munera tam largè impertiuntur: Parochus id vigilantissimè studebit, vt sui parochiales, qui nondum confirmati sunt, nullam in eo suscipiendo negligentiam committant; vtque præterea piè religioséque suscipiant.

Si quos autem negligentes animaduerterit, eos paterna obiurgatione id valde cohortabitur, vt ad Confirmationis sacramentum suscipiendum, data præsentis Episcopi ministrationem celebrantis opportunitate, festinent; alioquin illis timendum valdè esse demonstret: quod cùm potuerint, in re salutari tam negligentes extiterint. Atque in Confirmationis sacramento suscipiendo negligentes, vt decreto prouinciali ex canone Rhemensi cauetur, canonicis subiacent disciplinis. Et præterea parentes, quorum negligentiâ id factum est, ex libro pœnitentiali pœnitentiam olim egisse annos tres apparet.

Præparatio ante ministrationem sacramenti Confirmationis.

Paucis ante ministrationem diebus, Parochus in cuius Parochia huius sacramenti ministratio inducitur, primò orationem publicam instituet, vt sui diuinæ gratiæ dona vberrimè recipiant; distinctè per familias notabit, qui hoc sacramentum nondum susceperint, indicémque illorum rectè atque ordine conficiet.

Pueros describet, qui annum octauum attigerint: quam ætatem si quos rationis vsu, deuotionisque studio antecedere fortè viderit, eos quoque in numero eorum adscribet, qui Confirmationis sacramento initientur, vt Spiritus sancti virtute confirmati, accedant etiam ad præstantissimum Eucharistiæ sacramentum.

Qui in puerili ætate confirmati fuerint, ij, vt ætate procedente à parentibus ea de re fiant certiores, Parochus moneat.

Ægrotos præterea nondum confirmatos designabit, eosque Archiepiscopo denunciabit, vt ne ingrauescente morbo sine hoc sacramento decedant.

Notandis nominibus eorum, qui Confirmationem suscipiant, hoc curabit, vt si qui turpe nomen habent, illud mutent, sumantque in Confirmationis sacramento nomen Sancti alicuius, quem in cælis patronum deligant, & ad imitationem sibi proponant ad piè agendum, illius virtutis exemplis, recordationéque excitati, quam in sententiam dicet etiam, vt supra in sacramento Baptismi demonstratum est.

Præmonebit vt nemo excommunicatus, interdictus, in graui, publicóque peccato iacens, accedat ad hoc sacramentum; neque qui in Paschate communione abstinuerit.

Illud verò maximè hortabitur, vt hoc sacramento cùm Spiritus sancti gratia vberrimè conferatur, ad eam consequendam se ieiuniis, eleemosyna qui per facultates possunt, aliisque pietatis officiis & operibus parent: atque in primis frequentiori, & ardentiori religiosæ orationis studio deuotè se se exerceant, exemplo sanctorum Apostolorum; qui dum exspectarent Spiritum sanctum, perseuerantes erant in oratione, & ieiunio, sed efficiet saltem, vt pridie diei Confirmationis ieiunent, qui possunt. Act. 1.

Hoc vero diligenter curabit, vt de peccatis confiteantur; confessique ad Confirmationis sacramentum accedant; tum confirmati sacram communionem sumant: qui ordo communionis post confirmationem sumendæ, si commodè seruari poterit, antiquæ consuetudini erit accommodatus. seruent, certè illi, qui ad id rectè præparati, tunc primùm sacram communionem percepturi sunt.

Confessionis autem præstitæ testimonium scriptum ei præbeant, cui cura hæc commissa est.

Præmonebit item, vt omnes mane ieiuni illud suscipiant; quemadmodum & ieiunus Episcopus ministrat.

Vt mares, tam qui Confirmationem suscepturi sunt, quàm qui ad eam patrini adhibe-

...tu simplici, moderato, & modebuntur... Christianæ consentaneo accedant; & arstitatem deponant.

Idem fœminæ præstent: ita scilicet, vt ne fuco, & pigmentis facie illita, non immoderato capitis, corporisuè ornatu accedant; sed ita, vt cùm capite rectè velato sint, tum reliquo vestitu, cultúque eiusmodi, qui Christianas mulieres, grauesque decet.

Vt omnes qui confirmandi sunt, accedant non incompositis atque vsque adeo promissis capillis, vt penè frons obtegatur. Neque rursus fronte sint aut fortè madida, aut sordibus conspersa. Pridie igitur diei quo Confirmationem suscipient, caput lauent, aut mundent; capillos item tonderi curent.

De modo procedendi ad sumendum Confirmationis Sacramentum.

Constituta die benè mane omnes & mares & fœminæ cum suis patrinis in Ecclesiam suam Parochialem ad signum campanarum conueniant, vt horâ tertiâ confirmari possint. inde præeunte Parocho, parochialique sancti Patroni vexillo, vt moris est prælato; ad Basilicam Metropolitanam, aut Collegiatam, aliamve, vbi hoc sacramentum Archiepiscopus ministraturus est, bini ordine procedant. Quam verò diem, & Ecclesiam certam Archiepiscopus ad hoc sacramentum ministrandum vnicuique viciniæ parochiali constituerit, id ita cuncti seruent, vt ne quisquam neque alia die, neque in alia Ecclesia illud sumat: nisi fortasse constituta ea die necessariò impeditus sit.

Venient autem primò in locum, scribendis illorum qui confirmandi sunt schedulis præfinitum.

Eoque loci testimonium præstitæ confessionis sacerdotibus, acolutisque dabunt, huic curæ præfectis. Deinde vt experiundo cognoscatur, an & ipsi qui confirmandi sunt, & patrini eorum, quos rudiores esse probabile sit, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Decalogum rectè norint, Parocho in primis, & reliquis deputatis memoriter reddant; nisi tamen id in confessionis sacramento præstitisse, in testimonio ipsius confessionis appareat.

Idem fœminæ exequentur loco decenti, sibi potissimùm separatimque constituto.

Vbi hæc fidei rudimenta reddiderint, accipiant singuli statam suscipiendæ Confirmationis schedulam: inde ad suam quique Ecclesiæ partem, fœminæ ad septemtrionalem, mares ad australem reuersi, piis precationibus meditationibusque parent se ad sacramentum hoc deuotè rectéque suscipiendum.

Quam schedulam vbi acceperint, alium patrinum quàm in ea notatum nemo sibi quisquam eligat. Si verò quis ob causam eum mutet, schedulam item aliam sibi conficiendam statim curet, in qua is scribatur.

Quibus locis fideles conueniunt, nè fusè vagè varièque dispersi sint, dum morantur; sed omnes simul, & qui confirmandi sunt, & patrini, decenter se habebunt, vt sese piè cum silentio præparent, precibusque vacent: aut etiam vnà cuncti litanias recitent; quod vt verè præstetur, Ecclesiæ presbyteri, ac ministri diligenter curent.

Prouideatur etiam, vt omnes Missæ sacrificio deuotè intersint.

Cùm ad inuocandum Spiritus sancti gratiam preces fient, omnes genibus flexis deuotè orabunt, in mysterij meditatione fixi quod peragendum est.

De Patrinis.

Qvi confirmandi sunt, singuli patrinum sibi adhibeant: cuius munus est, filiolum quem in Confirmatione tenuit, monere, eique tanquam ducem se præbere, vt in quotidiano spirituali certamine aduersarium vincat: sed & si rudem illum viderit, non solùm fidei Christianæ documentis instruere, verum etiam ad viam salutis, virtutumque Christianarum disciplinam erudire cohortationibus, atque exemplis, vt in sacramento Baptismi traditum est.

Quamobrem patrinus is deligatur, qui non solùm doctrinæ Christianæ instituta præceptaque teneat; sed etiam qui vitæ piæ exemplo ita se instituit, vt magister, veréque patrinus, ac dux aliis esse possit ad benè agendum, progrediendumque in via Domini.

Nec verò patrinus casu eligendus est, vtpotè homo quispiam planè ignotus, aut verò hospes & peregrinus, cuius consuetudinem in posterum probabile sit minimè habendam.

Patrinum autem vnum duntaxat ad hoc sacramentum quis deliget: matrinam itidem vnam.

Erit patrinus qui deligetur, vbi fieri potest, natu maior eo, quem sibi filiolum in Confirmatione suscipit; aut saltem id ætatis, vt illius rectè instruendi partes officiumque præstare queat.

Id denique seruabitur, vt (quoniam ita honestatis ratio postulat) neque fœminis mares, neque rursus fœminæ maribus patrini vel matrinæ adhibeantur. Neque item minores quatuordecim annis, nisi quando necessitas aliter cogit; neque pater item, aut mater: neque vir, aut vxor.

Ne patrinus, qui in Baptismo, vel Catechismo adhibitus est, idem in hoc sacramento adhibeatur, nisi necessitate cogente.

Nemo autem neque in hoc etiam sacramento patrinus sit, qui excommunicationis, aut interdicti vinculo irretitus tenetur: quive item Paschali tempore proximo sacram communionem non sumpsit: nec verò præterea, qui in graui, publicoque peccato iacet.

Ne item patrinus sit, qui sacro Chrismate nondum confirmatus est. sed neque quo die quis confirmatus est, eo ipso die alios confirmandos offerat. Idemque in fœmina seruetur.

Nemo patrinus, matrinave eodem die plures in Confirmationis sacramento teneat quàm vnum, nisi ex Archiepiscopali facultate.

Hæc Parochus præmonebit, & cætera item, quæ pro temporũ ratione Archiepiscopus præmonenda censuerit, literis eo nomine editis.

De Ecclesia, & apparatu ad Confirmationis ministrandæ vsum.

Ecclesia (quæ ampla, vt commodè capiat multitudinem fidelium, qui confirmandi viciniis Parochialibus commoda esse debet) distincta sit item ad præscriptum tabulato, telauè, vt mares à fœminis separatim maneant, neve ordine dispositi, regioneve sint.

Collegiata quoque rectè erit, aut saltem eiusmodi, in qua aliquis cleri numerus sit, è quo sacerdotes, acolutique deligi possint, qui solenni huic actioni ministerium operamque nauent.

Parochus, Præfectusve Ecclesiæ, vbi solennis huius sacramenti ministratio celebrabitur, eam pie ornabit ad præscriptum, præsertimque altare maius, vbi ministrari solenne est.

Signum item campanarum solenne dari curabit, tum vesperi ante ad significandam huius ministerij celebritatem; tum mane, vt ad conueniendum in tempore omnes excitentur.

Apparentur autem atque instruantur commodo loco, & decenti, rebus ad scribendi vsum necessariis mensæ duæ: vna in qua marium, altera in qua fœminarum nomina ordine exscribantur. Eæ verò ita distinctè, atque adeo seorsum collocabuntur, vt earum situs nullam commeantium permixtionem confusionemve pariat.

Res porrò, quæ ad ministrandi huius sacramenti vsum necessariæ apparabũtur, erunt hæ.

Indumenta sacra, tum Archiepiscopi, tum assistentium.

Vasculum chrismatis, in peluicula ritè & decenter accommodatum.

Lana gossipina, seu bambacium, ad vsum abstergendæ frontis sacro Chrismate illitæ: cuius bambacij tanta copia parabitur, quanta satis videbitur, pro ratione multitudinis fidelium ad Confirmationem suscipiendam conuenientium.

Mantilia duo vsui Ecclesiastico addicta vnum ad abluendam, alterum ad abstergendam frontem.

Pelues duæ, vna ad bambacium colligendum; altera ad manus lauandas.

Medulla panis ad abstergendas manus & manutergium.

Cerei duo, qui præferentur Archiepiscopo sacramentum hoc ministranti.

Vas aquæ ad alterum mantile madefaciendum.

De sacerdotibus, aliisque ministris ad solennis huius ministrationis vsum adhibendis, eorúmque officio.

Eligentur sacerdotes, aliive sacri ministri moribus graues, qui schedulas eorum scribant qui confirmandi erunt, qui huic officio satis sit,

In his potissimùm vnus eligatur: cui vt supra recitent fidei rudimenta qui confirmandi erunt; & alius qui schedulis subscribat.

Nemini schedulam sumendæ Confirmationis dabunt, qui patrinum, aut si fœmina, quæ matrinam secum non habeat.

Patrinum, & matrinam adhiberi non sinent, nisi iis conditionibus vt suprà demonstratis.

Et verò anteaquàm schedulam dent, hæc sedulò videbunt: an confirmandi sint ætate præscripta, an confessi, anque item habitu decenti; & omnino an aliquid habeant contrà quàm præscriptum est. Instruent autem, vbi hæc viderint, ad præscriptum.

Vt breui instruxerint, tum demum Confirmationis suscipiendæ schedulam dabunt: in qua nomen eius qui confirmandus est, patris item, & cognomen, parochia, aut locus notabuntur. patrini item, & eius patris nomen, & cognomen, parochia locusve.

Si nupta erit, pro patris nomine ei adscribent nomen coniugis, cognomen verò familiæ, in qua nata est, & mariti item.

Idem de matrina nupta seruabitur.

Nomina autem singulorum, vtpotè & eius qui confirmandus est, & patrini, à capite lineæ ponantur.

Formula Schedulæ.

N. filius. N. Parochia S. N.

Patrinus N. filius N. Parochia S. N.

Si matrimonio iuncta erit, formula adhibebitur hæc.

N. vxor. N. Parochia, &c.

Schedulis singulis subscribentur vt suprà Schedulæ singulæ singulis dentur.

Præpositus Ecclesiæ, in qua solennis hæc actio celebratur, aliusve qui dignitate præstet, ad vasculum Chrismatis, & ad librum pontificalem minister Archiepiscopo præstò erit, veste indutus, qua in choro ad diuina officia vtitur.

Minister alter adhibebitur, qui schedulas colligat iisque scripta nomina Archiepiscopo ordine recitet, voce quæ audiatur.

Is hæc animaduertet vt schedulæ ex formula rectè confectæ sint: vt præterea ne patrinus alius adhibeatur, quàm in schedula notatus, itidem de matrina. ne item qui accepit, alterius parochiæ sit, quàm eius, quæ tum ad confirmationem vocata est.

Ne quis item alterius diœcesis sine facultate sui Episcopi, ad præscriptum Conc. Prou. 4. tit. de confirm.

Nec verò schedulas manu alterius scriptas, quàm eius, cui cura potissimùm data est, accipiet: vt certum exploratumque esse possit, de iis, qui rudimenta recitarint.

Singulas demum schedulas vt accepit, ordine in filum acu infiget, quem paratum habebit.

Præsto erunt præterea alij ministri duo, quorum erit, cæremonias ritè curare; vt scilicet qui confirmandi sunt, sinistrum pedem supra dextrum suorum Patrinorum ponant, manibus pie iunctis sint, & recti stent.

Videbunt item cætera vt seruentur, quæ de vestitus modestia præscripta sunt.

Obseruabunt etiam, vt patrinus matrinave, vnum; vnamve, nec verò plures in confirmatione eodem die teneat, nisi vt suprà.

Aderunt item ministri alij duo: vnus, qui sigillatim dum Archiepiscopus confirmat, ordine abstergat bambacio frontes eorum qui confirmati sunt: tum idem bambacium, quod ad

abstergendi vsum adhibuerit, in peluim, ab acolutho manibus sustentatam ponat; vt deinceps comburatur, combustumque proiiciatur in sacrarium. Alter qui mantili madido abluat frontes confirmatorum, & mantili altero abstergat.

Cauebit autem, vt ne guttula quidem aquæ è mantili madido in terram defluat.

Ambo hi ministri moribus & ætate graues erunt, modestiæque exemplis probati, iis præsertim, qui ad fœminarum confirmationem adhibebuntur.

His præsto erunt itidem clerici duo, vnus qui peluim gestet ad colligendi bambacij vsum: alter, qui alteram peluim habeat mantilis madefaciendi causa, ad frontes abluẽdas.

Alius item præter hos adhibebitur: cuius cura erit, confirmatos in ordine continere, daréque operam, vt ne quisquam inde discedat, nisi cunctis qui in ordine sunt confirmatis. Quos vbi confirmatos viderit, inde ad certum locum, capellamve deducat, vbi litaniis aliisque orationibus sanctè precentur, quoad Archiepiscopus precibus ritè peractis omnes solenni benedictione dimiserit.

Idem de fœminis confirmatis exequetur, illas etiam deducendo ad certum locum à maribus separatum, vbi itidem orent.

Sacerdos præterea præsto erit; qui prout Parochiarum ordo postulat, in Ecclesiam introducet eos, qui confirmandi sunt. Proinde ex schedula quam in manu habebit, ordine Parochiarum fideles ad Confirmationem euocabit: singulisque parochiis locum constituet, viris quidem distinctum à fœminis.

Quo in officio ita aget, vt in tempore introducat, ne ministrationi mora interponatur.

Acoluthi præterea aderunt duo, qui Archiepiscopo ministranti cereos accensos duos præferent: ostiarij duo, pluresve, qui ianuas custodient, vt ad confirmationem vocati ordine ingrediantur.

In Confirmatione hæc vt infrà, seruabuntur.

PRimum in Ecclesiam introducti qui confirmandi sunt, mares vt dictum est, à parte australi, fœminæ à septentrionali manebunt.

Genibus item flexis, manibus ante pectus iunctis orabunt.

Omnes præterea alij, quicunque sacro illi ministerio adsunt, silentio sancto vtentur, sanctéque precabuntur.

Summa animi attentione spectabunt solennis mysterij celebritatem.

Mente secum reputabunt illa spiritus sancti dona, quæ sacramenti huius virtute fidelibus impartiuntur.

Tacita etiam meditatione videbunt, quantoperè ipsis iis donis indigeant.

Accersiti autem primò mares, deinde fœminæ cum suis quique patrinis, matrinisve, graui incessu, non turbulento, & celeri præproperove gressu, manibus iunctis ad Confirmationem accedent: locoque & ordine ad præscriptum monitoris consistent.

Archiepiscopus cùm propius ad confirmandum accedet, ordine quisque sinistrum pedem, vt supradictum est, supra dextrum patrini, aut si fœmina est, matrinæ ponet, manibus deuotè iunctis. Quo in statu permanebit, quoad frons abluta, abstersaque erit. Nemo autem frontem sacro Chrismate illitam attingat, ne Crucis quidem causâ, nisi prius ablutam, atque abstersam. Inde postea omnes simul ordine ad constitutum locum venient, vbi sanctè precentur vt suprà dictum est, vsque ad solennem Archiepiscopi benedictionem.

Post Confirmationem quæ agenda sunt.

IMpertita confirmatis solenni benedictione, vnusquisque Parochus curet Parochiales suos reducere ad Ecclesiam suam, ordine quo venerunt: vbi hæc moneat.

Vt recens confirmati, ob sacramenti reuerentiam eo saltem die à frontis lotione abstineant.

Vt pro pietatis studio orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & Symbolum, singulis septem diebus septies, qui literarum rudes sunt recitent; officium autem de Spiritu sancto septies itidem qui legere norint: memores septem cœlestium donorum, quæ illius sacramenti virtute acceperunt.

Vtque soliciti sint in iis religiosè conseruandis.

Vt anniuersarium statum illum diem, quo confirmati sunt, religiosius singuli pietatis officiis, & precibus colant: confessique sacram Eucharistiam sumant, vt benignissimo Deo gratias agant de donis acceptis.

Eum confirmationis suæ diem ob eam causam certo libro adulti notent: itidemque faciant parentes eorum, qui pueri confirmati sunt.

Cognationem quoque spiritualem denunciabit quæ contracta est inter confirmatum, parentes eius, & patrinum.

Denique ad præscriptam formulam referet in librum quem paratum habebit, nomina & confirmatorum, & patrinorum, matrinarumve.

DE SACRAMENTO Sanctissimæ Eucharistiæ.

Rubricæ, seu instructiones.

Quæ Parochus populum doceat.

NIhil habet Ecclesia hoc sacramento dignius, nihil admirabilius, nihil salubrius, nihil sanctius. Continetur enim in eo præcipuum & maximum Dei donum, & ipse omnis gratiæ, & sanctitatis fons, auctorque Christus Dominus.

Parochus igitur vt populum sibi commissum idoneum reddat ad maximos vberrimosque huius sacramenti fructus percipiendos, singulis diebus festis, qui scilicet frequentem illis communionem proximè antecedent, atque adeo sæpius prout opportunum viderit, illum accurata, piáque concione docebit, planéque

explicabit fidem, doctrinam, excellentiamque huius præstantissimi sacramenti; quo item modo ad illud sumendum accedant: quàm admirabiles itidem illius fructus sint, quanta vis, ac dignitas: & denique vbi sumpserint, quo modo gratiam conseruent.

Hos autem fructus enumerare poterit. Gratiam in animam influit, cùm purè, & sanctè sumitur: *Qui manducat*, inquit Dominus, *meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Qui enim pietatis, & religionis studio affecti hoc sacramentum sumunt, Christi corpori tanquam viua membra inseruntur, si quidem scriptum est: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.*

Ioan. 7.

Ibidem.

Animam alit, atque sustentat: quosque vsus corpori panis & vinum adfert, eos omnes animæ saluti, & iucunditati, ac meliori quidem ac perfectiori ratione, Eucharistiæ sacramentum præbet.

Vires animæ addit, efficitque vt spiritus diuinarum rerum delectatione magis commoueatur, virtutibus augeatur, ac diuinè corroboretur.

Venialia peccata hoc etiam sacramento remittuntur: vt meritò dicat Sanctus Ambrosius, *panem hunc quotidianum sumi in remedium quotidianæ infirmitatis.*

Vires præbet, vt à criminibus fideles puros & integros, atque à tentationum impetu incolumes se conseruent. Ac præterea tanquam cœlesti medicamento animam præparat, nè alicuius mortiferæ perturbationis veneno facilè infici & corrumpi queat.

Concupiscentiæ ardorem debilitat, dum charitatis igne animos fidelium vehementer inflammat.

Postremò vt vno verbo dicatur, summam vim habet ad æternam gloriam comparandam. eius videlicet gratiâ, dum hanc vitam fideles degunt, conscientiæ pace & tranquillitate perfruuntur: deinde eius virtute recreati, non secus atque Elias, *qui subcineritij panis fortitudine ambulauit vsque ad montem Dei Oreb*, cùm ex vita emigrandi tempus aduenit ad æternam gloriam & beatitudinem ascendunt.

3. Reg. 19.

De frequenti sacræ Communionis vsu.

AD saluberrimum igitur huius Sacramenti frequenter sumendi vsum Parochus fideles cohortabitur, atque excitabit, nascentis Ecclesiæ institutis, ac exemplis, & sanctorum patrum omnium consentiente doctrina, vt ex Catechismo Romano discere poterit; & sententia œcumenicæ Synodi Tridentinæ: quæ optaret quidem, fideles in singulis Missis non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicare. curabit certè, vt præter Paschatis communionem, quæ Ecclesiæ præcepto necessaria est, saltem in præcipuis solennitatibus, veluti die Natali Domini, Epiphania, Pentecoste; in diebus item festis maioribus Beatæ Mariæ Virginis communicent.

Sess. 22. de sacrif. Missæ, ca. 6.

Crebris præterea monitis, illud quod beatissimus Siluerius Pontifex statuit, in consuetudinem reuocare studebit; vt qui sæpius non communicant, in quadragesima saltem Dominicis diebus corpus Domini sumant, & die item cœnæ Domini ex antiquo instituto; ac præterea in Aduentu idem præstent.

Eam præterea consuetudinem in parochia sua introducere curabit, vt quoties quis iter longum, aut infestum, remque arduam & difficilem, etiam in qua nullum mortis periculum extimescendum sit, aggredietur; qui item aliqua graui perturbatione, vel ex filiorum, coniugisve obitu, vel ex bonorum amissione, vel ex alia re aduersa affligitur, sacram communionem confessus suscipiat. Idemque faciat itinere, vel negotio difficili quod susceperit, confecto, vel quocumque beneficio accepto, gratias Deo acturus huius sacramenti sumptione: in quo præcipua quædam ratio inest, qua Deo pro immensis in nos collatis beneficiis aliquam gratiam piè referamus.

Curabit item, vt mulieres proximè pariturae hoc ipsum præstent, ac præterea cùm primùm à puerperio ad Ecclesiam accedent.

De custodia sanctissimæ Eucharistiæ.

OMnem etiam maximam diligentiam, curam, summumque studium Parochus in eo ponat, vt cùm ipse tremendum hoc sacramentum, qua debet reuerentia, debitoque cultu tractet, custodiat, & administret; tum etiam populus sibi commissus religiosè colat, sanctè, frequenterque suscipiat.

Sacrosanctam Eucharistiam, vt decentissimè fieri potest, in altari maiori custodiat, & asseruet.

Ad custodiendi asseruandique vsum habebit tabernaculum ad præscriptam rationem factum, quod quidem claue (quam apud se tenebit, neque clerico committet) benè clausum habebit, nè, quod Ecclesiæ, & Christiano populo datum est ad salutem, maleficorum manus Diabolo operante ad perniciem abutatur: id quod etiam veteri canone cautum est. Alioqui si ea in re negligentiam ipse commiserit, graues, sibi pœnas ex canonum disciplina propositas esse meminerit.

Eius ornatus exterior, & vestitus interior, & ostiolum erit ad præscriptam formam.

Præterea tabernaculum ipsum, aptè, rectè, & decenter, firmitérque collocabitur, fixumque altari inhærebit: conopæo decenti operietur: atque ab omni alia re vacuum erit: neque præterea armarium vllum, etiam subtus habebit.

Pixides item habebit tanto sacramento dignas, ex canone ad præscriptum.

Lampadarium sit, in quo lampades accensæ semper colluceant; sique non plures, vna saltem in conspectu sanctissimæ Eucharistiæ. Lumen verò lampadum oleo oliuæ nutrietur; nec verò alterius generis adhibeatur, nisi quibus locis Archiepiscopus ob eam causam concesserit, quia nullum eius generis haberi potest.

Sanctissimæ autem Eucharistiæ, pro parochiæ magnitudine, & communicantium multitudine, particulas opportuno tempore habe-

bit: sed quinque saltem perpetuò custodiet in pixide.

Eas autem octauo quoque die ad summum renouabit, præsertim quinta quaque feria, si commodum erit; in qua Christus Dominus hoc tantum sacramentum instituit: hostiæ autem adhibeantur recentes, & à viginti diebus ad summum confectæ. Id verò etiam præstabit, vt vbi recentes consecrauerit, veteres primò ministret.

Qui ad sacram communionem admittendi sunt.

OMnes fideles ad sacram communionem admittendi sunt, exceptis iis, qui iusta ratione prohibentur, qua de re, quæ à sacris doctoribus traduntur, cognoscere studeat, sed hoc loco hæc summatim monentur.

Non admittuntur ad communionem hæretici, schismatici, excommunicati, interdicti, publicè criminosi, manifestéque infames; vt meretrices, publici concubinarij, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, & alij id generis publicè facinorosi homines. Atque isti quidem si ad pœnitentiam & communionem admissi, postea in eisdem peccatorum sordibus versabuntur; ad huius sacramenti perceptionem rursus ne facilè admittantur, quoad ipse Parochus qui illorum curam gerit, eos vitam & mores re ipsa emendasse perspexerit.

Reis capite damnatis in tempore ministrabit: aget verò cum iudice, magistratuve, vt quo die illi corpus Domini sumpserint, ne eo die ob reuerentiam afficiantur vltimo supplicio.

Amentibus præterea hoc sacramentum non ministrabit; quamuis si antequam in insaniam inciderint, piam & religiosam animi voluntatem præse tulerint, licebit in fine vitæ ex decreto Concilij Carthaginensis, modò vomitionis, vel alterius indignitatis, & incommodi periculum non sit. licebit etiam, si quando ad sanitatem redeunt, & deuotionem ostendunt, dum in eo statu manent; si idem periculum absit.

Pueris item, qui propter ætatis imbecillitatem nondum huius sacramenti cognitionem, & gustum habent, sacram Eucharistiam non ministrabit.

Nec verò grandiusculis præbebit, qui tunc primùm illam sumere voluerint; nisi aliquot ante diebus eos examinarit, atque instruxerit de vi & ratione huius tanti sacramenti. Id verò quò diligentius præstet in quadragesima per singulas parochiales familias delectum habebit puerorum, atque adolescentum, qui primùm in Paschali celebritate proxima sacram communionem sumpturi sunt.

Ac præterea his omnibus in singulas quadragesimæ hebdomadas certos præstituet scrutinij dies, quibus illos non solùm accuratè examinet, sed instruat quam diligentissimè.

De præparatione animi.

POpulum etiam docebit, qua præparatione, & quanta animi religione ac pietate, quàm supplici mente, & humili etiam corporis habitu ad illud sumendum accedere debeat: quantaque rursus illis supplicia parata sint, qui indignè illud suscipiunt.

De qua quidem animi præparatione hæc potissimùm tradet.

Primùm fidelis vnusquisque ita paratus & instructus esse debet, vt huius sanctissimi sacramenti fidem integram teneat, rectéque discernat mensam à mensa, hanc sacram ab aliis profanis, cibum à cibo, cœlestem hunc panem à communi; rectéque sciat, in communione quæ sub vna tantùm specie à laicis sumitur, integrum corpus Domini etiam cum sanguine sumi: & cùm frangitur hostia consecrata, totum Christi Corpus in qualibet parte fracta contineri.

Conscientiam præterea scrutetur diligentissimè, nè fortè exitiali aliquo peccato contaminatus sit, vt prius contritionis, & confessionis medicamento eluatur. Atque omnem præterea adhibeat diligentiam, nè quid ei desit ad summam animi integritatem, & innocentiam.

Omnem distractionem mentis, animique somnolentiam depellere studeat.

Exquirat tacitus à seipso cum timore, an illud Petri Apostoli sibi vsurpare liceat: *Domine, tu scis, quia amo te.* Ioan. vlt.

Videat etiam, num pacem cum aliis habeat; num proximos verè, atque ex animo diligat.

Ab omni desiderio, delectatione, omnique sensus amore, quo diuinæ charitatis studium languescit, purum integrumque animum conseruare studeat, sensusque omnes seueritate quadam moderata cohibere, etiam in rebus licitis.

Sanctis item meditationibus ad Dei amorem inflammet animi sui voluntatem, quam pietatis operibus etiam sæpè confirmet.

Desiderium cælestis huius cibi sumendi excitet duplici consideratione; quarum vna est, vt altissimi huius sacramenti excellentiam, admirabilesque fructus, salutaresque vtilitates meditetur; altera est, vt tacitus etiam cogitet spiritualem inopiam suam, spiritalesque suas necessitates. Humilitatem autem, & reuerentiam excitabit, ita vt secum mente reputet, totum Christum ibi esse, quem in Cœlo Angeli adorant; ad cuius nutum columnæ cœli contremiscunt, & pauent, cuius gloria plenum est Cœlum & terra. Deinde cogitabit, quàm indignus ipse sit, cui tantum diuinumque beneficium à Domino tribuatur.

Atque his quidem, aliisque meditationibus ita se parabit, vt & sancto desiderio, & summa reuerentia, humilitatéque ad sacram mensam huius pabuli cœlestis accedat.

In communione ipsa, vt sanctè religioséque fideles animo versentur, hæc docebit Parochus, & opportunè præmonebit.

In primis quò ardentius sanctum amorem, qui in

qui in sacra communione requiritur, fideles in se excitent, illos docebit, quo modo eo temporis momento quo sacram Eucharistiam sumunt, passionem Christi Domini, ex cuius vulneribus pius ille amor hauritur, religiosè meditentur: tum etiam considerent præsens illud beneficium, in quo tanta cum dignatione, immensaque charitate Christus Iesus se communicat, & intimè illis se coniungit.

Deinde, vt spem eorum inflammet, demonstrabit, tunc temporis illis considerandum in Christo Domino esse quidquid piam Christianorum fiduciam, spemque excitare potest: cùm ipse sit & omnipotens, qui omne bonum conferre potest; & summè benignus, qui magis desiderat conferre nobis sua dona, quàm nos recipere; & sapiens, qui benè nouit, quæ nobis & expediunt, & opus sunt ad salutem.

Ac præterea ad hoc illos instruet, vt in ipsa sanctissima communione, toto corde, omnique intimi animi pietate Deo gratias agant de tanto beneficio, infinitaque charitate, qua erga populum Christianum vsus est.

De præparatione Corporis.

NEque verò animi solùm, sed etiam corporis præparatione opus est. De qua hæc Parochus proponet.

Vt ieiuni fideles ad sacram mensam accedant, ita vt saltem dimidia antecedentis diei nocte, vsque ad illud temporis punctum quo Eucharistiam accipiunt, nihil omnino comederint, aut biberint: etiam si postea dormierint, quàm comederunt.

Sed præstantissimi huius sacramenti dignitas hoc postulat, vt pridie illius diei quo illud sument, ieiunium celebrent, aut saltem parcius cœnent: & quod fideles aliquando facere consueuerunt, in orationibus, piisque meditationibus partem noctis vigilent, aut saltem prolixius orent, quàm aliàs soliti sunt.

Postulat etiam, vt qui matrimonio iuncti sunt, aliquot dies à concubitu vxorum abstineant, Dauidis exemplo admoniti, qui propositionis panes cùm à sacerdote suscepturus esset, se suosque pueros ab vxorum consuetudine puros iam tres ipsos dies esse professus est: & ex canone etiam veteri, qui tres, vel quatuor etiam octo dies abstinentiæ in genere proponit.

Quod ad corporis habitum pertinet, quem in sacra communione adhibeant, hæc Parochus præmonebit, & curabit.

Vt summa reuerentia, omnique humilitate fideles accedant, & sumant.

Oculis non vagis, sed in Christi corpus piè coniectis.

Barbæ pilis circa os benè præcisis.

Ore supra pannum lineum suppositum modestè porrecto.

Capite non demisso.

Lingua paululùm labrum inferius intus attingente, non tamen extra os prominente; in qua particulam suscipiant: neque linguam ipsam retrahant, priusquam presbyter manum remouerit: tum verò caput humiliter demittant.

Ita etiam vt suspiriis abstineant, quibus particulæ possint excuti.

Manibus pectori admotis instar Crucis, ex veteri fidelium disciplina: aut supplicibus, iisdemque nudis.

Pallio quantum fieri possit, adhibito.

Non birretis, pileisve pluma inaniter ornatis.

Armis depositis.

Toto denique corporis habitu decenti, humili, & modesto, non sordido.

Mulieres, non sumptuosis, non caudatis vestibus; non crinibus inaniter intortis; non fuco, aut pigmentis vultu illito; non pectore nudo, aut tenui velo obtecto; sed ita vestito, vt ne præter faciem quidquam nudum cernatur.

Velo denso benè super faciem demisso.

Omnes autem genibus flexis.

Non pectore brachiisve scabello innixi: neque biretto, aut chirothecis, vel aliis re super panno collocata.

Nil præterea dabunt.

Nec verò candela accensa vtentur, nisi in Pascha.

Omni modestia surgent, & à mensa discedent.

De ministratione sanctissimæ Eucharistiæ.

HOc institutum Parochus perpetuò seruare studeat: vt quod antiquissimi ritus est, intra Missarum solennia post sanguinis sumptionem præbeat sacram communionem: cùm tamen nonnunquam accidat, vt etiam extra Missam præbenda sit.

Cum celebrata Missa sacram communionem statim ministrat, vestibus sacerdotalibus, quibus in Missa vsus est, indutus ministrabit, casula tantùm deposita, & manipulo item.

Si verò alio tempore extra Missarum solennia; tùm superpelliceo, & stola rubra vtitur.

Eum verò ordinem in sacra communione ministranda seruabit, vt primò sacerdotibus, si qui aderunt qui illam sumant, superpelliceo, & stola instar Crucis antè pectus composita indutis: deinde clericis pro ordinis gradu, superpelliceo tantùm indutis: postea verò laicis maribus, tum fœminis, nullo discrimine conditionis habito.

Locis præterea distinctis ministrabit: nempè clericalis ordinis hominibus in gradibus altaris: at laicis tam maribus quàm fœminis loco remotiori aliquanto ab altari.

Præparatas habebit hostias, prout numerus est fidelium, qui sacram communionem suscipient: sed plures etiam, quàm eorum numerus est.

Erunt hostiæ rotundæ, non quadræ, non angulares, recentes, iusta magnitudine, integræ, non fractæ, non incisæ, nec verò dimidiatæ, tanquam fragmenta hostiæ maioris: tales item, ex quibus fragmenta facilè non fiant.

Pixidem paratam habebit, quæ pro com-

municantium numero particulas capiat: nam patenam non adhibebit, cùm amplius sexsunt, qui communicant.

Altaria vbi ministratur, luminibus collucebunt.

Clerici adsint duo cum superpelliceo, qui pixidi supposita mantilia sustentent.

Diaconi præterea duo, aut subdiaconi, vel saltem clerici, qui purificationem, & mantile præbeant.

Vinum ad purificationem faciendam; quod album si fieri possit, adhibeatur: & aqua item quibus opus sit: vtrumque in vasis nitidis, iisque vitreis, vel crystallinis, & ei vsui tantùm addictis.

Ne verò ad capiendam eleemosynam occasione sacræ communionis vas exponat, aliove modo vtatur.

Quæ obseruentur post Communionem.

HÆc verò Parochus præterea fideles monebit.

Vt ne posteaquàm sacram communionem sumpserint, ab Ecclesia statim discedant, sed permaneant in oratione, quantùm fieri possit, quieto & remoto loco; proindeque certam aliquam precandi rationem illis indicet; rudioribus, vt ter, aut quinquies, *Pater noster & Aue Maria* dicant: aliis, pro eorum captu rosarium Beatæ Mariæ Virginis: alijs orationes in officio eiusdem beatæ Mariæ Virginis depositas, quæ inscribuntur, *Orationes, post Communionem*, & quæ S. Ambrosij sunt, præsertim indicet, & ante & post Communionem.

Monebit etiam, vt reuerenter glutiant; vt benè se purificent; ne statim spuant, sed per quartam saltem horæ partem à sputatione abstineant.

Si verò necessitas coget prius spuere, id in loco saltem fiat à pedibus prætereuntium remoto.

Ne præterea statim cibum capiant, sed dimidia post sumptam sacram communionem, aut saltem quarta horæ parte.

Vt animi cogitationes, sensus omnes, & linguam cohibeant: abstineantque præcipuè eo die à verbis otiosis, cogitationibus inanibus: sed in sanctis meditationibus, precibus, diuinorum officiorum frequentia, ecclesiis etiam frequentandis aliisque pietatis officiis atque operibus versentur.

Vt denique assistant Christo hospiti sanctissimis exercitationibus atque actionibus: à profanis autem negotiis & sæcularibus abstineant: quòd si non omninò possunt, curent tamen à sancta communionis sumptæ meditatione, & sui intima custodia non alienari.

De præparatione, quam adhibebit Parochus in communione frequentis populi.

CVm dies instat communionis sacræ frequenti populo ministrandæ, pridie illius diei Parochus scamna oblonga, & alta, & lata ad formam præscriptam apparabit: mappas itidem à sorde puras, & candidas, quibus illa rectè ordinéque sternantur, pro frequenti populi ratione:

Parabit mappam lineam subtili textura nullo artificio elaboratam, quæ cubitis tribus longa feratur, si opus sit, sub pixide, & manibus ministrantis.

Scabella duo decentia: in quibus collocentur vasa, & cætera ad purificationis vsum.

Mantilia ad scabella illa sternenda.

Intortitia duo, plurave, pro ratione diei solennis; quibus lucentibus clerici itidem duo præeant sacerdotem ministrantem.

Clericos parochiæ suæ omnes stata communionis die præsentes adesse præmonebit: qui superpelliceo induti, ministrantem pro muneris sui functione adiuuent.

Altare vnum maribus, alterum fœminis constituet, vbi communicent; maximè si ingens populi sacram communionem sumentis multitudo est.

Deliget verò in sacra communione fœminis ministranda, si opus sit, sacerdotem adiutorem spectata integritate; & clericos probatos, qui illum ministrantem etiam adiuuent.

Omnibus rectè paratis, vespere, aut prima hora noctis signum campanarum solenne dabit, quo fideles, qui sacram communionem postridie sumpturi sunt, se excitent ad meditationem, orationem, omnemque aliam pietatis præparationem alij verò etiam precentur sibi id gratiæ dari, vt desiderio, & voto sacræ Eucharistiæ sumendæ incendantur, quò frequentius ad diuinam hanc mensam veste nuptiali ornati accedant.

Inter communicandum prætereà id etiam per alium idoneum sacerdotem aliquando præstabit, vt verborum pondere, & sententiarum quasi iaculis, opportunaque aliqua, & breui cohortatione populus collectus excitetur, cùm ad hanc sanctissimam præparationem, tum ad frequentiam hujus sacramenti. præterea & ex veteri instituto antiphonam, & psalmos item, vt infra, à reliquo clero parochiali religiosè cani studebit; & etiam repeti, si spatium detur.

Ordo ministrandi sacram Communionem.

PArochus sanctissimam Eucharistiam ministraturus: si quidem intra Missam, seruentur rubricæ Missalis: si statim post Missam, casulam à parte Euangelij & manipulum deponit: si alio tempore, lotis manibus induit superpelliceum, & stolam rubri coloris: ad gradus altaris orat: mox ascendit.

Facta genuflexione, ad populum conuersus, à partéque Euangelij stans capite aperto, sermonem habet ad communionem accommodatum, si tempus opportunum dabitur.

Deinde monet, qui communicaturi sunt, nè accedant, nisi pacem cum proximo habeant; & omnino nisi rectè purgati sint, & præparati.

Rursus genuflectit; pixidem è tabernaculo extrahit; aut si extracta est, eam aperit; & repetita genuflexione, à parte Euangelij consistit, ita versus ad populum, vt tamen etiam sanctissimum sacramentum reuerenter manibus iunctis aspiciat.

Tum Diaconus, aut Clericus superpelliceo indutus à parte epistolæ genuflexus, monet omnes, signum crucis sibi quemque adhibere; ipseque alta, & clara voce signans se dicit: *In nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Amen.* & manibus iunctis confessionem generalem dicit eadem voce, & tarda pronunciatione: illis simul cum eo distinctè pronunciantibus; aut saltem attentissimè audientibus.

Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper virgini, Beato Michaeli Archangelo, Beato Ioanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro, & Paulo, Beato Ambrosio confessori, omnibus sanctis, & tibi pater; quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: Ideo precor Beatam Mariam semper virginem, Beatum Michaëlem Archangelum, Beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, Beatum Ambrosium confessorem, omnes sanctos, & te pater orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Qua confessione pronunciata Parochus dicit: *Deo gratias.* Tum statim pergit dicere, manibus iunctis.

Misereatur vestri omnipotens Deus: & dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. ℞. *Amen.*

Post manu dextera crucis signum fidelibus communicantibus adhibet & dicit.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus.

℞. *Amen.*

His pronunciatis ad altare se conuertit, genuflectit, manu sinistra pixidem prehendit: & conuersus in medio altari ad populum duobus digitis pollice, & indice sacramentum accipit, paululumque de pixide eleuat.

Tum Diaconus, vel Clericus genuflexus vt supra, clara voce dicit:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea.

Quod iterum, ac tertiò repetet; per singulas vices pectus percutiens, qua formula etiam vtendum est, cùm fœminæ communio ministratur. & qui communicaturi sunt, vnà cum clerico eam pronunciabunt, saltem submissa voce.

Postea Parochus ad communicandum accedit; initiumque facit ab iis, qui à parte epistolæ sunt; singulisque sacramentum præbens, signum crucis super pixidem ante faciem communicaturi faciens, dicit.

Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. qui accepturus est respondet. *Amen.*

Videat verò Parochus, vt antequàm sacramentum præbeat, satis spatij relinquat ad dicendum. *Amen.*

Dum sacramentum præbet, adsit minister superpelliceo indutus, qui vasculum purificationis manu dextera tenens, sinistra mappulam ad abstergendum os, Parochum modico interiecto spatio sequitur, & ministrat vasculum ad purificandum, & mappam ad abstergendum. quod vasculum ita poterit etiam fœminis ministrare; vt cùm primæ porrexerit, ipsæ reliquis det, & omnes inter se tradant,

Si præbendo sacramentum, digitos ex ore communicantium madefaciat; purificatorium sibi in pelucula decenter afferri iubeat, quo eos abstergat; vel ipse ad altare reuertatur, & id faciat.

Parochus posteaquàm omnibus sacramentum præbuerit, digitis pollice, & indice, quibus ministrauit super pixide simul iunctis, ad altare reuertitur.

Ibi deposita pixide supra corporale, eaque contecta, tùm facta genuflexione, statim digitos, quibus sacramentum tetigit, à parte epistolæ vino, & aqua abluit in vase non consecrato, quod præbetur iis, qui communicarint: tum purificatorio abstergit: & rursus facta genuflexione, pixidem reuerenter reponit & dicit.

℣. *Dominus vobiscum.*

℞. *Et cum spiritu tuo.*

Oratio.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, te humiliter deprecamur: vt accipientibus fratribus, & sororibus nostris sacro-sanctam Eucharistiam corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi filij tui, & animæ, & corporis sit salus. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat, in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

℞. *Amen.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℞. *Et cum spiritu tuo.*

Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

℣. *Benedicat, & exaudiat nos Deus: & dum dicit, signum sibi crucis adhibet.*

℣. *Procedamus in pace*

℞. *In nomine Christi.*

℣. *Benedicamus Domino.*

℞. *Deo gratias.*

℣. *Pax, & benedictio Dei omnipotentis, patris, † & Filii, & Spiritus sancti, descendat super vos, & maneat semper.*

℞. *Amen, & ita dicendo, signo crucis populo benedicat.*

Oratio præcedens ita dicitur: vt illud nomen, (fratribus, omittatur, quando fœminis solùm communio ministratur; & verò contrà, cùm ministratur maribus tantùm, omittitur illud, (sororibus:) Itidemque singulari numero dicitur (fratri nostro,) si mari tantùm: ac præterea, (sorori nostræ,) si fœminæ solum ministrabitur.

Antiphona, & psalmi dicendi pro opportunitate in frequenti communione, vt supra præscriptum est.

Antiphona. Dominus dabit.

Psalmus 84. Benedixisti Domine terram tuam, auertisti, &c. vsque ad finem. Gloria patri & filio & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, &c.

Psalmus 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. &c vsque in finem.

Gloria patri, &c.

Psalmus 33 Benedicam Dominum in omni tempore, &c. vsque ad finem.

Gloria Patri, &c.

Antiphona. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.

Quæ Parocho seruanda sunt in Paschali communione.

PAschæ tempore, præter ea quæ mox supra demonstrata sunt, hæc Parochus seruabit.

In Paschali celebritate, vt nemo parochialium legitimæ ætatis, quemadmodum est sanctæ matris Ecclesiæ præceptum, omittat hoc sacramentum percipere in sua parochiali Ecclesia; sæpenumero Parochus in quadragesima populo promulgabit, atque adeò explanabit constitutionem illam, in Concilio Lateranensi ab Innocentio Tertio Pontif. editam, cuius initium est: *Omnis vtriusque sexus.* Censuramque in ea sancitam diligentissimè proponet.

Quæ constitutio, vt perfectè seruetur, in quadragesima item per familias, vt Concilio Prouinciali cautum est, nomina eorum describet, qui per ætatem rationis vsum adepti, in pascha sacram communionem confessi sumere debent.

Hortabitur autem eos, vt qui in pascha sacram communionem sumere debent, ipso die Paschæ Resurrectionis id præstent.

Quo Paschæ tempore ipse, non alius sacerdos ministrabit, si verò frequentem populum habet, alium quoque sacerdotem adhibeat tunc licet.

Quibus Paschæ tempore hoc sacramentum hoc ministret.

PArochiæ suæ fidelibus in pascha ministrabit: alienæ autem parochiæ nullo modo, nisi vt infra. Proinde quod antiquis canonibus cautum est, ad populum conuersus antequàm ministret de altari enunciabit; alienæ parochiæ fideles ad proprium Parochum remitti, à quo sacram communionem in paschali celebritate sumant.

Iis etiam ministrabit, qui maiorem anni partem in parochia habitauerint: illis quoque, qui saltem sex menses.

Peregrinis item, & aduenis, in diœcesi: at Mediolani eos ad Metropolitanam Ecclesiam, vbi communionem sumant, abire Parochus præmonebit.

Illis prætera, qui paucis ante diebus aduenerint, animo constituendi domicilij.

Et verò illis quoque, qui facultatem ab Archiepiscopo literis concessam habuerint.

Ægrotis etiam parochialibus, etiam si communionem sumpserint, in Pascha quoque afferet, & ministrabit.

Qui parochiales paschæ tempore à parochia abfuerint, nisi se communionem sumpsisse testatum fecerint, in eos ad præscriptum Conciliorum prouincialium agat.

Qui autem præstituto Paschæ tempore non communicauerint, eos ex præscripta formula ad altare altero ex diebus festis pascha proximè sequentibus monebit: & in contumacia perseuerantes, ad Archiepiscopale forum deferet.

Formula monitionis.

Omnes, & singulos parochiæ nostræ fideles legitimæ ætatis, qui in Pascha ex præcepto sanctæ matris Ecclesiæ sacram communionem sumere debent, qui nondum sumpserunt, hoc monemus; vt intra hanc hebdomadam, aut Dominica proxima sequenti confessi sumant: alioqui illos, qui ad constitutam eam diem, vel ad sex dies post octauam paschæ ad summum non præstiterint, ad Reuerendissimum Archiepiscopum deferemus; vt mox ingressu ecclesiæ, ecclesiasticáque sepultura interdicti, intra Missarum solennia denuncientur, valuisque ecclesiæ parochialis nomina eorum affigantur. Atque hanc quidem vnicam monitionem pro tribus satis esse, vobis edicimus.

Quam quidem monitionem etiam vulgari sermone explicabit.

Habebit igitur Parochus librum communionis Paschalis, in quo præter parochiales, aduenarum etiam communicantium nomina separatim notabit.

De exponenda sacra Eucharistia in oratione quadraginta horarum.

COram sanctissima Eucharistia oratio quadraginta horarum in ecclesiis fiat, vbi Archiepiscopus statuerit: & quando id concesserit.

Ne quauis causa tamen Eucharistia palam, & apertè exponatur, sed publica tantùm, eaque graui: aliis verò de causis orationem licebit instituere, sed non sacramento apertè exposito.

Exponatur ordinariè in altari maiori: sed in alio quoque, si ita Archiepiscopus censuerit.

Quod vt cum dignitate, decorè, religioséque agatur, altaris, vel capellæ, vbi palàm exponetur, collocabiturve, ornatus decens sit, ac religiosus.

Cerei prætera in altari accensi, ad summum decem, minimum verò sex, decenti crassitudine, ac longitudine colluceant: lampades item nè plures quàm duodecim, aut tredecim; nec verò pauciores quam tres: idque nisi Archiepiscopus ob causam permittat, vt maior luminum numerus aliquando adhibeatur.

Orationis initio, cum sanctissimum sacramentum palàm proponendũ est, primùm datis solenniter de more pridie illius diei vesperi,

& iterum eo die paulò ante campanarum signis; præsens adsit, cum sacerdos pluuiali rubro indutus, qui illud religiosè proponat; tum illius ecclesiæ vbi oratio futura est, aut totius parochiæ, si ecclesia parochialis est, clerus superpelliceo vestitus, qui in hac functione illum adiuuet.

Si verò qui conuenerint clerici, vel parochiæ, vel ecclesiæ, pauciores sint quàm sex; alij aliunde euocentur, vt ne eo numero pauciores adsint, hique cum luminibus accensis: tùm homines itidem parochiæ, in cuius ecclesia finibusve oratio exponitur, præsertim sanctissimi sacramenti sodalitati adscripti.

Processio cum sanctissimo sacramento exponendo per ecclesiam agatur litaniis, statisque antiphonis, precibus & orationibus; tum cereis accensis, & vmbella, idemque in eo reponendo seruetur.

Dum illud in altari propositum est, interdiu clerici duo superpelliceo induti, capite aperto ad altare semper assistant; quorum alter Diaconus saltem sit: noctu verò saltem vnus, isque in sacro ordine constitutus.

Ad altaris verò, capellæve, vbi proposito sanctissimo sacramento oratio fit, cancellos, affixæ sint tabulæ precum, & orationum, quæ pro temporum calamitatumque ratione, orantium vsui ex sanctæ matris Ecclesiæ instituto accommodatæ, eæque literis grandiusculis exscriptæ, loco perspicuo sint.

Ad excitandam præterea populi in stata hac oratione versantis pietatem, hoc curetur, vt aliquando quo præsertim tempore, quave hora frequens est fidelium ad eam concursus, sermo, isque breuis, ad piæ meditationis studium inflammandum appositè habeatur.

Hoc orationis tempore, in ecclesia vbi illa celebratur, fœminæ à maribus separatæ, tabulato ad instructionum præscriptum interiecto, aut saltem alio inter septo adhibito orent.

Ne sumptus huius orationis causa ad eleemosynam excipiendam vas aliquod exponatur, aut alia ratione quæratur; nisi quantum Archiepiscopi facultas dabit.

Ne noctu fœminis stata hora ad orandum aditus in ecclesiam detur.

Quòd si noctu orantes deerunt, sanctissimum sacramentum in tabernaculo reponatur.

Si fortè ex hac, vel alia causa, Archiepiscopi iussu aliquando noctu intermitti contigerit: interdiu compensetur maiori spatio.

Cum oratio noctu celebratur, nè propterea ecclesiæ ostia pateant, sed clausa, pulsantibus, & ad orandum conuenientibus etiam singulis, aperiantur.

In ecclesiis monialium cum oratio hæc celebratur, nemo prorsus noctu in illam ad orandum intromittatur. Verùm ibi sanctissimum sacramentum per noctem in tabernaculo maiori repositum, moniales solùm ab interiori ecclesia adorantes, nocturno eo tempore per statas horas in oratione perseuerent: summo verò mane iterum è tabernaculo illud depromatur.

De veteri illo, & ordinario instituto orationis quadraginta horarum per vrbis ecclesias ordine, & continenter habendæ, seruentur in conciliis, aliove modo præscriptæ regulæ.

DE SACRAMENTO Pœnitentiæ.

Rubricæ, seu instructiones.

Quid Parochus generatim doceat, horteturque populum sibi commissum.

PArochus fideles sibi commissos, quantum potest, sæpè hortetur, vt ad pœnitentiæ sacramentum, non solùm cum ex præcepto Ecclesiæ tenentur: sed quàm frequentissimè accedant. Moneat sæpius, pœnitentiæ quidem radices esse amaras, sed fructus suauissimos doceat, per pœnitentiam nos in Dei gratiam restitui, quo nihil nobis debet esse optabilius. animam quouis scelerum pondere oppressam per eam subleuari. conscientiæ pacem, & tranquillitatem. quæ omnes superat voluptates, tribui. Proinde his, aliisque fructibus propositis, & ex doctrina præsertim catechismi Romani explicatis, studeat, quotiescunque se occasio offerat, fideles ita permouere, vt ad tantum remedium beneficiumque animæ suæ comparandum frequenter sese excitent: idque ea præparatione fiat, quæ tantis fructibus digna sit, vt in spiritu humilitatis, & amaritudine animæ suæ, peccator quisque sua possit peccata deflere, & confiteri.

Ante Quadragesimam moneat fideles parochiæ suæ, qui confessionis frequentem vsum non habent, quemadmodum decreto Concilij Prouinc. V. iubetur; vt se ad confessionem parent: neque eam differant in postremos Quadragesimæ dies.

Moneat opportunè se se sacra confessione munire illos, qui eò proficiscuntur, vbi mortis periculum sit; vel vbi confessarij copiam habituri non sunt; item si rem arduam, & difficilem sint acturi. quod idem transacta re facere, ad gratias Deo purius agendas hortetur: quibus de rebus in Concilio sexto præscriptum est.

Quomodo se comparet: & nè auctoritatis suæ fines transeat.

ANimaduertet Parochus, & Confessarius, nè dum hoc sacramento vulneribus aliorum medetur, ipse telo peccati se configat. Quamobrem caueat, nè mortifero peccato inquinatus, ad sacramenti ministrationem accedat; neque item censura ecclesiastica, aut alio canonico impedimento irretitus.

Immò verò ita sanctè viuere studeat, vt pœnitentes non verbis solùm, sed exẽplis quoque ad virtutũ christianarum officia erudire possit: neque eius dicta à factis vllo modo dissentiant. quantò enim magis omni virtute, præcipuéque charitate paterna, zelóque salutis animarum ipse præcellentior erit, tantò aptius erit instrumentum bonitatis Dei.

Qùò magis autem ad omnem vitæ bonitatem sese excitet, cum sæpe numero secum ipse tacita meditatione cogitabit, cuius vicem ipse gerat, & quàm sanctæ sint suscepti ministerij sui partes: tum verò id omne attentissima contemplatione reputabit, cum ad audiendam confessionem vocabitur.

Quo tempore ita se geret, vt neque in incessu, neque in gestu, motuve alio corporis, neque etiam in vestitu videatur, nec verò in eius voce quidquam audiatur, quod non deceat virum grauem, atque adeo sanctum, quique meminerit, se tenere locum Dei.

Intimè verò, atque in corde suo humiliter de se sentiet, ita vt tanquàm in Dei conspectu cum reuerentia, & timore sancto ministerium audiendæ confessionis peragat: & animo vsque adeo se demittat, sanctéque abiiciat, vt pœnitentes, quorum confessionem audit, se meliores putet.

Ad audiendas porrò confessiones, non inani gloria, non lucri cupiditate, non curiositate, non denique vllo humano affectu ductus; sed salutis fidelium procurandæ studio inflammatus accedet.

Nec propterea quemquam pœnitentem subterfugiendi laboris causa reiiciet, ne nutu quidem, nedum verbis: immo se paratum semper, promptum, facilem, humilemque præbebit.

Ita etiam se constanter geret, vt nullus metu, aut gratia, officio suo desit.

Caueat Curatus, nè iis temporibus, quibus confessiones frequentiores esse solent, præcipuè per octo dies ante Natalem Domini, & à Dominica de Lazaro vsque ad resurrectionis octauam, etiam aliò ad funera: & alia sacra officia vocatus, illud audiendæ confessionis munus in sua ecclesia, sine causa necessaria, prætermittat, aut vllo modo differat.

Et quoniam confessionis minister, iudicis, & medici simul personam gerit: vt & quod ad iudicem attinet, ex variis peccatorum generibus, quæ grauia, quæ leuia sint, quoue modo corrigenda, pro cuiusque hominis ordine, & genere iudicare possit; & tanquàm medicus ea remedia ægroto adhibeat, quæ ad illius animam sanandam, & in posterum contra vim morbi muniendam aptiora videantur: opus est, vt is tum scientiam atque eruditionem, tum prudentiam studeat sibi, quantam potest, comparare; tum ex diuina gratia, quam assidua precatione supplex à Deo petat, tum ex auctoribus probatis, qui eam materiam piè, plenéque tractarunt.

In primis benè cognita habeat, quæ monitis, seu instructionibus in hac ecclesia editis ad Confessariorum vsum continentur.

Sacramenti igitur huius doctrinam omnem rectè nosse studebit: ita vt quæ illius ratio, qui effectus, quæ illius partes, quæ earum partium vis, & natura, peritè intelligat.

Quæ peccata mortalia, & quæ venialia cognoscat. Peccati circumstantias sciat, quæ præsertim mutant speciem peccati: & quæ in confessione explicanda sunt: quæ restituendi onus inducant.

Censurarum rationem, & vim rectè intelligat, & quibus criminibus annexæ illæ sint.

Casus reseruatos in promptu habebit; ita vt rectè sciat, qui iure canonum Summo Pontifici, qui rursus Episcopo, qui præterea in Bulla Cœnæ Domini, quique pro varietate temporum Episcopo reseruati sint.

Differentia satisfactionum pœnitentialium etiam probè noscet, ac præterea canones pœnitentiales, vt infra ordine decalogi explicatos.

Memoria tenebit casus, quibus confessio sit iteranda.

Cognitum etiam habere Confessarius omnis debet, ac præterea animaduertere, antequam ad audiendas confessiones accedat, quanta sit auctoritas potestasque iurisdictionis suæ: ita vt cum norit, & quos, & à quibus peccatis, censurisque absoluere possit, tum etiam caueat, nè facultatis suæ fines prætergrediatur.

Parochus quisque ne eorum confessiones audiat, qui alienæ parochiæ sunt, nisi facultatem eius rei habeat.

Excommunicationis latæ sententiæ pœnam recordentur Confessarij, quam subire eos decretum est in Concilio quarto, qui sine Episcopi facultate hoc Sacramentum ministrant: quique aliquem absoluere audeant à casibus Archiepiscopo reseruatis sine ipsius facultate, vt in quinto Concilio decretum est.

Ne obliuiscantur item excommunicationis illius, cui in Synodo vndecima subiecti sunt ij, qui socios criminis accedent absoluere.

Item decretum aliud memoria teneant, factum in eodem Concilio quinto in hæc verba.

Ne facultatum, priuilegiorumve iure, quæ cuicumque: etiam Rosarij, & cruce signatorum scholæ, confratriæ, collegiove, etiam laicorum, quæve collegiis, confratribusve in eo adscriptis ante, vel post Concilii Tridentini confirmationem concessa sunt, confessarius cuiusuis ordinis sit, ab iis casibus quos sibi Episcopus in sua diœcesi reseruarit, pœnitentes sine illius facultate absoluat. Si contra fecerit, suspensionem à diuinis ipso facto incurrat.

Quod idem fieri prohibitum est, etiam ex indulgentiarum literis, quæ ecclesiis concessæ sunt; Concilio prouinciali sexto.

Quæ Parochus speciatim doceat, hortetúrque facere pœnitentes in sacramento pœnitentiæ.

Pœnitens antequam ad Parochum, sacerdotemve, cui peccata confiteatur accedat, multitudinem, & grauitatem peccatorum, quibus se irretitum esse sentit, vehementer intimè dolebit, ac deplorabit, Deique misericordiam omni prece flagitabit. Proposita sibi ob oculos sanctissima Christi crucifixi, vel alia pia imagine, cor suum pro peccatis remittendis effundet, excitans, & humilians spiritum vehementer ad compunctionem.

Primò peccata omnia, præsertim grauiora, ad memoriam reuocabit: qua in recordatione excitabit deuotionem, & cordis compunctionem.

Et quò magis, & contemptum sui ipsius, abiectionem, humilitatemque, ac deuotionem, in se excitet, recensebit gemens peccata, quæ vehementius suam conscientiam angunt.

Et quò diligentius conscientiam examinet, sibi proponet ob oculos decalogum, ad cuius singula præcepta se, mores, vitamque suam accuratè contemplabitur.

Singulaque præcepta ita examinabit, vt perpendat, atque adeo videat sigillatim, si quæ contra vnum quodque præceptum, vel cogitatione, vel verbo, vel opere admiserit, commiseritve: aut rursus si quid de eo omiserit.

Aliud præterea examen conscientiæ suæ inibit ex septem peccatis capitalibus singulis, quæ item aut cogitatione, aut verbo, aut opere commiserit, aut omissione etiam.

At verò omnem examinandæ conscientiæ rationem fideles, præsertim rudes, Parochus Confessariusve aliquando docebit, prout opus esse viderit.

Cum igitur pœnitens ex singulis notatis capitibus conscientiam suam quanta potuit diligentia examinauerit; desiderio consequendæ remissionis peccatorum accensus, ad Confessarium vices Christi gerentem accedet: cui omnia, & singula peccata quæ in memoriam venerint, fideliter, & integrè exponet.

Accedet autem ad confessionem habitu demisso, & humili, ac nullo planè ornatu, & depositis armis. Si verò clericalis ordinis est, sine superpelliceo.

Ad pedes Confessarij genua ambo flectet, nullo supposito puluinario, nisi aliud necessitas postulat.

Decenter se toto corporis habitu, & situ ita se componet, vt instar supplicantis sit.

Erit capite aperto, vultu demisso, manibus iunctis, & supplicibus.

Faciem sacerdotis non spectabit, vt meminerit, se non coram homine peccatore, sed coram Deo altissimo esse: vt agnoscendo, & confitendo offensas, humiliter veniam petat.

Mulier autem penitus ita capite velato erit, vt velum densum caput operiens, demissum sit vsque ad supercilia.

Quæ in ministratione Sacramenti pœnitentiæ Parochus, & Confessarius obseruet.

AD audiendam confessionem cum accedit, ante breui precatione, qua diuinæ gratiæ lumen in eo ministerio ritè peragendo sibi postulet, tacitus vtetur: ac præterea preces adhibere poterit, quæ infra notatæ sunt.

In ecclesia, non autem in priuatis ædibus confessiones audiat, nisi ex causa necessaria, vel vrgenti: quæ cum inciderit, studeat tamen in oratorio, aut certè decentissimo loco id præstare.

Habebit igitur in Ecclesia sedem confessionalem ad præscriptum, in qua sacras confessiones excipiat: duas verò, vbi quingentarum animarum cura geritur; plures, vbi plures sunt Confessarij. quæ sedes confessionales, patenti, & conspicuo ecclesiæ loco, non autem in ecclesiæ, aut capellæ alicuius angulis constitutæ sint.

Affixa hæc sint cuique confessionali: sacra imago; literæ diei Cœnæ Domini illius anni, tabula casuum reseruatorum; orationes dicendæ ante confessionem; formula absoluendi.

Mulieres ante solis ortum, vel post eius occasum confitentes in ecclesia ne audiat: neve vllo modo extra sedem confessionalem: & medio inter eum, & mulierem intersepto.

Superpelliceo, & stola violacei coloris vtetur; nec verò vnquam stans, sed sedens audiet, & absoluet, cuiuscunque gradus sit pœnitens. neque dum pœnitentem audit, inde discedet aliò vocatus, nisi necessaria causa. Dum verò audit, non aliò, neque oculis, neque animo menteve vagabitur: sed ad pœnitentis confessionem attentus erit, illiusque peccata vnà cum eo intimè dolebit: memor sanctissimorum patrum, ac præsertim Beati Ambrosii, qui pœnitentium confessionibus audiendis lachrymas perpetuò profudit; eorum culpas simul dolendo.

Vultu, & oculis ita compositis se in sedili confessionali habebit, vt re vera ostendat, se de pœnitentis salute paternè solicitum; ita tamen vt nullo penitus signo inspectantibus indicare possit, se grauitate fortasse sceleris alicuius commoueri.

Ante confessionem Parochus Confessariusve perquirat generatim statum pœnitentis, si eum minimè norit. Tum hæc inter cætera.

Quandiu est, quòd confessus non sit.

An pœnitentiam impositam præstiterit.

An examinandæ suæ conscientiæ, antequam ad confessionem accesserit, diligentiam prout opus est, adhibuerit: alioqui differenda esset confessio.

Parochus item interrogabit, an suæ sit parochiæ, si dubitet.

Si Confessarius nihil impedimenti obstare viderit, ad confessionem veniendum erit: quæ vt fructuosior sit, rectè faciet Confessarius, si breui, & efficaci aliqua monitione prius pœnitentem præparabit, & accendet ad piè confitendum.

Confessarius quisque antequam confessionem audiat, efficiat, vt pœnitens ipso audiente recitet orationem Dominicam, salutationem angelicam, symbolum fidei, & decalogum, ad præscriptum concilij prouinc. quinti: nisi eius recitationis certis personis aliquando remittendæ facultatem habeat, vt sexto prouinc. concilio, & diœcesano vndecimo permissum est, cum ijs verò, qui ea capita recitare nesciunt, aut difficilè discere possunt, agat ad præscriptum eorundem conciliorum.

At verò omnino perquirat, si rudes quidam homines ad confessionem accedentes fidei articulos ignorent, & si opus esse viderit, eos doceat: ita vt explicitè eos, & intelligenter sciant, non autem quasi recitantes tantùm.

Testimonium eiusdem recitationis, ne tradat ijs, qui non recitarint: cum etiam regularibus falsum dantibus pœna sit suspensionis à munere audiendi confessiones, ex Synodo xj.

Pœnitens ipse omnia, & singula peccata confitebitur: eumque confitentem Confessarius adiuuabit, prout opus esse viderit.

Postea eundem ipse interrogabit, an alia peccata recordetur. demum de singulis decalogi præceptis, de septem peccatis capitalibus (si tamen expedire pro ratione personæ viderit) item de omissis, & commissis circa præcepta Ecclesiæ, opera misericordiæ, virtutes theologicas, vsum quinque sensuum.

Extra materiam peccatorum non vagabitur in confessione.

Prudens cautusque erit in interrogationibus: ne, rudibus præsertim, atque vtriusque sexus iunioribus, ad nouum, & nunquam anteà attentum scelus occasionem aperiat, atque det. hi tamen de peccatis, quorum nullam in confessione mentionem fecerunt, & in quibus probabiliter existimari possunt deliquisse, prudenti cautione interrogandi erunt: ne aut pudore, aut ignorantia celent peccata.

Studeat verò semper exquirere, si quid pœnitens norit, quod ad sanctæ inquisitionis officium sit deferendum.

Si censura, aut peccato pœnitens sit irretitus, à quo ipse non possit absoluere: ne tamen eum reijciat, sed potius iuuare studeat. qua in re, cum liceat eum à quibus potest absoluere, & pro reseruatorum absolutione mittere ad eum qui habet absoluendi facultatem; videbit tamen, vtrum animæ illius magis consulatur, si ipse absoluendi facultatem impetret coram, si fieri possit, alioqui per literas saltem, idque cautè quantum fieri possit: vt ita pœnitentem vno tempore ab omnibus peccatis absoluat.

Caueat, nè excommunicatum prius absoluat à peccatis, quàm ab excommunicatione sit absolutus.

Videat diligenter, ne quem absoluat, qui vel odium, inimicitiamve deponere nolit; vel restituere pro facultate recuset alienum: vel à statu peccati mortalis paratus non sit discedere, occasionemve similis peccati vitare: qua de re doctrinas probatas studeat rectè cognoscere, & secundùm eas sese geret.

Obseruet, si quod peccatum mortale in confessionibus præteritis studiosè subticuit, vt iterari sit opus.

In eo maximè cautus sit absoluendo, qui cum facultas adsit aliena restituendi, vel legata pia persoluendi, idque iam aliàs in confessione promiserit, præstare tamen neglexit.

Peccata quædam magis vsitata, & quæ maximo sunt fidelibus populis damno, & scandalo, studiosius persequatur: contractus, quibus vsura palliata inest, vt in cambiis, & venditionibus multis: crimen falsi testis: choreas, & spectacula; venereas amicitias; & eiusmodi.

Antequam pœnitentiam imponat, & absolutionem tribuat pœnitenti, videbit, an propter Deum veram peccatorum suorum contritionem habeat: anque certum deliberatumque ei sit, in posterum quantum in se est, diuina gratia adiuuante, à peccatis abstinere, & quæ antea commiserit, pro ijs satisfactionem persoluere. Quòd si ita animo affectum viderit, monebit, valdeque hortabitur, vt pro tanto beneficio maximas gratias Deo agat, ab eoque cœlestis gratiæ præsidium petere nunquam desinat; quo adiutus, prauis cupiditatibus facilè resistere possit.

Si verò talem contritionem illum non habere intellexerit, illius desiderio accendere conabitur, hoc admonens, propter Deum ipsum vsque adeo quantum potest, eum peccata dolere oportere, vt saltem adiutrice diuina gratia, quam à Deo intimè precetur, ex sacramentique virtute, ex attrito contritus fiat.

Quòd si pœnitens nullam contritionem, nec verò saltem attritionem, aut neque propositum abstinendi in posterum ab aliquo mortali peccato ostendet, eum minimè Confessor absoluat: sed tamen eum salutaribus consilijs: & bonis operibus præscribendis iuuet: quod idem præstet: si ante confessionem id animaduerterit; cauendo, ne quemquam asperius tractans, culpa sua inducat, vt vel desperet, vel à confessione abhorreat.

Caueat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ cautè requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solùm à sacerdotali officio deponendum, verum etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum esse, canone decretum est.

Confessionis testimonium signatum ne dare omittat peccata confessis in Pascha, vt de ea Parochis constet.

Item ægrotationis tempore, vt possit medicis ostendi: quod qui non fecerit, eum, si regularis sit, suspensionem, si alius mulctam, pecuniariam subire synodo xj. decretum est.

Confitentium nomina & cognomina Paschæ tempore in librum certum apposito die referat, vt is possit petenti Archiepiscopo ostendi.

Ne quid accipiat in sacra huiusmodi ministratione, neue arcam aut vas aliquod habeat ad eleemosynam hac de causa etiam dissimulanter excipiendam.

Si quid pecuniæ dare pœnitentes ad satisfactionis, vel pœnitentiæ opus debent, id ne sibi confessarius sumat, etiam si erogandum sit in Missæ sacris faciendis.

De cohortatione & monitione Confessoris ad pœnitentem.

Confessione audita, perpendens peccatorum quæ ille admiserit, magnitudinem: nempè qualia sint, quàm grauia, & quoties peccarit: pro eorum grauitate, proque illius qui commiserit, conditione, cohortationes, monitiones paterna charitate adhibebit, atque correptiones etiam, reprehensionesque graues, prout opus esse viderit.

Hæc porrò pœnitentem valde cohortabitur in Domino: vt in officij, aut artificij quod

exercet, aut ordinis statusve sui munere se iustè recteque gerat.

Bene, ac Christiano more viuendi regulas demonstrabit, prout opportunum esse viderit pœnitenti, præsertim patrifamilias, & omnino pro personæ illius ratione, idque etiam ex libellis eo de genere editis.

In primis, vt sanctissima sacramenta, confessionem, & communionem deuotè frequẽtet.

Quotidie, manè saltem vesperique ad præsidium orationis confugiat, in qua aliquid de passionis Domini nostri, vel alijs mysterijs meditetur: supplexque omni intima pietate Deum adoret, ei de beneficijs vniuersè speciatimque acceptis gratias agat, & facto breui conscientiæ suæ examine, ab eo tota mente totoque corde petat misericordiam ac veniam erratorum suorum; & lumen præterea, ac virtutem, quia ipse adiutus rectè ambulet, atque adeo progrediatur in via mandatorum diuinæ legis.

Docebit etiam optimum fore, si aliquem ex sanctorum numero patronum cœlestem deligat, præcipuè beatissimam Virginem Mariam matrem Dei, cuius intercessionem quotidie imploret.

Sancti etiam cuius nomen habet, exempla virtutum imitari studeat: & quorum sanctorum dies festi coluntur, cum eorum celebritas anniuersaria agitur, ab vniuscuiusque illorum vita aliquam virtutem præcipuam discat, quam sibi quoque proponat ad imitationem.

Et verò pietatis christianæ officia, atque opera charitatis, vt maximè potest, sollicitè amplectatur.

Peccata verò, atque adeo omnem peccandi occasionem fugiat: hisque fugiendis ipse pœnitenti remedia salutaria demonstrabit.

Eumdemque præterea adhortabitur, vt malorum consuetudinem deuitans, bonorum, piéque agendi studiosorum non solum familiaritate, sed consilio vtatur.

Pœnitentem vt affectum esse animaduerterit, ita opportunè, salutariterque monebit Afflictum ad patientiam hortabitur exemplo Christi Domini, & sanctorum eius. Si quem æterni supplicij commemoratione vehementer angi viderit, eum in spem diuinæ bonitatis, & misericordiæ infinitæ eriget; alium qui grauissimè peccarit, si neque contritum, neque attritum viderit; metu diuinæ iustitiæ perterrefaciet, cum eodemque aget vt supra. ægrotum verò consolabitur, vt demonstratum est in ea parte, quæ est de visitatione infirmorum.

Omnino more periti medici sciet infundere vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circunstantias, & peccati; quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad saluandum ægrotum.

Quanquam autem absolutio, quæ est forma sacramenti pœnitentiæ, consistit in illis verbis, Ego te absoluo, debet tamen confessarius alia quoque addere, vt infra suo loco in ordine notata sunt.

De modo imponendæ pœnitentiæ.

Pœnitentia imponenda, adhibebit & prudentiam, & pietatem, & iustitiam.

Habebit rationem status, conditionis, sexus, & ætatis.

Videbit, ne ei qui in aliena potestate est, eam pœnitentiam iniungat, qua vel præiudicium afferatur illius iuri; qui pœnitentem in potestate habeat: neve eam, qua vel occasio detur spiritualis ruinæ, vel pœnitentis, alteriusve peccatum detegi, vel aliquod scandalum suboriri, vel ipse pœnitens nimium deterreri, remissusve & tepidus reddi possit. Quamobrem talem imponet, qualem ab eo præstari posse iudicet. proinde aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget; an possit, anuè dubitet pœnitentiam sibi iniunctam peragere: alioquin eam mutabit, aut minuet.

Considerabit autẽ animum mentemque pœnitentis, ac fletum, gemitum, & lachrymas intimi doloris indices.

Cùm hæc Parochus, pro prudentia, charitateque sua spectabit, tum verò maximè videbit, vt ne pro peccatis grauibus leuissimas pœnitentias imponat: id quod & Confessoribus, & pœnitentibus periculosum est: cùm id à sacris literis, & à conciliorum decretis, & à sanctorum patrum sententia alienum sit. nam diuinæ literæ, ab ijs qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, *vt fructus dignos pœnitentiæ faciant.* Mat. 3. & 4.
vtque ad Dominum conuertantur in ieiunio, fletu, & planctu. Luc. 3.
Et verò qui peccatis grauibus leues quosdam pœnitentiæ modos imponunt, hi (canon inquit) *consuunt puluillos, secundùm propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.* Sess. 14. c. 8.
Immo concilium Tridentinum docet, alienorum peccatorum participes de Sacr. pœ.
fieri eos Confessores, qui dum cum pœnitentibus indulgentius agunt, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungunt.

Si quis igitur grauiter, publicéque peccarit: cum publicam pœnitentiam restituendam esse sacra Tridentina Synodus decernat; ei publicam pro ratione criminis imponet.

Si cui autem, cum publicè offenderit, pœ- Sess. 14. c. 8.
nitentia publica imponenda est, is ab ea longè decr. de ref.
refugiat; ne desistat propterea persuadere, vt suscipiat: si minus persuasionibus potest, consulat Archiepiscopum.

In peccati grauitate perpendet item, quoties admiserit: nam si quis in eodem peccati genere sæpius offenderit, dignus est, qui grauiori pœnitentia afficiatur.

Pœnitentis præterea culpas graues perpendenti, sibi ob mentis oculos proponet canones pœnitentiales, qui lumen & sibi, & pœnitenti quoque afferant; quo videant, quemadmodum pro peccati ratione, pœnitentia & imponenda, & suscipienda sit.

Eorum canonum tamen pœnitentias, vt tempora ferunt, pro charitate & prudentia sua minuet, prout peccati, & peccatoris circunstantiæ requirent: in quibus, præter eas quæ paulò ante demonstratæ sunt, rationem etiam habebit contritionis eius, qui peccauit.

Demonstrabit tamen ijs qui grauius peccarint (quò magis scelerum suorum magnitudinem agnoscant) quanta ipsis pœnitentia ex canonum regulis imponenda esset. nec verò putent sua peccata leuia esse, quia parua illa pœnitentia data est: sed hoc factum esse, ne eam, quæ pro culparum ratione iniungenda erat, deserant cum periculo salutis suæ. Proinde pœnitentes ideo hortandi erunt, vt præter pœnitentiæ opera imposita, plura etiam alia præstare conentur. iunget præterea pœnitentiam pro culpæ, & personæ ratione: Ita vt superbis humilitatis opera; carnis voluptatem sectantibus, ieiunia, abstinentiam, cilicij gestationem, pro peccati grauitate indicat: In oratione negligentibus, vt singulis diebus mane saltem, & vespere orationi vacent; feria secunda, & alijs certis ferijs pro defunctis orent; certis item definitisque diebus, deuotè visitent stationales, & præcipuæ deuotionis ecclesias, & altaria, præsertim in quadragesima, & in aduentu.

Mundi pompas, choreas, aliaque opera satanæ consectantibus, eam pœnitentiam imponet, vt in hebdomada manè certis diebus (id quod in singulos dies etiam faciendum esse grauissimè beatus Chrysostomus monet) sancta meditatione sibi proposita, solennem illam sponsionem, quam per compatres in baptismo sancte fecerunt, redintegrent, intimè Deum precando: in qua precatione, firmo stabilique animi proposito statuant, se Christo Domino adhærere, renunciaréque iterum atque iterum sæculi pompis, operibus tenebrarum, & diabolo in primis; cui se aduersarios esse & professi sunt, & profitentur perpetuò.

Pœnitentiæ genera.

Atque hæc quidem pœnitentiæ genera à sanctis viris accepta, ecclesiasticæque disciplinæ interpretibus, pro peccatorum ratione adhiberi poterunt.

Vt pœnitens vestium sericarum vsu, auri ornamento, conuiuiorum apparatu, venatione aliquo certo tempore abstineat.

Vt egentibus hominibus cibum suppeditet, ac ministret: pedes item lauet.

Vt peregrinos pro facultatum ratione hospitio excipiat.

Vt in publica domo hospitali, locove pio aliquot dies operam nauet.

Vt visitet, qui in carcere sunt, eosdem consoletur, & cum per facultates potest, alat certo præstituto tempore.

Vt se per aliquot dies in monasterium aliquod, aliumve semotum locum abdat, vbi pœnitens viuat.

Vt aliquot diebus carne, aut vino item abstineat.

Vt certis diebus, præsertim feria quarta, sexta, & sabbato ieiunet: vel etiam vescatur solùm pane, & aquæ potu vtatur. Vt certo aliquo tempore non equitet.

Vt si facultates suppetunt, certam pecuniæ, aut frumenti, aut vini quantitatem in eleemosynam pauperibus Christi conferat.

Vt genibus flexis, aut etiam brachijs extentis in modum crucis, certo tempore, & hora præfinita, ante crucem, aliamve sacram imaginem in ecclesia oret.

Vt humi aliquandiu iaceat, cubetve.

Vt flagella certis præscriptis diebus sibi adhibeat.

Vt cilicium aliquot dies induat.

Vt religiosam aliquam peregrinationem suscipiat, sanctéque conficiat.

Vt statos Psalmos pœnitentiales, aliasque pœnitentiales preces piè recitet aliquot dierum spatio.

Vt certas ecclesias, puta stationales, vel præcipuæ deuotionis visitet.

ORDO
Ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ.

Confessarius superpelliceo, & stola violacei coloris indutus, prius genuflexus orat, vt tanto possit ministerio satisfacere; tum has quoque preces adhibet pro opportunitate.

℣. *Cor mundum crea in me Deus.*

℟. *Et Spiritum rectum innoua in visceribus meis.*

℣. *Ne proiicias me à facie tua.*

℟. *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*

℣. *Redde mihi lætitiam salutaris tui.*

℟. *Et spiritu principali confirma me.*

℣. *Docebo iniquos vias tuas:*

℟. *Et impij ad te conuertentur.*

℣. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ:*

℟. *Et exultabit lingua mea iustitiam tuam.*

Oratio.

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, vt dignè possim tibi gratias agere: qui me indignum propter magnam tuam misericordiam ministrum fecisti officij sacerdotalis: & me exiguum, humilemque mediatorem constituisti ad orandum, & intercedendum ad Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, pro peccatoribus, & ad pœnitentiam reuertentibus. Ideóque dominator, qui omnes homines vis saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire qui non vis mortem peccatorum, sed vt conuertantur, & viuant: suscipe orationem meam, quam fundo pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, vt des illis spiritum compunctionis, quo resipiscant à Diaboli laqueis, quibus adstricti tenentur: vt ad te per dignam satisfactionem reuertantur. Per eundem Dominum nostrum, & cætera.

Tum sedet, vt præscriptum est. Pœnitens autem humili habitu, positis humi genibus, iunctis in modum supplicis manibus, se ad confessionem parat.

Confessarius perquirit de illius statu, & interrogat, quæ suprà sunt præscripta.

Cùm ad confessionem veniendum est, pœnitens primùm munit se signo crucis dicens:

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Deinde benedictionem ab eo petit his verbis. *Benedicite pater.* Tum Confessarius inquit: *Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, vt di-*

gnè, & competenter confitearis omnia peccata tua.

Deinde pœnitens dicit orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolum Apostolorum, & decalogum, cùm ex suprà explicatis debet.

Tum recitat confessionem generalem vsque ad ea verba: *Ideo precor*: percutitque pectus ad ea verba *mea culpa*, &c.

Confiteor Deo omnipotenti; B. Mariæ semper virgini; B. Michaëli Archangelo: B. Ioanni Baptistæ: sanctis Apostolis Petro, & Paulo, omnibus sanctis: & tibi pater: quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. quam si memoriter nescit, adiuuante, suggerenteque Confessore id præstet: & si opus est, etiam vulgari sermone.

Peccata sua exinde confitetur, adiuuante quotiescunque opus est, sacerdote: qui demum interrogat, an alia recordetur, & eius conscientiam perfectius examinat, prout conditio personæ postulat: & ad dolorem & contritionem efficacibus verbis inducere conatur.

Postremò pœnitens accusat se de oblitis, & dicit reliquum confessionis generalis.

Ideò precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaëlem Archangelum: beatum Ioannem Baptistam: sanctos Apostolos Petrum & Paulum: omnes sanctos: & te pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum. deinde pœnitentiam, absolutionemque humiliter petit.

Pœnitentiam confessarius imponit: remedia peccatorum tradit. mox si tunc absoluendus est: dicit primò distinctis verbis, vt à pœnitente audiatur, capite aperto, & manibus iunctis.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, perducatte ad vitam æternam. pœnitens respondet. *Amen.*

Deinde signum crucis dextra formans versus pœnitentem, dicit:

Indulgentiam, absolutionem, † & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. pœnitens respondet: Amen.

Deinde caput operit: manu dextra supra caput pœnitentis eleuata & extenta absoluit hac formula; & dum dicit: *In nomine Patris, &c.* crucis signum dextera format versus pœnitentem.

Dominus noster Iesus Christus te absoluat: & ego auctoritate ipsius qua fungor, absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quod incurristi, quantum ego possum, & tu indiges.

Deinde ego te absoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, † & Filij, & Spiritus sancti.

Tum sacerdos capite aperto, & manibus iunctis dicit:

Passio Domini nostri Iesu Christi: merita beatæ Mariæ Virginis, & omnium sanctorum: & quidquid boni feceris, & mali sustinueris: sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. pœnitens respondet; *Amen.*

Et confessarius dicit, *Vade in pace, & noli amplius peccare.*

Neque omittit vitæ præcepta tradere, & omnino saluti pœnitentis consulere, vt suprà explicatum est.

De absolutione ab excommunicatione.

SI certum sit aliquem incurrisse excommunicationem: & absolutionem debita pietate postulet: si Confessarius absoluendi facultatem habeat, eum forma à iure præscripta absoluet: his seruatis.

Primò, vt in magnis saltem criminibus excommunicatus iuret parere mandatis Ecclesiæ super eo, de quo est excommunicatus.

Deinde, vt pro offensa, aut damno parti satisfaciat; si, & quatenus tenetur satisfacere; & si non potest in præsenti, promittat, & caueat cautione saltem iuratoria.

Postremò eum absoluet: cuius absolutionis quamuis non sint determinata verba, hac tamen infra descripta vsitata formula & ratione vtetur.

Sed mulierem absoluendam nunquam humeros nudare iubebit, neque absoluens verberabit.

Neque etiam virum secretò confitentem, si sit in præsentia alterius. Si verò in occulto sit, aut fortè absolutio danda sit in foro exteriori, omnia seruabuntur.

Absoluendi ratio.

Pœnitentem igitur vtroque genuflexo, & manibus simul iunctis, humerisque paululum nudatis, virga, aut funiculis percutit, dicendo Psalmum quinquagesimum, *Miserere mei.* aut alium ex pœnitentialibus, cum *Gloria patri* &c.

Deinde dicit. *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, &c.* secretò.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos à malo,*

℣. *Saluum fac seruum tuum.*

℟. *Deus meus sperantem in te.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici.*

℣. *Domine exaudi orationem nostram.*

℟. *Et clamor noster ad te perueniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oratio.

DEus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram: vt hunc famulum tuum quem excommunicationis catena constrixit, miseratio pietatis tuæ clementer absoluat. Per Dominum nostrum, &c.

In qua oratione mutandum est genus, prout quis mas est, vel fœmina.

Quibus peractis eum absoluit hac formula.

Ego absoluo te à vinculo excommunicationis, & restituo communioni fidelium. In nomine Patris, † & Filij, & Spiritus sancti.

Si quando committatur confessario absolutio suspensionis, vel interdicti, quamuis nulla sint verba constituta; hac formula vtetur.

Ego absoluo te à vinculo suspensionis, vel interdicti. In nomine Patris † & Filij, & Spiritus sancti.

Canones Pœnitentiales.

Quorum cognitio Parochis, confessoribusque necessaria est, dispositi pro ratione ordineque decalogi.

PAtres docuerunt, quàm necessaria admodùm sit sacerdotibus qui in audiendis pœnitentium confessionibus versantur, canonum pœnitentialiũ scientia. Etenim si omnia, quæ ad pœnitendi modum pertinent, nõ prudentia solùm, ac pietate, sed iustitia etiam metienda sunt: certè norma hæc è canonibus pœnitentialibus sumatur oportet. Sunt nanque ij quasi regulæ quædam, quibus cùm ad culpæ commissæ grauitatem rectè dignoscendam: tum ad imponendam pro illius ratione veram pœnitentiam sacerdotes confessarij ita diriguntur, vt vbi singula, & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad pœnitentis statum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolorem pertinent, accuratè perpenderint: tum demum pœnitentiam iudicio ac prudentia sua moderentur. Atque hæc quidem, omnisque alia, quæ multiplex est huius necessariæ cognitionis ratio à patribus explicata, facit, vt quemadmodum loco suo supra dictum est, canones pœnitentiales pro decalogi ratione dispositi, in vltimam huius libri partem referantur, vnde aliqua eorum notitia ab ipsis confessarijs sacerdotibus sumi possit.

PRÆCEPTVM PRIMVM

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Pœ. R. tit. 7. c. 4. Sin. Elib. c. 22. Ans. lib. 11. c. 120.



Vi à fide Catholica desciscens, intimo, summoque præuaricationis suæ dolore affectus ad ecclesiam redierit, pœnitentiã aget annis decem. Quo temporis spatio decurso ei communio præstari debet.

Pœu. Bed. c. 9.

Qui dæmoni immolauerit, in pœnitentia erit annis item decem.

Bur. lib. 19. Pœn. R. c. 14. Sy. Laod. ca. 72.

Qui more gentilium elementa coluerit: qui vel segetibus faciendis, vel ædibus exstruendis, vel arboribus conserendis, vel nuptijs contrahendis, inanem signorum fallaciam obseruauerit: pœnitentiam aget annos duos ferijs legitimis.

Bur. ibid. Sy. Laod. ca. 72. Pœn. Rab. c. 24.

Qui ritu paganorum obseruauerit calendas Ianuarij; in pœnitentia erit annos item duos per legitimas ferias.

Bur. ibid. Pæ. Rab. ca. 25. Bur. ibid.

Qui festa gentilium celebrarit; pœnitentiam aget itidem annos duos legitimis ferijs.

Qui feriam quintam in honorem Iouis honorauerit; pœnitens pane & aqua victitabit dies quadraginta.

Pœ. Rab. ca. 25.

Qui conuiuijs gentilium, & escis immolaticijs vsus erit: publicam pœnitentiam aget.

Bur. lib. 19. tit. de sap. Syn. Elib. c. 55.

Qui comederit de idolotytho: pœnitens victitabit pane & aqua dies triginta.

Qui cum Iudæo cibum sumpserit; pœnitens erit dies decem, pane & aqua victitans.

Pœ. Rab. ca. 26. Bur. ibid. Pœ R. tit. 6. c. 2.

Qui auguriis, & diuinationibus seruierit, quive incantationes diabolicas fecerit: poenitens erit annos septem.

Bur. lib. 10. c. 8.

Mulier incantatrix poenitentiam aget annum, vel vt alio canone cauetur, annos septem.

Ivo pa. 11. c. 36.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit: poenitentiã aget dies viginti.

Pœ. R. tit. 6. c. 5. c. 1.

Qui magos consuluerit: quive domum suam induxerit, aliquid arte magica exquirendi causa: in poenitentia erit annos quinque.

Pœ. R. ibid. Pœ. R. tit. 6. c. 11. Bur. lib. 19. c. 169.

Qui ædes magicis cantionibus lustrat, aliudve tale admittit: & qui ei consentit, quive cõsulit: in poenitentia erit annos quinque.

Sy. Ancy. 23.

Qui tempestatum immissor erit: poenitentiã aget annos septem, tres in pane & aqua.

Pœ. R. tit. 6. c. 13. & 20.

Qui verò crediderit, particepsve fuerit: annum vnum per legitimas ferias.

Pœ. Bed. c. 7. Ans. lib. 11. c. 110.

Si quis ad fascinum præcantauerit; poenitentiam aget quadragesimas tres in pane & aqua.

Pœ. R. tit. 6. ca. 8.

Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit: poenitens erit annos duos per legitimas ferias.

Syn. cab. c. 5.

Si quis sortilegus erit: poenitentiam aget dies quadraginta.

Iuo pa. 11. c. 24.

Si quis in codicibus, aut in tabulis sorte ducta res futuras requisierit: poenitens erit dies quadraginta.

C. 1. de sort. Pœ. R. titu. 6. ca. 7. ca. 1 de sort.

Respiciens furta in astrolobio: annis duobus.

C. 1. de sort. Pœ. R. tit. 6. c. 6.

Si quis aliquid comederit, aut biberit, aut super se portarit ad euertendum iudicium Dei: poenitentiam aget vt magus.

Ans. lib. 11. c. 146. Pœ. R. tit. 6. c. 5. Ans. lib. 11. c. 146.

Si quis clericus, vel monachus, postquam Deo vouerit, ad sæculum redierit: poenitentiam aget annos decem, quorum tres in pane & aqua.

PRÆCEPTVM II.

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

Canones Poenitentiae.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Pœ. R. ti. 2. c. 6. 6. q. 1. c. 18. Tarr. lib. 5. c. 5.

QVicunque sciens peierauerit: quadraginta dies in pane & aqua, & septem sequẽtes annos

annos pœniteat, & nunquam sit sine pœnitentia, & nunquam in testimonium recipiatur; & post hæc communionem percipiat.

(Pœ. B. c. q. 22. q. 5. c. 2.) Si quis sciens peierat in manu Episcopi, vel presbyteri, vel diaconi, vel in cruce consecrata, altariue, pœnitentiam aget annos tres: in cruce non consecrata: annum vnum.

(Pœ. R. tit. 2 c. 1.) Qui periurium in ecclesia fecerit; pœnitentiam aget annos decem.

(Pœ. Bed c. 9 Pœ. R. tit. 2 c. 1. Bur. lib. 12. c. 4.) Qui sciens peierat Domini impulsu; pœnitens erit quadragesimas tres, & ferias legitimas. Dominus autem, quia præcepit; quadraginta dies in pane, & aqua, & septem sequentes annos.

(Pœ. R. tit. 2 c. 9. Bur. lib. 19.) Si quis sciens peierauerit, aliosque in periurium induxerit; pœnitens erit dies quadraginta in pane & aqua, & septem sequentes annos: & tot periuria ieiunabit, quot homines in periurium induxerit.

(Pœ. R. tit. 2. c. 4. Pœ. theod. Bur. lib. 12. c. 11.) Si quis suspicatur se ad periurium induci, ex consensu iurat; pœnitentiam agat dies quadraginta, & septem annos sequentes, & nunquam sine graui pœnitentia erit.

(Iuo. par. 12 c. 68. Pœ. R. tit. 2 c. 8.) Si quis per cupiditatem periurium fecerit; quadragesimam in pane & aqua ieiunet, & quamdiu viuit omnes sextas ferias, item.

(Bur. lib. 19. ti. de periu. Pœ. R. ibid. Iuo. par. 12.) Si quis per cupiditatem peierauerit; omnes res suas vendet, & pauperibus distribuet, & monasterium ingressus iugi se pœnitentia subdet.

(c. 60. Tarr. lib. 5. c. 6. 22. q. 1. c. si quis.) Si quis coactus, necessitateque aliqua impulsus periurium commiserit; in pœnitentia erit quadragesimis tribus, item.

(Pœ. R. tit. 2 c. 1.) Si quis coactus peierauerit; pœnitens quadraginta diebus pane & aqua victitet, ac præterea omnibus sextis feriis.

(Bur. lib. 12. c. 60. Iuo. par. 12 c. 6.) Si quis seductus ignorans, & postea cognoscit; pœnitentiam aget annum vnum, vel quadragesimas tres, vel dies quadraginta.

(Pœ R. ibid. c. 3. Bur. lib 19. Pœ. Bed. c. 9.) Qui compellit alium, vt falsum iuret; quadraginta dies in pane & aqua, & septem annos in pœnitentia erit.

(C. si quis. 22. q. 5.) Si quis iusiurandum, quo se Regi & Domino suo se adstrinxerit, violauerit: in monasterio pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ.

(Pœ. R. tit. 2 c. 7. Ans. lib. 11. c. 68. 22. q. 5. c. 19. Syn. Iler. c. 7.) Si quis se iureiurando obstrinxerit, vt cum aliquo litiget, nec pacem cum eo reconciliet; pœnitentiam aget dies quadraginta in pane & aqua, per annum à sacra communione segregatus: ad charitatem verò celeriter redeat.

(Pœ. R. tit. 2. c. si. 2. q. 1. c. 10. Bur. lib. 19. Rab. c. 10. 22. q. 1. c. 10) Si quis per capillum Dei, aut per caput eius iurauerit; si semel nesciens fecerit, pœnitens aqua & pane septem dies victitet: si secundò, ac tertiò monitus idem fecerit, dies quindecim.

(Pœn. R. ti. 2 Ans. lib. 11. c. 6.) Si per cœlum, aut per aliam aliquam creaturam; dies item quindecim.

(Iuo. par. 12 c. 3. 6.) Si quis blasphemat; tamdiu pœnitens erit, quamdiu impœnitens permansit.

(Ex pœ. ant. C. 2. de maled.) Si quis Deum, vel beatam Mariam Virginem, vel aliquem sanctum publicè blasphemauerit: pro foribus ecclesiæ diebus Dominicis septem, in manifesto, dum Missarum solenniæ aguntur, stet: vltimoque ex illis die sine pallio, & calciamentis, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus feriis sextis in pane & aqua ieiunet, ecclesiam nullo modo tunc ingressurus: singulis item septem illis diebus Dominicis, tres, aut duos, aut vnum pauperem pascat, si potest; alioquin alia pœnitentia afficiatur: recusans, ecclesiæ ingressu interdicatur; in obitu, ecclesiastica sepultura careat. Diues à magistratu mulctetur pœna solidorum quadraginta, alioqui triginta, seu viginti.

De hoc detestabili peccato extat sanctio Leonis Decimi Pontificis in Concilio Lateranensi sessione nona.

PRÆCEPTVM III.

Sabbata Sanctifices.

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Qui opus aliquod seruile die Dominico, festoue fecerit; pœnitentiam aget tres dies in pane & aqua. (Bur. lib. 19.)

Qui die Dominico opus terrenum fecerit, qui nauigarit, aut equitarit: dies septem pœnitentiam aget. (Ex pœ. aut.)

Si quis per contemptum in Dominica ieiunauerit; pœnitens erit hebdomadam vnam: si iterum, dies viginti; si præterea tertiùm, dies quadraginta. (Ex pœ. vet.)

Si quis ante ecclesias, vel die festo, saltationes (quas ballationes vocant) fecerit; emendationem pollicitus, pœnitentiam aget annis tribus In græco codice: Clericus deponatur, laicus excommunicetur. (Pœ. R. tit. 7 c. 1. Bur. lib. 10 c. 139. Iuo. par. 11. c. 64.)

Si quis pransus Missæ interfuerit, pœnitens erit dies tres in pane & aqua. (Sy. Trul. c. 62.)

Si quis sacram communionem sumpserit post aliquam vel minimam degustationem; pœnitentiam aget dies decem in pane & aqua. (Bur. lib. 19. tit. de irr. Bur. ibi. ca. seq.)

Si quis in ecclesia confabuletur, cùm diuina fiunt: pœnitens erit dies decem in pane & aqua. (Bur. Ibid. c. seq.)

Si quis festa Paschæ, Pentecostes, Natalis Domini (nisi infirmitate impediente) alio loco celebrarit, quàm vbi domicilium habet; pœnitens erit dies item decem in pane & aqua. (Bur. ibid. tit. de sac.)

Si quis ieiunia à sancta Ecclesia indicta violarit; pœnitentiam aget dies viginti in pane & aqua. (Pœ. R tit. 7 c. 11. Bur. lib. 10.)

In Quadragesima, carne sine ineuitabili necessitate vescens; in Pascha non communicet, ac præterea carne abstineat. (Pœ. R. tit. 7 c. 7. Sy. Tol. 8. cap. 9.)

Qui in Quadragesima ieiunium violauerit, pro vno die poenitentiam aget dies septem. (Ex iudicio can.)

Si quis ieiunium quatuor temporum non custodierit: poenitens erit dies quadraginta in pane & aqua. (Pœn. ibid. Bur. ibid.)

Qui neglexerit in quatuor his solennitatibus, die coenæ Domini, in Pascha, Pentecoste, & in Natali Domini sacram communionem sumere: aget poenitentiam in pane & aqua dies viginti. (Pœ. R. tit. 7 c. 10. Bur. b. 19.)

PRÆCEPTVM IV.

Habeas in honore parentes.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Pœn. Th. Bur. lib. 19. Pœ. R. tit. 4 c. 12.

QVi parentibus maledixerit; quadraginta dies poenitens sit in pane & aqua.

Qui parentes iniuria affecerit, tres annos.

Bur. lib. 19. c. 94.

Qui percusserit, annos septem.

Qui expulerit, tamdiu poenitens, quamdiu in impietate permanserit.

Pœn. R. tit. 6. c. 17. 24. 9. 3. c. 22. Sy. Tung. c. 5.

Si quis contra Episcopum pastorem & patrem suum insurrexerit: vno in loco, monasterio poenitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ. Addit Gratianus, vt in primis omnia bona eius proscriptione publicentur, deinde in vno monasterio &c.

Gr. 24. q. 3. c. 22. Pœ R tit. 6 c. 18.

Eadem poenitentia afficiatur, qui contra presbyterum.

Sy. Calc. c. 18. Pœ. R c. 19.

Si quis contra Episcopum pastorem & patrem suum conspirauerit, gradu suo amouebitur. Itidem si insidias tetenderit.

Pœ. R. tit. 6 c. 19. Bur. lib. 19.

Si quis in eo conspirauerit, vt Episcopi doctrinam, vel præcepta irrideat, vel subsannet, aget in pane & aqua poenitentiam dies quadraginta.

Qua poenitentia etiam afficiatur, si quis ita conspirauerit, vt eius ministrorum præcepta contemnat.

Ibidem.

Si quis item presbyteri, Parochive sui præcepta irriserit; pœnitens item erit dies quadraginta in pane & aqua.

PRÆCEPTVM V.

Non occides.

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Pœ. R. tit. 1 c. 1. Sy. Mog. c. 24. Pœ. R. c. 1. 24. Bur. lib. 6. c. 8. Iuo. pa. 10. cap. 137. Mag. sub Ambr. c. 16. Trib. c. 5.

QVi Presbyterum occiderit; pœnitentiam aget annos duodecim item.

Si quis Sacerdotem voluntariè occiderit; carne, & vino abstineat cunctis diebus vitæ suæ, quotidie exceptis festis, Dominicisque diebus, ieiunet, non equitet, non arma ferat, non ecclesiam ingrediatur quinque annis, sed pro eius foribus stet.

Post quinque annos ecclesiam ingrediatur licet: nondum verò communicet, sed inter audientes sit. Decimi anni cursu confecto, communicet, & equitet licet.

Bur. lib. 19. & lib. 17. Pœn. R. tit. 1. c. 34. Syn. Vorm. c. 26.

Qui vel ipse, vel de eius consilio, aliquem ecclesiastici ordinis hominem, aut Psalmistam, aut Ostiarium, ant Lectorem, aut Exorcistam, aut Acoluthum, aut Subdiaconum, aut Diaconum, aut Presbyterum; per singulos ordines singulariter pœnitentiam agat: pro Psalmista carinam vnam, nempè quadraginta dies in pane & aqua; pro ostiario itidem: pro lectore itidem: pro exorcista similiter: pro acolutho similiter: pro Subdiacono similiter: pro Diacono similiter. Quapropter omnis qui interfecerit voluntariè presbyterum, ita pœnitere debet, vt octo homicidia commissa, & nunquam debet esse sine pœnitentia.

Iuo. par. 10

Si quis presbyter presbyterum occiderit; pœnitentiam aget annos viginti octo.

Iuo. ibid. c. 15.

Si quis presbyterum armis contra se irruentem occiderit: poenitens erit annos decem.

Pœ. R. tit. 1 c. 13. Greg. 11. in ep. 8. Ad Bon. Mog.

Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut sororem occiderit; toto vitæ suæ tempore non suscipiat corpus Domini, nisi in obitu: abstineat à carne, & vino, dum vixerit: ieiunet secunda, & quarta, & sexta feria, item.

Ans. lib. 11. c. 51. Pœ. R. tit. 1. c. 22. Syn. vorm. c. 30. Bur. lib. 19. Iuo. ibid. 163. 164. & c. 173. ex ep. Nicolai Papæ.

Si quis parricidium fecerit; id est, patrem, aut matrem, fratrem, sororem, patruum, amitam, aut materteram occiderit: si casu, neque per iram fecerit: vt homicidii sponte commissi poenitentiam aget: si sponte, & iratus: pro foribus ecclesiæ per annum stabit Deum orans. Anno, peracto, in angulo ecclesiæ per annum item stabit. Quibus peractis, si poenitentiæ fructus in eo conspicietur, sacræ communionis particeps fiet. Carne abstinebit tota: quotidie ieiunabit præter dies festos: à vino, ceruisia, mellita abstinebit dies hebdomadæ tres. Pedibus quocunque ierit, iter faciet: armis nunquam vtetur, nisi contra paganos: vxorem si non habet, nunquam ducet, item.

Pœ. R. c. 14 tit. 1. Ans. lib. 11. c. 48.

Qui voluntariè genitorem suum, aut genitricem occiderit, extra patriam septem annis exul fiat: tunc demum vsque ad mortem cum fletu, & gemitu poeniteat. Si autem nolenti accidit, decem annis poeniteat iudicio sacerdotis.

Qui voluntariè filium suum, vel filiam suam, vel germanum, aut germanam suam occiderit: quinque annis extra metas ipsius terræ exul fiat: deinceps viginti annis poeniteat. Qui verò voluntariè auum suum, vel auiam suam, vel nepotem suũ, vel patruum, aut auunculum, seu amitam, siue materteram, aut filium, vel filiam germani sui, aut germanæ, seu consobrinum suum, siue consobrinam suam occiderit, idest à tertia vsque ad septimam: si verò tertia fuerit, duodecim annis inermis poeniteat: si quarta, vndecim annis poeniteat: si quinta, decem: si sexta, nouem: si septima, octo annis poeniteat. Si autem nolens, arbitrio sacerdotis poeniteat. Qui voluntariè patrem suum, aut matrem, vel filium, aut filiam de sancto lauacro, seu fratrem, siue sororem in Christo, aut Dominum suum, vel Dominam, seu vxorem suam occiderit; quinque annis extra metas ipsius terræ exul fiat: tunc demum quindecim annis inermis poeniteat. Si verò nolens, septem annis poeniteat. Qui vitricum suum voluntariè occiderit, aut nouercam, seu priuignum, siue priuignam, vel socerum suum, aut socrum suam, seu generum suum, siue nurum; decem annis poeniteat. Si verò nolens, quinque annis poeniteat.

Iuo. pa. 10. c. 165. Sy. Trib. c. 53.

Si quis filium non sponte occiderit: vt homicidii sponte commissi poenitentia afficietur.

Iuo. par. 10 c. 186.

Quæ mulier filios suos necarit, peracta septennali poenitentia, in monasterium detrusa monasticam vitam perpetuò regulariter aget.

Pœn. R. tit. 1 c. 16. Bur. lib. 19.

Si quæ mulier post partum filium, filiamve sponte interfecerit: poenitentiam aget annos duodecim: & nunquam erit sine poenitentia.

Paupercula si ob difficultatem nutriendi id commiserit, annos septem.

Pœ. R. tit. 1 c. 31. Bur. lib. 17. c. vlt. Ausf. Pœ. Bed. c. 3.

Si qua mulier sponte abortum fecerit; pœnitentiam aget tres annos: si nolens, quadragesimas tres: item.

Mulier partum suum perdens voluntariè ante quadraginta dies, pœnitens erit annum: si verò post quadraginta dies, annos tres: si verò postquam editus est in lucem, tanquam homicida.

Pœ. R. c. 17 28. Bur. lib. 17. c. 53. Iuo. pa. 9. c. 183. & par. 10. c. 183. Pœ. R. lib. 1 c. 29. Bur. lib. 17. c. 58. & lib. 19. Pœn. R. tit. 1. c. 31. Ausf. lib. 11. cap. 41. 42. Pœ. Bed. c. 2.

Quæ sceleris occultandi causâ filium necarit; pœnitentiam aget annos decem.

Qui nolens filium oppresserit; si post baptismum, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane & aqua, oleribus, ac leguminibus: abstinebit ab vxore dies totidem. Deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias: tres præterea quadragesimas in anno obseruabit. Si ante baptismum, quadraginta dies vt suprà, & quinquennii prætereà pœnitentiam explebit.

Cuius paruulus sine baptismo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat; vnum in pane & aqua. Infans infirmus & paganus si commendetur presbytero: si moritur absque baptismo, deponatur: & si per negligentiam parentum fuit, annum vnum pœniteat.

Ex pœn. Thc.

Cuius filius sine confirmationis sacramento moritur; parentes, quorum negligentia id factum est, pœnitentiam agent annos tres.

Pœ. R. tit. 1. c. 32. Bur. lib. 17. c. 57. c. vlt. de hom.

Si quis explendæ causâ libidinis, vel odii meditatione, vt non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid secarit, vel ad potandum dederit, vt non posset generare, aut concipere; homicida teneatur.

Pœ. R. tit. 1 c. 11. Grat. 33. q. q. 2. c. 8. Bur. lib. 6. c. 40. Iuo. pa. 8. c. 126.

Occidisti vxorem tuam, legitimo matrimonio sociatam, sine causa mortis; non tibi resistentem, non insidiantem quoquo modo vitæ tuæ: non inuenisti eam cum alio viro nefariam rem facientem: sed incitatus à diabolo, impio inflammatus furore, latrocinii more, atrocior & crudelior omni bellua, eam gladio tuo interemisti. Et nunc post mortem eius addis iniquitatem, filiorum tuorum improbe prædo: qui matri non pepercisti, & filios tuos ideo orphanos fecisti, vt superinduceres mortis causam post mortem. Et per vnum homicidam, & reprobum testem incusare vis mortuam, hoc nec Euangelium, nec vlla diuina, humanaque lex concedit, vt vnius testimonio etiam idoneo aliquis condemnetur, vel iustificetur.

Quantò magis per istum tam flagitiosum & scelestum, nec illa viua debuit condemnari; nec tu poteris post eius mortem excusari. Prius causa criminis subtiliter erat inuestiganda; & tunc si rea fuisset inuenta, secundùm legis tramitem debuit excipere vltionis vindictam. Nam & si verum (quod absit) fuisset, sicut ille adulter mentitus est; post septem annos pœnitentia peracta dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses: occidere eam nullatenus debuisti. Duo consilia proponimus tibi: accepta tecum deliberatione duorem elige magis quod placeat, & miserere animæ tuæ: & tu hic in isto angusto tempore positus, ne sis tu ipse tuimet homicida, & in æternum pereas. Relinque hoc malignum sæculum, quod te traxit ad tam immanissimum peccati facinus; multorum fratrum precibus adiutus obserua cuncta simplici animo, quæ tibi ab Abbate fuerint imperata, si fortè ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis. Istud consilium, vt certissimè scias, leuius, ac salubrius esse; vt sub alterius custodia lugeas deflenda peccata. Secundum autem consilium tale est. Arma depone, & cuncta sæcularia negotia dimitte. Carnem, & sagimen omnibus diebus vitæ tuæ nō comedas, excepto vno die Resurrectionis Domini, & vno die Natalis Domini. Cæteris temporibus in pane & aqua, & interdum leguminibus, & oleribus pœniteas. In ieiuniis, & vigiliis, & orationibus, & in eleemosynis perseuera omni tempore. Vinum, & medonem, & mellitam, & ceruisiam nunquam bibas; nisi in illis prædictis tribus diebus. Vxorem ne ducas, concubinam non habeas, adulterium non facias, absque coniugio in perpetuo permaneas. Nunquam te in balneo laues, equum non ascendas, causam tuam & alterius in conuentu fidelium non agas. In conuiuiis lætantium nunquam sedeas: in ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium humiliter stes, ingredientium, & egredientium orationibus te suppliciter commendes. Communione Sacri Corporis, & Sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes; in vltimo termino vitæ tuæ pro viatico (si obseruaueris consilium) vt accipias, tibi concedimus. Sunt & alia multa duriora, quæ tibi iuxta pondus tanti facinoris essent adiicienda, sed si hæc omnia, quæ supra misericorditer dicta sunt, perfecto corde Deo auxiliante perfeceris, & custodieris; confidimus de immensa clementia Dei, remissionem tuorum peccatorum te habiturum; & secundùm boni iustique pastoris imperium resoluat te sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, vt per ipsius gratiam, qui eam suo sanguine redemerat, sis solutus in cœlis. Sin autem aliter feceris, & sanctæ matris Ecclesiæ salubre consilium despexeris, ipse tibi sis iudex, & in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, maneas: sanguisque tuus sit super caput tuum, & sub indissolubili anathemate permaneas: donec Deo, & sanctæ Ecclesiæ satisfacias.

Si mulier maritum suum causa fornicationis veneno interfecerit, aut quacunque arte perimere facit: quia Dominum & seniorem suum occidit, sæculum relinquat, & in monasterio pœniteat. Pœ. R. tit. 1. c. 12. Bur. lib. 6. c. 39. Iuo. p. 10. c. 168.

Qui mortem sibi consciuerit: pro eo nulla in Missa commemoratio fiat, neque cum psalmis eius cadauer sepeliatur. Gr. 23. q. 5. c. 12. Bur. lib. 19. c. 30.

Si quis spontè hominem occiderit: ad ianuam ecclesiæ semper erit: & in obitu communionem recipiat. Si casu necarit, pœnitentiam aget annos septem, ex alterius canonis præscripto annos quinque. Iuo. par. 10 c. 186. Par. 10. cap. 145.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc scelus patrare potuerit: vt homicida pœnitentia afficietur.

Alius canon de homicidio voluntario.

Si quis homicidium sponte commiserit, vel odio, vel possidendæ hæreditatis causa: primò ieiunet in pane & aqua, deinde pœnitentiam agat annis septem. Primo anno post illos quadraginta dies, à vino, caseo, pisce abstinebit. In secundo, & tertio similiter ieiunet: ter-

tiam autem, & quintam feriam, ac Sabbatum redimere potest. Reliquis quatuor annis ieiunabit in singulis tres quadragesimas; primam ante Pascha, alteram ante diem festum Sancti Ioannis Baptistæ, tertiam ante Natiuitatem Domini.

Pœ. R. tit. 1 10. Bur. lib. 16. c. 32. Si quis fecerit homicidium pro vindicta parentum, ita pœnitentiam aget, vt homicida voluntarius. Itidem pro vindicta fratris.

Pœ. Bed. c. 3. Qui pro vindicta fratris, annum vnum, & in sequentibus duobus annis, tres quadragesimas, & legitimas ferias.

Pœn. Bed. c. 3. Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necarit; pœnitentiam aget annos tres.

Bed. ibid. Si quis iussu Domini homicidium perpetrarit; dies quadraginta in pane & aqua, & præterea septem annos sequentes per legitimas ferias ieiunabit.

Bur. lib. 19. c. 5. Qui in bello publico iussu principis legitimi tyrannum interfecerit; pœnitens erit tres quadragesimas per legitimas ferias.

Bur. ibid. Qui liber iubente maiore suo innocentem occiderit; pœnitentiam aget annum vnum, & sequentes duos, tres quadragesimas, & legitimas ferias.

Qui homicidii auctor fuit ob consilium quod dedit; erit in pœnitentia quadraginta dies in pane & aqua, cum septem sequentibus annis.

Qui insidiatus est alicui, vt ab aliis occidatur, licèt ipse non occiderit; pœnitentiam agat quadraginta dies in pane & aqua & septem sequentes annos obseruabit.

Pœ. R. c. 15. Bur. lib. 19. c. 9. de accu. Qui accusarit aliquem, ob eamque accusationem occisus est: quadraginta dies in pane & aqua cum septem sequentibus annis in pœnitentia versari debet. Sin autem ob accusationem debilitatus est; tres quadragesimas pœnitebit per legitimas ferias.

Qui insanus homicidium perpetrarit; leuiorem pœnitentiam explebit.

Pœ. R. c. 25. Bur. lib. 6. c. 20. Qui publicè pœnitentem occiderit, tanquam de homicidio sponte commisso duplicem pœnitentiam aget.

Iuo. pa. 10 c. 49. Pœ. R. c. 24 Qui furem, aut latronem interfecerit; quadraginta dies ab ecclesiæ ingressu abstinebit: & præterea in tertia feria, & in sexta, & Sabbato ieiunabit.

Pœ. R. c. 3. Bur. lib. 16. c. 6. Si quis casu homicidium fecerit; pœnitens erit quadraginta dies in pane, & aqua: his peractis, biennio ab oratione fidelium segregatus non communicabit, neque offeret. Post biennium, in communionem orationis suscipietur: offeret autem, non tamen communicabit. Post quinquennium ad plenam communionem recipietur: à cibis abstinebit arbitratu Sacerdotis.

Bur. lib. 19. Qui hominem tanquam feram aliquam latentem inopinatò occiderit; quadraginta dies pœnitentiam aget in pane & aqua; & quinque sequentes annos arbitratu Sacerdotis.

Pœ. R. tit. 1 c. 15. Bur. lib. 6. c 42. 23. q. 8. vlt. Si plures homines vnum per rixam adorti occiderint quicunque eorum plagam ei inflixerit, tanquam homicida pœnitentiam aget.

Pœ. R. tit. 1 c. 17. Ans. lib. 11. c. 34. Qui homicidio, quod postea factum est, consenserit; pœnitentiam aget annis septem: tres in pane & aqua. Sin autem voluerit, nec verò potuerit; tres tantùm annos. Si quis nolens homicidium patrarit, pœnitebit quinque annis, & duobus in pane & aqua.

Si quis aliquem vulnerauerit, vel ei aliquod membrum præciderit; pœnitentiam aget vno anno per legitimas ferias: sique cicatrix grauis est, vt vulneratum deformem reddat; quadraginta etiam dies pœnitebit in pane & aqua. Pœ. R. tit. 1 c. 23. Bur. lib. 19. Ans. lib. 11. c. 62.

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit; tridui pœnitentiam aget in pane & aqua: clericus, vnius anni & mensium sex. Pœ. R. tit. 4 c. 19.

Si quis aliquem per iram percutiens debilitauerit; soluta medicamenti impensa, si laicus est, pœnitens erit quadraginta dies in pane & aqua; si clericus, duas quadragesimas: si diaconus, septem mensibus: si presbyter, vno anno. Pœ. R. tit. 1 c. 16. Ans. lib. 11, c. 36.

Si quis Episcopus homicidium fecerit; in pœnitentia sit quindecim annis, dignitatisque gradu amoueatur, vitæque suæ cursum peregrinando conficiat. Presbyter pœnitens erit annos duodecim: quatuor ex his in pane & aqua: & Sacerdotii gradu priuetur: Diaconus annos decem: tres ex his in pane & aqua: clericus inferioris ordinis, annos septem, tres in pane & aqua. Pœ. R. tit. 1 c. 16. Ans. lib. 11. c. 33.

Si quis fratri suo quem oderit, reconciliari non vult: tamdiu in pane & aqua pœnitentiam aget, quoad reconcilietur. Bur. lib. 10. c. 60.

PRÆCEPTVM VI.

Non furaberis.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QVi furatus est aliquid de ecclesiæ supellectili, vel thesauro: quod sustulit, reddet, & tres carinas cum septem sequentibus annis pœnitebit. Pœ. R. tit. 4 c. 14. Bur. lib. 19.

Qui sacras reliquias furatus est, illis restitutis septem carinas ieiunabit. Ibidem.

Pecuniam ecclesiasticam furatus, quadruplum reddet: si quid item de ministerio ecclesiæ aliquo modo surripuerit, pœnitens erit annos septem. Pœ. R. tit. 4 c. 1. Bur. lib. 11. c. 17.

Si quis vel ecclesiasticas oblationes rapuerit, vel rapientibus consenserit: quadruplum restituet, & canonicè pœnitens erit.

Sacrilegus, rerumve ecclesiasticarum inuasor, vno anno extra ecclesiam Dei maneat: secundo anno pro foribus ecclesiæ sine communione maneat: tertio anno in ecclesia inter audientes sit sine oblatione: carne, vinoque abstineat, præterquam in Pascha, & die Natali: quarto anno, si fructuosus triennio pœnitentiæ fructus extiterit, communioni fidelium restituatur, ea lege, vt spondeat, se in posterum tale quidquam non commissurum; præterea sine esu carnis, & potatione vini, vsque ad septennium pœnitens permanebit. 12. q. 2. 17. Ex ep. Nicolai Papæ. ad Frontarium Arch. Burdeg.

Qui ecclesiam incenderit, illam restituet, pœnitentiamque aget annos quindecim, & pretium det pauperibus. Itidem qui incendio consenserit. Pœ. R. tit. 4 c. 17. Bur. lib. 19. 17. 9. 4. c. 14 Iunon. pauor. c. 16.

Si quis malo studio, vel odio, vel vlciscendæ

Ian. 11. in Sy. R. c. 8. 23. q. 8. c. 32 pœ. R. tit. 8. c. 17. iniuriæ causâ, incendium commiserit, committive iusserit, curauerit, aut incendiario auxilium, vel consilium scienter dederit excommunicabitur: si mortuus erit, Christiana sepultura carebit. Nec verò absoluetur, nisi damnum pro facultatibus resarciuerit; iuretque, se in posterum tale facinus nuquam admissurum. Pœnitentia præterea hæc ei constituetur, vt Hierosolymis, aut in Hispania, in seruitio Dei totum annum permaneat.

Pœ. R. tit. 4 c. 7. Iuo. pa. 13. c. 44. Si quis sepulchrum violauerit; pœnitens erit annos septem: è quibus tres in pane & aqua.

Bur. lib. 10. Qui sepulchrum infregerit, vt defuncti sepulti vestimenta furaretur, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Bur. lib. 19. de obl. Pœ. R. tit. 1 c. 16. Qui de oblationibus, quæ ecclesiis factæ sunt, aliquid retinuerit: poenitens erit dies quadraginta in pane & aqua.

Bur. ibid. Pœ. ibid. cap. 8. Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit; quadruplum restituet, & poenitentiam aget dies viginti in pane & aqua.

Pœ. R. tit. 1. c. 31. Qui hospitalis domus administrator aliquid de administratione subtraxerit, restituet quod abstulit; poenitensque erit annos tres.

Bur. ibid. Pœn. cap. 9 Qui pauperem oppresserit, eiusque bona abstulerit: reddet ei suum, & poenitens erit dies triginta in pane & aqua.

Clericus furtum capitale faciens: septennii poenitentiam explebit, laicus quinquennii: & quod furatus est reddat.

Pœ. R. tit. 4 c. 4. c. 5. de fur. Si quis per necessitatem, cibum, vel vestem furatus sit; in poenitentia erit hebdomadas tres: si reddiderit, ieiunare non cogitur.

Bur. lib. 19. Qui fregerit noctu alicuius domum, aut aliquid auferet: pretium reddet, & poenitentiam aget annum in pane & aqua: si non reddit, annos duos.

1. Idem. Si quis furtum de re minori semel, aut bis fecerit; restituta re, poenitentiam aget annum vnum.

Pœ. R. tit. 9 c. 4. 14. q. 1. c. 6. Qui rem inuentam non reddit, furtum committit: idcirco tanquam de furto poenitentiam aget.

Pœ. R. tit. 9 c. 4. Si quis vsuras accipit, rapinam facit: ideoque quicunque illam exegerit, poenitentiam aget annis tribus, vno in pane & aqua.

PRÆCEPTVM VII.

Non mœchaberis.

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Pœ R. tit. 3. c. 1. Bur. lib. 19. tit. de for. SI laicus solutus cum foemina soluta concubuerit, poenitens erit annos tres: & quantò sæpius, tantò maiori poenitentia afficietur.

Syn. Mel. c. 7. Itidem, qui cum ancilla coierit.

Sy. Mog. c. 9. Poen. R. 16. c. 2. Vxor, conscio viro moechata, ne in obitu quidem communicabitur: si dignam poenitentiam egerit, post decem annos sacram communionem sumet.

Bur. lib. 9. c. 69. Si quis vxorem nolentem adulterium perpetrare coëgerit: poenitentiam aget dies quadraginta in pane & aqua, & septem præterea annos, è quibus vnum in pane item & aqua.

Si quis coniugem fornicari consenserit; diebus omnibus vitæ in poenitentia erit arbitrio periti sacerdotis. Ex poe. ver.

Vir solutus, si cum alterius vxore adulterium commiserit: poenitentiam aget annos septem: mulier quinque. Sy. Nan. c. 14. Iuo. par. 8. c 207.

Mulier soluta, cum alterius marito adulterium patrans, poenitentia afficietur decennali: ille quinquennali. Bur. lib. 9. c. 70. Ibidem.

Si quis maritus semel lapsus est, poenitentiam aget annos quinque. Syn. Elib. c. 69.

Si sæpius moechatus est, in fine mortis est conueniendus: sique promiserit se cessaturum, dabitur ei communio. Poe. R. tit. 3 c. 4. Bur. lib. 9. c. 67.

Qui sæpè fornicatur, laicus cum laica, poenitentiam aget tres annos. Syn. Elib. c. 4.

Si quis vxorem simul & concubinam habuerit; in poenitentia erit annos septem, & amplius pro ratione culpæ. Pœ. Bed. c. 21. Ex Concil. Tol. 1.

Maritus si ancilla concubina vtitur, poenitentiam aget annũ vnum, quadragesimas tres, & legitimas ferias tribus mensibus. Illa si inuita violatur quadraginta dies; si consentiens, quadragesimas tres, & legitimas ferias. Pœ. ibid.

Qui cum vxore sua turpiter concubuerit, poenitens erit quadraginta dies. Pœn. R. c. 10.

Si quis adolescens cum virgine peccauerit, poenitentiam aget annum vnum. Pœ. Bed. c. 1.

Qui puellam, aut mulierem libidinosè obtrectauerit, si clericus est, quinque dies poenitentiam aget: monachus, vel Sacerdos, à ministerio suspensus. poenitens erit dies viginti. Pœ. R. c. 17 Bur. lib. 19.

Si quis in balneis cum muliere se lauauerit, poenitentiam aget triduò. Bur. lib. 19. c. 138.

Qui concupierit virginem, quam postea vxorem duxerit; poenitentiam aget annum vnum per legitimas ferias: si verò non duxerit, annos duos per legitimas ferias. Bur. ibid. Pœ. R. c. 20.

Si quis mulierem alii desponsam in matrimonium duxerit; eam dimittet: & poenitens erit quadraginta dies in pane & aqua, cum septem annis sequentibus. Pœ. R. ibid.

Vidua quæ stuprum admiserit, poenitentiam aget annum totum, & præterea in altero anno dies ieiuniorum. Pœn. Bed. c. 2.

Si quis cum vxoris suæ sorore per imprudentiam fornicationem admiserit; poenitentiam sibi indictam aget, si probauerit se tale scelus inscienter fecisse. Pœ. R. c. 5.

Cum duabus sororibus fornicatus, poenitentiam aget toto suæ vitæ tempore: item. Pœn. R. tit. 3. c. 7.

Qui cum duabus sororibus, vel cum nouerca, vel cum sorore sua, vel cum amita, vel cum nuru, vel quo denique incestum admiserit: ab ingressu ecclesiæ abstinebit annum vnum: quo anno præter festos dies, pane solùm & aqua vtetur, arma non feret, osculum nemini præbebit, sacram communionem nisi pro viatico non sumet; sex deinde annis ecclesiam ingredietur, sed carne, & vino, & sicera non vtetur, nisi festis diebus. Postea verò duobus annis quando carne vescetur, à potu vini abstinebit: quòd si biberit, carne non vescetur, nisi Dominicis diebus, & præcipuis festis: deinde vsque ad obitum perpetuò præter festos dies à carne abstinebit. Tres legitimas ferias singulis hebdomadis ieiunabit, & quadragesimas tres singulis annis legitimè custodiet. Sy. Mog. c. 3. Bur. lib. 17. c. 8. Iuo. p. 9. c. 70. Tart. lib. 5. c. 30.

Pœ. R. c. 14 Bur. lib. 19. c. 21. Qui incestum fecerit, ei alii annorum duodecim, alii quindecim, alii decem, alii septem pœnitentiam constituunt.

Pœ. R. tit. 8 c. 3. Quicunque sacerdos spiritualem filiam violauerit, dignitatis honorem amittet, & perpetuam pœnitentiam aget.

Pœ. R. tit. 8 c. 4. Qui item Sacerdos hoc facinus admiserit, omni muneris sui functione mulctatus, pœnitentiam etiam peregrinando aget annos quindecim: deinde in monasterium abiens toto vitæ tempore ibi Deo seruiet, fœmina autem res suas in eleemosynam pauperibus conferet, in monasterióque Deo seruiet omnibus vitæ suæ diebus.

C. si quis sacer. 30. q. 1. Cap. deuotam 27. q. 1. Pœ. R. tit. 8. c. 6. Grat. dist. 82. c. vlt. Ans lib. 8. c. vlt. Bed. .. 8. in pœn. Si Episcopus hoc admiserit, pœnitentiam aget annos quindecim.

Qui monialem violarit, pœnitens sit annis decem.

Presbyter si fornicationem admiserit, sponte confessus pœnitentiam aget annos decem hoc modo: tribus mensibus à cæteris remotus pane & aqua ieiunabit, diebus autem festis modico vino, pisciculis, & legumine vtetur; sacco indutus humi cubabit, diu noctuque misericordiam Dei implorans. Deinde vnum annum & sex menses in pœnitentia, ieiunioque panis & aquæ explebit, præter festos dies, in quibus vino, & sagimine, caseo, ouisque canonicè vti poterit. Finito primo anno & dimidio sacræ communionis particeps fiet, psalmos in choro vltimus canet, officia minora geret.

Postea verò quàm septimum pœnitentiæ annum expleuerit, omni quidem tempore præter paschales dies singulis hebdomadis per legitimas ferias in pane & aqua ieiunabit. Expleto septennio, vsque ad finem decimi anni sextam feriam in pane & aqua ieiunabit.

Pœ. R. tit. 3. c. 17. & 19. Bur. lib. 17. c. 1. Qui cum brutis coierit; pœnitentia afficietur annorum decem, & diuturniori etiam pro personæ conditione.

Pœn. R. tit. 3. c. 18. Bur. lib. 17. c. 34. Iuo. par. 9. c. 92. Tur. lib. 1. c. 33. Qui contra naturam coierit; si seruus est, scopis castigabitur, & pœnitebit annos duos: si liber est, & matrimonio iunctus, annos decem: si solutus, annos septem: pueri dies centum: laicus matrimonio coniunctus si in consuetudine habet, annos quindecim: si clericus, de gradu amotus, vt laicus pœnitentiam aget: qui cum fratre tale scelus admiserit, ab omni carne abstinebit, pœnitensque erit annos quindecim: si clericus diuturniori, & grauiori pœnitentia afficietur.

Pœ. R. tit. 3 c. 15. Bur. lib. 17. c. 27. Mulier in se, aut cum altera fornicans, pœnitentia afficietur duorum annorum. Vir se inquinans primò, dies decem; si iterum, dies viginti: si tertiò, dies triginta; sique nefariè agere perget, pœnitentiæ accessio ei fiet: si puer, dies quadraginta: si maior quindecim annis dies centum.

Pœ. R. tit. 3 c. 23. Puer paruulus oppressus à maiore, hebdomadam ieiunabit: si consenserit, dies viginti: si coinquinatus erit, dies centum: si voluntatem suam expleuerit, annum vnum.

Pœ. Bed. c. 2. Qui complexu fœminæ, vel osculo polluitur; pœnitentiam aget dies triginta; qui contactu inuerecundo, menses tres.

Pœ. R. tit. 3. c. 23. Qui concupiscit mente, sed non potuit; dies decem pœnitentiam aget.

Pœ. R. tit. 3 c. 9. Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, nec verò peccare voluit; pœnitentiam aget dies viginti: si verò impugnatione tentationis, & cogitationis inquinatur, pœnitebit item dies viginti. Bur. lib. 19.

Quicunque lenocinium exercuerit, pœnitentiam aget annos duos per legitimas ferias, item.

Sy. Elib. c. 12. Qui hoc facinus admiserit, sacram communionem non accipiet, nisi in fine.

Ex Syn. Rom. Si quæ mulier cerussa, aliove pigmento se oblinit, vt aliis viris placeat; pœnitentia afficietur annorum trium.

PRÆCEPTVM VIII.

Non falsum testimonium dices.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Bur. lib. 19. tit. de fals. test. Pœ. R. tit. 6 c. 13. QVi affirmarit verum, quod falsum est; pœnitentiam aget vt adulter; vt homicida, qui sponte id facinus admiserit.

Pœ. R. tit. 2 c. 12. Qui falso testimonio consenserit; pœnitens erit annos quinque.

Qui proximo falsum crimen obiicit, pœnitentia afficitur vt falsus testis.

Bur. lib. 19. c. 117. Pœ. R. tit. 1 c. 26. Qui proximo peccatum imputarit, priusquam seorsum eum arguerit; primùm illi satisfaciens, pœnitentiam aget tres dies.

Bur. lib. 10. c. 56. Si quis contra proximum linguâ lasciuus erit, triduana pœnitentia expiabitur.

Syn. Nag. c. 8. Si quis murmurauerit, iudicio Sacerdotis pœnitentiam aget pro culpæ grauitate.

Bur. lib. 10. c. 12. Idem ibid. c. 26. Si quis conuitium manifestum fratri intulerit, diuturna expiabitur pœnitentia pro modo peccati.

Ibidem 65. Si quis facilè detraxerit, falsumque in hoc dixerit; pœnitens erit dies septem in pane & aqua.

Bur. lib. 19. Pœn. tit. 7. c. 14. Qui falsitatem, fraudemve in ponderibus, & mensuris admiserit; pœnitens erit in pane & aqua dies viginti.

Falsarius, in pane & aqua pœnitentiam agat quandiu viuit.

PRÆCEPTVM IX.

Non concupisces rem proximi tui.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Pœ. Bed. c. 7. REm alienam nefariè concupiscens, auarusque pœnitens erit annis tribus.

Qui aliena furari concupiscit, furtum est: qui item aliena rapere cupit, rapina est: qui res ecclesiæ furari appetit, sacrilegium est: ideo cùm nefariè concupiscendo grauiter peccet, vt peccati mortalis pœnitentiam aget Sacerdotis arbitratu.

Qui rem aliquam proximi pretiosam inuenire cupit, vt illam sibi retineat: mortale peccatum concipit, cuius pœnitentiam aget, vt suprà dictum est de furto.

PRÆCEPTUM X.
Non desiderabis vxorem proximi tui.

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Pœ. theod. Pœ. R. tit. 3 c. 25. Ans. lib. 10. c. 119. SI quis concupiscit fornicari; si Episcopus, pœnitens erit annos septem, si presbyter, quinque: si diaconus, vel monachus, tres, è quibus vnum in pane & aqua: si clericus, aut laicus, annos duos.

Pœ R. tit. 3 c. 11. Si quis in somnis ex immundo desiderio polluitur; surgat, & cantet septem psalmos pœnitentiales: & dies triginta pœniteat.

Ibidem. Si clericus, aut laicus ex mala cogitatione, concupiscentiaque semen effuderit; pœnitens erit dies septem.

CANONES POENITENTIÆ.
De septem peccatis capitalibus.

CApitalia peccata, quæ principalia etiam vocantur, vt potè è quibus omnia vitia principium habent: sunt, superbia, vana gloria, auaritia, luxuria, inuidia, ira, gula, & accidia.

33. q. 2. c. 11 Pro capitali mortalique crimine pœnitentia septem annorum indicitur, nisi peccati grauitas, & personæ status seueriorem, diuturnioremque poenitentiam requirat.

Pœ. Bed. c. 5 Pro capitali crimine pœnitentiam aget laicus annos quatuor, clericus quinque, subdiaconus sex, diaconus septem, presbyter decem, Episcopus duodecim.

Sed demonstratæ iam paulò ante sunt pœnitentiæ, quæ ex canonum disciplina constituuntur ferè pro peccatis mortalibus, quæ ex his septem capitalibus vitiis originem trahunt. Pro gulæ autem vitio sunt hi præcipui pœnitentiæ canones.

CANONES POENITENTIÆ.
De gula & ebrietate.

Theo. in Pœn. SAcerdos imprudenter ebrius factus, pane & aqua pœnitentiam agat dies septem: si negligenter, dies quindecim: si per contemptum, dies quadraginta.

Bur. lib. 14. cap. 8. Iuo. pag. 13 cap. 76. Diaconus, & alius clericus ebrius factus, arbitrio sacerdotis pœnitens erit.

Monachus ebrius, pane & aqua mensibus tribus: si clericus, viginti dies.

Laicus ebriosus grauiter arguatur, & pœnitentiam agere à Sacerdote cogatur.

Qui humanitatis gratiâ alium inebriare cogit, pœnitentiam aget dies septem: si per contemptum dies triginta.

Qui ad bibendum inuitat plus quàm naturæ satis est, pœnitentiam agat.

Bur. lib. 14. cap. 13. Iuo. pag. 13 cap. 81. Qui pro ebrietate & crapula vomitum fecerit, si presbyter, aut diaconus, pœnitentiam agat dies quadraginta.

Si monachus, aut clericus, dies triginta.

Si laicus, dies quindecim.

Si laicus itē, à vino, & carne abstineat dies tres.

Si quis gulæ causa ante horam legitimam ieiunium fregerit; duos dies pœnitentiam aget in pane & aqua. Ex pœnit. ant.

Si quis nimio cibo se ingurgitauerit, vt inde dolorem senserit; vnum diem pœnitentiam in pane & aqua. Ex eodem.

CANONES POENITENTIÆ.
De variis peccatis.

SI quis Sacerdos Missam canit, neque communicat; per annum poenitentiam agat, nec verò interea celebret. C. Relatum de consecr. distin. 2.

Sacerdos excommunicatus, si celebrat; tribus annis poenitens sit, hebdomadisque singulis feria secunda, quarta, & sexta, à vino, & carnibus ieiunet. cap. Si quis 17. quæst. 4

Sacerdos, Sacerdotii sui gradu ordinéque in perpetuum amotus, si celebrare audet, priuatur communione Corporis & sanguinis Iesu Christi vsque ad vltimum diem, & in excommunicatione est, viaticum tantùm in fine sumens. C. Accedēs; distinct. 50

Si gutta Sanguinis Christi in terram cadit; Sacerdos in poenitentiâ sit quinquaginta diebus; si super Altare, & ad pannum vnum transit, diebus duobus; si vsque ad pannos duos, diebus quatuor: si vsque ad tres, diebus nouem: si vsque ad quatuor, viginti diebus. C. Non oportet. 30. q. 3. c. si per negligentiam, de consecra. distin. 2.

Si incautè dimisit, quamuis nil nefandi acciderit; tribus mensibus à sui muneris administratione amouetur.

Qui per ebrietatem Eucharistiam euomit; si laicus est, quadraginta diebus, si clericus, sexaginta; si Episcopus, nonaginta diebus; si infirmus, poenitentiam agat diebus septem. Cap. Si quis per ebrietatem, de consecra. dist. 2.

Scienter rebaptizatus, si propter hæresim hoc sceleris admittit, poenitentia afficiatur septem annorum, quarta, & sexta feria ieiunans, & tribus item Quadragesimis pane & aqua.

Si verò pro munditia hoc facere putarit; eum poeniteat tribus annis, quòd si ignoranter; non peccat: sed ideo non promouendus, licet sit excellens.

Si Episcopus, presbyter, diaconusve spontè est rebaptizatus; quamdiu viuit, poenitens sit. Alii verò clerici, & monachi, & moniales, ab hæreticis volentes rebaptizari, poenitentiam agant duodecim annos. C. Eosquidē, que, de cōsecr. dist. 4.

Sacerdos qui interest clandestinis desponsationibus, per triennium ab officii sui administratione amouetur. Cap. Si qua. 31. quæst. 1.

Sacerdos, qui palliis altaris mortuum inuoluit, poenitens sit decem annis, & quinque mensibus, diaconus autem annis tribus, & sex mensibus. Cap. Nemo. de consecra. dist. 1.

Qui legata pia Ecclesiæ non soluit, vno anno poenitens erit per legitimas ferias.

Qui vir faciem suam transformauerit habitu muliebri, & mulier habitu viri; emendationem pollicitus, annis poenitens sit tribus. Pœnit. Ro. Bur. lib. 19. Concil. Geng.

Infirmos, aut vinctos visitare negligens, poenitentiam aget dies decem, pane & aqua vitans. Pœn. Rom. Bur. lib. 19. cap. 111.

DECLARATIONES ex pœnitentiali Romano.

Cap. 23. POenitentia vnius anni, qui in pane & aqua ieiunandus est, talis esse debet. In vnaquaque hebdomada tres dies, idest, secundam feriam, quartam, & sextam in pane & aqua ieiunet; & tres dies, id est, tertia feria, & quinta, & Sabbato, à vino, medone, mellito, ceruisia, à carne, & sagimine, & à caseo, & ouis, & ab omni pingui pisce se abstineat: manducet minutos pisciculos, si habere potest; si habere non potest, tantum vnius generis piscem, & legumina, & olera, & poma si vult comedat, & ceruisiam bibat. Et in diebus Dominicis, & Natalis Domini, illos quatuor dies, & in Epiphania Domini vnum diem, & in Pascha vsque in octauam diem, & in Ascensione Domini, & in Pentecoste quatuor dies, & in Missa Sancti Ioannis Baptistæ, & Sanctæ Mariæ, & duodecim Apostolorum, & Sancti Michaëlis, & Sancti Remigii, & omnium Sanctorum, & Sancti Martini, & in illius sancti festiuitate, qui in illo Episcopio celebris habetur: in his supradictis diebus faciat charitatem cum cæteris Christianis, id est, vtatur eodem cibo & potu quo illi: sed tamen ebrietatem, & ventris distensionem semper in omnibus caueat.

Cap. 24. Poenitentia secundi anni talis esse debet: vt hos dies, id est secundam feriam, & quartam in vnaquaque hebdomada ieiunet vsque ad vesperam, & tunc reficiatur de sicco cibo, id est pane, & leguminibus siccis, sed coctis; aut pomis, aut oleribus crudis; vnum eligat ex his tribus, & vtatur, & ceruisiam bibat, sed sobriè; & tertium diem, idest sextam feriam in pane, & aqua obseruet: & tres Quadragesimas ieiunet, primam ante Natalem Domini, secundam ante Pascha, tertiam ante Missam Sancti Ioannis; & si totam Quadragesimam ante Missam Sancti Ioannis implere non possit, post Missam impleat. Et in his tribus Quadragesimis ieiunet duos dies in hebdomadà ad nonam, & de sicco cibo comedat, vt suprà notatū est: & sexta feria ieiunet in pane & aqua. Et in dieb' Dominicis, & in Natali Domini illos quatuor dies, & in Epiphania Domini vnum diem, & in Pascha vsque in octauam diem, & in Ascensione Domini, & in Pentecoste quatuor dies, & in Missa sancti Ioannis Baptistæ, & Sanctæ Mariæ, & duodecim Apostolorum, & Sancti Michaëlis, & Sancti Remigii, & omnium Sanctorum, & Sancti Martini, & in illius sancti festiuitate, qui in illo Episcopatu celebris habetur: in his supradictis diebus faciat charitatem cum cæteris Christianis: sed tamen ebrietatem, & ventris distensionem semper in omnibus caueat.

Cap. 25. Pro vno die quem in pane & aqua ieiunare debet, quinquaginta psalmos genibus flexis in ecclesia si fieri potest, decantet, sin autem, in loco conuenienti eadem faciat, & vnum pauperem pascat: & eodem die, excepto vino, carne, sagimine, sumat quidquid velit.

Cap. 26. Qui in ecclesia genua centies flexerit, idest si centies veniam petierit, si fieri potest vt in ecclesia fiat, hoc iustissimum est: si autem hoc fieri non potest, secretè in loco conuenienti eadem faciat: si sic fecerit, eo die, excepto vino, carne, & sagimine, sumat quod placeat: qui psalmos non nouit, vnum diem, quem in pane & aqua poenitere debet, diues tribus denariis, & pauper vno denario redimat: & eo die, excepto vino, carne, & sagimine, sumat quidquid velit.

Qui verò psalmos non nouit, & ieiunare non potest, pro vno anno, quem in pane & aqua poenitere debet, det pauperibus in eleemosynam viginti duos solidos, & omnes sextas ferias ieiunet in pane & aqua; & tres Quadragesimas, id est quadraginta dies ante Pascha, & quadraginta dies ante festiuitatem Sancti Ioannis Baptistæ; & si ante festiuitatem aliquid remanserit, post festiuitatem adimpleat; & quadraginta dies ante Natiuitatem Domini. In his tribus quadragesimis quidquid suo ori præparatur in cibo, vel in potu, vel cuiuscunque generis illud sit, æstimet, quanti pretii sit, vel esse possit, & medietatem illius pretii distribuat in eleemosynam pauperibus, & assiduè oret, & roget Deum, vt oratio eius, & eius eleemosynæ apud Deum acceptabiles sint. Cap. 27.

Item qui ieiunare non potest, & obseruare quod in poenitentiali scriptum est; faciat hoc quod Sanctus Bonifacius Papa constituit. Pro vno die quem in pane & aqua ieiunare debet, roget presbyterum, vt Missam cantet pro eo (nisi sint crimina capitalia, quæ confessa prius lauari cum lachrymis debent) & tunc ipse adsit, & audiat Missam, & deuotè ipse offerat propriis manibus panem & vinum manibus sacerdotis, & intentè respondeat, quantum sapit ad salutationes, & exhortationem sacerdotis: & humiliter Deum deprecetur, vt oblatio quàm ipse presbyter pro se, & pro peccatis suis Deo obtulerit, Deus omnipotens misericorditer per Angelum suum suscipere dignetur: & eo die, excepto vino, & carne, & sagimine, comedat quidquid vult: & sic redimat reliquos anni dies. Cap. 28.

Si quis fortè non potuerit ieiunare, & habuerit vnde possit redimere, si diues fuerit, pro septem hebdomadibus det solidos viginti: si non habuerit vnde tantum dare possit, det solidos decem; si autem multum pauper fuerit, det solidos tres. Neminem verò conturbet, quia iussimus dare solidos viginti, aut minus: quia si diues fuerit, facilius est illi dare solidos viginti, quàm pauperi tres: sed attendat vnusquisque cui dare debeat, siue pro redemptione captiuorum, siue super sanctum altare, siue Dei seruis, siue pauperibus in eleemosynam. Cap. 29.

Qui non potest sic agere poenitentiam vt superius diximus, faciat sic. Si tres annos continuos ieiunare debet, & non potest, sic redimere potest. In primo anno eroget in eleemosynam solidos viginti sex, in secundo anno eroget in eleemosynas solidos viginti, in tertio anno solidos decem & octo; hi sunt sexaginta quatuor solidi. Potentes autem homines plus dare debent, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Et qui illicita committunt, etiam à licitis se abstinere debent, & corpus debent affligere ieiuniis, vigiliis, & crebris orationibus: caro enim læta trahit ad culpam, afflicta reducit ad veniam. Cap. 30.

Aliæ declarationes breues.

Confessarius, cùm ex iis quæ conscripta sunt, intelligat, pro ratione & temporum & personarum diuersas pœnitentias fuisse, earumque redimẽdarum certam rationem adhibitam esse: arbitrio tamen suo illis omnibus mitigandis moderandisque aget, vt initio traditum est.

De pœnitentia per legitimas ferias constituta; confessarius animaduertet, eo nomine intelligi feriam secundam, quartam, & sextam, canonum legibus pœnitentiæ, ieiunióque præscriptam.

Carinæ ieiunium, quod aliquando pœnitentiali canone cauetur, id appellatur, quod per quadraginta dies in pane & aqua fiebat, vt sæpe numero Burchardus interpretatur. Carinam alii dicunt, quidam carenam, alii carentenam, alii quadragenam.

Pœnitentia per tres Quadragesimas indicta, ita intelligitur, vt cui imponebatur, is in anno pane & aqua ieiunaret Quadragesimas tres: quarum prima est ante diem Natalem Domini; altera ante Pascha Resurrectionis; tertia, quæ scilicet per dies tredecim ante diem festum Sancti Ioannis Baptistæ agebatur, quemadmodum ex Concilii Salegustadiensis decreto perspici potest.

DE VISITATIONE, Et cura infirmorum.

Rubricæ seu instructiones.

Omni tempore Parochus gregi suo inuigilare debet: sed cùm primùm aliquis eius curæ commissus in morbum incidit, tum maximè omnem Parochialis charitatis diligentiam ipse in eo ponet, vt ægrotantem in via salutis rectè dirigat, & à nequissimi Dæmonis insidiis conatibusque tueatur ac defendat præsidio salutarium adiumentorum.

Prouinc. 5. quæ pert. ad Sacram. Extr. vnct. pag. 223. §. Quod concilio.

Quod Concilio Agathensi olim piè cautum est, id Synodo Prouinciali renouatum, idem Parochus præstare curet; vt Missâ celebratâ, si quos in Parochiali vicinia habet, frequenter, atque adeo quotidie, cùm per alias parochialis curæ suæ occupationes potest, visitet: eisdemque præstet, prout opus esse viderit, officia charitatis, & solicitudinis, Parochiali muneri suo coniuncta.

Quamobrem non expectabit, dum ab ægroto vocetur; sed ipse vltrò ad illum veniet.

Parochiales item suos & vniuersè & sigillatim, sæpe numero prout occasio feret, hoc monebit, vt se accersant, cum primum aliquis in febrim morbumve inciderit. Et verò quoniam aliis Parochialis curæ officiis aliquando fortasse distineri potest: propterea parochiæ suæ sacerdotes si quos habet, aut saltem laicos aliquot homines, virtute, & vitæ spiritualis vsu præstantes deliget, qui ægrotum adeant, rectéque cohortentur; cùm ad vim morbi patienter in Domino ferendam; tum ad alia Christianæ pietatis officia præstanda.

Ad ægrotas mulieres etiam accedet, sed sibi comitem adiungere curabit, virum vel ecclesiasticum, vel laicum sanctæ charitatis operibus deditum: & omnino nunquam erit in cubiculo solus: & cùm necesse fuerit ob pœnitentiæ sacramentum ministrandum, patenti tamen ostio id præstabit.

Illis maximè visitandis & consolandis assiduam charitatem nauabit, qui rerum omnium indigentia, & morbi acerbitate miserabilem in modum afflicti, curationem difficillimam experiuntur, quorum paupertatem commotus zelo pietatis ita subleuabit; vt & ipse, si per facultates potest, de suo aliquid eroget; & aliorum eleemosynas conquirat; & eo nomine collectas certis diebus in ecclesia edicat ad præscriptum Concilii Quarti Prouincialis.

Parochum propinquum, & sacerdotem item, clericumque parochialis viciniæ suæ, cùm ægrotare audierit, quamprimum inuisat, si præsertim aliorum ope destitutum videat; consoleturque in primis remediis animæ salutaribus, & adiumentis corporis valetudini opportunis.

Tit. quæ ad pia loca pertin. §. Primo quoque. pag. 197.

De ægri statu, generéque morbi, aduersave valetudine perquiret, eius item mores, vitam, actiones, negotiaque: vt sciat salubria dare consilia, opportunaque adhibere remedia, omnique sancta consolatione iuuare.

Cùm ad illum veniet, super eum orabit ratione præscripta; neque semel tantùm, sed sæpius, & quotiescunque opportunè id facere poterit, poteritque vti modò vna, modò alia ex formula precum, & sacrarum lectionum, quæ ad id præstandum in Sacramentali traduntur.

Accedet parochiali vestitu de more sine superpelliceo indutus.

Cohortationes & monita ad ægrotum.

Præmeditatus veniet, vt habeat argumenta ad persuadendum apposita, ac præsertim exempla Sanctorum; quæ rectè apteque adhibita, valde commouent: his autem cohortationum locis vti poterit, etiam aliis qui adsint, paululùm secedere iussis, ita vt non audiant, si ita opus esse quandoque viderit.

Hortabitur, vt febrim ægritudinemve in quam incidit, patienter ægrotus in Domino ferat: gratiasque ei agat de ægrotatione qua corpus affligitur, cùm inde animæ vtilitas salutaris existere possit, si verè, piéque charitatem Dei erga se agnoscens, confirmabit se ipsum in omni patientia: vnde fructum vberrimũ capiet.

Demonstrare poterit, à Deo, qui fons est omnium bonorum, factum esse, vt infirmus prosperam corporis valetudinem amiserit; quoniam illius animæ salutariter consultum esse vult emendatione vitæ anteactæ.

Si verò ægrum disciplinæ spiritualis, sanctarumque virtutum studiosum esse animaduerterit; morbi vim à Deo illatam esse ostendet, vt in spiritualis vitæ cursu quem suscepit, maiori progressione versetur, atque adeo perfectius insistat.

Habebit etiam Parochus alios locos, quibus infirmum excitabit ad patientiam Christiano homine dignam, & ad fructum ex inualetudine capiendum.

Monebit etiam, vt ne Dæmonis astu, neque

medicorum pollicitationibus, nec propinquorum aut amicorum, domesticorumve blandis cohortationibus se vllo modo decipi sinat, quo minus in ea quæ sibi salutaria sunt, incumbat.

Quare hoc infirmo suadere studebit, vt quod item Sanctus Ambrosius sacris scripturis monet, salutare Dei in primis concupiscat, nempe Christum Dominum; sicque animæ æternam salutem primò expetens, quærat deinde, quæ ad corporis valetudinem attinent.

Quæ quidem Parochus pro ratione morbi, & ægroti conditione, maiori studio, efficacia, vel amplificatione etiam aget.

Videbit, an aliquid domi, præsertim in cubiculo illius sit, quod cum disciplinæ Christianæ moribus minus conueniat.

Sacras imagines Christi domini crucifixi, B. Mariæ Virginis, & sancti præsertim apponi curabit, quem æger præcipuè veneratur, quemve patronum cœlestem sibi delegit. Si verò neminem potissimùm delegerit vt deligat, eiusque sacram imaginem domi, in cubiloque præsertim habeat, Parochus studebit.

Vasculum aquæ benedictæ, quando collocatum non sit, collocari iubebit propè lectum vbi iacet.

Monebit vt eleemosynas det quamplurimas, pro facultatum scilicet ratione, & modo.

Vt pro se orationem, supplicationemque à religiosis hominibus fieri postulet, omnique ratione curet.

Vt idem domi suæ pro se, dum æger est, familia quotidie certa hora precetur.

Vt ipse cum per morbum potest, aliquid piè meditetur de vanitate mundi, de exemplis patientiæ, de fructu tribulationũ, de cœlesti gloria.

Vt quotidie si per valetudinem potest, vel coronam beatæ Mariæ Virginis; vel si literas norit (quod Sanctus Augustinus fecisse traditur, dum æger fuit) septem psalmos pœnitentiales piè recitet: aut omnino aliquid precum pro viribus suis adhibeat.

Si Sacerdos aut alicuius sacri ordinis homo est, qui diuini officii recitandi lege adstrictus sit, suadebit, nè recitare facilè omittat, nisi vi morbi tandem coactus, & de consilio confessarii, & medici.

Proponet etiam ægrotanti, prout illius conditio tulerit, aliquas breues orationes, quas iaculatorias dicimus; præsertim è psalmorum libro sumptas, quæ facilè in promptu sint.

Pollicebitur quoque, se pro eo in Missæ sacrificio, alioque tempore piè oraturum, curaturumque vt parochiales itidem pro eo faciant. Id verò ipse omnino præstabit, collectam pro eo dicens, aut saltem orans: idque frequenter pro ægri necessitate.

Ideo denunciabit etiam populo singulis diebus Dominicis orationem pro ægrotis parochiæ suæ.

Monebit, vt cùm conualuerit, primò ad ecclesiam veniat, vbi super eum orationes dicantur; quod in multis ecclesiis pii, frequentisque est instituti.

De Confessione.

HOc in primis suadebit, vt de peccatis confiteatur idque maximè studebit, vt ad generalē de tota vita anteacta confessionem illum inducat: proindeque eius vtilitates, fructusque salutares breui enarrabit, quos inde capit.

Si verò æger se difficilem præbebit, vt aut confiteri nolit, aut confessionem longius differre velit; eius rei causam Parochus studiosè perquiret: quæ vnde accidat, vbi animaduerterit, tunc illam appositis rationibus amouere studebit, sique rectè, salutaritérque suadendo illum à proposito deducere non potest, nè tamen ei confitendi tempus proroget vltra quàm liceat, nisi re primum cum Archiepis. aut eius Vicario communicata. A medicis autem opportunè contendet, vt sacris decretis, pontificiæque constitutioni Pii Quinti obtemperantes, ad illum inuisendum curandumque non accedant post præscriptum tempus, nisi ex confessarii scripto cognouerint, eum de peccatis confessum esse.

Et quoniam causa, quamobrem ille confiteri nolit, aut differat, multiplex & varia esse potest; vt potè, vel desperatio, quam ex peccatorum magnitudine, multitudineve concepit; vel affectus alicuius peccati quod abiicere nolit; vel accidia quædam, qua fiat, vt is laborem se disponendi exhorrescat; vel alia grauis causa, quæ eum à confitendo deterreat: ideo bene notos habebit locos, rationes, & argumenta suadendi, prout causa tulerit, qua æger impeditur, aut deterretur.

Quamobrem aliquod studium in iis libris legendis ponet Parochus, quorum doctrinis methodus traditur, ad eos qui moriuntur iuuandos.

Cum ægrum autem vel eius sponte, vel hortatu admonitionéque sua Parochus ad confessionem accensum viderit; tunc ad confitendum condicet diem & horam ei commodam, nisi tamen periculum sit in mora; nam si morbi vis nullam dilationem patietur, cum eo aget, vt confestim confiteatur. Si item eo ipso tempore præparatus videbitur, eius confessionem audiet: in qua si illum, vel morbo, vel imperitia, vel timore, in enumerandis, discernendisque peccatis impeditum esse animaduerterit, adiumẽtũ pro charitate prudentiaque sua ei afferet.

Si fœminæ confessionem audiat, ostio patenti id præstet.

Curet ad id munus exequendum, superpelliceum, & stolam paratam habere.

Sacræ omnino decentiæ consulerę studeat, quàm maxime pro loco, & tempore potest; ex ordine sacræ poenitentiæ ministrandæ supra explicato.

Neque omittat testimonium confessionis scribere; ne poenam incurrat, de qua supra in Sacramento poenitentiæ dictum est.

Poenitentiam ne ideo tamen nimis leuem imponet, quòd iusta ab homine iacente non possit præstari; si probabile sit quòd conualescet, & tunc præstare poterit, quod non potuerat iacens, quòd si credibile sit, eum non am-

plius surrecturum; rationes pœnitentiæ iustæ eliget, quæ possint præstari à iacente; veluti magnam eleemosynam pro facultatum modo.

Suadebit verò semper, vt morbi afflictiones pœnitentiæ loco libenter accipiat, Dominóque pro peccatis suis offerat.

Item vt indulgentiam consequi curet, ex Pontificia, seu Archiepiscopali concessione.

De Communione.

COhortabitur ægrotum Parochus, vt sacram communionem sumat, etiam si grauiter non ægrotet; maximè si festi alicuius celebritas id suadeat, neque ipse ministrare recusabit sæpius in eadem infirmitate pro deuotione & desiderio ægroti; præsertim si ille cum valet, solet frequentare: de quo in Concil. Prouinc. 4. decretum est.

Pro viatico ministrabit, cùm probabile est, quòd eam amplius sumere non poterit cauebit autem nè ita cunctetur, vt periculum adeat ægrotus moriendi priusquam sumat.

Cum præterea posteaquam viaticum, extremamque etiam vnctionem æger suscepit, aliquot dies superstes sibi sacram communionem ministrari petit, eius pio desiderio Parochus non deerit: sed pro viatico illam iterum in eodem morbo non ministrabit. Ideoque in ministrando vtetur illis verbis: Corpus &c.

Vt quo maximo potest, ac debet, pietatis studio, & fidelium frequentia, ad ægrotos sanctissima Eucharistia deferatur; hæc vt infra Parochus diligenter curabit, atque exequetur.

Primùm in sua parochiali ecclesia confratriam corporis Christi instituet præscriptis regulis.

Aget cum vnoquoque patrefamilias, vt cum signum campanæ eo nomine datur, ipse in ecclesiam parochialem ad comitandum tantum sacramentum conueniat, aut saltem filium natu maiorem, aut omnino aliquem ex familia ob eam causam mittat, habeatque præterea domi vnam, pluresve candelas cereosve; quibus in hoc pietatis Christianæ officio vtatur.

Populum præterea sæpissimè cohortabitur, vt frequens semper, omnique animi pietate ac religione venerabile sacramentum comitetur.

Neque hoc monere desistet, vt quando sacerdoti illud deferenti fideles obuiam fiunt, ipsi etiam prosequantur; quique equo, aut curru vehuntur, descendant etiam, & comitentur item, nisi necessaria, vel vrgenti de causa vehementer impediantur.

Quò autem ardentius ad id religiosè agendū fideles excitentur, crebrò etiam prout occasio tulerit, indulgentiam eo nomine concessam euulgabit.

Sacerdotes, & clerici ecclesiæ parochialis, nisi necessaria occupatione distinentur, etiam comitari studebunt.

Familia ægrotantis obuiam procedet cereis accēsis, omni pietatis cultu, ac depositis armis.

Parochus ad infirmum sacram Eucharistiam ipse feret, nisi morbo inualetudineve, aut necessaria causa impeditus sit, cum verò alio Sacerdote vtitur, is sit, qui ex Concilio Prouinciali quarto requiritur.

Noctu non afferet, nisi periculo mortis instante.

Particulas autem duas feret: nisi cùm aliquando ob mortem instantem, vel nocte defert; vel certus est Parochus necesse esse, vt statim post communionem extremam etiam vnctionem ministret.

Allaturus, accuratè hoc præmonebit primùm vt ægrotantis ad quem defertur, cubiculum ab omni sorde & inquinamento purgetur; amotaque omni re profana, exornetur, vbi potest, pio apparatu, & sacris imaginibus; præterea mensa consternatur mappa nitida, apparetur que cruce, aliave effigie sacra, candelabris, & candelis saltem binis. In qua mensa super corporali pixis cum sanctissimo ipso Sacramento collocabitur, sit præterea vas vitreum ad ablutionis vsum.

Qui ob egestatem id minus præstare possint, eos curet Parochus iuuari à confratribus sanctissimi Sacramenti.

Certis campanæ percussionibus parochiæ suæ clericos, & parochiales, præsertim confratres sanctissimi Sacramenti conuocabit.

In deferendo vtetur pluuiali, vbi per loci, temporisque conditionem fieri poterit: aliàs verò superpelliceo & stola.

Curabit etiam clericos habere, non solùm qui res sacras afferant in ministratione adhibendas, sed qui comitentur, & vnà cum eo preces recitent.

Ii superpelliceo induti sint; & si capitulum canonicorum adsit, etiam aliis indumentis, quibus vtuntur in choro.

Sanctissimum Sacramentum deferet vasculo decoro ad præscriptam formam: quod vasculum vel tenui linteo, vel velo ab humeris demisso decenter contegetur, si verò ob necessitatem noctu, & locis asperis, montuosisque, via præcipiti, aut lubrica deferet; sacrum illud vasculum in sacculum decentem qui à collo pendeat, ita includet, vt si fortasse ipse labatur, sacramentum in terra decidere nullo modo possit. Vmbellam præterea vbi potest adhibebit, maioris vel minoris formæ pro locorum conditione ad præscriptum.

Cum Parochus accessit ad ægrotum, diligenter videat (si quidem grauiter laborat) an integro sensu sit; an item periculum tussis, anque item vomitus: si tunc non potest sumere, necessitate, vique repentina morbi impeditus, aliquantulum morabitur Parochus; dumque in mora est, ipse, & reliqui fideles genibus flexis coram sanctissimo Sacramento orabunt.

At verò si perseueret impedimentum, illud proponet ei adorandum, si modò ægrotus ita desideret: & impertita ei figura Crucis benedictione cum ipso Sacramento discedet: eodem modo oret, proponat, & benedicat, si, cum venerit, ab initio viderit fieri non posse, vt ægrotus sumat: sed ne deferat tamen vnquam ad eum, quem sumere non posse ante nouerit.

Sin autem sumere potest, Parochus illum suauiter alloquetur; & quæret, an aliquid reliquum sit quod confiteri velit, tuncque libenter eum audiet, & absoluet: interrogabitque item, an sanctissimum Corpus Domini sumere velit; & si pro viatico dandum sit, id quoque expri-

met: ad quod piè deuoteque sumen-dum paucis verbis inflammabit.

Si quando sine sacra hostia redibit, Parochus antequam domo ægroti abscedat, lumina extingui iubebit; superpelliceum, stolam, tintinnabulum, vmbellam non adhibebit: pixidem palam non deferet.

Prælato alicuius ecclesiæ, qui in lecto ægrotans frequentissimè sacræ Eucharistiæ pabulo salutariter se reficiet, eam, & cum primò in ægrotatione, & cum pro viatico sumet, sacerdos qui post illum in ipsa ecclesia primariam dignitatem, locumve obtinet, deferet ac ministrabit, vniuerso clero eiusdem ecclesiæ prosequente, & societate etiam sanctissimi Corporis Domini. Si verò sæpius sacram communionem sumet, alius inferior sacerdos, vel Parochus ministrabit, societate tantummodo Corporis Domini comitante.

Aliis sacerdotibus eodem modo deferetur, eiusdem ordinis saltem sacerdotibus, aliisque clericis comitantibus.

Ægrotus si per valetudinem potest, è lecto surget: decoréque vestitus; & si est sacerdos, superpelliceo stolaque indutus, genibus flexis erit, dum sumet.

Monita, si morbus grauior fuerit.

SI morbus grauior, & cum periculo fuerit, Parochus ægroto suadebit, vt dum integra mente est, rem omnem suam rectè constituat, & testamentum faciat.

In testamenti factione significabit, quanti intersit religiosos homines doctrina & pietatis vsu præstantes adesse, de quorum consilio ad remedium animæ suæ in vltima voluntate pro facultatibus aliqua pia opera statuat.

Legata pia quæ fecerit, præstari quamprimum, aut etiam ipso viuente monebit; cum hoc ei plurimum suffragari possit ad animæ salutem.

Hæc in primis monebit, quæ quanquam semper præstanda sint, tali tamen tempore in primis: vt si quid alieni habet, si per facultates potest, quamprimum restituat, aut saltem id præstari in testamento caueat.

Vt si de alicuius fama detraxit, curet ei aliqua ratione satisfacere.

Vt si quos inimicos habet, illis omnino ignoscat, omnemque rancorem, & inimicitias deponat.

Vt si quem offenderit, læseritve, vt potest satisfaciat.

Si ab aliquo læsus, aut fortè vulneratus sit, ei ex animo, & toto corde ignoscat, offensionemque remittat.

Perquiret item, an sacro Chrismate confirmatus sit, quòd si illum adhuc non esse viderit, etiam iacentem, si adest Episcopus, confirmari; si minus adest, id cum per valetudinem poterit, vt quamprimum præstet, accuratè monebit.

Monebit etiam, vt morbo magis etiam ingrauescente, sanctissimum viaticum, & extremæ vnctionis sacramentum in tempore petat, vt dum sensibus integris & mente viget, piè religioseque sacramenta accipiat.

Aget cum eo, vt si Dei gratia munereque ab eo morbo conualescet, vitam omnino emendet, aut sanctiorem viuendi disciplinam suscipiat.

Demonstrabit, Sathanam nihil non agere, vt impediat salutaria eius remedia: ideoque in id studere, vt infirmo in animum sæpe numero inducat, nihil periculi ex morbo quo laborat imminere: medicos autem verborum blanditiis, spem longioris vitæ sæpè polliceri, in idipsumque familiares etiam & cognatos incumbere. Periculum igitur morbi ei ita celari ne sinat, vt eum mors opprimere possit inopinantem & imparatum. Atque opportunè inducet illum, & suauiter, vt velit suum sibi periculum patefieri.

Animaduertet autem, ægrotos tribus potissimùm solere valde molestis cogitationibus affici, anxiéque perturbari, quarum primam affert mortis metus; alteram conscientia peccatorum; tertia oritur ex contemplatione diuinæ iustitiæ: quamobrem in promptu habebit argumenta ad persuadendum apposita, pro conditione ægrotantis: quem lenibus suauibusque verbis alloquetur,

Ostendet, mortem Christianis hominibus non modò extimescendam non esse, sed etiam amandam, & expetendam: quæ nisi intercedat, fieri non potest, vt à peccati seruitute, & huius vitæ calamitatibus atque incommodis omnino liberati, æternam fœlicitatem per Iesu Christi meritum consequamur. Atque in hoc suadendi genere rationes & locos sibi sumere poterit ex libro Sancti Cypriani, qui est *de mortalitate*.

Quem metum depellere studebit, non solum multis aliis rationibus; sed etiam & sacrarum literarum auctoritatibus, & exemplis sanctorum, & sacris precibus & orationibus.

Si ob affectum quo erga res terrenas irretitus tenetur, aut ob alias causas mortem exhorrescit: hunc affectum expellere conabitur rationibus ab earum vanitate vitioque deductis.

Ad sedandam perturbationem quæ oritur ex conscientia peccatorum, hortabitur, vt frequenti confessionis, & sacræ communionis vsu sese religiosè corroboret: credatque omnino sacramentis peccata infinita Dei benignitate deleri.

Ad iustitiæ verò diuinæ contemplationem ægrotum valde se abiicientem, eriget commemoratione infinitæ bonitatis diuinæ: quæ nunquam patitur fideles esse destitutos, qui velint, quamdiu in huius vitæ cursu versantur, pœnitentia exactæ vitæ peccata diluere.

Si impatientem ægrotum viderit, ei proponet passionem Christi Domini, tormenta sanctorum martyrum, exempla aliorum sanctorũ, Iob, Tobiæ, Ioseph, & aliorum. Merita præterea ostendet patientiæ, quæ multa sunt, & maxima, causas item ostendet afflictionum, quas Deus pater amantissimus, & medicus sapientissimus, tanquam medicamenta fidelibus adhibet.

Orationibus etiam breuibus vtetur, quas vnà cum ægroto pronũciabit, ad illius impatientiam sedandam, depellendamve. Cohortabitur præterea; & consolabitur eum, prout affectum esse viderit; agetque pluribus, aut paucis, pro prudẽtia cha-

tia charitateque sua. In eoque denique diligens erit, vt omnem ex infirmi animo mœstitiam abijciat, paratusque sit, depositum suum, quandocumque illud repetere Deus voluerit, libentissimè reddere.

Si in vrbe, aliove loco æger est, vbi Archiepiscopus moretur: eum inducat ad benedictionē Archiepiscopalem vnà cum indulgentia, cuius facultatem Apostolicā habet, piè petēdā, psum etiā Archiepiscopum ipse poterit quandoq; de illius morbo ægritudineve certiorem facere: qui eundem sponte visitabit, & consolabitur: aut alium mittet.

Ingrauescente morbo Parochus infirmum crebrius inuiset, & iuuare ad salutem conabitur quàm diligentissimè.

Si mortis tempus instare viderit, aget ad præscriptum, commendationisque animæ officium præstabit. Monebit etiam instante periculo se confestim vocari, vt in tempore præstò sit morienti.

ORDO MINISTRANDI Eucharistiæ Sacramentum infirmis.

Parochus conuocatis parochiæ suæ clericis certis campanæ percussionibus: & item confratribus sanctissimi Sacramenti in Ecclesia parochiali: paratis item cereis, & vmbella: manus lauabit.

Postea superpelliceo, stola, & pluuiali rubeis indutus, ad altare genibus flexis paululum tacitus orabit: mox ascendit, genuflectit, aperit tabernaculum: iterum genuflectit, extrahit pixidem suo velo tectam: super corporali in altari explicato collocat; rursus genuflectit, & claudit tabernaculum.

Tectis serico velo rubeo humeris, brachiisque, sumit pixidem: vtraque manū eodem velo coopertam, sinistra pedem tenens, dextera nodum ipsius pixidis, & sub vmbella procedit; quæ à dignioribus laicis defeæretur.

Clericus vnus præibit, qui aquæ benedictæ vasculum cum aspergillo deferet: & tintinnabulum item per certa interualla pulsabit: cuius sonitu populus ad religionis cultum sanctissimo Sacramento tribuendum genibus flexis procidens excitetur.

Alter item clericus, si fieri poterit, adiungetur, qui bursam rubeam corporali incluso concinnè feret ante pectus: & item librum hunc, de quo ipse Parochus, quæ oporteat, recitabit.

Cerei duo laternis inclusi à confratribus sanctissimi sacramenti præferentur: quæ lumina ventorum vi, præsertim per hyemem, extingui non possint.

Septem psalmos pœnitentiales Parochus in via piè recitabit: quos, si longum est iter, repetet, præsertim psalmum *Miserere*: & alias etiam religiosas precationes, hymnos, & psalmos accommodatos, quatenus spatium dabitur: idque cum sacerdotibus, & clericis, qui comitabuntur, alternatim.

Reliqui fideles bini prosequentur, orantes ipsi quoque: primo loco scholares sanctissimi Sacramenti, deinde reliqui, viri scilicet, postremò fœminæ: hæ capite velato, illi omnes capite aperto: omnes manu candelas accensas tenentes, vt plures possunt. viri autem aliqui poterunt à lateribus etiam cum luminaribus comitari.

Cubiculum ægrotantis Parochus ingrediens dicit. ℣. *Pax huic domui.*

℟. *Et omnibus habitantibus in ea.*

Tum reponit sanctissimum Sacramentum in mensa apparata, candelis accensis, supposito pixidi corporali explicato: & genuflexus illud adorat. Postea surgens, aspergillum cum aqua benedicta accipit: ægrotum aspergit ad similitudinem crucis, cubiculum, & reliquos qui præsentes adsunt, dicens Antiphonam.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

℣. *Gloria patri, &c.* ℟. *Sicut erat &c.* tum repetit Antiphonam.

Asperges me Domine hyssopo, &c. vt suprà.

Mox dicere pergit preces sequentes, ita versus ad ægrotum, vt tamen etiam Sanctissimum Sacramentum reuerenter aspiciat.

℣. *Saluum fac seruum tuum.*

℟. *Deus meus sperantem in te.*

℣. *Mitte ei auxilium de sancto.*

℟. *Et de Sion tuere eum.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣. *Esto ei domine turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici, & persequentis.*

℣. *Domine exaudi orationem nostram.*

℟. *Et clamor noster ad te perueniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.* Oratio.

Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium: auxilii tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem: vt ope misericordiæ tuæ adiutus, ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis repræsentari mereatur. Per dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Si ægrotus extra lectum genibus flexis esse poterit, vt suprà dictum est; scamnum panno mundo ecclesiastico stratum ante se habeat: aut ipsum pannum saltem à clericis, clericove sustentatum. Si verò in lecto esse necesse sit: vt potest eleuatus, & amictus, communicabit, panno itidem ante se extenso.

Hic clericus versus sanctissimum Sacramentum & Parochum genuflexus, monet ægrotum & cæteros omnes, signum Crucis sibi adhibere: & ipse signans se dicit: *In nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Amen.* & manibus iunctis confessionem generalem dicit: ægroto si potest cum eo saltem submissa voce pronunciante, aut saltem attentè audiente: percutitque ter pectus ad ea verba, mea culpa, &c.

Confiteor Deo omnipotenti. vt suprà.

Qua confessione pronunciata, Parochus dicit: *Deo gratias.* tum statim pergit dicere manibus iunctis: *Misereatur tui omnipotens Deus, &c.* vt suprà.

Post manu dextera Crucis signum versus ægrotum adhibet, & dicit: *Indulgentiam absolutionem.* vt suprà. Posteà dicit sequentem orationem manibus extensis, & clerico librum tenente.

Oratio.

Dominus noster Iesus Christus, qui dixit discipulis suis: quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo: (de quorum numero, quamuis indignos nos esse voluit) ipse te absoluat ab omnibus peccatis tuis, quæ quouis modo, cogitatione, locutione, & operatione egisti, atque à peccatorum nexibus absolutum, perducere dignetur ad regna cælorum. Qui cum Deo patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Vbi Parochus hæc precatus erit, ad mensam se conuertit, genuflectit, aperit pixidem; iterum genuflectit, manu sinistra pixidem prehendit, & alterius manus duobus digitis pollice & indice sacramentum accipit, paululumque de pixide eleuat, & conuersus in medio mensæ versus ægrotum, vt is illud adoret, breui pro personæ, & temporis ratione excitat illius fidem, & deuotionem.

Tum clericus genuflexus vt supra, dicit:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo tuo, & sanabitur anima mea. quod iterum, ac tertiò repetet, per singulas vices pectus percutiens, qua formula etiam vtendum est, cum fœminæ communio ministratur. & ægrotus vnà cum clerico eam pronunciabit, saltem submissa voce.

Quibus verbis pronunciatis, Parochus cautè, & diligenter præbet ei sanctissimum Sacramentum, & signum crucis super pixidem ante faciem ægroti faciens, dicit: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.* Ægrotus respondet. *Amen.* videat verò Parochus, vt antequam Sacramentum præbeat, satis spatij relinquat ad dicendum: Amen.

Si verò infirmo communionem pro viatico ministrat, dicat hoc modo.

Accipe frater (si verò fœmina est) soror, viaticum Corporis Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat in vitam æternam. ægrotus respondet. *Amen.*

Postea Parochus digitis pollice & indice quibus ministrauit, super pixide simul iunctis, ad mensam reuertitur; vbi deposita pixide super corporale, eaque contecta, tum facta genuflexione, statim digitos quibus Sacramentum tetigit, vino & aqua abluit in vase non consecrato ad eum vsum præcipuè parato, quod secum portandum curabit: tum purificatorio abstergit. clericus autem præbet ægroto ablutionem: quòd si ægrotus sumere non potest, eam ad ecclesiam deferet, & in sacrarium mittet.

Facta purificatione, Parochus stans vt supra dicit manibus iunctis.

℣. *Domine exaudi orationem nostram.*

℟. *Et clamor noster ad te perueniat.*

Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Deinde manibus extentis orationem sequentem.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, te humiliter deprecamur: vt accipienti fratri nostro (vel) sorori nostræ. sacrosanctam Eucharistiam corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi filij tui, & animæ & corporis sit salus. Per eundem Dominum nostrum, &c.

Hic infirmum Parochus aliquid admonebit, ex ijs quæ supra exposita sunt: hocque in primis, vt in tempore petat extremam vnctionem: sique in eo statu est, vt non sit differenda, ipse Parochus nullam moram interponet.

Videbit antequam inde discedat, vt si aliquando Sacramentum palato ægroti adhæserit, tantum vini, aut aquæ det, vt illud glutiat: quod vbi factum viderit, ad mensam genuflectet, & pixidem capiet, vt attulit: & versus ægrotum cum ea crucis signum faciet.

Ita ad ecclesiam rediens quo ordine venerat, dicit canticum sequens: & item alias religiosas preces ad hunc vsum accommodatas (præcipuè cum longum est iter) cum sacerdotibus, & clericis alternatim vt suprà.

Benedicite omnia opera Domini Domino &c. vsque ad finem cantici.

Reuersus verò collocat debita reuerentia pixidem cum Sacramento super altari, supposito corporali extento: genuflectit; postea stans manibus iunctis dicit.

℣. *Panem de cælo præstitisti eis.*

℟. *Omne delectamentum in se habentem.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.* Tum manibus extentis dicit orationem sequentem.

Deus qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus: ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari; vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis &c.

Qua oratione peracta, genuflectit: pixidem vtraque manu tenens, signum crucis cum ea versus populum adhibet, benedicens his verbis:

Benedicat vos omnipotens Deus, pater, & filius, & Spiritus sanctus. ℟. *Amen.*

Deinde conuersus ab alia parte ad altare, reponit pixidem in tabernaculo, genuflectit, postea claudit.

Tum indulgentiam publicè denunciat ijs concessam, qui Sacramentum eo modo comitantur: paucis verbis eos cohortans, vt in religioso eo instituto perseuerent: & ita fideles in pace dimittet.

DE SACRAMENTO Extremæ Vnctionis.

Rubricae, seu instructiones.

Extremo vitæ nostræ tempore præsidia diuinæ gratiæ nos eò plura habere conuenit, quò & vehementius torquemur metu mortis impendentis, & in periculo etiam maiori versamur. Sicut igitur clementissimus Redemptor noster diuina in alijs sacramentis adiumenta fidelibus, dum in hoc sæculo viuunt, parauit: ita hoc extremæ vnctionis Sacramento, finem vitæ huius, tanquam firmissimo quodam, cœlestique præsidio communiuit.

Hoc Sacramentum à Christo Domino vt extera sacramẽta est institutum; apud Marcum

Marci. 6. Iacobi 5. quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum. *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum: & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Administrantur in ecclesia fidelibus plures sacræ vnctiones, veluti, Baptismi, Confirmationis, Ordinis: & quoniam hæc extrema est, quæ fideli grauiter periculoséque ægrotanti ministratur: ideo Sacramentum extremæ vnctionis appellatum est, & sacramentum etiam vnctionis infirmorum, & præterea sacramentum exeuntium.

Hoc sacramentum, vt alia sacramenta, constat ex materia, & forma. Itaque eius materia est oleum ab Episcopo consecratum, liquor scilicet, non ex quauis pingui crassaque natura, sed ex olearum baccis tantummodo expressus.

Atque hæc quidem materia aptissimè illud significat, quod sacramenti vi intus in anima efficitur, mitigatur enim animæ dolor & tristitia vnctione quadam inuisibili: eiusque vires recreantur, vt infra dicetur latius.

Forma verò sacramenti est verbum, & solennis illa precatio, qua sacerdos ad singulas vnctiones vtitur, cum inquit: *Per istam vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti*: & sic de reliquis. Quo fit, vt cum aliorum sacramentorum forma, vel absolutè significet quod efficit, vt illa, *Ego te baptizo*: vel tanquam ab imperantibus pronuncietur, vt in sacramento ordinis, *Accipite potestatem*: hæc vna extremæ vnctionis forma precatione quadam absoluatur.

Atqui sacramenti huius minister sacerdos est ritè sacerdotio initiatus: nec verò tamen cuiuis id ex sacris decretis administrare licet: sed proprio Parocho qui iurisdictionem habeat, aut alteri, cui ille, Superiorve ministrandi sacramenti facultatem ex causa dederit.

Fructus atque vtilitates quæ ex hoc sacramento capiuntur, Parochus accuratè studioseque explicabit, cum in visitatione infirmi opportunum viderit: tum maximè in cohortatione ad illud spontè petendum: & in primis in ministratione, quantum per temporis angustiam, & morbi vexationem potest.

Prima igitur vtilitas & effectus huius sacramenti est, quòd peccati reliquias tollit, tanquam complementum sacramenti pœnitentiæ. Quæ reliquiæ peccata esse intelliguntur, siue mortalia, siue venialia, quæ post alia sacramenta remanent. potest enim fieri, vt ignorante eo qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat: in quod delendo ita hoc sacramento iuuatur: vt fieri possit eum per hoc sacramentum saluari, qui alioqui fuisset damnandus.

Hæc reliquiæ etiam sunt, torpor, mœror, & anxietas quædam, quæ ex peccato relinquitur, & hominem morti proximum affligit.

Sunt porrò multa, quæ ægrotantem variè affligunt: & mortis naturalis metus, & diuini iudicij horror, quo maximè terretur: & morbi vis: quæ illum ita deprimit, vt de Deo, diuinisque & cœlestibus rebus, ac de animæ suæ salute cogitationes aliquando suscipere non possit. Fitque sæpè interdum, vt morbo vexatus, paulo momento huc atque illuc impellatur, modò ad querelas, modò ad suspiciones, modò ad impatientiam, aliasque huius generis prauas affectiones, quæ illius animam lædunt.

Aduersus hæc porrò omnia incommoda sacramentum hoc tanquam saluberrima medicina valet, eamque vim diuinitus habet, vt leuius ea ferat.

Alia est vtilitas; Cum enim Diabolus; qui diuturno vsu conditionem, ingenium, moresque ægrotantis didicit, extremo eo tempore omnem certamen variè aggrediatur, vt eum distrahat, desperatione, & animi abiectione perturbet, aut nimia arrogantia atque elatione quadam attollat: hoc sacramento vires infirmo diuinæ subministrantur, quibus aduersario fortiter resistat.

Cùm igitur aduersus hostem animam corroborat: tum etiam corpus, vbi animæ saluti expedierit, aliquando sanat.

Hoc etiam sacramento, fidelis qui illud piè sumit, palam publicéque quodammodo profitetur in obitu fidem catholicam. Apertè enim declarat, se, sicut ad id tempus in ecclesia militante cum fidelibus communionem habuit, ita in fine se se habere: sperareque in ecclesia triumphante consortium habiturum cum sanctis, qui æterna cum Christo gloria perfruuntur.

Cæremoniæ & ritus ministrandæ extremæ vnctionis.

Primò multæ ad Deum preces pro eo piè adhibentur, quibus diuinum eius auxilium imploratur: leguntur litaniæ, Sanctique Dei inuocantur: & nullum omnino est sacramẽtum, quod plurib. precibus administretur: egent enim fideles eo potissimùm tempore magno auxilio: & ideo Parochus, alijque omnes præsentes toto corde precantes tunc eniti debent, vt laboranti subueniant.

Præterea corporis partes vnguntur; quæ veluti sensuum instrumẽta homini data sunt. oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum & sermonem, manus propter tactum. sicut enim in morbo corporis ea pars curatur tantùm, à qua morbus manat, non autem totum corpus: ita hic ea tantùm membra vnguntur, in quibus potissimùm sentiendi vis eminet, vnde peccatum quasi per ostia intrare solet. renes quoque veluti voluptatis & libidinis sedes: tum pedes, qui sunt nobis ingressus, & ad locum mouendi principium.

Quæ duæ partes postremæ non tamen ita sunt necessariæ vt aliæ, quæ sunt quinque sensuum. ideo in fœminis renium vnctionem omittet.

Si quis membro aliquo careat, quod inungi

præscriptum est, vngat partem ei propiorem.

Reliquis infirmis manus ab interiori parte inunget, sacerdotibus verò ab exteriori parte, cum prius in sacra ordinatione vnctæ fuerint.

Vngendis autem oculis, alijsque membris, quæ in homine paria sunt, hoc valde cauebit, vt cum vtrunque membrum vnius tantùm sensus sit, vtriusque itidem vnctionem absoluat vnica solum verborum forma, licet duas cruces faciat. Vnget autem primò dexterum, deinde sinistrum, cruce vnicuique impressa oleo sacro.

Vnguntur oleo, quia gratia Spiritus sancti, quæ oleo significari solet, anima perfunditur, ad peccata, peccatorumque reliquias abstergendas, animam alleuiandam, & confirmandam.

Forma adhibetur, quæ precationem habet, cum Sanctus Iacobus dixerit, *orent super eum &c.* Atque cum hoc sacramentũ sit quoddam pœnitentiæ complementum: infirmique eo maximè tempore non possint opera pœnitentiæ facere, ex sola misericordia remissionem expectant, quæ precatione imploratur.

Crux item, dum vnctio sacro oleo adhibetur imprimitur, vt sciamus hæc dona nobis concedi meritis crucis & passionis Domini; vtque eo signo, in pugna, quæ cum aduersario sustinenda est, vtamur, sensusque nostros muniamus: itemque vt ad Christi iudicis tribunal signum crucis deferamus, quo ostendamus, nos sub Crucis vexillo constanter vsque ad obitum pugnasse.

De diligentia in ministrando.

OMnem diligentiam Parochus in eo adhibebit, vt cum periculum mortis ægroto impendet, supremusque vitæ dies instare videtur, illud in tempore ministret: proposito sibi exemplo sanctissimi Episcopi Malachiæ, qui cum culpæ suæ, licet immeritò adscriberet, quòd mulier quædam sine hoc sacramento decessisset: totam noctem lachrymans sese afflixit, ita vt Dei misericordiâ mane illa quasi è somno excitata, è lecto se erigens hoc sacramentum acceperit, & etiam à morbo conualuerit.

Quare cum quis eius curæ commissus periculosè ægrotat, cùm ab ecclesia Parochus abesse non debet, tum illũ, vt de visitatione dictum est, frequenter visitabit: paratúsque erit die noctúque nulla interposita mora in tempore ministrare. Vt autem in tempore ministret, cùm sæpè aliàs, vt pote cum ægrotantem primò visitat, tum quo etiam tempore sacram Eucharistiam pro viatico ei ministrat, hoc illum monebit, vt dum sana mente est, sibi ministrari petat: simulque item demonstrabit, quàm salutariter expediat, vltro spontéque piè sacramentum hoc deposci.

Ad quod etiam sacramentum percipiendum, quò magis fideles accendat, eius fructus atque vtilitates aliquando, prout opportunum esse viderit, accuratè explicabit: idemque vnicuique infirmo cum ministrat, præstare non omittet, quantum sanè tunc per temporis angustiam, morbique vexationem potest.

Atque cum ad ægrum valde periculosè ægrotantem sacram Eucharistiam pro viatico fert, vasculum etiam sacræ vnctionis afferet, præsertim si infirmi domicilium ab ecclesia longè abest: vt si morbi vis magis ingrauescet, in tempore ministret.

Ministrabit autem, dum æger integris sensibus est. Quòd si aliqua morbi vi infirmus oppressus, dubitatur, viuusne sit, an mortuus; tunc diligenter de hoc sacerdos videbit, consulto etiam medico, si in tanta temporis breuitate potest: si non potest, & in dubio est, ea conditione vtetur: *Si es viuus, per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid &c.*

Si æger autem in eo statu est, vt spiritum ante exhalaturus videatur, quàm sacramenti huius ministrationem ipse Parochus absoluere possit, tunc psalmis, & litanijs prætermissis, statuta formula verborum, singulas corporis partes, quas vngi ritus postulat, inunget. Sique superstes erit, tunc statas reliquas preces, litaniasque adhibebit. Si verò dum vngitur, spiritum emiserit, vngere Parochus desistet.

Rursus, si aliquando acciderit, ipsum Parochum, dum vngit, præ virium imbecillitate, aliove casu deficere: alius sacerdos, si præsens aderit, aut aliunde statim euocatus, reliquas partes quas ille non vnxerit, vngere ritè perget: vnctas autem denuo non vnget.

Si per errorem sacerdos aliud oleum, quàm quod infirmorum est, ad ægrotum vngendum vnquam adhibuerit, etiam si chrismatis, aut catechumenorum sit: vt erratum emendet, olei sacri quod proprium infirmorum est, vnctionem eidem adhibeat, tumque sacramenti formam iteret.

Ministraturus, quot commodè potest habere, presbyteros, & clericos adhibere studeat superpelliceo indutos, qui ipsum & ministrantem, & precantem, pietatis, orationisque studio in eo ministerio adiuuent.

Quòd si plures habere non potest, vnum saltem omnino adhibeat clericum sibi ministrantem.

Accedat illud ministraturus stola violacea, & superpelliceo indutus.

Vas sacri olei ne sinu, brachiove comprehensum, sed sacculo serico violacei coloris aptè inclusum cordula serica à collo pendens reuerenter ferat.

Mensam prope ægrotantis lectum paruulam, vbi commodè fieri potest, parari, mappaque candida sterni curet; super qua vas sit cum bãbacio ad abstergendas vnctiones, micaque panis ad abstersionem digitorum. Sit ibidem vas alterum aquæ ad manus lauandas, & candela ceræ item parua.

Qua in mensa vas sacri olei à parte lecto viciniori ponatur: à laico autem homine ne manu teneatur.

Curet, vt toto eo tempore domestici simul omnes qui adsunt, pro eo Deum piè precentur.

Hoc etiam Parochus domesticos, qui ægroti curam habent, moneat, vt ne post extremæ

vnctionis sacramentum, quod ei ipse ministrauit, corporis curam deferant.

Quibus ministratur Sacramentum extremæ vnctionis.

MInistratur hoc sacramentum adultis, periculosè ægrotantibus, propéque moribundis, & senio etiam confectis, in diem morituris, etiam si ægroti non sint: peste item laborantibus, tametsi mortis periculum imminere tunc non videatur, cum de repentè mors nec opinantes eos occupet: periculosè etiam vulneratis ad mortem.

At non infantibus, puerisue, qui nullum adhuc rationis vsum habent, neque peccata admittunt: nec furiosis, amentibusque toto vitæ tempore insania vexatis; nec excommunicatis, interdictis, impœnitentibusve.

Neque mulieribus in partu laborantibus: neque ad bellum proficiscentibus, neque nauigationem, aut peregrinationem suscipientibus: neque ijs qui mox vltimo supplicio afficiendi sunt: neque etiam perpetuo carcere mulctatis ministratur: nisi cum hi ex morbo in periculo mortis versantur.

Infirmis autem, qui sana mente dum erant, illud petierunt, aut verisimile est, quòd petijssent: etiam si postea in amentiam inciderint, vel ratione, sermoneve vti desierint, ministrabitur item.

Si verò dum infirmus amentia phrenesive laborat, verisimile sit, vt indecorè, aut spurcè, impureve aliquid agat, quo irreuerentia sacramento huic fiat: non vngetur, nisi alicuius complexu ita teneatur, vt firmus stabilisque hæreat.

Cæcis, surdis, mutis, paralyticis, quamuis eo sensu vel videndi, vel loquendi, vel ambulandi semper caruerint, præbebitur: peccare enim potuerunt per internas potentias, quibus ea membra respondent.

Item ei ministrari debet, qui fortè dum est in articulo mortis, sit baptizatus.

Quæ præparatio ad extremæ Vnctionis sacramentum adhibenda.

QVoniam nihil sacramenti gratiam magis impedit, quàm mortiferi alicuius peccati conscientia: idcirco in eo ministrando vsum consuetudinemque hanc tenebit, vt si fieri potest, infirmum non ante vngat, quàm peccata confessus sit, ac præterea sacram Eucharistiam sumpserit, at saltem sit confessus: si fortè non potuerit infirmus ob stomachi, gutturisve impedimentum sanctissimam communionem sumere.

Si quem verò de repente morbi vis occuparit, vt neque confiteri, neque communicare potuerit: ex aliqua tamen contritionis, aut pietatis significatione conijcitur, eum velle sibi hoc sacramentum extremæ vnctionis ministrari: tunc Parochus ministrabit.

Quò diligentius item infirmum præparet, præter alia, quæ ei de vi, salutaribusque fructibus huius sacramenti vt supra dictum est, diligenter exponet, hoc etiam persuadebit, vt ea fide se vngendum præbeat, qua olim, qui ab sanctis Apostolis sanandi erant, se ipsos offerre consueuerunt. in primis autem animæ salus, deinde etiam corporis valetudo, cùm cōditione, si ad æternā gloriā profutura sit, expetenda est.

Tum verò demonstrabit, illum dubitare non debere, quin sanctæ illæ preces à Deo exaudiantur, quibus ipse Parochus, sacerdosve, ecclesiæ, & Domini personam gerens, vtitur ad huius sacramenti ministrationem.

Decebit etiam maximè eam corporis præparationem adhibere, vt partes vngendæ prius abluantur, quantum commodè fieri possit, ad sacri olei reuerentiam, præsertim quæ sordes solent magis contrahere.

Quoties hoc sacramento vtendum est.

INtelliget Parochus, infirmum, quamdiu in eadem ægrotatione, & in eodem mortis periculo versatur, semel tantùm esse extrema vnctione liniendum. Quòd si vnctione suscepta conualuerit, quoties postea in vitæ discrimen inciderit, toties hoc sacramentum ei adhibebitur. Item in morbis quibusdam diuturnis, puta in hydropisi, si ob mortem impendentem quis vnctus fuerit, & euaserit: deinde ex eodem morbo in alium similem casum, & periculum mortis rursus inciderit: rursus etiam vngi debebit.

ORDO MINISTRANDI Sacramentum extremæ vnctionis.

PArochus vocatus ad ministrandum Sacramentum extremæ vnctionis, omnibus ijs, quæ mox supra præscripta sunt, rectè animaduersis, & præparatis: vt parochiæ suæ fideles excitet ad orandum pro infirmo, & conuocet suæ parochiæ sacerdotes alios, clericosve, quorum ministerio vt supra dictum est, in administratione vtatur: campanæ signum statim dandum curabit, quòd à signo communionis distinguatur.

Mox verò indutus superpelliceo & stola violacea, accipit vas olei sacri.

Clericus indutus superpelliceo vas feret aquæ benedictæ cum aspersorio, & librum hunc sacramentalem.

Curabit etiam crucifixi paruam imaginem afferri, si fortè ea ægroto desit. item cereum laterna inclusum: idque per clericum, si adsit.

Tintinnabulum verò non adhibebitur. Dum in via est, & ad ægrotum accedit, Psalmum quinquagesimum dicet, & alias pias preces. Cubiculum autem, vbi ægrotus iacet, ingrediens, dicit.

℣. *Pax huic domui.*

℟. *Et omnibus habitantibus in ea.*

Tunc vas olei sacri reponit in mensa præparata, vbi candela accensa sit, deinde dicit.

℣. *Dominus vobiscum*

℟. *Et cum spiritu tuo.* Oratio.

DEus qui benedixisti vestigia Apostolorum tuorū Petri; & Pauli, atque Andreæ, dignare benedicere domum istam, at-

que ingressum istum. Expelle hinc Domine omnes insidias diaboli: & reple eam omni gaudio, lætitia, sanitate, & pace; & fac eam abundare omnibus bonis: vt de tua largitate semper abundet, & Angelus tuus bonus semper eam in pace custodiat. Per Dominum nostrum, &c.

℣. *Propitius sit nobis omnipotens, & misericors Deus, qui fecit cœlum & terram, & benedicat nos.*

℟. *Amen.*

Hic aqua benedicta Parochus ægrotum ad similitudinem crucis aspergit, & astantes, & cubiculum item, dicens.

℣. *Pax, & benedictio Dei omnipotentis, patris, & filij, & spiritus sancti, descendat super domum istam, & super omnes habitantes in ea.* ℟. *Amen.*

Aspersione peracta, & crucifixi etiam imagine ante oculos ægroti collocata, Parochus ab illo quærit, an aliquid habeat, recordeturve, quod confiteri velit: sique nihil quidquam habet, clericus versus sacram imaginem & Parochum genuflexus, monet ægrotum, & cæteros omnes, signum crucis sibi adhibere: & ipse signans se, dicit: *In nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Amen.* & manibus iunctis confessionem generalem dicit, ægroto si potest, cum eo saltem submissa voce pronunciante, aut saltem attentè audiente: percutitque ter pectus ad ea verba, *mea culpa, &c.*

Confiteor Deo omnipotenti, &c.

Deinde Parochus manibus iunctis dicit.

Misereatur tui omnipotens Deus, &c.

Deinde signum Crucis dextra formans versus ægrotum, dicit.

Indulgentiam, absolutionem &c.

Postea omnes qui adsunt, & præsertim familiam præsentem, genibus flexis orare iubet: tum is genibus etiam flexis, dicit vnà cum alijs presbyteris, vel clericis, si plures intersunt, si minus, cum vno, psalmos pœnitentiales, & litanias vt mox infra, si tempus datur: alioqui si non datur, vt supra, dum ab alijs psalmi, & litaniæ dicantur, ipse stata formula inferius descripta vnget.

℣. *Deus in adiutorium meum intende.*

℟. *Domine ad adiuuandum me festina.*

Gloria patri, &c. Sicut erat in principio, &c.

Antiphona. Infirmus sum. Psalmus 6. Domine ne in ira tua arguas me &c. vsque ad finem. Gloria Patri, &c.

Antiphona. Infirmus sum sana me Domine Deus meus.

Antiphona. Sperantes in Domino.

Psalmus 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. vsque ad finem.

Gloria Patri, &c.

Antiphona. Sperantes in domino misericordia circundabit.

Antiphona. Intende in adiutorium.

Psalmus 37. Domine ne in ira tua arguas me, &c. vsque ad finem.

Gloria Patri, &c.

Antiphona. Intende in adiutorium meum domine Deus salutis meæ.

Antiphona. Peccaui domine.

Psalmus 50. Miserere mei Deus secundùm magnam &c. vsque ad finem.

Gloria Patri & Filio & spiritui sancto, &c.

Antiphona. Peccaui domine, peccaui, & inique egi; munda me à peccatis meis: quia potens es miserere mei.

Antiphona. Clamor noster domine.

Psalmus 101. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus &c. vsque ad finem.

Gloria patri, &c.

Antiphona. Clamor noster domine ad te perueniat.

Antiphona. Fiant Domine.

Psalmus 129. De profundis clamaui ad te domine, &c. vsque ad finem.

Gloria patri, &c.

Antiphona. Fiant domine aures tuæ intendentes in vocem orationis meæ.

Antiphona. Exaudi me.

Psalmus 142. Domine exaudi orationem meam: auribus percipe &c. vsque ad finem.

Gloria patri, &c.

Antiphona. Exaudi me Domine in tua iustitia: & non intres in iudicium cum seruo tuo.

Antiphona. Infirmorum propitiator, abiectorum protector, desperandorum saluator, Deus patris mei, & Deus hæreditatis Israël, dominator cælorum, & terræ, creator aquarum, rex totius creaturæ tuæ, exaudi preces nostras.

Deinde dicuntur Litaniæ.

Quibus absolutis dicit. *Pater noster. Secretò.*

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum, & terram.*

Credo in Deum. Secretò.

℣. *Carnis resurrectionem.*

℟. *Vitam æternam. Amen.*

℣. *Saluum fac seruum tuum.*

℟. *Deus meus sperantem in te.*

℣. *Mitte ei domine auxilium de Sancto.*

℟. *Et de Sion tuere eum.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℟. *Et filius iniquitatis non adijciat nocere ei.*

℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici, & persequentis.*

℣. *Domine exaudi orationem nostram.*

℟. *Et clamor noster ad te perueniat.*

℣. *Exurge Christe, adiuua nos.*

℟. *Et libera nos propter nomen tuum.*

Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Quam super ægrotum Parochus stans, manumque dexteram illi imponens dicet: quod idem faciunt reliqui sacerdotes, qui adsunt.

Sanctum, ac venerabile nomen gloriæ tuæ inuoco, excelse Deus, pater omnipotens, qui fecisti cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, qui in altis habitas, & humilia respicis: respice super impositionem manuum, quam facimus super hunc famulum tuum. N. quæ manus spiritualiter operentur super eum. Da ei Domine sanitatem corporis, & integritatem mentis, longanimitatem vitæ, prosperitatem in valetudine, & ab omni inquietudine inimici libera eum, qui liberasti filios Israël de terra Ægypti, Petrum de custodiâ carceris, Paulum de vinculis, Susannam de falso crimine, Danielem de la-

tu leonum; tres pueros de camino ignis ardentis, Ionam de profundo maris, Loth de Sodomis. Ita ei miserearis domine, qui misertus es ciuitati tuæ Niniue. Domine sis ei adiutor, protector, atque defensor, sicut fuisti puero tuo Dauid ad expugnandum Goliath: & aperi oculos cordis eius ad cognoscendum voluntatem tuam, sicut aperuisti oculos capitis Tobiæ ad videndum visibilia: & perduc eum ad regnum tuum cæleste. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

His precibus peractis, vel dum peraguntur, vt supra dictum est, Parochus pollice intincto oleo sacro vngit in formam crucis has septem corporis infirmi partes, oculos, aures, nares, os, manus, pedes, ac renes. Dumque vngit, verborum formam, vt infra in singulis partibus profert, crucis signum singulis etiam adhibendo. Vbi verò vnamquamque partem vnxit, ipsemet, aut Sacerdos alius si adest, aut clericus sacris initiatus, partem inunctam continuò tergit bambacio, quod in vase mundo ponitur ad eum vsum parato, quod secum portandum curabit; quodque deinde peracta tota vnctione ad Ecclesiam defertur, & ibi comburitur; cineres verò proiiciuntur in sacrarium.

Ad oculos, primò dexterum, deinde sinistrum.

Per istam vnctionem, & suam piissimam misericordiam † † indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. ℟. *Amen.*

Ad Aures. *Per istam &c. † † indulgeat tibi Dominus quidquid per auditum deliquisti.*

℟. *Amen.*

Ad Nares. *Per istam &c. † † indulgeat tibi Dominus quidquid per olfactum deliquisti.*

℟. *Amen.*

Ad os labris compressis. *Per istam &c. † indulgeat tibi Dominus quidquid per gustum, & locutionem deliquisti.* ℟. *Amen.*

Ad Manus *Per istam &c. † † indulgeat tibi Dominus quidquid per tactum deliquisti.* ℟. *Amen.*

Sacerdoti infirmo non interius, sed exterius manus vngatur, vt supra dictum est.

Ad pedes in plantis, *Per istam &c. † † indulgeat tibi Dominus quidquid per gressum deliquisti.*

℟. *Amen.*

Ad renes. *Per istam, &c. † indulgeat tibi Dominus quidquid per lumborũ delectationẽ deliquisti.*

℟. *Amen.*

Mulieri renes non vnguntur, vt dictum est.

Postea Parochus digitum pollicem, quo vnxit, medulla panis benè fricat, & aqua abluit in vase supradicto: tum manutergio abstergit, ablutionis verò aquam cum micis refert in Sacrarium.

His finitis dicit sequentes orationes ad ægrotum versus, manibus extentis.

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oratio.

DEus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus omnium Patriarcharum, & omnium sanctorum, Deus vniuersæ creaturæ conditor: qui dixisti Apostolis tuis; Ite, super ægros manus imponite, dæmonia eiicite; quod gratis accepistis, gratis date: vbi nos indigni, & peccatores manus in tuo nomine imponimus, tu domine tuam Spiritalem imponere digneris. Per Dominum, &c.

Oratio.

DOmine Deus, qui per Beatum Apostolum tuum Iacobum dixisti; infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei: cura quæsumus redemptor noster gratia sancti Spiritus languores istius infirmi: sana vulnera eiusque remitte peccata, atque dolores cunctos cordis, & corporis ab eo expelle, plenamque ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde: vt ope misericordiæ tuæ restitutus, & sanatus, ad pristina pietatis reparetur officia. Qui viuis, &c.

Orationes sequentes alternatim, si plures adsunt sacerdotes, dicuntur singulæ cum, (*Dominus vobiscum,*) & concluduntur item singulæ: (*Per Dominum nostrum,*) &c.

Si verò Parochus solus est, ipse singulas dicit: primæque tantùm præponit, *Dominus vobiscum,* & vltimã solùm concludit, *Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.* *Oratio.*

REspice Domine famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem: & animam refoue quam creasti.

Vt castigationibus emendatus, continuò se sentiat tua medicina saluatum.

Deus qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu: inclina aurem tuam supplicationibus nostris: & famulum tuum aduersa valetudine corporis laborantem placatus respice: & visita eum in salutari tuo: & cælestis gratiæ præsta medicinam.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo, pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium: vt reddita sibi sanitate, gratiarum tibi referat actionem.

Deus qui B. Petrum Apostolum misisti ad Tabitham famulam tuam, vt eius precibus suscitaretur, ad vitam: exaudi nos quæsumus: & famulo tuo quem in nomine tuo visitat nostra fragilitas, exorata medicinæ tuæ medela subueniat.

Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilij tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem: & ope misericordiæ tuæ adiutus salutiferam regni cælestis tribue medicinam. Per Dominum nostrum, &c.

Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Vers. Benedicat, & exaudiat nos Deus.

Resp. Amen.

Vers. Procedamus cum pace.

Resp. In nomine Christi.

Vers. Benedicamus Domino.

Resp. Deo gratias.

Vers. Pax, & benedictio Dei omnipotentis patris † & filii † & spiritus † sancti descendat super te, & maneat semper. Resp. Amen.

Quæ Parochus aget post ministrationem.

PArochus ministrato sacramento extremæ vnctionis, si videt spatium vitæ esse, antequam discedat, ægrotum allo-

quetur, & consolabitur breuibus, ac suauibus, ardentibusque verbis: quibus illum maximè hortetur ad vim ægritudinis patiẽter pro Christo Domino sustinendam, ad rerum humanarum cogitationes abiiciendas, ad Satanæ suggestiones Christiana virtute depellendas, ad spem de diuina misericordia concipiendam, & ad desiderium in primis vitæ æternæ. Tum præterea hæc hortabitur: vt se piorum religiosorumque hominum precibus, & orationibus commendet; pias lectiones audiat, si potest, præcipuè Domini passionem, quam ipse etiam Parochus pro opportunitate leget: eleemosynas, si potest, det: propositaque sibi ob oculos Christi passione, & cruce, assiduè piè meditetur mortem, quam omni sanctæ christianæque humilitatis significatione fortiter obeat: velitque in cinere, & cilicio, vt pœnitens mori quemadmodum Christianum hominem decere, sanctus Martinus affirmauit, & suo exemplo docuit. Quòd si infirmus ita velle mori dixerit, tunc Parochus cinerem, & cilicium benedicet.

Manibus etiam iunctis instar crucis, exemplo S. Ambrosij proposito, vt moriatur, piè poterit moneri.

Nec verò crucifixi imago, & etiam alia pro deuotione desit morienti; cuius aspectu excitetur, recreeturque; quam crucifixi imaginem ipse etiam moriens manu piè tenere poterit.

Monebit præterea Parochus domesticos, vt pro infirmo orent, ac ne corporis curam deserant: hocque in primis, vt aliquot ante mortem horis mittant, qui se vocet, vt in commendatione animæ præstò esse possit.

De cura item spirituali ægroti cætera præstare Parochus studebit, quæ supra titulo de visitatione infirmorum ordine præscripta sunt.

Ad ecclesiam demum, quo modo venit, redibit, deuotè dicendo psalmum, *Qui habitat*, & alias pias orationes.

Alia officia Parochi erga infirmum propè moriturum.

CVm tempus instabit, quo ægrotus propè moriturus sit, Parochus tum celerrimè præstabit commendationis animæ officium, tum omni ratione infirmum tali tempore iuuare conabitur.

Si indulgentiam ille ex legitima facultate consequi possit, in memoriam redigat, proponens etiam quid ad consequendum agi debeat. Si ipsi Parocho, aut confessario fortè commissa sit ipsa concessio, poterit verbis vti ad id ritè accommodatis.

Procul secedere iubebit coniugem, liberos, domesticos præsertim gementes, ac lugentes, eosque item, quos in vita charos ille habuit.

Magno etiam animæ fructu moribundis, quatenus expedire videbitur, ad fidei articulos, aliaque vt infra confirmanda, & profitenda inducetur; maximè si ægrotantem, & morientem dæmonis impulsu aliquo modo hæsitantem, aut titubantem Parochus animaduerterit. Interrogatus autem ægrotus verbis respondebit: sin autem morbi vi respondere lingua non poterit, saltem dum mente integra est, nutu aut signo aliquo exteriori respondebit.

Interrogationes autem adhibebit vulgari sermone, si latinè ægrotus nesciat. sunt autem huiusmodi.

Nonne frater charissime, firmiter credis omnes articulos fidei, & quidquid sancta Romana catholica, & apostolica credit Ecclesia. Resp. Credo.

Nonne detestaris, reprobas, & anathematizas omnes hæreses, & quidquid eadem detestatur, reprobat, & anathematizat catholica mater Ecclesia? Resp. Detestor, reprobo, & anathematizo.

Nonne vis mori in soliditate fidei catholicæ, vt verus Christianus. Resp. Volo.

Cognoscis ne, te multum, & sæpius offendisse creatorem tuum, animam tuam, & proximum tuum? Resp. Cognosco.

Doles ex corde de omni offensa qualitercumque contra Dominum Deum tuum, te ipsum, & proximum tuum commissa? Resp. Doleo.

Nonne omnem quem pateris dolorem, propter Deum in pœnitentiam tuorum peccatorum patienter, & æquanimiter toleras? Resp. Tolero.

Nonne te pœnitet ingratum fuisse Deo de multis beneficiis, in te collatis ad salutem animæ tuæ? Resp. Pœnitet.

Et quòd toties recidisti in peccata post acceptam ab eo misericordiam? Resp. Doleo.

Nonne cognoscis tibi opus esse Dei misericordia, & quòd meritis passionis Iesu Christi pœnitens saluaberis? Resp. Cognosco.

Poterit etiam quandoque cohortari, & facere, vt eo modo quo potest, secum oret, etiam vulgari sermone, si opus sit, aliquo ex infrascriptis modis, prout viderit expedire animæ morientis.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum: redemisti nos Domine Deus veritatis.

Domine Iesu Christe, ob virtutem tuæ sanctissimæ passionis, iube me adscribi in numerum electorum tuorum, adiuua me Redemptor meus in hac extrema necessitate; succurre animæ egenti, sed in te solùm speranti: totum me tibi do, noli me renuas: ad te venio, non me repellas: sonet in mentis meæ auribus vox illa tua dulcis: Hodie mecum eris in Paradiso.

Domine Iesu Christe fili dei viui, qui pro salute mundi in cruce es felle, & aceto potatus: sicut tu consummatis omnibus in cruce expirans, in manus patris commendasti spiritum tuum: sic in hac hora mortis meæ, in manus pietatis tuæ commendo animam meam, vt eam in pace suscipias, & electorum choris aggregari præcipias.

Deus meus, Deus meus, misericordia mea, refugium meum. Te desidero, ad te confugio, ad te venire festino: ne despicias me sub tremendo discrimine positum, adesto mihi propitius in his meis magnis necessitatibus. Ad te venio, qui nullis dees: cupio dissolui, & esse tecum. In manus tuas commendo spiritum meum Domine. Respice in me Domine, Deus veritatis: & præsta mihi Deus meus, vt in pace dormiam, & requiescam. Amen.

Hac item, & simili ratione poterit cohortari.

Commenda te gloriosæ virgini Mariæ, dicens: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ: tu nos ab hoste protege, & in hora mortis suscipe.

Inuoca Angelos, tuum præcipuè custodem, dicens: Angele Dei, tu præsertim custos mihi assiste mi-

granti ex hac vita: custodite me Angeli ab immundorum spirituum inuasione: & animam meam in vestrum consortium assumite.

Commenda te sanctis Dei, præsertim quibus magis deuotus fuisti, dicens: Sancti Dei omnes vestro nunc mihi opus est patrocinio: vestris orationibus citò mihi succurrite: tu præsertim Beatissima Virgo, tu sancte. N. vel sancta. N. in quem, vel quam confidentiam semper habui: in hoc extremo necessitatis articulo non me deseras: sed si vnquam aliàs, nunc maximè me apud Deum adiuua.

DE SACRAMENTO Ordinis.

Rubricæ, seu instructiones.

Quæ Parochus doceat, & exequatur.

SAcramenti ordinis dignitas, vtilitas, & necessitas quanta sit, ex eo perspicuè manifestum est, quòd alia sacramenta ab illo ita pendent, vt sine eo illa partim confici, ministrarique nullo modo possint; partim solenni cæremonia, & religioso quodam ritu, ac pio cultu carere videantur.

Atque si summus eius gradus spectetur, hoc est sacerdotium; eius nobilitas atque excellentia apparebit: Sacerdotes enim Dei interpretes, & internuncij quidam sunt, qui eius nomine diuinam legem, & vitæ præcepta homines edocent, & ipsius Dei personam in terris gerunt; non angeli solùm, sed Dij etiam appellantur, quòd Dei immortalis vim, & numen apud nos teneant.

Potestas Corpus, & Sanguinem Domini nostri conficiendi, & offerendi, tum peccata remittendi, quæ illis collata est, humanam quoque rationem, atque intelligentiam superat; nedum ei aliquid par, & simile in terris inueniri queat.

Inferiorum quoque graduum dignitas ex eodem ipso capite potest demonstrari, prout magis minusve ad altaris sacramenta suo quisque ministerio accedit.

Cum igitur hoc sacramentum Archiepiscopus edicto proposito se ministraturum esse significabit, hæc & alia multa ex catechismo Rom. & aliis doctrinis opportuno tempore Parochus tradet populo; & iis præsertim, qui ordines suscepturi sunt. & hæc præterea exequetur.

Edictum de sacra ordinatione præfinito tempore promulgabit: literas pastorales item ex ipso de genere.

Processionem eo ipso promulgationis die intra ambitum Ecclesiæ aget, litaniasque supplex recitabit.

Singulis diebus Dominicis per mensem ante stata ordinationis tempora præmonebit, atque hortabitur populum ad piè religioséque precandum pro sacra ordinatione proximè futura.

Dominico autem die ordinationem proximè antecedente, literas Archiepiscopi pastorales iterum de scripto recitabit.

Supplicationem præterea, processionemve statam iterum obibit.

Denunciabit populo ex præscripta formula statorum sacrorum temporum ieiunia, & frequentius ob sacræ ordinationis causam orationis studium, præsertim statis feriis, quarta scilicet, sexta, & Sabbato.

Formulam denunciationis temporum vide in Conc. 4. Prou. 119.

Monebit autem præcipuè, vt populus precetur; & pro Archiepiscopo, vt ordines iis conferat, quos vtiles operarios ecclesia postulat; & pro iis, qui ordines suscipient, vt in dies habeant maiores progressiones in sanctis virtutibus. Et verò cum, vel edictum Archiepiscopale, vel literas eius generis pastorales, vel eorum, qui hoc sacramento initiandi sint, nomina euulgabit, vel tempore orationis; de illius dignitate sermonem studiosè instituet ad populum, vt supra demonstratum est.

Quo in tractationis genere ita toto animo, atque adeo omni piarum meditationum studio incumbet, vt cùm sibi, tum aliis etiam ecclesiastici ordinis hominibus, tum parochialibus suis concionando verè prosit.

Primùm verò ipse sanctis meditationibus, & precibus se se etiam atque etiam excitabit ad eam gratiam resuscitandam, quam hoc sacramento adeptus est. Deinde eo intimæ piæ meditationis studio accensus, cùm alios, qui ad ordines vocati sunt, ad eadem pietatis officia ordinis dignitati conuenientia vehementius inflammabit: tum alios clericalis ordinis homines ad earum rerum cognitionem erudiet atque instruet, quibus viam sibi ad vlteriores gradus facilius munire possint.

Præterea alios accendet, qui vel sua sponte, & voluntate, vel parentum cohortationibus, clericalis vitæ genus sequi velint.

Parentes etiam excitabit, vt filios huic militiæ sacræ offerant, oblatosque religiosè educent aut educandos curent. Et quos offerunt, meliores, & aptiores ministerio Dei deligant: & quorum indoles præ se ferat spem virtutum disciplinæ sanctissimæ clericalis.

Docebit item, qua intentione offerant: non rei familiaris augendæ causa, non quæstus auiditate, non familiæ suæ sustentandæ studio, non bonorum cupiditate, non ambitione, neque denique rei alterius cuiusuis humanæ affectu; sed ea solùm causa, vt Deo, ecclesiæque seruiant.

Reliquis autem fidelibus ostendet, quanta sit cleri dignitas, & quo honore digni ecclesiæ ministri. Proinde grauiter, paternéque eos arguet, qui clericos, sacerdotesve negligunt, vel aspernantur. Proponet istis molestias, curas, vigilias, quas populi causa, illi sustinent: vsque adeo, vt isti intelligant, honorem, quem ipsi clericali, sacerdotalive dignitati præstant, non tanti esse, qui dignitatis officij, & laborum sacerdotalium clericalisve magnitudinem adæquet. Iniquum esse demonstrabit, honorem Sacerdotibus non exhibere, qui se se pro populo Deo obstrinxerunt.

Docebit præterea, dignitatem Sacerdotalem clericalemque, non à persona eorum, qui illam obtinent, siue obscuro loco, siue humili genere nati sint; sed ab officij munere administrationeque pendere: nec propterea illos æstimandos esse, quatenus homines sunt, sed tanquam

dispensatores mysteriorum Dei: quorum omnis administratio illis commissa, ad populi salutem, & perpetuam vtilitatem spectat.

Sed cum multæ summorum pontificum epistolæ, & canones demonstrant, ac declarant honorem, qui honoratis clericis (quos Sacerdotes, & diaconos intelligunt) tribui debet; tùm verò vnus præcipuus est à Concilij Matisconensis patribus conscriptus in hanc ipsam sententiam.

Conc. Matisc. 1. c. 15.

Statuimus, vt si quis quempiam clericorum honoratorum in itinere obuium habuerit, vsque ad inferiorem gradum honoris veneranter, sicut condecet Christianum, illi colla subdat, per cuius officia, & obsequia fidelissima Christianitatis iura promeruit. Et si quidem ille sæcularis equo vehitur, clericusque similiter; sæcularis galerum de capite auferat, & clerico sinceræ salutationis munus adhibeat: si verò clericus pedes graditur, & sæcularis vehitur equo: illicò ad terram defluat, & debitum honorem prædicto clerico sinceræ charitatis exhibeat: vt Deus, qui vera charitas est, in vtrisque lætetur, & dilectione sua vtrumque adsciscat. Qui verò hæc, quæ Spiritu sancto dictante sancita sunt, transgredi voluerit, ab ecclesia, quam in suis ministris dehonorat, quamdiu Episcopus illius ecclesiæ voluerit, suspendatur.

Quàm gratus autem sit Deo honor, quàm grata obedientia, quæ ecclesiasticis hominibus, præsertim sacerdotibus præstatur, facilè ostendet sacrarum literarum doctrinis: rursusque quod præmium ob eam causam à Deo ferent, qui illius ministros suscipiunt, & honorant, quique illis obediunt. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: & qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*; inquit Christus Dominus.

Mat. 10.

Sunt generis loci, quamplurimi, quibus Parochus abundare debet, vt se, & alios excitet, ad muneris sui partes.

Docebit eos, qui Ordinis sacramento initiantur, vt non solùm quod cum omnibus commune est, sibi proponant, vt omnibus in rebus Dei gloriæ seruiant; sed etiam alicui certo ecclesiæ ministerio addicti, vitæ innocentia, morum castitate, iustitia, religione, pietate, sanctitatéque cæteris longè præstent, præcipuis illis muneribus, & functionibus obeundis, quas in ecclesia exequi debent: & verò tales denique se exhibeant, præsertim, qui sacerdotio initiantur, curasque animarum suscipiunt, quales Beatus Paulus Apostolus esse oportere scribit, nempè *irreprehensibiles, sobrios, prudentes, pudicos*, & reliquis virtutibus excultos: quarum officia, & Apostolica doctrina, & sanctorum patrum disciplina, & sacrorum conciliorum decreta, & canonum leges, & sanctæ matris Ecclesiæ instituta, ac ritus in illis maximè desiderant, qui Christi Domini sacerdotio funguntur.

1. Tim. 3.

Declarabit etiam Parochus, vt ecclesiastici ministerij, & præsertim sacerdotalis functionis excellentiam fideles intelligant, præcipua munera atque officia, quæ Christus Dominus clericalis ordinis hominibus, ac potissimum sacerdotibus commendauit; vt animarum saluti, quam profuso sanguine in ara crucis operatus est, per illos consuleretur.

Primùm Christus Dominus hoc mandatum eis dedit, præcipuumque munus commisit, vt Euangelium prædicarent, regnum Dei annunciarent, vimque diuinæ legis traderent, omnesque instituerent ad scientiam salutis.

Deinde Baptismum, & alia sacramenta, quibus diuina gratia impartitur, & augetur, per eos ministrari voluit.

Præterea, sacerdotes sacrificium pro se ipsis, & pro omni populo facere præcepit. Hæc, & alia munera atque officia sanctissima, quibus salus populi curatur, Parochus accuratissimè explicabit; vt qui ecclesiastico ordini adscribi volunt, facilè intelligant, se vocari ad magnas, diuinasque functiones. docebit verò, non humana quidem industria geri posse; sed diuina gratia, cœlestique virtute opus esse, quæ per Ordinis sacramentum, & ex sancta animi præparatione, spiritualibusque exercitationibus ministris ecclesiasticis confertur.

De denunciatione, & Inquisitione Parochi.

Denunciationem de iis, qui ordinandi sunt, in ecclesia parochiali habendam, itemque inquisitionem de eorumdem natalibus, ætate, moribus, & vita faciendam, fideliter diligentérque præstet; literasque testimoniales accuratè conficiat ad Archiepiscopum dandas ex eius mandato.

Formula denunciationis hæc est.

Notum facimus charitati vestræ, quod N. filius N: Prouinciæ N. parochiæ N. promouendus est ad ordinem N. ac proinde si quis vestrum sciat aliquod esse impedimentum, propter quod non possit promoueri ad dictum ordinem; veniat ad nos N. vel ad multùm Reuerendum D. Vicarium Generalem, vt illud notum faciat. Formula denunciationis hæc est.

Parochus præterea, vt populus intelligat impedimenta, quibus aliquis irretitus Ordinis sacramento initiari non potest, aut non debet; ea quæ sint, quandoque denunciet; & si opus est etiam explanet: sunt autem.

Minores ætate cuique ordini requisita.
Criminosi.
Hæresis nomine suspecti.
Ebriosi.
Impudici.
Vsurarij.
Scurræ, mimi, comœdi, histriones.
Infames quocunque modo, & vitiis dediti.
Ratiociniis obligati.
Insigniter deformes, & corpore vitiati.
Illegitimè nati.
Bigami quacunque bigamiæ specie.
Irregulares veluti.
Qui stipendium belli fecerint, vnde cædes hominum extiterit.
Qui sententiam capitis tulerint.
Qui criminis capitalis acta, sententiam, testificationesque dictarint, aut conscripserint.
Qui causas criminales egerint.
Suspensi.
Interdicti.

Excommunicati.
Amentes.
Morbo caduco laborantes.
Energumeni.
Ante tempus, aut per saltum ordine initiati.

Qui beneficium, aut facultates non habent, vnde viuere possint, si sacros ordines suscepturi sunt.

Qui non sunt confirmati.

Cum autem de ætate, natalibus, moribusque ordinandi ipse studiosè omni via inquirere debeat; de ætate quidem, & natalibus ad hanc rationem perquiret; si modò id munus, alij ab Archiepiscopo non mandetur.

Primò videbit, an eius, qui initiandus est, nomen, cognomen, & diem certum in libro parochiali baptizatorum comperire possit. è quo libro si inuenerit, exemplum exscribat: suaque duorumque testium manu, si commodè fieri potest, obsignet: vt constare possit, quo tempore is baptizatus fuit.

Ex libro item matrimoniorum, si inuenitur, exemplum item sumet, cuius testimonio probetur matrimonium inter illius parentes legitimè contractum.

Quòd si fortasse eiusmodi libri non extant; eam inibit rationem, vt testes fide dignos, nempe vicinos, parentes, aliosve, qui illum norint, ex mandato Archiepiscopi peritè examinet; ita vt ex eorum testimonio constet, ex quibus parentibus, & quo tempore natus sit, anque ex legitimo matrimonio.

Si verò de illius ætate, & de parentum matrimonio, ipse Parochus aliquid nouerit: id in verbo sacerdotis verè testatum faciat literis manu sua scriptis, atque obsignatis: quibus testatum etiam faciat rationem, & causam, vnde illa sciat.

De vita, & moribus, interrogabit præcipuè ordinandi magistrum, ac præceptorem, si quem habet; & parochiales item homines morum grauitate probatos, & alios quoque, qui illum benè norint.

Ipse verò semper quàm diligentissimè obseruabit clericorum parochialium vitæ disciplinam, mores, studiorum, & exercitationum clericalium instituta, omnemque agendi vsum; vt opportuno tempore de iis possit testificari.

Cura Parochi de adscribendis militiæ clericali.

Conditiones eorum, qui initiandi sunt, Parochus benè nosse studeat: vt quantum in eo sit, qui ex eius parochia sint ordinandi, curet iis non carere.

Vt instructi in primis sint vitæ spiritalis studiis atque exercitationibus.

Norint sanctas illas virtutes christianas, quarum officiis ipsi arctius quàm laici homines deuinciuntur. Atque illæ quidem sunt, deuotionis pietatisque zelus, castitas, sobrietas, pax, charitas, oratio, vsus frequens sanctissimorum sacramentorum, aliæque multæ vitæ spiritalis exercitationes, in quibus perpetuus esse debet ecclesiasticæ vitæ cursus.

Quò diligentius item clericalis disciplinæ, vitæque religiosæ institutis, ij, qui vel sponte se clericali militiæ adscribi volunt, vel à parentibus adhuc infantes destinantur, imbuantur; id crebrò illos Parochus præmoneat, vt ecclesiam, vel parochialem, vel aliam, quæ ex decretorum prouincialium præscripto eis assignata fuerit, frequentius adeant; functiones, quas clerici in ecclesia obeunt, cæteraque id generis ministeria studiosè obseruent, ad rationem functionum, quæ in Concilio Prouincial. primo, & quarto præscriptæ sunt: & ex forma, quam Archiepiscopus in eo genere proponi iusserit, item vt ecclesiasticorum hominum pietate præcellentium consuetudine vtantur.

Hac ipsa in re valde etiam elucebit Parochi pietas, si quamplurimos potest pueros præsertim pauperes bona indole præditos, qui spem afferant, se sacris initiatos, ecclesiæ ministros vtiles fore, ad ecclesiasticæ vitæ normam accuratè erudiat.

Doctrinis etiam, vt pro ratione ordinis, cui ascribi volunt, eruditi sint curet.

Musicæ modulationis, quem firmum cantum vocant, periti, vt ordo postulat, in quem volunt cooptari.

Cæremonias ritusque ordinis intelligant, quo initiantur.

Curabit etiam, vt cum ante statam ordinationis diem ad Archiepiscopum conueniunt, decenti vestitu clericali induti sint, & congrua pro sui ordinis ratione clericali tonsura in vertice insigniti. Qui verò tonsura nondum initiati sunt, vestitum clericalem tantummodò induant ex facultate concessa.

Docebit, vt testimonia Conciliis Prouincialibus, & in primis Concilio quarto præscripta, afferant. Tit. quæ pert. ad sacram. ordinis. p. 141.

DE SACRAMENTO Matrimonij.

Rubricæ, seu instructiones.

Quæ Parochus doceat.

Vt matrimonium inter fideles sanctè contrahitur, eò diligentius Parocho curandum est, quò grauius aliquando à plerisque peccari solet.

Habebit igitur ipse in primis rectè cognita præcepta illa omnia, quæ in matrimoniis rectè conficiendis seruari oportere, œcumenica Synodus Tridentina iussit: vt illa ipsa omnia accuratissimè, inuiolatéque seruanda curet. Sess. 24. de cret. de ref. matrimon.

Dabit etiam operam, vt illius Tridentinæ sanctionis iussa præceptaque parochiales sui teneant.

Proindéque sæpenumero, præsertim verò certis statis Dominicis diebus illam sanctionem rectè denunciabit, atque adeo explicabit, ad præscriptum diœcesanæ constitutionis.

Sacramenti autem huius institutionem, vim, naturam, & sanctitatem, Parochus, aliusve sacerdos, cui facultas celebrandi matrimonij data, aut permissa est, sæpenumero, & vt maximè potest accuratè, fidelibus ex catechismi Romani doctrina explicabit: vt omnes non solùm perspicuè intelligant, sed religiosè obseruent; cuius rei causa matrimonium institutum sit,

& quam animi præparationem, pietatémque in eo contrahendo requirat.

In hoc porrò tractationis genere Parocho quò sæpius versandum est, eò studiosius rationes colligendæ sunt, ex sacris literis, aliisque ecclesiasticis monimentis depromptæ, atque ex sanctæ disciplinæ Christianæ fontibus haustæ: quibus potissimùm hæc tria doceat: primùm, quo modo matrimonium sanctè contrahendum est: deinde quo modo in eo castè, piéque versandum: tum quo præterea modo in eo benè moriendum.

Docebit igitur, quo animi affectu, & quam ob causam fideles matrimonium ineant. Quo in genere demonstrabit ad illud eos non explendæ libidinis causa duci oportere, *sicut*
Psalm. 29. *equus & mulus, quibus non est intellectus*: neque præcipuè efferri cupiditate diuitiarum: sed cum prolis suscipiendæ gratia, quæ sanctam Catholicam religionem colens, ad cœlestium præmiorum hæreditatem, Christianæ vitæ præceptis piéque agendi vsu instituatur: tum etiam causa vitandæ fornicationis: & vt coniuges alter alterius ope adiuti, vitæ incommoda facilius ferre, & senectutis imbecillitatem sustentare queant.

Nec verò vniuersè solum, sed sigillatim speciatimque prout vsu venerit, id officium omni charitate præstare studebit: vt cùm de aliquorum matrimonio agitur, eos moneat, quàm singularem mentis integritatem, & pietatem adhibeant: cùm ad rem non humanam, sed diuinam, hoc est matrimonij sacramentum, aggrediantur: addet verò etiam Tobiæ exemplum ex sacris literis maximè ad hanc rem ac-
Tobiæ. c. 8. commodatum.

Simul verò vt fideles quoque intelligant, quibus sacris temporibus à nuptiis abstinendum sit, ac præterea in frequentiori orationis studio, quod dierum celebritas, & mysterium postulat, vigilantius incumbendum: ipsarum nuptiarum interdictionem eodem sacro Concilio confirmatam diligenter quoque enunciabit ita scilicet, vt eam demonstret inchoare à Dominica Aduentus vsque in diem Epiphaniæ; & à Dominica in capite quadragesimæ vsque in octauam Paschatis inclusiuè.

Neque id cohortari prætermittet (quamquam non est necessarium) vt ex imitatione antiquæ fidelium pietatis in statis Ecclesiæ ieiuniis, præsertim solennium quatuor temporum, à nuptiarum celebritate fideles abstineãt. Si enim coniuges cùm orationi, & ieiuniis vacandum est, Apostolus monet, ab matrimonij vsu abstinere: profectò æquissimum esset, & cum sancta disciplina consentiens, eos illo vel breuissimo tempore ab nouo coniugio ineundo se continere.

Sess. 24. dec de reform. matrim. c. 9 Et quoniam matrimonij libertas violari nullo modo debet, anathema, quod synodus œcumenica Tridentina iis constituit, qui vi, metu, alioque modo libertatem impediunt, vbi opus erit, euulgabit: vt perspicuè omnes intelligant, quàm grauiter peccent, qui hoc admittunt.

Hæc etiam vt infra accuratè cauebit. Non passim omnibus matrimonij contrahendi aditum patefaciet, quos ipse præsertim non norit. Vagantium hominum, & peregrinorum matrimonium non facilè celebrabit, sed diligenti primùm ex Concilij Tridentini præscripto inquisitione facta, & testimoniorum, quibus legitimè de illis testatum fuit, cautione studiosè adhibita, reque omni ad Archiepiscopum delata, ac facultate celebrandi matrimonij ab eodem impetrata. Quam cautionem eò diligentiorem tunc adhibebit, cùm parochia sua eo loci est, quò diuersarum nationum, præsertim hæreticorum, aliorumve, cum quibus contrahi nefas est, concursus fit: aut propius abest à regionibus ipsorum hæreticorum.

Si verò agatur de contrahendo matrimonio cum persona quæ in locis hæreticorum habitet, vel vbi hæreticorum more viuere licet; ne ad secundam denunciationem Parochus veniat, neque alio modo in ea re progrediatur, nisi prius nomen, & cognomen personæ quæ in ipsis locis habitat, Archiepiscopo denunciarit; & ab eo facultatem progrediendi impetrarit ex Concilio Prouincial. 2. Neque præ- Decr. 15.
terea facilè matrimonio eos coniunget, qui Pa. 64.
coniuncti, cùm fuerint aliquandiu absentes, obiisse rumor est; nisi certam exploratamque obitus notitiam habuerit, & vt constit. Clem. 5. cautum est, certus nuncius de morte allatus sit.

De Parochi diligentia in denunciationibus, aliisque.

ANtequam matrimonium celebret, Later. 2. c.
tres denunciationes ad Concilij Ge- 51.
neralis, & Lateranensis, & Triden- Trident. vt
tini præscriptum, tribus continuis festis diebus, sup. c. 1.
& de Ecclesiæ præcepto celebrandis, publicè in Ecclesia etiam vtriusque, si diuersæ Parochiæ contrahentes sunt, inter Missarum solennia faciet: nisi aliquando Archiepiscopus ex eiusdem Concilij Trid. decreto aliter iusserit.

Denuntiationem vllam ne remittat, nisi ex Ibidem.
facultate ipsius Archiepiscopi.

Antea verò quàm matrimonium denunciet, cognoscet quales sint, de quorum contractu agitur: an ætate legitima, qua conditione, an aliquo propinquitatis gradu inter se coniuncti, quo contrahere non possint.

Quamobrem cùm accuratè studioséque norit canonica impedimenta, & quæ futurum matrimonium impediant, & quæ contractum dirimant: tum etiam illa aliquando, prout vsu venerit, diligenter exponet, cùm multa ea sint, quæ tamen breui enumerantur his versibus.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.
Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Atque in his quidem rationem habebit impedimenti ex fornicatione contracti, de quo in sacro Concilio Tridentino cauetur. vt sup. ca. 4.

Gradus item consanguinitatis, & affinitatis benè notos habebit: & quo gradu contrahi liceat, id etiam rectè sciet, atque adeo interdum prout occasio tulerit, accuratè exponet ex Concil. Tridentino, & probatis doctrinis.

Matrimonium

Cap. 5. Matrimonium præterea gradu prohibito contrahi ita non licere ostendet decreti Tridentini auctoritate; vt scienter contractum, etiam separari, & spe dispensationis consequendæ carere debeat; quin etiam pœnam excommunicationis latæ sententiæ eos subire, qui scienter ita contraxerint ex clem. const.

Cap. 2. Spiritualis quoque cognationis impedimentum, & nosse, & enunciare aliquando debet, vt declarauit sacra Tridentina Synodus: quæ in Baptismo, baptizantem, & suscipientes, cum baptizato, eiusque patre, & matre; in Confirmatione verò patrinum item & confirmantem cum confirmato, & parentibus itidem illius hanc cognationem spiritualem contrahere definiuit; omnibus inter alios huiusce cognationis impedimentis omnibus abrogatis.

Anteaquam denunciet, primùm à mari, tum à fœmina Parochus exquirat, an matrimonij quod inter eos tractatur denunciationes fieri placeat; & an sponte & liberè ad eam rem veniant: & omnino antequam denunciationes inchoet, habeat consensum eorum qui contracturi sunt: quod si in diuersis parochiis illi habitant, vtriusque item Parochus hoc ipsum seruet. Neque matrimonium alter Parochus denunciet, nisi ab altero Parocho certior factus sit de postulatu, aut consensu illius, qui eius est curæ subiectus.

Qua in re caueat, nè dum matrimonij denunciandi tantummodo voluntatem eorum notam exploratamque inuestigando habere vult; ea inuestigatione matrimonij, aut sponsalium consensum exquirat.

Itaque de statis solùm denunciationibus explicatè ac distinctè, separatimque ab vtroque perquirat, idque à fœmina loco honesto, & in propinquorum conspectu; ita tamen, vt ne quisquam audiat; neque ita propè sit, vt illa præ pudore, vel alia causa minus liberè animi sui voluntatem exprimere audeat.

Si verò filij familias sunt, conuenit etiam, vt sciscitetur, de parentumne voluntate, an contra inituri sint matrimonium. nam quamuis eorum consensus necessariò non requiratur; si tamen contra faciunt, causam perquiret: qua cognita, illos cohortari paternè non desistet, vt parentibus in quorum potestate sunt, eum honorem tribuant, vt scilicet illis ne insciis quidem, nedum inuitis, rem tanti momenti aggrediantur: nisi fortè parentes futurum matrimonium malitiosè impediant.

Monebit præterea eosdem separatim, vt videant, nè matrimonio quod inter se contrahere volunt, aliquod impedimentum sit.

Eos item graui cohortatione diligenter moneat vt ante denunciationes oratione se muniant, remque totam precibus piorum, sanctisque sacrificiis commendent: tum ad matrimonium deinde ineundum ieiuniis, orationibusque se parent: sicque contra spirituales nequitias, & carnis procacitatem sanctè muniti, salutem & gratiam Dei ex eo Sacramento vberiorem sibi comparare studeant.

Denunciationes ipsas, pronunciato Euangelio, aut concione absoluta, Parochus ad populum conuersus faciet in hanc sententiam.

Formula denunciandi matrimonium.

NOtum facimus Charitati vestræ, quòd N. filius N. Parochiæ. N. cum ope & gratia diuina ducturus est in vxorem. N. filiam. N. Parochiæ N. Quo circa si quis è vobis sciat aliquod impedimentum siue affinitatis, siue cognationis spiritualis, quæ nascitur ex Baptismo, vel ex Confirmatione, siue aliud quodcumque, propter quod matrimonio simul coniungi non possint, veniat ad nos, vt tenetur in conscientia, & notum faciat nobis quamprimùm. Monendo vos, quòd quemadmodum quilibet tenetur notum facere impedimentum, si quod sciat, sic etiam obligatur cauere sibi, ne vllum falsum afferat. Nam præter graue peccatum, quod admitteret: excommunicationis præterea pœnam incurreret. Et hæc est prima denunciatio.

Ita dicet Parochus, si fuerit prima denunciatio: si fuerit secunda, ita dicet.

Et hæc est secunda denunciatio.

Si fuerit tertia denunciatio, sic dicet.

Et hæc est vltima & peremptoria denunciatio.

In denũciatione hoc animaduertet Parochus, vt & nomen, & cognomen, & patrem, & parochiam contrahere volentium nominet: si pater decessit, dicat, *Filius*, vel *filia quondam D. N.*

Si interea dum denunciationes fiunt, aliquod impedimentum certum patefiet, constiteritve; abstinebit à matrimonij contractione. Sin autem aliqua existet dubitatio, ambiguitasue, aut probabilis suspicio impedimenti alicuius: de re tota Archiepiscopum certiorem faciet, nihilque præterea aget, nisi de illius mandato. Si verò nullum patefiet, denunciabiturque impedimentum, sed adhuc aliqua suspicio subesse potest; ipse Parochus per se diligentius inquiret, an aliquod huiusmodi impedimentum matrimonio obstet: & quò cautius id agat, cum viro & muliere, de quorum matrimonio agitur, aut cum eorum parentibus seorsum colloquetur; grauitérque monebit; vt liberè dicant, si cuius rei conscij sunt, quæ matrimonio contrahendo legitimũ impedimentũ afferre possit.

Si probabilis dubitatio impedimenti sit, siue ex verbis eorum qui contracturi sunt, siue aliunde: supersedeat, & consulat Archiepiscopum, aut eius Vicarium. Multò magis si fama impedimenti oriretur, aut testis aliquis etiam vnicus de impedimento affirmaret.

Si verò nullum impedimentum appareat: tunc matrimonium denunciare, & celebrare pergat: caueatque nè sine causa procrastinet.

Si quem item malitiosè falsum aliquod impedimentum attulisse animaduerterit, quò matrimonium impediret: non propterea (re tamen bene cognita) desistet à denunciationibus, & celebratione matrimonij.

Matrimonij denunciationibus factis, si fortè accidit, vt illud duorum mensium spatio non contrahatur: nè illud celebret, nisi ritè repetitis denunciationibus: si tamen Archiepiscopus aliud non concesserit.

Quo die denunciatio vltima facta est, ne ipso die, nisi impetrata ab Archiepiscopo facultate Matrimonium celebret: nisi ea denunciatio

facta sit pridie illius diei, quo est initium Quadragesimæ, vel Aduentus: hortetur verò vt in alterum, aut tertium, aliumve diem differant; vtque interea orationi frequentius vacent, Missamque de Spiritu Sancto cum oratione de Beata Virgine, aut alia, vt est in Missa pro faciendo Matrimonio, pro se celebrari deuotè curent.

Monebit coniuges vehementer, vt ne ante Matrimonij celebrationem copula vtantur, neque simul habitent, aut aliquod commercium habeant: simul denuncians, grauissimis decretis secundi & sexti Concilij illius peccati absolutionem Archiepiscopo esse reseruatam, eique grauem pœnitentiam esse decretam.

Monebit item hortabiturve, vt eadem caueant, anteaquam benedictionem in Ecclesia susceperint.

Aget omni cohortatione cum sponsis, vt ad Matrimonij celebrationem ne accedant prius, quàm peccata diligenter confessi, sacram Communionem sumpserint; saltemque triduo ante Matrimonij consummationem. omninò autem & ieiunio, & aliis piis præparationibus ad huiusmodi sacramentum pura mente accedant.

Vt item die Matrimonij celebrationis & benedictionis, ad Ecclesiam accedant omni vestium moderatione, dignaque sanctitate Christianæ religionis: ita vt vt quantò generis claritate illustriores sunt, tantò studiosius in luce omnium splendescant virtute præcellenti; quæ Christianæ nobilitatis propria, in abiiciendo sæculi luxu, fugiendisque barbarici vestitus sumptibus maximè elucet.

Vt rem omnem deprauato vsu introductam profanamve in sancta Matrimonij sui celebritate caueant: vt olim fuit bibendi, cyathive frangendi corruptela.

Ne Matrimonio quempiam iungat, qui illud contrahere attentarit sine Archiepiscopi concessu; nisi delictum ita occultè sit admissum, vt nullum eius rei extet legitimum indicium.

Ne solennes nuptias sinat celebrari, nisi post diluculum postridie illius diei, qui postremus est temporis, quo nuptiarum celebritas iure sacrorum canonum, & ritu huius Ecclesiæ interdicta est.

Ne eodem tempore permittat sponsam domum traduci, aut nuptialia conuiuia celebrari: monens, pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurri ab iis, qui contrafecerint.

Omni autem tempore curet ea celebrari, quemadmodum modestiæ Christianæ conuenit.

Moneat quandoque fideles sibi commissos, de grauissimo eorum scelere vitando, qui ad res matrimoniales impediendas veneficiis fascinationibusve vtuntur: doceatque, eos pœna excommunicationis latæ sententiæ esse irretitos: & eositem, qui in soluendis iis veneficiis verba improbata, & superstitiosa adhibent, ex Concilio quinto.

Qui ad Ecclesiam sponsos deducturi sunt (qui paranymphi dicti sunt) ij sint ætate prouecta, & morum grauitate præditi, & plerumque eorum propinqui, & parentes. Velatam sponsam deduci monebit, cùm ob decentiam, Apostolique præceptum; tùm ob significationem subiectionis erga virum: Rebeccæ etiam exemplo, quæ vt sponsum conspexit, pallio caput velauit. Gen. 24.

Manè celebrabit, non à prandio: nec verò vnquam noctu.

In Ecclesia item Parochiali ante Altare maius: neque alio loco, aut alia Ecclesia.

Si domi aliquando fieri ab Archiepiscopo concedetur: id fiet loco eius decentiori, vbi sit item sacra imago, aliis profanis reiectis.

Meminerit, præter ipsius Parochi præsentiam, duorum etiam vel trium testium præsentiam necessariam esse, ex Trident. decreto.

Ne Matrimonio iungat, qui Doctrinæ Christianæ rudimenta ignorant. Vbi sup. 4 t.

Quomodo in Matrimonio sit versandum, & moriendum.

QVod ad illam partem pertinet, quomodo in Matrimonio sit versandum: docebit opportuno tempore Parochus officia erga vxorem, rursusque vxoris officia erga virum.

Monebit, vt incommoda Matrimonij patienter ferant, contenti ea, in qua vocati sunt vocatione.

Quàm diligenter [illegible] fidem, quam sibi mutuam præstiterint, inuiolatam seruent vsque ad mortem.

Quàm seipsos inter se vnicè diligant sancto cordis affectu, ita vt nefariis aliorum amoribus non capiantur, nec thorum maritalem inquinent.

Purum matrimonium sit, & ab obscœnarum cupiditatum contagione liberum, inquit S. Gregorius Nazianzenus. Cùm enim Matrimonium à Deo institutum sit, præcipuè ad sobolem procreandam, quæ sanctè educetur; sanctè illo vti debent: *vnusquisque sciat*, vt Apostolus monet, *vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderii, sicut & gentes, quæ ignorant Deum. non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.*

Vt illud meminerint Apostoli, *quòd mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

Vt in magnis anni solennitatibus, diebusque Dominicis, ex Nicolai primi rescripto; diebus ieiuniorum, & certo tempore orationi assignato, & quibus Eucharistiam sumpturi sunt, sumpserintve, à copulatione, actuque matrimonij, quantum possunt, de communi consensu abstineant.

Vt cùm vxor grauida est, frequentius ambo in oratione precibusque versentur, quibus à Deo prolem optimam impetrent.

Vt vbi liberos susceperint, nihil potius curent, quàm vt in timore Dei, & disciplinæ Christianæ institutis educent, & conforment ad præscriptum instructionum eo nomine editarum.

Vt rem familiarem modis nefariis nullo modo augeant, neque studeant locupletiores fieri cum offensione Dei, & iniuria proximi.

Vt patrumfamilias instituta exequantur libro instructionum explicata.

Sed vberiorem etiam cohortandi materiam Parochus sumet ex sanctis precationibus, quibus in nuptiarum benedictione mater Ecclesia vtitur.

De alia verò parte, qua scilicet ratione in Matrimonio moriendum sit; hæc doceat.

Primùm, vt in ægrotatione, sicut in omni alia re necessaria, sibi mutuam opem ferant, atque succurrant omnibus officiis, quæ cùm ad corporis curationem, tum in primis ad animæ salutem pertinent.

Vt propterea in ægrotatione nullum alter alteri præstet impedimentum, quominus continuam habeat Dei memoriam: immò verò potius sese mutuo consolentur salutaribus consiliis; ac cohortentur, aliosque item hortatores adhibeant, vt sanctissima sacramenta, pœnitentiam scilicet, Eucharistiam, & Extremam vnctionem in tempore suscipere ægrotus curet.

Vt liberos etiam piè, ardentisque charitatis studio admoneat, instruatque ad vitæ Christianæ rationes. Et verò vitia, quibus potissimùm illos deditos esse animaduerterit, vehementer obiurget. Demum benedicat exemplo sanctissimorum patrum.

Vt domui suæ benè disponat, & testamentum rectè conficiat, præsente etiam patre spirituali: de cuius consilio in testamenti etiam factione remedia quærat animæ suæ.

Vt in extremo etiam illo spiritu sese alacriter in Domino confirmet ad mortem suscipiendam, exspectans post separationem huius vitæ mortalis coniunctionem perpetuam in vita sempiterna.

Sed vberiorem præterea cohortandi materiam Parochus sacerdosve sumet, prout, sponsorum conditio poscere videbitur.

De benedictione nuptiarum.

Docebit Parochus opportunè, quanti benedictio nuptiarum facienda sit: quæ vt S. Augustinus ait, in paradiso initium habuit, quámque S. Patres maximè commendarunt.

Item de pœna suspensionis ipso facto illi ex Conc. Trident. incurrenda, qui sponsos benedicit sine proprij Parochi, vel Ordinarij licentia, sicuti qui matrimonio coniungit.

Benedicet autem semper Missa celebrata, cui sponsi ipsi intersint.

Caueat autem, ne quando coniuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat: siue mulier, siue etiam vir ad secundas nuptias transeat: si verò ea consuetudo vsquam est, vt si mulier nemini vnquam nupserit, etiam si vir aliam vxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea vtendum est. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiam si eius vir vnquam vxorem duxerit.

Contracto Matrimonio, Parochus eodem die quo illud contraxerit, celebraueritve, si mane poterit, sponsum sponsamque benedicet: alioquin alio festo die, & triduo, vnove saltem die ante consummationem matrimonij id fieri curabit.

Nuptiarum benedictionem, si tempus datur, die festo præcedenti denunciabit, idque populum grauiter monebit, vt sponsis à Deo gratiam cœlestium benedictionum precetur; quibus perfusi, matrimonium sanctè tractent, salutaresque inde fructus capiant.

ORDO
Celebrandi Matrimonium

Parochus matrimonium celebraturus, superpelliceo stolaque pro tempore indutus, in limine Ecclesiæ, aut ante altare sponsos aqua benedicta primùm asperget, vno aut duobus clericis adhibitis, superpelliceo item indutis: quorum vnus librum, alter vas aquæ benedictæ cum aspersorio habebit.

Deinde, vbi antè altare sponsam, eiusque parentes propinquosve ad sinistram; sponsum verò cum eis parentibus propinquisque item ad dexteram collocauerit: ipse Parochus sermonem habebit de vi, sanctitate, & cæremoniis huius sacramenti, aut etiam de tribus illis capitibus, quæ principio proposita sunt: quo scilicet modo matrimonium contrahendum, quomodo in eo versandum, & moriendum.

Absoluto sermone, præsentibus propinquis, & aliis pluribus, hoc ipsos sponsos admonet, vt eorum vterque sigillatim nominatimque interrogatus, ore, atque explicatè interrogationi respondeat, animóque consentiat: si verò quis eorum mutus est, aperto nutu, certóque signo consentiat. Sicque primò sponsum, deinde sponsam, nomine, titulove, pro ratione conditionéque personæ interrogat his verbis, vulgariter tamen prolatis.

N. vis accipere, & iam nunc accipis N. hic præsentem in tuam legitimam vxorem, sicut præcipit sancta mater Ecclesia?

Vbi sponsus explicatè respóderit, *Volo, & accipio* aut, *ita Domine*, tunc sponsam interrogabit.

N. vis accipere, & accipis N. hic præsentem in tuum legitimum maritum, sicut præcipit sancta mater Ecclesia?

℟. *Volo, & accipio*, aut *ita Domine.*

Quibus consentientibus, Parochus dicit hæc verba Euangelij.

Quod Deus coniunxit, homo non separet.

Interea sponsi genuaflectunt, & Parochus dextera sua sponsi dexteram prehendit, & ad significationem vinculi fideique coniugalis imponit manui dexteræ sponsæ: summitatesque stolæ in modum Crucis imponit ambabus sponsorum manibus, & apertè dicit:

Ego auctoritate sanctæ matris Ecclesiæ, qua fungor, coniungo vos in matrimonium, ter signum Crucis, super vtrunque faciendo. *In nomine Patris,* ✝ *& Filii,* ✝ *& Spiritus* ✝ *sancti.*

℟. *Amen.*

Deinde aqua benedicta eos aspergit, dicens.

Per aquæ benedictæ aspersionem, det vobis omnipotens Deus suam gratiam, & benedictionem.

De benedictione annuli.

Quibus peractis Parochus benedicit annulum à sponso datum Acolutho, qui illum in peluicula rectè collocatum benedicendum offert.

Parochus dicit.

Vers. Deus in adiutorium meum intende.
Resp. Domine ad adiuuandum me festina.
Vers. Gloria Patri, & Filio.
Resp. Sicut erat in principio, &c.
Alleluia, Kyrie eleison. ter.
Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo. Oratio.

Benedic† quæsumus Domine annulum hunc, quem nos in tuo nomine benedicimus; vt qui eum portauerit, in tua pace consistat, & in tua voluntate permaneat & in amore tuo viuat, & senescat, & multiplicetur in longitudinem dierum. Per Dominum nostrum, &c.

Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo.

Deinde aspergit annulum aqua benedicta; postea illum sumit, & tradit sponso, qui digito quarto annulari sinistræ manus sponsæ eum imponit, dicente Parocho, ac semel signum Crucis faciente.

In nomine Patris, & Filij, † & Spiritus sancti.
Resp. Amen.

Fit autem hoc ad significandum, quòd eo pignore sponsorum corda iunguntur: nam & in eo digito vena quædam esse dicitur, quæ ad cor vsque peruenit. Mox dicit.

Vers. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
Resp. A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.
Vers. Domine exaudi orationem nostram.
Resp. Et clamor noster ad te perueniat.
Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo. Oratio

Respice quæsumus Domine hanc coniunctionem, & bene† dicere digneris hunc famulum tuum, & hanc famulam tuam, quatenus inuiolatam sibi inuicem fidem perpetuò seruantes, tibi valeant adhærere. Per Dominum nostrum, Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, &c.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Kyrie eleison. ter.
℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus.
℟. Amen.
℣. Procedamus in pace.
℟. In nomine Christi.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.

Matrimonio ritè celebrato Parochus paternè sponsos monebit, Christianos decere, in ea celebratione à saltationibus choreisque abstinere, vt canone cautum est. Notabit verò ipse quàmprimum in libro Parochiali matrimoniorum proprio nomina coniugum, & testium, diem præterea, annum, & locum contracti matrimonij ex formulæ præscripto; quem librum apud se accuratè custodiat.

ORDO BENEDICENDI *sponsum & sponsam.*

Sponsus & sponsa ante consummationem matrimonij peccata confessi, veniunt statuto die in Ecclesiam parochialem sponsæ, vbi loco decenti Missam genibus flexis audiunt. Parochus autem, sacerdosve pro sponsis Missam celebrat, vt in Missali, nisi celebranda erit de Dominica, aut de sancto: tuncque fit commemoratio pro sponsis.

In Missa datur pax sponso primùm, deinde sponsæ: præbetur etiam sacra communio sponsis.

Celebrata Missa, & deposita planeta, & manipulo, Parochus ante altare sponsis genuflexis dicit.

Vers. Deus in adiutorium meum intende.
Resp. Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Alleluia. Kyrie eleison, ter.
Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo. Oratio.

Deus, qui de potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti, & depositis vniuersitatis exordiis, homini ad imaginem tuam facto ideo inseparabile mulieris adiutorium condidisti, vt fœmineo corpori dares de virili carne principium: docens, quod ex vno placuisset, institui, numquam licere disiungi. Deus, qui tam excellenti mysterio coniugalem copulam consecrasti, vt Christi & Ecclesiæ sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum. Deus per quem mulier iungitur viro, & societas principaliter ordinata ea benedictione donatur, quæ sola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluuij est ablata sententiam.

Respice propitius super hanc famulam tuam quæ maritali iungenda consortio, tua se expetit protectione muniri. Sit in ea iugum dilectionis, & pacis: fidelis, & casta nubat in Christo: imitatrixque sanctarum permaneat fœminarum. sit amabilis vt Rachel viro suo; sapiens vt Rebecca: longæua, & fidelis vt Sara. Nihil in ea ex actibus suis ille auctor præuaricationis vsurpet: nexa fidei, charitatisque vinculo, permaneat vni thoro iuncta; contubitus illicitos fugiat; muniat infirmitatem suam robore disciplinæ. Sit verecundia grauis, pudore venerabilis, doctrinis cælestibus erudita: sit fœcunda in sobole, sit probata, & innocens; & videat filios filiorum suorum vsque in tertiam, & quartam generationem, & ad optatam perueniat senectutem; & demum ad beatorum requiem, & ad regna perducatur cælestia. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, &c.

Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo.

Deinde Parochus cum clerico dicit Psalmum 127.

Beati omnes qui timent Dominum, &c. vsque ad finem.
Gloria patri, &c. Sicut erat, &c.
Vers. Et ne nos inducas in tentationem.
Resp. Sed libera nos à malo.
Vers. Saluos fac seruos tuos.
Resp. Deus meus sperantes in te.
Vers. Mitte eis Domine auxilium de sancto.
Resp. Et de Sion tuere eos.
Vers. Domine exaudi orationem nostram.
Resp. Et clamor noster ad te perueniat.
Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo. Oratio.

Deus Abraam, Deus Isaac, & Deus Iacob sit vobiscum: & ipse adimpleat benedictionem suam in vobis, vt videatis filios filiorum vestrorum vsque ad tertiam, & quartam generationem. Et postea vitam æternam habeatis sine fine, adiuuante Domino nostro Iesu Christo,

qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus. Per omnia sæcula sæculorum.
℟. *Amen.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*
Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.
℣. *Benedicat & exaudiat nos Deus.*
℟. *Amen.*
℣. *Procedamus in pace.*
℟. *In nomine Christi.*
℣. *Benedicamus Domino.*
℟. *Deo gratias.*

Tum aspergendo sponsos aqua benedicta, dicat.

℣. *Pax & benedictio Dei omnipotentis Patris, † & Filij, † & Spiritus † sancti descendat super vos, & maneat semper.*
℟. *Amen.*

Peracta benedictione sponsos hoc monebit, vt nocte saltem sequenti in castitate & virginitate permaneant, propter reuerentiam ipsius benedictionis. Caueant verò omnino vt supra dictum est saltationes, & tripudia, aliaque omnia matrimonij sanctitati repugnantia.

Si thalamo nuptiali benedicendum est, Parochus benedicet ex præscripta formula.

RVBRICÆ SEV INSTRVCTIONES Generales.

Pro benedictionibus.

IN omni benedictione sacerdos superpelliceo, & stola præterea pro ratione temporis vtetur, nisi aliter notabitur. Stando semper benedicet, non sedendo, aut genuflectendo, & capite aperto.

In principio cuiuscunque benedictionis dicet quæ sequuntur; & dum dicit: *Deus in adiutorium*, signum Crucis adhibeat.

℣. *Deus in adiutorium meum intende.*
℟. *Domine ad adiuuandum me festina.*
℣. *Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto.*
℟. *Sicut erat in principio, &c.*

Alleluia: In Quadragesima omisso alleluia, dicatur *Laus tibi Domine, rex æternæ gloriæ.*

Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.
Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo.

Postea oratio, vel orationes propriæ.

In fine benedictionis semper dicat.

Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo.
Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.
Vers. Benedicat, & exaudiat nos Deus.
Resp. Amen.
Vers. Procedamus cum pace.
Resp. In nomine Christi.
Vers. Benedicamus Domino.
Resp. Deo gratias.

Postea aspergat aqua benedicta ter res: primò in medio, secundò à parte dextera, tertio à parte sinistra, nihil dicendo: nisi in propriis locis aliter notetur.

Cum sacerdos aliquid benedicturus est, habeat duos clericos: quorum vnus vas aquæ benedictæ cum aspergillo, alter verò librum hunc ritualem teneat; aut vnum saltem, qui ei actioni inseruiat. Benedicet in Ecclesia ad altare stans in cornu Epistolæ, aut etiam in Sacristia ad mensam decentem, pro ratione eorum quæ benedicuntur.

Sed caueat, nè benedictionis gratia ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta: sed quod eiusmodi est, ponatur super aliquod scamnum paratum loco commodo.

INSTRVCTIONES Ad funera ducenda.

Et alia officia mortuis præstanda, maximè ex Concilio Prouinciali.

De tempore sepeliendorum corporum.

NE corpus aliquod sepeliatur, nisi duodecim saltem horis postquam spiritum exhalarit. Verùm si quem de improuiso mors, aut morbi alicuius repentina vis occupauit, is ne in sepulchrum inferatur antè vigesimam quartam huiusmodi repentini euentus horam, nisi Archiepiscopus aliter ex causa concesserit. Prou. 6. tit quæ ad fun pert. §. Delatum, pag. 309.

Antè solis ortum, & post occasum, mortuus ad sepulturam ne efferatur; neve inter maioris Missæ celebrationem, quæ de tempore fit, in Ecclesiam inferatur. Prou. 6. tit. de fun. p 35.

Aptissimum verò tempus ad fidelium corpora sepelienda est matutinum; vt scilicet pro eis Missa defunctorum ex ecclesiastico ritu, si commodè possit, & ritus non impediat, celebretur.

Curandum est, nè die festo funus ducatur: aut si ducendum sit, vt fiat post Vesperas. Sed non prohibetur tamen, quin ob vrgentem causam Missa conuentualis pro mortuo qui sepelitur, tali die celebretur, nisi alioquin ritus id nullo modo ferat. Diœc. 11. pag. 412.

De funere ducendo.

SIngularium Ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, ac parochialium Ecclesiarum clericis, vna tantùm suæ ecclesiæ crux præferatur; neque aliæ in funere deferantur, nisi quas suus quanque clerus subsequatur. Quòd si alij quoque clerici inuitati fuerint, eius rectoris qui inuitauit, crucem sequentur. Prou. 1. vt supra.

Cùm mortuus efferendus erit, cuiusuis ecclesiæ clerus qui vocabitur, in vnam proximam mortui ædibus ecclesiam congruo processionis ordine conueniat. Inde omnes ordine prodeuntes bini, canentes antiphonas, suo loco notatas; aut aliquos psalmos, si via longior fuerit, mortuum ab eius ædibus ad sepulturam comitentur. Ibidem.

Cùm ad ecclesiam venerint, omnes corpus suo ordine circumstent, instituta officia celebrantes; nec prius discedant, quam corpus in sepulchrum illatum fuerit.

Deinde singularum ecclesiarum clerici, eodem ordine quo venerant, crucem præferentes, ad ecclesiam suam redeant.

Caueant omnino Parochi, nè pallia, aut alia altaris ornamenta adhibeant, accommodentve,

ad ornatum feretri, aut tumbæ: sed feretro pallia adhibeantur, communibus cuiusque viciniæ sumptibus comparata; atque omnibus in funere gratis accommodentur ad Concil. Prouinc. 1. & 4. præscriptum.

Prou. 1. vt sup.

Prou. 4. tit. defunct. pa. 157. §. vbi ea nostra.

Si verò propinqui, vel hæredes mortui, alio pallio propriis expensis comparato vti voluerint; post funus illico ei ecclesiæ in qua corpus sepultum fuerit, acquisitum sit: quòd si aureum vel sericum, aut omnino pretiosum fuerit, ad eiusmodi vsum nullo modo in posterum adhibeatur, sed in eiusdem ecclesiæ ornamentum conuertatur.

Prou. 1. vt suprà.

Cùm ex parochia cui sæculari sacerdos præsit, mortuus effertur, vt in parochiali ecclesia sepeliatur: cui Regularis sit præfectus, vel contra; tunc vtrique Parochi superpelliceo & stola induti pares progrediantur. Reliqui verò regulares eum locum teneant, quem in generalibus processionibus tenere consueuerunt; non obstante quauis consuetudine, vel pactione, quam inter se fecerint.

Prou. 4. vt supra. §. Funeribus.

Funeribus, defunctorum officiis anniuersariis concelebrandis, cùm rector ecclesiæ præter clericum ministrum suum, alios etiam sacerdotes, clericosve, quorum ministerio operave vtatur accersere, adhibereve necesse habet; hoc ordine (nisi aliud defunctus, hæredesve illius voluerint) illos euocet: primò scilicet, si quos habet illius animarum curæ gerendæ quouis modo socios, collegas, adiutoresve; tum illius ecclesiæ titulares, vel canonicos, vel chori ministros, vel demum capellanos: item deinde clericos alios, ecclesiasticæ functioni, officiove in ea ea ecclesia adscriptosve; tum præterea alios, quos mortui hæres, aut is cuius interest, accersiri euocarive maluerit; nec verò plures adhiberi vllo prætextu, etiam huius decreti liceat, quam ille velit, vel sacerdotes, vel alios, etiam clericos tantùm, puerosque clericali vestitu indutos, etiam quos illi euocati secum duxerint: neque rursus ad eleemosynæ emolumentive cuiusuis generis eo nomine percipiendi partem vllam; neque denique vllum non vocatum admitti.

Ibid. diœc. 11. p. 423.

Illud Præpositi, Archipresbyteri, Parochi, Rectores, & alij quicunque clerici caueant, nè ad funus ducendum, aut officia pro mortuis celebranda, alios pro se mittant, emolumentum, aut eius partem ipsi percepturi; neque secum pueros, aut clericos ea spe perducant, mittantve, vt eleemosynæ, quæ illis data erit, participes ipsi fiat; nec sanè verò vllam eius partem vllo quouis prætextu, etiam sponte oblatam capiant: neque item qui mittuntur plus capiant, quàm si proprio solùm nomine vocati essent.

Ibidem.

Funeris ducendi certa hora constituatur, qua omnes quicunque euocati sunt conueniant, vt nulla interposita mora ad illud procedatur.

Ibidem.

Cautio sit, vt ne simplices homines quidquam superstitionis causa apud mortuum in feretro, aut in eius manibus ponant: aut aliud quod superstitionis speciem præ se ferat, aut suspicionem habeat, committant.

Ibidem. pag 158.

Cadauer cùm effertur, via procedatur, quæ à domo ad ecclesiam recta, ac breuis sit: si verò vsque adeo breuis & compendiosa est, vt ordines eorum qui comitantur funus, intra illius fines contineri non queant, tunc via paulò longiori funus ducatur: idque iussu, concessuve sacerdotis qui funeri præest.

Sermo si quis in funere habebitur, non domi, aut alio eiusmodi loco, sed in ecclesia habeatur.

Nemini quemquam in funere laudare liceat, nisi & personam, & laudationem scriptam ante probauerit Archiepiscopus: liceat tamen in funere concionem habere, quæ tota referatur ad humanam miseriam fidelium oculis proponendam, omnesque ad vigilandum, & se parandum cohortandos, vel ad alia huius generis documenta tradenda. Prou. 1. vt sup. p. 36.

Qui in funere officiisve funeralibus, vel exequiis quidquam vt infra peccarit; eius funeris officiiue funeralis omni eleemosyna emolumentoque careat omnino: pœnaque sit Episcopi arbitrio, tam ei si acceperit, quàm Præfecto, Rectorive qui dari curauit, consenserit, permiseritve. Prou. 4. vt supra.

Quicunque à funere, funeralibusve officiis eiusmodi abfuerit,

Qui item ad temporis, vel officij punctum ab Episcopo præstitutum non adfuerit.

Qui funere, officiove pro mortuis non peracto discesserit, quod fit dum corpus sepulturæ traditur.

Rursus, qui non peractis funeralibus officiis discesserit.

Qui item habitu, prout Episcopus præscripserit, non conuenerit, interfueritve.

Qui contra decretorum prouincialium præscriptum quidquam in illis peccarit.

Qui item alia commiserit ex iis, ob quæ Episcopi iussu pro absente habendus sit,

Qui item funeris, exequiarumque curatores vtpote antiani, vel alio vocati nomine, per se muneris sui partes non obierint.

De Cereis, & Eleemosynis.

Quoniam antiquissimi est ecclesiastici ritus, cereos accensos in exequiis, & funeribus ducendis adhibere; caueat Parochus, nè mortuorum corpora ad ecclesiam comitetur sine lumine, etiam si gratis id officij præstet.

Luminaria verò, cerei, & funalia, quæ ob sanctiores significationes in funere à quibuscunque, etiam dignitates obtinentibus, & ecclesiæ maioris canonicis accensa deferri decretum est; ne ante restinguantur, quàm totum officium etiam sepulturæ ritè absolutum sit: quòd si ex causa corpus tunc fortè sepeliri non possit, nec corpus tamen insepultum sine lumine relinquatur. Prou. 1. vt sup. p. 158. Prou. 6. v. sup. p. 208.

Quod de luminum numero, & pondere, ac etiam de eleemosyna auctoritate Archiepiscopi præscriptum fuerit, id omnino seruetur. interim Parochi, aliique caueant, ne hæredes defunctorum grauent immoderatis sumptibus, maximè cùm aliqua auaritiæ suspicione. Diœc. 11. p. 423.

Si mortuorum hæredes ita se impiè gesserint, vt religiosum exequiarũ institutũ negligentes, Prou. 1. v. supra.

Cruci, clericis, & funeri debita lumina adhibere nolint: cogantur auctoritate Archiepiscopi ea comparare, quæ necessaria videbuntur.

Prou. 1. vers. Prou. 2. tit. 2. decr. 16. pag. 67. Diœc. 11. p. 423. Candelæ omnes, cerei, & quæ intortitia vocantur, quæ circum crucem, & cadauer ad ecclesiam deferuntur, & alia quæ circa feretrum, & in altaribus, ac reliquis in locis, dum diuina officia in funere celebrantur, hæredum impensa accenduntur, ita Deo oblata etiam intelligantur; vt eius ecclesiæ sacristiæ, in qua mortui corpus humandum erit, continuò addicta sint: ita tamen, vt liceat Rectori ecclesiæ, vel ijs ad quos alioqui ipsi cerei pertinerent, quod diuinis officijs supererit, in alium eiusdem ecclesiæ vsum, vel etiam ad vitæ suæ dispensationem arbitratu suo conuertere.

Prou. 1. vers. Exequiarum, sepulturæ, & anniuersariorum causa nemo quidquam pacificatur, aut cum auaritiæ suspicione exigat: sed ijs eleemosynis contentus sit, quæ aut consuetudine probata dari solitæ sunt, aut Archiepiscopi auctoritate probatæ fuerint, aut deinceps probabuntur.

Qua in re illud etiam seruetur, ne tantum clericis, quantum sacerdotibus loco adhibeantur.

Ibidem. Miserabiliũ autem personarum, quibus mortuis nihil, aut ita parum superest: vt suis impensis humari non possint, exequiæ gratis omnino fiant.

Pro. 4. vt su. Eleemosyna, quæ clero ob funus, aut defunctorum officium datur: ne in ecclesia, cœmiteriove, aut spectante populo, sed eo remoto, locoque separato, factis exequijs officijsve, distribuatur.

Ibidem. Ne pactiones de funere, aut de exequijs pro mortuo celebrandis cum defuncti hærede, aut alio ad quem pertineat, à Parocho, aliove ea conditione fiant, vt certa ceræ pars, quæ exequiarum officijs supererit, ipsi hæredi, aut alteri restituatur.

Ne Parochi, alijve clerici, neque item exequiarum curatores, alijve, quicunque in funere operam ponunt, pignora capiant, quibus sibi caueant de funerali eleemosina, aut de eorum operæ in funere præstito mercede.

Pro. 4. vt suprà. Pro crucibus autem, & quæ circa cadauer, aut cœnotaphium disponuntur: pro campanis item, lampadibusve, aliove prætextu, aut nomine, nihil præterea capiat, exigatve, nec capitulum, nec quisquam de capitulo, nec rector, nec sacrista, custos, aliusve clericus quicunque: nisi si quid est, quod fabricæ, aut sacristiæ campanarum nomine dari piæ consuetudinis Ordinarius esse censuerit, idque verè in eum vsum cedat. At pro crucibus nihil omnino, quouis etiam fabricæ vel sacristiæ nomine accipi liceat.

Ibidem. Capitula, canonici, & alij ministri quicunque sint ecclesiarum, ne cœnotaphij quod in officio pro mortuis ex tabulis struitur, nomine quidquam capiant.

Ibidem. Quantum clericorum vsitato nomine dari solet, tantum custodibus, qui in minoribus ordinibus constituti sunt, detur: si in sacris fuerint, habeant quantum sacerdotum nomine datur.

Qui verò custos, vel crucem prætulerit, vel campanas pulsauerit, tunc ille accipiat, quod eo nomine tantum dari statutum est.

Eius generis homines, & alij qui in funus se ingerunt, nec quidquam operæ ponunt, nihil omnino consequantur.

Ne clerici, neve alij quicunque sint, qui aliquam in funere curam ponunt, vestes, indumenta, ornamentave cadaueri adhibita, nisi à sponte offerentibus accipiant: sed gratis, ac sine mora ijs ad quos pertinent, omnia planè restituant. Proũ. 1. & 4. vt sup.

Pro loco in quem mortuus infertur, à nemine, ne sacristiæ quidem, aut fabricæ, ecclesiæ, aut confraternitatis alicuius, alteriusve pij vsus nomine, quidquam prorsus exigatur: piæ tamen & laudabiles consuetudines seruabuntur. Pro. 4. vt suprà.

De ritu funerum.

Officium seu officij exequiarum illa pars quæ litanias sequitur, & incipit, *vsque in vita*, nullo modo omittatur; sed totum omnino absoluatur, etiam si ex causa corpus tunc sepulturæ non tradatur.

Quod antiquissimi est instituti, illud quantum fieri poterit, retineant Parochi, & alij funerum curatores: vt Missa præsente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam in sepulturam inferatur: cuius quidem celebrandæ locus in officio exequiarum adnotabitur. Pro. 6. vt suprà.

Laicum hominem defunctum, quouis etiam generis, gradus, dignitatisve nomine illustrem ne clerici efferant: sed laici: qui alicuius confratriæ etiam esse possunt. Ibidem.

Non liceat laicis hominibus, etiam confratribus, aut alij societati adscriptis, mortuo cuius funus agitur, totum officium sepulturæ præstare: sed sacerdotes & clerici eo nomine vocati id totum perfectè expleant: poterunt tamen confratres, si clerici desint, in cantandis psalmis, & litanijs sacerdoti respondere. Ibidem.

De sepultura.

Consuetudo multis locis intermissa mortuos in cœmeterijs sepeliendi restituatur: inde submotis, si qui ea vsurparint. Pro. 5. vt suprà.

Et si cui locus sepulturæ deinceps dabitur in ecclesia, humi tantùm detur: & sepulchrum in quo conditur, opere fornicato cum reliquo ecclesiæ pauimento æquatum sit.

Ne cuiquam ex vlla cuiusuis ordinis ecclesia mortui cadauer perpetuæ sepulturæ traditum asportare liceat, nisi facultate ab Episcopo impetrata, eaque literis nominatim exarata. Proũ. 4. p. 157.

Parochus, intra cuius parochiæ fines aliquis alienæ parochiæ occisus est, eius cadauer liberè aliò transferri nullo prætextu prohibeat: nihilque ea de causa accipiat. Si verò translatio ea cum funere fit, liberum ei sit vti iure suo. Ibidem.

De funeribus, & exequijs clericorum.

Sacerdos, aut clericus defunctus, vbi lotus fuerit, vestibus quotidianis communibus vsque ad vestem talarem inclusi- Proũ. 6. vt suprà.

uè, tum vestitu clericali ecclesiastico, quem ordinis sui ratio deposcit, indui debet.

Sacerdos quidem supra talarem vestem, alba, cingulo, amictu, manipulo, stola, & casula, seu planeta albi coloris induatur.

Diaconus, alba, cingulo, amictu, manipulo, Dalmatica, & stola super humerum sinistrum, quæ sub axilla dextera annectatur.

Subdiaconus verò, alba, cingulo, amictu, manipulo, & Tunicella.

Alij verò inferiorum ordinum clerici, superpelliceo supra vestem talarem, & insuper tonsura ornari debent.

Itidem alij sacro vestitu, pro ordinis dignitatisque ecclesiasticæ gradu.

Ibidem. Qui in superiori ordine constituti sunt, inferioris ordinis clericum non deferent: sed Sacerdotem Sacerdotes, Diaconum Diaconi, Subdiaconum Subdiaconi: & sic ordine cæteri efferant, nisi necessitas aliquando suadeat digniores ab inferioris ordinis hominibus efferri.

Ibidem. Episcopum verò mortuum, ij qui in ecclesia cathedrali dignitates obtinent, & canonici digniores efferant.

Prou. 2. vt sup. 2. decr. 24. pag. 67. Canonici mortui funus, eiusve, qui eiusdem ecclesiæ, in eave dignitatem obtinebat, capituli sumptibus à reliquis canonicis fiat, tum pro eius animæ salute Missa conuentualis celebretur, & vnusquisque item canonicus, ministerve eiusdem ecclesiæ, qui sacerdos sit, Missam itidem pro eo celebret.

Ibid. d. 15. Parochi mortui funus, vniuersi illius regionis, in qua ille habitabat, Præposituræve, Plebanatus, aut Archipresbyteratus Parochi obeant: nisi foraneus illius regionis Vicarius minorem numerum statuendum censuerit.

Ibidem. Primo autem post eius obitum die, eorum vnusquisque pro ipsius animæ salute Missæ sacrificium faciat. Quòd si eo die pro mortuis fieri ex ecclesiæ instituto vetitum sit, alio proximo die quo interdictum non sit, omnino fiat.

Pro mortuo Rectore decem ad summum dierum spatio omnes eius regionis aut plebanatus Parochi in ecclesiam conueniant, quæ eis à clericorum regionis præfecto, aut Vicario foraneo præscribetur: qua in ecclesia pro eo Missam conuentualem solenni ritu celebrent; tum supplicationibus & precibus Deum piè sanctèque orent, vt orbato gregi rectorem dare velit iuxta cor suum.

Quicunque verò eiusmodi pietatis officia præstiterint, eorum nomine causave nihil neque exigant, neque petant.

Is verò cui vacantis ipsius parochialis ecclesiæ administratio commissa est, fideles illius parochiæ incolas sæpè hortetur, vt omni intima animi pietate à Deo Rectorem precentur, qui illius ecclesiæ curationem gerere rectè possit.

Prou. 6. vt supra. Parochus, illius qui proximè præcessit parochi anniuersaria, stato die quo ille obijt, celebratione Missæ parochialis agat: si autem pro festi, solennisque diei ratione tunc agi non licet, alio die proximè antecedente quo licebit, pro illius animæ salute piè religioseque exequatur.

De Officijs defunctorum.

Prou. 6. vt suprà. dicec. 11. Pa. 425. IN omni ecclesia parochiali, vel collegiata, singulis Dominicis anniuersaria quæ in hebdomadam proximè sequentem in ea ecclesia celebranda erunt, fidelibus denuncientur. Idemque de septimo, & trigesimo, & alio huiusmodi officio præstetur, adhibita breui cohortatione ad orandum pro mortuis.

Quòd si huiusmodi anniuersarij dies in Dominicam, aut aliam diem, quæ ecclesiæ præcepto, aut consuetudine colatur, incidant, officia mortuorum transferantur, non quidem in sequentem diem, prout in sanctorum officijs fit, sed in præcedentem, vt antiqui est instituti.

Prouinc. 1. vt suprà. Pòstquàm corpus sepulturæ traditum est, Parochi eos ad quos pertinet, piè hortabuntur ad sacra diuinorum officiorum suffragia mortuis præstanda: qua in re illud caueant: ne quod pietate adducti suadere debent hæredibus mortuorum id cupiditate impulsi molestius flagitent, ac sic fidelibus offensioni sint.

Porrò tempus opportunum ad huiusmodi officia pro defunctis celebranda ecclesiastico ritu introductum est dies tertia, septima, trigesima: & anniuersaria: quod non ita intelligendum est, vt alijs diebus pro mortuis sacra officia præstare non liceat: sed quòd his diebus mortuorum commemoratio celebrari consueuerit: cuius ritus mysteria à sacris scriptoribus traduntur. Nonam autem diem, quia superstitionibus gentilium non vacat, nunquam ecclesia catholica admisit, vt S. Augustinus præcipuè testatur.

Consueuerunt etiam alii quadragesimum, alii quinquagesimum, alii sexagesimum, alij denique centesimum diem in defunctorum memoriam celebrare, vt potè qui mysterijs non vacent.

Missa defunctorum, corpore præsente omni die celebrari potest, præterquàm in parasceue, & paschate; quibus diebus non licet corpus sepulturæ tradere, nec Missam pro eo cantare.

Prouin. 6. vt suprà dicec. 11. p. 411. Orationem vespertinam pro mortuis in hac prouincia institutam Parochi omnino retineri studeant: ac propterea sæpè accurata cohortatione ad illius studium, vsumque perpetuum parochiales suos inflammare studeant: centum dierum indulgentiam proponentes, iis à Gregorio XIII. concessam, qui sono campanæ moniti, pro mortuis piè recitarint Psalmum, *De profundis*, aut orationem dominicam, aut salutationem angelicam ter dixerint.

Quæ oratio ab omnibus in omni parochiali ecclesia eadem hora, nempè æstate prima hora noctis, hyeme verò secunda hora habeatur.

Cuius orationis significatio campanæ sono fiat, ritu salutationis angelicæ: ita tamen vt inter primum & secundum campanæ signum, nec non inter secundum & tertium, tres etiam ictus campanæ distincti breuissimo interuallo dentur.

De curando cadauere.

POstquàm anima egressa fuerit de corpore, corpus domi lauari debet, & omnino ita curari, vt quandiu steterit super terram, non fœteat. Illud autem monebunt Parochi, vt virorum corpora à viris, mulierum autem à mulieribus curentur. vestiatur deinde corpus vestibus communibus.

Tum qui aderunt sacerdotes, aut ipsis absentibus, laici dicent orationes, *Deus veniæ dator. &c.* aliasq́; item. *Deus qui humanarum &c.* suo loco dispositas.

Collocabunt deinde corpus sic indutum, vel super mensam aliquam, vel in terra loco decenti super aliquod stragulum, aut tapete, & ad pedes, caputve semper candelam accensam habebunt: parua item aliqua Crux super pectus, & inter manus defuncti ponatur: aut vbi Crux desit, manus in modum crucis componantur. Sæpè etiam aspergatur corpus aqua benedicta.

Quibus non liceat concedere ecclesiasticam sepulturam.

STudeat Parochus cognoscere, quibus sepulturam ecclesiasticam concedere non liceat: caueatque ne aliquem, contra quàm sacrorum canonum iure statuitur, ad illam admittat. qua de re hæc illi ex sacris doctrinis deprompta sunt.

Negatur ecclesiastica sepultura paganis, Iudæis, & hæreticis, cum eorum fautoribus.

Excommunicatis maiori excommunicatione, etiam iniustè, qui in eorum obitu ab ea non fuerint absoluti.

Interdictis nominatim: & contra facienti proposita est pœna excommunicationis: & durante tempore interdicti, illis qui sunt de loco interdicto: atque ijs quibus est interdictus ingressus ecclesiæ.

Blasphemis manifestis Dei, & sanctorum, quando pœnitentiam contemnunt.

Seipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam, si decedant absque pœnitentia: secus si ex furore, vel insania.

Morientibus in torneamento, siue extra torneamentum ob vulnus in eo receptum, etiam si eos pœniteat: modò sint de numero eorum, qui in eo dimicabant, vel in eo se exercentibus arma suppeditabant: nam astantes non comprehenduntur. extenditur tamen hæc pœna ad morientes in hastiludiis, quando huiusmodi ludi itidem exercentur cum probabili periculo mortis.

Corporibus exenteratis, & dilaceratis contra constit. Bonif. viij. quod non procedit, si id non fiat propter vindictam; sed vel ob anatomiam: vel ne corpora fœteant, vel huiusmodi.

Infantibus mortuis absque Baptismo, si de ventre matris mortuæ sunt extracti: secus si non sunt extracti.

Manifestis raptoribus, & violatoribus ecclesiarum. si tamen hos pœnitet, quando moriuntur, ecclesiastica conceditur sepultura: sed clerici non debent eorum sepulturæ interesse, nec eorum eleemosynas accipere, si præter pœnitentiam, etiam non satisfecerint ex impotentia.


Manifestis vsurariis, nisi pœniteant: item si recusent præstare cautionem de facienda restitutione: & est excommunicatus, qui aliter eos in loco sacro sepelit. Prou. 1. tit. 1. decr. 18. pa. 63.


Religiosis, qui in eorum obitu inuenti sunt proprietarii, & absque pœnitentia obierunt.

Iis de quibus certum est & manifestum, quòd semel in anno non receperunt sacramentum pœnitentiæ, vel sanctissimæ Eucharistiæ in Pascha sine licentia Confessarii: & absque vllo signo contritionis obierunt. Si verò dubium est, vel occultum, quòd non receperint ea Sacramenta; non debet eis denegari ecclesiastica sepultura. Ad probandum autem, quòd huiusmodi homines aliquod signum contritionis dederint, sufficit vnus testis: & hæredes tenentur pro eo satisfacere, vt opus est.

Cuilibet notorio peccatori morienti in peccato mortali absque vllo signo contritionis: & vnus tantùm testis sufficit ad contritionem probandam vt suprà.

Si quis autem prædictorum in loco sacro fuerit sepultus: si discerni potest, exhumandus est: aliàs non: & ecclesia, vel cœmiterium est reconciliandum.





APPENDIX TERTIA.

INSTRVCTIONES PRAEDICATIONIS VERBI DEI.

Ex Concilij Prouincialis III. decreto, omnibus concionandi munere fungentibus editæ, Caroli S. R. E. Card. Tit. S. Praxedis, & Archiepiscopi iussu.

Carolus S. R. E. Tituli Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Mediolani, Vrbis, diœcesis, prouinciæque Mediolanensis Concionatoribus Salutem in Domino.



Rædicationis verbi Dei officium in Ecclesia sancta tanti illud sanè est, vt ad Dei gloriam, & ad cælestis regni propagationem, & ad animarum salutem plurimùm intersit, non solùm quales sint, qui præstantissimo illo munere funguntur, verùm etiam qua via, quave ratione illud præstent. Quare superioribus annis eo de genere nos decreta aliqua in Concilio Prouinciali primo confecimus, deinde alia Concilio item prouinciali tertio, tùm alia etiam quarto adiunximus, ad rectam illius sacræ prædicationis disciplinam. Verùm quò accuratius, vberiorique spiritali fructu concionatores tantæ rei munus administrarent atque exequerentur; nos de Episcoporum prouincialium, qui præsentes in eo tertio Concilio adfuerant, sententia & assensu, instructionem grauissimæ illius functionis, quæ vniuersæ nostræ prouinciæ vsui esset, per nos illis edendam decreuimus. Itaque certis regulis, quas partim ex iisdem nostris concilijs, partim ex sapientium virorum, sanctorumque hominum disciplina, partim ex optimorum concionatorum vsu accepimus, illam Deo iuuante confecimus: in eaque concionatoris imaginem, si minus omnibus numeris absolutam, perfectéque expressam, at certè aliquo modo adumbratam ijs omnibus & singulis proponimus, qui vel pro pastorali officio, vel pro ratione datæ facultatis, munus prædicationis in vrbe, diœcesi, prouinciaque Mediolanensi nostra obeunt. Multa sunt, quæ ad concionandi rectum officium pertinent: sed ea tantùm breui complexi sumus, quæ opportuniora videntur, quæque concionandi rationibus accommodatiora, concionatorem adiuuare, atque ad ea in primis instruere possunt, quæ proposuimus. Hæc enim si ad vim illam diuinam, quam sacrarum literarum verbis Spiritus sanctus inseuit, rectè accesserint: vix dici potest, quàm facilè cœlesti in primis ope, non modò bonorum mentes ad omnem partem pietatis religionisque inflammentur: verùm etiam malorum & peccantium durissima corda infringantur, animique hominum sceleratorum tenebricosa vitiorum nocte circumfusi, suauissima luce veritatis collustrentur. Huius igitur instructionis regulis cùm illi omnes & se, suumque officium, & cæteras actiones conformare debeant; tum verò vt id ipsum omni studio ijdem præstent, in sua quisque diœcesi Episcopus prouinciæ nostræ decreti etiam prouincialis auctoritate curabit. Verùm quò instructio hæc omnis ad singulas prouinciæ partes rectius accommodata, eò vberiorem pietatis fructum fidelium animis afferat: ab vnoquoque prouinciali Episcopo aliquid ei (præterquam illa, quæ decretis nostris prouincialibus speciatim sigillatimve cauta sunt) addi, detrahi, rursusque mutari liceat, prout ex ecclesiæ diœcesisve suæ vsu viderit. Et verò nos, sicut diligentiam, quam eo in genere Episcopi prouinciæ ponent, magno his instructionibus adiumento fore arbitramur: ita non dubitamus, quin ex studio quo ad eas ipsas exequendas concionatores vtentur, spiritualia illa commoda existant, quæ vehementer expetimus, cùm ad Dei gloriam, tum ad animarum salutem procurandam.

DE IIS QVIBVS VERBI Dei prædicandi munus incumbit.

TEstificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius, & regnum eius, prædica verbum, inquit sanctissimus Apostolus Paulus in epistola quam Timotheo Episcopo & discipulo scribit.

1. Tim. 4.

Sess. 24. c. 4 de reform.

Quibus ex verbis perspicuum planè fit, quod & sacrarum literarum monimentis perpetuò proditum, & aliorum Apostolorum, veterumque patrum exemplis demonstratum, œcumenica etiam Synodus Tridentina proximè censuit: verbi Dei prædicationem Episcopi esse munus præcipuum, idemque maximè necessarium.

Toto igitur pectore in eam curam incumbens, gregem sibi commissum, tum per se ipse, tum per alios verbo Dei pascet, ad illius Tridentinæ synodi, & Conciliorum prouincialium præscriptum.

Parochus præterea animarumve curator, solicitudinis pastoralis memor (in cuius sanè partem vocatus est, tanquam fidelis operarius ad messem missus, qui Episcopum opera sua adiuuet) eam præcipuam prædicationis verbi Dei curam sibi quoque impositam præstet atque exequatur, ex præscripto item decretorum, & œcumenicæ eiusdem Synodi Tridentinæ, & prouincialium Conciliorum.

Ibidem.

Si quis id aliquando præstare non poterit, subsidio omni, quod illis Synodis commonstratum est, omnino vtatur, vt verbi Dei pabulum statis diebus nullo modo desit gregi sibi in curam tradito.

Et verò quanquam Episcopus assiduis officij sui pastoralis laboribus muneribusque occupatissimus, sæpè ad omnem populum sibi commissum concionem habere non potest: tamen tam veterem, atque adeo ab apostolicis vsque temporibus deriuatam rationem adhibere studebit, vt diœcesis suæ populis à se distantibus per literas pastorales aliquando concionetur.

Hanc enim concionandi viam non modò sanctus Paulus Apostolus tenuit, sed etiam cæteri Apostoli, qui per epistolas absentibus prædicarunt.

Itidem ab antiquis sanctissimisque patribus factitatum esse constat: quorum animi eo charitatis amore flagrarunt, vt alij in exilium pulsi, alij in custodiam detrusi, vel alia ratione à grege commisso procul remoti absentesve, cum coram non possent, epistolarum pastoralium scriptione vterentur ad concionandum. Atque hoc quidem concionis genere Episcopus cùm sæpè vtetur, tum maximè quo tempore solennes anniuersariæ mysteriorum nostræ redemptionis celebritates aguntur.

Cùm autem id sæpè contingat, vt Episcopus, non solùm in ecclesia cathedrali, sed in vniuersa diœcesi, verbi diuini ministerium alijs deleget: quàm diligentissimè videbit, cui illius facultatem det, ne tanto muneri iniuria fiat, neve res sanctissima violetur; cum præsertim non cuiusuis sit, inquit Nazianzenus, *de Deo, diuinisque rebus differere, concionarive.*

Non facilè igitur illam ei concedet, qui sacerdos non sit, vt sanctissimi Leonis Pontificis canone constitutum est.

Si quando verò ob iustam aut necessariam causam diacono permittit; habebit rationem non solùm doctrinæ, & morum disciplinæ (quæ duæ res in concionatore requiruntur) sed etiam ætatis: quæ solida & confirmata expectari in eo debet, sanctissimi sapientissimique Pontificis Gregorij Magni iudicio.

Nullo autem modo concionandi potestatem faciet permittetve ei, qui diaconus non sit.

Neque item indocto, vel inepto, vel vitioso, vel vitij criminisve infamia notato: neque sæcularibus negotijs implicito: quem Nazianzenus in primis ad hoc munus nequaquam idoneum esse existimauit.

Qua in re habenda est etiam ratio corporis.

Ideo cui concionandi munus committitur, non erit is turpiter distortus, vel aliqua corporis parte vsque adeo deformis, vt cùm à sacris quoque ordinibus suscipiendis canonum iure repellatur, iudicet Episcopus illius deformitatem id generis esse, vt indecore etiam, ac non sine aliqua inde populi offensione, ille præstiturus sit tam graue prædicationis ministerium.

Solent enim in concionatore quædam corporis deformitates, præsertim si sint perinsignes, tum offensionem, tum risum afferre.

Regulares porrò cuiuscunque ordinis, qui tanquam Episcopi, parochive adiutores, in hoc munere vicariam operam nauant: licet ab illis qui eorum curæ præsunt, concionandi facultatem habeant, ne in suis ecclesijs, vt Tridentino Concilio sancitum est, concionentur, nisi benedictionem ab Episcopo ante petierint: neque autem vllo sanè modo eo contradicente, repugnanteve.

Sess. 5. c. 2. de reform.

In ecclesijs quæ ordinis sui non sunt, nullo præterea modo, vt eadem Tridentina sanctione cautum est, nisi scripta facultate ab Episcopo concessa.

Ibidem.

Facultatis verò, & benedictionis testimonium, anteaquam concionandi munus aggrediantur, rectori ecclesiastico oppidi, pagi, locive vbi concionaturi sunt, exhibeant.

Qui præterea regulares non sunt, concionandi munere (præter parochum in ecclesia parochiali) nunquam fungantur sine illa Episcopi facultate scripta.

Nec verò quisquam, ne regularis quidem, etiam in sui ordinis ecclesia ante concionari ingrediatur, quàm Episcopo fidei professionem ad sanctionis pontificiæ præscriptam formulam præstiterit, aut illius præstitæ testimonium obsignatum exhibuerit.

De disciplina virtutum, & vitæ innocentia concionatoris.

ILlud maximè sibi persuadebit, qui concionandi munus suscipit, se nisi rectè, & euangelii quod prædicat legibus congruenter vixerit, non magnam in audientium

animis vim imprimere.

Exod. 25. Quemadmodum enim in arca testamenti duo illi Cherubim ita collocati erant, vt semper mutuò se aspicerent: ita vita concionantis doctrinæ ex altera parte respondere debet, vsque adeo vt & vitam doctrina collustret, & doctrinam rursus vita corroboret, viresque eidem perpetuò addat.

Nam de abstinentia, ieiunio, lachrymis, oratione, eleemosyna, patientia, aliaque christiana virtute cùm concionatur; magnum certè pondus, maximumque momentum apud auditores habet, si in omni eius vita virtus eluceat, cuius præcepta concionando tradit.

Sciat item, se exiguum porrò fructum spiritalem fidelibus allaturum, nisi verè, ex animo, totoque spiritu dicat: ita verò dicere is certè potest, qui verè spiritualis est, sanctæque vitæ institutis atque vsui planè deditus.

Hoc præterea in animum inducet, se non posse vitiorum, nec verò virtutum vim naturamque satis planè ostendere, neque rursus docere, quemadmodum hæ amplectendæ sint, & illa fugienda (cùm tamen in vtroque eo genere officium concionatoris maximè eluceat) nisi depulsis primùm vitijs, & mundi huius cupiditatibus abiectis, maximarum virtutum præsidium vsu atque exercitatione benè religioseque agendi sibi comparauerit. *Mundari enim prius oportet, quàm mundare*, inquit beatissimus Pontifex Gregorius Magnus.

Erit igitur concionator singulari vitæ innocentia, moribus sanctissimis, & diuinis virtutibus instructus.

Dei igitur timore, terrenarum rerum despicientia, animarum salutis zelo, humilitate, mansuetudine, patientia, charitate, cæterisque religiosæ disciplinæ ornamentis benè munitus sit.

Quo de genere toto audiet sanctissimum virum Ioannem Chrysostomum ita monentem: *Doctor, concionatorve omnibus debet virtutibus esse excultus.*

Debet enim pauper spiritu esse: vt auaritiæ studium, atque omnem quæstus cupiditatem liberè reprehendat.

Debet perpetuò & sua, & aliena peccata lugere: vt eos exagitet, qui anteaquam peccant, peccare non verentur: & vbi peccauerint, dolorem non concipiunt scelerum quæ admiserint.

Debet esurire & sitire iustitiam, vt operum bonorum studio languescentes excitet verbo Dei, & exemplo suo accendat.

Debet esse mansuetus: vt ametur potius quàm timeatur.

Debet esse misericors erga alios, & seueritatem sibi adhibere.

Debet esse mundo corde, vt ne cogitationes quidem inanes & inutiles huius sæculi suscipiat, nedum sæcularibus negotijs se implicet.

Debet esse pacificus, vt populus quem docuit, solicitus sit seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.

Debet esse paratus ad omnes res vel difficillimas, pro gloria Dei, proque Ecclesia ferendas, non inani quodam animi impetu, sed solida veraque constantia digna martyribus.

Neque sanè solùm his Chrysostomi monitis se conformabit: sed disciplinam imitabitur aliorum duorum etiam Græcorum patrum, qui & sanctitatis, & doctrinæ laude celebrantur, Basilij, & Gregorij Nazianzeni.

Hic in libro primo quem de theologia elucubratus est; ille in epistola quam de vitæ solitudine ad eum ipsum scripsit, aliquando docet, qualem eum esse oporteat, qui concionatoris officium & personam sustinet.

At verò vitæ perfectæ, quam optimus quisque concionator instituat, genus potissimùm sequetur ad præscriptum Gregorij Magni Pōtificis: qui cùm sæpè concionatorem informat: tùm verò & in libro pastorali, & in moralibus, præsertim libro XXI. & libro VI. cap. XXV. alijsque præterea locis: quibus perspicuum fit, qui verbi diuini ministerium suscipit, talem esse debere, qualem se fuisse sanctus Paulus Apostolus ostendit his verbis: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Gla. 6.

De scientia concionatoris.

IAm verò concionator antequam prædicationis officium aggrediatur, in omnis sacræ ecclesiasticæque doctrinæ studijs, vt maximè potest, versari debet, præsertim si adhuc nullum docendi munus vnquam gessit.

Habebit omnes theologiæ notos & tractatos locos.

Traditionum apostolicarum ecclesiasticarumque notitiam tenere studebit.

In sanctorum Patrum scriptis atque sermonibus peritè versatus erit.

Sanctorum item spiritualiumque interpretationum vsu literatè peritus erit.

Nec verò ignorabit sacros ecclesiæ ritus, qui in sacramentis, in diuinorum officiorum cultu, in tota denique ecclesiastica ratione instituti sunt: eorumque mysteria & significationes, quibus explicandis mentes fidelium accendantur ad pietatis studium.

Cognoscet item rerum in ecclesia sancta gestarum, ac memoriæ veteris, & antiquitatis ecclesiasticæ ordinem: maximè autem sanctorum Patrum historiam, summorumque Pontificum, & Episcoporum, quorum sanctitas præclarè eluxit, vitas. Tenebit præterea aliquam veterum canonum scientiam, summorumque Pontificum descripta iura atque instituta, & Conciliorum decreta.

Theologiæ illius, quæ tota in spiritualis vitæ institutis tradendis, quæq; in purgandis affectibus, in reformationeq; interiori versatur, atque ob eam causā mystica, aut therapeutica vocatur, præcepta atque exercitationes benè norit.

Sanctarum meditationum, orationisque mentalis vsum ac peritiam habebit, vt alios ad cœlestium contemplationum studium erudire concionando possit.

Casuum conscientiæ doctrina instructus erit.

Morum, & virtutum Christianarum locos, non solùm ordine collectos, sed rectè notos habebit.

Locos item omnes sibi cōparabit, quibus auditorum animi commoueri atque excitari solēt ad Dei amorem, ad cœlestis patriæ desideriū, ad pœnitentiam, ad scelerum detestationē, ad

virtutum

virtutum studium, ad metum diuini iudicii, ad spem misericordiæ, ad misericordiam charitatemque erga proximum, & ad cæteras præterea affectiones, quæ ad cœlum excitatæ, Christianas virtutes pariunt.

Locos etiam illos tenebit, qui sæpissimè vsu veniunt; vt potè de diuitiarum & honorum despitientia, de condonandis iniuriis, de rebus aduersis constanti Christianoque animo ferendis, de immoderatis sumptibus, aliisque morum erroribus eripiendis.

Copiosa quasi supellectile instructus erit doctrinarum, quibus aliquando vtetur cùm opus erit, tum ad coarguendam impiorum hominum amentiam, qui de fide Catholica malè sentientes, ecclesiæ veritatem oppugnant; tum ad ecclesiæ dogmata rectè pièque commonstranda; tum verò ad alia multa eius generis.

Præcepta etiam rectè, intelliget officiorum, quæ magistratuum, quæ ciuium, quæ seniorum, quæ adolescentum, quæ viri, quæ vxoris, quæ parentum, quæ liberorum, quæ dominorum, quæ seruorum, quæ denique præcipua singulorum: vt si quando vsu venerit, de illis ex præscripto diuinarum literarum, sanctorumque patrum quàm optimè concionetur.

Illud denique non parum expediet, si concionator etiam græcè, & hebraicè nosse studebit: nam harum linguarum peritia, cùm ad alia multa vtilis est, tum maximè & ad eliciendos ex eadem scriptura plures Catholicos sensus, & ad explicandas illas sacrarum literarum voces ac dictiones, quæ magnam vim, magnamque emphasim habent.

Vim & copiam habebit similitudinum, quæ ab agricultura, vinea, semente, Sole, Luna, aliisque rebus ducuntur quæ sub sensum cadunt atque intelligentiam, præsertim eorum etiam rudium, ad quos concio habetur.

Agricolis porrò si concionabitur, plurimum ad rem proderunt similitudines, ab agro, vinea, frumento, vitibus, lino, cannabi, arboribus, stirpibus, aliisque agriculturæ partibus ductæ: itidem eueniet, si alterius conditionis auditoribus aptè illas ita accommodabit, vt eorum ordo postulabit: qui sanè quidem cùm ad certam quandam status sui cognitionem doctrinamque naturâ ducantur; tum certè facilius multò trahuntur, si vel à vitæ, vel ab artis, vel ab alterius rei quam profitentur genere, documenta sumuntur.

Multiplicem etiam variamque copiam argumentorum colliget, quæ propriè ac rectè accommodetur.

Sunt vrbani, & rusticani; sunt nobiles, & ignobiles: sunt magistratus, & priuati; sunt docti, rursusque imperita multitudo.

Pro audientium igitur genere, locos doctrinarum, ex quibus concionem cõficiet, non modò distinctos, sed optimè explicatos habebit.

Atque in hoc quidem multiplici genere concionator videbit, ne quæcunque (vt sanctus Gregorius scitè monet) legerit, aut scientia comprehenderit, omnia enunciet, atque effundat: sed delectum habebit; ita vt documenta alia exponat, alia tacita relinquat prout locus, ordo, conditioque auditorum deposcit.

Sicut autem rerum, quæ supra mox commemoratæ sunt, quarumque prior cura esse debet scientiam tenere concionatorem oportet: ita etiam sibi parare necesse habet benè concionandi modum.

Ex præceptis igitur rhetoricæ ecclesiasticæ locos discet; vnde concionis exordium, quando eo vtendum esse iudicauerit, rectè ducat, vt ab vitiosis exordiis, longè refugiat.

Disponendæ concionis modum intelliget.

Dilucidè distinctéque rei enarrandæ rationem percipiet.

Benè pronunciandi, decoréque agendi vsum tenebit.

Verborum pondera, vimque ita habebit, vt audientium animos penetret.

Quare priusquam concionandi munus aggrediatur, vires suas benè cognitas habebit: vt nec materiam quæ ingenii sui viribus præstet, nec formam dicendi sumat, ad quam appositus nullo modo videatur.

Ad quam sanè rem multum adiumenti hoc affert, si amicum, aut alium adhibebit, præsertim concionandi vsu peritum, qui semel, iterum, atque adeo sæpius publicè concionantem audiat: quique non ambitiosè corrigat, sed liberè, priuatim, remotisque arbitris moneat, si quid in aliqua parte erratum sit.

Ad imitandum etiam sibi constituet aliquem prædicandi laude florentem.

Quo in genere illud accuratè cauebit, vt ne (quod plerique faciunt) leuia quædam, ac sæpe etiam vitiosa imitetur; sed illa tantùm, quæ sapientum iudicio præclara atque egregia in eo potissimùm cernuntur.

Verum enimuerò sicut diligentissimè videre debet, quem è concionatoribus qui nunc sunt, aut certè superioribus temporibus extiterunt, ad imitationem deligat: ita maximè sibi veteres patres proponat; quorum in dicendo virtutes sequatur; Gregorii Magni, & Chrysostomi disciplinæ moralis copiam; Leonis Magni & Basilii grauitatem; Nazianzeni vim, Nysseni subtilitatem, Augustini acumen, Ambrosii temperatum dicendi genus, Bernardi dulcem, deuotamque orationem; atque omnino admirabilem & diuinam eloquentiam sanctissimi Pauli Apostoli: cui vni omnia quæ summi sunt concionatoris, atque adeo oratoris, multis præclaris exemplis tribuunt doctissimi patres, Augustinus, & Chrysostomus.

In concione autem quam habiturus est, illud sibi potissimùm proponet, in quo omnes neruos roburque industriæ suæ adhibeat, & in quo munus suum versari cognoscat; vt auditorum scilicet animos commoueat: cùm præsertim peccent homines, non tam quia verum ignorent, quàm quòd malè affecti sint.

Dabit igitur operam, vt quemadmodum per singula corporis membra sanguis diffunditur, ita in omnibus concionis suæ partibus quædam insint, quæ ad commouendum valeant.

Quare locos omnes optimè percipiet sanctarum affectionum, quæ mox supra commemoratæ sunt.

Posteà verò quàm iis doctrinarum ornamentis Deo benè iuuante instructus ad prædicationis functionem accesserit: hæc quæ sequuntur, omnino curabit, atque exequetur.

De Præparatione quam concionator vniuersè generatimque adhibebit ad concionandi munus salutariter exequendum.

QVo studiosius, atque adeò religiosius concionator muneris præstantissimi, quod sanctè & suscipere, & gerere debet, partes exequatur; illius in primis dignitatem auctoritatémque attentè cogitabit.

Qua in cogitatione hæc quatuor facile perspiciet.

Primùm scilicet ad Dei omnipotentis gloriam, ad animarúmque salutem referri omnem concionandi vim ac rationem.

Deinde se, qui prædicationis munus aggreditur, ministrum esse, per quem verbum Dei ab ipso diuini spiritus fonte ducitur ad fidelium animas diuinitus irrigandas. Post, res etiam sanctas diuineque traditas à se tractari oportere.

Tùm prætereà id prædicationis munus quod capesset, non modò sanctissimis ac diuinis viris, prophetis, Apostolisque à Deo commissum, sed ab ipso etiam Dei filio Christo Domino præstitum esse.

Verùm quò magis atque magis se se excitet; videbit diligenter, quanta, & quàm summa difficultas ei proponitur, qui in tanta, tamque perpetua & mundi & Satanæ oppugnatione fidelium animas ad viam Domini reuocare contendit.

Atque iis quidem sempiternis aduersariis cùm ad resistendum se imparem esse senserit; non modò illis virtutum armis, vt ostendimus, se communiet, sed assidua prece, & ieiunio frequenti Dei auxilium implorabit, ad impetus hostium adeò importunorum repellendos.

Cùm autem benè appositéque dicere, sit omnium iudicio vel maximè difficile; huius sanè rei difficultatem aliquando, ac potius frequenter meditabitur; vt ardentiori studio confugiat ad Deum, qui diuini sui spiritus afflatu omnia dicendi adiumenta subministrare potest.

Neque porrò viribus suis fidet; sed imbecillitatem suam rectè agnoscens, se se coram Deo abiiciet: cuius cœlesti benignitate ipse, quamuis abiectus, & prædicationis munere indignus, adiuuetur.

Vtque ad omnia sancta studia, quibus iuuare possit, vehementius accendatur, secum sæpè reputabit, quàm magnum præmium consequatur, qui ab errore viæ suæ peccantem abduxerit. *Qui enim conuerti fecerit peccatorem*, inquit S. Iacobus, *ab errore viæ suæ: saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Iacob. 5.

Hæc sæpè, piéque meditatus, is qui cœlestis doctrinæ concionator futurus est, cùm viderit, quanta res sit, quàm diuina tota concionandi ratio: tantæ rei quasi horrore quodam perfusus, ad eam suscipiendam se diuina in primis ope præparabit, atque muniet.

Hæc igitur supplex continenter petet.

Vt diuino adiumento, propriæ laudis aut gloriolæ non modò studio, sed ne opinione quidem efferatur; nullamque illius rationem planè habeat.

Vt se vehementius in dies inflammet, cùm ad præclaram illam diuinæ gloriæ cupiditatem, tum ad singularem erga proximos charitatem concipiendam.

Ad quas res duas potissimùm ipse omnes neruos intendet pietatis suæ.

Vt denique ope diuina, & rei cuius tractandæ munus suscepit, sanctitati; & personæ quam concionatoris sustinet, dignitati atque officio respondere possit.

Sibi verò quam maximam potest, vim in eo adhibebit, vt tota mente totoque animo defixus in cælesti Christi Domini regno propagando, in procurandaque animarum salute, suorum & commodorum & vtilitatum obliuiscatur omninò.

His igitur virtutibus, nempè sacris doctrinis, vitæ innocentia, morum sanctitate, & cœlestium rerum contemplationibus, is qui concionator futurus est excultus, idoneum se præbebit, vt ad prædicandum missus, populo valde prosit, tribus his quæ S. Bernardus commemorat, verbo, exemplo, & oratione.

Fugiet autem tanquam pestem, omnem ambitionem, omnemque illius suspicionem.

Nè loca insigniora, vbi prædicationis suæ semen spargat, ambiat, affectetve: memor Christi Domini, quem à patre è cœlo demissum ad erudiendum genus humanum, pagos, & vicos, castella obiisse legimus.

Nunquam in opinionem inducet, maiori atque nobiliori suggesto se dignum esse.

Fuit hæc quondam incredibilis ambitio ethnicorum oratorum,

Christianus autem concionator ab illius ambitionis suspicione alienus esse debet, qui ad prædicandum Christum crucifixum, non ad sui ingenii ostentationem vocatus est.

De præcipua vitæ ratione, quam scilicet speciatim concionator adhibebit, vbi concionandi munus susceperit.

QVod sanè verò iam initio positum est, quodque S. Augustinus scitè præscribit, in illud toto animo totisque viribus adiutrice diuina gratia, concionator cùm concionandi munus susceperit, incumbat, vt verbis perpetuò æqualem paremque vitam agat.

Est porrò euangelica doctrina, verbique Dei prædicatio, ignis ille semper in altari exardescens: cui perpetua solicitudine is subministrare debet ligna, nempè optima præclaraque vitæ suæ sanctissimæ exempla, officia, atque opera virtutum, quibus corda fidelium accendat ad sanctè agendi studium.

De diuino illo viro Ioanne Baptista illud euangelii literis proditum est, quòd *lucerna erat ardens, & lucens*, quippè cum cælestem illam doctrinam quam docuit, virtutum sanctarum splendore perenni collustrauit.

Quare perpetuam sanctissimæ vitæ consuetudinem seruabit.

In incessu, statu, accubatione, deiectione vultus, oculórum demissione, capitis inclinatione, genuū inflexione, in omni deniq; motu corporis

tenebit grauitate & decorum, à persona quàm sustinet non alienum.

Erit in omni colloquio grauis, mansuetus, ac salutaris.

In habitu vestituque religioso sacerdotaliue modestus.

In victu temperatus & parcus: ac ciborum varietatem fugiens, frugalitatis abstinentiæque studiosissimus.

Nec verò præ concionum laboribus, aliave causa nisi necessaria, id studium remittat: tantùm abest, vt à statis ieiuniis se eximat: immo verò illa religiosè colat, vt cæteros exemplo suo accendat ad leges abstinentiæ ieiuniique rectè seruandas.

Si quo autem in loco vbi concionatur, moris est, cibum à fidelibus concionatori opiparè præterque modum apparari: & verbis, & ipsa frugalitate qua perpetuò vtetur, omnique alia ratione, ab eo apparatu eos reuocare studebit.

Apud laicos cænare, prandereve, vt potest maximè recusabit.

Venientium ad se hominum salutationes quotidianas atque frequentes ne patietur.

Familiaritates & consuetudines laicorum valde euitabit.

Cùm autem eius vita debeat esse specimen virtutum omnium, non solùm ne peccato, sed etiam ne exemplo vnquam nocebit.

Caueat quàm diligentissimè fieri potest, nè cuiquam etiam arripere volenti, vel obloquendi, vel malè suspicandi quauis de re, quæ reprehendi meritò possit, occasionem dictis aut factis præbeat; nè eius ministerium quod sanctum est, vituperetur.

Quare cum cætera, quæ suprà præscripta sunt, accuratè seruet; tum hæc infra descripta.

In proprio monasterio, qui regularis est, habitet; aut in ædibus parochialis, collegiatæve ecclesiæ, vbi concionatur; aut saltem in aliis ecclesiasticis domiciliis, si vllo modo potest, ac distinctis omnino à laicali habitatione.

Neque fœminas ad colloquium secum ineundùm introducat, admittatve.

Ne ad mensam & conuictum adhibeat aliquem præsertim laicum, nisi spiritualis religiosæque vitæ studiosum.

Ne ostentet, quæ ad propriam laudem referri posse videantur.

Communi autem vtilitati seruiet.

Erit in omnes beneficus: vt quisque adiumento indiget, ita opitulabitur, & consolando, & consulendo, & benignè faciendo.

Nihil nisi quod honestum, quod pium, quod religiosum, quod sanctum sit, aut admirabitur, aut optabit.

Prædicationis porrò nomine occasioneve concionator regularis eleemosynam nullam paciscetur: si quæ sponte datur (præter illum quando extra monasterium degit quotidianum cibum) monasterio ordinis sui eam in commune conferet; aut superiori pro instituti cuiusque ratione & regula tradet; memor voti paupertatis, quo adstrictus, nihil proprium habere debet: imò illud proprietatis vitium in homine regulari detestabile fugiet, & corde, & ore, & opere.

Nihil sibi petet, nec verò extorquebit.

Non vestem, non indusia, non sudariola, non cætera id generis sibi quæritabit.

Nec vllum præterea munus, etiam cibarium capiet: nisi valetudinis imbecillitas aliquod esculentæ aut poculentæ rei donum requirit.

A superiore autē exspectare debet indumenta, & alia necessaria vsui vel vitæ vel studiorum.

Parochus etiam, aliusve, quicunque in sacræ prædicationis munere versatur, itidem rectè seruabit.

Omnis denique concionator quicunque sit, cauebit, vt non solùm crimine, sed etiam omni vel leuissima suspicione auaritiæ careat: quæ vbi in animum irrepserit, paulatimque illum occuparit, omnem sanctè agendi cursum atque adeo progressum impedit.

Ne animo quidē appetat, nedū petat quidquā, quod sibi aliquam cupiditatis notam inurat.

Nullis etiā perturbationibus animi succūbet.

Non iracundiæ cedet.

Non alii in eadem vrbe, eodemque oppido concionanti frequentiorem auditorum multitudinem inuidebit.

Et verò (quod diligentissimè cauere debet) neque aut verbo, aut facto, aut alio modo ei detrahet.

Auditores ab illo auocare non studebit.

Sed vt est Apostoli præceptum, *honore præuenientes*, illum diliget, colet, obseruabit.

Nec præterea despondebit animum, si perpaucos auditores ad se conuenire viderit: quoniam summus ille magister vitæ Christus Iesus, cum Dei sapientiam, vitámque æternam monstraret mundo, paucitate discipulorum contentus fuit: immo aliquando solam mulierem Samaritanam habuit, quæ illum & de diuino cultu, & de cœlesti gratia loquentem audiret. Ioan. 4.

In rebus aduersis omnem animi abiectionem vitabit.

Pro gloria Christi, pro salute animarum, in omni oppugnatione, nihil non fortiter constanterque aget.

Amore Dei inflammatus, non modò probra, conuicia, contumelias patienter feret; sed mortem ipsam, si opus fuerit, forti inuictoque animo subibit.

Offeret, commendabit se diuinæ luci, & præclusis sensibus in illius infinito amore immensaque charitate conquiescet.

Superbiam, fastidium, atque arrogantiam valde cauebit.

Ac propterea illa tantùm sola proferre studebit, non quæ qualis aut quantus ipse sit, declarent, sed quæ audientibus salutariter profutura sint.

In omni denique actione, functioneque, vniuerso populo spiritale gaudium, virtutumque sanctarum exemplum præ se feret.

Hæc verò vt Dei beneficio donoque rectè assequatur; id valde curabit, vt singulis diebus matutinas & cæteras canonicarum horarum preces officiumque ritè, distinctè, piéque, ex instituto atque ex præscripto regulæ quam profitetur, si regularis est, aut si sæcularis clericus choro adstrictus, ex illius disciplina; cum potest, in ecclesia, atque in ipso choro vnà cum cæteris præstet.

Recitato officio, aliquid temporis in diui-

narum rerum contemplatione, pioque tacitæ meditationis studio ponet.

Ita enim fiet, vt diuini amoris ardore inflammatus, qui orando meditandoque maximè exardescit, auditores suos, ad charitatis, quæ seminarium est omnium virtutum, studium incendat ardentius.

Missæ sacrificium quotidie offerre non prætermittet, nisi legitima causa impediatur.

Hoc sanctissimi sacrificii offerendi vsu frequenti, cùm sibi in omnes sanctè agendi partes plurimum proderit; tum fideles etiam excitabit, vt sacrificii sanctissimi sint cultores, & diligentiores & religiosiores.

De præparatione qua concionator vtetur ad singulas conciones.

Primum, cum prædicandi munus, non humanæ scientiæ aut eloquentiæ, sed diuinæ virtuti ac Spiritus sancti gratiæ inniti concionator intelligat; diligentissimè sibi cauendum existimabit, ne mortali culpa affectus Spiritum sanctum contristet, & apostolicum opus, atque adeo Domini nostri Iesu Christi munus attingat.

Sed conscientiam ante ab omni peccatorum impuritate pœnitentiæ sacramento expurgabit, quàm ad verbi Dei tractationem accedat.

Et verò grauissimam illam prophetæ obiurgationem vehementer pertimescendam ducat.

Psalm. 43. *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas; & assumis testamentum meum per os tuum?* Deinde cùm concionis quàm proximè habiturus est causâ, se studio dabit, sanctum Thomam Aquinatem, & alios sanctitatis laude claros viros ad imitationem sibi proponet; qui religiosa aliqua precatione vsi sunt, prius quàm studiis se dederent.

Post breui oratione ad Deum vsus id omnino studebit, vt quod in concione dicturus est, antea bene cognitum habeat; vbi verò ex studio, librorúmque tractatione cognouerit, ac perceperit, quod concionaturus est, tum singulas concionis partes quas animo cõcepit, etiam atque etiam diligenter piéque meditabitur.

Qua in meditatione ita religiosè sese afficere conabitur, vt audientium animos mentesque ad illum ipsum pietatis affectum sanctéque agendi ardorem, quantum in se est, excitet.

Ad se ardenti pietate inflammandum, dum etiam in concionis studio tractationéque versatur, Christi Domini cruci affixi, vel Apostoli Pauli prædicantis (vt sanctus Chrysostomus fecisse traditur) imaginem sibi ob oculos ponet: quam tacita meditatione intueatur.

Maximè verò nocte quæ concionis diem præcedit, eam præparationem adhibebit, vt ardenter Deum oret, omnis sapientiæ, omniumque sanctarum virtutum auctorem, qui & sibi, & aliis qui audituri sunt, largiatur, vnde diuinus cultus, & salus animarum adiuuetur.

Nec porrò nostra ætate defuerunt, qui non solùm profusis lachrymis, sed cæso etiam verberibus corpore id à Deo petere consueuerunt.

Id etiam institutum habebit, vt antequàm suggestum ascendat, perpetuò sibi proponat concionem eiusmodi, quæ scilicet vel multitudo sit hominum esurientium, cibumque à prædicatione sua exspectantium; vel cœtus claudorum, paralyticorum, hydropisi laborantium, mutorum, cæcorum, surdorum, malo dæmone æstuantium, leprosorum, valetudinis beneficium quærentium.

Huc cùm spectare debeat, ita in omni concionandi parte se comparet, vt eorum rationibus salutique prospiciat, & consulendo, & consolando, & omni officio, præstantique remedio.

Consideret præterea, se piscatorem hominum esse: ideo neruos omnes intendere debet, atque adeo expiscari, vt sagenam euangelicam impleat, nempè animas pereuntium Christo Domino lucrifaciat, quare videat, nè in prædicationis officio langueſcat.

Sed vt sanctas commotiones in aliis excitet, tales primùm animo suo ipse concipiet, atque in se se exsuscitabit: ita vt quales in aliorum mentes transfundi cupit, ipse illas animi sui sensibus rectè conceptas, quasi spectandas cæteris proponat.

Id assequi studebit primùm ardenti precatione; deinde rei de qua dicturus est, explorata cognitione; tum vehementi cognitione, & quasi ob oculos posita specie ipsius rei quam meditatione concepit; ac præterea attenta lectione loci sacræ scripturæ, qui cum re conueniat, quam animo excogitatam habet.

Et quoniam ad commouendos animos parum valet concio alieno labore conscripta: nunquam ad affectionum excogitationem alienæ concionis industria vtetur: sed ingenio suo concipiet ac gignet, quò vehementius primùm se, deinde alios afficiat.

Disciplinæ enim cibus qui populo proponitur, mente propria, quasi stomacho concoctus, vires maiores habet ad omnem sanctam commotionem.

Nè igitur concionator se totum in alienas conciones temerè ingurgitet: satius est, eas ex sanctissimorum ecclesiæ doctorum, Gregorii Magni, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, aliorumque patrum homiliis, sermonibus, & tractationibus confici, & quasi conflari.

Eam quoque præparationem in omni concione rectè explicanda adhibebit, vt quem deuotionis ardorem ex religiosa diuinarum precum recitatione, sacra celebratione, & pia meditatione Deo iuuante conceperit, eundem studiosè curet secum in suggestum deferre.

De concionatoris officio in suggestu.

Atque hæc quidem sunt, ad quæ concionator se paret, antequam suggestum ad concionandum ascendat: quem vbi ascendit, illud in primis breui tacita oratione rursus à Deo precabitur, vt syncerum castumque sit prædicationis suæ studium; vt nemini noxium; vt & sibi, & omnibus in commune salutare.

Hocque etiam summa prece tacitus contendet, vt si fortasse in concionando se vel gloria inani, vel alio vitio attentari aliquando contigerit; id, & alia omnia, quæ aliorsum quàm ad diuinam gloriam, ad animarumque salutem spectent, Deus diuinæ suæ gratiæ virtute disiiciat, atque planè auertat.

Deinde, quod antiqui instituti est, ac non sine

nomine mysterio quidem, salutationem angelicam, non festinanter, non canorè, sed graui, piaque pronunciatione, ac genibus flexis recitabit, ad præscriptam verborum formulam qua ecclesia sancta vtitur: ita vt ne verbum quidem vel addat, vel detrahat, vel mutet, quod ab illius instituta ratione diuersum sit.

Si concionatur intra Missarum solennia quæ ipse celebrat, salutatione angelica non vtetur.

Dum in concione versatur, sibi ob mentis oculos perpetuò proponet tanquam in aduerso pariete Christum Dominum in maiestate iudicantem: qui ab se quoque iam iam villicationis rationem deposcat.

Post concionem verò, prout ratio valetudinis tulerit, antequam cibum capiat, paulisper orabit: sicque quos progressus concionando facere cœpit, eos orando prosequetur: & sic deinceps adiuuabit perpetuo opere sanctitatis, ac voce virtutis.

De ritu concionandi.

Sacram concionem intra Missarum solennia, euangelio scilicet recitato haberi, antiqui instituti est.

Id igitur seruabitur non solùm ab Episcopo, parocho, animarumve curatore, aut sacerdote Missam celebrante, sed à quocunque alio concionaturo, etiam, qui tunc celebrat ibi.

Episcopus in Missæ solennis sacrificio concionem habebit, mitra, episcopalique sacro omni vestitu indutus.

Ministros sacris indumentis vestitos sibi concionanti ab vtroque latere assistentes adhibebit, ex veteri canone septem, vbi potest; sin minus, pauciores.

Ministrum præterea pluuiali indutum; qui à latere sinistro baculum pastoralem ante se sustineat.

In Missæ sacrificio non solenni cum concionatur, vtetur stato Missæ vestitu, mitra, baculo, & ministris saltem duobus superpelliceo indutis: qui si canonici sunt, canonicali chori vestitu induentur.

In alia actione quam in Missæ sacrificio aliove tempore, pluuiale, mitram, baculumque adhibebit, & duos pluresve ministros sibi assistentes arbitratu suo, prout actio solennis, & frequentia populi, & ecclesiæ vbi concionatur, ratio postulat.

Qua etiam in actione cappam episcopalem, & stolam potius quàm pluuiale & mitram adhibeat licet, & duos item sibi assistentes, superpelliceo, aliove chori habitu indutos; & duos præterea ministros, vnum qui pastoralem baculum, & alterum qui mitram à dextero latere teneat.

In actione minus solenni, in ecclesiave non insigni, rocheto, & mozeta vtetur, stola adiuncta, adhibitis etiam assistentibus & ministris vt supra cum insignibus episcopalibus.

Sed in omni alia functione, præterquam in Missæ sacrificio, triplici hac indumentorum ratione prout maluerit, vtetur; ita vt modò pluuiale, modò cappam episcopalem, modò rochetam mozetamque cum stola induat, pro temporis, loci, personarumve ratione.

Si quando ex tempore vsu venerit vt concionetur, vbique etiam sine stola gregem suum verbo Dei, salutaribusque monitis pascet.

In ecclesia cum concionatur, id muneris obibit sedens in medio altari in faldistorio, aut in sede loco eminentiori collocata, aut in cathedra episcopali; aut etiam suggestum, ambonemve ascendet; vbi itidem sedens concionem habebit mitra item, cæterisque vt supra pro ratione adhibitis.

Si in oratorio, aliove loco concionem habebit; de suggestu, si vllus est, aut de sede aliquanto altius collocata concionabitur.

De libro etiam vbique concionetur licet ad præscriptum concilii prouincialis quarti, ita vt vel ipse, vel Archidiaconus, aliusve quem maluerit, ei per clausulas sacræ scripturæ verba distinctè de libro pronunciet, quæ ipse deinceps ordine sigillatim explicet.

Parochus autem animarumve curator, qui inter Missarum solennia concionem habet; aut in altari ab epistolæ latere capite aperto concionando stabit, aut opportunius suggestum ascendet: vt facilius (præsertim cum populus frequens conuenit) ab omnibus exaudiri possit.

Qui in loco capite operto erit, & stabit, aut sedili inhærebit, casula dum concionatur indutus vel exutus, prout maluerit.

Alius verò sacerdos, cum non celebrat, inter Missarum solennia concionaturus, non in altari, sed de suggestu concionem habebit.

Quòd si parochus animarumve curator, aut alius sacerdos, aliquando intra Missarum solennia, quæ alter sacerdos celebret, aut alio tempore quàm in Missa concionatur; ad eius muneris functionem superpelliceo & stola vtetur.

At verò Regularis qui parochus non est, stolæ & superpellicei loco, vestitum adhibebit, qui ex regulæ præscripto in choro ad diuinorum officiorum celebritatem adhibetur.

Diaconus si quando ex facultate permissa concionatur, superpelliceo etiam vtetur, & stola in transuersum ducta.

Si præterea parochus, aliusve concionator, in Oratorio, aut Sacello, alibive concionem habiturus est, vbi suggestus nullus sit: aptiorem decentioremve locum ibi deliget, vnde concionetur.

Poterit autem idem parochus aliquando, cum ita expedire viderit, concionando libro euangeliorum vti: de quo libro ipse sacra verba per clausulas & sententias distinctè pronunciabit; tum ordine sigillatim explicabit.

Quibus temporibus concionandum est.

Prædicationis munus, nullo neque tempore, neque loco sibi Christus Dominus præfiniuit: neque Apostoli item, qui omni loco, omnique tempore sacrosanctum euangelium disseminarunt.

Huncque prædicandi morem sanctissimi viri, Dominicus, Franciscus, & Vincentius secuti sunt: qui vel in ipsis agris conciones habuisse dicuntur.

Cum igitur vel temporis, vel loci opportunitas tulerit, non solùm in ecclesia (qui locus prædicationis propriius est) sed vbique, omnique

tempore sacra concione populus Dei pascendus erit.

Quamobrem Episcopus in primis oblata sibi occasione, semper, & vbique gregem suum verbo Dei salutaribusque documentis pascet pro munere suo pastorali: cum eius & dicta & facta, quasi perpetuam quandam prædicationem ministrare præbereve debeant.

Omnibus autem saltem Dominicis, & solennibus diebus festis, in Quadragesimaque & Aduentu quotidie, aut saltem tribus hebdomadæ diebus, quemadmodum œcumenica synodus Tridentina sanciuit, sacras scripturas, diuinamque legem annunciabit: & aliàs, quotiescunque id opportunè fieri posse iudicauerit.

Sess. 24. c. 4 de refor.

Idem officium præstabit in sacris quatuor temporibus, statis anni solennitatibus, supplicationibus solennibus, iubilei indulgentiæve celebritatibus, in synodalibus actionibus, in omni sacramentorum administratione, in omnique consecratione & benedictione solenni, & in omni denique muneris episcopalis functione, quæ mysterii quod agit explicationem postulare videatur.

Quo in pascendi munere vsque adeo diligens erit, vt si quando episcopum qui aliunde venerit, hospitio exceperit; hanc etiam occasionem nactus, cum eo agat, vt concionem populo habeat: id quod ex Clementis Pontificis & martyris constitutione in concilio prouinciali quinto cautum est.

Tit. de episcopo. p. 280.

Parochi verò, omnesque animarum curatores itidem omnibus Dominicis, & solennibus diebus festis, & in quadragesima aduentuque diebus singulis, aut iis saltem quibus episcopus iusserit, ex Tridentina sanctione, & prouinciali decreto, verbo Dei populum pascent.

Vt suprà.

Cum item quatuor ieiuniorum tempora, aduentus Domini, septuagesima, & anniuersariæ Domini solennitates instant; idque constitutis aliquot ante diebus, ad præscriptum concilii prouincialis tertii.

Tit. quæ ad concionato. pert. p. 88.

Idem præstent, quoties sacramenta ministrabunt, idque præsertim catechismo Romano.

Iis etiam diebus, cum proximè sacramentum Confirmationis ab Episcopo ministrandum erit, ac præsertim de eo sacramento; quò populus ad illud religiosè suscipiendum instructior accedat.

Id ipsum etiam agere non omittent, cum aliquæ statæ processiones, vel aliæ supplicationes ob publicam causam extraordinem indictæ agentur.

Cum iubileum item celebratur.

Quo præterea die vel exequias agent, vel ædium benedictionem, vel alterius rei benedicendæ, vel piæ societatis instituendæ, vel cuiusuis rei agendæ, quæ parochi sacerdotisve officium attingat, munus aggredientur.

Nemo autem præter parochum animarumve curatorem, cuiuscunque ordinis sit, aut quocunque loco concionetur, concionem habebit, vt à Clemente quinto Pontifice in concilio Viennensi sancitum est, qua hora episcopus in eadem vrbe, oppido, locove concionatur: nisi aliter is concesserit.

Nec verò etiam parochus, quando episcopus ita iusserit.

Illud enim episcopo, cui prædicationis munus præcipuè incumbit, tribui æquissimum est.

Proinde cæteri concionatores quibus prædicatio delegata est, id etiam non est cur ægrè ferant, si in quadragesima, Aduentu Domini, aliove tempore, certos aliquos dies potissimùm episcopus aliquando deligat, quibus in ecclesia cathedrali, aliove loco vbi illi concionentur, oues sibi commissas ipsemet pabulo verbi Dei pascere aut reficere velit.

Dum concio habetur, in ecclesia vbi habetur, missa non celebretur, ne in loco quidem subterraneo, quæ confessio dicitur.

Videbit etiam concionator, ne à prandio, qua hora doctrinæ Christianæ scholæ habentur, concionetur: neque item qua hora diuina officia in Cathedrali ecclesia, vel parochiali celebrantur: à quibus populus abduci non debet.

Ne noctu vnquam concionem habeat: sicubi verò concionem de passione Domini haberi de nocte moris est, in matutinum tempus sextæ feriæ transferat.

Materia sacræ concionis vnde sumenda.

Primo concionator ita suam instituet concionem, vt ex doctrina constet euangelica: quæ vbique gentium & terrarum omni creaturæ à Christo Domino & magistro vitæ iubetur prædicari.

Ita verò constabit, vt ad illam ipsam præclarè contexendam, alia diuinæ legis diuinarumque literarum testimonia, sanctorum patrum disciplinas & exempla, sacras ecclesiæ traditiones, sanctiores interpretationes, & totius ecclesiasticæ antiquitatis cognitionem rectè appositeque vt vsu venerit, accommodet.

Euangelicæ igitur historiæ commemorationem nunquam omittet: vt (quod sæpè fit) aliud dicendi argumentum non sumat: nisi vel celebritatis, vel officii quod peragitur, ratio, aliter aliquando deposcere videtur: aut opportunius aliquando censuerit alias Missæ partes tractare, vt mox infra.

Epistolæ etiam, quæ in Missa ex instituto ecclesiæ recitata est, explicationem dilucidè cum euangelii interpretatione interdum coniunget.

Ex vna & altera explicatione locos aliquot communes deliget: quibus populum ad Dei charitatem, ad proximi dilectionem, ad vitæ Christianæ instituta, ad pietatis opera atque officia inflammet. Proponet item sæpius fidelibus, quid eo die ecclesia Dei precetur, quidque potissimùm oret.

Quamobrem aliquando precationes seu orationes, quæ collectæ nominantur, præsertim quæ primo loco ponuntur, fidelibus accuratè piéque exponet.

Sacrificii etiam Missæ, diuinorúmque officiorum, & anniuersariarum solennitatum, ac temporum mysteria auditoribus diligenter explanabit: vt ritè rectéque instructi, ecclesiæ filii à matre in tanta mysteriorum celebritate non modò operibus non discordent, sed ad omnem religiosum, eorum quæ sanctè aguntur, cultum, ardentius inflammentur: atque adeò

vberiorẽ ſpiritalẽ fructũ ex reb⁹ diuinis capiant.

Instituta præterea eccleſiæ, ſanctaſque conſuetudines, vt occaſio tulerit, docebit.

Sancti cuius dies feſtus agitur, vitam verè grauiterque conſcriptam, patrum iudicio comprobatam, vt infra præſcribitur, commemorare non omittet, aliquo delectu exemplorum, quibus animos conformet in omnes benè ſanctéque agendi partes.

Digredietur interdum, vt & occaſio, & argumenti ratio feret, ad ſymboli, orationis dominicæ, ſalutationis angelicæ, decem præceptorum, & ſacramentorum explicationem.

In omni porrò materia, genere concionis tractationiſve, hæc cauebit vt mox infra.

Ne à veteri vulgataque Bibliorum editione perpetuo ſanctæ eccleſiæ vſu comprobata, proferendis diuinarum literarum ſententiis diſcedat, ſed illam pro authentica habeat, vt decreto Tridentino cauetur. Seſſ. 4. decr. de edit. & vſu ſac. libr.

Ad planiorem tamen illius explicationem vberioremque vti etiam licebit græca, & hebraica lectione.

Ne ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorqueat, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater eccleſia, aut contra vnanimem patrum conſenſum, vt ſapienter eadem Tridentina ſynodus cauit. Ibidem.

Si quam verò nouam interpretationem ab eccleſiæ ſenſu patrumque ſententiis non alienam, quæ vel fidei catholicæ doctrinam illuſtret, vel pietatis ſtudium excitet, aliquando afferre cogitat; aliquid breui præfabitur, quò id ſibi licere humiliter præſertim ab epiſcopo præſente petat.

Subtiliores quæſtiones apud imperitam multitudinem nè attingat.

Ne de beatiſſimæ Virginis immaculata conceptione diſputare auſit, contra præſcriptum ſanctionis pontificiæ Pii Quinti.

Ne hæreticorum nomina, portenta illa quidem & monſtra in vulgus dicat: niſi cum aliquando, & in locis eorum finitimis, vbi ea nota peruulgataque ſunt, iſtorum nefaria doctrina exagitanda & explodenda eſt.

Ne facetias, ridiculeve dicta afferat.

Ne res ineptas, vel ſuperuacaneas, vel parùm fructuoſas afferat; ſed eas tantùm, quæ dignæ Dei templo, dignæ Chriſtianis moribus, auribus iudicentur.

Ne nouas allegorias commíniſcatur; ſed eas ſeligat ex receptis ab eccleſia ſcriptis.

Ne quidquam ab eccleſia, eiuſque inſtitutis, ritibus, conſuetudine, perpetuóque vſu alienum, quodque cum probatis eccleſiæ doctoribus conſentiens non ſit, proferat.

Ne hiſtorias ex apocryphis ſcriptorib⁹ narret.

Ne vulgaria, ac minus comprobata, cum de ſancto concionatur, in medium afferat; ſed quæ vera, grauiumque virorum literis prodita, fidem augent doctrinæ catholicæ, atque audientium mentes ad pietatis ſtudium incendunt.

Proinde aliquod peculiare præcipuumque donum diuinitus ei datum exquirat, quod auditoribus enunciet.

Neque id omni loco, ſed potiſſimùm in extrema parte concionis.

Ne miracula narret, quæ certi auctoris teſtimonio non commendentur.

Ne incerta, quæque ſpeciem falſi præſeferunt, commemoret.

Ne futurorum prædicationem ſibi ſumat.

De extremo iudicii die & Antichriſti aduentu ita ad populum verba faciat, vt ea expectatione peccatores terreantur: de tempore autem quo illud futurum ſit, nihil pro certo affirmare audeat.

Ne ex profanis libris (qui non ſine reprehenſione ab hominibus religioſis legi poſſe videntur) quidquam in medium afferat.

Ethnicorum doctrinam, poëtarum verſus, philoſophorum diſciplinas, quæ religioni Chriſtianæ non alienæ ſed accommodatæ videntur, ad vtilitatem & vſum reuocari, ſancti doctores, Auguſtinus, & Hieronymus, aliique cenſuerunt.

Sed concionator hoc faciat quàm rariſſimè: neque vbi primò diſputationem aliquam aggreſſus eſt, ſed poſteaquam ſacrarum literarum teſtimonia attulerit.

Nec verò in illis doctrinis longior ſit, quàm deceat, ſed paucis quidquid ab eis afferet, complectatur; atque ita quidem, vt multæ cognitionis oſtentationem caueat.

Ne patrum ſententiam temerè vnquam refutet: cum autem in medium attulerit, ante ſapienter perpendat: præſertim Græcorum patrum, quorum interpretatio fidei catholicæ hoſtibus contaminata aut deprauata eſt.

Ne ſingulares quaſdam opiniones (quanquam illæ quidem in ſcholis afferuntur) ad concionem adhibeat.

Si quando doctrinã ſcriptoris alienæ ſcholæ afferet, de ea honorificè aliquid paucis præfabitur.

Ne doctores & auctores neotericos in medium afferat.

Ea eſt enim ſuggeſti auctoritas; vt ſacram ſcripturam in primis, & ſanctorum veterum patrum doctrinam requirat.

Ne ſanctorum doctorum prolixas ſententias, ſed breues latino ſermone recitet.

Si eos complures aliquando nominatim appellare cõtigerit: primò veteres, tũ ordine deinceps alios ab illorum ætate recẽtes nominabit.

Ne profanum quidquam, ne edicta laicalia, ne cætera id generis de ſuggeſtu enunciet.

Ne pauperem quidem eleemoſynæ nomine commendet, niſi epiſcopi eiuſve miniſtrorum auctoritate.

Ne indulgentias item populo promulget, niſi vt per epiſcopum iuſſus erit.

Ne quemquam nominatim inſectetur, vel ita verbis depingat, vt de quo loquatur, facilè poſſit auditor animaduertere.

Ne in ordinem vllum, aut ſtatum, aut vitæ genus ab eccleſia receptum inuehatur.

Ne epiſcopos, alioſve prælatos, nec verò ciuiles magiſtratus in concione aſperius obiurget; ſed ſi quando occaſio tulerit, piè potius admoneat.

Ne cum reprehendit, id hominum, ſed peccatorum odio, immo pietatis & charitatis ſtudio ductus faciat.

Ne vitiis exagitandis quaſi furenter iratus excandeſcat nimis.

Ne iniuriosa verba proferat, neve ignominiosa.

Ne obiectationibus, quæ aliquando fiunt, & querimoniis de suggestu respondeat.

Ne de suggestu vnquam conqueratur, sibi coronam non adesse frequentium auditorum.

Reprehendat tamen licet, præsertim parochus, negligentiam populi, si quando non frequens ad concionem conuenit.

Ne aures facilè præbeat laicis clericorum vitæ detrahentibus, aut ciuitatis rectorum præsidumve culpam calumniantibus; sed omnia antè diligenter diuque perpendat, quàm ad reprehensionem descendat.

Ne statim cum concionari aggressus est, sed postquam aliquot concionibus habitis, prudentis, docti, & religiosi concionatoris nomē adeptus est, ad vitia acrius insectanda se conferat.

Sed in eo genere, in omnique admonitionis atque exhortationis officio eam beneuolentiam & charitatem auditoribus suis ostendat, atque adeo præstet, qua parens liberos amplectitur. Assidueque secum reputet, quod Apostolus scripsit: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Ad Gal. 4.

Peccata studio concionatoris tollenda, quæ frequentius contrà diuinæ legis præcepta committuntur.

Et quoniam animarum salus in eo posita est, vt populus fidelis, quæ mala peccataque sunt, fugiat; & rursus quæ bona, virtutumque officia pietatis studio consectetur: ideo hæc genera assiduè concionator vrgeat atque instet, pro conditione loci, rationeque personarum quibus prædicat.

Vniuersè verò peccata omni increpatione exagitet: cruciatus tormentaque perennia ac sempiterna damnatorum exaggeret: sæpe mundi res caducas, breuique interituras, & eius infinita incommoda ad omnem exagitationem studiosè proponat ac recenseat calamitates.

Atque mala quidem, vitia, ac peccata quæ concionator tollere studebit, permulta sunt; sed quæ contra legis diuinæ præcepta committuntur, quæque eripere omni perpetuo prædicationis officio contendet, hæc frequentiora sunt.

Detestabile blasphemiæ scelus, ac nefaria maledicta, quæ in Deum, sanctosque coniiciuntur.

Superstitiones, auguria, diuinationes, veneficia, cantiones, & cætera id generis, quibus castissimus Dei cultus violatur.

Dierum festorum violatio.

Immodestus, ac parum pius quorundam accessus ad ecclesias, indulgentias, stationes, & supplicationes publicas: quo omni religiosa pietate frequentissimus concursus esse debet ad vberiorem gratiam promerendam.

Impura in illis item, aut in earum atriis, & cœmiteriis conuersatio, ac nequaquam cum pietatis Christianæ rationibus conueniens, præsertim cum diuina celebrantur.

Nefarium rei familiaris cum alterius iniuria parandæ atque augendæ studium.

Pecuniæ conficiendæ sitis, & omnis denique auaritia.

Tot contractuum genera, quæ excogitata sunt in fraudem legis omnem vsuram prohibentis.

Litium, & controuersiarum immoderatum illud studium, Christianoque nomine indignū.

Improbitas eorū, qui malas causas defendunt.

Auaritia, atque negligentia illorum, qui lites longius ducunt.

Nequitia item illorum, qui litibus iurgiisque odia & inimicitias alunt.

Malitia præterea quorundam, qui tanquàm hirudo litigantium, omni litigandi arte immoderatos sumptus exhauriunt.

Calumniæ quæ passim in foro versantur.

Adulteria, stupra, incesta, fornicationes, operaque carnis.

Impia licentia falsi testimonii dicendi, aut falsò iurandi, etiam in re aut vita cuiuscunque tuenda.

Impurus vsus ganeas frequentandi, heluandique auiditas; atque omne gulæ, & ventris explendi vitium.

Nec verò satis putet, vniuersè generatimque peccatum & vitium reprehendere; sed ad species, præcipuasque actiones, quæ prauæ inde existunt, in vsuque sunt, descendát: quò rectius auditores peccata cognoscant, multoque cautius fugiant.

Et quoniam plerique sunt, qui certis vulgaribus argumentationibus disciplinæ Christianæ repugnantibus vtuntur ad peccatorum excusationem; de industria aliquando prout vsu venerit, concionator piè doctéque ostendat, quàm magnopere isti argumentationis atque opinionis humanæ errore decepti, à via salutis aberrent.

Atque ii quidem, alii sunt, qui honorum studiis ambitionique seruiunt, propterea quod & mundo, & propinquis satisfaciendum putent.

Alii angustam illam viuendi viam ad euangelii præscriptum minimè tenent, quia communē vitæ consuetudinem amplectendā arbitrentur.

Alii pietatis opera multa aspernantur, quoniam anicularum ea potius esse arbitrantur, quàm virorum.

Sunt, qui à perfectiori vitæ ratione, atque à frequenti sacramentorum vsu se atque adeo alios abducunt, quòd sine eo diligentiori studio homo salutem consequi possit

Sunt item qui peccata excusent adolescentiæ nomine, vel aliam causam prætexunt.

Atque ita quidem multi malè agere pergunt, vulgi opinionibus falsis, ineptisque argumentationibus ducti, quæ à concionatore coarguendæ, atque refutandæ sunt.

Officium concionatoris in perpetuò reprehendendis tollendisque prauis consuetudinibus, vnde peccandi seminaria extant.

Publicorum peccatorum illecebras, quas homines deprauatæ consuetudinis errore decepti pro nihilo putant, concionator perpetuò reprehendat, atque in summum odium adducere contendet; ostendetque quàm grauiter Deum offendant; quàm multa mala, atque adeo publicæ etiam calamitates, infinitaque detrimenta inde existant.

Spectacula, ludos, ludicrasque res id generis, quæ ab ethnicorum moribus originem ducunt, disciplinæque Christianæ aduersantur,

perpetuò detestabitur, execrabitur: demonstrabit incommoda, publicasque ærumnas inde in Christianum populum dimanare.

In quam sententiam valde populum confirmabit argumentis, quæ grauissimi viri, Tertullianus, Cyprianus martyr, Saluianus, & Chrysostomus afferunt.

In eoque argumenti genere nullũ aliud omittet, quo tanta corruptela radicitus extirpetur.

Choreas, saltationes, ac tripudia, è quibus mortiferæ cupiditates excitantur, de suggestu sæpè grauiter reprehendet atque insectabitur.

Scenicæ personatæque actiones, vnde tanquam è quodam seminario semina malefactorum ac flagitiorum penè omnium existunt, quàm à Christianæ disciplinæ officiis abhorrentes, quàm valde cum paganorum institutis conuenientes, atque diaboli astu inuentæ, omni officio à populo Christiano exterminandæ sint, qua maxima possit religiosa contentione aget.

Omnem in muliebri vestitu luxum, caudatas vestes, superbum ornatum, deformem illam capitis ornandi speciem, muliebres fucos ac pigmenta, cæteraque ad mollitiem, atque adeo ad libidinis incitamentum fœdè excogitata, omni persuasionum vi, & argumentorũ quasi telis oppugnabit; quæ multa subministrabunt magni illi ecclesiæ viri, Cyprianus martyr, Basilius, Augustinus, & Ambrosius in primis.

Effusam etiam virorum impensam, & omnem intemperantiam, quæ ad barbararum gentium à fide alienarum similitudinem tam valde accedit, omni studio coarguet.

Seruorum, quorum opera nulla est neque domi neque foris, multitudinem inutilem, ac desidem, superuacaneam dissuadebit.

Epulas illas sumptuosas, & comessationes immoderatas à frugalitate Christiana alienas, omnis intemperantiæ, impudicitiæ, libidinis, aliorumque vitiorum illecebras arguet, increpabit, atque planè dissuadebit.

Omnem aleam, omnemque eius generis ludum, vnde iurgiis, furto, maledictis, ac aliis malis maleficiisque quasi fores aperiuntur, grauiter obiurgabit atque exagitabit.

Eorum peccatum insectabitur, qui ædes suas quasi ludum aleatorium exponunt.

Multorum otiosam vitam ac voluptariam ita facile peccatis expositam reprehendet quàm sæpissimè.

Concionatoris officium in instituendis fidelibus ad sanctissimum sacramentorum vsum.

CVm autem nihil possit esse populo Christiano vtilius, quam scientia, & rectus vsus sacramentorum: quàm religiosè, quàm piè, quàm humiliter ad illa accedendum sit, accuratè docebit.

De baptismo cùm loquetur, cætera cum exposuerit quæ ex catechismo Romano sapienter præscripta sunt; tum in eo versabitur, vt deprauatum vitæ morem fidelium exagitet, qui contra quam in baptismo spoponderint, viuant, & carni, & mundo, pompisque eius, & Satanæ, atque illius operibus; Deo autem mortui sint: & quàm laboriosa putent, quæ Dei sunt; quàm facilia, quæ mundi, quæ carnis, quæ Satanæ.

Quo in genere omnem concionis suæ vim concionator adhibebit.

Neque præterea omittet, compatres docere ac monere, quam soliciti esse debeant, vt quos in baptismo susceperunt, fidei Christianæ rudimentis, sanctarum virtutum officiis, quibus ad salutem via munitur, rectè instituant.

De confirmationis sacramento concionem instituet: in qua diuina illa dona cum commemorauerit, quæ Deus illis impartitur, qui ritè sanctèque hoc sacramentum suscipiunt; tum ostendet, quàm solicitè, quantaque religiosi animi præparatione fideles ad id suscipiendum conuenire debeant.

Exponet item, ad quæ vsui sint ea Spiritus sancti munera.

Arguet, qui negligentes sint, ac planè desides in iis accipiendis.

Admonebit & hortabitur ad illa rectè obeũda.

Monebit, vt qui ad hoc sacramentum accedunt, in primis instructi sint fidei Christianæ rudimentis, & virtutum Christianarum officiis.

Cohortatione item aget, vt cùm hoc sacramentum ministratur, & pro iis qui suscipiunt, & pro illis qui eosdem adducunt offeruntve, attentè piéque orent.

Cætera præstabit ex præscripto literarum episcopalium.

Pœnitentiæ, & sanctissimæ Eucharistiæ frequentiam esse fructuosissimam, & maximè commendandam, rationibus multis, & sacræ scripturæ testimoniis comprobabit.

Eam consuetudinem concionando inducere studebit, vt populus, si minus dominico quoque die, saltem semel in singulis mensibus confiteatur & sacram communionem sumat.

At in quadragesima, & in aduentu, vt singulis diebus dominicis hoc faciat: id quod antiquæ fidelium pietatis est.

De Ordinis sacramento cùm tempus postulat, agat, quàm diligentissimè.

Quo in genere cum cætera commemorabit, quæ multa catechismi Romani literis prodita sunt; tum clericorum vitæ instituta, muneris sui partes, ac functiones.

Quàm ab omni labe puros eos esse oporteat.
Quàm à perturbationibus animi alienos.
Quàm continentes, & quam abstinentes.
Quàm castissimis moribus præditos.
Quàm spiritalis vitæ studiosos.
Quàm omni virtutum exemplo præstantes.
Quàm in primis charitatis, quæ seminarium omnium virtutum est, amantes.
Quàm diuini cultus zelo accensos.
Quàm salutis animarũ cupidos, & appetẽtes.
Quàm doctos, omnisque disciplinæ sanctæ peritos.
Quàm liberales eleemosynis dandis, qui præsertim vberes fructus ex ecclesiasticis prædiis capiunt.
Quàm hospitales item.
Quàm benignos salutaribus consiliis dandis.
Quàm munificos, ac promptos in omni spiritali dono, operéque misericordiæ.
Quàm valde diligentes & solicitos in ordinis sui functione.

Hæc omnia, longéque plura, prout in Domino expedire viderit, piè, doctè, sapienterque

ita explicabit, vt populus accendatur ad honorem & obseruantiam, quam nauare præstaréque iis debet, qui ecclesiasticis ordinibus adscripti sunt.

Quod argumenti genus nactus concionator fideles docebit officia erga clerum.

Ostendetque in primis, quàm magnus honor tribuendus sit Episcopo, vt patri, vt domino, vt pastori, vt spiritualium commodorum auctori, salutemque populi omni solicitudine procuranti.

Quam in sententiam multa dicet, cùm ex sacris literis, tum ex sanctorum patrum documentis, ex doctrináque præsertim beatissimi Pontificis & martyris Clementis.

Eius præterea monitis, iussis, edictis, decretorum sanctionibus quàm prompta voluntate & obsequio parendum sit, sæpe numero grauiter docebit: *Episcopo enim*, inquit diuinus Ignatius martyr, *subiecti estis velut Domino.*

Nam ipse vigilat pro animabus vestris, vt qui rationem Deo redditurus sit.

Reueremini, alio loco scribit, *Episcopum, sicut Christum, quemadmodum nobis præceperunt Apostoli, Episcopus enim typum Dei patris omniū gerit.*

Sed hæc, & alia id generis concionator è fontibus hauriet diuinarum ecclesiasticarumque literarum.

Quanta sit sacerdotii dignitas demonstrabit: qua reuerentia, quo honore populus eos prosequatur, qui sacerdotio initiati sunt.

Parochos præsertim quàm valde colat, qui curatores animarum sunt, qui pastores, qui parentes spirituales, quique paterna solicitudine in populi salute salutaribusq; cōmodis euigilāt.

Quàm grato propterea animo, quam pia liberalitate, quàm libenter decimas primitiasve eis debitas soluat.

Quam paratissima ad obediendum voluntate eorum cohortationibus, monitis, præceptisque obtemperet.

Quàm frequenter cum vsu venerit, eos adeat à quibus salutaria consilia petat.

Quàm sæpè, præsertim diebus dominicis festisque ad parochialem Ecclesiam conueniat, vbi salutariter erudiatur ad omnem benè rectéque agendi disciplinam.

Rursus concionando monebit parentes, quàm diligentem educationem filiis adhibere debeant, quos ordini Ecclesiastico destinant.

Qua in re multa quæ his temporibus necessaria sunt, tum ad parentum instructionem, tum ad filiorum rectam in disciplina clericali educationem, illos commonefaciet grauiter & accuratè.

Populum hortabitur, vt statis illis quatuor anni temporibus, & priuatim in suis quisque ædibus, & publicè in ecclesia oret, ad litanias conueniat, Deum precaturus pro iis qui ordinis sacramento initiantur: Cæteraque præstet ex præscripto literarum episcopalium.

Tractationem de sacramento matrimonii quàm sæpissimè suscipiet: cùm ad omnem licentiam prolapsa sit hominum libido.

Docebit illius sacramēti vim, & sanctitatem.

Monebit, quam religiosa præparatione idem sit ineundum.

Hortabitur Tobiæ exemplo ad orationem, ad ieiunium, tum ad confessionem, & communionem antequam matrimonium conficiant.

Instruet in primis fideles, cur nubendum: quo in genere multa differet de educatione filiorū.

Commonefaciet etiam, vt antequam matrimonium contrahant, rectè discant se filios esse, nempe parentibus obedientes esse, illisque se amorem, metum, obseruantiam, & venerationem debitam præstare.

Quo fiat, vt cùm ex matrimonio liberos susceperint, rectè sanctèque educent: alioqui si contra faciant, inde & sibi & aliis infesta proles existet.

Admonebit item, vt videant cui nubant; à Deo precentur vt rectè nubant: nè tribulationem carnis quam habituri sunt, habeant ad perniciem, sed ad salutem: nam proprium donum Dei est vxor bona, & prudens.

Vt in re tanta parentum consilium adhibeant: quod quamuis necessarium non sit, lex tamen naturalis humanaque suadet, & sacrarum literarum exempla docent.

Vt considerent ætatem, & mores.

Vt pro dote magna virtutem putent.

Vt qui se continere non possunt, melius esse doceat, vt nubant.

Alia multa speciatim admonebit, prout opportuna esse viderit.

Præcipuè verò in id incumbet, vt si quæ morum corruptelæ nuptiis celebrandis ex deprauato vsu adhibentur, radicitus extirpentur; præsertim saltationes, choreæ, cyathorum confractiones, vocum à profano gentilium more non abhorrentium strepitus in viis plateisque, ac præterea fascinationes, veneficiaque in iis impediendis.

De sacramento quoque Extremæ vnctionis dicet accuratè, præsertim cum de morte concionem habet.

Qua in tractatione fideles docebit, vt quando in febrim morbumve incidunt, ipsi statim tum confessionis, & sanctissimæ Eucharistiæ sacramenta, tum hoc extremæ vnctionis in tempore petant; & præsertim cū integra mēte sunt.

Docebit vim sacramenti; ex qua consolationem illis iniiciet: cùm viderint nullum sibi remedium defuisse, quod mater ecclesia adhibet ad filiorum salutem.

Ostendet religiosas preces, quæ in eo sacramento peraguntur, salutariter prodesse.

Et cætera multa adiunget ad sanctam spem excitandam.

De virtutum officiis, bonisque operibus exponendis.

Sicut autem in vitiis dissuadendis atque exagitandis non modò vniuersè, sed speciatim singulas partes, vitiosasque actiones prosequi concionator debet: ita virtutes, earumque præcipua officia exponet, non modò in vniuersum, sed sigillatim, ac diligenter.

Quare ad certas species descendet, quæ ad verum Dei cultum, quæque ad animarum salutem pertinent.

Hocque diligentius atque enucleatius præcepta institutaque huius generis præcipua tradet, quò negligentius his temporibus tractari solent.

Spiritalis vitæ partes atque officia, quæ ex intima sanctissimorum virorum disciplina depromentur, exponere studebit præclarè, atque vsque adeo accuratè, vt nullum spiritalis sanctæque institutionis locum relinquat.

Ad Euangelica consilia amplectenda, ad perfectioris vitæ disciplinam suscipiendam, ad mundi contemptum audientium animos sæpè impellet: quò studiosius cælestis spiritalisque vitæ instituta amplectantur.

Atque hic quidem amplissimus campus est, in quo sæpè Christiani concionatoris excurrat sermo.

Nec prætermittet auditores ad misericordiæ eleemosynæque opera perpetuò excitare.

Nam hic locus latè patet, pertinetque ad omnes.

Huic consequens est concionari aliquando de hospitalitatis officiis, de hospitalibus, de societatibus seu sodalitatibus charitatis, atque de omni cura pauperum.

Alter locus etiam, atque is quidem vberrimus est, de eleemosyna spiritali.

Qui locus à concionatore nunquam omittatur, cùm vsu venerit; veniet autem sæpissimè.

Correctionis igitur fraternæ, quæ ad eleemosynæ spiritualis speciem refertur necessitatem demonstrabit: corrigendi fraternè modum docebit: præcepta atque instituta vtiliter prudenterque tradet.

Ad pœnitentiæ exercitationes, corporis macerationem castigationemque populum sæpe accendet.

Ad ieiunium, prout vigiliæ, & aduentus, quadragesimæque tempora incidunt, sæpè concionem transferet, qua & ieiunii necessitatem, & salutares fructus qui inde existunt, vberrimè exponet.

Et quod plurimi interest, docebit sancti ieiunii certas leges, quas religiosi viri non modò instituerunt, sed executi sunt, diligentissimè.

Atque in hoc genere versabitur, & sæpius, atque diligentius, quò grauius ab omnibus ferè peccatur.

Quò frequentius, atque adeo studiosius, non modò sermonibus suis, sed etiam tractationibus ad pietatis opera, & spiritalis vitæ studia exercitationesque populus excitetur: quàm sæpissimè concionator piorum librorum lectionem suadebit, ostendetque salutares vtilitates, quæ inde vberrimæ existent.

Contraque nihil non agat, vt librorum inutilium, atque adeo turpium, quorum studio morum disciplina corrumpitur, vsus omnis planè extinguatur.

Idem aget de turpibus obscœnisque imaginibus, atque alia ratione improbatis.

Sacras tantùm imagines, quæ ad pietatem animos inflamment, domi, & vbique haberi debere docebit.

Ethnicorum libri, qui in falsorum deorum commentitiarumque fabularum commemoratione versãtur, vt ex omni puerorum schola literariaque infantum exercitatione tollantur, cùm occasio tulerit, concionando suadere ne desistet.

At doctrinæ Christianæ institutionem, qua pueris prima fidei rudimenta traduntur, quàm sæpissimè atque maximè populo suadebit, & commendabit.

Quo in genere ostendet, quò nobiliores sunt, in illius Doctrinæ scholas eò frequentiores conuenire debere, & ad docendum, & ad perdiscendum, quæ in Christiana nobilitate præstantissima sunt, salutis nostræ necessaria instituta ac præcepta.

Nec verò verbis suis solùm, & cohortatione aget, sed exemplo suo accendet.

Ideo eas scholas sæpe numero ipse adibit: suam item operam illis nauabit, prout Episcopus, Episcopalesve Vicarii eandem ab eo requisierint.

Porrò illud omnino præcipuum munus suum esse putabit, vniuscuiusque status homines docere atque instruere, beati Pauli exemplo, qui excellens, omnibusque numeris absolutus vniuersarum gentium concionator, omnes ad officii sui functiones erudiuit.

Monebit igitur sæpissimè parentes, liberos, virum, vxorem, dominum, seruum, clericum, laicum, priuatum, magistratum, eius officii quod cuiusque proprium erit.

Quave ratione fieri possit, vt bonis animi, corporis, & externis ad consequendam sempiternam beatitudinem vtantur.

Qua moderatione prospera; qua patientia rursus aduersa ferre debeant.

De filiorum autem educatione, & totius familiæ cura quam diligentissimè aget, & crebrò; cùm optima hæc institutio maximi intersit ad omnes totius Christianæ disciplinæ rationes.

Quo in officio, matrum ad vanitatem filias instruentium, & dominarum in pudicitia ancillarum tuenda negligentium, culpas valde coarguet.

Commendabit vt supra, obseruantiam, & obedientiam, quæ præstanda est pastoribus, & sacerdotibus, ac quæ item principibus, & magistratibus, & denique maioribus.

Monebit, quã crebrò, vt pro illis deũ precētur.

Qua moderatione de eis loquantur, cum in hoc sæpissimè peccetur.

Rursus magistratus cùm opus est, & alios qui præsunt, commonefaciet, populi commoda non sua spectare debere: exemplo, & auctoritate ad veras virtutes, ad optimamque disciplinam illum dirigere: paterno amore eundem amplecti, religionem in primis, iustitiam, clementiam, fortitudinem, & temperantiam in omni vita colere.

Nobiles, humilitatis officia, modestiæ partes ceterasque virtutes, quæ nobilitatis splendore prælucent, accuratè docebit.

Nullam nobilitatem esse ostendet, quæ cum Christiana nobilitate sit conferenda.

Proinde homines, nobiles præsertim qui ruri habitant, cùm aliquando insolentius se gerant, admonebit, quàm benignè, quàm modestè, cum rusticis, cum pauperibus, cum cæteris inferioris ordinis agant: ac docebit, quàm valdè indecorum sit atque adeo turpe, & Christiana nobilitate indignum, imbecilliores iniuriosius tractare, opibus oppugnare, & (quod flagitiosissimum est, & ad infamiæ notam insigne) puellarum pudicitiam attentare.

Ignobiles ad veram nobilitatem, quæ in reli-

gionis pietatisque cultu, & in præclaris humilitatis, patientiæ, Christianarumque aliarum virtutum officiis elucet, vehementer accendet.

Diuites monebit, quomodo ad salutem dirigant diuitiarum vsum.

Quo item modo omnia misericordiæ opera.

Docebitque omnes diuites esse, quia participes diuitiarum & thesaurorum cœlestium fecit nos Christus, cœli & terræ rex, & bonorum omnium dominus.

Pauperes frequenter ad patientiam cohortabitur; consolatione leniet; atque excitabit ad sanctarum virtutum copiam, & vsum.

Pro hominum denique conditione varia salutis præcepta illis tradet: ita vt & rusticanis hominibus, & colonis, cæterisque cuiusuis ordinis, ac status deesse nolit, neque cohortatione, neque admonitione, neque officio ad vniuscuiusque institutionem Christianam accommodato.

Hæc, atque adeo alia multa, vt & locorum, & temporum, & personarum ratio postulabit, sibi ad concionandum piè prudenterque concionator comparabit: ad quæ item sicut expedire viderit, ab Euangelii tractatione apteque digredietur, cùm digressionis locus erit.

Denique id concionator sibi statuet, ad auditorum salutem, quidquid dicturus est, referre: itaque omnia planè cauebit, quæcunque ab eo proposito aliena sint.

Quæ verò meditanti sibi in mentem venerint, omnia ad eum finem referet.

De ecclesiæ institutis, & precandi studio fidelibus proponendo.

CVm cætera ecclesiæ instituta, vt paulò ante commemoratum est, ritusque pro ratione temporum populo concionator proponet: tum sæpè in omni concione illum docebit, quando, pro quibus, & quomodo oret.

Vt mane saltem, & vesperi precari ne omittat ex instituto vespertinæ, & matutinæ orationis.

Vt statis canonicis horis, cùm diuinorum officiorum significatio campanis datur, si minus ad Ecclesiam conuenire potest, cùm intelligat eo signo se ad orationem vocari, saltem paulùm se mente colligens tacitè precetur, vel orationem salutationemque angelicam piè attentéque pronunciet.

Vt signo campanæ dato, quo ad Missæ sacrum vocatur, paulisper se colligens mortalis peccati conscius, dolore ex eo affectus, proposito illius conficiendi suscepto supplex à Deo veniam petat.

Vt cùm datur, & vesperi, & mane, & meridie signum salutationis angelicæ, genibus flexis vbicumque sit oret, vt sanctissimi instituti est.

Idem faciat feriâ sextâ ad nonam, cùm campana pulsatur ad orandum, & ad passionem Domini paululũ pia mẽtis cogitatione recolẽdam.

Vt certum diem sumat, quo pro defunctis oret, secundam scilicet quamque feriam.

Vt cùm orationis signum campana Parochiali datur, pro eo qui nuper ex hac vita migrauit, illius animã pia precatione cõmendet.

Absoluta item concione, præsertim diebus festis, fideles excitabit ad orationem precesque adhibendas pro fidei Christianæ propagatione, pro summo Pontifice Romano, pro Episcopis, pro principibus, pro magistratibus, pro emendatione vitæ peccatorum, pro extirpatione hæreticorum, pro conuersione infidelium, pro auersione calamitatis si qua impendet, ac denique pro publicis aliis necessitatibus, si quæ vnquam præcipuæ sunt; ac pro aliis etiam caussis, quas pro temporum varietate Episcopus indixerit, aut significauerit.

Docebit, quomodo oret, piè, attentè, perseueranter, humiliter, toto spiritu: & quo statu etiam corporis, tam in ecclesia, quàm domi, nempe genibus flexis, iunctis manibus, aut erecto aut prostrato corpore, & capite demisso, aut rursus brachiis expansis instar crucis, sublatis in cœlum oculis.

Si quid in eo genere peccatur (vt ab iis fit, qui vnum tantùm genu in oratione flectunt) aut certè quidquam id generis committunt, quod precantis pietati non conueniat, id graui sermone coarguet.

Oratio enim humilem & religiosam corporis positionem requirit.

Cura concionatoris in eripiendis corruptelis, instituendis operibus pietatis, in concione accommodanda ad episcopalis gubernationis rationem.

CVm verò ad concionandum aliquò concionator venerit, vel ab Episcopo, vel à parocho, aliove ecclesiæ rectore, accuratè illius loci morum corruptelas conquiret: quas vt occasio feret, verborum vi, & sententiarum pondere, & in primis sacrarum literarum testimoniis exemplisque constantissimè vsque adeo impugnabit, vt funditus, quãtum in in se est, extirpet, Deo benè iuuante.

Eas item consuetudines, quæ & si malæ non videntur, tamen occasionem præbẽt peccãdi.

Nec verò semel atque iterum, sed sæpe numero prout vsu venerit, illas ipsas detestabitur.

Immò perenni quadam doctrinæ, ardentisque cohortationis perseuerantia, & perpetua quasi contentione (id quod olim sanctissimos viros, Ambrosium, Augustinum, & Chrysostomum fecisse traditum est) inueteratos malè viuendi mores, deprauatamque consuetudinem radicitus euellere studebit.

Curabit etiam rursus in omni loco vbi concionatur aliquod pietatis opus, ei loco ad piè agendi studium episcopi iudicio aptius conuenientiusque institui; aut institutum vehementius excitari.

Pia item instituta, religiosasque consuetudines, quàm diligentissimè, ac perpetuò retinendas esse, ac si quæ vel antiquatæ sunt, vel intermissæ ad vsum reuocandas ostendet.

Id verò omne persuadere non desistet, quoad rem confecerit, quam salutariter in Domino optat.

Omnem præterea concionum suarum vim ad episcopalis pastoralisque gubernationis rationes accommodabit: episcopi monita, iussa, edicta, decreta, instituta, ac disciplinam omnem perpetuò commendabit, atque adeo tuebitur

tuebitur: vt & clerus, & populus, concionibus suis benè excitatus, ei obtemperet, pareat omni sanctæ obedientiæ spiritu.

Sanctæ præterea Inquisitionis perpetuò se studiosissimum præbebit: illius officij partes acri defensione tuebitur: illorum qui præsunt, auctoritati, edictis, decretis, quàm diligentissimè parendum sit, crebrò vt vsu venerit, præclarè ostendet: populũ docebit, quanta vnicuique necessitas imposita sit deferendi illorũ nomina, qui vel factis, vel dictis, vel alio quouis modo à doctrina catholica aberrant: quiq; contra sanctiones, decreta, edictave, eiusdem officij causa nomineve promulgata, agunt, aut dicunt.

Si verò ipse aliquando, vt euenire potest, vel verbo vno labetur errabitve: confestim nullaque mora interposita, ex Episcopi, Inquisitorisve præscripto, sententiam aut concionem retexat, atque ad verum fidei doctrinæque orthodoxæ dogma reuocet, quidquid fuerit, in quo ab illius doctrinæ decretis aberrarit.

Idque non obscurè agat, neque aliqua verborum circuitione: sed apertissimè planissiméque erratum suum emendet: aut sententiam, si ambiguè dixerit, explicet ad illorum præscriptum.

Concionator quoque regularis parochorum curæ omnino prodesse studebit: ita scilicet, vt non modò nihil quidquam proferat, quod parochialis curationis officia interturbet: sed omne studium adhibeat, quo populus in omnes parochialis curę partes piè sãctéque cõformetur.

Facultate autem, si quæ sibi dabitur, vel sacræ confessionis audiendæ, vel etiam absoluendi à casibus reseruatis, ita vtetur: vt & parochialem vtilitatem, & populi disciplinam nusquàm vllo modo labefactet, sed communiat omni studio atque officio.

Quo in genere toto instructionem de ministerio pœnitētię quàm accuratissimè adhibebit.

Et verò in primis proponet sæpè auditoribus Concilij Tridentini decreta: ex quo, tanquam è purissimo fonte hauriet, quæ pertinent ad mores omnium ordinum corrigendos, fidem explicandam, & Christianam disciplinam restituendã. Conciliorum item prouincialiũ nostrorum, & episcopalium synodorum constitutiones ac decreta non modò ad populi memoriam reuocet: sed docebit, quam vtilis eorum executionis vsus, quam inde vberrimus fructus: Proinde crebro in hoc officij genus incumbet, ac nullam planè occasionem prætermittet.

De ijs quæ ad formam concionis pertinent.

MAteriam concionis cum ex Euangelij tractatione alijsque locis aptè appositis, digressionibusque concionator sibi parauerit: ita eam disponat, vt oratoriæ illius concionis partes, quatenus vel Euangelij, vel rei alterius de qua dicturus est, ratio patitur, nullæ desiderentur, præsertim quæ illustriores sunt, quæque ad commouendum pertinent.

Instruat autem atque exornet, non verborum vel lectissimorũ inani sonitu, & sermone nimis elaborato, & penè calamistrato ac fucato, quo nihil potest esse infructuosius: sed graui plenoque sanctæ doctrinæ, ac referto disciplina, quæ verè Christiana, præstansque sit ad salutem. Ita præterea quæcunque ad dicendum piè meditatus est, distinctè partiatur, vt auditores omnia & facilè percipiant, & memoria teneant: quo maiorem inde fructum capere queant.

Memoriæ cuncta ita mandare studeat, vt fugiat tamen memoriæ ostentationem, vt potè in sententijs quam plurimis pronunciandis, aut certè rebus permultis recensendis.

Vbi ad finem concionis venerit, breui epilogo sæpè vtetur, quo partes concionis breuiter repetat.

Tum concionem concludet more sanctorum patrum, breui precatione, gratiarũ actione, & laudibus benignitatis Christi Iesu Domini nostri.

Absoluta concione, paululum de suggestu, vel apud altare genibus flexis tacitus orabit: tum auditores aliquãdo moneat, vt itidẽ faciant.

Si apud rudem multitudinem concionatur, orationem dominicam, salutationem angelicam, & symbolum Apostolorum à populo vnà secum purè ac distinctè toto corde pronunciari, tum Dei misericordiam humiliter voce implorari aliquando curet.

De Decoro.

PRimo totam concionem accommodabit concionator ad ingenium conditionemque hominum, apud quos concionaturus est.

Nihil enim ineptius & absurdius dici fingive potest, quam si in paupertimo pago, apud rusticos fame frigoreque confectos ita concionatur, vt in opiparas epulas, splendidissimas vestes auro argẽtoq; intextas, quas homines indigentissimi ne somniãtũr quidẽ, perpetuò inuehatur. Concionaturo igitur hæc erunt cogitãda omnia, non solùm scilicet auditorum status, sed etiam locus, tempus, res de qua dicturus est, & personæ suæ auctoritas, & vitæ genus, vt aptè, decorè, conuenienter, & cum dignitate concionetur. Itaque, quæ inuoluta, vt commonuimus, quæque explicatu difficilia sunt, de ijs apud rudes nullam concionem instituet: neo verò græcæ, hebraicæ, chaldaicæ, Syræque dictionis vim, quando cum iisdem aget interpretari studebit.

At contra, si ad eruditissimam quamque explicationem apti sunt qui audiunt, nullum genus prætermittet disertæ interpretationis, quam ipse rectè norit.

Sed quando non æqualis est omnium conditio, vt diximus, non idem vitæ modus: certè concionis argumentum non dissimile erit à statu eorum qui audiunt. Et verò quemadmodum ab audientium conditione discrepare non debet: ita talem etiam esse conuenit, qualem eorum mores requirunt.

Mendaces Cretenses malæ bestiæ, ventres pigri, inquit sanctus Paulus. omnis porrò obiurgatio vel acerrima ad eorum emendationem adhibenda fuit.

Duri certè obiurgandi sunt, & tractandi durius: at minus, qui in pestifera viuendi consuetudine non persistunt.

Hoc docet idem sanctissimus Pontifex Gregorius exemplo galli: qui, vt media nocte in arctissimo hominum somno raucè quodammodo canit, deinde sub auroram suauius cantum emittit: ita concionator homines in peccatorum quasi somno grauissimè dormientes obiurgationibus acribus excitet: cum ijs verò, qui in via virtutis tanquàm vigilantiores facti sunt, cohortationum suauitate alliciat ad omnem in rectè sancteque agendo progressionem.

Neque prætereà concio diuersa erit ab Euangelij quod eo die à populo auditum est, historia: quæ si subministrat genus concionandi de pœnitentia, non aliud concionator sumet, quod nullo modo conueniat cum illius diei Euangelica lectione: nisi aliquando à re proposita digrediendi materiam aliquis locus, aut occasio præbeat.

De elocutione concionatoris.

Elocutionis genus exquisitũ ne affectet.

Fucum omnem fugiat.

Imperitæ multitudinis consuetudinem loquendi ne sequatur: cùm in ea sint multa absurda, multaq; indigna cõcionantis grauitate.

Dicendi forma vtatur, cui per artem atque exercitationem par esse possit.

Verba antiqua, & peregrina fugiat.

Fati, fortunæ, infortunij nomina, aliaque id generis ab Ecclesiæ vsu iampridem explosa, omnino cauebit.

Epithetorum item nimium vsum, & poëticum dicendi genus ne consectetur.

Anicularum non adhibeat prouerbia.

Inflata oratione ne vtatur, sed graui.

Exordiatur moderato & temperato dicendi genere: in quo exordio vitentur similitudines, præsertim poëtico more explicatæ.

Vocabulorum frequentem synonymiam omnino caueat: nisi cùm vnum altero significantius, aut magis proprium fuerit. Metaphoras, similitudines, & exempla à rebus maximè notis & insignibus sumat: nam deijcit maiestatem orationis, qui à rebus humilibus similitudines frequenter trahit.

Viam illam dicendi vehementem & concitatam ne affectet importunè: sed ijs præparationis vijs, quæ supra commonstratæ sunt, ad eam spiritus sancti ope atque auxilio feratur, vt auditoribus prosit.

Eiusdem rei repetitionem vitet, quoniam molesta est, & affectum restinguit. Cùm de peccatis ad luxuriam pertinentibus agit, cautionem adhibeat, ne imprudens in obscœna verba incidat.

Et videat in primis, ne loquendo turpes cogitationes inijciat.

Exclamationes videat, quo loco adhibeat: ac rarò quidem certè.

Adulationis verba omnino fugiat, cum de magistratibus, aut apud eos verba facit. Ambitiosum dicendi genus caueat.

Splendidos titulos, & nomina adiuncta illustria, vt, *serenissimus Dauid*, planè reijciet.

Honorifica tamen, breuique præfatione eos viros excipiet, quorum exempla proponit ad imitationem: id quod aliquos antiquos patres, præsertim Gregorium Nazianzenum facere animaduertimus. Verba ecclesiastica, & si minus elegantiæ habent, ne dicere recuset: at profana, & noua repudiet omnino.

Apostolos, martyres, virgines, confessores, & qui cælesti gloria perfruuntur, sancti nomine semper appellet.

Dictionem vitet, quæ indignationem, & fastidium parit, præsertim cùm de incommodis suis loquitur.

Attentionem cùm petit, ne arroganter faciat: neve se magna dicturum & admirabilia polliceatur.

Ne ambiguè loquatur; vt eadem oratio varium sensum possit afferre.

Ne concisè item: vt auditores incerti sint, & animo pendeant.

Ne obscurè: vt dictũ facilè percipi nõ queat.

De voce, & corporis motu.

De pronunciatione, gestu; actione, ab antiquis rhetoribus permulta tradita sunt: quæ exquisito quodam studio perinde consectari, quasi in ijs ipsis benè concionandi finis positus sit, hoc longè alienum esse debet à concionatore verbi Dei; cùm ij præsertim motus corporis aliquos commonstrarint, non modò leues, pueriles, sed planè histrionicos, ob eamque rem indignos, & persona concionantis, & auctoritate suggesti, qui locus grauissimus est.

Quæ igitur de toto illo genere isti præceperunt, eorum tantùm, quæ ad grauitatis, decorique laudem insignia sunt, delectum quendam à concionatore haberi conueniens est: vt aliquid etiam adiumenti inde sibi comparet ad fidelium animos inflammandos, studio rei de qua concionem instituit.

Vocem igitur, & actionem ita temperare concionator conabitur, vt non ex arte petere, sed verè, & ex natura dicere videatur.

Pro rerum quas dicit varietate, voce & gestu vario vti studebit: ne fortè res mediocres, aut etiam fortassè leues magna contentione tractet, quasi sola voce, & gestu velit persuadere, aut verò quæ magna sunt immimuat; aut cuidam recitanti potius, quàm ex animo dicenti similis videatur.

Ita illud vitium quoque cauebit, ne vno vocis sono tota constet oratio: quod satietatem parit.

Vocis mollitiem, vel suauitatem quandam, magnitudinem item ne affectet: ne item in quouis genere nimiam contentionem.

Vt nimiam tarditatem, quasi verba difficilè inueniens: ita nimiam celeritatem fugiat: non enim proficit oratio ita effusa, sed quasi animos auditorum prætervolat: itaque pro rerum opportunitate, nunc tardè, nunc celeriter eloquatur.

Canoram vocem in exordio, & magnam fugiat; hæc enim, & modestum exordium esse vetat, & reliquæ orationi pronunciandæ nocet.

In alijs fortassè imitandis prudentiam adhibeat: ne vel leuia quædam, aut etiam vitiosa imitetur: aut ea, quæ cum alijs conueniant, à se tamen aliena sunt.

In gestu, & corporis motu tantum item faciat,

quantum natura rerum patitur: quod vel ex eo discere potest, si aliquos rectè natura tantùm pronunciantes in communi consuetudine obseruet.

Ita neque eodem gestu semper vtetur: neque manu eodem modo composita, neque vno brachio tantùm, neque eodem motu corporis, & eadem vultus moderatione.

Non importunè suggestum palmis feriat: sed cum rei magnitudo poscit.

Non per suggestum quasi volitabit, nunc ex hoc, nunc ex illo angulo prosiliens.

Non quasi ex suggesto medium corpus demittet: aut alijs multis motibus vtetur, qui aut deformes sunt, aut digladiantis potius quàm dicentis esse videntur.

Hæc omnia facilè cauebit, si christianam modestiam, & grauitatem prædicatoris non obliuiscetur: nihilque audebit, quod supra vires, artem, & exercitationem suam esse suspicetur: quodque ex concepto affectu non proficiscatur.

Sed vt distinctius de pronunciatione præscribatur, quæ in voce, & corporis motu versantur, hæc concionator teneat.

In exordio vocem sedatam adhibeat, & quotidiano sermoni proximam:

In narratione vocis varietate vtatur, vt quo quidque pacto gestum sit, ita narrare videatur. res enim strenuè gestæ, vocis celeritate; quæ verò dignitatem habent, plenis faucibus, & sedatissima voce narrandæ sunt.

In cohortatione quæ in epilogo concionis fit; primò voce vtatur attenuatissima, quæ fit faucibus contractis: deinde clamore leni, non obstrepero: mox sono æquabili: ac postremò voce celeri.

In conquestione item, quæ pars etiam epilogi est, vocem adhibeat depressam, crebra interualla, longa spatia, & magnas commutationes.

In corporis statu, & motu hæc caueat.

Ne in suggestu vnquam corpore innitatur: sed rectus stet, aut sedeat.

Ne deiecto, ne supino, ne præduro, ne in latus inclinato capite sit, sed planè recto.

Ne supercilia contrahat, ne deducat, ne remittat.

Ne nares corruget; ne moueat, ne inflet, ne digito deducat; ne plena manu resupinet.

Ne labra lambat, ne mordeat.

Ne mentum pectori affiget.

Ne humeros attollat, ne rursus contrahat.

Ne brachium tanquam gladiator immoderatè proijciat.

Ne læuam manum iactet nisi rarò, & in maximo concionis æstu.

Ne manum supra oculos tollat, ne demittat infra pectus.

Ne digitorum gestum indecorum adhibeat, sed decentem: nempè in principijs lenem, & in vtramque partem modicè prolatum: in narrando paulò productiorem: in reprehendendo acrem, & instantem.

Ne argutijs digitorum vtatur.

Ne femur feriat, ni si rarò, cum indignationem mouere studet.


Ne pedibus supplodat, nisi opportunè in summa contentione.


Ne tussiat, ne expuat crebrò, nisi necessitate coactus.

Ne in eloquendo per nares maiorem spiritus partem effundat.

Ne crebro anhelitu iumenta imitari videatur onere laborantia.

Hæc atque adeo alia, vt fugiat, in consilium adhibeat prædicationis vsu peritos.





APPENDIX QVARTA REGVLÆ.

ET INSTRVCTIONES DE NITORE ET MVNDITIA

Ecclesiarum, Altarium, Sacrorum locorum, & suppellectilis Ecclesiasticæ.

Caroli. S. R. E. Cardinalis Tituli Sanctæ Praxedis, Archiepiscopi iussu,

Ex concilij Prouincialis V. decreto confectæ, & in Synodo XI. Mediolanensi promulgatæ.

Prou. 5. Acrarum rerum munditiam, ecclesiasticis sanctionibus præceptam, à maiorum nostrorum consuetudine, diligẽtique vsu acceptam, graui decreto prouinciali à nobis constitutam, non satis visum est vniuersè ijs præscribere, qui eiusmodi curæ præfecti sunt: nisi certas etiam & proprias præceptiones explicaremus, quibus res singulæ mundæ seruarentur: atque id eò magis faciendum fuit, quod & in omnes partes deberi intelligitur cultui, officijsque diuinis, & facilè etiã ex vsu quodã inconsiderato à sacris ministris negligi perspicitur. quæ quidem non ad rerum diuinarum decorum tantùm valebũt: sed ad ipsarum quoque rerum integritatem, & incolumitatem, quæ cum munditia coniuncta est, plurimùm conducent. debebunt verò qui eiusmodi curationem sortiti fuerint, his præscriptis ita vti: vt cùm omnia in eis contenta præstiterint, industriæ suæ tamen aditum ad alia omnia clausum non arbitrentur, quibus opus Domini perfectius efficiatur.

Primùm igitur bis annis singulis, semel ante natalis Domini diem, iterum ante pentecostes solennitatem, vniuersæ ecclesiæ, & sacellorum superficies interior, à solo ad fastigium emundetur diligenter à puluere, operibus aranearum, & omni sorde, per operarios in rebus eiusmodi exercitatos.

Idem præstetur in facie ecclesiæ, si artificio sit ad puluerem aut sordes contrahendas apto.

Quod sculptum, fictum, cælatum fuerit, præsertim si idem sit pictum, aut auratum: molliter tractetur, sæpiusque si opus sit, purgetur: adhibitis ad tergẽdũ mollibus penicillis, aut scopulis ex palustris arundinis quasi pluma.

Columnarum, si sint, bases saltem, vasa aquæ benedictæ: gradus: cancelli: tabulæ quæ sepulcra claudunt: mensæ altarium, si consecratæ non sint: sacrarij pars exterior, labra ad vsum manuum abluendarum; & omnia lapidea quæ in ecclesia & sacristia sunt, nitida reddantur: quæ asperiora sunt, arena & aqua fricentur: læuigata, aqua & cinere: lucida tergantur, adhibito eo veluti vnguine, seu pulte, quæ fit ex politura crystalli, cum panno coactili, quem feltrum appellant, aut verò etiam ratione præscripta suppellectili, quæ est ex aurichalco. quæ verò ita abstersa, & lauata fuerint, siccentur etiam diligenter.

Singulis mensibus, si fieri possit, eadem pars interior ecclesiæ & capellarum mundetur, quãtùm homo in solo stans, & scopulam arundini seu perticæ benè longæ alligatam adhibens, facere possit. Neque verò tunc omittatur pars superior capellarum, si arundo pertingat. tum anguli omnes verrantur, scamnis quibuscunque, altariumque suppedaneis seu bradellis remotis. si id commodè fieri possit. ad huiusmodi autem vsum etiam adhiberi poterunt perticæ coniunctæ, & per funem ductiles: ita vt magis minusve altè adigi pro necessitate possint. Eadem diligentia sacristæ adhibeatur.

Quæ ex ligneo nucco, aut simili sunt, ostia, valuæ, suggestus, subsellia chori, lectorilia, candelabra ad chori vsum, cornua quibus sustinentur lampades, altarium suppedanea, sedes confessionales, scabella genualia, seu scanna ad genuflectendum, scrinia, armaria, & si quæ alia sunt huiusmodi in ecclesia, & sacristia, eodem temporis interuallo bene abstergantur laneo panno, aut lineo crasso, sed molli.

Solum chori ligneum bene itidem fricetur crassiori panno.

Bis verò singulis annis, eadem, quatenus cõ-

modè fieri possit, fricentur nucleis in panno inclusis: præter ea tamen, quæ sandaracha, quam vernicem dicunt, sunt oblita.

Interim dum hæc præstentur, velentur picturæ, & altaria tecta sint.

Vas aquæ benedictæ, præter eam accuratiorem fricationem, benè etiam lauetur scopula, & spongia tergatur, quotiescunque aqua benedicta renouatur.

Labra item lapidea sacristiæ, ex quo scilicet, & in quod aqua effluit ad manus sacerdotum abluendas, eodem modo, & tempore mundentur, præter eandem illam accuratiorem emundationem.

Specularia vitrea, si alto loco sint, cum vniuersæ ecclesiæ partes, vt præscripsimus, purgantur, si humili, singulo mense scopula arundinea vel humida spongia mundentur, & panno lineo abstergantur.

Cancelli ferrei (qui nigra litura, non læuigatione nitere debent) & si quæ sunt candelabra ferrea, singulo mense, puluere prius excusso, panno abstergantur. eodem tempore, quod ornamentorum in eis fuerit ex aurichalco, mundetur ad rationem candelabris infra assignandam.

Sciat verò sacrista rationem illius commixtionis, quæ fit ex fumo olei ex lumine expressi, sandaracha, & viridi æris ærugine, ad ferrea eiusmodi nigra litura illustranda: & scriptam apud se habeat, vt cum opus fuerit, adhibeat.

Pauimentum ecclesiæ pridie omnium festorum dierum qui publicè seruantur, sacrista purget à prandio, antequam mutatio fiat paramentorum, si facienda sit. postridie item benè mane, si eò fuit magnus populi concursus. prætereа in media hebdomada, si id festi causa non fiat. quòd si incidant plura festa continenter, quotidie sub noctem clausis ianuis verret. Singula saltem hebdomada purgabit pauimentum sacellorum, chori, & sacristiæ: & eodem tempore scopula arundinea purgabit gradus, & suppedanea altarium, valuas Ecclesiæ, genualia, scamna quæ in ecclesia habentur, subsellia chori, cancellosque capellarum. Ne puluis excitetur: priusquam verrat, aspergat aquam, non manu, sed scopula guttatim. ne item adhibeat scopas, quæ asperitate pauimentum lædant. si lutum inhæserit, apto aliquo radulæ genere eradat. habebit igitur sacrista ad hos omnes vsus sua instrumenta certis & aptis locis recondita, perticas, arundines, scopas paruas & magnas, firmas & molles, capsulas quoque manubriatas ad purgamenta excipienda & efferenda, & eiusmodi.

Bis autem singulo anno accuratiore aliqua ratione pauimentum si opus fuerit purgare studeat, vt etiam labes quas contraxerit, omnino, quantum fieri possit, eluantur.

Si quid areæ est ante ecclesiam, purget itidem pridie cuiusque diei festi: tum illud curet diligenter, vt exterior ecclesiæ pars circumcirca munda sit: non sordes adsint; non frutices, non herba altior, non locus aliquis immundus: & prout locus ferre, aut poscere videatur, curet etiam, & cum Superiore agat, vt circummuniatur.

Pauimentum campanialis verratur singula hebdomada. pars conuexa imi tabulati, & parietes infra illud, singulis mensibus adhibita pertica, vt in ecclesia, superiora autem tabulata itidem quandoque purgentur.

Capsulæ ad expuendi vsum, saltem octauo quoque die vndequaque panno crassiore circumfricentur, & mundentur: calx sputo sordida amoueatur, & si opus sit, noua addatur. quòd si ramenta sint, bis singula hebdomada quæ sputo madent amoueantur: sicca addantur: aeri etiam quandoque capsæ exponantur, puta alternis hebdomadis.

Armaria, & scrinia sacristiæ, præter quod dictum est, singula hebdomada scopula arundinea mundentur.

Altaria bis singulis annis cùm sudum est à finitis Missis ad vesperum spoliata sint, & suppedanea item amota: vt sicci aëris sentiant beneficium. quo tempore tum altaria ipsa vndequaque mundentur, tum suppedaneorum pars, quæ subter est.

Cùm mappæ mutantur & pallia, altaria quoque ipsa mundentur arundinea scopula, tela etiam cerata quæ sacro lapidi hæret, leuiter purgata: siue lapis sit insertus, siue totum altare capiens. quòd si aliquo casu accideret ita tectum non esse: ob reuerentiam sancti chrismatis ne purgetur, tangaturve.

Iconæ cum ornamentis suis, si picta sint, vel inaurata: sanctissimæ Eucharistiæ tabernaculum cum suo integumento: & quæcunque huiusmodi picta, vel inaurata adiuncta sunt altaribus: item vmbellæ superimpendentes, singulis mensibus mundentur, caudis vulpinis, aut arundinea scopa.

Suppedaneum altaris quotidie mundetur arundinea scopa saltem, si in eo Missa facienda sit.

Arcula item, quæ à latere Euangelij ad sputum excipiendum haberi solet, circũfricetur, & purgetur octauo saltem quo-que die.

Fenestellæ vrceolorum saltem octauo quoque die eadem arundine benè purgandæ sunt.

Candelabra, Cruces, Thuribula, & reliqua suppellex argentea, quantùm fieri possit, manibus nudis ne contrectetur, sed adhibito panno: aut verò parte quæ argentea non sit, capiatur. dum exposita est (quod ferè non nisi interdiu esse debet) adsit semper qui custodiat. antequam recondatur, excutiatur, si quid pulueris, ceræ, aut inquinamenti accesserit, & extergatur leniter, adhibito etiam lineo & molli pãno. condita autem sit vnaquæque res theca sua, ne quid sordium accipiat. cum aliquid tamen purgatione egere visum fuerit, palea combusta adhibita panno lineo leniter præstabitur. quòd si quid valde sit denigratum, puta thuribulum ignis causa, aut etiam multa cera adhæserit; in lixiuia, cui sal sit admixtum, ebulliente, detergendum erit, adhibito penicillo ex setis suillis confecto. caueatur tamen, ne si quæ pars inaurata sit, aurum vi salis deteratur. qua in re quid agi debeat, consulantur periti.

Calices bini, & patenæ binæ saltem, vbi duodecim sacerdotes Missam faciunt, quintodecimo quoque die leui manu aqua tepida lauentur.

Sexto quoque mense, sapone molliori, tuncque post quartam horæ partem, qua maneant in sole, calida lixiuia bene abluantur, adhibendo penicillum aliquem ad saponem bene amouendum, præsertim vbi fuerit cælatura. poterit etiam id fieri furfure cocto: & tunc statim aqua munda bis aut ter abluendi essent. præstetur verò ab eo qui in sacris sit, in vase ei vsui, & lauandis corporalibus & purificatorijs tantùm destinato: quod ex ablutione superfuerit, in sacrarium fundatur. Vbi verò minor sit numerus sacerdotum, rarius id fieri poterit ex proportione numeri sacerdotum, & dierum.

Suppellex inaurata, aut inargentata, eadem cautione tractetur, qua argentea. si semper exposita est, octauo quoque die panno lineo tergatur molliter: si recondenda sit, tergatur tũc. poterunt etiam inaurata sapone, aut furfure purgari, vt dictum est de calicibus.

Candelabra, & cætera ex aurichalco tractentur adhibito panno, vel ferrea summitate capiantur. si perpetuo vsu adhibeantur, tertio quoque die à puluere & cera si fortè defluxerit, mundentur: si reponenda sint, tunc etiam id fiat. Præterea quarto quoque mense, si nunquã fuerint exposita, abstergantur diligenter puluere pumiceo, aut eo quem dicunt tripoli, adhibito corio bubalino, aut si vtrunque desit, latere in tenuissimum puluerem redacto, & loco corij, panno asperiore, quem dicunt saia; nullo verò modo adhibenda est aqua. recondita huiusmodi, tubulis crassioris chartæ, aut saccis lineis amicta habeantur, qui puluerem arceant, vt nitida & lucida semper seruentur.

Candelabra lignea, si ad vsum quotidianum sint, octauo quoque die panno diligenter mundentur, cera si fortè adhæserit, leniter abrasa: si recondantur, tunc idem fiat: & loco sicco, & circunuestita habeantur. id de maioribus candelabris seu cereoferarijs etiam intelligitur. idemque de imaginibus Angelorum ligneis. ratio, qua candelabra lignea minimè picta mundentur, erit; vt nucleis panno laneo super imposito circum circa valida manu fricentur, ita vt succus exprimatur: siquidem perpetuo vsu adhibeantur, semel id fiat singulis mensibus, alioqui cum exponenda sunt.

Lampades vitreæ, quæ sunt quotidiani vsus, quintodecimo quoque die furfure & aqua calida abstergantur.

Vrceoli, præter id quod quotidie fit, singulis mensibus diligenter purgentur, adhibito ouorum cortice benè contrito, cum ligneolo aliquo instrumento ad sordiculas bene eluendas: aut verò alia ratione, si quæ aptior inueniatur. opercula vrceolorum, quotidie cum reponũtur, bene siccentur, si madeant. tum etiam pelues vrceolorum abstergantur, siccenturque: si stanneæ fuerint, tertio quoque mense lixiuia feruenti lauentur, & auena, vel farre vsto, seu ouorum cortice bene contrito fricentur. post, iterum aqua lotæ in sole siccentur, & panno lineo mundo abstergantur.

Emunctoria, tum bis saltem singula hebdomada purgentur, si sordes ex emunctione inhæserint; tum decimoquinto quoque die latere contrito, aut cinere sine aqua mundentur: extinctoria semel singulis mensibus feruenti aqua & cinere lauentur, abstergantúrque: sed si sint ex aurichalco, abstergantur ratione ei generi præscripta.

Aenea vasa pro ablutione calicum, corporalium, purificatoriorum, antequam adhibeantur, & post, bene abluantur. bis verò singulis annis abstergantur accuratè latere contrito, vel arena & aqua. si stanno sint illita, adhibeatur furfur & aqua. eodem tempore vas ad hostias conficiendas paratum lauetur & abstergatur ratione præscripta, secundùm materiæ suæ genus.

Instrumentum ad hostias conficiendas, cum vsus fuerit sacrista, oleo perfundat: & vtranque partem charta interposita simul iungat. quæ in exteriori parte fuligo hæserit, abradat; postea eandem partem crassiore panno tergat, & ita reponat.

Linea omnia, albæ, amictus, superpellicea, mappæ, panni, & si quid aliud est diuini cultus gratia paratum, separatim ab indumentis domesticis lauanda locentur: agaturque, vt melius quàm ea purgentur, & poliantur. rarius autem vel crebrius pro sereni cœli opportunitate id fiat. hoc numero tamen ne censeantur, quæ ad manus, faciemque lauandam, & ad nares purgandas in sacristia habentur.

Ternæ altarium mappæ, superior quidem singulis mensibus: inferiores verò quater in anno mundæ apponantur.

Superpellicea ministrorum, decimoquinto quoque die munda adhibeantur: corporalia, tertia quoque hebdomada: albæ decimoquinto quoque die: sudariola ad necessitatem purgandarum narium, quoties opus sit: cinguli alternis mensibus: manutergia altarium, item amictus, octo dierum spatio mutentur: & hæc saltem vbi duodecim sacerdotes Missam faciant.

Vbi autem pauciores sint sacerdotes, ex defectione numeri sacerdotum poterit augeri pro rata parte numerus dierum.

Purificatoria singulorum sacerdotum itidem spatio octo dierum, vel ad summum quindecim: superpellicea confessariorum singulis mensibus; item quæ vsui vario sacerdotalium, & clericalium ministeriorum destinata sunt, ad eandem ferè rationem.

Cætera superpellicea bis toto anno lauari sufficiet: Vere scilicet, & Autumno.

In suppedaneo armarij, seu mensæ, vbi consistit sacerdos sacra indumenta sumens, perpetuò stratus sit crassior pannus: ne qua parte indumenta fœdentur.

Lintea sacristiæ ad manus abstergendas, singula hebdomada munda ponantur. tum valde humido cælo quotidie siccentur admota igni.

Mappæ ad sanctæ communionis vsum, contractiores quidem alternis hebdomadis, maiores verò alternis mensibus mutentur. quæ purificationis gratia habentur, prout necesse fuerit; modò, vt mundæ semper sint.

Quòd autem hæc mutationum interualla præfiniantur, non ideo tamen extraordinariè quoque fieri non poterunt, si oporteat, prout ei visum fuerit, cuius hoc interest; puta si ex labe, quæ fortè aspersa sit, aliquid saluo decoro non

possit adhiberi; aut alia causa incidat.

Præcipuis solennitatibus, sicuti Natali Domini, Resurrectione, Ascensione, Pentecoste, solennitate Corporis Domini: Natiuitate, Assumptione, & Annunciatione Beatissimæ Virginis; omnium Sanctorum, & Sancti titularis Ecclesiæ, & si quæ sunt eiusmodi, munda omnia adhibeantur: & pulchriora item ad descriptionem de apparatu faciendam.

Mappæ altarium Missis finitis contegantur stragulis suis, prius verò leuiter purissima scopula, eius generis quod vestimentis adhibetur, propriè ad eum vsum destinata, purgentur. ipsa stragula hebdomada diligenti agitatione à puluere mundentur, & purgentur: præter id quod etiam quotidie mane eadem leuius excuti debent. tum aëri tertio quoque mense exponantur.

Corporalia, & purificatoria, cum remouentur, vt alia adhibeantur munda, ponantur in arcula seu canistro ad eum tantùm vsum destinato: & antequam foras dentur ad lauandum, domi ab eo qui sit in sacris lauentur in proprio vase superius commemorato, lixiuia, & sapone adhibito: & mox bis aqua sola abluantur, quod ex lauatione superest, in sacrarium fundatur.

Albæ, & superpelliceа lauta, crispanda dentur more solito; quoties reponuntur, aptè saltem contorqueantur, si non crispentur.

Corporalia item dentur personis peritis, vt amyto inducto ea durescere faciant, & complicent præscripta ratione. tempus huic operi aptum erit à Mense Maio ad Octobrem.

Recondantur verò hæc linea omnia bene sicca & complicata separatim suis locis, vt sint in promptu; apponanturque rosæ siccæ, & lauandula, aut similia, tum ad maiorem munditiam & elegantiam, tum vt à tineis libera sint.

Nullus sacerdos ad Missam faciendam accedat fœdis calceis, aut crepidis, ideo semper crepidæ in sacristia habendæ sunt ad eiusmodi vsum. si sacerdos sit externus, eius rei admoneatur. neque verò item ministri ad inseruiendum accedat, nisi mundis calceis, aut crepidis.

Habeatur coràm in sacristia scopula, qua sacerdotes & clerici vtantur ad vestimenta mundanda, antequam ad sacrum accedant.

Omnia indumenta distinctis propriis scriniis habeantur: & secundùm coloris, pretiique varietatem: linea quoque pro genere & pretio distincta sint, apponanturque cuique generi propriæ schedulæ.

Casulæ recondantur ductilibus capsis, quæ in armaria inseruntur, atque posita crassiore charta quæ fundum capsæ contegat, appositisque sic eis rosarum foliis, & lauandula, aut similibus ponatur casula cum manipulo suo, & stola: mox aliæ eiusdem generis pro altitudine capsæ: addantur item integumenta Missalium, quæ sint eiusdem generis, & sacculi seu bursæ corporalium. recondantur verò casulæ bene extentæ sine ruga aut plicatura: eodem modo dalmatica, & tunicellæ. supra omnia autem alia charta sit, vt res mundiores seruentur. Quæ sunt ex auro, seu argenteo panno, aut ornamenta habent auro vel argento asperiora: habeant pannum inter vtranque superficiem, nè confricata corrodantur.

Pluuialia, maximè si aurea vel argentea sint, vel recondantur in amplo armario extenta: vel reponantur plicata vt alia: ita tamen vt nullo modo inflectatur quæ pars pensilis à tergo est, & interponatur pannus, vt modò dictum est.

Quandocunque extrahuntur hæc indumenta, substernatur eis mappa munda: & si aliquo spatio relinquenda sint, stragulum supersternatur.

Quæ rarò adhibentur, quandoque in sereno cœlo explicata exponantur, nè fortè mucescant, vel malè oleant: sed non in sole. poterit id fieri mense Maio, & Septembri, & semel in hyeme, pro opportunitate temporis.

Pallia altarium habeantur semper si fieri possit suis telaribus extentè affixa, poteruntque vni asserculorum structuræ duo affigi diuersi coloris: vt pro diei conditione necesse non sit nisi vertere telaris faciem. ita in amplo armario erecta habebuntur, dempta linea filamentorum, quæ assuta non sit. interponatur verò pannus, siue inter duas palliorum facies in armario, siue inter pallij & altaris faciem: ad vitandam eam, quam supra diximus confricationem; commodum verò erit, pannum esse adeo latum vt vtranque telaris faciem, & sic pallia ab vtraque parte affixa contegat: & ita in media sui parte affixus telari, nunc quidem hinc inde extendatur, & ab omni latere ligaculis connectatur, nunc verò ad vnam partem tantùm: prout duas facies telaris aut vnam contegere oportuerit. illud etiam cautionis adhibeatur in telaris asserculo superiore: vt eius angulus inferior cui pallium adhæret, omnino recidatur, & deprimatur, vt nullo modo possit acumine lædere pallium. cùm altari pallia adhibentur, velamentum in superiori parte concinnè eis obtendatur Missarum tempore tantùm, nè sacerdos impediatur, vel adhærendo lædat paramenta: quod nè pedibus fiat, prohibebit tabella, quæ à suppedando surgens in altitudinem trium aut quatuor digitorum altare circummunit.

Quod si ea asserculorum contabulatione haberi non poterunt: ita plicentur, vt si quæ crucis species, aut imago affixa est, non inflectatur: cautioque adhibeatur si oporteat, interpositi panni.

Tapetia, crassioresque panni ad soli insternendi vsum, cum recondenda sunt, prius purgentur cera, & si quid aliud sordidum inhæserit: aëri post exponantur, & diligentes exagitentur ad excutiendum puluerem: scopula bene mundentur, & ita complicata suis locis recondantur.

Sacristiæ fenestræ sæpè pateant sereno, sicque cœlo tum capsulæ ductiles paulùm educantur, vt etiam quæ intus sunt, sentiant aëris beneficium.



INSTITVTIONES AD VNIVERSVM SEMINARII REGIMEN PERTINENTES,

Ab Illustrissimo & Reuerendissimo D. D. Carolo S. Praxedis Cardinali, Archiepiscopo Mediolani confectæ.

Carolus S. R. E. Cardinalis Archiepiscopus Mediolani.



VM ad Cleri disciplinam in singulis Ecclesiis propagandam, Seminariorum institutio maximè vtilis sit, ac necessaria; illud à sancta Synodo Tridentina salutariter decretum est, vt Episcopi non solùm locum, vbi collegiatim certus adolescentum numerus constituatur deligant, ac census redditusque ad eorum sustentationem necessarios præfiniant; verùm etiam certas rectè piéque viuendi formulas, cæteráque omnia præscribant, quæ iudicauerint pertinere ad rectam eorum administrationem. Sess. 23. dec de reform. cap. 18.

Horum alterum diuino auxilio, & Apostolicæ sedis auctoritate suffragante executi sumus, cùm Seminarium certo vrbis loco, aliaque nonnulla in eadem Ciuitate ac Diœcesi, certis assignatis redditibus erexerimus. Nunc verò, iam pluribus ab hinc annis ab eiusdem Seminarij erectione, cum ea obseruauerimus, quæ ad rectam illius administrationem spectant; visum est nobis, certas regiminis vitæque institutiones ac regulas præscribere, vt secundo nostro Concilio Prouinciali sancitum est. Hoc enim non minoris fieri debet, quàm eius erectio, atque institutio.

Et quoniam quæ ad vniuersum Seminarij regimen pertinent, tribus partibus continentur; quarum vna generatim ea complectitur, quæ communem administrationem attingunt; alia quæ ad officiales sigillatim spectant; postrema constitutiones & regulas ad Clericos pertinentes: idcirco de harum vnaquaque separatim agendum est.

Illud autem in vniuersum præcipimus, vt quæcunque siue hactenus decreta, siue decernenda, ab omnibus intra aut extra Ciuitatem Seminariis accuratè seruentur: sicut etiam eadem Seminaria iuxtà Concilij Tridentini constitutionem, ab illo vno quod præcipuum in vrbe erexerimus, in omnibus dependere debebunt. Sess. & dec. eodem.

PARS PRIMA.

Quę ad regimen Seminarij generatim pertinent.

De gubernatione spirituali.

CAPVT PRIMVM.

TRansacto Vacationum tempore, reuersi in Seminarium, exercitationes spirituales vnius saltem hebdomadæ spatio illi ineant Clerici, quibus à Rectore iussum fuerit. Exercitationes spirituales.

Idem ab iis præstetur, qui singulis annis in Seminarium recipientur, eodem modo, quo ex constitutione nostra consueuerunt, qui ad maiores ordines sunt promouendi.

Quòd si vnus tantùm sit, aut alter, differatur in aliud tempus commodius.

Diebus festis, qui adscripti sunt Congregationibus B. Virginis, à nobis auctoritate Apostolica institutis, indulgentiis etiam peculiaribus concessis, vt ex earum constitutionibus apparet: manè, ante & post Sanctissimæ Communionis perceptionem in Oratorium se recipiant: A prandio item ea hora, quæ Rectoris iudicio commodior iudicabitur, vt de rebus spiritualibus inter se agant, prout earum Constitutionibus præcipitur. Congregationes priuatæ.

Singuli præterea ea omnia piè præstent, quæ infra in constitutionibus ad clericos pertinentibus, cap. 2. de piis exercit. præscribuntur.

Detur opera, præcipuè in sermonibus & confessionibus, vt omnis ex clericorum mentibus sitis & auiditas beneficiorum tollatur: ac proinde videatur, vt ea de re ne ipsi quidem inter se colloquantur: ac iis sæpius inculcetur, quàm auersi ab omni rerum humanarum cogitatione, Ecclesiastici ordinis homines in via Domini ambulare debeant. Beneficiorum auiditas clericis dissuadenda.

Diebus festis Horæ Canonicæ in Ecclesia Seminarij dicantur: Missaque maior celebretur, cui Diaconus & Subdiaconus sacris vestibus induti ministrent. Diuina officia à clericis in ecclesiis obeunda.

Ad hæc Officia conueniant, quos Rector statuerit, vt veniant.

Singulis item diebus festis ad Ecclesiam Metropolitanam mittatur certus Clericorum numerus, qui diuiniis officiis inseruiat, & intersit.

His duabus Ecclesiis constituat Rector suo arbitratu, vt minorum ordinum functiones exerceant, iuxta tabellas ad instructionem totius cleri editas: Maioribus autem ordinibus initiati, in Ecclesia tantùm Seminarij suorum ordinum munera præstent.

Cùm in Ecclesia Maiori solennes processiones ac generales habebuntur, eas clerici semper obeant.

Ad processiones autem, aliave munera in aliis Ecclesiis obeunda non conueniant, aut mittantur, sine Reuerendissimi Archiepiscopi facultate.

Exercitatio in cæremoniis ritibusve ecclesiasticis.

Rituum & Cæremoniarum Ecclesiasticarum vsum omnes exactè teneant, easque decorè quantum fieri possit, præstare studeant.

Propterea bis terve in singulos menses, prout Rectori videbitur, idque præcipuè diebus relaxationis, in Cæremoniis erudiantur.

Ac primùm singulis diebus festis deligantur nonnulli, qui in diuinis officiis eas obeant.

Quæ vt rectè procedant, constituatur Præfectus Ecclesiæ Seminarij qui totius administrationis eius quæ ad Ecclesiam spectat, curam gerat, cui reliqui subiiciantur: Præfectus Chori, Magister Cæremoniarum, Sacrista, ac post hos, inferiores Ministri, qui sacerdoti sacrum peragenti, Choro cùm opus fuerit, ac populo cùm Sanctissimam Eucharistiá sumet, opportuna ministeria exhibeant.

Eodem modo alternatim deligantur, qui in Ecclesia Maiori easdem obeant.

Constituantur autem è clericis quatuor, aut sex, qui in eadem Ecclesia sub Magistro Cæremoniarum præcipuam curam habeant, vt per eos alij tum melius eodem in loco dirigantur, tum in Cæremoniarum vsu in ecclesia Seminarij instituantur.

Quibus per ætatem in Seminario diutius est permanendum, si id sine graui studiorum detrimento facere possint, cum vsu prædicto scientiam cæremoniarum rituumque Ecclesiæ, Ambrosianæ præsertim, coniungant; denique operam, vt eorum tum originem, & causas, tum significationes præcipuas cognoscant.

Quapropter semper quatuor, aut sex, quibus mandatum fuerit, in harum studia incumbant: atque hæc ex Cæremonialibus Romanis, Paridis de Grassis, ac ex eo quod ad vsum huius Ecclesiæ Mediolanensis emittetur in lucem; ex Beroldo Ecclesiæ Maioris, ac præter cæteros ex Rationali Durantis, aliisque libris de his rebus conscriptis hauriant, ea ratione, quæ à viro perito, cui Reuerendissimus Archiepiscopus id muneris demandarit, illis præscribetur.

In quo vt & ipsi magis proficiant, & aliis quoque prosint, hoc institutum perpetuò teneatur, vt semel singulis mēsibus plus minusve vt Rectori videbitur, lectionem aliquam ea de re in Cœnaculo habeant, ac ex significationibus rituum eorum, ac cæremoniarum ecclesiasticarum, aliqua documenta ad mores pertinentia ad populi institutionem eruere studeant, paratique sint, vt idem in Mensa Reuerendissimi Archiepiscopi, cùm impetrabitur, præstent.

Seruanda in susceptione sacrorum ordinum.

Omnes Seminarij Clerici sacros ordines suscepturi, testimonia de vita, & moribus, & aliarum rerum quæ requiruntur, testificationes à Rectore afferant; qui mense ante stata sacræ ordinationis tempora, omnes, qui primæ Tonsuræ, aut sacro alicui ordini adscribendi sunt, Reuerendiss. Archiepiscopo significet; tum ex præscripta formula denunciationes fiant, aliaque omnia, Tridentini Concilij, ac Prouincialium nostrorum Decretis constituta, præstentur.

Quando habendæ congregationes Præfectorum.

Congregationes Præfectorum decimoquinto quoque die saltem habeantur; in quibus de Clericorum disciplina & moribus agatur.

Si quid interdum grauius acciderit, quod præsenti remedio indigeat, tum Rector adhibitis in consilium generalibus Seminarij officialibus, deliberet quid facto opus sit, Quamprimum deinde omnia ad Reuerendissimum Archiepiscopum referantur.

Collocutio cum externis.

Nulli omnino qui extra Seminarium viuat, cum Clericis in Seminario degentibus versari, aut etiam colloqui sine Rectoris facultate liceat: quod idem iis qui de familia Reuerendissimi Archiepiscopi erunt, atque adeo ipsis Officialibus Deputatis ad regimen Seminar. interdictum esse volumus, nisi id de mandato Reuerendissimi Archiepiscopi faciant.

De Studiis.

Capvt II.

VT studia Clericorum, maiore quo fieri possit ordine procedant, & vnicuique abundè suppeditentur ea quibus ad studiorum metam peruenire possit, statuimus vt infrascriptæ Classes in Seminario sint.

Classis Grammaticæ.

Vna Grammaticæ, quæ rursus in duos diuidatur ordines; in quorum inferiori exerceantur adolescentes in epistolis breuioribus per inferiores regulas Emanuelis Aluari, quæ eis explicabuntur, componendis.

In superiori ordine constitutis, explicentur regulæ omnes eiusdem Emanuelis, vsque ad Prosodiam exclusiuè, paulòque difficiliora ac longiora themata proponantur.

Vtrique verò explicetur, mane aliquis Liber Epistolarum familiarium Ciceronis, prout præscribetur, à prandio autem Ouidius de Tristibus, vel de Ponto, aut aliquis ex Virgilio facilior liber æstiuo tempore: Quas omnes lectiones sequenti die, tum mane, tum vesperi, statim ac in gymnasium venerint, memoriter recitent.

Classis Humanitatis.

Secunda Classis erit Humanitatis, quæ in duos item distinguetur ordines: quorum inferiori proponantur initio difficiliora dictata, quæ eleganter in latinum sermonem vertant; deinde argumenta epistolarum, quas proprio marte conscribant. Ad hunc ordinem asscribendi, in Grammaticæ artis præceptionibus eruditi sint, ac in componendis epistolis exercitati nec congruè solùm sed etiam latinè. Superioris autem ordinis adolescentes in Chriis, Etopœnis, aliisque exercitationibus detinean-

tur. Singuli autem vtriusque ordinis in stylo, & compositione eleganti exerceantur, & in eruendo vero sensu auctorum qui latinè scripserunt, confirmentur.

Explicetur illis M. T. de Officiis, quibus etiam S. Ambrosij officia inserantur, aut de Amicitia, aut Tusculanæ Quæstiones, aut Epistolæ ad Atticum: atque harum quidem explicatio semihoræ, vel ad summum trium horæ quadrantium spatio concludatur: Tum altera semihora detur repetitionibus.

Ex Poëtis, Virgilius explanetur, relictis iis partibus, in quibus aliquid est minus honestum: Horatius item correctus interdum. Atque hæc quidem primis sex mensibus: quibus transactis, Rhetorica Cypriani, & aliqua ex Ciceronis orationibus facilioribus expliceturs quales sunt illæ, pro M. Marcello, & pro Archia.

Præterea ter in hebdomada Grammatica Græca Clenardi, atque etiam quantitas syllabarum: Singulis verò diebus dictatum aut argumentum compositionum proponatur.

Feria sexta pars aliqua Catechismi Canisij explicetur, ac memoriter pronuncietur.

Qui ex Classe Humanitatis, ad alias Rhetoricæ, Philosophiæ, & Theologiæ classes transmittendi.

Ex hac Classe deligantur, qui deinde variis disciplinis incumbant, prout in literis humanioribus profecerint, animaduerso vniuscuiusque ingenij acumine, stylo, & ætate, sacerdotio magis vel minus propinqua, vt copiosius infra dicetur.

Qui nullam aut exiguam spem præbent proficiendi in literis humanioribus, & orationum compositione, ad Rhetoricā non admittantur: verùm si vigesimum primum annum attigerint, nec prorsus inepti sint ad logicam, ei scientiæ vnius anni spatio operam dent, reliquos duos annos, casibus, Catechismo, sacræ scripturæ, & Rhetoricæ Ecclesiasticæ dabunt: si verò in logica propter ingenij tarditatem tempus frustra consumpturi videantur, eius studio prætermisso, totum tempus prædictis quatuor lectionibus impendant.

Idem seruetur in iis, qui vigesimum annum agent; nisi fortè propter ingenij solertiam, ad studia Philosophiæ, & Theologiæ videantur admittendi, ea conditione, vt post Philosophiæ studium, saltem per biennium in Theologiæ studia incumbant; Nemini enim aditus ad Philosophiam patere debet, qui per biennium saltem Theolog. studiis operā daturus non sit.

Qui ad decimum nonum ætatis annum peruenerint, nisi præ cæteris in stylo singulare quoddam specimen dent, & non exiguos in Rhetorica progressus polliceantur, ad Rhetoricam ne admittantur: sed si eodem loco sint, quo superiores, iisdem quibus illi legibus subiiciantur.

Sin aliquod in iis ingenij lumen eluceat, pateat illis aditus ad Logicæ, & Philosophiæ curriculum, reliquum temporis Theologiæ impendant.

Qui decimum nonum annum nondum attigerunt si ad Rhetoricæ studia idoneos se ostendant, ad Rhetoricam admittantur, deinde ad Philosophiam, & Theologiam. Sin ad has disciplinas percipiendas minus apti videbuntur, vsque ad decimum nonum annum in Humanitatis schola retineantur: modò se, accedente exercitatione, in quatuor illis lectionibus, Catechismi scilicet, Casuum conscientiæ, sacræ scripturæ, & Rhetoricæ ecclesiasticæ, idoneos sacerdotes ad animarum curationem euadere posse, aliqua ratione ostendant.

Secus è Seminario dimittentur, cùm non ea de causa sit institutum, vt in eo simplices Sacerdotes sibi tantùm vtiles futuri educentur.

Qui ad Rhetoricam admissi fuerint, nec non Philosophiæ, & Theologiæ operam daturi, à præceptoribus Collegij Braidensis eas disciplinas audiant.

Ad hæc, quibus vigesimum, aut vigesimum primum annum agentibus, vnius anni spatio in Logicæ studio immorandi fuit concessa facultas, vt magis deinde proficiant in cognitione casuum, & Catechismi; ij videant, vt abiecta spe vlterius in curriculo Philosophiæ procedendi, vnius logicæ studio contenti, in quatuor lectionum quæ dictæ sunt, exercitatione consistant.

Ratio explicandi lectionem Catechismi.

Atque hæ quidem huiusmodi ferè ratione explicandæ erunt. Catechismus, exactè, ac ferè Scholasticè explicetur; ita tamen, vt biennij spatio præcipuæ partes, tres nimirum priores absoluantur.

Hæc autem lectio mane, repetitiones de ea à prandio habebuntur.

Sacræ scripturæ, & Rhetoricæ ecclesiasticæ.

Lectio scripturæ sacræ, non scholastico more, sed tanquam Theologia positiua explanetur; ac inde occasione sumpta, doceant adolescentes modum eam populo tradendi, reuocandique ad vsum in concionibus præcepta exposita in Rhetorica ecclesiastica, quæ à prandio inclinato iam die ad vesperum explicabitur.

Et casuum conscientiæ.

Lectio denique casuum conscientiæ quotidie habeatur, cui adiungatur explicatio aliqua ex confessionali, vt discant praxim Sacramenti Pœnitentiæ administrandi.

Alia quædam ad studia pertinentia.

Præter has lectiones, omnes clerici cuiuscunque Classis doctrinam Christianam diligenter memoriæ mandent, & firmiter retinere studeant.

Ne cuiquam permittatur, vt per diuersa librorum, & studiorum genera vagetur, sed vnicuique certi libri præscribantur, quibus legendis tempus ponere debeat.

Si quis contra fecerit, ac ea de causa tempus inutiliter consumat, nec monitus resipuerit, vt omnis huius detrimenti occasio tollatur, reliqui libri omnes ab eo auferantur, necessarij tantum relinquantur.

Prouideatur, vt Clericis omnia suppetant, quæ progressum eorum in studiis adiuuare possunt.

Itaque crebro, & accuratè, examina, repetitiones, disputationes, collationes habeantur.

Tum ad discendi studium, vel præmiis, vel æmulatione, siue alia ratione excitentur.

Si quis inutiliter tempus consumat, eumque parum progredi iam experientia cognitum sit, aut voluntatis vitio, aut etiam quia non possit; id Reuerendissimo Archiepiscopo in tempore significetur, vt de eo maturè statuat, quid sit agendum.

Qui breui sacerdotio sunt initiandi, diligenter instruantur in iis, quæ ad Canonis exposi-

tionem, ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & ad Missæ mysteria pertinent.

Curetur, vt ij qui propter ætatem, à promotione ad sacerdotium propius absunt, ac proinde breui animarum curæ sunt præficiendi, modum discant administrandi Sacramenta, & exercendi alia munera, quæ animarum Curatori sunt obeunda. Quapropter prouideatur, vt alicuius Sacerdotis harum rerum periti opera instruantur.

Ad repetitiones quotidianas parati omnes accedant.

Quare nullus ob id priuatim moneatur: sed cùm omnes conuenerint, is qui repetitionum curam geret, quem volet eligat, cui eo die repetendi munus imponat.

Qui Rhetoricæ dant operam, diebus festis, & relaxationis diebus, ea quæ per hebdomadam composuerint, tum soluta, tum adstricta numeris oratione, publicè à cæteris in Seminario legenda exponant.

Idem præstetur ab iis, qui primæ Classi Humanitatis sunt adscripti, à Resurrectione vsque ad vacationes.

Qui verò Philosophiæ, aut Theologiæ student, ij singulis mensibus aliquid aut carmine, aut soluta oratione componant, prout apti fuerint, quod statis diebus Præfecto studiorum ostendant, publicéque exponant.

Adhibeatur diligentia, vt corruptæ pronunciandi consuetudines penitus tollantur, non in lectione solùm, sed etiam in familiaribus colloquiis; ac ij præcipuè obseruentur, qui vitiosas quasdam inflexionis voces habent, quas à patria secum extulerint.

In eo se omnes exerceant, vt tum latinam, tum vulgarem Italicam linguam emendatè pronuncient; ac propterea alternatim iuxta Rectoris præscriptum ad primam & secundam mensam legant semper, nisi ab aliquo concio sit habenda.

Ac si quid in legendo peccauerint, corrigantur statim à Præfecto studiorum, aut eo absente, ab alio, cui id munus demandatum fuerit.

De exercitatione Clericorum in concionibus habendis.

Diebus festis, ac præterea ter saltem in hebdomada, in aduentu quoque illustrium virorum, conciones à Clericis in Cœnaculo è suggestu habeantur; omnesque in hoc munere se exerceant: latinæ quoque orationes habeantur sæpius, præsertim ab iis, qui singulis annis Rhetoricæ studio operam dabunt.

Præfectus studiorum vnicuique præscribat thema, de quo erit habenda concio, ac singulos sigillatim semper instruat, qua ratione inuenire, disponere, & pronunciare debeant.

Atque initio quidem præscribatur tantum thema de virtute aliqua, aut vitio, aut aliqua propositio breuis ex sacra scriptura desumpta; Cum verò prouectiores fuerint, tunc etiam de Euangeliis currentibus concionentur.

Qui propter prouectam ætatem, ingenij tarditatem, aut aliam quamuis causam, non multum in hoc assequi posse videbuntur, satis erit si eo vsque proficiant, vt ad altare, Parochorum more sermones habere possint, non admodum quidem artificiosè, sed ita tamen, vt ne quidquam ab Ecclesia, aut à Doctoribus Ecclesiæ probatis alienum proferant, populumque in via Domini salutariter erudiant.

Quapropter hi instituantur, vt initio quidem conciones ad verbum exarent, deinde verò capita tantùm summa notent.

Neque verò hi vllo modo verborum ornatum, sed tantùm res ipsas consectentur, ac in iis elaborent præcipuè, quæ ad mores pertinent; atque in hoc ita se exerceant, vt diuturna consuetudine quasi roborati, possint diebus festis ad altare sermones habere, etiam si propter occupationes Parochiæ suæ, non ita sedulam per eos dies studiis operam nauare potuissent.

Itaque iis pro themate, proponantur vt plurimum Euangelia, diebus solennibus, & festis totius anni occurrentia: in quibus curetur primo, vt sensum literalem teneant, tum aliqua documenta ad mores instituendos spectantia in promptu habeant.

Ex iis omnibus, qui iudicio Rectoris de consilio Præfecti studiorum magis idonei censebuntur, mittantur per vices sæpius, omnino autem festis solennibus diebus, & in aduentu Illustrium virorum in Ædes Archiepiscopales, qui ad mensam Reuerendissimi Archiepiscopi vel latinè orent, vel vernaculè concionentur, accommodatè ad diem festum, vel ad Euangelium, quod in sacro pronunciatum fuerit.

Neque verò quisquam conciones in Archiepiscopalibus ædibus habeat, qui non eas prius in Seminario recitauerit.

De Cantu & Scriptione.

Capvt IIII.

Lectionem cantus, qui firmus dicitur, omnes quotidie adeant; Qui verò à Rectore de Consilio Magistri Musici idonei iudicati fuerint, etiam eius, qui figuratus appellatur: idque statim à prandio; & quidem à Solennitate Resurrectionis Domini nostri vsque ad mensem Septembris, duarum horarum spatio: aliis verò temporibus horæ cum dimidia tantùm.

Mandetur autem alicui ex peritioribus, vt prima elementa tyronibus tradat; moneanturque omnes, cum in posterum ordines sacros suscepturi fuerint, etiam de peritia cantus sibi examen esse subeundum.

Omnes à Paschate Resurrectionis vsque ad Vacationes, singulis diebus duas horas dent, vt eleganter & graphicè pingere literas discant: ac primò quidem, tantùm paulò in scribendo exercitatiores à præceptore externo ad eam rem conducto instituantur; deinde ipsi vicissim alios doceant, vt à Rectore constitutum fuerit.

De gubernatione temporali.

Capvt V.

Omnes in vnum & eundem locum conueniant ad cibum capiendum: qui verò omnes vno & eodem tempore cibum sumere non poterunt, prima, & secunda exstruetur mensa, vt qui primæ non possunt, secundæ accumbant mensæ.

Antequam discumbant, Rector benedicat Mensæ, & eo absente is, qui proximè post Rectorem loco in mensa adest. Idem, vbi finem fecerint edendi, Deo gratias agat.

Vtroque in munere omnes stantes detecto capite reuerenter respondeant,

Lectio in mensa tùm prima tum secunda perpetuò adhibeatur.

Primùm quidem vnius capitis ex sacra Scriptura, deinde alterius ex Martyrologio, tum reliquum tempus donec tintinnabulo signum datum fuerit, consumatur in lectione libri alicuius pij, qui vernaculo sermone cõscriptus sit.

Idque nisi loco lectionis statis diebus, vt superius dictum est, aliquis ex clericis vel latinè oret, vel vernaculè concionetur.

Qui si dicendi finem prius fecerit, quam qui accumbunt edendi, quod reliquum erit temporis, legat librum spiritualem vernaculè scriptum.

Fercula clericis duo apponantur mane, & vesperi, iurulentum alterum, alterum obsonium pro ratione temporis; quod eius erit quantitatis, qualis præscribetur.

Festis autem, sicut & sextæ feriæ diebus cum abstinetur, dictis duobus addetur tertium pro prima vel extrema esca: tempore verò relaxationis mane addatur quartum, vesperi autem primum aut vltimum detrahatur.

Idemque præstetur in prandio diebus ieiuniorum.

Vini alterum tantùm genus apponatur ad præscriptam mensuram, æstiuo autem tempore aliquid vini albi interdum adiungatur.

Superioribus præter iurulentum ferculum, & obsonium siue elixum, siue tostum, apponatur prima & postrema esca.

Et ieiunij tempore duplex adhibeatur obsonij portio.

His demum vinum album & nigrum propinetur præsertim æstiuo tempore.

Per hyemem mane à prandio, vesperi à cœna excitetur ignis in singulis locis ad recreandum animum assignatis, qui tamen etiam alia hora poterit accendi, cum superiori videbitur ob iustam causam.

Certior fiat Archiep. de numero Cleric. Singulis tribus mensibus fiat certior Reuerendissimus Archiepiscopus de numero Clericorum, qui egrediuntur, & de duodena quæ soluitur.

Clerici quomodo recipiendi post vacationes. Non recipiantur in Seminarium Clerici post ferias Autumnales, nisi planè satisfecerint pro duodena quam soluunt non solùm pro tempore transacto, sed etiam pro futuris sex mensibus, pro quibus ante partem eam soluere debent.

Clerici, quibus aliqua concedetur facultas accedendi ad proprias domos, si tempore eisdem præscripto non reuertentur, nè recipiantur in Seminarium sine expressa Reuerendissimi Archiepiscopi licentia.

Congregatio Seminarij in Archiepisc. quando, & qua ratione habenda. Habeatur perpetuò congregatio Seminarij, in ædibus Archiepiscopalibus semel in hebdomada; feria tertia, mane post diuina peracta; sæpius etiam, vt opus erit, præter eas, quæ quotannis in ipsius Seminarij Visitatione haberi solent.

Huic congregationi intersint constituti ex decreto Concilij Tridentini, pro ratione materiæ, de qua agendum est.

In iis quæ ad mores pertinent, delecti pro moribus; in temporali administratione, electi pro rebus temporalibus.

Præter alios Rector Seminarij, tum etiam qui ministri aliquando vocandi erunt pro negotiis tractandis.

In Congregatione spiritualium rerum ea proponantur, ac deliberentur, quæ ad disciplinam, mores, ac studia pertinent.

In temporali autem congregatione ea pertractentur, quæ ad domesticas rationes, iurium conseruationem, honorum amplificationem, prædiorum & ædium instaurationem, & locationem, fructuum exactionem, expensarum totius anni rationes, & quæ ad alia eiusdem generis spectant.

Prou. 5. tit. de Semin. Res omnes de quibus in Congregatione inita est consultatio, ad Reuerendissimum Archiepiscopum cum ipse congregationi non interfuerit, referantur: qui, siue congregationi intersit, siue non, vbi Deputatorum sententiam (quam tamen ex Decreto Prouinciali sequi non cogitur) audierit, ipse deliberet ac statuat, quæcunque pro sua pietate & prudentia, ad Seminarij vtilitatem potiora esse existimauerit.

Quidquid deinde Reuerendissimo Archiepiscopo videbitur, Rector ipse quam primum, & diligenter exequatur, nisi alium idem Archiepiscopus delegarit.

Libri ad rationes Seminarij pertinentes. Habeatur liber, quem magistrum appellant, in quo describantur à supputatore rationes accepti & expensi, redditu um ad Seminarium quouis modo spectantium; In eóque describantur dietim clericorum nomina qui admissi fuerint, & annuatim aliquid soluunt.

Habeatur item alter liber, qui contineat inuentarium domesticæ supellectilis.

Conficiatur item liber, in quem referatur status omnium clericorum, qui dietim admissi fuerint scilicet.

Si quidquam annuatim soluunt.
Qualis causa, & quando data.
Nomen, & Cognomen eius, & patris.
Aetas clerici.
Clerici status breuis; scilicet.
Patriæ habitation sue locus, Parochia.
Plebs, Portaue, si in vrbe est.
Qualitas literarum dimissoriarum, si alienæ diœcesis est.
Ordo quem habet.
Beneficium, si quod habet.
Talenta, & progressiones cuiusque in studiis, & moribus.

Atque hi quidem libri omnes, sicut & alia omnia scripta iurium ac bonorum, in Archiuo Seminarij asseruentur.

Capsa

Capsa pecuniarum vbi & qua ratione asseruanda.

Capsa pecuniarum asseruetur in Seminario in Cubiculo Rectoris, & claues duæ diuerso opere fabrili eidem appositæ sint: quarum vna à Rectore, altera à Thesaurario custodiatur, nec alter sine altero reponere in ea pecunias, vel extrahere possit.

In eadem asseruetur liber, in quo describantur pecuniæ omnes, dum in ea reponuntur, cum memoria sigillatim descripta, cuius causa receptæ sint.

Emptor, Clericorum omnium qui in Seminario degunt, pecuniam asseruet; neque ipse eam expendat, aut clericis restituat, sine Rectoris facultate.

Distributio horarum totius anni.

Capvt VI.

Hyemali tempore.

Hora vigesimaquarta signo dato omnes in cubiculum se recipiant, spatio duarum horarum cum dimidia, studiis operam daturi.

Hoc etiam tempore repetitiones habeantur: Superiorum scholarum vnicuique classi trium horæ quadrantium, inferiorum integræ horæ spatio attributo.

Inde ad cœnam ibitur: post cœnam hora relaxationi animorum detur, ita tamen vt extremo huius horæ quadrante, meditationis matutinæ ratio reddatur.

Conueniant hinc omnes in Ecclesiam, vbi futuræ meditationis argumentum accipiant.

Postea quadrantis horæ spatio conscientiæ excutiendæ assignato, alter quadrans recipiendis in lectum detur.

Hora vndecima cum dimidia, surgat is, qui alios excitare debet, & statim Præfectorum lucernas accendat; ab eoque sub duodecimam horam signo surgendi dato, semihora ad vestes induendas, & abluendas manus & sternendum lectum concedatur.

His peractis semihora mentali orationi, quadrans officio B. Virg. persoluendo assignetur.

Sub horam decimam tertiam studia resumantur, donec signo Braidensi scholarum dato, ad Missam omnes statim conueniant: qua audita partim ad gymnasia domestica se conferant, partim Braidam eant, hora lectionibus, quas audiunt in Collegio Braidensi præfinita.

Braida reuersis aliis, qui domi in scholis sunt dimittentur, ac è vestigio purgatis Dormitoriis, ineatur prandium.

A prandio vnius horæ spatio cessetur à studiis, ac lectiones cantus tum figurati, vt appellant, tum firmi habeantur, quibus absolutis, omnes in cubiculum se recipiant, ac ibi Braidense signum scholarum exspectent; Hoc audito omnes ad scholas eant, distinctis interuallis iuxta classes quibus adscripti sunt, vt de Matutino tempore dictum est.

Braida domum reuersi, vesperarum, & completorij preces persoluant, tum studiis operam dent, donec ad repetitiones signo dato vocentur.

Æstiuo tempore.

Mane post horam septimam cum dimidia signo surgendi dato, seruetur eadem distributio temporis, quæ hyeme, vsque ad finem recreationis, quæ agatur vnius horæ spatio cum dimidia: quo tempore partim Musicæ, partim scribendi arti addiscendæ vicissim dent operam, semihora vnicuique exercitationi præfinita.

Post recreationem semihora quieti detur, tum vocentur ad repetitiones, eadem ratione quæ superius exposita fuit: deinde vsque ad signum scholarum studiis opera detur.

Vt Braida reuersi sunt, Vesperarum, & Completorij precibus persolutis, ad cœnam eatur, seruato post cœnam ordine superius explicato.

De Vacationibus, ac diebus ad relaxandum animum assignatis.

Capvt VII.

Vacationes ne dentur antè natiuitatem B. V. ac nonnisi absoluta à Reuerendissimo Archiepiscopo visitatione; differanturque ad summum vsque ad diem festum S. Lucæ: quo tempore Clerici omnes in Seminarium reuertantur; neque cuiquam sine facultate diutius abesse liceat.

Singulis hebdomadibus, die nullo festo interueniente, dies Iouis relaxationi animorum assignetur: ac eo die hyberno quidem tempore manè scholæ habeantur; nec æstiuo tempore permittatur adolescentibus, vt toto die ludant, sed manè & vesperi certam horam dent ambulationi.

Cum aliqua de causa ad domesticos lares ire contigerit, ibi per aliquos dies mansuri, sine literis commendatitiis Reuerendissimi Archiepiscopi discedere ne liceat; ac in reditu testimoniales literas reportent, quibus de eorum actionibus testatum fiat, ac iis præcipuè capitibus respondeatur, quæ in commendatitia epistola continebantur, Quarum literarum exemplum infra ponetur, & appetente Vacationum tempore, tot quot opus fuerint pro numero Clericorum exscribantur, vt opportunè paratæ sint, ac clericis abeuntibus dentur perferendæ.

Quo tempore dum abfuerint, exteriori veste nigri coloris semper vtantur, nisi in itinere, aut per pluuias. Superpelliceum secum ferant, & vbicunque fuerint, saltem diebus festis, eo induti in Ecclesia Parochiali diuinis officiis intersint.

Locus aliquis per emptionem, aut permutationem comparetur, in quo omnia, quæ inferius scripta sunt, ædificari possint, etiam si nulla ibi sit fabricæ structura.

Nam successu temporis, aliqua applicatione Seminario facta, aut aliqua re legitimè alienata, facilè sine detrimento Seminarij ædificium exstruetur.

Sit primum intra fines Portæ Orientalis, aut Nouæ, si fieri possit, vbi maximè salubre sit cælum, ac ab vrbe saltem mille passus distet.

Situs sit iugerum octoginta, vel ad minimum septuaginta.

Vndique pariete, aut firmissima sepe saltem cingatur.

Loco sit ab externorum aspectu libero, vt ne à quoquam vicinorum, quid intus geratur aspici possit.

In ædificio hæc sint:

Sacellum honesto loco ad Missæ sacrificium celebrandum.

Triclinium, in quo commodè duo mensarum ordines construi possint, ea latitudine, & longitudine, qua decet, caminumque à capite habeat.

Culina, ac in ea puteus.

Cella vinaria exigua, in qua vini quantum satis sit, & ligna asseruentur.

Promptuarium, in quo supellex domestica, panis, ac huiusmodi alia reponantur.

Cubiculum paulò maius cum camino, vt si ventus vehemens, aut turbulenta tempestas & perfrigida sit, in id se recipiant.

Cubiculum alterum, vnius aut alterius lecti capax.

Porticus tres superiùs tectæ ad recreationes distinguendas, quò se conferant, si repentinus imber exoriatur, aut magni æstus sint; vel duæ saltem in præsentia.

Domicilium separato loco, in quo villicus, seu loci custos habitet.

Solum transuersis viis latis ad regulam directis, quadrato interuallo decenter distinguatur, quæ propaginibus vitium altius prætentis contegantur: sitque vndique vitibus, variisque frugiferarum arborum generibus consitum.

Duæ exiguæ tabulæ coniunctæ, in iisque singulis bina scaphia distincta.

Formula Epistolæ commendatitiæ ad Parochos.

Carolus S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. S. Praxedis, Dei, & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Mediolani.

Reuerend: Parochè. Cùm hoc tempore, vt valetudinis ratio postulat, dilectis in Christo nostri Seminarii Clericis ad suos lares redeundi facultatem fecerimus, vt ingenii, corporisque vires, assiduis studiorum laboribus defatigatas per dies aliquot reficiant instaurentve: (sed ita tamen, vt relaxatio ecclesiasticam disciplinam redoleat) quo vegetiores ad intermissa literarum studia reuertantur: Ioannem Perusium eiusdem Seminarii alumnum istuc proficiscentem his tibi literis commendamus; atque iubemus, vt quamdiu istuc morabitur, eius totam viuendi rationem diligenter obserues, atque hæc præcipuè.

An quotidie mane & vesperi orationi vacet.

An singulis quindecim diebus peccata sua probato sacerdoti confiteatur, Sanctissimamque Eucharistiam sumat.

An diebus festis Missæ conuentuali, reliquisque officiis in Ecclesia tua superpellicco indutus religiosè intersit, inseruiatque.

An ordinum, quibus est initiatus, functiones frequenter exerceat.

An doctrinam Christianam in ecclesia tua horis statutis doceat singulis diebus festis.

An clericali vestitu talari decenter vtatur, & eum iuguter deferat, tonsuramve gestet.

An aliquod armorum genus deferat, vel quippiam aliud in conciliis nostris clericis prohibitum committat.

An cum laicis, & præsertim mulieribus versetur.

Hæc, & si quæ sunt alia, à te quàm diligentissimè animaduerti volumus.

Vbi verò redeundi tempus aduenerit, tu literis sigillo tuo munitis, prius tamen Vicarii foranei approbatione subscriptis, quidnam in singulis dictis capitibus, aut alia in re excessus vel defectus extiterit, (super quo conscientiam tuam oneramus) sigillatim nobis cumulatissimè significabis.

Illud te admonemus, hoc nobis ita cordi esse, vt si vnquam aliàs, hoc tempore in primis à te præstari diligentissimè velimus. Dat. Med.

Formula Epistolæ commendatitiæ ad Vicarium Foraneum.

Carolus &c.

Admodum Reuerendo Vica. Quàm valde de Clericorum qui in Seminario viuunt, recta institutione soliciti simus, vel ex hoc perspicere potes, quòd non iis solùm literis contenti, quas ad Parochos damus, ad te etiam perscribere voluerimus: vt cognita nostra cura, quam habemus de istis, qui aliquando futuri sunt huius Ecclesiæ Ministri, hoc in primis tempore, quo veniendi domum facultatem habuerunt, eorum qui sub tuo degunt Vicariatu, & quorum nomina subiicientur totam viuendi rationem per te & per alios diligenter obserues.

Et quamuis Parochis mandauerimus, vt literas quas ad nos missuri sunt, prius ad te approbatas, & subscriptas mittant; volumus tamen, vt ipse etiam priuatim de toto illorum vitæ genere nos cumulatè certiores facias, pariterque quo die literas nostras tibi, Parochiæque præsentarint. Dat. Mediolani, &c. Ioannes Franciscus, filius Ambrosii. N. filius. N.

De Visitatione.

Capvt VIII.

Hebdomada Resurrectionis, ac circiter festiuitatem Natiuitatis B. V. Reuerendissimus Archiepiscopus adhibitis in consilium Deputatis, generalem Visitationem habeat: in qua deliberet, quæ ad Clericorum eiusdem Seminarij institutionem, disciplinam, mores, studiorum progressionem, rerumque temporalium administrationem attinent. *Quo tempore habenda Visitatio Seminarij.*

Visitationis initio, si libuerit, Ecclesiam, & Sacristiam visitet. *Quæ in ea peragenda.*

Deinde examen fiat adolescentum, ab his quos idem Reuerendissimus constituerit, adhibitis rerum spiritualium præfectis. *Clericorum examen, & ratio examinis.*

Examinatores, ab his qui maioribus disciplinis operam nauauerint, Primò de materiis, quæ illis explicatæ fuerint sciscitentur: tum rursus datas responsiones nouis quæsitis vrgeant, vt inde colligatur, quos in iis studiis progressus fecerint.

Qui Rhetoricæ, & scholis inferioribus adscripti fuerint, omnes aliquid iuxta suarum Classium ordinem componant, separatim, distinctis locis, iisque clausis; nec inde prius exeant, quàm scriptiones ei, qui ad eas colligendas deputatus fuerit, dederint.

Quas deinde singuli coram examinum præfectis legent.

Postea Rhetoricis auctor aliquis latinus detur explicandus, Orationis nimirum Ciceronis, aut aliquis ex Poëtis.

Tum etiam aliquid inquiretur de præceptis artis Rhetoricæ, ac de Græcis literis.

Idem ordo adhibeatur (ratione tamen Classis habita) in eorum examine, qui in prima, aut secũda Humanitatis Classe versati fuerint.

Qui Grammaticam non excesserint, illis aliqua ex Epistolis Ciceronis familiaribus explicanda proponatur; deinde quàm in præceptis Grammaticæ periti sint, exploretur.

Ratio status cuiusque describendi.

Vt quisque hac ratione examinatus fuerit, quod specimen ingenij & doctrinæ dederit, in statum referatur: cuius hæc erit formula.

N. filius. N. loci. N. Pleb. N. Med. Diœcesis.

Annorum, &c. completorum, die tali, mensis N. anni, prout fuerit.

Initiatus vel *non*. Ponantur ordines.

Receptus die tali, Mensis N. Anni N. Parentes habet superstites vel *non, fratres, sorores*, tot quot fuerint.

Patrimonium tenue, mediocre, pingue, vel *nullum*.

Soluit nihil, vel quid soluat.

Adscriptus est Classi Primæ Humanitatis, vel *secundæ, aut dat operam Theologiæ*, vel *Metaphysicæ*. Ponatur tempus quo primùm huic Classi adscriptus est.

Diligentiæ — *Mediocris*, vel, *&c.*
Ingenii. — *Boni*, vel
Memoriæ. — *Bonæ*, vel
Spei. — *Bonæ*, vel *exiguæ*.
Talentum habet ad concionandum, &c.
Examinatus. — *die tali &c.*

Si sit ex aliqua inferiori Classe.

Compositione. / *Præceptis.* / *Auctoris explicatione.* } *satisfecit parum*, vel *mediocriter*.

Idem dicendum de cæteris.

Si grauioribus studiis, puta Theologiæ, aut Philosophiæ dat operam, ponatur ita.

Benè, vel *malè respondit.*
Apprehendit.
Discurrit.
Et soluit obiecta.

Alia quædam in visitatione præstanda.

Ad hæc, certior fiat à Rectore de disciplina, & moribus cuiusque, ac singulos separatim alloquatur: quæ sit eorum mens, quis sensus, quàm in vocatione stabilis inquirat, ac si quid aliud præterea scire voluerit.

His omnibus absolutis, & cognita per examen cuiusque peritia, Reuerendissimus Archiepiscopus statuat, an ad maiores Classes promoueri debeant: tum præterea deliberet, si qui alicui ministerio, aut beneficij Ecclesiastici, aut docendi, aut alterius rei addici possint.

Rursus si qui propter nullam aut exiguam in literis aut moribus progressionem, acriter puniri debeant, aut etiam si opus fuerit, è Seminario expelli.

Quæ postquam constituerit, subducta ratione vacantium locorum, decernat, an sint aliqui in huiusmodi loca è Seminariis forensibus substituendi; aut si alij recipiendi, qui à Vicariis foraneis, vel à Visitatoribus propositi fuerint, aut qui libellos supplices obtulerint.

De Rectoris administratione, ac de cæteris officialibus Seminarij percunctetur, an benè & diligenter omnes suis muneribus fungantur; vt si quid opus fuerit, prouideat.

De aliis præterea, quicunque aliquod in Seminario officium gerunt, quærat, an omnes munus suum fideliter, ac diligenter exerceat; ac si opus esse viderit priuata monitione, aut obiurgatione, aut mutatione, omnes perturbationum causas tollere studeat.

Tum adscitis rerum temporalium deputatis, rationes accepti & expensi diligenter inspiciat, & alia ad temporalem administrationem spectantia cognoscat: si quid in his omnibus innouandum constituendumve sit, decernat.

Præter hanc generalem visitationem tertio quoque mense saltem, nisi iusta causa impeditus sit, Seminarium inuisat, iuxta Prouincialis Concilij secundi constitutionem. Tit. 2. dec. 25. pag. 68.

Mittat etiam nonnunquam peritos homines ex tempore, qui lectiones cuiusuis generis audiant, & adolescentum exercitationibus literariis intersint; vt qua ratione in studiis progrediantur, animaduertant.

De Clericis in Seminarium recipiendis

Caput IX.

Quæ cauenda in receptione Clericorum.

Maxima cautio adhibenda est in eo præcipuè, vt idonei Clerici in Seminarium recipiantur: neque solùm ingenium, & habilitas ad studia literarum, functionesque Ecclesiasticas exercendas spectetur; sed multò magis morum ac disciplinæ in singulis ratio habeatur.

Quales enim ij fuerint qui admittentur, tales prorsus è Seminario fructus existent.

Quo tempore clerici in Seminarium admittendi.

Quocirca quamuis Reuerendissimo Archiepiscopo liberum sit, quouis tempore clericos in Seminarium recipere; vtilius tamen videtur fore, si id tantùm paucis ante vel post Resurrectionis Domini nostri solennitatem, & Natiuitatis B. Virginis festiuitatem diebus faciat.

Tunc enim, cùm Visitatio generalis, vt suprà expositum est, ab eodem sit habenda, ex omnibus qui admitti petierint, ij præcipuè seligentur, qui experimento examinis facto, & Inquisitionibus de iis diligenter habitis, præcæteris idonei iudicati fuerint.

Præstanda ab iis qui petunt admitti.

Qui verò in Seminarium optabunt admitti, Vicarij item Foranei qui aliquos proponent, mense saltem ante prædictos solennes dies ad Reuerendissimum Archiepiscopum tabellas supplices deferant: in quibus descriptum sit nomen & cognomen eius qui petit admitti, Patris, Parochiæ, Loci, & Plebis, si ex Diœcesi sit; Portæ, si in Ciuitate domicilium habeat.

Reuerendissimus Archiepiscopus tabellis

admittendorum.

supplicibus acceptis, mandet (si in eis recipiendis consueta ratione vti voluerit) vt Rectorem Seminarij adeant, ac coram eo à Præfecto studiorum, aliisque ei muneri præpositis, ea ratione quæ infra exponetur, examen subeant; vt Visitationis tempore, eorum status, tum quo ad scientiam & eruditionem, tum quò ad mores & pietatem confici possit.

Cum quis in examen venerit, eius ætas potissimum spectetur, cùm nullus in Seminarium maius recipi debeat, qui Philosophiæ, & Theologiæ studia perficere commodè non possit; nisi aliter Reuerendissimo Archiepiscopo videatur aliqua iusta de causa.

Quindecim annos nati, primæ Classi Grammaticæ aut idonei sint, aut saltem sex mensium ad summum spatio habiles futuri sint.

Qui decimum sextum compleuerint, apti sint, qui saltem gymnasio Humanitatis adscribantur.

Qui prouectiores fuerint, si decimum octauum attigerint, poterunt admitti ad primam classem Humanitatis: qui verò hanc ætatem excesserint, apti sint iis classibus, quæ supra dispositæ sunt vbi de studiis agitur, seruatis conditionibus ætatis, eorumque omnium quæ requiruntur in iis, qui sunt ad eas classes promouendi.

Examen autem omnino exactè fiat, ea ratione, quæ hoc loco præscribitur.

Primò quidem efficiant examinatores, vt is de quo examen faciendum est, Latinum aliquem auctorem explicet: inde vulgari sermone præscriptum aliquod thema in latinam linguam conuertat: Postremò ab eo præceptorum Grammaticalium rationem exquirant: nisi fortasse altioris eruditionis cognitionem præse ferat.

Proponetur item vnicuique aliquid, quod memoriæ mandet, idque maximè si adulta ætate sit; vt ex eo, quid ingenio consequi possit perspiciatur.

Ratio status eorum conficiendi.

Examine peracto, vniuscuiusque status conscribetur in hanc formam.

Antonius Ripa filius Ioannis loci N.

Plebis. N. Med. Diœc.

Si verò sit Ciuitatis.

Portæ Nouæ, Par. S. Bartholomæi.

Annorum 15. vel 16. *&c.* Ætas autem habeatur ex processu ætatis & natalium agitato, ad formam præscriptam à nobis, prout infrà dicetur.

Initiatus, vel *non*.

Parentes habet superstites, vel *non*, *fratres*, *sorores*, apponendo numerum singulorum.

Patrimonium, *nullum*, vel *tenue*, vel *mediocre*, *prout in facto erit*.

Beneficium obtinet vel *non*.

Duodenam soluet, vel non, & quamnam.

Ingenii / *Spei* / *Memoriæ*	*Boni*, vel *mali*, *mediocris* vel *debilis*: in vnoquoque horum trium, prout in examine comprehendetur.

Peritia autem cuiusque subsequenter describetur in hanc formam.

Examinatus supradictus.

In expositione Auctoris repertus fuit infra mediocritatem; Intelligens linguæ latinæ, vel *mediocriter*, *vel supra mediocritatem*, *&c.*

In Præceptis Grammaticæ non excessit aduerbia, *vel participia*, *&c.* Et in his vel infra mediocritatem, vel mediocris, &c.

In compositione idem seruetur.

Inquirendo circa vitam mores &c. admittendorum.

His confectis, Rector (nisi malit Reuerendissimus Archiepiscopus hoc munus alteri delegare) de eius vita, & moribus, si in Ciuitate habitet, à Præfecto Portæ, aliisque probatis viris; sin externus sit, à Vicario Foraneo, aliisque fide dignis testibus secretò cognoscat, atque hæc potissimum diligenter inquirat.

An singulis saltem mensibus peccata sua probato Sacerdoti confessus sit, Sanctissimamque Eucharistiam sumpserit.

An Scholis Doctrinæ Christianæ in Ecclesia statutis diebus ac horis interfuerit.

An talari vestitu ad præscriptam formam vsus sit, ab eo tempore, quo concessu Reuerendissimi Archiepiscopi Clericalem habitum induit; cuius etiam licentiam scriptam exhibeat, antequam in Seminarium recipiatur.

An diebus festis in Ecclesia superpelliceo indutus, diuiniis officiis religiosè interfuerit, sedulóque inseruierit.

An ludum literarium frequentauerit; huiusque rei testimonium etiam à præceptore ipse afferat.

An cum laicis versatus sit: ac ij, quibus moribus præditi

An arma ferat, aliaque huiusmodi.

His præfectis, Rector quidquid cognouerit, Reuerendissimo Archiepiscopo significet, eique simul statum exhibeat, vt ipse de eo admittendo vel reiiciendo decernat, prout visum fuerit.

Paranda à Clericis antequam Seminarium ingrediantur.

Admissi à Reuerendissimo Archiepiscopo, antequam in seminarium recipiantur, dent idoneum fideiussorem ad præscriptam formam vt infrà, cuius etiam rei fidem seu testimonium scripto exaratum Rectori afferant.

Si verò aliquid pro victu soluant, dimidiam partem repræsentent.

Omnia præterea antequam ingrediantur sibi comparent, quæ in sequenti tabella continentur: atque hæc ad formam in constitutionibus præscriptam.

Breuiarium, *Diurnum*, *officium B. V. atque ea ritu Ambrosiano.*

Corona.

Tabella, in qua sacra imago aliqua sit depicta.

Vasculum ad aquam benedictam continendam.

Vestes exteriores duæ laneæ, violacei altera, altera nigri coloris.

Interiores item duæ, quarum altera hyemis tempore, altera æstate deferatur.

Illa è panno laneo crassiori, hæc è subtiliori (vulgò Sarza appellant) sit confecta.

Epitogum, seu vestis domestica, iuxta præscriptam formam.

Pallium, quod ferrarolum appellant.

Pileus ad formam, & biretum, cuius interior pars nigri tantùm sit coloris.

Cingulum, quod nec sericum sit, nec reticulatum, sicut neque vincula tibialium.

Sex ad minimum indusia, quorum quidem collaria, nec crispata sint, nec vllo penitus artificio elaborata.

Manutergia duo, aut tria: Sudariola tot, quot opus fuerint.

Conciones alicuius probati auctoris, & liber aliquis de rebus spiritualibus conscriptus; prout superiori videbitur; ac ij praeterea omnes, quibus in gymnasio necessariò vti debent.

Lectus, capsa, scrinium maius, & minus, scabellum iuxta formam Seminarij, Culcitra stramentitia, Anaclinterium, lintea, lodices ad vsum, tum hyemalis temporis, tum aestiui, ad formam Seminarij.

De fideiussore dando ab iis, qui Seminarium ingrediuntur, ac testimonio aetatis exhibendo.

Capvt X.

NVllus in Seminarium recipiatur, nisi prius idoneum fideiussorem dederit; qui pro eo spondeat, non solùm quoad repraesentationem pecuniarum singulis sex mensibus, quas pro victu soluere debebit; sed etiam vestitu iuxta Seminarij constitutiones: Et qui, si Clericus è Seminario sine facultate Reuerendissimi Archiepiscopi discesserit, aut propter improbitatem, aliamve eiusmodi causam expulsus fuerit; in his omnibus, & singulis, aliisque in formula cautionis consueta praescriptis, si quid horum contigerit, teneatur pro victu soluere, quaecunque eo nomine Reuerendissimus Archiepiscopus, aut eius Vicarius iusserit, pro eo tempore vniuerso, quo in Seminario commoratus fuerit.

Fideiussores ne accipiantur, nisi domicilium in Ciuitate habeant, & ad praescriptam formam approbati, & collaudati.

Omnes aetatis, & natalium testificationes scriptas, ac illius iudicio, qui à nobis constitutus fuerit, probatas afferant: quas nisi eiusdem subscriptione signatas exhibeant, ne recipiantur.

In aetate Clericorum exscribenda, notetur expresè dies, mensis, annus, quo quisque natus fuerit, hoc modo.

Natus die mense & anno vt constat ex processu approbato: quo possit facilè, quotiescunque opus sit, subducta ratione, haberi aetas vniuscuiusque,

Poterit tamen haec diligentia praetermitti, si ex libris Matrimoniorum, & Baptismorum testimonium probatum extet: ex quibus describatur ad verbum exemplum verborum, quibus testatum sit, Matrimonium inter parentes eius, qui recipiendus est, contractum esse, & insuper diei quo quis talis baptizatus est; quo eum ex legitimis nuptiis esse procreatum probetur, ac eius aetas inuestigetur.

SECVNDA PARS Quae ad Officiales Seminarij pertinent.

De Officialibus in genere.

Capvt primvm.

SEminarij Officiales, alij Ecclesiastici, Laici alij esse debebunt; qui cùm omnes vitae integritate conspicui, tum praesertim Ecclesiastici, vita, & moribus probati sint, & in his quae eorum muneris sunt, exercitati: qui, si fieri possit, omnes ex Oblatorum Congregatione deligantur, ac potissimùm Rector eiusdem omninò sit congregationis.

Rector igitur prae caeteris sit aetate prouectus, auctoritate grauis, spectata probitate, ab omni onere residendi solutus, peritus disciplinae clericalis, ac eius praecipuè, quae ad Seminarium spectat; maximéque expediret, vt ex eorum numero deligeretur, qui olim in Seminario fuerint instituti: atque Ecclesiasticae Disciplinae retinens, ac studiosus; & in iis sit intelligens rebus, quae sunt temporalis administrationis; omnium primus, eique caeteri cuiuscunque ordinis, tam qui in Seminario praecipuo, quàm qui in aliis degunt, in functione munerum suorum, ac in omnibus prorsus rebus, quae ad Seminarij referuntur vtilitatem, obtemperare teneantur.

Minister, qui Rectoris vices gerat, thesaurarij etiam, si modò idoneus sit, fungatur officio.

Confessarius.

Praefectus studiorum, qui item bibliothecae curam gerere poterit.

Praeceptores tot, quod ad earum classium, quas suprà disposuimus, institutionem requiruntur.

In singulis cubiculis bini praefecti ex clericis ipsis à Rectore constituantur: qui eos potissimùm seliget, quos longo vsu, pietate, & prudentia praestare caeteris cognouerit; disciplinaeque, ac progressionis Seminarij amãtes.

Eosdem pro suo arbitrio mutabit, & amouebit, vt Seminarij rationibus expedire censuerit.

In Canonica, & aliis Seminariis forensibus, sint Vicarij ministri, qui Rectori pareant, & illi regiminis, & omnium rerum, quae illic aguntur, rationem reddant: sicut & ministro in iis, quae ad eius officium pertinent.

Constituantur praeterea hi decem inferioris ordinis serui: obsonator seu emptor, dispensator, Ianitor, Vestiarius, qui etiam aegrorum curam gerat: cellarius, qui etiam triclinij curam habeat: famulus Rectoris: qui ab eo non impeditus, alia etiam domestica prout opus fuerit munera praestet: Pistor, scopator, qui Pistori in pane conficiendo auxilietur: coquus, subcoquus.

Hos autem Rector, eodem modo prout visum fuerit, mutabit, & è Seminario dimittet.

Ad hanc item normam dirigantur seminarij Canonicae, & eorum quae in Dioecesi sunt, administratio.

Praeter hos, qui domi officia obtinebunt, conducantur duo magistri (si quidem in Seminario ad id muneris idonei non reperiuntur) à quibus in cantu, & scriptione clerici erudiantur.

Medicus certus, qui aegrotos curet: Chyrurgus, siue tonsor, qui venam secet, cum opus fuerit, capillos tondeat, aliaque sui muneris officia praestet.

Ratiocinator, qui rationibus subductis summam redditum, & expensarum. Seminarij conficiat, ac in libro maiore conscribat.

Deligantur etiam, qui negotia prædiorum Seminarij procurent.

Quibus omnibus certa merces à Reuerendissimo Archiepiscopo constituatur, adhibito etiam Deputatorum consilio.

Hos autem omnes Rector ne mutet sine Reuerendissimi Archiepiscopi facultate.

Illud præcipuè Sacerdotes omnes contendant pro viribus, vt clerici eum finem, qui exspectatur, assequantur: ideo cauebunt, ne quid committant, quod ab Ecclesiastica disciplina, & Seminarij institutionibus alienum sit, quod ve illorum mores corrumpere queat.

Quamobrem obseruantissimi sint institutionum Seminarij, quæ de communi vita, pietate, disciplina, & moribus præscripta sunt.

Singuli onus sibi iniunctum exequantur: quòd si interdum impediti fuerint, Rectorem commonefaciant.

Quotidie, nisi legitimè impediti, in Ecclesia Seminarij Missæ sacrum ad præscriptum tabellæ in Sacristia asseruandæ faciant: foris autem ne celebrent, nisi facultatem à Rectore obtinuerint.

Non recipiant, neque aliis offerant aliquid, quod ad Seminarium attineat, etiam si esculentum, poculentumve sit, nisi prius impetrata facultate Rectoris: neque curent rem aliquam Seminarij singularem, nisi illa ab ipso Rectore, vel Ministro fuerit concessa.

Familiaritatem Clericorum non ament, neque cùm domo exierint, aliquem socium inscio Rectore deligant, vel ducant.

Cum Mediolano aliquando discedere cogente necessitate acciderit Rectorem admoneant, & claues, aliasque res ad vsum domus necessarias illi, vel Ministro restituant.

Extra ædes Seminarij cibum nè capiant inscio Rectore, neque in priuatis cubiculis.

Domo egressi, ante Salutationis Angelicæ signum redeant.

De officio Rectoris.

Capvt II.

Illud sæpius Lector animo repetat, quàm graue suis humeris onus incumbat; cùm ab eorum, qui in Seminario viuunt recta institutione, totius Diœcesis reformatio pendeat.

Quapropter, vt qui illius fidei commissi sunt, eos è Seminario fructus percipiant, quos ecclesia sancta, ac Tridentinum præcipuè Concilium sibi proposuit; quàm diligentissimè curet, vt in se ipso eas ad viuum virtutes exprimat, quas in clericis requiret; ita vt qui illi subiecti sunt, in eo tanquam in speculo expressam videant eius vitæ imaginem, quæ illis omni studio sit effingenda: meminerit que, exemplum viuam esse doctrinam; nec sibi minus cùm taceat quàm cùm loquatur, esse alios ad pietatem incitandos.

Diuinæ in primis gloriæ amplificationem, clericorum in omni virtute perfectionem semper ante oculos habeat, & ad eum finem omnes cogitationes referat, & curas.

Studeat, vt quæ ad spiritualem progressum spectant, rectè atque ordine administrentur; vt quotidianæ*, aut alias statæ exercitationes, nisi necessaria de causa non intermittantur.

Curam omnium collegiorum eiusdem Seminarij primam, & præcipuam habeat.

Interrogatus à Reuerendissimo Archiepiscopo de vniuscuiusque clerici statu, quæcunque is scire voluerit, fideliter aperiat; præcipuè si de ordinibus ei conferendis, aut eo ad curationem animarum mittendo Reuerendissimus Archiepiscopus cogitet; caueatque præsertim, nè aliquid gratiæ tribuat.

Si quid alicuius momenti, aut exequi, aut innouare necesse sit, non nisi re cum Reuerendissimo Archiepiscopo communicata id faciat, eiusque auctoritatem, & consilium sequatur; quod idem seruet, si contingat aliquid, cui ipse solus occurrere non possit.

Reuerendissimum Archiepiscopum sæpè adeat, etiam non vocatus; vt ab eo si quid ad Seminarium pertinens constituere velit, cognoscat.

Ne recipiat quemquam, nec eiiciat è Seminario absque Reuerendissimi Archiepiscopi licentia; ac in clericis recipiendis seruet præscriptam in his recipiendis rationem: poterit tamen eos expellere, qui in re graui contumaces fuerint, aut magnum aliquod erratum, & publicum admiserint.

Curet diligenter, vt officialibus Seminarij in iis, quæ eorum muneris sunt, pareant omnes, ac eos qua debent obseruantia, & reuerentia prosequantur.

Si quid in iis animaduerterit, quod vel scandalum, afferre, vel labem aspergere Seminario possit, Reuerendissimum Archiepiscopum commonefaciat.

Obseruet diligenter eorum mores, & in suo cuiusque officio diligentiam; vt de statu cuiusque Reuerendissimum Archiepiscopum docere possit: vt hinc ille intelligat, quos ministros bonos, & contra minus bonos atque idoneos in cura Seminarij habeat: vt alteri in omni progressu ad virtutem, alteri ad mores corrigendos excitentur.

Conuocabit sæpius Præfectum studiorum, Ministrum, Præceptores, Præfectos Dormitoriorum, cum quibus ea deliberabit, quæ ad clericorum in moribus disciplina, ac studiis progressionem iuuandam necessaria, aut vtilia iudicauerit: quos etiam crebrò de singulorum viuendi ratione interrogabit.

Singulis etiam hebdomadis consultationem habeat de rebus domesticis, & de victu parando.

Pias cohortationes nonnunquam ad clericos habeat de his rebus, quas ad clericos expedire censuerit.

Intersit etiam aliquando diuinis officiis, & horis canonicis in Ecclesia Seminarij: videatque an chori disciplina seruetur, cæremoniæque diligenter exerceantur.

Nonnunquam in Ecclesiam Metropolitanam, cùm in ea clerici fuerint, se recipiat: vt illi diligentius, quæ ad cultum diuinum spectant, exequantur.

Si quis ex clericis morbo correptus decumbat: illum inuisat, efficiatque vt alij pro eius valetudine recuperanda Deo preces offerant, præsertim si periculosior sit ægrotatio.

Gymnasia sæpius visitet, & quid in ijs agatur perspiciat.

Interdum ex improuiso in locum recreationis clericorum eat; illorum mores obseruet: ac eorum, quæ aut in lectione ad mensam, aut in concione extra Seminarium audierint, rationem exigat.

Cautus sit in locis in Dormitorio disponendis, & in socijs vnicuique, cùm domo exeunt, assignandis.

Diligentissimè animum intendat, vt disciplina seruetur ab omnibus, qui in Seminario degunt: & in primis famulos in officio contineat.

Curet, vt semel singulis mensibus institutiones ad clericos pertinentes in Triclinio legantur.

Eas ipsas omnibus clericis, qui in Seminarium recipiuntur, initio statim perlegendas tradet.

Tradet etiam vnicuique ea, quæ ad officium suum spectant, vt ad præscriptam rationem sese omnes gerant.

Ne cuiquam facultatem concedat exeundi è Seminario priuata de causa, nisi ea benè cognita, & perspecta, necessariò concedendam esse iudicarit; nec quemquam solum exire permittat, etiam Præfectum. Qui si alia loca adierint, aut diutius abfuerint, quàm fuerat illis concessa facultas, domum reuersi ab eo corrigantur, & puniantur.

Interioris portæ semper, & interdiu Rector semper apud se clauem habeat, exteriorisque noctu.

Ne permittat, vt plures famuli habeantur in Seminario, quàm quos Reuerendissimus Archiepiscopus adhibitis in consilium Deputatis habendos censuerit: nec ijs mercedem det ampliorem, quàm sibi fuerit præfinita.

Ne famulum quempiam in familiam adscribat, de cuius vita, & moribus non habeat probabiles testificationes.

Nihil permittat sine consensu, & approbatione sua in Seminario fieri.

A Ministro crebrò intelligat rationem, & diligentiam, quam adhibet in rationibus, atque expensis cognoscendis.

Eius quoque erit totius familiæ occupationes, & necessitates cognoscere, & vnicuique prospicere.

In pretiis rerumque æstimationibus cognoscendis, homines, qui in his rebus magnum vsum habeant, iudicioque valeant, in consilium adhibeat.

Singulis annis sæpius visitet prædia, & bona omnia ad Seminarium spectantia: ac si quid magni alicuius momenti reperent, antequam remedium adhibeat, rem totam Reuerendiss. Archiepiscopo, & congregationi Deputatorum consultandam exponat.

Neque verò, vel rerum in totum annum emendarum, vel ædificiorum fabricandorum, vel alterius cuiuspiam emolumenti prædijs afferendi nomine quidquam per se attentet: sed rem totam Reuerendissimo Archiepiscopo, & congregationi exponat, & ex eius deliberatione pendeat.

Curet tamen, vt statis temporibus ex Deputatorum consilio de his rebus statuatur, quæ in totum annum erunt comparandæ: de frumento, vino, oleo, lignis, leguminibus, caseo, tela, candelis, atque aliis de hoc genere.

Circa festum Natiuitatis B. Virginis, ante Visitationem Seminarii, rationes omnes accepti atque expensi fieri curet: quas vbi diligenter cognouerit, Reuerendissimo Archiepiscopo in visitatione coram Deputatis rerum temporalium exhibeat.

De officio Ministri.

Capvt III.

Minister, absentis Rectoris vices gerat, rerumque ab eo statutarum executor sit: ipsum autem oportet singula propius diligentiusque circumspicere, atque in primis efficere, vt in suo quique munere famuli diligentiam præstent.

Eorundem famulorum paternam curam gerat: alioquin enim illi malè habebuntur, vnde querelæ existent quotidianæ, & famulorum mutationes: qua re nihil est peius.

Inuiset sæpè cellam vinariam, promptuarium, vestiarium, culinam, & alia eiusmodi loca.

Indicem conficiat eorum, quæ ad familiæ victum necessaria sunt, quem Rectori exhibeat, vt in tempore comparari possint: res enim suo tempore emptæ, & meliores sunt, & viliores.

Caueat, ne in mensam cibi malè olentes, vel parum cocti, vel indiligenter conditi inferantur.

Ægrotis præcipuam charitatem præstet: eos in tempore inuisat, necessitatibusque animi atque corporis prospiciat: illudque persuasum habeat, malè cum his in vtroque homine actum iri, si ipse quidquam de cura, & diligentia remittat.

Amplius circa ægrotos ipsos eam adhibeat cautionem, vt in valetudinarium de iudicio medici se conferant.

Per diem atque etiam noctem domum interdum circumeat, ad continendam in officio familiam: ne quid minus decens, aut contra Seminarii regulas fiat.

Viset etiam interdum vesperi portam exteriorem: an à Ianitore benè fuerit clausa: ac etiam dormitoria famulorum: an aliquis eorum sine licentia domo exierit.

Ne aliquid aliud, quàm à Rectore constitutum est, vel extraordinarium, nisi ab ipso facultate habita emi iubeat, vel permittat: ideo etiam alium librum, seu repertorium quotidianarum impensarum habeat, in quo omnia notari à dispensatore iubeat, & antequam suum librum emptor Deputatis ostendat, Minister ipse videat, an aliquid ab emptore fuerit notatum, quod in Seminario non fuerit receptum.

Habeat & alium librum, in quo cum pro Seminario frumentum, vinum, oleum, ligna

et quid aliud magni pretij emetur, rei cuiuslibet, & qualitatem, & quantitatem notet.

Quotidie sub noctem librum dispensatoris recognoscet, & cum obsonatoris rationibus conferet.

Norit, quantum vini quæque cuppa capiat, & cum exhausta fuerit, attendat, an capacitati illius expensum respondeat.

Habeat item indicem vestiarij separatim rerum omnium domesticarum; rursum ornamentorum Ecclesiæ, easque res omnes anno vertente recognoscat.

¶ Procuret etiam, vt vnusquisque Clericus per se notam in scriptis, de singulis suis rebus, quas secum attulerit, conficiat; easque res omnes Minister sibi ostendi faciat, ac inde notam ipsam penès se retineat, ne de aliqua re in discessu dubitari contingat.

Librum habeat separatum, in quo sigillatim diem, mensem, annum, nomina, cognomina, patriam, ætatem clericorum omnium, ac famulorum, qui in Seminarium ingrediuntur, & similia minutim perscribat.

Inuigilet, vt clerici omnes, vestium, & cæterarum rerum nitorem procurent, atque vt res omnes Seminarij, quarum vsus ipsis conceditur, quantum fieri possit, illæsæ conseruentur, neve quidquam inutiliter consumatur.

Assistat ijs, qui secundæ mensæ accumbunt, sicut & cæteris, cum à prandio, vel à cœna exeunt è Triclinio.

Inuisat sæpè Tonstrinam, dum ibi tonsores adsunt: ac animaduertat, nè ibi clericorum fiant conuentus, sed ij tantùm, qui tondentur, maneant, ne ex diuersis cubiculis permixti eodem tempore accedant: attendat etiam, vt ibidem quæ ad Tonstrinam opus erunt, à famulo ad id deputato in suis locis asseruentur.

Quandoque in Clericorum capsis perquirat, an quid esculentum, pecunias, vel aliud quidpiam vetitum habeant.

Animaduertat etiam, ne quis aliquid in domo, se, vel Rectore inscio, faciat.

Habeat librum, in quo notet omnia opera distincta, quæ singuli fabri fecerint: monitumque habeat emptorem, ne aliquas pecunias illis soluat, nisi de mandato Rectoris scriptis exarato.

Farinam etiam, quæ à molendinario conducitur, sæpè recognoscat: ne quid fraudis in quantitate, aut in qualitate committatur.

Quotiescunque Pistor farinam ad incernendum accipiet, furfur dispensatori tradi, sibique rationem singulis mensibus reddi curet.

Animaduertat quoque, vt vestiarius linteamina, & alios pannos benè custodiat, semperque pro Seminario aliquid faciat, quod magis necessarium videbitur; monitumque ipsum habeat, ne pro aliquo quidquam se, vel Rectore inscio laboret.

Si cui è Seminario discedendum fuerit, quascunque Seminarij res habeat, sibi reddi procuret.

Denique præscriptos omnes, & clericis, & cæteris familiæ Ministris ordines, sedulò ab ipsis obseruari curabit: quod sanè munus, vt facilius, ac diligentius exequi possit, ordines omnes cuiuscunque generis, vel officij domus apud se habeat sæpiusque legat.

Delinquentes tum clericos, tum famulos debitis pœnis afficiat: si cui tamen pœna aliqua grauis erit imponenda, id ne faciat inconsulto Rectore.

In ijs omnibus, quæ ad Ministri Seminarij officium pertinent, eidem Vicarii Ministri in alijs, tum vrbis, tum Diœcesis Seminarijs existentes rationem reddant: ipseque Seminarij Minister, in eisdem collegiis, an omnia rectè habeant, diligenter inspiciat, & accuratè inuestiget.

De Officio Confessarij.

Capvt IV.

Confessarius Seminarii illud secum reputet, ex se, rectaque sui muneris administratione, pendere eorum, qui in Seminario viuunt, in omni virtute progressum.

Quare turpe sibi fore, nisi ita viuat, & in omni vitæ parte ita se gerat, vt ex ipsius vita moribusque, omnis virtutis atque officii exempla peti possint.

Pietate, mansuetudine, humilitate, prudentia, charitate, officii sui dignitatem sustineat, auctoritatem tueatur.

Familiæ totius pax, & concordia, eius curæ sit; quare animorum offensiones, si quæ suboriantur, sedare confestim omni ratione studeat.

Vitam, & mores vniuscuiusque quantum fieri possit, exploratos habeat: vt vel ad officium reuocare errantes, vel in via Domini incitare ingressos possit.

Illud in primis, in ijs quorum confessiones audit, efficere studeat, vt eum tanquam parentem ament, ac venerentur: ideóque cum illis benignè agat, præsertim dum confitentur, (adhibita tamen ea grauitate, & auctoritate, quam munus quod gerit, & persona quam sustinet, requirit.)

Sic enim maximè sibi fidem conciliabit, efficietque, vt eius consilia salutaria, libenti animo, & suscipiant, & exequantur.

Quare neminem coram aliis, præsertim Superioribus, reprehendat, nec ei culpam aliquam exprobret.

Singulis hebdomadibus feria sexta, & Sabbato clericorum confessiones audiat, eo ordine, vt omnibus decimoquinto quoque die Pœnitentiæ Sacramentum ministret: iisque prætерea temporibus, quibus clerici, ex constitutionum suarum præscripto infra tertia parte, in capite de piis exercitationibus, peccata confiteri, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suscipere tenentur.

Tempus autem constituat, quo vniuscuiusque Dormitorii clerici confiteri debeant, ne vlla ordinis perturbatio suboriatur: eos verò per Præfectos moneat, vt prius se præparent, quàm ad confessionem eant.

Porrò Præfectus, non omnes simul, sed quinos tantùm, vel senos ad eum mittat. Confessarius autem tabellam eo tempore apud se habeat, in qua clericorum omnium nomina des-

cripta sint, vt sigillatim confitentes signet, & non confitentes ab aliis dignoscat.

Diebus Dominicis, & festis, cum clerici sanctissimam Eucharistiam sumunt, mane vacet iis, qui indiguerint reconciliandis.

Omnium præterea, qui in Seminario viuunt Ecclesiasticorum Confessiones audiat, tempore Conciliis definito: & famulorum semel saltem singulis mensibus.

Diebus festis à prandio famulos omnes conuocet, eosque in Doctrina Christiana diligenter erudiat.

Quotidie vesperi, postquam clerici Matutinæ meditationis rationem reddiderint, omnibus in locum constitutum conuenientibus, puncta proponat proximè sequenti die manè meditanda; in quo ne dimidium horæ quadrantem excedat: nec minus perspicuitati studeat, quàm breuitati.

In eorum materia deligenda illud seruet, vt Sabbato, quod Dominicam antecedit, in qua sanctissimam Eucharistiam sumpturi sunt, de eodem Mysterio agat, sextis autem ferijs de Iesu Christi Passione, & morte.

Cæteris diebus Sabbati, itemque vigilijs Ecclesiæ lege seruandis, puncta sumat ex Euangelio, quod sequenti die in Missa pronunciabitur, idque per totam Quadragesimam seruet.

Reliquis autem totius anni diebus, ex concordia Euangelica Cornelij Iansenij sine interruptione promat, quoad vsque ad eius finem peruentum sit.

Proponat autem in hunc modum: pronunciet primò verba Euangelij: Deinde vernaculè explicet, Postremò tria inde documenta eliciat, quæ futuræ meditationis materia sint.

Studeat, modò vni, modò alteri recreationi vicissim interesse, dum clerici Matutinæ meditationis rationem reddunt.

¶ Vicissim diebus festis clericorum congregationibus intersit, curetque vt ab omnibus statutis temporibus habeantur.

Denuo receptos clericos, aliosque si opus fuerit, instruat in ijs, quæ ad constitutiones Seminarij spectant, eosque quomodo confessionis, & Eucharistiæ Sacramenta suscipere, orare, Missam audire, eique inseruire debeant, erudiat.

Cum primùm quis Seminarium fuerit ingressus, curet, vt totius vitæ peccata generali Confessione expiet.

Spiritualibus exercitationibus præsit, quas clerici statutis temporibus obibunt.

Multa cilicia, & disciplinas sibi comparet, quas clericis, qui indiguerint, accommodet.

Si cui in confessione aliquid occurrerit, quamobrem illi necesse sit, longiori temporis spatio immorari: ne astantibus offensionis occasio præbeatur, Confessarius hoc in aliud tempus differat, non imposita illi tunc quidem absolutione, vel certè, si eum tunc absoluendum iudicauerit, vt cum alijs possit sacram Eucharistiam sumere, id faciat petita ab eo venia secum ea de re alio loco agendi.

Nihil aut ipse proponat, aut audiat à confitente ad confessionem minimè spectans: si autem aliqua institutione quempiam indigere cognouerit, aliud sibi ad eum instituendum tempus eligat.

Si quos vitæ spiritualis amantes compererit, eis suis cohortationibus vires addat, pijs colloquiis, documentis spiritualibus, orationibus, omnique alia ratione iuuare conetur: languentes verò, desides, & à progressibus spiritualibus abhorrentes, quacunque ratione excitare, & ad meliorem frugem reducere studeat.

Vt autem pœnitentibus ope sua præsto esse, ac eos ad vitæ emendationem, ac progressum in virtute possit excitare, vtilia quædam, & sigillatim cuilibet opposita vitio remedia in promptu habeat: maximè verò ijs vitiis aduersa quibus præcipuè obnoxios esse nouit Seminarii clericos.

Quod ad orationem, eiusque rationem spectat, studeat quàm diligentissimè in eo, quibuscunque rebus poterit clericos iuuare, & quibusdam regulis instruere: cogitetque parum admodum profecturos Seminarij Clericos in spirituali progressu, maximisque fructibus priuatum iri, si vel nulla, vel non recta ratione orent.

Quamobrem maximos atque vberrimos, qui ex oratione præsertim mentali existunt fructus, sæpius illis proponat, omnique ratione ad illius studium, & amorem inflammare nitatur.

Imperitos etiam, & in discutienda conscientia minimè exercitatos edoceat, omnemque præscribat examinis modum, quo illi vti debeant, eiusque rationem ab iis exigat.

Moneat omnes, ne vnquam sibi ipsis mortalis culpæ conscii somnum capere audeant: sed contractam peccati maculam, statim Sacramentali confessione eluant.

Omnes hoc salutari præcepto informet, vt videlicet in Matutina oratione, se ipsos Deo Opt. Max. desideria sua, omnes cogitationes, actiones eius diei, & verba offerant, eiusque gloriam solam in omnibus rebus sibi proponant.

Studeat in omnium mentibus maximum animarum zelum, propriæ voluntatis abnegationem, veram obedientiam, paternam charitatem inserere: interna scentia opimorum beneficiorum, vel diuitiarum desideria, salutaribus monitionibus extinguat, quoslibet etiam iis de rebus sermones prohibeat: solam denique illis Dei gloriam, & animarum salutem procurandam esse doceat, & expetendam.

Illud denique sedulò curet, vt ea quæ Seminarii constitutionibus præcipiuntur, diligenter obseruent.

Bis in anno mittatur ad Seminarium Confessor extraordinarius, cui clerici omnes confiteantur: vt si qua de causa huiusmodi nonnulli indigeant medicina, occultis animi sui morbis mederi liberius possint.

Quare illud etiam caueatur, vt qui ordinarius confessor aliquando fuerit, ne idem ad eorum confessiones extraordinariè audiendas mittatur, nisi secus aliquando Reuerendiss. Archiepiscopo expedire visum fuerit iusta de causa.

De munere Præfecti studiorum.

Caput V.

PRæfectus studiorum, in Seminario, & in omnibus eiusdem, tam vrbis, quàm Diœcesis collegiis rei literariæ præsit.

Eiusdem munus præcipuum illud erit, vt iuuenes leges Seminarii ad studia pertinentes inuiolatè seruent.

Curabit etiam diligenter, vt quàm maximam ex lectionibus, repetitionibus, disputationibus, aliisque literarum exercitationibus percipiant vtilitatem: dubia propterea, si quæ occurrerint, explanabit.

Visitabit sæpè clericos dum domi student, & quid quisque agat diligenter cognoscet: quòd si quis tempus inutiliter consumpserit, Rectorem moneat, vt pœnam quam meretur, luat.

Intelligat præterea, quinam negligentes sint, quive superati fuerint in his exercitationibus, quæ diebus Sabbati domi in scholis habentur: eius verò epistolam, quæ multis partibus æmulo fuerit inferior, curabit publicè legi in Triclinio, omniaque errata, quæ in ea notabuntur. Rector autem pro negligentia, & erratorum ratione in eum animaduertet.

Vt omnes, quanta fieri poterit diligentia Lectiones audiant, eisque operam dent, efficiat, vt modò hic, modò ille Lectiones repetat, vel recitet in Mensa.

Inquirat aliquando, an Præceptores omnes domi existentes suum diligenter munus præstent, anque à præscripta illis docendi ratione discedant: quamobrem gymnasia sæpius visitet, lectionumque explicationi intersit.

Adibit etiam interdum Magistros Braidæ, & quomodo se clerici gerant, quid proficiant in literarum studiis inquiret; & si quempiam in his deficere intelliget, ad Rectorem deferat.

Quotidie intersit repetitionibus Theologorum, & eorum, qui dant operam primæ Philosophiæ; aliarum etiam repetitionum Præfectos sæpè conuocet, repetitionibusque ipsorum aliquando præsens sit; videbitque an rectè munus eis demandatum exequantur: quòd si quid fuerit, quod ei minimè probetur, cum Rectore conferat, vt ei malo consulatur.

Singulis item hebdomadis disputationes haberi curet, quibus ipse semper intersit: & lectionem Catechismi ad Parochos habeat, cui clerici omnes semper intersint.

Curam habeat, vt clerici per ordinem in Triclinio concionentur, themata tradat ad præscriptum decretorum, vt in cap. de studiis præscribitur: quòd si in Archiepiscopatu habendæ erunt, eas primùm in Seminario recitari iubebit.

Nulla habeatur concio, aut oratio, etiam in Triclinio, neque etiam recitentur carmina, nisi ab eo præuisa: quæ omnia sciente Rectore agantur.

Idem primæ mensæ, nisi iusta de causa impeditus, tum mane, tum Vesperi accumbat.

Sæpè omnium libros reuiset, an illorum instituto apti sint, & necessarii, libros verò Indicis iussu, aut legibus Seminarii interdictos, ad Rectorem deferri iubeat.

In ingressu clericorum, ad eum deferantur libri omnes, quos ipse diligenter recognoscet: & si quos deprehendet in Indice, aut à Reuerendissimo Archiepiscopo prohibitos, ne eos apud se habere permittat.

Sæpè rectorem admonebit, de iis, qui diligentiores in studiis fuerint: negligentiores item notet: vt à Reuerendissimo Archiepiscopo requisitus, eorum omnium rationem reddat.

Cum sacræ ordinationes habendæ erunt, eos qui mittendi sunt ad examen, diligenter domi recognoscat: si quos autem rudes, aut minus aptos repererit, aut instruat si modò possit, aut Rectori significet, vt quid de illis expediat, deliberari possit.

Quæ ad Præceptores pertinent.

Caput VI.

STatis horis in gymnasium conueniant. Quotidianas ludi exercitationes, ac studia, pia aliqua oratione inchoent, itemque concludant: quæ antequam absoluatur, discipuli è ludo ne missi fiant.

Proinde in Gymnasio loco decenti, & perspicuo, tabella alicuius sacræ imaginis appendatur, ad quam singulis diebus statæ preces fiant.

Efficiant, vt discipuli omnes Doctrinam Christianam rectè teneant.

Si quæ profana aliquando exponent, ea ad rectam disciplinam, egregiamque morum informationem, præclaris interpretationibus traducere conentur: ac in suis explicationibus aliquid ad laudabilem vitæ institutionem semper interponere studeant.

Prouideant, vt in schola omnes locis assignatis se contineant.

Ne permittant eos egredi è gymnasiis.

Caueant, ne discipuli scamna incidant, aut quidquam in iis inscribant, neve iis occultati, res inutiles faciant.

Cum ad finem alicuius libri peruenerint, tumultum fieri nullo modo sinant.

In verberando, caput ne cædant: nec sine modo, aut cum ira quenquam percutiant.

Nihil omnino discipulis dent scribendum sine Rectoris facultate: nec ab iis quidquam transcribi permittant, nisi necesse sit, ne & tempus terant, & valetudini noceant.

Si quos ex discipulis alloqui velint, ne eos in cubiculum suum admittant, sed id in schola, aut in recreatione faciant.

Grauitatem cum discipulis vbicumque sint retineant.

Si quis in gymnasium cum aliis non venerit, Rectori, aut Præfecto studiorum significent.

De Officio Thesaurarij.

Caput VII.

THesaurarius numerandi artem probè teneat: ne vel in exigendis, vel in soluendis pecuniis labatur: sit etiã

benè versatus in libris rationum tractandis, itemque in monetarum generibus, & vitiis cognoscendis, ne vel vitiosas admittat, vel non iusti ponderis.

Describat pecunias omnes, quas ipse recipit, vel aliis soluit, cum die, mense, & anno, & cum expressa causæ mentione.

Nullam pecuniam cuiquam numeret sine mandato à Cancellario Seminarii confecto, cuià Vicario Generali, & ab vno ex Deputatis, nec non à Rectore subscriptum sit: omninoque eidem Rectori se obedientem præbeat in hac pecuniarum administratione.

Pecunias omnes in cubiculo Rectoris, vbi itidem capsa asseruatur, recipiat, easque statim in ea reponat.

Habeat penes se indicem omnium colonorum, & debitorum, quorum nomina, & cognomina diligenter perscribat; vt cum tempus postulat, pecuniam ab eis recipere pro debiti solutione, & de eadem pecunia fidem illis perscribere possit.

Mandata omnium pecuniarum expensarum diligenter asseruet: nihil enim illi acceptum expensum referetur, nisi singularum solutionum mandatum exhibuerit.

De Officio Præfectorum.

Capvt VIII.

Primum eos, qui suæ curæ commissi fuerint, precibus ardenter Deo commendent; ac illis omnibus in rebus præeant exemplo; caueantque maximè, ne illis aliquam offensionis causam præbeant.

Superiores omni obseruantia colant, ac efficiant, vt quæ à Rectore constituta fuerint, à clericis seruentur.

Sine fraude defectus clericorum Rectori significent: ac si quid de his præterea Rector quæsiuerit, fideliter aperiant: vt quam facillimè occurratur offensionibus, clericique in disciplina, moribus, & studiis dirigantur.

Præfecti mutua sese beneuolentia prosequantur.

Alter alterum moneat de iis, quæ ad illius Dormitorii administrationem expedire iudicauerit.

Cum è Dormitorio exeunt, si diutius abfuturi fuerint, de eo Rectorem, aut Ministrum certiorem faciant; nec verò exeant nisi iusta de causa.

Primi mane surgant, postremi vesperi eant cubitum, claudantque ianuas cubiculi, ac earum claues apud se habeant, ne quisquam ipsis inscientibus possit ingredi.

Ne cum clericis suis vllo modo contendant, aut contumeliis eos afficiant: sed si quis contumax in parendo fuerit, ad Rectorem deferant.

Ne in Clericos sine facultate Rectoris animaduertant.

Ne quemquam priuato complectantur studio, neve in alicuius se insinuent familiaritatem, vt & omnes clerici, eos, vt decet vereantur, & ipsi maiore cum sinceritate, ac libertate, officii sui partes exequantur.

Si quis alium ex præfectis negligentiorem in suo munere animaduerterit, ac præcipuè in rebus grauioribus, cum Rectori denunciet.

Constitutiones Seminarii generales exactè teneant, vt facilior sit illis administrationis ratio: si quis eas aliquo modo violet, eum denuncient; ac ipsi præter cæteros, iis quàm diligentissimè pareant; ac si quid aliud Rector, aut generatim, aut ipsis peculiariter præceperit, id studiosè præstent; vt non minus exemplo, quàm verbis clericos ad eadem seruanda incitent.

Quæ Præfectorum munus est præstare, & ad rectam Seminarii administrationem spectant, ea ne alter in alterum reiiciat.

Curent diligenter, vt clerici, qua debent obseruantia, & reuerentia, superiores colant.

Efficiant, vt ab iis vbicunque fuerint, modestiæ ratio habeatur, publicè præsertim, tum maximè in Ecclesia, & in Choro.

Rectorem certiorem faciant de iis, qui eo die è cubiculo, vel è Seminario exierint, quod vt illis facilius sit, singulorum nomina in tabella descripta habeant.

Singulis diebus festis indicem conficiant, in quo nomina clericorum sui Dormitorii, qui eo die sanctissimam Eucharistiam sumpserint, describant, eumque Rectori exhibeant.

Vnusquisque ignarium apud se habeat, vt cum opus fuerit, ad accendendas lampades, si quando noctu extinguantur, ignem eliciant.

Sæpius clericos in locis suis visitent, an statis temporibus orationi, & studio vacent, animaduertant.

Si quem officio suo deesse compererint, notent.

Singulis diebus, vel alternis saltem, vesperi, quidquid in dormitoriis suis contigerit, scriptum Rectori exhibeant, ac singulis diebus Sabbati, quæ paranda erunt in Dormitoriis, significent.

Curent, vt diligenter ab vnoquoque sternantur lecti, nec super eos vestes, libri, aut alia quælibet ponantur: vt superpellicea singulis mensibus lauentur: vnaquaque hebdomada tonsura ad formam accommodetur.

Prouideant, vt è Dormitorio quotidie sordes euerrantur, caueantque ne tabulæ frangantur, aut parietes deturpentur.

Ne permittant, vt quisquam mane, antequam signum campanæ datum fuerit, surgat; curentque Vesperi, vt examine conscientiæ perfecto, post quartam horæ partem omnes in lecto sint: si quis non paruerit, Rectorem moneant.

Matutino, & Vespertino tempore, cum clerici ad latrinas eunt, illos aliquando obseruent, studeantque si fieri possit, vt soli eant, ac ibi noctu lucernam accendi curent.

Cum aliquis ad res communes cum cæteris non conuenerit, & à communi cœtu abfuerit, si vbi sit ignorent, eum per se, aut per alium fidelem quærant.

Si quid alicui clericorum, ad victum, & cultum, aut ad valetudinem opus esse cognouerint, superiorem moneant.

Notent eos, qui literas ad alios scribunt, itemque eos, qui nimia familiaritate inter se vtuntur, aut quos existimant in cubiculo, vel

in consuetudine esse separandos, deque iis Rectorem commonefaciant.

Temporibus orationi, & studiis dicatis, ne ambulent ipsi in Dormitorio, neve alios ambulare sinant, aut quauis ratione tumultum fieri, aut quemquam loqui non nisi vrgente necessitate, idque submissa voce, & latinè.

Cùm aliquis à recreationis loco, aliorumve cœtu discedendi veniam petet, si diutius sit absfuturus (præterquam si ad ianuam de Rectoris licentia vocetur) potestatem ne faciant, sed ad superiorem pro facultate obtinenda mittant, caueant autem, nec duos vnquam solos, quouis abire permittant.

Cum animi relaxandi gratia deambulatum clerici mittuntur, videant, ne tumultuosè vociferentur: ne alii ab aliis secedant: ne aliquid ad comedendum emant: ne lapides iaciant, aut alia contra, aut præter decorum admittant, neve iis ludis vtantur, qui constitutionibus Seminarii prohibentur: Curent autem, vt moderata deambulatione corpus exerceant.

Clericos è Dormitorio exeuntes comitentur, nec permittant, vt in reditu à gymnasiis, aut alio quouis loco, externis se ingerant, aut cum iis commorentur.

Nemini ad alterius locum eundi veniam concedant, nisi iusta de causa, sibique probata.

Interdum etiam inuestigent, an Ianitor eos vocandi à Rectore veniam obtinuerit.

Siue in loco recreationi assignato, siue alibi clerici fuerint, ipsi præsentes adsint.

Examine Vesperi absoluto, curent lumina omnia, præter lampades in Dormitorio aliisque locis, extingui.

Præfecti, qui aliis discedentibus domi manserint, clericos omnes, qui non exierint, cuiuscunque cubiculi sint, commendatos habeant.

Si qua in re à Rectore obiurgati fuerint, æquo animo ferant, ac pœnas ab eo iniunctas promptè persoluant.

De Bibliotheca, eiusque Præfecto.

Capvt IX.

Certus constituatur in Seminario Bibliothecæ locus, vbi volumina librique omnes asseruentur.

In ea armaria aliquot exstruantur, in iisdem libri, ac volumina, non aceruatim, sed ordine disponantur.

Index præterea fiat, in quo pro disciplinarum genere, aut pro alphabeti ratione volumina singula notentur, addito etiam loco impressionis, & forma volumini.

Isque index certo loco in perpetuum asseruetur, notatis etiam deinceps ordine aliis libris, quicunque in posterum eidem Bibliothecæ quouis modo accesserint.

Constituatur autem aliquis, qui eiusdem Bibliothecæ curæ diligenter præsit.

Is libros omnes à sordibus incorruptos conseruet: puluerem si quando adhæserit, excuti curet: tum etiam diligenter caueat, ne libri humiditate corrumpantur, vel à muribus corrodantur.

A Rectore etiam obtineat, vt volumina, quæ pro vetustate, carie situve obsordescunt, Librario opere poliantur; dissoluta, & malè compacta conglutinentur; ab operculo nuda, asseribus, coriove tegantur.

Indicem conficiat librorum omnium, quos ex bibliotheca de mandato Rectoris, ludi Magistris, aut aliis accommodabit, eosque cum reddiderint, expungat: quos autem clericis accommodauerit, eos singulis saltem sex mensibus (nisi fortè citius propter alicuius discessum aliamve causam id faciendum sit) sibi reddi faciat: vt vel iisdem, si ita expedire visum fuerit, vel aliis, qui indigeant, eadem vt supra constituta ratione accommodet.

Indicem vnum, vel alterum librorum prohibitorum apud se habeat: vtque nullus eiusmodi liber in bibliotheca sit, diligenter videat; tum si quem fortè in ea comperεrit, emendandum iis statim denunciet, penes quos corrigendi facultatem esse sciet.

De Familia inferiori.

Capvt X.

Qvotidie manè inferior familia statim, ac surrexerit, in templum ad Missam conueniat, nisi fortè quis necessaria officii occupatione per id tempus impediatur.

Diebus festis post prandium præstò erunt omnes ad Doctrinæ Christianæ expositionem atque tractationem, hora quæ eis præscribetur à Confessario.

Prima cuiuslibet Mensis Dominica die, & solennioribus totius anni festis diebus Sacrosanctum Christi Domini corpus sumant: Die autem Sabbati, aut sexta feria, prout à Confessario præscribetur, quæ primam cuiuscunque Mensis Dominicam diem antecedit, in Vigiliis item solennium dierum, eidem Confessario peccata sua confiteantur: à quo etiam præstitæ confessionis Chirographum Ministro exhibendum accipiant.

Quod ad victum attinet, iisdem regulis teneantur, quibus & clerici.

Domo non exeant sine Rectoris, & eo absente sine Ministri licentia: domoque exeuntes nihil secum asportent, neque item in Seminarium importent, inscio eodem Rectore, vel Ministro: cum item exibunt, aut redibunt, eorum alteri se præsentent.

Præter ea, quæ sigillatim vnicuique ex officio incumbunt, illa omnia præstabunt, quæ à Rectore, vel Ministro iniungentur: Caueant autem, ne tempus inutiliter consumant.

Decoro, ac modesto vestitu semper vtantur, & nigri, aut subobscuri coloris: neque in Seminarium recipiantur, priusquàm ad præscriptam normam induti sint, deque habitu, moribus, & ætate à Rectore probationem obtinuerint.

Famuli, nec arma tractare, aut apud se habere, nec chartis lusoriis, aut talis, aut alio eiusmodi indecoro ludi genere ludere audeant.

Vitent pariter sermones dissolutiores, libros scurriles, & impuros, profanas cantiones, & alia id genus.

Omnes ad secundam mensam conueniant:

& ad

& ad ea, quæ de suggestu pronunciantur, attenti, modestiam, ac silentium accuratè seruent.

Nihil prosus alicui extra Seminarium concedant, quod ad rem familiarem, & ad cibum, vel potum attinet, etiam si minimum sit, non obtenta venia à Rectore.

Ne cum clericis familiaritatem ineant; eos tamen vbicunque, omnique tempore debito prosequantur honore.

Nihil illis sub quouis prætextu dent, vel ab eis accipiant: qui secus fecerint, graui pœna arbitrio Rectoris mulctentur.

Si in aliqua re defuerint, aut Seminarij regulas violarint, eiusdem Rectoris, aut Ministri arbitrio puniantur; contumacibus tum aliqua mercedis pars subtrahetur, tum ijdem etiam si opus fuerit, eijcientur.

PARS TERTIA

Quæ ad Clericos Seminarij pertinent.

De Scopo Clericorum Seminarij.

CAPVT I.

ADolescentes, qui singulari Dei beneficio sunt delecti, vt in Seminario instituantur, id potissimùm intelligere debent, cuius gratia Concilij Tridentini decreto Seminaria instituta sint; & intelligentes, sæpius animo repetere, omnesque neruos intendere, vt illud diuina ope suffragante, ad animarum salutem, & Pastorum solatium consequantur.

Quòd si qui propter improbitatem, aut negligentiam, illud minus obtinebunt, aut quia sua ipsi sponte ab instituto Clericalis vitæ recedant, aut suo vitio à Seminario expellantur, vel Episcopo suo parere nolint, in ijs rebus, quæ ad eius Ecclesiæ vtilitatem spectant, cuius sumptibus aluntur, & educantur; grauiter peccabunt, atque à Deo, tanquam alienæ facultatis vsurpatores, acerrimè punientur.

Sunt igitur ea potissimùm de causa Seminaria erecta, vt in ijs boni strenuique operarij ad curationem animarum, quas suo sanguine pretiosissimo Christus redemit, instituantur; & ij quidem adolescentes (qui ob ætatem, cum tenera sit, & procliuior ad voluptates, & flexibilis etiam ad bonarum rerum impressiones admittendas, in operibus virtutum erudiri debent) vt eam vitæ perfectionem adipiscantur, quæ in ijs, qui Doctores populorum futuri sunt, elucere debet, & seuerioribus disciplinæ legibus coercendi.

Cum igitur duo præcipuè in Sacerdote, & animarum Pastore requirantur, probitas videlicet, ac doctrina; earum vtraque in Seminariis est comparanda.

At sicut probitatis maior est necessitas, quàm doctrinæ, sic illis in eius studio magis est eladorandum: cum præsertim acquisitio virtutum, in vniuscuiusque assiduitate, & industria, potiusquam in Rectorum, aut præceptorum diligentia sit posita; ita vt nisi quis laborem adhibeat, non multum, aut nihil illi aliorum vigilantia sit profutura.

Quamobrem vnusquisque sit ea mente, ac voluntate, idque sibi quotidie proponat, vt omnino velit in bonum Ministrum pro huius Ecclesiæ Mediolanensis adiumento euadere; seque Deo iuuante, purum ab omni peccati labe conseruare: sic enim affectus, multò facilius doctrinæ cognitionem accipiet, maiore tum suo, tum cæterorum emolumento; Beneficiique magnitudinem agnoscens, quòd illi tam præclara sit oblata facultas, toto animo singulis diebus Deo se offerat; rogetque, vt se ad prædictum finem idoneum efficiat operarium.

Quòd si quis decursu temporis de statu mutando consilium caperet, etiam si de Religione ingredienda cogitaret, de eo Reuerendiss. Archiepiscopum, vel Rectorem statim certiorem faciat.

Peccaret enim, si in Seminario hoc animo viueret, in alium finem consumens, quod ad operarios solùm pro huius Ecclesiæ auxilio sustentandos est constitutum.

De pijs exercitationibus.

CAPVT II.

QVotidie mane singuli semihoræ spatio mentali orationi vacent; qua perfecta, Matutinum officium Beatæ Mariæ Virginis, & Primam recitent; Tertiæ verò, Sextæ, & Nonæ, dum Missæ sacrificio intersunt; horas; Vesperarum, & Completorii, vespertino tempore post scholas deuotè persoluant.

Singulis diebus omnes antequam Braidam adeant, Missæ sacrificio intersint, eique vicissim inseruiant. Cum verò Sacerdos, secreta quæ vocantur, recitabit, horis absolutis, si quod tempus supersit, Missæ Mysteria piè meditentur, Coronam ve, aut Rosarium dicant, prout à Confessore expedire iudicatum fuerit.

A prandio, & cœna in Ecclesiam rectà pergant, ibique orationem Dominicam, & Angelicam salutationem secretò quinquies dicant.

Vesperi post recreationis tempus, signo campanæ dato meditationis rationem reddant; tum in locum constitutum conueniant, vbi futuræ meditationis argumentum accipient.

Quotidie Vesperi per quartam horæ partem conscientiam diligenter excutiant.

Dominicis, reliquisque diebus festis in Ecclesia Seminarij Missæ maiori, ac diuinis officijs intersint; illis tamen exceptis, qui Metropolitanam obibunt, vt altari ministrent, cæterasque sacras functiones exerceant.

Confiteantur omnes Seminarij Confessori peccata sua, saltem prima quaque, & tertia cuiusque Mensis Dominica die; diebus præterea festis Christi Domini, B. Virginis Matris, Sanctorum Ioannis Baptistæ, & Apostolorum, & Sancti Ambrosij, omnibusque Dominicis Aduentus, & Quadragesimæ.

Qui verò sacris ordinibus initiati sunt, semper singulis octo diebus: qui alicui sodalitio B. Virginis sunt adscripti, eius leges, &

instituta ea de re seruent.

Prima quaque cuiuslibet mensis Dominica die, & solennibus item totius anni diebus festis, sacram Eucharistiam sumant: in Aduentu verò, & Quadragesima, singulis saltem quindecim diebus: quod idem Diaconi, & Subdiaconi semper præstent.

Quotiescunque autem sumunt, siue in Ecclesia Metropolitana, siue in Ecclesia Seminarii, aut alia quapiam, superpelliceum induant: idemque faciant, quotiescunque Reuerendiss. Archiepiscopo celebrante, ipsi adfuerint.

Post sacram verò communionem in Ecclesia persistentes, in aliqua pia eiusdem Mysterii meditatione quadrantis horæ spatio versentur; nec inde prius discedant, quàm per æditum signum campanæ datum audierint.

Singuli in Cœnaculo concionentur, prout moniti fuerint: & semel saltem in hebdomada se in sacris ritibus, & ceremoniis ad Ecclesiam spectantibus exerceant, nisi aliter expedire censebitur.

Opera pietatis, si quando illis à Rectore permissum fuerit, studiosè præstent: præcipuè verò in concionandi munere, si modò Diaconi sint, publicè se exerceant, impetrata prius per Rectorem à Reuerendissimo Archiepiscopo facultate.

De disciplina, & moribus.

Capvt III.

Quomodo se gerant erga superiores.

Superioribus omnes, & singuli debitam obedientiam, & obseruantiam omnino præstent: coram Rectore autem, nec caput operiant, nec assideant, vbicunque illi sint, nisi prius ab eo iussi fuerint.

Quòd si Prælatus aliquis, aut vir insignis intersit, caput non tegent, donec iterato admoniti fuerint.

Si quid à Rectore petierint, repulsamque tulerint, taciti acquiescant; quòd si videatur eidem in memoriam reuocandum, id postero die facere possint: amplius nullo modo, nisi noua intercedente causa.

Dum aliquid à Rectore petunt, rei, loci, & temporis rationem habeant: vt scilicet nihil contra leges, & instituta, nisi vrgente necessitate, petant, nihil tempore orationi, aut studiis dicato: nihil in templo, vel in Sacristia, præsertim si tunc Superior sit celebraturus, aut Missam paulò ante perfecerit.

Erga Rectorem ea sint animi affectione, qua filii erga parentem: Ab eo si quid præter voluntatem imponitur, aut negatur, id existiment ad vtilitatem suam referri, pro certo habentes, superiores ad id multis duci causis, quæ adolescentes plerunque lateant.

Eidem Rectori liberè suos sensus exponant: vt illis prout opus fuerit consulat: cum nihil sit difficilius adolescenti, quàm immoderatis animi affectionibus per se moderari.

Qua propter literas neque mittant ipsi, neque ad se missas aperiant, priusquam Rectori ostenderint.

Qui aliqua in re Seminarii leges violarit, Rectorem conueniat, seque delicti sui, ac erroris accuset.

Si quid ex illis Reuerendiss. Archiepiscopus scire voluerit, id simpliciter, sincereque aperiant.

Quòd si crimen aliquod suum deferri contingat, auctorem non quærant, rescientes autem, nullam malè erga illum affecti animi significationem dent: conentur potius in posterum meliores fieri, neque ea admittere, propter quæ meritò possint accusari.

Officium aliquod domi gerentibus omnes pareant in iis rebus, quæ ad eorum officium pertinent.

Memor sit vnusquisque vocationis suę, eoque nomine sæpè Deo gratias agat, conetur que maximè, vitam, vt clericum decet, instituere: Cum tam multæ vtilitates ex boni, tot detrimẽta ex mali vita Sacerdotis proficiscātur. Quam erga se ipsos cautionem adhibeant.

Modestiam vbique seruent, in Ecclesia præcipuè, Dormitorio, Cœnaculo, ac extra domesticos parietes: cum illa adolescentiæ peculiare sit ornamentum.

Caueant igitur, nè oculos huc illuc circumferant, nè loquantur altius, præsertim si multi sint: nè strepitum excitent: nè nimis festinanter incidant.

In mensa loco sibi assignato assideant, nec panem detegant, nec edendi initium sumant, priusquam id à Rectore fieri viderint, vel eo absente, ab illo, qui eius partes eo loco geret: ibique silentium, modestiam, honestatem, temperantiam adhibeant.

Ad ea quæ leguntur, vel à concionatore dicuntur, diligenter attendant, ex hisque aliquem fructum percipere studeant.

Cum silentium, permultum ad pacis pietatisque conseruationem, ad studia, ad multas perturbationes euitandas conferat: nunquam colloquantur, nisi de rebus necessariis: idque præcipuè ante, & post Orationem, Missam, examen conscientiæ, sanctissimorum Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ Sacramentorum perceptionem, præterquam relaxationis tempore, quo de rebus vtilibus sermones habere, sine tumultu tamen, licebit.

Vitent autem minus honesta verba, inanesque collocutiones: Alios inter loquendum ne carpant, aut quouis modo lædant: neque verò se ipsi laudent, nisi cum ad proximi fructum id est necessariò faciendum.

In omnibus actionibus, motu corporis, & verbis, elationem, ac superbiam fugiant, cùm ea homines Deo inimicos, & cæteris odiosos reddat.

Pertinaciam præter cætera deuitent: in omnibus humilitatem, ac mansuetudinem præseferant.

Vt multorum malorum occasio tollatur, nullus omnino pecuniam apud se habeat, quòd si apud quempiam nummi reperti fuerint, præterquam quòd vel congregationi, vel pauperibus clericis adiudicabuntur, prout Rectori videbitur: is præterea graues pœnas dabit.

Poterit tamen illos apud eum, qui constitutus fuerit, deponere, per quem cum opus sit, in res necessarias de licentia Rectoris scripto exarata insumantur.

Nullus comedat, ac ne aquam quidem bibat, extra tempora consueta: illis tamen exceptis, quibus propter ætatem à Rectore fuerit concessa facultas: ac proinde nullus promptuarium, culinam, aut alia eiusmodi loca ingredi audeat: ne Cœnaculum quidem, nisi cum prandendum sit, aut cœnandum.

Sexta feria, cœna, præterquam tempore Paschali, abstineant, acetario, vel alio leui additamento contenti.

In vigiliis, quæ in tabula dierum festorum edita commendantur, ab esu carnium abstineant.

Conueniant omnes ad res communes, in Ecclesiam, in Cœnaculum ad primam Mensam, in locum recreandis animis assignandum, & ad alia huius generis, idque etiam si peculiaribus occupationibus concionum, aliarumve eiusmodi rerum impediti teneantur: nec inde absque venia discedant, priusquam id absolutum fuerit, cuius causa conuenerint. Qui secus fecerit, grauiter punietur.

Sic in aliis rebus, publica semper priuatis anteponant.

Dato mane surgendi signo, statim consurgant omnes: celeritate in omnibus vtantur: ac demum omnia statis temporibus peragant.

Qua ratione in communi consuetudine vti debeat.

Munditiei corporis, rerumque suarum studiosi sint. Otium verò, ac desidiam fugiant: quæ cùm Ecclesiasticos omnes dedeceat, tum eos potissimùm, quibus aliorum cura committenda est.

Si quid amissum inuenerint, ad Ministrum deferant, vt qui amiserit statim inueniat: omnisque propterea suspicionis causa euitetur.

Mutuam charitatem, ac beneuolentiam omni studio amplectantur: vt quemadmodum debent, tanquam vnius corporis membra, perfecto amoris vinculo colligentur.

Aliorum defectibus compatientes, nihil in deteriorem, sed omnia in bonam partem accipiant.

Nihil inter ipsos differat, aut alter alteri præferatur, aut post habeatur, omni, diuitis, & pauperis: nobilis, & obscuri discrimine sublato.

Alter alteri honorem exhibeat, præcipuè in superiori ordine constituto, maximè verò si sit sacris initiatus.

Hoc enim, vel maximè mutuam alit beneuolentiam, estque purgatæ conscientiæ, & animi verè nobilis certissimum argumentum: non tamen (Reuerendi,) aut (Domini,) aut huius generis titulos vsurpent: è contra verò ea loquendi ratione non vtantur, quæ morum rusticitatem coarguat,

Nullus nisi proprio, aut familiæ nomine quemquã appellet, nec ei quouis modo illudat.

Studeant in primis, vt pax, & concordia inter ipsos conseruetur, sublatis quantum fieri possit omnibus dissidii, ac discordiæ causis: Si qua verò inter aliquos suboriatur offensiuncula, omnino tollatur: quos tamen, qui præsentes adfuerint, Rectori significent: sin autem huic officio defuerint, eiusdem Rectoris arbitrio puniantur.

A priuatis amicitiis, nimiaque inter se familiaritate abstineant: conuenticula ne agant, ex quibus multa damna in congregationibus existunt.

Quamobrem sine vllo discrimine cum omnibus versentur.

Nunquam verò separatim ab aliis inter se colloqui, aut esse liceat, nisi tres saltem, aut quatuor fuerint, præsertim autem relaxationis tempore.

Quas in aliis virtutes cernunt, eas in se ipsis exprimere certatim contendant: Humilitatis, obedientiæ, modestiæ exempla vicissim desumant: vitia si quæ fortè in aliis perspexerint, vitent: Nullusque tam sit impius, vt alios piè aliquid agentes, vituperare audeat: & Dæmonis officio fungens, eum ab operibus virtutum conetur abducere.

Qui aliquid minus laudabile in quoquam perspexerit, aut aliquem correctione, vel pœna dignum animaduerterit, Rectorem statim commonefaciat: qui secus fecerit, tanquam malorum fautor punietur.

Nullus, siue ioco, siue quouis alio prætextu, alium tangere præsumat: quique se ab alio tactum senserit, Rectorem admoneat: alioqui eandem pœnam subibit, quæ ei qui tetigerit, arbitrio Rectoris grauiter iniungetur. Prou. 1. tit. de armis ludis, &c.

Quo die relaxatur animus, ne iis ludis se exerceant, qui in Concilio nostro Prouinciali nominatim vetiti sunt: poterunt autem, aut pila minori, aut globis ligneis per anulum ferreum impellendis, aut pyramidulis pila iaciendis (vulgò, *giuoco de gli ossi*,) aut alio eiusmodi non indecoro exercitationis ludive genere vti, prout Rectori expedire visum fuerit; idque si domi maneant, tantùm à prandio: sin autem in villam exierint, etiam matutino tempore, si facultas detur.

Nullus alterius officium occupet: si quando verè legitimè impeditus, proprium alteri commitendum sit, re primùm cum Superiore communicata, modestè, non cum imperio faciat.

Quòd si illud ad ea, quæ Ecclesiæ sunt, spectet, non nisi in eodem ordine constituto demandetur.

Nullus, nisi de Superioris licentia, dono, aut mutuo det quidquam, vel accipiat.

Qui contra fecerit, primùm re ipsa quam tradiderit, mulctetur: tum etiam graues errati pœnas luat.

Alterius dicta, vel facta ne quisquam curiosè inuestiget. Cùm id animum à pietate, & à studiis auocet, & multas in adolescentum Collegiis plerunque perturbationes excitet.

Cum Reuerendissimus Archiepiscopus ad Seminarium se conferet, omnes ei aduentãti ad ianuam vsque Seminarii violaceis vestibus induti obuiam prodeant, easque coram illo semper retineant, etiam cum in Cœnaculum prandendi causa venerit.

Idem seruetur arbitratu Rectoris in aduentu externi alicuius Episcopi, aut alterius viri, Illustris in dignitate constituti, etiam laici.

Si verò idem Archiepiscopus, aut Episcopus Missæ sacrũ facturus Ecclesiã ingreditur, eidem obuiam prodeuntes, superpelliceum induant.

Externis omnem honorem, vt par est, deferant, seque coram illis vbicunque fuerint, modestè gerant; non tamen eos alloquantur, aut per Seminarium deducant, nisi à Rectore obtenta facultate.

Quòd si aliquis vir Primarius ad Seminarium veniat, qui ab suis locis abfuerint, statim se ad ea in cubiculum recipiant; Si verò propter alicuius dignitatem eum ad ianuam suscepturi sint, post eius ingressum, statim ad sua loca reuertantur.

Famulis nihil imperent, nec cum iis sine facultate agant quidquam, aut loquantur.

Quæ ad studia pertinent.

Capvt IV.

QVàm diligentissimè incumbant in ea studia, quibus à Reuerendissimo Archiepiscopo per Rect. addicti fuerint; in iisque etiam præscriptum sibi ordinem seruent.

Præceptoribus suis honorem, reuerentiam, & obedientiam exhibeant; in gymnasio modestè versentur, lectiones attentè audiant, ex iisque fructum percipere studeant, nec eis è gymnasio sine præceptoris venia exire liceat.

Semper latinè loquantur, excepto vespertino tempore post cœnam, & die ad relaxandum animum assignato.

Cantum, quem firmum appellant, omnes ediscant; figuratum etiam ii, quibus à Rectore commissum fuerit; idque, statim post prandium hora constituta.

Extra prædictum tempus, nullus nisi de licentia Rectoris canat, præterquam relaxationis die, festisque diebus stata hora recreationis.

Eleganter omnes & graphicè pingere literas discant, præscripto tempore, sub præceptore qui ad id conductus fuerit.

De Vestitu.

Capvt V.

HAbitu non exquisito nimis, aut eleganti; rursus nec sordido, nec abiecto vtantur; cum vtrumque, ecclesiasticum præcipuè hominẽ maximè dedeceat.

E cubiculo nemo exeat, nisi decenti vestitu ad præscriptam formam amictus, eoque circa corpus compositè accommodato: neque nisi decenter contecti, & cum subucula iaceant in lecto.

Vestes non ferant nisi laneas, easque non caudatas.

Pallium quod ferrarolum dicunt, ne ferant, nisi per pluuias, aut causa itineris: neque nouas vestes, aut alia integumenta sine Rectoris facultate conficienda curent.

Vestibus item non vtantur pelliceis, præsertim cum domo exeunt.

Caligæ, nec turgidæ sint, aut sectæ, nec alterius quàm nigri coloris: Quòd si alicui permittatur, vt dissectas gestet, eas supra genua nodo alliget.

Collaria, artificiosè elaborata reiiciant, nec camisas ad manus reflectant.

Superior vestis ad collum decenter ad stricta sit: Eius manicæ, cum interioris tunicæ manicis æquentur.

Birretti, vt vocant, interior pars, nigri tantùm sit coloris.

Pileum acuminatum ne gestent, isque tortili cingulo modico claudatur.

Chyrothecas non induant: nec cingula, aut vincula tibialium serica aut reticulata adhibeant.

Qui aliquod indumenti genus contra constitutiones apud se habuerit, præterquam quòd illud distribuetur indigentibus, in eum præterea grauiter animaduertetur: nec illi sacræ ordinationis tempore literæ testimoniales de clericali vestitu concedentur.

De domesticis exercitiis, aliisque præstandis cum domo exeunt.

Capvt V.

VNusquisque lectum suum componat, è loco suo sordes omnes amoueat, omnibus in rebus munditiam ac nitorem procuret, easque ordine dispositas habeat: & munera quę sibi obuenerint, siue in cubiculo, siue foris, diligenter obeat.

Singuli in Mensa legant, & inseruiant, prout illis à Rectore præscriptum fuerit: eoque præsente, nudato capite inseruiant.

Nihil perniciosius adolescentibus, iis præsertim qui sub certa viuendi disciplina degunt, & literarum studiis dant operam, quàm sæpius domi, multo magis per vrbem vagari: estque hoc inanis cuiusdam leuitatis certissimum argumentum.

Quamobrem nullus à cubiculo, ne à suo quidem loco: nullus relaxationis tempore à loco constituto sine præfecti sui venia discedat.

Nullus ad ianuam accedat, viridarium, aut alienum cubiculum ingrediatur, nisi eius rei facultatem à Rectore obtinuerit.

Nulli quauis ratione priuatis de causis è Seminario exire liceat, nisi de licentia Rectoris: à quo hæc licentia tantùm permittetur, cum id vrgens necessitas postulabit: & iis solùm de causis, quæ illi à Reuerendiss. Archiepiscopo fuerint præscriptæ: neque verò nisi communi ianua ingrediatur, aut exeat.

Cum in publicum prodeunt, violacei coloris vestes induant.

Eodem habitu in Ecclesia vtantur, cum diuinis officiis, aut concionibus, aut Missæ sacrificio intersunt: præterquam cùm ferialibus diebus Missam audient.

Aliis temporibus eas ne deferant, etiam si obtenta facultate, vacationis tempore, aut alia de causa domum se conferant.

Curet vnusquisque, vt decimoquinto quoque die aliquis ad Seminarium veniat, qui sibi de necessariis prouideat, pecuniamque deponat penes electum a Rectore, in minoris pretii rebus insumendam.

In incessu, siue domi, siue foris, grauitatem, & modestiam præ se ferant: ne cursitent, vel contentius ambulent, brachia ne iactent, oculis ne vagentur, aut in via rei alicuius inspiciendæ causa consistant: Ne altiore voce collo-

quantur; ne brachiis vestes inuoluant, etiam si puluerulenta via sit, aut lutulenta; caueant tamen, nè eas luto inficiant, aut puluerem excitent.

Dum in Ecclesiam procedunt; & loci sanctitatem, & conueniendi causam attentè cogitent, debitamque pietatem, modestiam, ac silentium seruent.

Cum in Ecclesia Maiori, aut in alia quauis extra Seminarium erunt, non modò ab Ecclesia, sed ne a choro quidem, sine Vicarii Generalis, cum adest, vel eo absente, sine eius facultate, quem Rector constituerit, etiam à quocunque vocati discedant; iis exceptis, quibus pro cæremoniarum ratione, Canonici ordinarii tunc in diuinis officiis ministrantes, à choro in sacristiam, & ab eadem in chorum deducendi erunt: qui sine huiusmodi licentia à sua statione discesserit, grauiter à Rectore punietur.

Ne de nocte, nisi cum lumine domo incedant; qui secus fecerit, graues pœnas dabit.

Qui exeundi potestatem iusta aliqua de causa sibi fieri cupient, pridie illius diei exeundi causam Rectori in scriptis significabunt; Ministrum simul de officio, quod domi præstare debuissent, certiorem facient: Impetrata facultate, in exitu Rectorem adeant, idem faciant, cum reuertentur.

Inter eundum illam cautionem adhibeant, vt minores dignioribus primum locum cedant.

Ea tantùm loca petant, ad quæ proficiscendi concessa fuerit facultas; ac dent operam, vt quàm celerrimè fieri possit, se expediant; domumque se recipiant; antequam detur signum Angelicæ Salutationis.

Cum assignatis sibi sociis exeant, & ab iis nunquam se se disiungentes, domum reuertantur.

Nullus è Seminario quidquam asportare audeat, priusquam illud Rectori aut Ministro ostenderit.

De Infirmis.

Capvt VII.

CVm primùm morbo correptus quis decumbet, ac præcipuè febri, statim per se, aut per alium, Ministrum moneat: ac in valetudinarium missus, continuò confessorem accersat, eique peccata sua confiteatur.

Medico obtemperet, & cui infirmorum cura demandata est.

Morbi vim patienter ferat, ac in omni fortitudinis ac constantiæ officio se se continens; patientiæ, & pietatis exemplum iis præbeat, qui ad illum inuisendum accesserint.

Ne quisquam ægrotum inuisat sine Rectoris, aut Ministri facultate, neve ad illum quidquam afferat, præter ea, quæ Medicus præscripserit; idque à Rectore, vel Ministro venia petita.

Cum aliquis periculosè ægrotauerit, omnes pro eo Deum suppliciter orent; vt si ad maiorem Dei gloriam, & ægroti salutem futurum sit, pristinam recuperet valetudinem.



APPENDIX QVINTA.

DE DISCIPLINA FAMILIÆ

Illustrißimi & Reuerendißimi D. D. Caroli Cardinalis Sanctæ Praxedis Archiepiscopi Mediolani.



DIsciplina, quæ ad huius domus administrationem spectat, duabus partibus continetur, quarum altera pertinet ad spiritalem familiæ progressum, altera ad rei familiaris curam; de quibus etiam diuisim erit tractandum: ac primo quidem loco de spiritali, secundo de domestica administratione, vtraque pars propriis eget præfectis, & ministris: & ideo eorum quoque officia ex ordine describentur, horum sanè omnium cùm Præfectorum tum ministrorum ad vtramque administrationem spectantium, Rector & quasi moderator is erit, cui Præpositi domus nomẽ datur.

Eum namque personis rebusque omnibus ceu ducem præesse decet, ad eumque propterea vtraque domus administratio maximè spectabit; de cuius quidem officio, post eos, qui rei spiritali inseruiunt, infra agetur, cùm reliquorum officia perscribentur.

Verum de horum omnium officiis antequam sigillatim agatur, præmittenda erunt nonnulla, quæ ad vniuersam familiam spectant, quæque tum generatim, tum particulatim ab omnibus seruari debent, sed quoniam de familia superiori & inferiori statim sermo incidit, hoc loco familiam vtramque declarare visum est.

Familiæ superioris appellatione vocentur Vicarii, Fiscales, Notarii, Visitatores, Auditores, Canonici, rei domesticæ Rectores, cubi-

cularii, Sacerdotes, & Clerici in sacris constituti.

Inferioris verò, Clerici sacris nondum initiati, aliique laici omnes, variis rei domesticæ muneribus implicati.

DE GVBERNATIONE Spiritali.

PRIMA PARS.

Oratio mẽtalis, diuinum officiũ, & aliæ preces.

PRimò quidem qui maius officium recitare ordinis vel officii nomine tenentur, neque residentiæ addicti sunt, mane in antecubiculum Reuerendiss. Archiepiscopi conueniant.

Ibi primùm conscientiæ examinandæ quartam horæ partem tribuent: deinde Romani, & Ambrosiani separatim matutinas horas voce submissa quidem, sed clara, distinctè, attentè, religiosè recitabunt.

Inferior verò familia quotidie item mane sub auroram, ad Matutinum officium & horas Beatissimæ Virginis Mariæ persoluendas in oratorio decenter conueniat.

Quare quo tempore campana triplex Matutini officii dabit signum, ad primum quidem signum familia se vestiat, ad secundum in oratorium conueniat, & per id tempus vsque ad tertium signum aliquid piè meditetur circa puncta proximo superiore vespere data, de quibus suo loco dicetur.

Tertio autem dato signo, Matutinum officium statim inchoet: quo perfecto horarum subinde preces persoluat.

Diuinis laudibus persolutis, eadem inferior familia tota in Ecclesiam maiorem Missam auditura sese recipiat: si quis tamen horum per id temporis fuerit aliquo modo legitimè impeditus, is domi manere nequaquam prohibetur. Similiter qui de numero superioris familiæ esse dicuntur, Missæ Sacrificium quotidie opportuniori tempore vel audiant, vel faciant si Sacerdotes sint: illi tamen qui Reuerendiss. Archiepiscopum comitantur, veluti cubicularii, subcubicularii, famuli à pedibus, Missam ab eodem Reuerendissimo Domino audiant omnes, vbi ipse illam celebrabit.

A prandio qui primæ mensæ accubuerint, siue ex inferiori, siue ex superiori familia fuerint, in oratorium ascendant omnes ad Litanias enunciandas; post quas qui superiori quidem sunt conditione, si placet statim exeant, alii quoad vesperam completoriique preces persoluerint, ibidem commorentur.

Doctrina Christiana.

Ad signum præterea, quod propter institutionem Christianæ vitæ hora opportuna quotidie dabitur, hieme quidem ante cœnam, æstate verò à prandio, quicunque ex inferiori sunt ordine, in oratorio præstò sint.

Collationes spirituales.

A cœna verò qui primi fuerint cibis refecti, vtracunque sint conditione, conferant se in suum vtrique conclaue, ibique Spiritu sancto dictante, aliquid quod ad ipsorum animæ salutem spectet, ad finem vsque secundæ mensæ inuicem pertractent, pios alios inter se sermones conferentes: qui quidem, cùm postremi venerint qui secundæ mensæ accubuerunt, locum illis concedant: quò illi quoque per quartam horæ partem munus idem obire inuicem valeant.

Quoties huiusmodi spiritualis collocutio fiet, familiæ superiori adsit spiritualis Præfectus, Inferiori verò, qui illius vicem gerit.

Cùm item spirituali huic collocutioni Vicarius Generalis interfuerit (qui quidem vnà cum aliis Vicariis quàm sæpissimè fieri potest, adesse debet) illius sit munus, proponere de quibus rebus colloquendum erit, præcipereque, nè quis nisi monitus loquatur, ac præterea longiores resecare sermones, & quæstiones tollere: tum præsertim illud semper seruare debebunt considentes, vt à Vicario ex ordine moniti, quid præcipuè animum suum meditando mouerit, quamve consolationem illis Deus communicauerit, breuiter humiliterque respondeant.

Ante eiusmodi collocutionem, qui præstantior tum in cœtu fuerit, statam orationem recitet, atque inde collocutioni initium faciat.

Post piam eiusmodi sermonis communicationem, & datum iam orationis habendæ signum, in oratorium vtraque familia tota conueniat, ibique per quartam horæ partem exactum conscientiæ examen faciat, quoties tamen Reuerendiss. Archiepiscopus domi fuerit, neque orationi interesse poterit, apud illum cubiculi magister solus, vel cubicularius alter manebit. Examen conscientiæ, & puncta.

Examine hoc perfecto, ad puncta, quæ quotidie de more proponentur proximo sequenti die matutino tempore meditanda, vnusquisque mentem intendat. Mox facta super omnes aquæ sanctæ aspersione, abdat se vnusquisque in suum cubiculum, nec variis locutionum ambagibus quisquam alios remoretur, aut perturbet.

Caueant Domini quoad eius fieri possit, nè sine iusta causa famulos impediant, quominus omnibus his spiritualibus officiis interesse queant.

Famuli verò, cùm iusta de causa impediti, adesse hisce exercitationibus non poterunt, apud spiritualem Præfectum, aut eius vices gerentem absentiæ rationem reddant.

Præterea prima quaque cuiuslibet mensis Dominica die, & solennioribus item totius anni diebus festis, in Ecclesiam maiorem conueniat vtraque familia tota, præter sacerdotes, vt ibi sacram Eucharistiam sumat. Confessio, & communio.

Eam Missam dicet, atque Eucharistiam ministrabit præfectus spiritalis, vel eius Vicarius.

Die autem Sabbati, quæ antecedet primam hanc mensis cuiusque Dominicam diem, & in vigiliis item solennium dierum festorum, ad Diui Antonii ædem, aut Barnabæ, aut Fidelis, aut sancti Sepulchri familia ipsa tota, vt sacerdoti peccata confiteatur, adeat, cuius confessionis fidem ex confessarii chirographo eodem die vesperi spirituali præfecto faciat.

Qui verò sequenti die ante communionem faciendam rursus confessario indiguerint, adeant eos, qui in Ecclesia maiori cura Præfecti spiritualis ad id deputati præstò erunt.

Quadragesimalis victus initium à secunda Ieiunia.

feria post quinquagesimam faciant: Ieiunii verò, à secunda feria post Quadragesimam.

Quare per omne Quadragesimæ tempus, Dominicis diebus exceptis, semel tantùm in die post meridiem cibum capiant.

Quòd si quid alicui amplius opus erit, vesperi panis vnciam cum dimidia, & vini poculum tantùm capere liceat.

Quod item in reliquis vigiliis ex præscripto Ecclesiæ, & sacris quatuor anni temporibus, & triduò post Ascensionem Domini, omnino seruandum erit.

Per aduentum autem, secundùm antiquam Ecclesiasticorum hominum consuetudinem, cibis quadragesimalibus vtantur: si quis tamen per idem temporis propter infirmam corporis valetudinem iisdem cibis vti tutò non poterit, necessitatem Præposito significet; qui vt opus censuerit, de congruentibus cibis prouideat: quibus quidem in cubiculo priuatim erit vescendum.

Sexta quaque feria à cœna abstineant, acetario cocto crudoue pro anni tempore, & fructuū præterea portiuncula contenti, Paschali tempore excepto, & item Natali Domini, si incidat.

Quòd si in eandem feriam festum incidat ex præcepto celebrandum, tunc die præcedenti ieiunium instituatur; si tamen hæc quoque dies festiua non celebretur: si verò Sabbati die ieiunandum erit, liberum sit cuique ieiunium sextæ feriæ omittere, & cœnam sumere, si ab ea abstinere sine valetudinis damno non possint.

Præterea sexta quaque feria vesperi per hyemale tempus disciplinam persoluto conscientiæ examine in oratorio mox adiungant.

Quarta quaque feria, Natali pariter excepto, si inciderit, ab esu carnium omnes abstineant; & vigiliis præterea sanctorum Mediolanensis ecclesiæ Episcoporum; atque die item, quæ solennitatem Concilij tum Prouincialis, tum Synodalis antecedit; necnon diebus omnibus quibus Synodus ipsa absoluitur.

Atque eiusmodi quoque victus ratio, quod ad ieiunium vel abstinentiam spectat, non à domesticis tantùm, sed ab exteris quoque omnibus qui hospitio domi recipiuntur, seruanda erit; neque enim hospites antiquum eiusmodi domus religiosumque viuendi institutum violare, sed potius ad ipsum seque suamque familiam conformare decet.

Veruntamen ea cautio adhibeatur circa hospites ipsos, vt cùm ieiunandum erit, si quando illorum quempiam mane non pransum esse contingat, cœna concedatur.

Item si tempore aduentus quispiam propter stomachi imbecillitatem à quadragesimalibus cibis adhorreat, pinguiores congruentioresque parentur. Atque item feria sexta si solidioribus quis indigeat cibis, eius necessitati satisfiat, atque tum quidem cùm à domestica victus ratione discedendum erit, iis certè victus in cubiculum deferendus erit.

Sacerdotes, clericique inferiores, qui alicuius Ecclesiæ seruituti speciatim sunt adscripti, in singulis festis diebus ad eam se conferant: cæteri verò qui nullis adhuc Ecclesiis speciatim sunt addicti, etsi Sacerdotes, sunt, maiori Ecclesiæ adscripti intelligantur, quare in eam festis diebus veniant suis induti superpelliceis, vt pro ordinis ratione in Missa Decumanorum suas functiones exequantur, aliaque munera, quæ illis à Præfecto chori de mandato Reuerendiss. Archiepiscopi præscripta erunt, sacramque Eucharistiam in eadem Ecclesia sumant, quibus diebus id facturi erunt.

Clerici, & alii ad diuina officia diebus festis conueniant.

Hi præterea omnes, cùm in domum recipiuntur, sibi de superpelliceis prouideant, quibus vtantur, cùm illis opus erit.

Vicarii, Fiscales, & Visitatores, cùm illos ad Ecclesiam maiorem venire contigerit, qui alio nomine choro adscripti non sunt, sine superpelliceo in suo habitu maneant, vt expeditius possint vltrò citroque commeare ad varias Ecclesias, prout suo officio opus [illegible] cognouerint. Quoties Sanctissimam Corporis Christi Eucharistiam infirmo alicui domestico afferri contigerit, luminibus accensis ad id munus tota conueniat familia.

Idipsum agat tertia quaque mensis Dominica, cùm Sanctissimum Corpus Domini per Ecclesiam maiorem deferetur, à confratria associatum, quæ à Dominico ipso corpore nomen desumpsit.

Illud item præstet prima cuiusque mensis Dominica, cùm per eandem Ecclesiam in honorem Beatissimæ Virginis Rosarii processio fiet.

Habeat in suo quisque cubiculo piam aliquam, aut Iesu Christi D. N. aut Beatæ Virginis Mariæ, aut sanctorum alicuius imaginem; aquam præterea benedictam; nec profanam rem vllam teneat, quæ scandalum aut malum exemplum spectantibus possit afferre.

Imagines, & vas aquæ benedictæ in cubiculo.

In cubiculo domesticorum, externorum conuentu ne fiant, neve tempus inanibus colloquiis otiosè conteratur.

Priuatim verò cautum sit, nè clerici ex Seminario in domesticorum cubiculis versentur, neve domestici se in Seminarium, nisi negotii causa conferant.

De Præfecto spirituali.

PRæfectus spiritualis illud semper magis magisque cogitet, turpe esse, hominem, qui in alios animaduertere debet, redargui culpa; & quam alios seruare vult, ipsum non exercere disciplinam: sibi propterea, cui rerum spiritualium curam gerendi onus incumbit, & in via morum, Ecclesiasticaque disciplina alios continendi, ita viuendum esse, vt non modò omni reprehensione careat, sed à seipso præsertim pietatem, humilitatem, mansuetudinem, ac demum Ecclesiasticę vitæ normam omnem familia omnis edificat.

Illud in primis curet, vt quæ ad spiritualem progressum spectant, rectè, decenter, pièque fiant: tum quotidianæ exercitationes,

atque aliæ item aliis destinatæ temporibus, statutis horis seruentur: sed maximè familiæ paci studeat, animorumque tranquillitati; vitam moresque præterea vniuscuiusque spectet, præsertim familiæ inferioris: vt cùm opus erit correctione, piè opem ferat, qua quidem in re istud quoque ad ipsum spectabit, si quando ab erroribus quempiam familiæ inferioris posse auocari desperet, vel alium quemque diligenti indigere cura, Præpositum commonefacere, qui desperatum eiiciat, indigenti verò, alterius domestici pii viri opera auxilietur, illi hunc commendans, in eiusque disciplinam tradens.

Pro diuersa temporum ratione, horam præscribat clerico oratorio inseruienti, vt trino campanæ signo familiam ad oratorium accersat, ad diuinas laudes persoluendas.

Illius quoque cura sit, opportunum tempus eidem clerico decernere, qui eodem signo familiam quotidie ad institutionem vitæ Christianæ conuocet. Cuius quidem exercitationi, vel ipse, vel qui ipsius vicem gerit, intererit, vt eiusdem Doctrinæ punctum aliquod declaret, quod ex precatione Dominica, aut Decalogo, aut Symbolo, sumi poterit.

Eius quoque intererit, deligere decuriones nonnullos, ex his qui in eadem doctrina prouectiores habebuntur, qui minus instructos erudiant. Hos verò rudiores varias in classes diuidere, & cuique classi subsellium in oratorio tribuere, vbi sub suo quisque decurione iugiter se exerceat.

Vesperi curet, vt puncta proponat is sequenti die meditanda, cuius intererit: quibus quidem propositis familiam commonefaciat, vt orationem Dominicam, & salutationem Angelicam ter quisque secretò dicat, gratiam aliquam à Deo petiturus, maximéque in domesticarum rerum angustiis.

Eiusmodi autem punctorum materiam perpetuò seruari studeat. Die veneris qui antecedit primam cuiuscunque mensis Dominicam, in qua sacram Eucharistiam vniuersæ familiæ sumendam esse diximus, circa Altaris Sacramentum puncta proponantur: cæteris autem veneris diebus circa Domini passionem, vt ea ratione præparatio congrua fiat disciplinæ mox post proposita puncta faciendæ. Diebus autem Sabbathi, & Vigiliarum item ab Ecclesia statutarum, proponantur puncta ex Euangelio, quod sequenti die in Missa secundùm Ambrosinæ Ecclesiæ ritum legitur.

Idemque seruetur per totum Quadragesimæ tempus. Reliquis autem totius anni diebus omnibus accepto Euangelico contextu legatur quotidie particula illius, quam iustam esse censebit is, qui proponet, seruata semper continuatione contextus ab initio vsque ad finem: eaque lecta, primum secundùm simplicem verborum sensum, qui literalis sensus vulgò dicitur, explicatio subiungatur; Deinde paucis verbis ex ea tria documenta colligantur, quæ materia sint longioris meditationis, sequenti die vt diximus, ab vnoquoque exercendæ.

Tabellam habeat, in qua eorum nomina ordine sint descripta, qui ad illa ipsa puncta proponenda idonei censebuntur, eumque cuius intererit, singulis Sabbatis moneat, vt sequenti hebdomada fungatur officio.

Punctatorem deligat pium diligentemque, qui quotidie illos ex inferiori familia notet, qui stato tempore in oratorio ad horas, gratiasque Deo persoluendas interesse neglexerint, atque absentium nomina ad Vicarium quotidie deferat: qui illos, nisi iusta de causa abfuisse constiterit, per cibi subtractionem puniat.

Prima quaque Dominica mensis à tota familia domus confessionis schedulas sibi afferri, & qui facere omiserint, ad Præpositum deferri curet.

In cœnaculo tam mane quàm vesperi, præter lectionem scripturæ sacræ, & Martyrologii, librum aliquem vernaculo idiomate conscriptum legendum proponat, quæ pro ratione temporum solenniumque dierum magis conuenire censuerit: quod verò ex sacris Bibliis, aut ex Martyrologio legetur, stando & detecto capite semper legi; quod ex aliis Reuerendissimo Archiepiscopo absente, sedendo & capite operto, at illo præsente, stando, detectoque capite similiter legi procurabit. Infirmorum diligentissimam curam agat, sæpè inuisat, consoletur, necessitates eorum, tum ad corpus, tum ad animam spectantes cognoscat, atque illis vt peropportunè subueniatur, pia omni ratione curet: Medicos, Confessoresque accersiri iubeat, atque quotidie cum ingrauescit morbus, vocari aliquem ex Patribus Sancti Antonii, vel Barnabæ, vel alterius familiæ, qui illos consoletur, piaque alia præstet officia.

Nullum demum à se desiderari officium patiatur, quod ad eorum valetudinem rectè curandam, animamque iuuandam pertineat.

Cùm præsulem aliquem illustremve personam in domo hospitari contigerit, vespertinam orationem ante cœnam fieri (quam aliàs omitti necesse est) sedulò curet. Disciplinam, quæ sexta quaque feria per hyemale tempus erit facienda, si quando ob Lunæ cæterorumque astrorum splendorem, quominus in oratorio fiat, impediri eueniet, aulam ante oratorium positam parari curabit, in quam se conferat familia, pium istud obsequium Deo præstitura.

De Præfecto Oratorij.

Præfectus Oratorii hæc curet diligenter.

Pro ratione temporis, & dierum solennitate, oratorium apparetur, ac ornetur, coloresque varientur.

Cùm Reuerendissimus Archiepiscopus domi aderit, subsellium perpetuò paratum in oratorio stato loco seruetur.

Cùm præsules item, præstantive dignitate viri hospitio suscepti domi manebunt, iuxta illorum conditionem sua quoque subsellia in oratorio præparata sint. Cùm per eos

præsules Missæ sacrum fiet in oratorio, audieturve; cum item vel ij, vel aliæ insignes personæ precibus vespertinis intererunt, musici veniant, qui sacras illas functiones pijs modulationibus decorent.

Cùm Reuerendissimum Archiepiscopum in oratorio concionaturum apud clerum percipiet, cathedra de more ornetur.

Cùm Matutinum officium cæteræque horæ Canonicæ à familia inferiore persoluentur in oratorio, tum diuinum officium vbique dirigatur ab eo, qui fuerit in digniori ordine positus: quo tempore clerici à secularibus hominibus choris distincti sint, chorique ipsi alteri alteris vicissim respondeant.

Post puncta quæ meditanda vesperi proponentur, detur liber ei, qui in toto cœtu præstat, qui precationem alta voce ex eo recitet, & ea finita, tribusque datis campanæ signis, Angelicam salutationem ter dicendam esse commonefacientibus, afferatur eidem vasculum aquæ sanctæ suo cum aspergillo: Ille verò ad subsellia quæque commeet, omnesque aqua sancta aspergat; dumque id fit, versiculum illi illum dicant ac repetant, *Asperges me domine hyssopo, &, Gloria Patri, &c.*

Si verò Reuerendissimum Archiepiscopum, aut aliam præstanti dignitate personam in oratorio adesse contigerit, liber ad illum à Canonico maiori Diacono, & aspergillum similiter à Sacerdote maiori, vasculum verò à cubiculario deferatur.

At si neque ipse Archiepiscopus, neque alius dignitate insignis adsit, tum libri, aspergilli, vasculi afferendi munere fungatur clericus oratorij, vna cum alio qui ex toto illo cœtu præstantior extiterit: Propterea cùm aderit Vicarius Generalis, ipse fungatur officio; quo absente, Præpositus, & eo item absente, Præfectus spiritualis: quo quidem etiam absente, Sacerdos qui præstantior extiterit.

De Clerico Oratorij.

Clericus Oratorio inseruiens, omni religionis studio ministerium suum obeat, diligenterque exequatur.

Rerum diuinarum in primis cultum, & sacræ supellectilis nitorem studiosè curet.

Cùm præterea ipse alios ad orationem, spiritualesque exercitationes inuitet, sua præsertim interesse meminerit, cæteris omnibus deuotiorem religiosioremque esse oportere.

Quotidie oratorium verrat, puluerem à sedibus excutiat; Altare præparet; supellectilem mundam nitidamque conseruet, & diligenter custodiat.

Hora à præfecto spiritali præscripta quotidie sub auroram trino campanæ signo ad matutinum officium familiam vocet: sintque campanæ signa, quarta horæ parte inter se distincta.

Suo item tempore, signo campanæ dato, inferiorem familiam ad exercitationem Doctrinæ Christianæ quotidie inuitet.

Peracta oratione vespertina, quæ post enunciata puncta meditationi deseruientia secretò subsequetur; tribus campanæ ictibus Angelicam salutationem ter dicendam esse significet.

Vespertinæ orationi, cùm neque Illustrissimum Cardinalem, neque alium præsulem, alium ve præstanti dignitate virum adesse in oratorio contigerit; tum librum, aspergillum, & vasculum aquæ benedictæ illi afferat, qui ex cœtu præstantior fuerit.

Cùm Illustrissimus Dominus in cœnaculo non aderit, nec præsul alius, aliaue insignis persona, ad vtramque mensam ipse legat.

A prandio statim prima mensa confecta, in oratorio præstò sit, vt Litanijs enunciandis, & Vesperarum & Completorij officijs persoluendis vnà cum aliis intersit.

Quotidie summo mane, cùm Reuerendissimus Archiepiscopus domi aderit, Præfectum oratorii conueniat, à quo sanè perquiret, num ipse Dominus in oratorio vel Ecclesia maiori, vel alia sacrum sit facturus; vt vel oratorium instruere, vel sacram supellectilem aliò deferre possit, quò ille est iturus.

Idipsum præstet, cùm apud eumdem Archiepiscop. Præsul aliquis hospitabitur.

Cùm sermonem, concionem ve in oratorio cum clero Reuerendissimus Archiepiscopus erit habiturus, subsellia quà decet ratione disponenda curabit.

Verùm tum quoque cum Reuerendissimus Archiepiscopus aberit, reclusum mane oratorium & Altare de more instructum quotidie asseruabit, vt si qui sunt Sacerdotes domestici, qui ibidem sint celebraturi, ipsis pateat aditus, & suum tribuat officium.

Quibus hebdomadæ diebus Metropolitanus Theologus conscientiæ casus in oratorio explicaturus erit, stata hora adsit, signoque campanulæ conuenientem Clerum in oratorio conuocet.

Cùm ad Matutinum officium, cæterasque horas canonicas, & Litanias item persoluendas, statis horis in oratorium conueniet familia; tum canistrum statim arripiat copia librorum refertum, quos officiola Beatæ Virginis Mariæ appellant, eorum item in quibus Litaniæ perscriptæ sunt; quorum singulis singulos per sua quæque subsellia distribuat, quos deinceps omnes, vbi ad finem ventum erit, asseruandos colligat.

Tum rursus quoque, cum vnaquaque sexta feria eidem familiæ ad disciplinam exercendam flagella erunt distribuenda, eadem quippe ratione se gerat

DE GVBERNATIONE Rei familiaris.

PARS SECVNDA.

Familia omnis, cuiusuis gradus existat, in vnum ac eundem locum, cui nomen cœnaculi datur, ad cibum capescendum decenter conueniat. Mensa.

Quia verò totum non capiet vnus idemque & eodem tempore locus vtriusque familiæ conuentum, prima secundaque instruetur men-

sa: vt qui primæ minus possunt, secundæ accumbant mensæ.

Antequam quisquam discumbat cibum capturus, mane & vesperi benedicat is, qui dignitate est præstantior: qui post epulas etiam Deo gratias agat. Tum quoque dum benedicitur, & gratiæ aguntur, respondeant clerici, laicique omnes.

Cùm verò aderit Reuerendissimus Archiepiscopus, à digniori Canonico Ordinario Tabella deferatur, in qua variæ sint notatæ benedictionis formulæ pro temporum anni ratione. Idemque fiat, si personam aliam ecclesiastica dignitate insignem adesse contigerit.

Quoties Reuerendissimus Archiepiscopus aut Præsul alius tum aderit in cœnaculo, Præpositus, vel Vicarius, vel præstantior alter ex ordine (præter Vicarios, cæterosque Tribunalis Officiales) assistat mensæ: cuius erit munus, mensas circumcirca prospicere, & singulos obseruare accumbentes, vt cibos maturè afferri, & quæ illis præterea opus esse viderit, apponi curet.

Per totum edendi tempus mane tum vesperi, si nullus ex Seminario venerit adolescens concionem aliquam aut orationem latinam habiturus, lectio sacrorum librorum adhibeatur: primum verò legatur vnum ex sacris Bibliis caput; post, alterum ex Martyrologio, quod ad diem sequentem pertineat: demum, aliquod ex pio libro aliquo, qui vernaculo sermone sit conscriptus.

Vbi Reuerendissimus Archiepiscopus, aut alius Præsul interfuerit, vnus ex cubiculariis sit is qui legat, aut alius ex familia præcipuus.

Aliàs verò Clericus oratorii mane Vesperique ad vtranque mensam legat.

Ille verò qui ex Seminario ad concionandum venerit, si quidem prius finem fecerit dicendi, quàm ab edendo cessatum sit, librum spiritualem aliquem à præfecto spirituali eligendum legendo ad finem vsque mensæ prosequatur.

Inter edendum, concionanti vel legenti silentium præbeant conuiuæ: vt non solùm corporis cibo, sed etiam epulis animæ recreari possint.

Quoniam verò semper hospitum habenda ratio erit, vt debiti illis à domesticis præbeantur honores, propterea Vicario Generali alicuius Episcopi in cœnaculo comesuro Vicarius domus Generalis locum concedet in accubitu.

Quòd si Canonicus item aderit aliquis, superiorem pariter concedent illi locum, Canonici ordinarij.

Quam quidem rationem in paribus honorandis semper & vbique seruare decebit.

Viris eiusmodi magnam aliquam personam sustinentibus, siue in superiori conclaui, siue in cœnaculo discumbant, cubicularii deseruiant à magistro cubiculi delecti.

Vestitus. Familia omnis domi & foris mediocri atque decoro vestitu sit contenta: qui neque studiosius sit quæsitus, neque nimis abiectus, neque vllum argenti, aut auri, aut sericæ materiæ ornamentum habeat. Fugiat omnes vestium, calceorum, aut crepidarum discissiones, caueat à turgidis dissectisque caligis, & à crispo indusiorum collari, sit habitus domesticorum omnium simplex, laneus, & nigri solùm coloris, & demum, qui homines verè Ecclesiæ deditos, Deique ministros monstret: ni fortassè alium colorem dignitatis gradus postulauerit.

Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæterique Clerici, habitum gerant non affectatum, non sordidum: superpellicea apprimè munda, non studiose elaborata, duabus incedant induti vestibus talaribus, neque sine his vnquam aut domi esse, aut foras egredi liceat. si tamen iter faciendum sit, contractiore habitu; sed simplici, & homini religioso congruo vti, minimè prohibentur.

Nemo ex eis breuiorem togam (vulgò mantellettum vocant) nisi illi dignitatis ratione conuenerit, ferre audeat: neque pallium, ferrarolum vulgò dictum, nisi per pluuias: sed neque tum eo absque talari tunica vti fas sit.

Nemo item ex eisdem catenam auream ex collo suspensam, aut monilia in brachiis ferat, aut in digito anulum: exceptis ijs, quibus propter dignitatis gradum iure concessus est anulus.

Serui pallium, siue ferrarolum induant: neque familiæ adscribantur, priusquam ad normam præscriptam sint induti, deque habitu, moribus, & ætate à Præposito, seu Vicario probationem obtinuerint.

Nullus ex familia nec armis certare, nec chartis lusoriis, aut talis, aut pila maiori, aut alio eiusmodi indecoro ludi genere ludere, ludentesve spectare, nec choreas exercere, nec personatus incedere, nec venationi, fabulis, comœdiis, aliisve histriorum impuris actionibus vacare audeat. Arma, ludos spectacula, & huiusmodi caueant.

Rerum nouarum curiositas fugiatur: vitentur pariter sermones dissolutiores, libri scurriles vel impuri, profanæ cantiones, deliciosæque modulationes.

Nemo conuiuiis sæcularium hominum intersit: aut ad bibendum quenquam incitet, aut ad cauponam, nisi itineris necessitate coactus eat.

Idque cum alicui acciderit, tum ne vnà cum mulieribus discumbat, omnino caueat.

Nemo in ianuis domus, aut commoretur, aut ambulet: frequentem sæcularium hominum consuetudinem omnes fugiant: multoque etiam magis à domibus eorum abstineant.

Æstatis tempore nemo post vigesimam tertiam horam extra domum maneat, hyeme verò post datum salutationis Angelicæ signum: quòd si quis legitimis impeditus de causis, præscriptum temporis spatium præterierit, apud Præpositum, aut Vicarium facti rationem reddat.

Vicarij nullum munus, ne esculentum quidem, poculentumve, etiam si exigui sit pretij, neque à Cancellario, neque à Notariis, neque à domesticorum quoquam, neque ab litigantibus, aliisue apud se causas agen- De Vicariis visitatoribus, & huiusmodi.

tibus acturisve aliquando accipiant.

Hoc idem perpetuò obseruent Visitatores, scribæ, Notariique.

Illud etiam obseruent, vt seruos habeant pios, beneque institutos, qui habitu & consuetudine, disciplinæ domus respondeant.

Ac quoniam Vicarij, & qui publico funguntur officio, præcipua pars censentur esse domus: idcirco vt vnius modi suique similis perseueret disciplina, meridianæ vespertinæque orationi, & cæteris spiritalibus exercitiis interesse studeant.

Cùm item prandii vel cœnæ campanæ sono dabitur signum, ad primam mensam venire, vel certè impediti, ad secundam contendant: ac propterea quocunque tempore enitantur, vt per quartam saltem horæ partem ante primam mensam quiescant negotia, claudaturque audientiæ locus.

Quare vt tollantur incommoda, quæ propter publicas audientias euenire solent, quæ quidem tum ob sui tarditatem disciplinam domus sæpius perturbant, tum verò præterea litigatoribus & clientibus propter sui incertitudinem officiunt; pro temporum varietate, certa huiusmodi omnibus Tribunalibus communis audientiæ hora decernatur: videlicet à Paschate vsque ad Calend. Septembris matutino tempore, hora duodecima, vespertino, vigesima prima: à Calend. Septembris vsque ad Calen. Nouembris, matutino tempore hora decima quinta, vespertino vigesima secunda: à Calend. Nouembris vsque ad Pascha, matutino tempore, hora decima sexta cum dimidia, vespertino, vigesima secunda.

Vicarij item, cum rerum gerendarum ratione Illustrissimum Cardinalem conuenire cupiunt, statutam eligant pomeridianam horam, neque nisi à magistro cubiculi vocati, accedant.

Horæ autem meridianæ audientiæ ita partitæ seruentur, prima dabitur his, qui à secretis sunt propter literarum expeditionem: secunda signaturæ Cancellariæ: tertia Vicario generali, Criminali item, & Ciuili.

Quòd si rem aliquam contingat celeri indigere expeditione, tum schedulam obsignatam ad Illustrissimum Dominum mittant, paucis rei seriem exponentes, si quid verò sit, quod literis committendum esse non existiment; audientiam petant.

Visitatores, & Auditores, quo tempore Illustrissimus Dominus audientiæ incumbit, interesse, tum propter rerum gerendarum facilitatem, tum propter mandatorum acceptionem, studeant, quantum possunt.

Nemo ex familia Vicario Ciuili, vel Criminali, aut Fiscali, aut Notariis, aut Visitatoribus causam vllam commendet.

Vicarii, & Visitatores neminem seruorum scribarúmque suorum permittant causas apud se procurare, vel commendare, aut rem vllam, etiam vltro datam accipere, siue propter literas per eos etiam priuatim scriptas, siue ob res alias; atque nè per eos secreta scripturarum negotiorumve manifesta fiant, inuigilent.

Nemo præterea coram Iudice sæculari absque Illustrissimi Cardinalis venia tanquam causidicus vel patronus causam vllius agat, aut vllius Principis procurator sit, alicuiusve tutelam suscipiat, aut negotiationibus se immisceat, aut in mercaturis se medium interponat, aut aliena prædia conducat.

Quando idem Illustrissimus Cardinalis foras prodibit, sectentur eum nobiles domestici omnes, præter Vicarium Generalem, Ciuilemque, ac Criminalem, & præter Fiscalem, & eos qui alicuius Ecclesiæ residentiæ sunt addicti. *Qui Archiepiscopum comitētur.*

Quare à signo campanæ statim præsto sint ante Illustrissimi Cardinalis cubiculum, eum, quocunque iuerit, comitaturi: præeantque omnes, aut equo insidentes, aut pedibus iter facientes, siue per vrbem, siue extra vrbem Illustrissimum Dominum ire contigerit, præter illos, qui dignitate sunt insignes, qui illum à tergo comitabuntur.

Hospites in ædibus Illustrissimi Cardinalis commorantes vnus tantùm è familia visitet ab eo delectus. *Quomodo se gerant cū hospitibus.*

Cùm aliquis non contemnendæ existimationis in hisce ædibus prandebit, aut cœnabit; qui ex familia illi in mensa proximè accumbet, curam suscipiat illius officii gratia ad cœnaculum comitandi, suoque in loco sistendi.

Caueat vnusquisque, nè in suo cubiculo priuatim cibum capiat; multoque etiam magis nè foris. *In cubiculo priuatim cibum ne capiant.*

Quòd si quando cuipiam in suo cubiculo cibum capere opus sit; Præpositum domus, aut Vicarium de hoc commonefaciat, si verò iusta de causa alicui foris prandendum aut cœnandum sit, ab eodem Præposito istud faciendi veniam petat.

Suo quisque eandem muneri diligenter sedateque operam nauet; nè quid tumultus in familia excitent, enixè caueant omnes: nihil omnino dicant, faciantve, quod contra bonos mores, alicuiusve existimationem sit: nemini denique risus aut scandali occasionem patiant. *Quæ generatim caueant.*

De Præposito.

PRæpositi munus sit, curam gerere omnium personarum, officiorum, negotiorum, & rerum domesticarum; nihilque permittere, sine consilio & consensu suo fieri, aut innouari.

Interueniat omnibus deliberationibus de victu parando, de redditibus, & de sumptibus faciendis; à suo Vicario crebro certior fiat, de ratione ac diligentia quam adhibet in rationibus atque expensis domesticis cognoscendis.

Eius erit, vtriusque familiæ superioris atque inferioris necessitates diligenter cognoscere, & vnicuique prospicere pro conditione personæ, & magnitudine rei, & saluis domus institutis omni charitate satis omnibus in omni re facere.

Si quis, propter manifestam corporis infirmitatem, communibus cibis vti non poterit, curet, vt pro ipsius conditione & necessitate, quanta fieri poterit charitate tractetur.

Adhibeat summam diligentiam, vt domestica disciplina seruetur; vt vnusquisque munere suo diligenter fungatur; atque in primis famulos in officio contineat; in corrigendis erratis vtatur circumspectione, neque circa casum necessitatis seueritatem adhibeat.

Curet, nè vlla schedula quæ ad expensas domesticas pertineat, à supputatore admittatur, nisi eam ipse prius recognouerit, & subscripserit; atque idcirco in pretio rerumque æstimatione, hominum in hoc genere peritorum consilio vtatur.

Curet, vt ministris, & famulis, itemque officialibus reliquis stipendium & merces suo cuique tempore, quantum fieri poterit, persoluatur.

Cùm ad ipsum deferentur mandata à creditoribus domus subscribenda, ea quàmprimum expediat; curetque, nè creditoribus offensionis materiam præbeat, vel domus existimationem nomenque imminuat.

Cuiusque anni principio accipiat à supputatore rationes omnes redditUum, atque expensarum, tum Archiepiscopatus, tum Patrimonij, quas vbi diligenter recognouerit, earum summam Illustrissimo Domino tradat.

Si quem de familia inferiori esse acceperit mali exempli, & de cuius emendatione desperetur, eum domo eiiciat.

Quòd si quid in familia superiori etiam animaduerterit, quod vel scandalum afferre, vel labem aspergere domui possit, ad Illustrissimum Dominum referat.

Attendat diligenter atque obseruet familiæ præsertim superioris mores atque actiones, & in suo cuiusque officio diligentiam, vt statum familiæ Illustrissimo Domino certò significare possit; vt ab eo cognosci possint boni & necessarij, contra minus boni atque idonei ad eius famulatum; vt alteri excitentur ad progressum in omni virtute, alteri ad mores emendandos.

Singulis hebdomadis congregationem faciat in suis ædibus, de rebus domesticis, vt si quid opus erit, statuere possit.

In congregationem adhibeat Vicarium, Oeconomum, Præfectum spiritualem, Magistrum cubiculi, Præfectum stabuli.

Vitet omnem singularitatem; atque ita se gerat, vt ipsius vita omnibus exemplo esse possit.

Curet singulis mensibus, vniuersalia capita, quæ totius familiæ progressum spiritalem, & moralem viuendi rationem complectuntur, in cœnaculo legi.

Eadem omnibus, qui in hanc ipsam domum recipiuntur, siue de superiori siue de inferiori familia sint, initio statim perlegenda tradat; ac prætereaquæ ad vniuscuiusqueofficium pertinenit, si Præfecti vel Ministri fuerint; vt sciat quilibet eorum, quo pacto in rebus sui officij gerere se debeat.

Homines matrimonio coniunctos, cuiuscunque sint conditionis, tanquam ab huiuscemodi vitæ instituto alienos, vel rei familiari inutiles, ad officia domus nullo pacto admittat.

Ne famulum quempiam in familiam adscribat, de quo sufficientem probationem de vita & moribus non habeat, qui item ad præscriptum domus vestitus non sit.

Officiales, quos ad domestica munera obeunda domi habere necesse est, viros bonos, peritos, recteque instructos cognitione rerum ad sui officij statum pertinentium deligat: nullum propterea horum, quod ad præscriptas attinet conditiones in familiam adscribat, quorum bonum testimonium non habeat.

Quotannis Tabellam conficiat, in qua eorum nomina distinctim ponantur, quibus & ligna per hyemem ad calefaciendum, & candelæ per annum erunt impertiendæ, atque vtrarum cunque rerum portionem item, quæ vnicuique danda erit, præscribat.

Curet vt in duobus cubiculius sperioris conclauis accendatur ignis per hyemem; quorum vnus cubicularIis, alter subcubiculariis, & seruis à pedibus, & reliquæ etiam familiæ vsui sit: atque inferius item paretur itidem ignis per idem tempus paulò ante prandium & cœnam, ad quem calefiat familia omnis, priusquam ingrediatur cœnaculum.

Præsulibus atque viris insignibus hospitio receptis, è superiori familia quempiam ab Illustrissimo Domino eligendum designet, qui illorum curam gerat, eos assectetur, & de iis omnibus, quæ opus fore intellexerit, maturè prouideat.

Medicisquoque domus, physico scilicet & chirurgio mercedem constituat congruentem, quam duobus anni temporibus persoluicuret.

Præterea verò, quæ de cœnaculi disciplina, & de hospitum acceptione subduntur, exactè diligenterque seruari curet.

Cœnaculum erit mensis circumcirca regulari forma cinctum, atque ab altera parietis tantùm parte discumbetur.

Cibi, non integri, sed concisi apponantur; & conuiuarum vnicuique pro status conditione portiones æquè impertiantur.

Vinum item album nigrumque propinetur in mensa: inferiori tamen familiæ alterutrum genus appositum sufficiat.

Superiori familiæ semper apponatur quadruplicis portio generis, nempe prima & postrema esca, iurulentum ferculum, & obsonium simplex elixum, vel tostum.

At omnibus tamen Ieiuniorum temporibus duplex adhibebitur obsonij portio.

Et inferiori quidem familiæ licèt aliàs tres tantùm statuantur ferculorum species, tamen ipsi quoque statis Ieiuniorum diebus secunda obsonii portio amplius erit adhibenda.

Cùm aderunt hospites, viri præsertim Ecclesiasticæ dignitatis, vel alioqui honorum gradibus ornati: his gemina obsoniorum, primæ item vel postremæ escæ portio superapponenda erit.

At verò quando item magni Præsules, & viri Principes, aut alioqui dignitatibus insignes erunt discumbentes, vt illorum vel statui, vel consuetudini,

consuetudini, vel stomacho indulgeatur, triplicem ferculorum cuiusque generis portionem apponi licebit.

Atque primorum quidem & postremorum ciborum ea ratio habeatur, vt pro stomachis imbecillioribus vnus saltem inter eos coctus paretur, & valetudini magis consentaneus: iurulenti quoque ferculi alterum genus paratum sit pro his, quibus fortasse commune appositum minus probabitur.

Cùm in cōclaui superiore Præsules viri, Principesve, vel alii dignitate insignes accumbent, illis integræ, non concisæ dapes apponentur.

Vinum item non de more Cœnaculi sistetur in mensa, sed penus Vinaria loco solito parabitur; non tamen ferculorum numerus præscriptus ratione vlla erit augendus.

Quòd si qua ex parte erit excedendum, circa primas tantùm escas vel postremas aliqualis condonetur excessus.

Cùm viri eiusmodi dignitate insignes in conclaue superius comesuri conuenerint, circum circa parietes mensæ quoque aptandæ erunt, vt à latere tantùm parietis ex ritu cœnaculi consideant, & subsellia ipsa pannis erunt violaceis aut viridibus ornanda.

Quod ad cibos attinet, pretiosi quidem & nimium exquisiti elaboratiue, tum immoderato sumptu conquisiti fugiantur: quales essent leporum, perdicum, aliarumque eiusmodi ferarum & syluestrium auium, nec non omnia saccaro artificiosè condita, bellaria, placentæ, pastilli esculenti instar dulciarij panis, cæteraque escarum lenocinia, Episcoporum mensis minimè congruentia.

Vina verò Principibus eiusmodi viris exhibenda, suis prægustanda poculatoribus tradantur; vt ex illorum palato potiora deligantur.

Quouis antistite seu magno Principe domi hospitante, vestitus nullus apparatusue, siue conclauis in quo editur, siue cubiculorum vbi dormitur, parietibus adhibeatur.

Mensæ tamen, tabulæ ve, tum conclauis, tum cubiculorum, tapetibus honorificè sint ornatæ; lecti quoque suis cincti conopæis, & peristromatibus circumducti: ostia etiam aulæis præclusa similibus.

Atque huiusmodi quidem ornatuum genera, rubro colore, aut violaceo, aut viridi infecta erunt, neque vllis depicta figuris.

Idipsum amplius erit cum hospitibus diligenter obseruandum, vt cum primùm fuerint excepti, aliqua præsertim auctoritate viri, prima vice sui commodi causa priuatim in cubiculo esui conuenientia deferantur, mox in cœnaculum illi deducantur.

De Vicario.

RErum, quas ad officium Præpositi pertinere præscripsimus, Vicarius executor esse maximè debet. ipsum enim decet, singula propius, diligentiusque curare, & circumspicere; atque in primis efficere, nè ministri otientur, sed in suo quisque munere exerceatur.

Inuiset sæpè cellam vinariam, promptuarium, vestiarium, culinam, stabulum; atque in primis famulorum curam gerat: secus enim semper malè illi habebūtur, ex quo existēt querelæ quotidianæ, & famulorum mutationes.

Caueat, ne in mensam vel cibi malè olentes, vel indiligenter conditi, vel vinum corruptum inferatur.

Exigat tempestiuè ab œconomo, ea quæ ad familiæ victum totius anni comparanda sunt. res enim suo tempore emptæ, & meliores sunt, & viliores.

Sed de summa rerum emendarum agat prius in congregatione rerum domesticarum.

Erga ægrotos charitatem adhibeat, illos sæpè inuisat, eorumque necessitatibus cùm corporis tum animi prospici curet; illudque persuasum habeat, cum his in vtroque homine malè actum iri, si ipse quidquam de cura ac diligentia remittat.

Amplius circa eos ipsos eam adhibeat cautionem, vt qui inferioris sunt familiæ, in valetudinarium à decubitu statim se conferant: cæteri verò in cubiculum inferius à Præposito eligendum descendant, quod & medicis, & ægrorum curatori commodum sit.

Curam gerat externorum, efficiatque vt pro cuiusque conditione excipiatur atque tractetur.

Per diem sæpè, & noctu interdum, domum circumeat, atque circumspiciat, nè vel ludatur, vel quid aliud minus decens fiat.

Quotidie sub noctem librum dispensatoris recognoscat, & cum emptoris rationibus conferat, singulisque hebdomadis per se vel per alium rerum pretia cognoscat: vt intelligat, an emptor sese fideliter gerat.

Curet, vt sibi exploratum sit, quidquid vnaquæque cuppa vini capiat, & cū exhausta fuerit videat, an capacitati illius expensum respōdeat.

Tradat dispensatori cellæ vinariæ rationes, & ab eo rationes expensarum exigat.

Habeat penes se indicem omnium vini generum, quæ in cellam vinariam importata sunt, & iustam illorum mensuram: vt ipsi constet suis temporibus an ea summa sit ad familiæ victum, domusque necessitatem.

Habeat penes se indicem vestiarij, itemque rerum omnium domesticarum; item indicē ornamentorū atque apparatus oratorij: easque res omnes anno vertente recognoscat.

Loquatur sæpè cum ministris, vt ex ijs pleniorem notitiam sibi comparet rerum, quæ ad ipsorum munus spectant.

Die Veneris sub vesperam emptorem ad se vocet, cum eoque statuat cibos, qui pro tempore per totam hebdomadam erunt adhibendi in singulos dies.

Conueniat cum mercatoribus de pretio rerum; vt cum Tabernario, de aromatibus, saccaro, cereis, intortitijs, & alijs huius generis rebus; itemque cum macellario de carnibus; & cum casearío de caseo, atque omnibus pinguedinum generibus, quæ ad familiæ victum pertinent.

Iubeat, emptorem codices habere separatos rationum, quas cum Mercatoribus singulis ipse contraxerit: præterea his in codicibus res quasque perscribere ab ijsdem Mercatoribus receptas; tempus item, vt diem, mensem, annum quo receptæ sunt; rerum ipsarum pariter vel pondus; demum quotiescunque res domum

perferentur, eosdem codices vnà cum rebus ipsis dispensatori reddere.

Quoniam autem in rebus quæ ad pharmacopolam pertinent, varia ratione peccari, atque propterea maximum ærario domus damnum quotannis inferri contingit; cum præsertim nedum medicamenta, sed gulæ quoque oblectamenta, & à domesticis pluribus, & ab exteris, item qui ad hanc ipsam domum diuertunt, pro vniuscuiusque arbitrio nomine domus in dies accipiantur; omnino horum vitiorum summa cautio sit, atque vna prouisio, vt pharmacopolam Vicarius certiorem faciat, nihil illi expensum ferendum, quod curatori ægrorum acceptum relatum non sit, atque prius in eius codicibus à medicis descriptum.

Cùm notationem acceperit à Præfecto spirituali, eorum, qui spiritalibus exercitationibus domus non inter fuerunt, illis quorum excusationem non admiserit, Architriclino mandet, vt in prandio vel cœna portionem vnam vel duas subtrahat pro culpæ ratione.

Horas statutas & ad prandendum & ad cœnandum Præfecto cœnaculi pro tempore perscribat.

Quoniam ex veteri domus instituto, Cellarius hoc prætereа iniunctum onus habet, vt pistori deseruiat ad panem conficiendum, quod quidem malè succedere vsu compertum est, cum propterea vel breui moriatur cellarius ipse, vel in grauissimos morbos sæpius incidat, dum excalefactus sudoreque perfusus, è calido in frigidum & subterraneum locum descendit, vt suo muneri sati faciat; illud propterea curet Vicarius, vt in locum cellarij alter substituatur, qui pistori ad panem conficiendum operã ferat.

In aduentu Præsulum & Principum virorum, de victu tum in prandio tum in cœna parando, adhibito quoque in consilium Magistro cubiculi, & Architriclino, quotidie deliberetur.

De Oeconomo.

OEconomus exactionibus redditnũ Archiepiscopalium, & patrimonialium, & pensionum fideliter ac diligenter operam nauet, iuxta mandati rationem, quod ab Illustriss. Domino accepit.

Pari ratione litibus, conseruationibusque iurium Mensæ, locationibus item, instaurationibusque possessionum necessarijs sedulò incumbat.

Si quid tamen circa possessionum instaurationem faciendum sit, nihil omnino agat absque Illustrissimi Domini consilio, à quo sumptum faciendi normam facultatemque accipiat.

Caueat item ab omni impensa, vel emptionis, vel fabricæ, vel alterius rei generis, causa vtilitatis possessionibus inferendæ: sed rem omnem Illustrissimo, Domino integram relinquat; qui pro rei necessitate, & temporis occasione, quid agendum deliberabit.

Prouideat statutis temporibus iuxta congregrationis rerum domesticarum consultum, de his rebus quæ opus erunt domui, veluti de frumento, vino, oleo, lignis, fœno, palea, auena, leguminibus, caseo, tela, candelis, & aliis huius generis.

Quod tamen ad pretium harum rerum, omnium attinet, nihil prorsus decernat, nisi re primùm cum Præposito communicata; cuius consilio reliquos item sumptus domesticos faciat.

Nihil prorsus vendat alienet ve, quod ad rem familiarem, vel ad possessionum fructus pertineat, absque Præpositi consensu: pecuniam item nullam exigat, sed Thesaurario omnem persolui curet.

De Magistro Cubiculi.

MAgister Cubiculi, qui præ alijs Reuerendiss. Archiepiscopo adest, & cum his versatur quotidie, qui ipsum Dominum negotiorum causa adire cupiunt; sit disciplinæ omnis domesticæ apprimè peritus, prudens, modestus, beneuolus, & talis, vt omni Christianarum virtutum genere, & charitate præsertim, omnibus satisfaciat; tum ab ipso pręclarum quisque sumere possit exemplum amoris, obseruantiæ, pietatis erga Archiepiscopum, & habeat quod imitari possit, ad benè beateque agendum.

Huius intererit, vltro citroque renunciare, mandataque exequi; horis à Reuerendissimo Archiepiscopo statutis, qui cum etiam preces persoluet.

Sed in primis præcipuè illi curæ sit, ipsa Archiepiscopi persona; vestes illi renouet, ac commutet statis diebus, cumque commone faciat de congregationum temporibus, domesticis officijs, & rebus eiusmodi aliis agendis.

Mane præstò sit, cùm se Archiepiscopus vestiet, illique manibus extergendis linteum porrigat, & insigne superpelliceum.

Campanulam pulsandam curabit, quò ad eius signum cæteri conueniant cubicularij.

Pro sacri ordinis ratione Missæ seruiat assistendo, vel aquam effundat manibus; abaco quoque assistat, cùm Missa canitur pontificali more.

Cappam induat Dominum atque exuat; pileum porrigat eidem, & excipiat; pallium quoque cùm oportet.

Vestes extollat, cùm scalas Archiepiscopus ascendet.

Domesticos commone faciat, cùm Dominus ipse prodire volet, idque signo campanulæ, quo cæteri conuenire, & illum comitari possint, quousque visum fuerit oportere, equestre, vel pedestre iter confecturum.

Hoc idem præstabit, cum Princeps aliquis, aut magnus Antistes adueniat, Archiepiscopum conuenturus, vt illi & obuiam prodire, & officij gratia commode assectari possint.

Omni modestia atque grauitate in consuetudinem se adiungat virorum, splendore nominis aut virtutis laude præstantium, qui Reuerendissimum Archiepiscopum allocuturi domum conueniunt, neque propter grauissimas Domini occupationes, ipsis statim optatus ad eum patere potest aditus.

Libris spiritualibus seu latino seu Italico sermone conscriptis tabulas munitas asseruet: vt ij qui Archiepiscopum adeunt, iocundo copiosę lectionis fructu teneri possint.

Obseruabit, vt in cubiculo Reuerendissimi Archiepiscopi modestiam omnes & silentium adhibeant, & in illius conspectu semper-

stent cubicularij capite, nisi secus Archiepiscopo circa quosdam videatur: vt plurimum autem audientiæ intersint.

Curet loca statis horis verrenda, & excutiendum à sedibus puluerem, & vt ratio temporis fert, candelas mandet sistendas, & ignem extruendum.

Ad imparatos rerum euentus in cubiculo Reuerendissimi Archiepiscopi proximiori cubet.

Memorialium omnium quæ deferuntur curam habeat, illaque vt in manus veniant Archiepiscopi curet; tum visa in librum referat, cancellario deinde, seu eius coadiutori concredat; præter secretiora aliqua, quæ illi concredenda curabit, cui mandatum fuerit ab Archiepiscopo.

Subcubiculariis & famulis à pedibus mandata dabit, tum horum etiam qui à pedibus sunt, in obseruationis cubiculo binos cubare curabit.

Cùm ad ipsius aures peruenerit, cognatum aliquem aut affinem, aut alioqui præstantem nobilitate virum Reuerendissimo Archiepiscopo charissimum, morbo correptum esse, de ijs illum faciat certiorem. Quod sanè ipsum de domesticis quoque erit faciendum.

Animaduertat diligenter, vt hospites omnes domi benè accipiantur; qui statim, vt venerint, architriclinum, & vestiarium moneat, vt de victu, & de cubiculis pro statu illorum decenter prouideatur.

Equorum quoque, vel præcipuam curam gerat, vt illi item benè habeantur; atque cum ijs opus erit, senioribus, ac dignioribus meliores, & commodiores aptentur.

Præterea cum Reuerendiss. Archiepiscopo ab Vrbe discedendum erit, ea omnia præparari curet, quæ ad iter conficiendum opus fore acceperit. Notationem item faciet eorum, qui vnà erunt profecturi, eandemque magistro stabuli transmittet, vt iusta equorum inter eos pro status ratione distributio fiat.

Tum quoque egredientem Archiepisc. ab Vrbe, quatuor millia passuum saltem assectabitur, reuertenti itidem totidem obuiam procedet.

Si quando negotiorum causa domi manente Archiepiscopo, à cubiculo abesse cogatur, priusquàm domo discedat, antiquiorem cubicularium substituat, aut quem maluerit Archiepiscopus.

De Cubicularijs.

CVbicularij illud sciant, oportere se in omnibus actionibus prudentes esse, & omnia vitare, quæ dignitati illust. Domini, & disciplinæ domus offensionem aliquam præbere possunt.

Sit eorum habitus decretis diœcesanis conueniens: qui verò in aliquo gradu positi sunt, beneficium nullum habentes, neque huic adscripti Ecclesiæ, Doctoris toga vti poterunt.

Cum ad cubiculum Illustriss. Domini venient, suas habeant vestes; neque interiorem tantùm, vel familiarem vestem induti prodire audeant.

Mane ad secundum Matutini officij signum ad antecubiculum vestiti conueniant, vt Diuinum officium vnà cum Illustriss. Domino recitent.

Diuino absoluto officio, eorum quilibet suo intentus officio incumbat; & qui Sacerdotes sunt, Missæ sacrum faciant, vt Domino seruire, cum tempus vestiendi aderit, maturè possint.

Cùm grandioris deinde campanæ sonus audietur, adsint omnes, & quidquid præterea est familiæ cubiculo deseruientis; vt vestire, comitarique Illustriss. & Missæ sacrificio seruire valeant.

Tum Cubiculariorum vnus, qui dignior habeatur, cappam exuat: Inferior alter sandalia induat: cæteri aquam dent manibus vicissim: Duo deinde ex dignioribus, qui sacerdotes sint, assistant, & horum præstantior libro, alter Calici; tres alij superpelliceo induti seruiant: duo autem ex iunioribus officio acoluthorum fungantur. Hic verò Magister cæremoniarum admonendus est, vt functiones fieri ab his, qui ad eos ordines sunt promoti, quorum propriæ illæ sunt, sedulò animaduertat.

Cùm extra oratorium, & Ecclesiam Metropolitanam Illustriss. Dominus celebrabit, & aderunt nonnulli ex Canonicis Ordinariis, ipsis cubicularij locum concedant, seruireque permittant.

Quoties Illustriss. Cardinalis more pontificali Missam celebrabit, ex cubicularijs quatuor sine superpelliceo assistant abaco: cùm aut processionis, aut alterius muneris pontificalis occasio continget, duo: cum ille ipse sacris tantùm aderit officijs, vnus: cæteri superpelliceum induant,

Qui ex cubicularijs Sacerdotes sunt; aut in sacris constituti, crucem Domini ante ipsum Cardinalem ferant.

Orationi meridianæ vespertinæque intersint cubicularij omnes, præter magistrum cubiculi, vel cubicularium eius substitutum, cum eidem orationi Illustriss. Cardinalis adesse non poterit.

Tempore publicæ audientiæ cubicularij præstò sint omnes, mandata ab Illustriss. Domino accepturi. Quòd si audientia vltra prandij horam protrahatur, maneat Magister cubiculi cum cubiculario altero, & subcubiculario, reliqui pransum eant.

Cùm Illustriss. Dominus in cubiculo erit, ante cubiculum ingredi nullum patiantur absque licentia Magistri cubiculi, vel eius substituti.

Sciant enim eiusmodi locum reseruatũ esse; in eum propterea nullos nisi Prælatos, & nobiles insignes debere introduci.

Mane ante signum campanæ grandioris, quo tempore Illustrissimus Dominus exutus adhuc est, neque prælatos in antecubiculum admittant; tum quoque caueant, nè mandata Illustrissimo Domino deferant, nisi ob vrgentes pœnitentiariæ casus. Quod ipsum sanè vesperi quoque seruandum erit, vbi in cubicu-

lum Illustrissimus Dominus se receperit.

Non omnibus tamen cubiculariis concessum est, mandata exponere: illud enim Magistri cubiculi, vel alterius eius vicem gerentis proprium munus est: quare ad eos eant, si quid nunciandum erit.

Quoties Illustrissimus Dominus domi erit, adsint omnes, præter eos, quos abesse oportet de licentia ipsius Domini, negotiorum causa.

Sed tamen priusquam discedant, Magistrum cubiculi certiorem faciant.

Dum in antecubiculo manebunt, fugiant otium legendo vel scribendo, occasiones item inanium sermonum; tum præsertim cum aderunt prælati & nobiles personæ: quos spiritualibus colloquijs oblectare pro ratione status debebunt, vel certe silentio revereri, modestiam & observantiam præseferentes.

Siquando ægrotum aliquem inuisere, vel domum aliam ingredi alterius officij causa Illustrissimo Domino contigerit; tum sanè cum mulieres aderunt, duo ex cubiculariis sacerdotes Dominum vbique comitentur, & in quodcunque cubiculum ille iuerit, ipsi quoque, etiam non vocati, simul ingrediantur, neque à latere vnquam discedant.

Atque hi quoque præterea per noctem in antecubiculo perpetuò dormiant, vt sui Domini vitæ & actionum omnium tum domi, tum foris testes esse possint.

Quoniam verò à domo Episcopali omnis superbiæ spiritus, omnisque ambitio procul esse debet; propterea cæteros omnes, seque inuicem cubicularij obseruare debebunt.

Adolescentes quidem, seniores & digniores, non pro ratione ætatis tantùm, sed etiam gradus, & sacrorum ordinum, atque inter eos maximè magistrum cubiculi.

Cùm Illustrissimus Cardinalis in cænaculo edet, nullo alio præsente prælato, vnus ex cubiculariis mensæ seruiat, vnà cum duobus saltem subcubiculariis.

At præsentibus aliis prælatis, vel insignibus viris, tot seruiant, quot satis esse magister cubiculi iudicauerit: ac præterea omnes epulas ferant aperto capite, & vnus sacro insignitus ordine legat.

Cubicularius caudæ ferendæ seruiens, qui Sacerdos erit, maturè semper sacrum faciat, vt cum Illustrissimus Dominus in Ecclesiam maiorem est iturus, muneri suo satisfaciat.

Cubicularijs suos in antecubiculum seruos introducere nefas sit. Ipsi enim, cum illorum opera vti velint, exeant.

Cùm Reuerendissimus Dominus per vrbem eques gradietur, cubicularij quibus seruos habere concessum est, secum illos ducant.

Cùm item per vrbem idem Dominus iter faciet, vel equitando, vel pedibus ambulando, cubicularij præeant omnes; cauentes nè inter Illustrissimum Dominum & Sanctum Crucis vexillum se intromittant: subsequantur prælati, & qui dignitate Ecclesiastica ornati sunt.

De Capellano.

CApellanus audito primo Matutini signo, ad cubiculum Reuerendissimi Archiepiscopi præsto sit, vel preces Matutinas cum illo persoluturus, vel eidem seruiturus in Ecclesiam ituro.

Huic sacellum curæ sit, vestesque quas in sacro Missæ ministerio adhiberi oportet, ex ordine paratas habeat, nunquam verò Missæ non intersit.

Si quando ipsum oporteat celebrare, maturè præparet se: cùm verò Reuerendissimus Archiepiscopus cappam gestat, ipse vestibus indutus violaceis, caudam gestaturus conueniat.

Si Missa Pontificali ritu cantetur, superpelliceum induat se, infulamque regat pro dignitate.

Eum decet præsente Reuerendissimo Archiepiscopo quouis loco inter comedendum legere.

Non in vrbe minus quàm extra, crucem ferat, quoties iter equestre suscipitur ad lustrandam Diœcesim, vel aliò Iurisdictiones conficiendas.

Peras item seu sacculos gestet, in quibus adseruatur apparatus Missæ, si non adest hominis alterius potestas.

Sacelli vestes & simillima quæque ad eum vsum pertinentia sibi putet esse concredita. Quorum propterea potissimam habeat rationem, eaque cùm opus fuerit, consulto domus Præposito, curet instauranda.

Nec huic quidem prodire liceat inconsulto cubiculi magistro, qui quæ ad rem pertinere videbuntur, aliter prouideat.

De Præfecto stabuli.

STudeat, vt famuli sibi subiecti bene exercitati sint in omni muneris sui parte; vt equos diligenter curent, & quotidie pectant, & perfricent, & strigidi expoliant.

Sæpè ipsis tibias lauent, præsertim cùm humidis temporibus luto fœdantur; & vt suis horis potus ipsis præbeatur, & quantitas auenæ præscripta.

Ne vnquam sinat stercus in stabulo cumulari, nè fumi atque prauæ exhalationes inde sublatæ equorum oculos lædant.

Curet, vt hora ante lucem famuli expergefiant, ac primùm quidem stramen amoueant, tum lupatis adhibitis strigidi per dimidiam horam equos expoliant: ad hæc palea vel fœno tibias, ventrem omnesque corporis partes diligenter perfricent: postremo equis potum præbeant atque auenam. Tum fimum eiiciant.

Curet, vt in stabulo pro ipsius magnitudine sit armarium capax, quod quidem tot cellulis distinctum sit, quot opus erit. vnaquæque autem cellula quatuor ephippia contineat.

Sub singulis cellulis constituatur capsula ad alia equorum ornamenta reponenda.

Itemque vnaquæque cellula suam clauem habeat, quam famulus cuius intererit, asseruet.

Debent enim famuli habere res, quarum curam gerunt, separatas, & claui obsignatas, nè vel inter se eas furentur, vel ab aliis ipsis surripiantur.

Cùm ex itinere equi reuerten, turper se, vel per alios inspiciat, si quid eis necessarium desit; si pedes soleis benè muniti sint; si ephippium lacerum, aut inconcinnum; si capistris egeant, aut medicamentis: vt quàm primum ea comparari possint.

Si cui de familia equitandum sit, si equi domestici nulli erunt, conducticios paret; tum nomen eius, cui equum tradet, & numerum dierum quibus vtetur, describat.

Habeat tres libros, in quibus separatim perscribat rationes, quas cum ephippiario, & cum fabro ferrario, & cum habenarum artifice contrahit: in quibus præterea libris perscribet res omnes, quas recipit, & opus quod quisque eorum facit.

Studeat vt semper boni equi parentur.

Si qui vel morte, vel senio, vel infirmitate deficient, Præpositum certiorem faciat, vt in locum malè affectorum & debilium, emantur boni, & ad vsus domesticos accommodati.

Curet, vt fenestræ stabuli hyeme appetente tela, vel papiro diligenter obsignentur, noctu verò etiam ligneis foribus obfirmentur, atque etiam interdiu ad Solem grauiorem arcendum.

Caueat, nè fœnum in fœnile inferatur, nisi bonum, & sine puluere.

Curet, vt vel in stabulo, vel ad ipsius latus famuli per noctem dormiant, ad eos casus, qui noctu sæpè euenire solent, & ob eam etiam causam magna laterna in medio stabulo continenter ardeat.

Paratam habeat magnam capsam ad auenam asseruandam, quæ in singulas hebdomadas consumetur. Eius capsæ clauem penes se habeat.

Cùm verò mane & vespere auena inde prometur, ipse, vel alius, qui eius vices gerat, adsit.

Mane postquam equi comederint lupata admoueantur, ipsique ianuam versus conuertantur, duabus funibus hinc inde alligati.

Cùm in stabulum equi deuenient sudore perfusi, curet eos contegi, & adhibitis lupatis altè alligari, nè humi procumbant, ne ve comedant, donec fuerint refrigerati.

Famulis seuerè iniungat, vt cùm aliquid acciderit, vel in ornamentis, vel ipsorum equorum corporibus, quod reconcinnandum vel curandum sit, ipsi statim significetur.

Vere appropinquante, Præpositum admoneat de fœno, stramento, atque auena in totum annum comparanda.

Et si quid earum rerum per annum defuerit, idem faciat.

De Præfecto Cœnaculi.

PRæfecti quidem, priusquam familia cœnaculum ingrediatur, munus erit circumspicere rectè disposita sint omnia circa cœnaculum ipsum, atque præuidere num parata sint esui necessaria.

Duobus vtatur famulis qui cœnaculi curam gerant, quique inter edendum familiæ vtrique seruiant. Horum enim alter vnà cum præfecto ipso familiæ superioris ministrabit: circumferente enim famulo escas tabulæ superpositas, præfectus eas ordinatim distribuet: Inferiori quoque familiæ famulus alter satisfaciet; qui asportando distribuendóque, officio fungetur vtroque.

Duobus campanæ signis familiam ad edendum conuocet, ea verò signa spatio semihoræ sint inter se distincta.

Ad primum campanæ signum ministros omnes culinæ & cœnaculo deseruientes ad cibum capescendum conuenire compellat, quò deinde primæ & secundæ mensæ commodè seruire possint.

Nullum quemquam in cœnaculum introducat, qui è familia non sit, nisi à Rectoribus domus vel Magistro cubiculi facultatem habeat.

Istud tamen prudenter agat, nè quis ab eo imprudenter lædatur.

Cœnaculi fores recludi ne sinat, neque è familia vllum introduci, nisi post datum secundæ campanæ signum: rursus cùm post primam escam appositam iurulentumque ferculum, tertium quoque obsonium apponetur, tum fores item claudat, neque amplius vllum ad cœnaculum adire nisi mensa confecta sinat.

Inferioris familiæ nullum inter edendum colloqui patiatur, quòd si quis ab eo monitus à collocutionibus non desistat, tum præpositum statim Vicariumve commonefaciat.

Cœnaculum mane & Vesperi à duobus cœnaculi famulis diligenter verri, quisquilias, puluerem & sordes omnes auferri, cultros præterea, furculas, cochlearia, chatyos, fialas, lauacrumque optimè ablui abstergique curet.

Cùm prandij vel cœnæ tempore ijs qui culinæ inseruiunt panem daturus est, ab Architriclino primùm sibi afferri postulet numerum eorum; quibus panis dandus erit, quandoquidem illorum numerum modò augeri, modò imminui sæpè contingit.

De Thesaurario.

THesaurarius ne pecuniam suæ fidei concreditam ad suos vel aliorum vsus conuertat sine expressa licentia Illustrissimi Domini, neque diem debitoribus proferat sine eiusdem consensu: librum accepti, atque expensi sæpè inspiciat, & cùm pecuniam vel recipit vel soluit, continuò nomen referat in rationes.

Habeat penès se indicem omnium colonorum, & debitorum: quorum nomina & cognomina diligenter perscribet, vt cùm tempus postulat, pecuniam, ab eis recipere pro debiti solutione, & de eadem pecunia fidem illis rectè præscribere possit.

In exitu cuiusque hebdomadæ, significet Præposito summam pecuniæ quam penes se habet, vt ipse possit ad eam rationem dirigere administrationem suam.

Pecuniam dicatam vsibus ordinarijs seruet separatim ab ea, quæ ad extraordinarias expensas conferri debet.

Sæpè Illustrissimo Domino significet summam pecuniæ extraordinariis vsibus dicatam, vt ipse norit quantos sumptus facere possit sine æris alieni necessitate.

Ne pecunias negotietur, eas quæ sunt iusti ponderis pluris vendendo, quàm in communi vsu positum est, aut permutando, neque aliorum pecunias depositas apud se habeat, nè inde confusio existat.

A canonicis ordinarijs omnibus, qui domi aluntur, iustam eam pecuniæ portionem exigat, quæ in sumptus annuos pro vnoquoque illorum impenditur.

De Eleemosynario.

ELeemosynarius subueniat inopiæ locorum piorum, & pauperum hominum in libro descriptorum pro assignata portionis & temporis ratione.

Quod ad huiusmodi eleemosynæ genus attinet, ab ijs fidem scriptam accipiat, quibus illam impertietur, atque de re omni anno vertente præposito rationem reddat.

De reliquo, cum plus dimidio aurei nummi largiendum erit, præpositum consulat.

Adolescentibus hominibus, & benè valentibus, qui labore & industria suam subleuare egestatem possunt, nihil det; at senibus, infirmis, debilibus, & his qui alioqui in manifesta egestate positi conspiciuntur, pro statu & necessitate congruenter subueniat.

Pueros ratione eleemosynæ accipiendæ in domum nullo pacto admittat, cùm præsertim ea de causa apothecas, in quibus se exercent, aufugientes, impudentiæ, turpitudini, & ignauiæ operam dent.

Quotiescunque schedulam accipiet, in qua de paupertate alicuius hominis aut familiæ fides fiat à parocho vel à vicinis, priusquàm aliquid largiatur, domum illius adeat, diligentérque de paupertate perquirat, cum multæ fraudes ab improbis & immeritis hominibus in re huiusmodi strui soleant, quibus pauperes alios meritos defraudant, debitam intercipientes eleemosynam.

De Vestiario.

VEstiarius librum habeat, in quo ordine descripta sit suppellex omnis domestica, quæ quidem & particulatim & capitulatim notanda erit.

Librum quoque alterum, in quo vniuscuiusque cubiculi seiunctim res perscribantur.

Iis quidem qui de familia sunt, cubicula cum impertientur, rerum quoque numerum & conditionem simul assignet ea lege, vt si quid pro tempore deperdatur, ipsis pereat.

Vestitus atque ornatus omnes Illustrissimi Domini, tum eos qui illius personam, tum qui Ecclesiam, tum qui cubicula attingunt, tueatur, custodiat, incolumésque seruet. Omnia, quæ rerum harum cura exposcit, sedulò tempestiuèque præstet; maculas auferat; si quæ labefactatæ, reficiat, instauret ve, si laceræ, vel indecoræ vel senio confectæ erunt: Boreę flanti interdum exponat, sæpè verò excutiat, flagellisque cædat, à tineis & muribus præseruet.

At nihil præterea horum vlli accommodare vlla ratione ausit.

Pro diuersa dierum & functionum ratione colores habitusque circa Illustrissimum Dominum variet, variatimque cubicula præparet, atque ad Ecclesiam, quò ille sacrum faciendi vel aliç functionis gratia est iturus, congruentes transmittat ornatus.

Cùm Illustriss. Domin. iter facturus est, omnia præparet, quæ opus erunt, illique illa tradet; cuius fidei committenda esse percipiet.

Cùm occasio dabitur pontificiarum functionum, aliarumque cæremoniarum Ecclesiasticarum, cæremoniarum atque cubiculi item Magistrum conueniet, ijsque de rebus cum his ipsis communicet.

Cùm Præpositi mandato supellectilem aliquam emi continget, rem omnem capitatim in libro vt dictum est, notet.

Præterea si quæ res in Vestiario desunt, quas emi opus erit, earum nomina in schedula notet, atque ad Præpositum deferat.

Si quid de rebus ad Vestiarium, siue ad reliquam domus supellectilem spectantibus deperdi subripiue aliquando contigerit, Præposito significet: quo item die, quoque euento amissum sublatumve illud sit, in librum referat.

Instaurationis domus, vt parietum, tectorum, rerum lignearum, aliarúmque huiusmodi curam gerat.

Hospitibus designata cubicula, munda decenterque ornata seruet, vt cùm venerint, parata & commoda, vel rebus saltem necessariis instructa comperiant.

Vrgeat, efficiatque vt è domo, illiusque vel abditissimis partibus sordes omnes scopator eiiciat.

Vbi tempus supellectilem lineam mutandi fuerit, quæ domui multimodis vsui est, mundam ministris ne tradat, antequàm sordidam recipiat.

Singulis hebdomadis quidquid lineæ materiæ impurum sordidumque domi fuerit, dealbatori tradat ad dealbandum; sed prius rei cuiusque tum numerum, tum conditionem perscribat, atque cùm restituetur, vtrunque perspiciat.

Res omnes quæ notari solent, sigillo Illustriss. Do. signet, deuitet autem extremas rerum nonnullarum partes, in quibus impressa nota resecari facile potest.

Si lintea resarcienda erunt, alia ve linei generis, vnde ex rescissione numerum imminui necessarium sit, Vicario primùm quid facto opus sit, communicet, atque vbi perfectum opus fuerit, quod de iusto numero imminutum erit, in librum referat. Tum præterea Vicarium certiorem faciat, si quid propter vetustatem corruptum sit, atque de libro deleat.

Sub discessum hospitum cubicula inuisat atque supellectilem numeret, demum cùm abierint, claues recipiat.

In vnoquoque cubiculo ad vsum hospitum deputato arcam seruet, sera, claueque instructam, in qua lintea munda, ceruicalia linea, mantilia, mappæ, candelabra, & quæ ad scribẽdas literas, & quæ ad caput curandum necessaria sunt, obsignentur.

Bis singulis hebdomadis, scilicet Dominica

die,& feria quinta, pannos lineos qui cœnaculo visi sunt, commutet, idest mundos sordidis substituat, atque verò etiam sæpius, cùm hospites adèrunt.

Lintea item munda singulis sabbatis ad cubilia ornanda familiæ superiori exhibeat: inferiori autem familiæ satis fiet, si in singulos menses bis illa commutentur.

De Curatore ægrorum.

CVrator ægrorum officio ac potius charitate domi infirmos prosequatur, valetudini eorũ sedulò inseruiat, prudenterque prospiciat, maturè cum præcepta medicorum exequatur, tum medicamenta & cibaria offerat.

Cùm primùm morbo correptus quis decumbit, Vicarium moneat atque Præfectum spiritalem.

Postridie à decubitu Confessarium accersat, pridie tamen ægrotos moneat, vt ad confessionem rectè faciendam se componant. Illud verò maturius quoque efficiat, si fortè inualescere morbus nimis videatur. Quòd si quis à confessore abhorreat, Præposito, & spiritali Præfecto significet.

Quotidie sub vesperum Vicario rationem reddat quo pacto se habeant infirmi, eorum necessitates adamussim exponat, schedulã deinde subscribendam exhibeat, in qua perscripta sint omnia, quibus infirmis ad præscriptum medicorum satisfaciendum erit, vt per illius schedulæ à Vicario subscriptę traditionem, quę opus erunt, à ministris accipere possit.

Quoties quis ægrotabit, à valetudinario noctu caueat ne absit, lucernam præterea totam noctem accensam asseruet.

Duos penes se libros se habeat, in quibus medicamenta omnia separatim à Medicis domus describantur, in quorum quidem vno illa notentur, quæ ad pharmaciam, in altero verò, quæ ad chirurgiam pertinent. Præterea rem nullam, cuiuscunque generis sit, à pharmacopola accipiat, quæ in duobus libris scripta non deprehendatur.

De Ianitore.

IAnitor, qui etiam scopatoris officio fungetur, hyeme quidem duabus post horis noctis, æstate verò hora prima claue fores claudat, neminem quenquam ab eo tempore ingredi egrediue patiatur absque Præpositi vel Vicarij licentia.

Præterea per æstiuum tempus vigesima tertia diei hora cancellos ante fores ipsas constitutos obsignet, obsignatosque ad præscriptam noctis horam custodiat.

Interim exteris certè introeundi atque exeundi potestatem faciat, contra familiarium nullum absque Præpositi vel Vicarij licentia egredi permittat.

Domum à sordibus inquinatam omni cura studioque vindicet.

Post occasum solis lanternas omnes accendat, quæ pluribus dispositæ locis diuersas domus partes collustrant.

Diebus solennibus cùm familia omnis domo abest diuinis intenta officiis, ipse domi maneat, diligenterque illam custodiat.

Solent enim nefarij prædones sæpè huiusmodi nacti occasionem, vacuas hominibus domos diripere expilareque.

Ad ea omnia quæ opus erunt Vestiario pro cubiculorum apparatu facilem promptùmque quocunque tempore se præbeat.



APPENDIX SEXTA EDICTA QVÆDAM SELECTA ET ORDINATIONES.

Edictum de Sacra ordinatione.

CAROLVS S.R.E. PRESB. CARDINALIS Tit. S. Praxedis, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus S. Ecclesiæ Mediolanensis.



MAgna est sacramenti ordinis dignitas, magnaque huius dignitatis pręstantia: ac magni propterea ponderis est, maximique momenti, sacros ordines & conferre; & suscipere: id quod cum sæpè beatus Apostolus Paulus multis verbis doceat: tum aliorum etiam Apostolorum exempla monent: tum sacrosancta præterea Ecclesiæ instituta planè declarant: quibus cautum est, sacram ordinationem solenniter haberi certis statis quatuor anni temporibus, orationi & ieiunio consecratis: tum id ipsum item apertè significant sanctorum patrum decreta, & illa quidem multa, de eorũ qui ordinis sacramento initiari volũt, vita, moribus, genere patria, ętate, institutione, loci educatione, doctrina, instructioneq; in lege Dei, & cæteris virtutibus edita.

Cùm igitur summa cura, summaque diligentia, ac solicitudo plena vigilantiæ, plenaque prudentiæ adhibenda sit in dispensatione diuinorum munerum, & cœlestium dignitatum, cuiusmodi sunt in Ecclesia clericorum Ecclesiasticorumque hominum munera: nos sacram ordinationem proximè solenniter celebraturi, vt ne ordines aut indignis conferantur, aut vitio suscipientium dignitas ordinum minuatur: hæc, partim ex sacrorum Canonum iure, partim ex Pontificum sanctionibus, partim ex patrum regulis, partim ex œcumenica Synodo Tridentina, partim ex nostris prouincialibus Conciliis sumpta, hoc nostro edicto comprehensa, eo de genere toto monemus, statuimus, edicimus, ac promulgamus.

Ac primùm quidem denunciamus, ab omni sacræ ordinationis limine & ingressu arcendos esse omnes & singulos canonicis impedimentis irretitos: veluti minores natu, sacramento chrismatis non confirmatos, rudes & ignaros, criminosos, solenniter pœnitentes, neophytos, ebrietati & gulæ deditos, impudicos, lapsos post ordinem susceptum, periuros, vsurarios manifestos, infames, ratiociniis obligatos, seruos, corpore vitiatos, insigniter deformes, illegitimè natos, peregrinos & ignotos, bigamos, irregulares quouis alio modo, suspensos, interdictos, excommunicatos, amētes, morbo caduco laborantes, energumenos, non examinatos & probatos, furtim per saltumve promotos,

Si quis verò huiusmodi, vel alio quouis impedimento, etiam occultè illigatus teneatur, illud planè nobis saltem patefaciat, antequam se sacris istis clericalis militiæ mysteriis obtrudere audeat.

Porrò sciat quisque, sibi ad examen pro quocunque ordine accipiendo aditum aliter non patere, quàm si decenti vestitu clericali indutus, & cum congrua pro sui status & ordinis ratione corona sese coram examinatoribus sistat.

Scriptas quoque ætatis, natalium, aut dispensationis concessæ, beneficii Ecclesiastici, vel pensionis, patrimoniive, testificationesque aliquas decretis prouincialibus præscriptas, Vicario nostro generali recognoscendas, illiusque subscriptione signandas ac approbandas quisque initiandus prius exhibeat, quàm se examinandum sistat coram examinatoribus: qui & ipsi quoque à nostro Cancellario Archiepiscopali ante omnia de huiusmodi testationibus certi instructique reddantur.

Quicunque vel tonsura clericali primùm initiari, vel ad ordines maiores stata illa ordinationis die per nos promoueri volunt, his literis edicimus atque significamus, ipsos omnes & singulos mense ante statam ordinationis diem ad nos conuenire: tum sua, suorumque parentum, patriæ, parochialisque Ecclesiæ in cuius vicinia natus est, & in qua item habitat, nomina: tum præterea (eos scilicet, qui sacrum ordinem suscepturi sunt) beneficium Ecclesiasticum, pensionemve, aut patrimonium, aut sponsionem vel cautionem, cuius nomine titulove vnusquisque eorum sacro ordine initiandus est: rectè diligenterque singula notata ad Reu. Canonicum Ordinarium Cancellarium nostrum Archiepiscopalem afferre.

Omnes verò tum eos ipsos, tum alios qui ordinibus etiam minoribus initiari volunt: si in vrbe illi quidem sunt, feria secunda hebdomadæ ordinationem proximè præcedentis: si verò diœcesani, & alii qui extra vrbem habitant, ante quartam feriam hebdomadæ in quam sacra ordinatio incidit, ad nos examinis causa iterum conuenire significamus atque edicimus.

Quo tempore omnis, quicunque vel primam tonsuram, vel ordines minores maioresve suscepturus est, ea singula quæ mox infra ordine præscribuntur, de se literis legitimè testata nobis faciat.

Primò se legitimo matrimonio natum esse, aut ob natalium impedimentum secum super illo ordine quem suscepturus est, dispensatum esse. Præterea, se vel origine, vel beneficio Ecclesiastico quod in diœcesi nostra obtinet, vel decennali domicilio, vel alia ratione diœcesanum esse: aut familiarem nostrum, qui per triennium nobiscum commoratus sit.

Tum à Parocho, & ludimagistro, eove quem in quouis studiorum genere audit, aut si Seminario adscriptus est, ab illius rectore loco parochi obsignatas literas afferat, quibus de vitæ suæ disciplina moribusque testatum fiat.

Doctrinę item Christianæ scholas se frequentasse: id testimonii afferat, vel à præfecto illarum in parochiali vicinia sua constituto, vel ab eo qui omnium id generis scholarum curæ præest.

Hæc præterea testimonia afferet, qui prima tonsura initiari voluerit.

Se sacro chrismate confirmatum esse.

In Ecclesia frequentius, religiosiusque versatum esse.

Spe esse, se in clericalis ordinis disciplina permansurum.

Hoc verò testimonium à parocho, aut ab eo sacerdote habeat, cui in disciplinam à nobis traditus est, postquam clericalis ordinis suscipiendi animum voluntatemque nobis patefecit.

Sacram item communionem crebrò per annum sumpsisse.

Qui verò aliquo minore maioreve ordine initiandus est, testimonium præter ea quæ supra præscripta sunt, afferat etiam de his quæ sequuntur.

De prima tonsura, ordineve quem proximè suscepit.

De illius ordinis functionibus à se præstitis: idque testificationis habeat à præfecto Ecclesiæ, cui adscriptus est.

In qua verè ac speciatim exprimatur, quas functiones, & quamdiu, & quàm piè, & quàm decenter rectè riteque præstiterit.

De habitu clericali ad prouincialium diœcesanorumque Conciliorum præscriptum post ordinem proximè susceptum à se continuè gestato. Quam testificationem à parocho afferat.

De confessione frequentiori ex decretorum prouincialium præscripto: cuius rei testimonium obsignatum ab aliquo Confessorio sacerdote probato ad audiendas confessiones cleri-

eorum habeat. De sacra communione, vt decretis prouincialibus iussum est, crebrius sumpta.

Hoc autem testatum afferat, vel à parocho, vel à præfecto Ecclesiæ in qua adscriptus est, vel ab alio sacerdote qui iussu nostro ministrarit.

Quicunque prima tonsura initiandus, aut alicui maiorum ordinum adscribendus est, ea præterea de se nobis testata faciat. De se ex præscripta formula denunciationes in Ecclesia cathedrali, tum in propria parochiali, tum in illa etiam, in cuius finibus postremò domicilium habuit, tum etiam vbi per nos denique iussum erit, publicè die festo inter Missarum solemnia factas.

Qui sacrum ordinem suscepturus est, præter cætera testetur.

Ætatem sanctione Tridentina præscriptam: annos scilicet vigintiduos, si subdiaconatum: viginti tres, si diaconatum: vigintiquinque attigisse, si sacerdotium suscepturus est.

Censum item vel Ecclesiasticum vel laicalem, quem & pacificè possideri, & tantum esse verè constet, quantum ad vitæ eius sustentandæ vsum satis esse censuerimus, aut census loco, sponsionem certa cautione factam ab aliquo, se quæ ad vitæ cultum vsu necessaria sunt, illi qui sacris initiandus est, suppeditaturum, saltem donec ei aliunde prouisum sit, eaque donatio, sponsiove verè ac sine fraude dolove facta sit, eiusque tabulæ ritè & rectè confectæ.

De eo autem censu sponsioneve factas esse publicè die festo denunciationes inter Missarum solennia, tum in cathedrali Ecclesia, tum in propria parochiali, tum in illa etiam, in cuius finibus postremò domicilium habuit, tum denique vbi illas fieri per nos iussum erit, tum omnino in parochiali Ecclesia, intra cuius limites maior census siue Ecclesiastici, siue alterius generis pars posita est.

Quicunque verò diaconus, aut sacerdos creandus est, id, præter alia, testificationis afferat, se de peccatis omnis anteactæ vitæ in primis confessum, spirituales exercitationes ad decreti in visitatione Apostolica editi, & nostræ Synodi prouincialis quartæ præscriptum præstitisse temporis spatio per nos constituto, adhibito sibi duce & moderatore viro religioso, à nobisque in primis probato.

QVICVNQVE de vestitu Ecclesiastico, de frequenti sacramentorum vsu, de Ecclesiasticis functionibus, de vitæ & morum disciplina literas testificationis exhibiturus est, eas recenter datas, aut renouatas confirmatasve afferat, ita scilicet, vt ne vetustiores sint duobus mensibus ante statæ ordinationis diem.

Si verò quis à domicilio suo diu abfuerit, quamobrem vetustiores testificationis literæ accipi debeant: recentiores simul, à quibus debet, afferat, eo loco datas, vbi proximè moratus est: & si locus extra diœcesim est, ab eiusdem loci Episcopo obsignatas, vel communitas eius auctoritate.

QVI alienæ diœcesis est, hæc ab ordinario suo habeat.

Literas dimissorias de ordine suscipiendo.

Literas testificationis de ordine proximè suscepto.

Testimonium scriptum de statis denunciationibus ordinis suscipiendi.

Testimonium de natalibus, aut de dispensatione legitima super defectu natalium.

Testimonium de functionibus præstitis.

Dispensationem super interstitio, si quando scilicet non confecto illo temporis spatio, quo ex Concilio Tridentino in ordine suscepto versari debet, ad alium maiorem ordinem pro Ecclesiæ suæ vtilitate ac necessitate Episcopus eum promouendum censuerit.

Testimonium comprobationis scientiæ per examen, aut literas facultatis de examine faciendo.

Testimonium item de vita, & morum honestate.

Testimonium præterea afferat (qui scilicet ordinem sacrum suscepturus est) de patrimonio, vel de titulo, vel de censu, aut sponsione cautioneve.

Literæ verò dimissoriæ de ordine suscipiendo, & testimoniales de præstitis functionibus, & de vitæ morumque honestate, ne vetustiores sint duobus tribusve mensibus à die sacræ ordinationis supputandis.

Si verò alicuius diuturna absentia antiquiores etiam literas accipi probarive postulet, recentius datas à quibus debet, inde afferat, vbi proximè commoratus est: sique extra diœcesis suæ fines locus est, illas ab eiusdem loci Episcopo obsignatas, aut eius auctoritate communitas afferat.

REGVLARIS qui ad sacram ordinationem conueniet, primam tonsuram aut ordines suscepturus, caueat nè obstrictus sit aliqua culpa impedimentove canonico supra de de aliis initiandis commonstrato.

Ipse quoque mense ante statam ordinationis diem ad nos conueniat, & nomen cæteraque supra de aliis ordinandis præscripta ad Cancellarium Archiepiscopalem deferat.

Testata præterea hæc habeat.

Exercitationem frequentem functionum illius ordinis, quem proximè suscepit.

Frequentiorem confessionem, & sacram communionem.

Progressionem in ecclasiastica disciplina.

Obseruantiam & reuerentiam erga sacerdotes & superiores.

Loco tituli census ve afferat testificationem præstitæ professionis regularis.

Testimonium item habeat, De denunciatione sui nominis publicè in ecclesia facta.

De ætate item, vt supra de aliis constitutum est.

De transacto interuallo post ordinem proximè susceptum à Tridentino Concilio præscripto.

Afferant literas dimissorias à Superiore de ordine suscipiendo, quo eorum quispiam initiandus est,

Quæ literæ ne vetustiores sint duobus tribusve mensibus, à die sacræ ordinationis supputandis: nisi ob absentiam Superioris, aliamve causam, eas longiori tempore datas, renoua-

tasve accipi, probarive debere censuerimus.

Testimonium etiam scriptum à Superiore suo, qui ostendat eum vita & moribus præditum esse, qui dignus sit, vt illi ordini adscribatur, quo is initiari vult: sit verò hoc testimonium non antiquius duobus mensibus, vti in superioribus est declaratum.

Si verò diutius à Monasterio abfuerit, hoc testatum afferat à superiore Monasterii, in quo proximè commoratus est.

Testificationem item de ordine, qui proximè præcedit, iam suscepto.

Si verò statum tempus præscriptum à Concilio Tridentino, quod interiectum esse debet inter susceptionem vnius & alterius ordinis, nondum expletum est: tunc à suo Superiore scriptum afferat, quo testatum fiat, vtile ac necessarium Ecclesiæ suæ, Monasteriove esse, secum dispensari super eo interstitio.

Quòd si quis stata die non adfuerit, aut quæ ex præscriptis ad se pertinent, singula non bene nec satistestata fecerit, sciat se ab ordinatione, quæ stato tempore habebitur, exclusum fore.

DOMINICO autem promulgationis huius edicti die, ob sacram ordinationem proximè futuram in singulis parochialibus ecclesiis processio de more agatur litaniis ac supplicationibus publicis; in quibus vnusquisque secum mente reputans, quàm pauci operarij in messe multa sint, hoc Deum toto corde exoret, vt qui Dominus est messis, ipse mittat operarios in messem suam, lumenque nobis præbeat in ijs deligendis, quos ordinibus adscribamus, tum quos elegerimus, ope diuina illi adiuti in sanctitate & iustitia ei seruiant, eiusdem gloriam omnibus in rebus sibi proponentes.

Quod vt eo nomine Deum populus supplex sæpius oret, id illum singulis diebus Dominicis per mensem ante statam sacræ ordinationis diem crebra cohortatione parochi inter Missarũ solennia, moneant. Dominico præterea die illam proximè præcedente, pastorales etiam nostras literas de scripto accuratè iterum recitent; tum diligenti etiam admonitione populum ad illud excitent, vt non modò supplicationes ob eam causam nostro Concilio prouinciali secundo decretas, piè religioseque tunc obeat; sed illis ipsis statis, qui sequuntur, sacræ ordinationis diebus, frequens in oratione purè sancteque versetur, tum qua die sacra ordinatio habebitur, qui in vrbe sunt, in Metropolitana ecclesia frequentissimi præsentes adsint, huic orationis officio studiosius attenti, vt à Deo Sanctorum ope in fidelium precationibus impetrata, & nos ordines iis conferamus, quos vtiles operarios Ecclesia Dei postulat, & qui ordines suscipiunt, in dies progressus maiores in vitæ morumque sanctitate, religione, doctrina, atque prudentia faciant, iisque virtutibus adiutrice diuina gratia aucti, cum exemplum piè sancteque agendi laicis perpetuò præbeant, tum Deo in primis, cui in ministerium dicati sunt, grati ministri, pro populo intercedentes, cœlestia diuinæ gratiæ misericordiæque munera vberiora impetrent: ipsique digni sint donis & priuilegiis, quæ singularia, & Deus, & Ecclesia ministris suis benignè concessit.

Indictio diei sacræ ordinationis.

CAROLVS
S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Praxedis, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiep. S. E. Mediol.

AVXILIANTE Domino Deo, ac Saluatore nostro Iesu Christo, nos ex sanctæ matris Ecclesiæ instituto, sacram ordinationem in nostra Metropolitana Ecclesia solenniter celebraturi sumus proximis statis quatuor temporibus, die scilicet Sabbato mensis N. proximè futuri. Quare edictum nostrum de sacra ordinatione editum, vt omnibus, ad quos spectat, notum sit: intra Missarum solennia in nostra Metropolitana Ecclesia de suggestu cum nostris pastoralibus eo de genere editis, & his etiam nostris indictionis diei sacræ ordinationis literis legi: atque in eius item valuis, vt moris est, affigi: & quò præterea præuulgatius sit, à parochis omnibus & singulis, tam in vrbe quàm in diœcesi, die Dominico proximo postquam has Archiepiscopales literas acceperint, hoc idem fieri mandamus, omnes verò & singuli, quicunque vel clericali tonsura, vel aliquo ordine initiandi sunt, vt omnia & singula præstent atque exequantur, quæcunque edicto illo nostro de sacra ordinatione præscripta sunt, his nostris literis edicimus, atque monemus. Dat. Mediolani ex ædibus nostris Archiepiscopalibus, Die.

INSTRVCTIO
Pro Parocho ad fidem faciendam de natalibus, & ætate ordinandi.

PRIMO videat, an ordinandi nomen, cognomen, & baptismi tempus reperire possit in libro illo, in quo baptizatorum nomina ex more & præscripto S. Concilii Tridentini notantur.

Etsi inueniat, exemplum ex illo libro exscribat, ac suo, & duorum, si commodè fieri possit, testium manu obsignatum mittat, vt constare possit, quo tempore ordinandus fuit baptizatus.

Similiter ex libro matrimoniorũ capiat exemplum si reperiatur, vt probetur legitimum matrimonium inter parentes ordinandi contractum.

Si hæc non reperiantur, & ad maiorem fidem, vt constet an ex legitimo matrimonio, & ex quibus parentibus, & quo tempore natus sit ille qui ordinari cupit, parochus testes fide dignos, vicinos, parentes, & alios qui ordinandum norunt, examinet hoc modo.

In præsentia duorum proborum virorum, vel vnius notarii, si commodè reperiatur, deferat cuilibet testi iuramentum de veritate dicenda circa ætatem; & natales ordinandi.

Tum separatim, & secretè corã eodẽ notario

vel duobus testibus examinet quemlibet testem, & eius dicta scribat, eum interrogando primum.

1 An nouit N. qui fuit denunciatus in Ecclesia, & vult ordinari.

2 An nouit eius parentes, & quanto tempore, & qua occasione eum nouit.

3 An sciat, quòd N. sit eorum filius, & quomodo sciat.

4 An sciat, quòd eundem N. illi quos eius parentes testatur, pro suo filio aluerint, tenuerint, ac tractarint. Et an communi voce & fama omnium, eum pro talium filio haberi & reputari sine vlla suspicione contrarii sciat.

5 An sciat quo anno, mense, die sit natus, & vbi natus sit, & qua occasione, memoria teneat annum, mensem, diem, locum natiuitatis eiusdem. N. & occasionem huiusmodi memoriæ speciatim declaret, dicendo (exempli gratia) quia eodem anno seu mense ego vxorem duxi, vel fuit mihi nata proles, vel ex sacro fonte suscepi. N. vel mea proles, vel vxor, aut pater, mater obiit mortem eodem mense, vel tale signum aliud ostendat, quo se tempus natiuitatis eiusdem. N. memoria tenere probet, cùm sine tali notabili signo hominum memoria soleat esse labilis circa tempus diu præteritum.

Tum rogetur, an sciat. N. esse legitimè natum ex iisdem parentibus, videlicet ex legitimo matrimonio, & quomodo sciat eosdem parentes esse coniuges legitimos.

1 An fuit præsens quando se coniunxerunt eo matrimonio per verba de præsenti, & an illa verba audiuit.

2 An verò audiuit duntaxat dici, & à quibus, & quandiu.

3 An in illa parochia omnium iudicio, & voce publica ac fama habeantur pro viro & vxore sine vllo rumore in contrarium iidem parentes N. ordinandi.

4 An simul cohabitent, & se inuicem tractent, populo sciente, tanquàm coniuges, & quomodo, quare, & quamdiu ille id sciat.

5 An ille signum aliquod notabile teneat memoria, quo adducitur, vt tempus, & locum matrimonii contracti, & coram quibus contractum fuit, iam post tot annos recordetur.

Pater, & mater quoque ordinandi possunt examinari, de ætate sui filii, & de suo quoque proprio matrimonio, vt videatur, quomodo cum testibus concordant.

Si ipse parochus aliquid nouit de ætate ordinandi, & matrimonio legitimo parentum eius, testari id in schedula scribendo sua manu poterit, & in verbo sacerdotis significare se veritatem dicere: causamque suæ scientiæ, secundùm ea quæ superius notata sunt, exprimat.

Prudenter vtatur parochus instructione superius adnotata secundùm testium qualitatem, & astutiam vel simplicitatem: vt simpliciores iuuet istis interrogationibus ad testificandum veritatem directè, & concludenter: astutos verò non instruat ad falsum deponendum, eos particulariter rogando, quos potius expedit generaliter rogari de causa suæ depositionis, seu scientiæ.

EDICTVM.

Contra clericos habitum clericalem non induentes.

CAROLVS

Borromæus, miseratione diuina S. R. E. tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis, Archiepisc. Mediolanen.

ET si nos veterum canonum, & Tridentini concilii iussa exequentes, iam pridem publico edicto, quod Vicarius noster generalis die 25. Octobris 1564. nostro nomine promulgauit, nostræ Ciuitatis, & Diœcesis clericos monuimus, vt habitum, & clericalem tonsuram, quæ est spiritualis militiæ insigne, sumerent, ac deferrent: animaduertimus tamen nonnullos adhuc contumaces esse.

Quamobrem prosequentes nos quæ prouinciali nostra Mediolanensi Synodo decreuimus, hoc edicto publicè proposito, omnes & quascunque Ecclesiasticas personas, quæ aut sacris initiatæ sunt, aut dignitates, personatus, officia, beneficiave qualiacunque etiam simplicia obtinent, etiam si studii causa absint, & in publicis gymnasiis, aut vbiuis locorum sint, vehementer hortamur in Domino, ac semel, iterum, & tertiò, trinaque hac monitione præmissa monemus; vt qui in prouincia sunt, ad duos menses clericalem habitum sumant, & deferant, ordini suo ac dignitati congruentem: tonsuramque clericalem presbyteri tribus digitis, cæteri inferioris ordinis clerici duobus saltem ex omni parte latam perspicuè gerant: damusque eis ad id omnino efficiendum, pro primo viginti dies, pro secundo alios item 20. pro tertio & peremptorio termino 20. etiam reliquos duorum mensium, quos præscripsimus dies, qui verò extra prouinciæ fines sunt, illud idem ad tres menses præstent: iisque vnum pro primo, alterum pro secundo, & tertium mensem pro tertio & peremptorio termino assignamus, quòd si qui huic nostro edicto non paruerint: si beneficia Ecclesiastica obtinet, aut eorum fructus reseruatos habent, omnibus ii anni vnius fructibus iure ipso priuati sint, quos arbitratu nostro piis locis aut operibus attribuemus: sin autem beneficium Ecclesiasticum nullum obtinent, trium mensium carcere eos mulctandos declaramus: & qui sacris ordinibus initiati fuerint, etiam ab ordinum suorum munere sint suspensi.

Ab eo autem tempore, quod & ad tonsuram & habitum clericalem sumendum hoc edicto præstituimus, post mensem, si qui vel eum non suscepisse, vel susceptum deposuisse conuicti fuerint: eos beneficiis atque officiis Ecclesiasticis omnibus iam nunc, etiam nulla alia declaratione facta, priuatos esse declaramus.

Præterea quoniam quæ nos prouinciali nostra Mediolanensi synodo de clericalium vestium colore, de sericis vestimentis aut ornamentis, de interiori veste, de manteletti longitudine, de pallio quod ferraiolum

vocant, de caligis non inflatis nec dissectis, de camisiis vt dicunt lactucatis, aut arte elaboratis, de annulis, & reliquo denique clericorum vestitu constituimus: ea cùm intelligamus à pluribus negligi, inter alias pœnas, quas de clericis in eo genere contumacibus ex illo nostræ Synodi decreto pro personarum conditione & modo culpæ arbitratu nostro sumemus: vestimentorum etiam quibus quisque clericus contra illud decretum vsus fuerit, amissionem ei denunciamus, eaque contumacibus clericis adempta, pauperibus distribuemus. In quarum rerum fidem hoc edictum confici, & signo nostro munitum, nostrique Cancellarii manu subscriptum, Metropolitanæ nostræ Ecclesiæ valuis affigi, aliisque locis in publicum proponi iussimus. Dat. Mediolani ex ædibus nostris Archiepiscopalibus die 24. Decembris. 1566.

Edictum de residentia.

Carolus Borromæus miseratione diuina S. R. E. Tit. sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Mediolani.

QVONIAM multorum, qui curata cuiusuis generis beneficia, officiave Ecclesiastica, Præposituras, atque alias Ecclesiasticas dignitates obtinent, in iisque residere iure vel consuetudine debent, ea est contumacia, vt neque veterum Canonum, conciliique Tridentini decretis, nec Pij Quarti Pontificis Maximi constitutione, nec postremò Sanctissimi D. N. Pij V. iussu, neque edictis præterea nostro nomine promulgatis adduci potuerint, vt beneficiorum suorum residentiæ quam debent præsentes satisfaciant: cumque id nos pro nostri Archiepiscopalis muneris ratione diutius ferre vllo modo possimus, nec sanè debeamus: ad vltima quidem remedia descendere cogimur.

Quamobrem hoc nostro edicto, omnes & singulos, quicunque in nostra Mediolanensi & ciuitate & diœcesi beneficia eiusmodi in titulum vel commendam habent, vehementer hortamur in Domino, requirimus, ac semel, iterum, & tertiò, hacque trina monitione præmissa monemus, præcipimusque, ac mandamus: vt si in prouincia illi sunt ad duos menses, quorum 20. dies pro primo, alios deinde 20. pro secundo, tum reliquos 20. pro tertio & peremptorio termino ipsis assignamus: si extra Prouinciam, ad tres, vnum pro primo, alterum pro secundo, tertiumque mensem pro tertio item & peremptorio termino, ad sua beneficia se conferant, atque in iis quemodmodum sacro Tridentino concilio sancitum est, assiduè residendo, nusquam inde discedant, nisi à nobis permissa sibi in scripto huiusce rei facultate.

Quòd si qui salutis suæ immemores, hoc ipso tempore quod ad residendum præscripsimus, ad suorum beneficiorum residentiam non accesserint: aut sine nostra in scriptis permissa facultate inde postea discedentes amplius duobus mensibus siue continuatis siue interruptis in anno abfuerint, etiam si eo temporis spatio ipsi in aliis suis beneficiis, canonicatibus, dignitatibusve, etiam si in quacunque cathedrali Ecclesia sint, resederint: eos præter pœnas, quæ & sacrorum Canonum decretis, & eodem concilio, & Pii Quarti Pont. Max. constitutione non residentibus propositæ sunt; ordinum suorum munere officioque suspensos, ac eisdem curatis beneficiis iure ipso priuatos declaramus.

Interim autem fructus, quos absentes suos non faciunt, nec sine conscientiæ labe retinere possunt, Fabricæ Ecclesiæ cui quisque præest, & ornamentis, pro rata temporis eorum absentiæ adiudicamus, à qua pœna, atque etiam à mortali peccato, quod, vt Tridentino concilio declaratum est, committunt, qui sine nostra scripta facultate absunt, ne ii quidem immunes sunt, qui, quoniam à suis Ecclesiis absentes, apud nos, & à nobis ipsis sæpè videntur, nostro quasi tacito permissu se abesse existimant: quod à nostri animi sententia longè alienum esse, etiam his literis declaramus.

Edicimus præterea ac iubemus omnibus, quicunque Ecclesiastica beneficia, curata, vel non curata, in titulum aut commendam obtinent, quæ tamen personalem residentiam iure vel consuetudine requirunt, si qua non residendi studii causa permissa facultate tueri ac defendere se posse arbitrantur, quò minus ipsi in suis resideant beneficiis, vt eam ad idem tempus supra respectiuè præscriptum, nobis aut Vicario nostro exhibeant: alioqui sciant, nos de eis pœnas esse sumpturos, quæ contra non residentes constitutæ sunt. In quarum rerum fidem hoc edictum confici: signoque nostro signatum, & nostri Cancellarii manu subscriptum, Metropolitanæ nostræ Ecclesiæ valuis affigi, aliisque locis publicè proponi iussimus. Volumusque eo vnumquemque ita teneri, vt si ipse personaliter monitus esset, ac citatus. Datum Mediolani ex nostris Archiepiscopalibus ædibus, die 10. Ianuarij. 1567.

Edictum de Visitatione.

Carolus miseratione diuina Tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis Borromæus Archiepiscopus Mediolani.

CVM ad nostri pastoralis officii rationem Visitationis cura ita pertineat, vt ex sacrorum Canonum iure, & Conciliorum decretis prætermitti neque possit, neque debeat: nos illud à nobis debitum munus, omni qua maxima possumus diligentia, Deo iuuante, aggredi atque perficere cupientes, perutile fore existimauimus, omnibus & singulis iurisdictionis nostræ fidelibus, cæterisque quorum id interest, hoc significare.

In eam verò curam ita incumbemus, vt non ordinaria nostra solùm, verùm etiam delegata nobis auctoritate accuratè visitemus, omnes & singulas has Mediolanensis & Ciuitatis, & Diœcesis Ecclesias; Metropolitanam nostram, collegiatas, earum item capitula, tum personas: curatas præterea Ecclesias, etiam eas, quæ ipsi Metropolitanæ, collegiatis, aliisve

Ecclesijs,

Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, aut quibusuis locis annexæ sunt.

Monasteria item quæ commendata sunt, Abbatiæ, Prioratus, siue Præpositur æ, aliovè nomine nuncupata, in quibus non viget regularis obseruantia: cætera quoque beneficia curata, ac non curata, sęcularia, regularia quouis modo commendata, etiam si exempta sint; Ecclesias item quascunque quauis ratione exemptas, quæve in nullius diœcesi sunt, quibus Metropolitana nostra proprior sit quàm alia cathedralis Ecclesia: omnes denique Ecclesias non curatas, cappellas, oratoria, hospitalia, collegia, quæcunque confraternitates laicorum, Montes pietatis, piaque loca omnia, quamuis exempta sint, etiam ad laicorum administrationem pertinentia: Moniales etiam quæ Sanctæ Sedi Apostolicę immediatè subiectæ sunt, quæve etiam Sancti Petri, vel Sancti Ioannis capitulorum nomine, vel alio quouis modo nominantur: Monialium item quarumcunque clausularum: Monasteria insuper in quibus cura exercetur animarum personarum sæcularium, in iis quæ ad Sacramentorum administrationem pertinent: omnes denique & quascunque sæculares personas Ecclesiasticas, etiam exemptas, & regulares extra Monasterium vitam agentes.

Hoc igitur nostro publicè promulgato edicto, omnes & singulos certiores facere voluimus, nos die vigesimoquinto huius mensis visitandi initium facere velle, eo animo eoque consilio, vt quantum in nobis est, diuina benignitate adiuti, omni & diligentiæ, & pietatis, & pastoralis officii studio in ea incumbamus, quæ ad animarum salutem, ad cultus diuini rationem, ad Ecclesiarum statum, ad Christianam morum institutionem, ad Cleri, & fidelis populi vit: atque officii disciplinam spectare iudicabimus. Quare monemus omnes & singulos, ad quos earum Ecclesiarum, Monasteriorum, & piorum locorum quæ diximus, cura, vel gubernatio, vel administratio, vel Missarum ac diuinorum officiorum quæ in iis præstanda sunt celebratio, aliorumve munerum functio pertinet, vt quo die singulas illas Ecclesias, locaque visitabimus, proferant ac ostendant nobis, vel ei cui tale munus delegauimus, vel Cancellario nostro cuius opera in hoc visitationis munere vtemur, suorum omnium beneficiorum, & sacrorum ordinum titulos, & Ecclesiarum capitulorumve statuta, constitutiones, ac obligationum onera quæ eis imposita sunt.

Inueniatium preterea bonorum mobilium & immobilium, atque eas res omnes ostendant, quæ ad Ecclesiæ aut pii loci cultum, apparatum, & ornatum pertinent.

Si quis autem, cuiusuis ordinis aut dignitatis sit, aliqua in medium afferre voluerit, quæ ad Dei laudem, Ecclesiarum commodum, & animarum salutem interesse putauerit: eum hortamur in Domino, vt omnia ea nobis vel sermone vel scripto patefaciat.

Et quoniam ab iis quæ aliis præstant, initium sumi decet: primum Metropolitanam nostram Ecclesiam visitabimus, ad alias deinde Ecclesias & loca quæ diximus progrediemur, ea seruata ordinis ratione, quæ ad eam rem bene gerendam magis expedire nobis videbitur.

Itaque monemus, præcipimus, atque citamus capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ, eiusque Archipresbyterum, Archidiaconum, Primicerium, Præpositum, Decanum, Canonicos qui ordinarii appellantur, Notarios, Primiceriorum lectores, Maxzeconicos, Cappellanos, custodes obedientiarios, clericos, veglones & veglonissas, capellanum curatum curam animarum exercentem in parochialibus Ecclesiis Sanctorum Theclæ, & Ioannis ad fontes Monasterii Lantasii, & Galdini, Archipresbyterum item, & canonicos Decumanos, scholares, confratres, & beneficiatos officiales, ministros, cæterosque singulos, qui nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ ministrant vel ministrare debent, vt eo quem ediximus die 25. summo mane omnes ad visitationem conueniant, ac sui quisque beneficii quod in ea Ecclesia obtinet titulos, dispensationem, statuta, constitutiones, ordines, oblationumque onera, nobis, vt supra ediximus exhibeat, in eaque Visitatione, quam statuto iam die aggrediemur, etiam si non eo ipso die absoluere poterimus, tamdiu adesse pergat, quoad omnibus iis quæ ad eam pertinent, quæque nos necessaria & oportuna censuerimus, perfectis, illam omnino absoluerimus.

Et vt hæ nostræ literæ Cancellarii nostri manu subscriptæ, sigilloque nostro signatæ, quas edicti publici vim ac testimonium habere decernimus, omnibus iis quibus ediximus, ac aliis quorum id interest, & in posterum quauis ratione intererit, notæ ac manifestæ plane esse possint; volumus eiusdem nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ, & aliarum huius Ciuitatis Ecclesiarum, quæ collegiatæ sunt, ac Monasteriorum valuis affigi, ac relinqui; eosque omnes quos diximus, eisdem ita teneri, vt si illi personaliter moniti, requisiti, ac citati essent.

In quorum testimonium has confici & signo nostro muniri iussimus.

De earum verò affixione, quod quiuis noster in hac parte nuncius ad nos referet, in eo fidem illi omnino habebimus. Dat. ex nostris Archiepiscopalibus ædibus die 22. Iunij *1566.*



EDICTVM.
De festorum dierum cultu.

CAROLVS CARDINALIS Borromæus Archiepiscopus Mediolani.

SAcrum Concilium Tridentinum studiosè mandauit omnibus Prælatis, vt in sua quique ciuitate & diœcesi, dies festos, debita cum pietate & religione, celebrari sollicite curent.

Circa quod Pius quoque quintus felicis recordationis, monitis quibusdam salutaribus prouidit, bullis suis antiqua statuta & canones

de festorum celebratione renouans, mandansque ordinariis, vt summa diligentia, eorum executionem procurent, pœnarum, etiam ad arbitrium, inflictione contra delinquentes.

Quibus (vt par est) inhærentes & pro viribus executionem promouentes, edidimus in prima nostra prouinciali synodo, & vberius postmodum in tertia, decreta quædam, quibus prohiberentur abusus ac corruptelæ, quæ frequentius, hac in ciuitate & diœcesi, aduersus festorum celebrationem admittebantur, maiorisque impedimenti erant, ac perturbationis eorum dierum debitæ ac condignæ sanctificationi.

Magno nunc animi nostri dolore accipimus, plurimos hac in ciuitate, non obstantibus præfatis prohibitionibus, iisdem semper abusibus ac corruptelis iteratò & perseueranter versari, non mediocri diuini cultus detrimento, & contemptu obedientiæ debitæ sacris canonibus, summorum Pontificum constitutionibus & conciliis, quorum auctoritate prohibitiones eiusmodi promulgauimus.

Quandoquidem publica peccata (ea maxime quæ diuinum cultum amoliuntur) in plebem vehementius irritant iram Dei, nobisque ex officio incumbit, opportunis ea remediis submouere, ad realemque executionem decretorum illorum, omnem operam adhibere: Idcirco hoc edicto nostro, pro prima secunda tertia & peremptoria monitione, infra scripta, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, indictione pœnarum pro arbitrio nostro, etiam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, pro cuiusque culpæ vel contumaciæ modo, quibus pœnis non modò ipsi violatores immediate obnoxii erunt, verum, etiam transgressionis autores vt Patres ad hanc filios impellentes, heri famulos aut operarios.

Omnis cuiuscumque status conditionis & gradus, inuiolatè seruet ea, quæ à nobis in primo tertioque conciliis prouincialibus statuta sunt, super obseruatione cultu & sanctificatione festorum.

Debita autem (vt supra) cuiusque festorum dierum obseruatio, integra sit viginti quatuor horarũ: inchoanda nimirum à media nocte diei festũ præcedentis, vsque ad exactam sequẽtis diei mediam noctem, vti declarauimus in edicto nostro nuper edito in synodo diœcesana.

Præcipimus itaque festos dies obseruari ab aurigis, agasonibus, iumentorum actoribus, chirurgis, sutoribus calceariis, famulis eorum, aut operariis, aliisque personis cuiuslibet artis, professionis aut exercitij.

Prohibemus autem speciatim, ne festis diebus vænales exponantur in ciuitate, aut per vicos deferantur merces vllæ humanis esibus ineptæ, cuiuscumque generis fuerint: ne libri quidem, imagines, aut picturæ, flores, plantæ, volucres, & id generis alia, vel ea quæ minutiorum mercium nomine censeri possunt.

Ne vendantur quæ ad talorum, aut foliorum lusoriorum (quæ chartas vocant) vsum spectantia.

Ne laruæ vendantur aut locentur, vestesue vllæ personationibus aut laruationibus destinatæ.

Ne habeantur in scholis exercitationes saltationum, chorearum aut digladiationum.

Ne præstigiatores, mimi, aut id generis homines audeant suas artes exercere, aut species vllas rerum vendere, ne aquas quidem, aut aliud quidpiam etiam medicaminum nomine, vel alio titulo nuncupatum.

Ne pariter vendantur vlla cibaria, nisi ad humanum illius diei esum licitum, necessaria,

In ijs etiam quæ necessaria fuerint, sequentes regulæ seruentur.

Ne in publicum proferantur, aut exponantur in plateis ante maiorem Ecclesiam nostram, aut aliam quamlibet existentibus; ne alio pariter in loco exponantur Maiori Ecclesiæ aut alteri cuilibet proximo, spatio pedum sexaginta ab ea non remoto, immo nec quauis in distantia ab Ecclesia remoto possint venundari, intra fines aut territorium oppidi, terræ, loci ue diœcesis, in qua speciale festum aliquod solenniter celebretur.

Ad rerum autem huiusmodi emptiones ac venditiones, ne in platea vicoue quolibet, publice tentoria, papiliones aut rastra, quibus appendantur, quis collocet; præterquam ad arcendam, à pane venali, pluuij temporis, aut sudi nimis, intemperiem.

Ne vero prædicta cibaria venundandi prætexta causa, quis officinam publice aperiat, sed ostiolum tantummodo patens habere liceat.

Nemini vendere liceat etiam prædictarum rerum quidpiam (exceptis ad medicinam spectantibus) intra spatium, quod excurret à signo, campana maiore proximæ Ecclesiæ, dando, vsque ad horam diei 23. tempore hyemali, reliquis autem anni tempestatibus vsq; ad absolutas vesperas, diuina officia, sacramque lectionem, in ciuitate quidem habendam in maiore Ecclesia, extrà verò per diœcesim, in singulis parœcijs.

Abstineant quoque pistores toto 24. horarum spatio, à media scilicet nocte præcedente festum diem, ad alteram mediam noctem proxime sequentem, ab excutienda cribro farina, pane coquendo, aut alijs artis suæ præstandis. Molendinorum quoque operarij cessent ab aduehendo ad molendinum tritico, reuehenda ad pistores aut priuatorum ad ædes farina, à tundendis scalpro molis, resarciendis rotis, aut alio quouis opere præstando circa molendinum, nisi forsan ob plurium festorum continuam frequentiam, aut vergentem vtilitatis publicæ causam, obtinuerint licentiam in scriptis, ab ijs, quibus id curæ commissum fuerit.

In quorum fidem hoc nostrum edictum, nostra, Cancellariique Archiepiscopalis curiæ nostræ manu subscriptum, publice ad Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ valuas, Palatiique nostri Archiepiscopalis, affigi mandauimus: cuius affixioni tantam inesse vim volumus ac virtutem, quantam, si singulis quibusque intimatum enuntiatum, exhibitumque fuisset. Dat. in Palatio nostro Archiepiscopali die 13. Nouembris. 1574.

EDICTVM,

De prohibitione Equestrium circorum ac spectaculorum Dominicis festisve diebus.

SÆpissime tum scriptis, cùm voce habitis in Ecclesia sermonibus, aliisque paternæ curæ officiis commonuimus, quoto studio pietatisque christianæ feruore celebrandi forent sacræ dies Dominicæ, Septuagesimæ, Sexagesimæ, ac Quinquagesimæ; quas spiritu Sancto edocta sancta mater Ecclesia colit, ritibus, ceremoniis, ac vocibus pœnitentiam prædicantibus. Nuperrime demum prorogata oratione, quam Serenissimi Regis Catholici iussu indixeramus, pro Flandricis calamitatibus & sanctæ Ecclesiæ necessitatibus, peragi præcepimus processiones solennes, & quadraginta horarum preces, hac hebdomada, in Metropolitana Ecclesia nostra cum solita concionum frequentia haberi; inspeximus nihilominus, non citra lachrymas intimumque cordis dolorem, quam parui fecerint nonnulli & sancta huiusmodi officia, & debitam Deo gratitudinem, ex depulso ab hac vrbe anni proximè lapsi pestis periculo; recentem quoque cladem ex obitu Serenissimi Hispaniarum Principis, aliorumque Majestatis Catholicæ affinium morte acceptam. Verùm insuper, præter expectationem omnem ac cogitatum, inspeximus, contra huius sacri temporis instituta, sacrorum canonum ordinationes, summorum Pontificum constitutiones, Prouincialia decreta, ac edicta, à nobis ad sacri Tridentini Concilii executionem promulgata, sanctas illas dies Dominicas, Septuagesimam, Sexagesimam, ac Quinquagesimam, ludicris exercitationibus, conflictibus, currilium equorum agitationibus, excursionibus, laruarum deturpationibus, spectaculis, choreis, & quæ ad hæc sequuntur, morum ac Christianæ disciplinæ dissolutionibus, profanis ausibus violari: quodque grauius crimen adauget, hoc ipso tempore, horaque ipsa, qua sacra mysteria in Ecclesia celebrabamus, SS. Eucharistiam processioni præferebamus, eaque in publicum, ad supplicationem solennem, exposita, sermonem ad frequentissimum populi conuentum habentes Dominici verbi ministerio vacabamus, & plebs humi prouoluta, exertis altisque clamoribus diuinæ misericordiæ opem supplex implorabat: in ipsis prope Ecclesiæ ianuis, ac circumquaque importunis perstrepebant ictibus timpana, tubæque clangoribus personabant, curruum ac rhedarum agitatu, multo crebroque murmure permixto, tumultuosis ac temulentis cursorum clamoribus, & incompositis vlulatibus aër immugiebat. Ad concursationes & pugnas, personatorum dicteria aliaque profana spectacula magno plebis scandalo, perturbationi ac impedimento diuinorum officiorum, sanctarum precum, ac ipsius sanctissimi Sacramenti offensæ atque contemptui.

His accedit impedimentis ac perturbationibus, quòd in ipsamet Ecclesiæ Maioris platea peragebantur, in viis etiam per quas sacro ritu processiones fiebant, in ipso quoque itinere quo nos ad Ecclesiam pergebamus, ita vt quandoque præpeditus quodammodo nobis fuerit aditus.

Nunc insuper, nulla monitorum nostrorum habita ratione, quibus instituimus ac hortamur piè transigi sanctam Quadragesimam, frequenti cum stationum visitatione, indulgentiarum assecutione, auditione concionum, sacra lectione, diuinis officiis & condignis pœnitentiæ operibus: accipimus; nouas operas parari ad violandas, consimilibus ludis, spectaculis, pugnis, ac nequitijs dominicas, & sacrum perinde quadragesimæ tempus, primam potissimum dominicam, vetustissimo huius Ecclesiæ instituto ac more, solitam celebrari solenniore officiorum, etiam pontificalium, ritu, priuilegio quoque ornatam, ab Apostolica Sede, indulgentiæ plenariæ concessione; ac ad sacram synaxim percipiendam, hac de causa plebis vniuersæ inuitatione, vti tot retro annorum serie fuerat obseruatum.

Quare publico huic scandalo aditum præcludere, pro pastoralis officij cura, festorumque dierum cultus debitæ obseruantiæ prouidere volentes, executionē curando sacrorū canonū, Pontificum constitutionum, Pij præcipue quinti, felicis recordationis, sacrique Tridentini Concilij, ac prouincialium decretorum, præsentis Edicti sanctione prohibemus, ne quis cuiuscumque præeminētiæ dignitatis, prærogatiuæ, status, gradus quantumlibet illustris, ordinis, sexus, aut conditionis, prima dominica quadragesimæ crastina die, quæ est mensis huius octaua, celebranda, alijsque dominicis festisue quadragesimæ, audeat equestria prælia, concursationes, ludos, aliaue profana spectacula cuiuscumque generis peragere, aut alijs infra annum dominicis, festisue diebus; quo tempore, in Metropolitana Ecclesia nostra, diuina officia celebrantur; sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ipso facto incurrendæ, tam ab his qui huiusmodi pugnas, excursiones, aut spectacula ipsi peregerint, quam qui illorum, quoquo modo, auctores extiterint; cuius quidem excommunicationis absolutionem, nobis tantum reseruamus; sub pœna insuper interdicti ab ingressu Ecclesiæ, ab ijs incurrendi, qui quacunque ratione, scienter ad hæc fuerint cooperati, astiterint, aut spectatores fuerint eorum, siue viri fuerint, siue feminæ.

Firmis præterea ac in suo robore permanentibus omnibus alijs decretis, Edictis, aut pœnis, alias iussu nostro publicatis, super obseruatione sanctæ quadragesimæ, sacrarumque dominicarum ac festarum dierum,

In cuius rei fidem, hoc edictum nostrum, manu nostra signatum nostrique Vicecancellarij subscriptione, sigilloque nostro Archiepiscopali sancti Ambrosij munitum, Basilicæ nostræ Metropolitanæ, ædiumque Archiepiscopalium valuis publice proponi atque affigi mandauimus. Datum Mediolani in ædibus Archiepiscopalibus die 7. Martij 1579.

MONITVM.

Ne quidpiam ematur vendaturve, diebus festis.

Carolus Cardinalis Archiepiscopus.

REuerende Paroche, Nosti præscriptis iam decretis nostris & publicatis, super obseruatione festorum, prohibitas esse emptiones ac venditiones quarumcumque rerum, ijs duntaxat exceptis, quæ ad humanum illius tantum diei victum necessariæ sunt, quæ tamen publice non exponerentur, & non nisi determinatis horis venundari possent, clausis omnino officinis, ostiolo solùm patente; quæ tamen admodum negligi perspiciuntur, plurimis apertas exhibentibus officinas, alijs etiam pullos, fructus, aliaue id genus vendentibus etiam per vicos & plateas, sicut & cæteris diebus citra discrimē, publico scandalo, prauoque exemplo, quod reliquis huiusce prouinciæ ciuitatibus præbetur, non absque religiosæ huius ciuitatis infamia: quod in ipsa tolerentur huiusmodi delicta tam euidente cum offensa diuinæ Maiestatis, tantoque animarum detrimento; quod vice sanctificationis festorum per pietatis, ac religiosi cultus opera, venditionibus emptionibusue homines occupentur, & in mendacia sæpe & periuria, auaritiæ ac cupiditatis æstu abripiantur.

Quapropter, pro demandati nobis officij cura, satagentes, in delinquentes pœnas præscriptas executioni mandari; eas præsertim, quæ continentur in edicto ab anno 1574. voluimus primùm vobis præcipere (vti præsentibus re ipsa præcipimus) vt paterno officio non deficientes, populum vestrum hortemini, obsecrantes quemlibet in visceribus Iesu Christi, vt ad debiti cultus obseruantiam diebus festis se accingant, abstineant ab omni opere profano secundum præfata edicta, pro viribus omnes edocentes, quantùm quisque teneatur ad vtilem huius sacri temporis decursum in Christianæ pietatis operibus, & religionis exercitatione; quantique id Christianæ vitæ moribus animarumque saluti conducat.

Certum facientes vnumquemque processurum iri contra delinquentes inflictione prædictarum pœnarum vsque ad excommunicationem, si minoribus paruipensis emendati non resipuerint. Monete vero, non vendentes modò, verum etiam ementes, censeri festorum violatores; quippe qui peccato cooperantur eorum, atque adeo participes eius: quare quisquis ea, quæ sunt vsui suo necessaria, pridie festi sibi comparet, exceptis minutioribus quibusdam reculis, quarum venditionem certis locis primo mane permittimus edicto nostro.

Monebitis pariter omnes qualiter debeant in Ecclesia conuersari, cum modestia debita & honestate, iuxta edictum super hoc latum eodem anno 1574. denūtiantes omnibus, nō fore tolerandas in posterum vllo modo fœminas, cuiuscumqe status & conditionis fuerint, Ecclesias ingredi, aut in illis permanere (etsi regularium illæ sint) sine velo aut alterius generis amictu, caput integrum operiente, iuxta præscriptum edicti præcitati. Easque sine alia monitione interdictas esse declarabitis, quæ in Ecclesijs vestris, contra hæc sancita, deliquerint; ad quam pariter declarationē per nos aut vicarios procedetur, etiam ex officio, contra eas quæ circa hæc deliquisse comperientur, etiam si in regularium Ecclesijs. Dat. Mediolani ex ædibus archiepiscopalibus. die 11. mensis Nouembris 1581.

MONITVM.

Ne vllus personatus incedat, aut laruationes exerceat diebus festis.

Carolus S. R. E. Cardinalis tit. S. Praxedis, Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus S. Ecclesiæ Mediolanensis.

MAgno animi nostri dolore conspicimus, post tot à nobis monita publicata, edicta specialia, prouincialia decreta super obseruatione festorum, adiectis etiam varijs pœnis ac censuris Ecclesiasticis, non absistere inquieti quosdam animi, disciplinæ Ecclesiasticæ peruersores, à violandis nihilominus sacris his diebus multifariam; personatos diuagantes per vrbem, suique spectaculum exhibentes, à Christianis moribus adeò alienum, quo semet aliosque auocant ab officiorum diuinorum cultu, piis lectionibus, concionibus sacris, scholarum doctrinæ christianæ conuentibus, stationibus sanctis, indulgentiarū adeptione, visitatione templorum & piorum locorum, alijsque pietatis exercitiis, quibus decet religiosis hisce diebus intendere populum christianum.

Quamobrem Dei sanctorúmque gloriæ zelo permoti, ac paterna charitate qua omnes complectimur in visceribus Christi, cupientes huiusce mali præcludere aditum, & perniciem præpedire ne serpat vlterius, nulli parcere diligentiæ statuentes, qua possint & animarum remoueri damna, & scandala, quæ plurima inde nascuntur extingui, vt omnis ambigendi prætextus obstruatur, num talia peragentes, prædictis edictis nostris obstringantur: Monemus vnumquemque, vt sibi caueat à violatione festorum omnibus modis, seu ludis, laruationibus, spectaculis, aut profanis id genus exercitiis, olim explicatis & prohibitis in Prouincialibus Concilijs, Edictisque nostris, secus aduersùs eos procedetur, declaratione inflictionéque pœnarum illis contentarum, aliarúmq; ad arbitrium nostrum addendarum, vt opus esse visum erit.

Mandamus insuper hæc monita publicari & perlegi in Metropolitana basilica nostra iuxta morem, & à Parochis omnibus huius ciuitatis intra Missarum solennia legi, ac consuetis locis affixa palam exponi.

Volumus quoque, à diœcesanis Parochis, in sua cuiusq; Ecclesia, pariter publicè legi intra Missarū solēnia, statim ac ad ipsos peruenerint.

In cuius fidem has manu nostra signatas, subscriptione etiam Cancellarii nostri Archiepiscopalis, & sigillo sancti Ambrosii Patroni communiri voluimus. Dat. Mediolani ex ædib⁹ nostris Archiepiscopalib⁹. Die 27. Ianuarij 1582.

Carolus Cardinalis sanctæ Praxedis Archiepiscopus.

EDICTVM.

De modo deuotè reuerenterque in Ecclesiis conuersandi.

Carolus Cardinalis Borromeus Archiepiscopus Mediolani.

PIe statuit, in Concilio Lugdunensi, Gregorius Decimus Pontifex maximus, vt fideles humiliter ac deuote Ecclesiã ingrediantur, eorumq; in ea cõuersatio, quieta, Deo grata, iisque, quos contigerit spectatores adesse, non ad doctrinam solùm prosit, verùm etiam ad ædificationis exemplum.

In Ecclesiis nulla prorsus habeantur consilia, vel publicæ vniuersitatum, aut societatum parlamenta vel collationes. Hinc absint vana, multoque magis profana aut obscœna colloquia. Cuiuscumque pariter generis ibi cessent confabulationes; procul demum ab ipsis Ecclesiis amoueatur, quicquid aut diuina potest officia perturbare, aut offensam speculantibus Diuinæ Majestatis oculis possit inferre, vt vbi debet à Deo delictorum venia postulari, ibi peccandi præbeatur occasio, aut quisquam in delictis occupetur.

Post hæc, ordinariis mandat, vt horum exactam procurent obseruationem, etiamnum Ecclesiasticis censuris, huius canonis auctoritate, cohibentes à suprà prohibitis; & alia quædam super his postea subdit.

Eiusdem reuerentiæ, dignitatis, ac decoris domus Dei, sacrarũque, quæ peraguntur in illa, rerum sollicitudine moti, sanctæ Tridentinæ Synodi Patres, Episcopis omnibus & locorum ordinariis mandant, vt sacra Missarum mysteria celebrari non ferant, donec astãtes in eum corporis habitũ compositi sint, qui manifeste eos adesse probet, non sola corporis, sed mentis etiam præsentia, cum deuoto cordis affectu.

Præcipiunt insuper amoliri prorsus, ab ædibus sacris, vana quæque colloquia, profanos sermones, deambulationes, strepitus, turbas, omnem secularem actum, ita vt reuera templum, domus Dei & orationis valeat nũcupari.

Eosdem demum Episcopos hortantur, vt auctoritate sibi à Concilio data, etiam vt delegati Sanctæ sedis Apostolicæ, prohibeãt, iubeãt, corrigant ordinẽt, non solum superius adducta, verum insuper, quæcumque ad sancti Missæ sacrificii reuerentem cultũ conducere perspexerint, & Diuinorũ officiorũ, Ecclesiarumque decorem: cogendo etiam per censuras Ecclesiasticas, aliasve pœnas, ab ipsis statuendas ad arbitrium, populum christianum, ad inuiolatam obseruationem eorum quæ super his seruanda decreuerint aut mandarint quacumque consuetudine non obstante.

Cupiens quoque Pius quintus, fælicis recordationis, Pontifex Maximus, prædicta concilia plenam executionẽ sortiri, statim à suã in Pontificem assumptione hæc cum primis sanciuit, Apostolicis literis ad Episcopos datis, 1. Die Aprilis 1566. Gregorij Decimi constitutionem innouans, vt fidelis populus Ecclesiam ingrediatur humiliter ac deuote, ibi sileat & attẽte vacet orationi, omnes flexis genibus, humani procumbẽtes, sanctissimũ Sacramentum adorent, cessent ibi obscœna, vana, profana colloquia, & quicquid possit scandalo esse aut interuertere Diuina officia.

Ordinariis mandat vt hæc integrè in suis ciuitatibus ac diœcesibus faciant obseruari.

Varias insuper pœnas in eos decernit, qui cõtra hæc fecerint, in eosque præsertim, qui scurrilibus in Ecclesia sermonibus vacarint, aut obscœna vsurpauerint verba, vel signa, aut actum vllum impurum ediderint. Diuersimodam demum adhibet diligentiam ad eundem finẽ, qua sanctæ in Ecclesiis conuersationi prospicitur.

Nos in præsentiarũ tum pro ea, quam summorum Põtificum, sacrorumq; Conciliorũ Constitutionibus debemus, obedientia, cum pro Pastoralis officii nostri cura, in re tam proxime ad Dei cultum honoremve attinente, decreuimus omnimodam præfatarum cõstitutionũ, simul & decretorũ prouincialiũ Synodorũ nostrarũ executionem curare pro viribus: Eaque præsertim amoliri, quæ in grauẽ & publicã Dei offensam vergũt, hacque in ciuitate patrantur, praua in Ecclesiis sacrisque aliis locis cõuersatione; ad sanctas quoque processiones ibique præsertim copiosius vbi frequentior est populi cõuentus, in illis videlicet ædibus sacris quæ peragendæ destinantur quadraginta horarum orationi, in quibus vrbis Romę stationum exponuntur indulgentię, aut spiritualis alicuius doni largitas impertitur, Titularis patroni festum, aut solennè aliquod aliud celebratur.

Quorum plane peccatorum cumulus ita procectus ad summũ est, vt magno nos timore percellat iræ Dei, ne in hãc ciuitatẽ duri alicui⁹ flagelli seueritate animaduertat, nisi prõpti remedii adhibitã ope, vera emendatio subsequatur.

Pręterquã quod, sacrũ Dominici aduẽtus tempus, quod auspicamur, & ipsa iam instantis anni sancti celebritas maioribus nos stimulis vrgent, ad admouendã huiusmodi facinoribus sine cũctatione medicinã; efficiendumque vt festa & sanctorum memoriæ ab omnibus (iuxta Conc: Trid. decreta) piè sanctéque celebrẽtur; deuotæ quoque personæ dũ indulgẽtiis, stationibus aut donis aliis spiritualibus participaturæ, Ecclesiarum & reliquiarũ obeũt visitationes, processiones peragũt, saltem sint ab iis immunes impedimentis, quæ solent ab iis pati, quos, Dei timore vacuos in suam ipsorum perniciem animæque iacturam, deditos huiusmodi dissolutionibus, offendunt crebriùs.

Ideo nos auctoritate nostra ordinaria; ea etiam, quæ nobis à prędictis concilijs tribuitur, etiam vt SS. sedis Apostolicæ delegati, hoc edicto nostro, pro prima, secunda, tertia & peremptoria monitione, præcipimus singulis, cuiuscumque gradus, status, conditionisve fuerint, infra scripta sub pœnarum ad arbitrium nostrum inflictione, etiam vsque ad interdictum ab ingressu Ecclesiæ inclusiuè, excommunicationis etiam in subsidium, aliarum quoque, sacris canonibus, summorúmque Pontificum constitutionibus comprehensarum iuxta culpæ qualitatem ac contumaciam cuiuscumque.

Nemo laicus clericorum siue regularium, siue sæcularium chorum ingrediatur, aut in eo permaneat dum diuina celebrantur officia vel cantantur.

Nemo audeat, in huius nostræ ciuitatis aut diœcesis Ecclesiis, tam regularibus, quàm sæcularibus, vllo tempore deambulare.

Nemo item stare, cum aliorum glomerata, aut in circulum collecta multitudine, nisi sacratum concionum, lectionum, ac Ecclesiasticorum actuum causa.

Ne quis altari vllo, lustralis aquæ vasi, aut sacro baptismatis fonti nixus adhæreat vel incumbat.

Ne quis obuerso altari dorso sedeat, aut alibi maneat immodestè, vultu ad mulierum conspectum verso.

Ne quis murmur aut strepitum edat, aut quocumque modo diuina perturbet officia.

Nemo actu vllo, adspectu, verbo, vel signo impudico vtatur erga vllam mulierem, quamuis luxuriosam aut veneream.

Ne quis colloquatur, aut agat de obscœnis, profanis vel sæcularibus negotiis.

Neque prædictarum rerum gratiâ, quis maneat ad valuas vllius Ecclesiæ, in qua stationũ, indulgentiarum, orationis 40. horarum, titularis festi causâ frequentia populi congregatur.

Nulla mulier cuiuscumque gradus, status, aut conditionis fuerit, Ecclesiam ingrediatur in eauè maneat, aut sacros comitetur processionum ordines, nisi velato capite serico, tela, vel alio quouis panno minime transparente; ita vt omnino capilli omnes operti lateant.

Nemo in ianuarum limine maneat, visurus aut auditurus Missam, vel diuina officia, nisi forte, præ loci angustia, cunctos capere non posset Ecclesia.

Ne quis ingrediatur Ecclesiam venaticos canes ducens, accipitres, aut id genus volucres ferens, sclopis, balistis, aut hastis munitus, exceptis dumtaxat magistratuum vel principum satellitibus & apparitoribus.

Ne quis huiusmodi arma ianuis Ecclesiæ vel muris, fulturus, admoueat, neque in cæmeteriis aut atriis Ecclesiæ vllis apponat.

In Ecclesiis, in quibus sepositus mulierum locus destinabitur à virorum consortio, nemo virorum adeat fœminis attributum, neque mulier ad illum qui viris assignatus est, audeat accedere. Nullus ad altare accedat, vel in gradibus eius moretur, dum Missarum mysteria peraguntur: verùm sacerdos antequàm inchoet inde amoueat omnes, dumque ille celebrat, idem præstet clericus qui ministrat.

Missis autem intersint omnes viri cappa, mantello, pallio aut alio quouis, pro more locorum, exteriore amictu decenter corpus operti: exceptis, quos paupertas his carere coegerit.

In cæteris quoque (iuxta Tridentini decretum) toto corporis habitu sic componantur, vt tanto sacrificio, non corpore tantùm adeo innotescant, verùm etiam mente & cum deuoto mentis affectu.

Integræ Missæ intersint capite aperto, ambobus genibus humi flexis, dempto lectionis Euãgelij tempore, quo omnes surgant & in pedes erecti stent, tuncque nemini liceat, ne quidem mulieribus, sedere.

A Missa ne discedant, nisi post eam, quæ à sacerdote fit in fine, benedictionem, & recitari solitum Euangelium integrum absoluatur.

Pauperes mendicantes, aut alij quilibet, à quacumque etiam schola, xenodochio, societate, aut alio loco pio destinati, per Ecclesiam ne discursent, sed ad valuas se sistant, stipem rogatam collecturi.

In Ecclesijs earumque cæmeterijs aut atrijs ne profanæ res agantur vel lites, ne sententiæ tam ciuiles quàm criminales ferantur, ne contractus cuiuscumque generis fiant vel exactiones, neque habeantur publica parlamenta, sindicatus, consilia, subhastationum clamores, aliudue profanum negotium.

Ne res vllæ venales ibi habeantur, etiam ob pias causas, exceptis tantùm candelis & cereis ad oblationes, aut quædam similia, ad diuinum cultum spectantia.

Nullus in Ecclesiis recondat aut recondita seruet frumenta, ligna, aut quidpiam aliud profanum & indecorum.

Ne quis aqualiculum exoneret in ecclesiis, aut vllum sordium genus mittat, neque circum earum muros, nec in atrijs, aut cemeterijs.

Dum sacræ peraguntur processiones vbi præsertim defertur SS. Sacramentum, quo vel indulgentiarum, concionum, festi titularis, aut alia pia causa concurrit frequentia populorum, maneant omnes in ecclesijs, vel procedant, qua par est, reuerentia, & decorè tam SS. ac religiosas actiones præstare curent, studiosè obseruantes quicquid, hac in parte, in concilijs nostris prouincialibus constitutum est.

In processionibus litaniarum & alijs quibuscumque, ne quis esculentũ quidpiam, poculentumve secum ferat, aut, qua transeundũ est, exponat vænale, suo vel aliorũ vsui cõsumendum.

Præcipimus quoque omnibus capitulis, rectoribus, vicarijs, sacristis, ostiarijs, alijsque custodibus Ecclesiæ, Metropolitanæ, Collegiatarum & Parochialium vt præfatos in Ecclesia delinquentes moneant, & impediant ne prohibita superius patiantur, nosque saltem huiusmodi commissorum certos faciant vel officiales nostros; quod officium si negligere fuerint deprehensi, duorum nummorum pro prima vice mulctam ferent iuxta præcitatam Bullam Pij V. fœlicis recordationis.

Monemus pariter Religiosos siue regulares, mandati sibi facti in virtute S. obedientiæ, per dictam bullam, deputandi aliquem, qui præfatos delinquentes in suis Ecclesiis moneat, & prohibitorum in illis admissionem impediat, perpetrantes expellendo; quos si se negligentes hac in re præstiterint, vult grauissime ab ordinarijs increpari, & parere recusantes incurrere grauissimas pœnas in bulla contentas.

Illos itaque monemus, & in visceribus Christi rogamus, vt ob Dei cultum ac honorem ad executionem præcitati Concil. Trid. Bulleque Pij V. & aliarum ab eodem fœlicis record. Pontificis editarum 27. Iunij 1566. ad calcem primi Concilij nostri Prouincialis adiectarum: curent prædicta exactissimè in suis Ecclesijs obseruari.

In quorum fidem mandauimus hoc Edictum manu nostra subscriptum & Cancellarij curiæ nostræ Archiepiscopalis, publicè exponi ac affigi ad valuas Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, & Palatij Archiepiscopalis; volu-

mus autem hanc affixionem eandem vim obtinere ac si fuisset singulis peculiariter intimatum, notificatũ ac præsentatum. Dat. in Palatio nostro Archiepiscopali 13. Nouembris. 1574.

EDICTVM.

De modo adeundi Ecclesiam Dominæ nostræ ad S. Celsi & alias quaslibet Indulgentiarum causâ, stationum, orationum, &c.

Carolus S. R. E. Presbyter Card. Tit. S. Praxedis, Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus S. Ecclesiæ Mediolanensis.

NOn possumus citra graue damnum conscientiæ nostræ, citraque periculum nouæ cuiusdam cladis ab ira Dei huic populo imminentis, publicas eius offensas erga Maiestatem diuinam manifestasque earum occasiones dissimulando tolerare, easque multo minus quæ manifestè cum grauissima diuini cultus iniuria coniunctæ sunt, cuiusmodi sunt irreuerentiæ ac violationes locorum sacrorum, ac dierum, & numquam sat æstimandi Indulgentiarum Thesauri, quo Christus Dominus noster, pretiosi sanguinis sui in sancta cruce fusi, meritis, laboribus, passionibus mortéque seruorum & amicorum suorum charissimam sponsam suam ditauit ecclesiã, & medijs suis in terra vicarijs huic ciuitati ac populo liberalissimã portionẽ largitur.

Hinc est quòd non mediocriter doleamus, ipsis oculis probantes ingratè nimis perdurare, immo augescere in dies hac in ciuitate circa hæc sacra, publica scandala atque peccata, hoc tempore præsertim, quo plaga recens præteritæ pestis, ad cohibendos quoque eos, qui Dei timoris prorsus exortes, nulla mouebantur propriæ salutis cura, sufficiens fore videbatur, eo magis in vniuersalius populi scandalum, & manifestam peccandi pluribus occasionem vergunt, quo in cultioribus vrbis partibus, plebisque maiore frequentia celebrioribus admittuntur: neque fieri possunt hæc amplius, sine aperto contemptu constitutionum summorum Pontificum, sacrorum canonum, sacri demũ Concil. Trid. Synodorũ nostrarum aliorumq; super his editorũ à nobis edictorum.

Aduertentes itaque neque superius edictum nostrum, neque alia officia, quæ infinitis prope vicibus adhibuimus, cum litteris crebris tum viua voce & ipsi per nos, & Parochorum, prædicatorum, ministrorum cæterorum ope, priuatim & publicè coram populo, ipsoque etiam magistratu ciuitatis, fecisse, ad scandalorum huiusmodi, publicorumve peccatorum medelam: statuimus efficaciori quodam remedio obuiam ire, antequam his, quasi coacta malis diuina iustitia deseuiens, tam atroces culpas, in plebem vniuersæ cladis immissione, corripiat, vti videtur nuper pestiferi morbi grassatione cepisse.

In primis ergo renouamus edictum 13 Nouembris 1574. super conuersatione fidelium in ecclesijs publicatũ: mandamusq; illud ab omnibus Parochis, intra Missarũ solemnia, publicè iteratò perlegi, vna cũ hoc secũdo, & ab omnibus ad quos spectabit integerrimè obseruari.

Deinde nos pro officio nostro, auctoritate nobis quocumque modo concessa, sacris canonibus, Pontificum constitutionibus, Concilio præsertim Trident. etiam vt sedis Apostolicæ delegatis, hoc nostro. Edicto pro prima, secunda, tertiaue monitione peremptoria, præcipim⁹, vt infra, in virtute sanctę obedieñtie, sub pœnis ad arbitrium nostrum, etiam interdicti ab Ecclesia inclusiue, etiam excommunicationis in subsidium, alijsue incurrendis, declarandis, ac infligendis, vt videbitur, habita qualitatis culpæ ratione vel contumaciæ delinquentis.

Nullus homo cuiuscumque status, gradus aut conditionis, ab hora media post signum, Maiore Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ campana datum, vsque ad meridiem; nulla vero fœmina, à meridie ad vesperum, adeat Ecclesiam dominæ nostræ ad Sancti Celsi, neque aliam quancumque Ciuitatis, in qua sint indulgentiæ plenariæ, Vrbis Romæ stationes, titularis festum, vel quacumque alia de causa frequens conueniat populi cœtus.

Ne quis etiam homo aut quæ femina, ad consuetam 40. horarum orationem pergat, horis superius à nobis respectiue prohibitis, nisi iuxta ordinem distributionis per deputatos ad hæc, fuerit aduocatus.

Ne ad Ecclesias, vbi erunt, orationum, indulgentiarum, stationum, ac festiuitatũ causã cõcursus, alio modo pergant fęminæ quã pedites etiam mane, siue in toto itinere, siue in parte.

Eximimus autem ab his personas quæ grauis infirmitatis, indispositionis, prægnantiæ vteri, aut aliarum causã facultatem à nobis in scriptis obtinuerint aliter, vel alio tempore adeundi; cuius quidem licentiæ nisi præscriptum modum obseruauerint, irritam fore decernimus ac nullam, obtentam facultatem, atque adeo eas statutis fore pœnis obnoxias.

Excipimus quoque ruricolas quibus licere volumus quocumque velint tempore omnem adire Ecclesiam præfatis de causis; cuiuscumque item Parochiæ incolæ possint propriam semper Ecclesiam conuenire, processionibus quoque, quas à Parochiæ suæ vicinia fieri contigerit, interesse, iuxta processionalis ritus ordinem, ita vt fæminæ à viris separatim procedant. omni vero populo liberum erit, semper matricem aliarum Ecclesiam, seu Metropolitanam adire & aliam quamcumque sacrarum lectionum, verbique Dei gratiâ audiendi.

Excipi quoque declaramus seruos, nobilium asseclas fæminarum, quibus liberum erit, dominas suas sectari, horis etiam quæ maribus prohibentur.

Reseruamus præterea, reseruataque nobis declaramus omnia peccata mortalia, quæ verbis, nutibus, alijsue lasciuiæ actibus patrabuntur ab hac die in futura tempora, in ciuitate vel diœcesi nostra ab maribus vel fęminis in Ecclesijs, locisue sacris, in vijs quoque publicis etiam è fenestris, officinarum aut domorum ianuis, existentium illic fæminarum occasione aut transeuntium, dum reuertuntur aut adeunt Ecclesias pietatis causa vt suprà: quoad hos vero casus nunc nobis reseruatos reuocamus ab-

soluendi facultatem cuicumque confessario antehac datam; mandamus autem cuicumque sacerdoti, sæculari vel regulari, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne inposterum eos qui hos in casus impegerint absoluant, sine facultate à nobis, aut Reuerendo ordinario metropolitanę Ecclesię nostræ pœnitētiario, in scriptis post huius edicti publicationem obtinenda; postquam fuerit ipsis in casibus huiusmodi absoluendi concessa facultas, ne absolutionis beneficium impertiant, contra sacrorum canonum dispositiones, decreta Concilij Tridentini, & Prouincialium nostrorum & indicem nostrum casuum reseruatorum iam publicatum, illis qui publice ac notoriè in his peccauerint, nisi publica pœnitentia satisfactione præcesserit.

Hoc nostrum Edictum omnemve eius dispositionem ac tenorem, plenam vim volumus obtinere, donec de vera certi emendatione, scriptis prouidendum esse aliter censeamus.

Admonemus deinde hortamur, & obsecramus per misericordiam, Dei, tam mares quàm fœminas, vt extra horas sibi à nobis superius distinctè prohibitas, frequentes sint in Ecclesijs inuisendis, Deoque precando, vbi indulgentiæ, fuerint, stationes, orationes, aut alia pietatis exercitamenta.

Vt quisque eundo aut reuertendo, vana deuitet colloquia, & quicquid pietati indulgentiæque, cui lucrandæ dat operam, minime cōgruit, aut Diuinæ Maiestatis offensæ proximum est.

Vt mulier omnis cuiuscumque gradus aut conditionis deuotionis ergo processura, omnem vestitus cultusque inanem luxum deponat, & incedat qua decet christiana modestia in habitu sancto ac humili.

Quoad capitis autem velamen, vt totum omnino tegatur, secundum edictum à nobis, de sancta in Ecclesijs conuersatione, specialiter editum, ita se gerant, vt infligendarum ipsis contentarum in eo pœnarum locus non sit, quod planè præstabimus, mandauimusque vicarijs ministrisque nostris sine cunctatione executioni mandari; quandoquidem in aliquibus, etiam post tantam sollicitudinem nostram indurata adhuc contumacia & inobedientia perseuerat.

In quarum rerum fidem hoc nostrum edictū sigillo Archiepiscopali S. Ambrosij muniri, subscriptioneque Reuerendi ordinarij Cancellarij nostræ Ecclesiæ Mediol. signari, idemque Basilicæ nostræ valuis affigi & ab vnoquoque Parocho legi & promulgari mandauimus. Dat. Mediol. die 8. Martij. 1578.

EDICTVM.

Super obseruatione quadragesimæ secundum praxim decretorum Concil. Trid. & Prouincialium Synodorum.

Carolus S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. S. Praxedis, Archiepiscopus sanctæ Ecclesiæ Mediolanensis.

Omne quidem tempus & singula quæque dies Dei erga nos beneficentiam commendat, nec vlla decurrit anni portio, sacro aliquo mysterio vacuā, vt gratias Deo iuges agamus, qui iugiter fructus aliquos eius bonitatis accipimus: cum verò ad eos attingimus dies, qui Redemptionis nostræ mysteriorum illustriore celebritate clarescunt; sollicitiore debemus incumbere cura, in virtutum christianæque disciplinæ exercitationem, vt, quemadmodum ipsa per se sunt augustiora mysteria, sic & solitis actibus pietatis studeamus ad ea vberiores afferre prouentus.

Itaque si temporis cuiusque solennitas, & à pastore sollicitudinem, & à populis obseruantiam mysterio congruam exigit; id potissimùm videtur sibi sacrum tempus quadragesimæ vindicare.

Quadragesimale ieiunium fuit a Christo Domino consecratum, ab Apostolis commendatum, perpetuoque in sancta Dei Ecclesia ab Apostolicis vsque temporibus obseruatum.

Tempus hoc, est ipsius vniuersi temporis decima quædam, quam, cum operum bonorum copiosiore diligentia, debemus Deo persoluere.

Tempus hoc est, quod plenum mysterijs non sine causa immediatè præmittitur Paschatis maximæ celebritati, per quam, ait SS. Pontifex Leo, omnis in Ecclesia solennitatis dignitas consecratur, ita vt nos prouocet ad ampliores vitæ spiritualis progressus; quapropter ad huius temporis obseruationem olim tam studiose christianus populus se parabat.

Ante ipsum quadragesimæ initium, hebdomadâ vnâ frequens ad Ecclesiam conueniebat, sordes mentis criminum confessione deleturus, imponendasque pœnitentias accepturus; singulis quadragesimæ dominicis diebu, sacra participabat sinaxi: quidam quadragesimales dies ieiunio transigebant pane solo & aqua vescentes, alij herbarum tantùm ac leguminum esu, nonnulli etiam siccis solummodo cibis ijsque parcissimè vtebantur.

Vacabat quisque sedulius his diebus morum suorum emendationi, odiorum inimicitiarumue extirpationi, conciliandæ cum omnibus paci, comprimendæ carnis petulantiæ, eique cilicijs, flagellis, caomenijs siue humi cubationibus edomandæ.

Quapropter nos, qui vos in Domini dilectione complectimur, pro Pastoralis officij munere, huius sacri temporis olim tam deuotis operibus celebris consideratione permoti, cupientes vt tam religiosi dies obseruantia accuratiore colantur, sacri etiam Conc. Tridentini., & nostrorū Prouincialium decreta executioni mandantes, hoc edicto voluimus aliqua statuere ac mandare quibus delictis occurratur, & aliquorum monere, quorum magna ex parte monet ipse Pater ac tutelaris noster S. Ambrosius, vt huiusmodi commonitionibus vnumquemque ad piarum consuetudinum morumque sanctorum cultum renouandum cohortemur, qui penès eundem hunc populum vigebat.

In primis ergo præsentis Edicti virtute, iuxta decretum Conc. Prouinc. 5. infra scripta præcipimus, in nostra ciuitate ac diœcesi inuiolabiliter obseruanda.

Nemo cuiuscumque gradus, status aut

conditionis, intra quadragesimam (quæ incipit secundum Ecclesiæ nostræ ritus à dominica in capite quadragesimæ nuncupata) carnibus vescatur, cuiuscumque generis, neque ouis, butiro, lacte, caseo, alioue cibo prohibito tempore quadragesimali.

Omnes pro debito generali seruandi ieiunij sub pœna lethalis culpæ ieiunent singulis quadragesimæ diebus, dominicis tantùm exceptis; immunes autem erunt, quos ætatis longæuæ ratio exemerit à vinculo legis ieiunij.

Ne passim, sine discrimine, vænales vbicumque cibi vetiti exponantur in infirmorum vsus; sed certis tantummodo locis ad id designatis; designamus autem Mediolani locum qui vulgò *tanaglia* dicitur prope Emporium quod *Vezzerum* appellant, per vniuersam vero diœcesim peculiaris locus pariter deputetur: quoad carnis autem venditionem huiusmodi loci restrictio incipit à die veneris, primam quadragesimæ diem proximè præcedente.

Ne prohibitæ ciborum species, omnino palam apertis væneant offitinis, sed maiori ex parte clausis.

Ne foris exponantur vænales in vijs aut plateis, etiam à ruricolis ac villanis, alijsve cuiusuis generis hominibus.

Non liceat omnibus cibos vetitos vendere, sed illi tantum possint in ciuitate qui à Vicario nostro generali habeant licentiam in scriptis, per diœcesim autem à vicario foraneo.

Ne omnis carnium species vendatur, sed vitulina tantùm, aut eius generis animantum, quæ medicorum iudicio, infirmorum vsibus aptæ censentur.

Ne pariter cuicumque emere volenti vendantur, sed illis tantùm qui habuerint à deputatis ad hoc facultatem vt infrà.

Quæ licentia, nisi præscripti temporis spatio fuerit limitata, cessare prorsus tum intelligatur, cùm cessat ea causa, propter quam est concessa.

Perseuerante autem, vltra dies decem, concessionis causa, denuo petatur prædicta facultas; secus ipso facto extincta nullaque esse intelligatur.

Quæ quidem facultatis petitio, in dies iteretur, saltem post decimum quemque, donec opus fuerit.

Ne hospitiorum præfecti, & Tabernarum alijue vlli qui domo aliquos excipiunt, prandia præbent, aut cubicula locant, seruare audeant, vendere, aut mensis apponere extraneis, peregrinis, alijsue hospitibus, carnes, oua, lacticinia, vel vllum cibi vetiti genus, nisi obtinuerint in scriptis facultatem à Vicario nostro generali in ciuitate, per reliquam verò diœcesim, à vicario foraneo.

Ne prædictos etiam cibos, ab alijs emptos, aut aliunde à quoquam delatos coquant, condiant, aut alio quouis modo parent.

Ne paratos quoque, conditos coctosue permittant à suis hospitibus vel alijs manducari, domi suæ, in hospitio, mansione, locato cubiculo, alioue loco curæ suæ subdito, citra specialem, vt suprà, licentiam.

Hæc omnia prædicta mandamus ac præcipimus, sub pœna mulctæ pijs locis applicandæ, pœnitentiarum, ac censurarum à sacris canonibus, concilijs, Apostolicis constitutionibus indictarum in sanctæ quadragesimæ violatores, aliarum quoque, etiam vsque ad interdictum ab ingressu Ecclesiæ inclusiue, ac excommunicationis in subsidium, pro arbitrio nostro, secundum grauitatem culpæ cuiuslibet delinquentis.

Hortamur deinde ac monemus quemlibet ad infra scriptarum rerum obseruationem, quarum hunc populum alias, partim Ambrosius ipse SS. Pastor Patronusque eius, alijque SS Patres monuerunt, partim nos ipsi, in concilijs nostris Prouincialibus, impensius vero in synodis diœcesanis, quarum recordatio & praxis, potest subditas pastorali curę nostræ plebes, ad maiorem spiritualis progressus, salutisque suæ amplitudinem. promouere.

Curet quicumque hoc sacro quadragesimali tempore, ad seueriorem se disciplinam coercere, sanctisque institutis ac moribus, huic congruis, sese componere.

Sericas vestes nimiJque sumptus abdicet, & apto pœnitentiæ ieiunijque tempori habitu vestiatur.

Deponantur, prorsusque abijciantur inimicitiæ omnes, odia, rixæ, rancores, & pax cum omnibus habeatur.

Studeat Christianus carnis cohibere appetitus, non abstinentia solùm ac ieiunijs, sed flagellorum cilicijque compescat vsibus accersitis.

Qui matrimonij vinculo sunt adstricti, nisi tota quadragesima iuxta prisci canonis monitum, diebus saltem dominicis, à copula, communi consensu abstineant, vti pie hortatur SS. Pontifex Nicolaus primus.

Decet quidem omni tempore Christianum scurrilibus inanibusque sermonibus abstinere, verum quadragesimæ tempore debet eò studiosius deuitare, quò frequentius conuenit eum feruentiusque sanctis orationibus, ieiunijs, alijsque pœnitentiæ operibus occupari.

Delicias itaque fugiet, superfluas vanasque confabulationes, multoque satius obscœnas, quęque possint scandalo fore.

Abstineat quoq; à venationibus quadragesimæ tempore, secundum illius Sancti Pontificis monitum, quo quia carnes edere non licet, nec decet addictum esse venatui.

Delicias, in ipsis quoque quadragesimalibus cibis, ne exquirat, ne que opipara ciborum varietate ac lautitia, mensam suam oneret.

Caueat ne dum dominicis diebus, conuiuia celebret, monente eodem Pontifice.

Prætei solitum, assidue magis orationibus vacet, in amaritudiue animæ, propria alienaque deflens peccata.

Eleemosynam liberalius impertiat pro facultate substantiæ suæ, diues præsertim secundum monitum Sancti Augustini, quod consuetis subtrahit expensis, id Christi pauperibus largiatur; frequentius sacras ædes adibit, officijs diuinis intererit, precesque fundet, attenteque meditationibus sanctis incumbet.

Diebus singulis adesse curet sacrosancto Missæ sacrificio.

Audiendo Dei verbo & pijs concionibus,

diligenter conueniat officinamque habeat clausam, hora, qua sermo sacer solet haberi.

Laudatissima illa seruetur consuetudo, ne tribunalium fores pandantur matutino tempore, donec diuini verbi prædicatio fuerit absoluta.

Lectores professoresue publici, scholares suos ad conciones sacras perducant.

Qui alio tempore soliti sunt in villis morari, quadragesimali tempore curent ad ciuitatem sese recipere, vel ad oppida terrasue præcipuas regionis suæ, quo valeant & auditioni prædicationum, & diuinis officijs adesse ac reliquis pietatis operibus, exercitijsve spiritualibus, quæ sacrum hoc tempus exigit, operam dare.

Monemus insuper infirmos (vti alias in concilio nostro prouinciali decreuimus) vt indulta sibi in scriptis facultate vescendi in quadragesima carne, ouis, butiro & id generis alio cibo parcè vtantur, & cum christiana pietate, ne publicè neque coram domesticis suis omnibus, hæc vetita manducent; sed in seposito secretoque loco; dolentes quod hac vti coacti immunitate, nequeant vnà cum reliquo populo Christiano, sancti Ieiunij leges implere.

Medici quoque meminerint, ita suarum esse partium, corporis incolumitati prospicere; vt ne obliuiscantur potiorem haberi debere animarum salutem.

Quapropter caueant diligenter, ne alienæ culpæ participent: nimia facilitate sua, in fide facienda necessitatis vtendi vetitis cibis.

Omnes denique ea pietate ac diligentia in sanctitatis studium incumbant, vt nisi diebus omnibus, saltem possint dominicis singulis, sacram synaxim deuote perpicere, secundum sacra olim Ecclesiæ sanctæ instituta.

Hortamur denuo singulos, vt quoniam quadragesimale tempus ieiunijs, pœnitentiæque operibus deuotum est, vnusquique præter eam, quam debet, à cibis vetitis abstinentiam, addat quoque deliciarum omnium abdicationem; super omnia præsertim peccati labem, ac culparum omnium occasiones deuitet.

Quadragesimæ tempus acceptabile est, & salutis, vti ab Ecclesia sancta vocatur,

Studeat igitur vnusquisque, qua poterit sedulitate maiore, illius decursu Dei beneuolentiã adipisci, sanctissimę eius volũtati per omnia obsequens, abactis à se vitijs omnibus, bonorũ operum executionibus, virtutumque omnium & Christianorum officiorum cultu, id enim expetitum ab Isaia Propheta Ieiunium, quod acceptabile est gratumque Deo.

Speramus nullum tam sancti temporis iacturam sponte facturum sed diuinæ gratiæ cumulandis thesauris, æternæque vitæ comparandis meritis, continenti labore vacaturum: quod vt omnibus largiatur diuinæ misericordiæ supplicamus.

In quarum rerum fidem hoc edictum manu nostra signatum & subscriptione Cancellarij nostræ Ecclesiæ Mediolanensis, sigilloque Archiepiscopali sancti Ambrosij munitum publice affigi mandauimus, illud quotannis, dominico die in quadragesima, aut alio die festo, dominicam primam quadragesimæ proxime precedente, de more promulgari iubemus. Dat. Mediol. in ædibus Archiepiscopalibus die 4. Februarij 1581.

Deputati pro facultatum ac licentiarum concessu concedendis facultatibus, cibis prohibitis vescendi quadragesimali tempore, ijs quorum necessitas eorum edendorum innotescet, deputamus in ciuitate quidẽ Reuerendum Canonicum ordinarium Pœnitentiarium Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ.

Per vniuersam verò diœcesim, deputamus Parochum quemlibet, in propria sua parœcia.

Statuimus autem præfatam licentiam, in ciuitate, nemini concedendam esse, quin exhibeat necessitatis, qua vrgetur, testimonium à proprio parocho, iuxta formulam à nobis pręscriptam, preloque expressam; idemque à Medico datum exponant, qui eius opera vtuntur, quod medici testimonium intelligimus quoque exhibendum esse ab ijs, quibus, extra ciuitatem in diœcesi, opem illius adhibendi suppetunt facultates.

Prætere illis, qui legitimo impedimento se ieiunij legibus solutos pretexunt, assignamus proprium parochum qui de causæ æquitate, impedimentique dijudicans licentiam illis, scripto tenus, impertiat, qua in re parochi ipsius conscientiam, predem facimus, onerantes.

EDICTVM.

De piorum legatorum executione.

Carolus Borromæus S. R. E. Tit. Sanctæ Praxedis presbyter Card. Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Sanctæ Mediol. Ecclesiæ.

DEsiderantes prospicere ne piæ quorundam prorsus intereant voluntates, qui testamentis suis, donationibus, dotationibus, fundationibus, aut alio quouis modo celebranda reliquerunt aliquot Missarum sacrificia, sed modicam adeo celebraturis eleemosynam assignarunt, vt non facile reperiantur qui earum celebrandarum onus velint assumere: prouidere quoque volentes celebrationi Missarum quarumdam, ob pia aliquorum legata aliasue dispositiones in quibusdam Ecclesijs faciendarum, à rectoribus aut administratoribus earum, quibus præ nimio numero satisfieri nequit: cupientes insuper ab ijs quibus huiusmodi celebrandarum cura impendet, omnem amputare occasionem suas animas irretiendi.

Ideo præsentis edicti virtute, peremptoria monitione, ac requisitione, monemus omnes & singulos, tum Ecclesiasticos, cùm sæculares, quibus cura incumbit exequendi, aut executionem procurandi, per quodcumque nexum aut obligationem, legata prędicta aut onera; vel quorum interest prędictarum exigere celebrationem Missarum, titulo fundationis, dotationis, aut erectionis capellarum, vt intra terminum octo dierum, proximè ab huius nostri edicti affixione, monitione, & requisitione, tradiderint in manus Reuerendi Doctoris domini Antonij Surdi, Canonici S. Nazarij Mediola-

ni; quem ad hoc delegauimus, notam omnium onerum celebrandarum Missarum, siue fundationis, dotationis, eleemosynæ legati, donationis, conuentionis aut alia quauis causa; eidemque Reuerendo Domino exhibuerit quæcumque testamenta, legata, instrumenta & rationes quibus præfatæ obligationes fuerint constitutæ, exposuerint etiam coram eodem omnes & singulas causas, rationes interesse, pretensiones, propter quas, qui ad Missarum celebrationem tenentur, ad pauciorem numerum redigendas esse causantur; ijque pariter, quorum interest celebrationis executio, rationes suas, causasque protulerint, qui aut in eo esse statu probentur quò ad angustiorem reduci numerum possint, aut extra casum reductionis positas esse, vt omnibus diligenter, & ex æquo perpensis, valeamus in proxima diœcesana synodo, pro tradita Episcopis à Conc. Trid. potestate, super his deliberare ac decernere, quod conscientiæ nostræ, ad maiorem Dei cultum & gloriam, Ecclesiarumque vtilitatem, opportunius esse videbitur.

Secus, præfixi termini transacto spatio, quicumque antedictas notificationes probationesque non peregerint, omni debita iustitiæ via ac medio compellentur ad celebrandum, celebrariue curandum, Missas omnes à principio sibi iniunctas, prædictis de causis, nulla eleemosynarum exiguitatis habita ratione, reiectis omnibus quæcumque super his adduci possent excusationum perfugijs.

In quorum fidem &c. Dat. Mediol. in palatio nostro Archiepiscopali. Die 29. Martij. 1572.

Carolus Cardinalis Borromeus
Archiepiscopus Mediolani.

EDICTVM.

Super notificatione piorum legatorum.

Carolus Borromæus miseratione diuina S. R. E. Tit. S. Praxedis Presb. Card. Sanctæque Mediola. Ecclesiæ Archiepiscopus, vallissoldæ Dominus &c.

CVpientes, pro pastoralis officij nostri munere, curare pro viribus legatorum piorum executionem, plenariumque effectum suum sortiri institutiones, quæcumque factæ sunt Ecclesijs, locis, fabricis, aut personis ciuitatis nostræ & diœcesis Mediolanensis à quocunque ab anno 1570.

Hoc edicto nostro iubemus cuilibet personæ Ecclesiasticæ siue sæculari, cuiuscumque gradus, status, aut conditionis extiterit, quæ siue instrumenti perlectione, aut relatu ac auditu, aliove vllo quocumque modo aliquam habuerit notitiam legatorum prædictorum pijs de causis institutorum ab anno 1570. quę suum ad hunc effectum sortita non sunt, vt sub pœna excommunicationis, à qua non nisi à summo Pontifice vel à nobis absolui queat, denuntiare debeat intra spatium 24. dierum huius edicti affixionem proximè sequentium, quorum octo primos pro primo; octo sequentes pro secundo, octo reliquos pro tertio, & peremptorio termino assignamus, in ciuitate quidem degentes, coram Cancellario nostro infra scripto, extrà verò per diœcesim morantes, coram notario deputando per vicarium foraneum eius loci, in quo fiet promulgatio, & notificare institutiones ac legata prædicta, expressis nominibus, agnominibus, habitationis loco, testatorum, aut eorum qui instituerint, aut aliter circa hæc præstanda disposuerint aut mandarint, patefaciẽdo hæredes, aut alios quibus executio incumbit, & omnia bona, quæ pro illorum, adimpletione oppignorata sunt & hypothecata, qualitatem quantitatemque legatorum & onerum, nomina notariorum rogatorum, coram quibus institutio facta est, ipsiusque tempus, omnique qua poterunt euidentia rem probare.

Mandamus insuper omnibus Archipresbyteris, Præpositis ac Rectoribus Ecclesiarum, tam collegiatarum quam parochialium, huius ciuitatis ac diœcesis, vt solennibus festiuis diebus inter officiorum diuinorum celebrationem quando frequentior aderit amplior que conuentus plebis, iniuncto sibi muneri satis faciant præsens edictum suis in Ecclesijs prædicandi, hortatuque suo omnes Christi fideles vtriusque sexus impellant, ad præfatas denuntiationes ac notificationes, ne patiantur animas suas excommunicationis nexibus implicari.

Vt verò huius edicti nostri notitia maior vnicuique facilius obueniat, iubemus illius exemplar cathedralis Ecclesiæ nostræ valuis affigi, alterum singulæ cuiusque collegiatarum tam in ciuitate quam extrà eam per vniuersam diœcesim.

Dat. ex Palatio nostro Archiepiscopali Mediolani, die lunæ 5. Maij. 1572.

DECRETVM.

Contra notarios non reuelantes, tempore statuto, legata ad pias causas expressas testamentis à se conscriptis.


QVicumque notarij sciunt se rogatos, testamenta, aliasue vltimæ voluntatis tabulas de rebus piarum causarum nomine relictis confecisse, nisi sex mensium spatio postquam testatoris mortem scierint, illa Episcopo significarint, quæcumque in ipsis tabulis à se conscriptis, legata pia facta sint, ij excommunicationis pœnam, ipso iure, incurrant.

Qui verò in posterum eius generis tabulas testamentaue scripserint, eandem pœnam, nisi tribus post mensibus quam testatoris mortem cognouerunt, pia legata relictaue Episcopo vel eius Vicario denuntiarint.

FINIS.



INDEX



INDEX RERVM, ET MATERIARVM OMNIVM, TOTO HOC VOLVMINE CONTENTARVM.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

C

Clericis

Clericorum.

D

Epiſcopi.

Quorum

G

H

I

L

M

O



In Mo-

R

T

V

FINIS.



DE VITA ET REBVS GESTIS CAROLI CARD. S. PRAXEDIS, ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI.



LIBER PRIMVS.



CVM varia hominum genera, multiplicemque vitæ conditionem intueor, perbeatos equidem illos inter omnes existimo; qui cum vitam optimis institutis, ac virtutibus excultam, Deo iuuante agant; cæteros exemplo salutariter mouent; & ad benè, beatéque viuendum, pietatémque egregie colendam alliciunt. Atque vtinam illud nobis quoque contigisset, sed quando ab eiusmodi fœlicitatis gradu longissimè absumus; in eo saltem libenter nos elaborare par est; vt aliorum laudes, sanctitatem, egregiáque facta literis commendemus; quibus omnium, si fieri possit, animi excitentur ad imitationem. Quæ igitur Carolus Cardin. S. Prax. Archiep. Med. gessit; quæque nobis virtutis, & religionis exempla reliquit; ea quantum genus hoc operis postulat, egóque diuina ope facere potero, memoriæ prodere ad Dei gloriam, piorúmque vtilitatem constitui, nam nisi mihi oblata materia nimis placet; quam placere tamen existimo, quantum veritas patitur; Caroli vita iis abundat in omni virtutum genere documentis; quæ Dei sacerdotibus in primis, tum piis quoque omnibus proposita, magna pietatis, ac salutis adiumenta possint afferre. Opus quidem est omnino difficultatis plenum, res eorum gestas, qui proximè vixerunt, mandare literis, cum enim multos adhuc esse superstites necesse sit; qui vel eas ad se res pertinere; vel easdem se quoque minimè ignorare putent, multorum quoque sermones oportet, querelásque non paucas excitari, alii se notatos; præteritos alii queruntur: hic aliquid dictum, aut minus verè dictum; ille omissum aliud expostulat, ita scriptoris labori; quem neque leuem, neque modici temporis esse intelligentes norunt; non parum additur offensionis, & incommodi. At illud suscipere negotium, in quo diuinæ gloriæ quis, & saluti suæ seruiat; tum piis omnibus, qui nunc sunt, & futuris erunt temporibus gratificetur, ac prosit; tantum habere commodi par est ac iucunditatis; vt humanas omnes longè superet difficultates, ac molestias. Hæc apud me ratio cum plurimum ponderis habeat; accedit quam plurimorum rogatus, & cohortatio, tum nostrorum, tum etiam exterorum: immo Cardinalium, aliorúmque amplissimorum virorum iussus, & auctoritas. Nam quod ad rei perficiendæ facultatem attinet; dicam liberè, quod sentio: eloquentiam, historiæque scribendæ artem concedens multis; rerum ipsarum notitiam, veritatémque iure mihi vendicare posse videor: immò cum quoque, in hac occupatione mea, laborem, ac diligentiam; quæ cum rebus iisdem eruendis, ac explicandis necessaria sit, vt ab alio tamen adhiberetur, semper equidem sum veritus, posteaquam enim Carolo me vt Patri optimo in disciplinam tradidi; animo quasi præsagiente, quid ille ageret in dies obseruans, seposui diligenter, quæ vsus ad huiusmodi negotium quandoque posceret; deinde præter illa, quæ Caroli familiares, at-

que intimi diligenter à me interrogati contulerunt: & præter scripta quamplurima ex ecclesiæ Mediolanensis tabulariis deprompta: epistolarum ipsius ad alios, aliorum ad ipsum amplius triginta millia, quas ille diligenter seruari iussit, peruolutaui: vt carpens vndique, ordinéque componens plenum opus efficiam; & quod in primis quærendum est, certissimis testimoniis in omnes partes confirmatum, quæ res faciet; vt si non optimè, verè certè conscripti libri conscientia fruar. Ac si quemadmodum his adiumẽtis extrinsecus assumptis abundamus, ita potuissemus ad ea penetrare, quæ pro suo virtutis occultandæ studio, verisimile est, Carolum nota esse nemini voluisse: maior ad diuinæ benignitatis prædicationem sine dubio piis animis, per nos materies offerretur. Qui aliquid à nobis omissum obiicient, eos meminisse par est, non omnia tamen ab vno dici posse; quos item monere minimè alienum fuerit, fortasse quæ ipsi desiderãt, minuta magis, aut remota videri, quam vt scriptionis huiusmodi ratio ferat: multáque quotidiano cõuenire sermoni, quæ non admittit historia. Quod si contra quis maiorem breuitatem fortè desideret, meum esse consilium sciat, non præcipua solùm breuiter decerpere, quod vitam alicuius conscribentes facere plerúmque solent, sed paulò latius, tum ab eius ortu rerum gestarum historiam, vsque ad mortem cõplecti, tum mores etiam proprio loco describere, cuius rei scriptores clarissimos auctores habemus, tum viros etiam grauissimos, qui ad plurimorum documẽtum ita faciendũ arbitrati, nobis id persuaserunt. De quibusdam cum honore, vel offensione nominandis: primò illud mihi pace omnium concedi peto: vt neque alicuius nomen laudẽve prætercam, si occurrat, quod sanè faciam libentissimè: neque affectem, si longius ab instituto cursu petenda sit; deinde cum à veritate, vel paululũ discedere, ne fas homini præsertim huius ordinis, existimem: quæ vera sunt, & sileri non debent, ita proferre cõstitui, vt nullius factum contumeliosè improbem, excusem verò etiam studiosè, si detur facultas: quin vt omnem offensionem vitare possim diligẽtius, illud mihi præscripsi, licet de publicis, manifestisque rebus nominatim narrare possem; eorum nomina tamen, silentio præterire, quorum posteris, familiæue hoc fore gratius existimaui. Ita, quemadmodum spero, & satis veritati factũ erit; neque vllius erit offensa mihi pertimescenda. Qui hac ratione scribat historiam, ei (ni fallor) ab iis quoque, qui scribi nollent, de adhibita moderatione habenda gratia est; quam vtrum esset alius adhibiturus, incertum est: vtrum verò eadẽ alius scripturus, minimè dubium. Meam denique spem in Dei benignitate positam habeo; cuius beneficio confido fore; vt ad piorum animorum fructum salutarem, & etiam sine iusta cuiusquam querela, susceptum munus conficiam.

De Caroli parentibus. Cap. I.

Borromeiæ gentis antiquitatem, aut splendorem, non est, vt equidem existimo, cur hoc loco demõstrare coner: nam & satis per se nota res est; & ea cura parum conuenire videtur de Borromeio illo scribenti, qui admirabili quadam Christiani animi celsitudine, fluxa, & caduca omnia huius vitæ ornamenta contempsit. De eius verò parentibus aliquid est attingendum; vt in iis agnoscas, quod diuinitus traditũ est, parentes, qui iustam, simplicémque vitam agunt, beatos relinquere filios. Gibertus igitur Federici filius Borromeius, Mediolanensis, vnà cum tribus fratribus, Iulio Cæsare, Francisco, & Dionysio Aronæ Comes; in ea parte ditionis Mediolanensis, quæ est circa Verbanum lacum; præter Aronam ipsam, vicos, castelláque multa habuit in sua potestate. Is Carolum inter alios, de quo scribere instituimus, ex Margarita suscepit, sorore Pii Quarti Pont. Max. & Ioan. Iacobi Medicis, illius clarissimi bellatoris, cuius res gestæ magnam ferè apud omnes Europæ nationes habent admirationem. Magna Gibertus, pro eorum temporum conditione, innocentia fuit, ac pietate, omnes animæ labes, etiam eas, quæ videntur exiguę, valdè pertimescebat: idcirco saltem octauo quoque die sacerdoti peccata sua cõfiteri solitus fuit; & sanctissimum Eucharistiæ cibũ sumere. Præscripta sacris legibus ieiunia, quadragenarii præsertim temporis, ipse piè coluit, & à suis iussit ritè seruari. Horis canonicis eadẽ, qua sacerdotes precatione vtebatur; idque humi positis genibus: tũ tãto studio; vt nihil mane prius incipere, neque domo pedem efferre soleret,

quàm quod eo tẽpore precationis eiusmodi debebatur, & quod ipse item addere consueuerat, persoluisset. Diuina ope mirum in modum confidebat, vt sæpè aliis periculi alicuius timore perterritis, ipse precipua quadã constantia Deo fretus nihil timere videretur. Fiducia fuit illa non mediocris, mirifico diuinæ benignitatis officio remunerata; quæ magna vtens erga pauperes liberalitate, non valde pro dignitate sua tamẽ, humanis opibus instructus; cum moneretur à quibusdã, plures ei filias, quas tum ex Margarita, tum ex alia vxore habebat, in matrimoniũ esse collocãdas; piè respõdit, si curæ sibi Christi pauperes essent, Christo filias suas fore, id quàm fœliciter euenerit, infra demonstrabitur. Illum in egenis iuuandis præcipuè morem tenebat; vt non ante vnquam accumberet, quàm eis eleemosynam, neque eam paruam misisset; quasi indignum se existimaret, à quo Dei dona sumerentur, nisi prius ipse ex iis elargitus esset, quæ Dei benignitate possidebat. Quòd plures vxores duxerit, non ideo tamẽ non castitatis fuit amantissimus: à qua violanda maximè semper abhorrere visus est. Cum malos in domo sua mores ferre non poterat; tum maledicta in Deum ita horrebat; vt familiares, si in ea inciderent, domo statim eijceret; nullamq; prorsus accipere vellet excusationem. In reliqua domestica cura, in populis suis regẽdis, in priuatis publicisq; rebus agendis, cũ pietatis prudentiæque laude versatus est. Viro minimè fuit dissimilis vxor Margarita, lectissima fœmina, & ab omni muliebri leuitate, siue vestimenta, siue aliud quiduis spectaretur, penitus aliena. quæ domesticis rebus piè, frugaliterq; curandis intenta: cũ ad proximiorẽ ecclesiã modestissimo cultu rei diuinæ causa quotidie accessisset; domo ferè non prodibat, nisi quandoque ad virginũ collegia, sacrave alia loca religionis ergò proficisceretur. Tales fuere Gibertus, & Margarita: vt dignũ parentibus filiũ agnoscas: parentes verò ita filio dignos: vt præcipuo tamen Dei munere, quemadmodum christianæ reipublicæ vtilitas postulabat; longè, multumque sint ab eo superati.

Nascitur Carolus fit Abbas, & iurisconsultus.
CAP. II.

Natus est Carolus in arce Aronæ, postridie Cal. Octobris anno salutis. M. D. XXXVIII. quem adhuc puerum, clericali vestitu, ad eius mores valde accommodato, pater indui curauit. A primo ætatis tẽpore non obscura solidæ pietatis signa dedit; cum enim tempus, quod dabatur literariis exercitationibus vacuũ, socii in puerilibus ludis ponerẽt; ipse diuino cultui multò libẽtius, eo spatio operã dabat. vagabantur alii per vrbem animi gratia: ille verò, de eorum se societate subducens, vel religiosiores ecclesias adibat, vel domi piè precabatur, & diuini cultus imaginẽ quandam, paruis altaribus constituendis ornandisque puerili quodã pietatis studio, & oblectatione referebat. Cum ætate paulò magis processisset, ecclesiæ sanctorũ Gratiniani, & Felini Aronensis sacerdotium, Abbatiæ nomine, quod dudum in familia Borromeia permanebat, accepit. Atq; cum humanioribus literis satis operę dedisse videretur: Ticinum, vt ciuiliũ legum, & sacrorũ canonum studia coleret, sese Patris iussu contulit. Tantula ætate cũ esset, sacerdotii sui fructus sacros esse reputans; quorũ sibi, vt pote Abbati, Deo reddenda ratio esset: patrẽ, cuius alioqui voluntati obsequi diligẽter studebat, modestè monuit, qui vnà cum cæteris facultatibus suis adhuc Abbatię res dispensabat: minimè id sibi iustum: neutriusq; salutis cõsentaneum videri: qui fructus sibi superessent, eos in rem familiarẽ cõuerti, ac non potius dari pauperibus: quod pius pater, tantum abest, vt molestè acceperit, vt filii religione, præclaráque indole lætus, ac præ gaudio lachrymans, administrationem ei sine mora reliquerit. quod si patri aliquid ex iis, necessarii sumptus causa opus erat, mutuum dabat filius; quod ei postea, vel egenis restitueretur. Ticini nec ab æqualium suorum vitæ cultu abhorruit: & pietatem, honestatemque coluit diligenter. Ne insignes in literis progressus habere videretur, ingenii motus ad explicãdum haud satis expediti faciebant. Nuper ex eius sociis quidam narrabat: eo se tempore sæpius Caroli patientiam esse admiratum: quod neque aduerso aliquo ludi euentu, neque famuli cuiusquã ignauia commotus, quidquam faceret, aut loqueretur vmquam, quod contumeliam, aut liberiorem indignationem præ se ferret: eluxisse quoque in eius moribus addebat animum excelsum, ac mentem ab humanis cupiditatibus,

ambitioneque alienam. cum ei vltimo ferè iuris studiorum tempore, Io. Angelus Cardinalis Medices auunculus Abbatiam Romanianam contulisset, & præterea Caluentianum, vt appellant, Prioratum: de collegio ex iis opibus Ticini constituendo iam tum cogitare, ac loqui cœpit: seque aiebat, modico sumptu; procul humano splendore, etiam ituri vitã libenter acturum: modo talis collegii commodum, atque ornamentũ familiæ, patriæq; afferret suæ: quod alia ratione postea præclarè factum vidimus. eam animi moderationem, atque æquabilitatem, haud maximæ præsertim ingenii celeritati coniũctam, quidã quasi tarditatem, abiectionemq; despicere videbantur: cum tamen & ipsius adolescentiæ acta nõ obscure, & posterioris temporis res gestæ multo illustrius, longè aliter se rem habuisse demonstrarint. at enim moderari animo, nõ capi caducis rebus: & quæ verè magna sunt, reique publicæ vtilia amare, & quærere: nõ tardi, vel abiecti, sed præstantis ingenii est. Nõ confecerat Abbas iuris disciplinæ cursum, cum eius pater ex hac vita migrauit, annos natus quadraginta septẽ, qua de re, licet Federicus frater esset natu maior, rerũ familiarium summa, propter prudentiã, morumque grauitatem ad eius iudiciũ rediit. quam curam ea cum laude gessit cum sororum gubernatione coniunctam, vt si quemadmodum Apostolus monet, ab administratione domestica ducamus argumentũ: ecclesiã quoque illi, quandoque rectè committi posse, iam tum liceret facile iudicare. Ad cõtinuanda iuris scientiæ studia, impedimenti aliquid Abbati eiusmodi administratio sine dubio attulit: sed ob id quoque intermittendus fuit iuris discendi labor: quod studiorum suorum cursus cito conficiendi desiderio, quasi æstu quodam, ad vigilias, & nimias literarum occupationes delatus, in periculosam valetudinem, pituita ex capite distillante, incidit: quæ curationẽ procul à libris omnino postulabat. ea pluribus mensibus temperantia fere, commodaque vitæ ratione Mediolani adhibita; quamquã grauius malum, fortasse etiam vitæ discrimen, auertere visa est, non effecit tamen, quin pituita itidem flueret vsque ad postremos fere illius vitæ annos. quo tempore illa assiduo ieiunio valde imminuta, in prouerbii fere consuetudinem Caroli remedium induxit. dum curaretur, à medicis præscripta musici cantus oblectatione, quæ natura tamen erat ei valde iucunda, eo temporis spatio tantum vtebatur, quod medicinæ caussa ii necessarium iudicauerãt. ac ea tum verecundia fuit: vt si quid carminum canendum esset, quod ad lasciuiã pertineret; reiiciendum ille quidem curaret prius, si animaduertisset: sin autem; verba saltem omitteret: vocumque modos tantum exprimeret. digna certe clerico modestia: quemadmodum ea quoq; quòd rogatus, vt pilæ ludum in paternæ domus platea spectaret: ad ianuã fenestramve ita consistere recusabat, vt à cæteris spectatoribus videri posset. At disciplinæ sacræ studium non mediocre ostẽdit, in veteribus monachis quibusdã ecclesiæ suæ Aronensis corrigendis. qui quidem à beati Benedicti instituto tam longè aberant, vt vix ipsius monastici vestitus vestigium retinerent. quorum licentiam, cum sibi minimè ferendam adolescẽs Abbas iudicaret; alios victus asperitate, alios arcta custodia puniuit, & in officio continuit: quamquam nullo eius generis tunc proposito exemplo, quod sequeretur. Quinto, ex quo iuri studere cœperat, anno exacto, vti iuris vtriusque peritus, doctoris insignia publicè Ticini suscepit: Francisco Alciato tradente, qui discipuli officio postea Cardinalis creatus est.

Obitu Pauli quarti, vacabat eo tempore Pontifice Romana Sedes. tum Cardinalis Medices Margaritæ frater, electus est; & Pius eius nominis quartus appellatus; anno salutis M. D. LX. ineunte. Allato Mediolanum nuncio; ad duos Comites, vt Pontificis sororis filios, salutandos, domum conuenere statim Magistratus, ciuitatisque principes; cognati, vt fit, notique omnes. sed illos neq; spei magnitudo, nec elatæ cogitationes impedierunt: quin sese pie colligentes, Deo gratias agerent; & peccata sua confessi, sanctissimáque sumpta Eucharistia, christianum iacerent status eiusmodi fundamentum. Federicus sine mora Romam contendit. Carolus paucis interiectis diebus, Pontificio iussu accersitus, secutus est, Alterius sororis filios Pontifex habebat, Marcum postea Cardinalem, & Annibalem, Sitticos, Altaempsii Comites; Serbellonos item consobrinos;

Fit Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolani. Cap. 5.

quos omnes dilexit, magnisque honoribus, & amplitudinis Pontificiæ beneficiis auxit: sed hos tamen præcipuè sibi ornandos ille constituit. Federicum statim quibus potuit maximis, ditionis ecclesiasticæ titulis ornauit: qui Philippi quoque Hispaniarum Regis liberali voluntate, opibus, atque honoribus valdè honestatus est. Carolum Prothonotarium primo creauit, ac libellis referendis præfecit. post mensem autem, & Cardinalem fecit: &, quamuis annum ageret tantummodo XXII. Mediolanensem detulit Archiepiscopatum. Præterea Romanæ ditionis administrationem illi mandauit; de qua, viris grauibus in consilium adhibitis, assiduè consultaret, supplices libellos, ac mandata omnia, quæcumque essent, pro se subnotare iussit. Auctoritatis Pontificiæ munera grauissima, negotiaque quotidie detulit, & omnium curarum suarum, consiliorumque participem fecit, ac administrum. nam & ipse miram in publica negotia, grauissimasque res gerendas ostendit ab initio propensionem. eò factum est, vt nullus ferè apud cognatum Pontificem Cardinalis maiore auctoritate, atque administratione vmquam fuisse videretur. Addidit amplissimas facultates, quibus ille splendore planè regio, contra quam eius natura, consuetudoque ferret, vitam instituit. maximus domesticorum numerus, in his viri literis, nobilitate, titulis ornatissimi. Præsules, aliique nobilissimi viri quotidiani conuiuæ pretiosissima suppellex. quotidianas etiam oblectationes quasdam sacræ disciplinæ non satis consentaneas admittebat. Magna porrò, repentinaque dignitatis amplificatio, si præsertim exempla, & instigationes accedant, sæpe mores, ac naturam ipsam perturbat. At tantis copiarum blandimentis delinitus: ad perfectiorem tamen vitæ disciplinam oculos retorquebat: & ad humana omnia contemnenda se ipse frequenter excitabat. Cumque multos post annos Dei beneficia secum reputaret, commemorare solitus fuit, inuisitata se ratione ad sanctiora pietatis officia, religiosioremque vitam fuisse perductum: neque enim angustas, asperasve res, vt plerumque fit, Deum adhibuisse: sed prosperas, maximéque florentes, vt in iis rerum humanarum leuitatem, inanitatemque diuino lumine perspiciens ad ea, quæ solida, grauia, æternáque sunt animum adiiceret. Interim non solùm aliquid amplius, vt humanum est, ex opibus Ecclesiæ quotidie sibi addi non postulabat, sed etiam vltro à Pontifice tradita, propemodum accipiebat inuitus: quod ex cognatis nonnulli, & alii, qui ex eo pendebant, valde querebantur: & quod virtutis erat, vt humana peruersitas est, angusto, paruoque animo tribuebant. Virginalem modestiã, quæ semper in eius moribus eluxerat, exquisitè retinuit: & in eo genere non modo quidquam malè appetere nunquam vlli visus est: sed insidias quoq; non semel paratas sanctè admodum vitauit. Præstitit in mandatis muneribus summam fidem, incredibilemque diligentiã; tum mentem prorsus incorruptam, quæ neque cupiditate, neque vllius gratia vmquam moueretur, sed in omni re consultanda, & diiudicanda, quod iustissimum esset, id spectaret, & exequeretur semper. pristinam item patientiam, vt nullius errato, vel molestia commotus, quidquã faceret, aut diceret in quẽquam contumeliosum. Cum autem plerique amplitudinis, diuitiarumque splendore, commodoque capti, delicatiores fiant, laboresque dignitati coniunctos fugiant: contra hic adolescens sese patientissimum præstabat: multum scribendi, dictandique laborem suscipiebat: diuturnam iis, qui alloqui vellent, operam dabat. In suos, pauperesque; si liberalissimus initio nõ fuit, ita se tamen comparauit, vt in eius animo liberalitas in dies, calore diuini spiritus augescens ad præclaram illam effusionis planè Christianæ maturitatem tandem perueniret. Pauperibus multa donauit, tum Romæ, tum in iis maximè locis, vnde sacras pecunias accipiebat. Aronæ præsertim multa distribuit, ac Mediolani: vbi si qua de caussa in rebus ecclesiæ constituendis, gregéque ad rectam viam reducendo, sumptu opus esse viderat, de suo liberaliter iussit suppeditari: vt nihil penitus ex ipsius ecclesiæ fructibus ipse Romæ tunc existimetur percepisse. Humaniora literarum studia coluit. cumque viros eruditissimos in eo genere plures apud se haberet: ex iis, aliisque nobilem instituit Academiam, cuius exercitationes noctes appella-

uit Vaticanas; quoniam publicis, plerumque negotiis interdiu occupatus, certas eis dabat ipsius intempestæ noctis horas. Valebant ea studia, ad doctrinam morum, facultatemque dicendi comparandam: tum memoriā quoque exercendam; dum posita quæstione, quæ ad mores pertineret, in vtramque partem, quàm poterant ornatè, copiosè, atque eleganter differebāt. ad animorum verò relaxationem aliquid etiam admiscere liberalis ioci solebant, ac leporis. ex horum numero, & ex eis, quos in consultationibus adhibebat, viri fuerunt, tum literis, tum dignitate clarissimi; qui magno fuerunt, partimque adhuc sunt reipublicæ christianæ vsui, atque ornamento: ex quibus Episcopi, Cardinales, & ipse quoque Gregorius XIII. extitere. Curabat ille, per eas exercitationes, non solùm eiusmodi doctrinæ præcepta, dicendique vsum assequi, sed etiam, quæ in loquendo sentiebat, impedimenta naturæ superare: concisas enim sententias, immò etiam verba ipsa imminuta habitu quodam nimiæ celeritatis pronunciare solebat. quibus in rebus, quantum profecerit; tum illius iudicium in scribendo, alienisque scriptis corrigendis postea indicauit, tum frequentissimæ conciones declararunt. Atque huiusmodi studia non parum ad eius quoque salutaria consilia valuisse postea fatebatur. cum enim illi Stoicorum sententia in Academia impugnāda quandoque obuenisset, contra potius sese ad eos aliquo modo sequēdos, hoc est ad perturbationes comprimendas, dum ei rei studeret, animique perfectam moderationem comparandam, sensit incitari; ex quo Epicteti philosophi libellum frequenter in manibus habere, eiusque præcepta valde obseruare, per ea tempora visus est.

De Annæ sanctitate, & cæterarū sororū matrimoniis. Cap. 4.

Cum in Carolo rerum humanarum sæpe despicientia sese ostenderet: non obscurè tamen etiam studium apparebat sorores omnes recte collocandi. Id optimè successit; Pontifice fauente, Deoque inprimis cumulatissimè præstante, quod bonus ille Gibertus eximia pietate sperauerat. Eas enim Principibus, ac diuitiis ditioneque præstantibus viris in matrimonium dedit: Camillam quidem, quæ prima fuit, Cæsari Gonzagæ, Melfictæ Principi: Hieronymam Fabritio Gesualdo, Venusini Principis primo filio; Annam Fabritio Columnæ, Marci Antonii Ducis Taliacotii itidem principi filio: Hortēsiā Annibali Sittico, Altenpsij Comiti, & sororis Pontificis filio, non enim Hortensiā ex Margarita, sed ex alia vxore Gibertus susceperat. Honestissimæ fuerunt omnes: at Anna iis moribus, eaque fuit sanctitate: vt in tāti fratris historia merito de illa sit præcipuè commemorandum. solidæ pietati, rerumque diuinarum contemplationi maximè semper dedita fuit. vt non modicam noctis cuiusque partem, quæ somno dāda erat, in sacra supplicatione adhuc puella ponere soleret. At cū Fabritius adhuc adolescens diem suum obiisset, christianæ disciplinæ, piisque exercitationibus in dies magis intenta, tantum profecit, fratris exēplo, ac hortationibus in primis incitata, vt in eius precibus magnum domus suæ præsidiū Marcus Antonius, vir prudentissimus collocaret. Vestitum mutare, seseque abdere in monasterium constituerat, nisi consilium dedisset Carolus, vt religiosam vitam domi agens, filios, quos ex Fabritio susceperat, non desereret, sed educaret piè, ac diligenter. Egentium iuuandorum studiosissima fuit. ex eo, quod separatim ei dabatur, ad suos, familiæque sumptus, quantum poterat, detrahebat, & in eleemosynas conferebat, vt ipsis etiam indumentis, ea de caussa tritis admodum vteretur. frequenter etiam, quod apponebatur in mensa, modica sibi retenta portione, pauperibus dari iubebat. Ecclesia in Panormi regia, vbi illa cum M. Antonio Siciliæ prorege habitabat, & in eam ex Annæ domicilio aditus, vt commode posset in sacro loco eximium explere, continuandæ supplicationis desiderium. ibi quo ardentiore animo precaretur, sanctissimam Eucharistiam haberi perpetuo curauit; & sacram statarum horarum publicam precationem, soceri auctoritate restituit. Cum autem humida esset ædes, loco præsertim illo remotiore, in quo Anna manebat, contraxisse videtur ex diuturna mora frigidam, grauemque totius corporis, præcipue capitis, affectionem, quam, vt diuinæ benignitatis munus, libenter vsque ad obitum tulit. Cum sanctissimam Eucharistiam sumebat, tam ardenti, atque intimo sensu pietatis af-

ficiebatur; vt duarum circiter horarum spatio, nullo fere motu, mente penitus in diuinis mysteriis defixa, permaneret. Sacerdotem cui confitebatur, quisquis esset, tantopere obseruabat; vt ne latum quidem, vt aiunt, vnguem ab eius voluntate discedere auderet; tantóque honore, ac reuerentia prosequebatur; vt diceret interdum; pedum eius vestigia cupere admodum se osculari. Tentari cum ea febri cœpisset, ex qua mortua est; nihil patefecit: erant enim extremi quadragenarii ieiunii dies quorum abstinentiam nolebat interrumpere. ad sacram Paschatis communionem venit in ecclesiam. per eos dies, qui pauci fuerunt ante mortem, solito nonnunquam ad meridiem vsque; permansit orans. demum ingrauescente morbo iacere coacta, de morte obeunda placidissimè audiuit, ac hilariter: creditoribus iussit in præsentia satisfieri; & ex ea hora rogauit, ne filii amplius ad se adducerentur; quo magis ab humanis rebus remota, quæ spiritalia, cœlestiaque sunt, quietè cogitaret. Humile funus ducendum præscripsit; cœlestique amore vehementer accensa, diuinum viaticum accepit; & sacram extremi temporis vnctionem; cuius vnctionis loca sibi ante diligenter ablui iussit. cumque ad extremum vsque sensibus viguisset; sacerdoti etiá singillatim cœlites inuocanti respódisset; morté obiit anno Domini M.D.XXC.II. Luxere eam Panormitani propemodum incredibiliter. tum verò eius corpus ita fere habuerunt, quemadmodum beatorum corpora solent haberi. luxere autem in primis pauperes, quorum se benignissimam parentem semper ostenderat. De Anna, ceterisque sororibus satis.

Ad meliora vitæ studia se refert. Cap. 5.

Redeamus ad Carolum; cuius sanctioris vitæ desiderium triennii fere spatio, siue negotiorum, curarúmque magnitudine; siue humano, falsóque pudore quodam retardatum; tum ardentius excitatum est, clariusque multo enituit; cum Federicus frater diem suum obiit, mése Nouembri anni M.D.LX.II. Florentissimi iuuenis interitus, qui dum ad summos honoris, atque amplitudinis gradus gloriose ingrederetur, de medio præter omnium opinionem sublatus est, magnopere valuit; vt Carolus tum ipse vehementius cómotus; tum aliorum animos fractos ad humanarum rerum imbecillitatem præsenti casu attentiores, conspicatus; ad præclaram vitæ huius despicientiam, sacramque illam optimæ vitæ disciplinam, quæ iam diu ei proposita erat, sese apertè, strenuéque conuerteret. Affuit assiduè fratri laboranti; & quæ tali tempore homini christiano pia officia debentur, omnia quantum potuit, cumulatè præstitit vsque ad mortem. Dum autem alii, & ipse Pontifex in primis, affecti, Federicum diutius lugerent: ipse accersito sacerdote, cui peccata sua solebat confiteri: de insigni morum mutatione cum eo egit, ac decreuit. Dictabant eo tempore multi, Carolum nullo fratre, neque fratris filio, clericalem vitam relicturum: & vxore ducta profanis honoribus, & negotiis implicandum. & verò etiam fuisse dicuntur: qui apertè significarent, ac incitarent; idque non sine eorum auctoritate, qui plurimum poterant. ille autem vt omni se interpellatione liberaret: non multis post mensibus ad sacrú presbyteratus granum ascendit. Personam ex eo tempore visus est longè diuersam induere: eaque fuit in moribus, omnique vitæ consuetudine grauitas: vt ad austeritaté quoque perueniret: quemadmodum sæpe solet initio vitæ religiosioris euenire. Non cætera solùm oblectamenta dimisit: sed cum exercitatione corporis ad id tempus valetudinis gratia magnopere delectatus esset: eam quoque respuit: quoniam Ægidius Fuscarius religiosissimus Episcopus Mutinensis, quem plurimi faciebat, eam sibi consuetudinem in iuuene minime probari dixerat: augeri enim calorem nimis: qui suaptè natura, tali ætate, maximè viget. inde cibus, potusque multus: ex quo multum somno, parum contemplationi, literarumque studio dari temporis, necesse est: præter alia, quæ animæ facile consequuntur incommoda. Ciuiles Academiæ exercitationes, studiaque dicendi, ad spiritualem traduxit rationem: iam tum, vt puto, cogitans de grege suo coram custodiendo, concionibusque sacris pascendo. Alia studia literarum, egregia illa assiduitate, patientiáque sua coluit: doctorumque virorum quotidianas disputationes sua manu scribens, diu satis excepit: vt merito mireris, Carolum per eos

annos, tantis occupationum pressum oneribus, logicæ, philosophiæ, Theologiæque, quamquam non ad perfectam scientiam, operam dare potuisse. sed multo magis mirum; variè illum, grauitérque oppugnatum, quorumdam suasionibus, insidiis, obtrectationibus solicitatum; stetisse tamen; piaque sua consilia atque instituta constanter retinuisse. Mutatio eiusmodi plerisque non probabatur, eius caussam; vt quisque sibi prudentissimus videbatur, ita in rebus humanis, vt fit, acutè inuestigabant. multi palàm improbabãt: simulationémque dicebant. At multi etiam veritatis, diuinique spiritus vi permoti: tum sincerum eius animi sensum agnoscebant: dignumque imitatione iudicabant: tum eius exempla sequebantur. Plures ex literatis Academiæ, domusque suæ viris, ad sacra studia, vitamque puriorem eius exemplo se cõtulerunt. omnino plurimi, eius imitatione, vitam, actionesque suas conformarunt. Tũc œcumenica synodus Pii Pontificis auctoritate iussuque Tridentini habebatur: cuius acta, progressionesque cum antea Carolus magno studio, ac pietate curasset; tum eo tempore studiosissimè cœpit tueri. atque cum de ea dissoluenda quodam tempore ageretur, pluresque ex Principibus assentirentur; immo quidam vrgerent: ille Pontificis in eo voluntati consentiẽs, omni auctoritatis suæ conatu restitit, perficiendámque curauit. Ad eorum cognitionem, quæ synodi decretis opus erant, Gulielmo Sirleto, plurimum vsus est: cuius doctrina, cum antiquæ disciplinæ, græcæque linguę cognitione, tum verò eximia pietate cõiuncta, adeo est delectatus; vt hominẽ semper plurimi fecerit; neque destiterit, donec eum postea perduceret ad Cardinalatus gradum. Ad sui ipsius, suorúmque meliorem vitæ rationem, multa Carolus à morte fratris cum instituisset; sancitis demum anno M. D.
1563. LXIII. Tridentinæ synodi decretis: ea studiosius est executus; adiecitque etiam sanctiora. Circiter octoginta de domo sua missos fecit vno tẽpore; eos ferè omnes qui clericali vitæ minus apti videbantur, quos benignè admodũ, liberalitérque tractatos dimisit. serica indumenta non sibi solùm, sed familiaribus omnibus interdixit; qui neminem ex eis antea sine sericis splendidisque vestimentis admittebat. De corpore suo nihil adhuc seuerius statuit, quàm vt vno die singulis hebdomadis pane, & aqua tantùm vesceretur. Molesta cœpit esse grauissimarum occupationum assiduitas: quibus nè à diuinarum rerum cõtẽplatione abstraheretur, in ædiculam quandam, quam sibi remoto loco ad id constituerat, sese abdere certis horis cœpit. paulatimque se prorsus à rebus agendis subtrahere velle videbatur; nisi quem vehementer obseruauit, Bartholomæus Archiepiscopus Bracharensis ex ordine Dominicano magna sanctitate Pręsul, admonuisset; Ecclesiæ, Carolique ipsius conscientiæ periculosum sibi videri, defugerè munera, occupationésque illas quæ facilè in homines lõgè diuersæ sententiæ recidere possent. quæ res fecit, vt consuetos labores, atque onera pergeret sustinere. Virorum pietate, disciplina ecclesiastica, doctrináque præstantium assidua consuetudine, cõsilióque vtebatur: inter quos alii erant boni sacerdotes Hispani; qui nuper ex ciuitate Tridentina, Concilio absoluto venerant. ex eodem numero Franciscus Forerius fuit egregius Theologus itidem Dominicani ordinis, quem Carolus apud se retinuit, & de rebus Theologicis quotidie disserentem diu audiuit. Atque propius iam ad Episcopi munus accedens; quod se graue admodum sustinere sentiebat, & ad salutem sui gregis diligenter exequi cupiebat: in sacris concionibus publicè habendis, de quo grauissimè Concilium constituerat, se cœpit exercere: remotioribus tamen locis, feréque ad virginum cœnobia: quamquam & in suas breui prodiit tum Sanctæ Mariæ, cuius erat Archipresbyter, tum S. Praxedis, cuius titulum habebat, ecclesias. Inusitata multis sæculis in tali persona muneris functio: concionator haud aptissimus: tali loco: quos in hominum sermones venerit, non est opus explicare. quibus rebus tamen, eius optimum studium superari, tardarive non potuit. At verò fecit ea tota morum conuersio, constansque in ea volũtas: vt illum tandem vereri quodãmodo summi, infimique inciperent: & ipse Pontifex eius caussa quibusdã rebus vtiliter abstineret. solidæ virtutis vis hæc est admirabilis: quę

plurimos à vitiis deterret; & ad ea, quæ recta sunt impellit; quam ipsi quoque summo loco constituti non possunt non subire. Incidit per id tempus in morbum Carolus; qui diuino quodam munere, luminis ei plurimum, cœlestisque suauitatis attulit; atque ita mẽtem ad superorum desiderium acuit; vt terrena omnia magis ac magis despiciens, mortem concupisceret: atque adeo culpam in eo suam timeret; quod ab humanarum rerum tædio nimis refugere, & ita Deo se totum minimè permittere, sibi videretur.

Ecclesiæ suæ absens consulit. Cap. 6.

Quod antea de sua diœcesi visenda, colendaque cogitauerat; id perficere quamprimum curabat. sed cum id molestè ferret Pontifex, senemque se quereretur ab eo deseri, quem vt filium charissimum amabat; suum in Insubriam aduentum, non ille quidem dimisit, qui eum in animo defixum habebat; sed paulùm distulit. Statuit verò interim ecclesiæ suæ longè accuratius, quam antea sine mora prospicere: vbi plurima corrigenda, restituenda, ordinanda esse, & probe sciebat, & quotidie audiebat. Ac superioribus quidem annis Vicarium ibi habuerat; immo Episcopalis quoque ordinis hominem, qui pontificalia munera obiret. nonnihil item ad clericalis disciplinæ conformationem pertinens cœperat. Verùm ad sanctiorem, illustriorémque tunc administrationem, quem Mediolanum cum potestate mitteret, præstantissimum sibi virum perquirendum statuit. de quo solicitus cum inuestigaret: sapientissimo consilio fecit, vt Ioannis Matthæi Giberti olim Veronensis Episcopi alumnum deligeret. Cum enim vir ille, clericalis vitæ, ac administrationis Episcopalis egregia laude non multis ante annis floruisset; & ante Concilium Tridentinum fuisset ecclesiasticæ disciplinæ eo sæculo in Italia restituendæ facilè princeps: nihil aptius, meliusuè cogitare Carolus posse videbatur; quàm, vt virum tanti Episcopi consiliorum participem, actionum adiutorem, institutorum peritum sibi adscisceret: vt consilia sua, ex sacris Concilii præceptis & ex pręcipuo illo animi sui lumine concepta, cum iis coniungens, prẹstantissimam efficeret, Domino in primis iuuante, regendæ ecclesię rationem. Accersiuit, igitur Cardinali Nauagerio, Veronensi Episcopo concedente, Nicolaum Ormanetum presbyterum: & Iurisconsultum Veronensem; qui non solùm fuerat Ioannis Matthæi Vicarius; sed cum Reginaldo Polo Cardinalis sedis Apostolicę Legato, in Anglia, rebus illius ecclesię componendis operam dederat; & Concilii Tridentini actionibus interfuerat: tunc autem ab humanis cupiditatibus alienus, populũ quendam in diœcesi Veronensi sacrà regebat auctoritate; & paruum gregem bonus pastor, sanctè, quietéque pascebat. Sed eum Dominus nihil eiusmodi cogitantem euocari, eiusque virtutem ad Mediolanensis, atque adeo vniuersæ Ecclesię vtilitatem, in apertum proferri voluit. Romam cum venisset, Carolus amantissimè accepit; & pro sua ardenti gregis charitate, de ecclesia administranda, déque omni sacra disciplina ex Tridentinis pręcipuè decretis restituenda, cum illo plenè, assiduéque communicauit: vt plerique iis diebus mirarentur: id temporis cum eiusmodi homine consumere, qui orbis Christiani tot, tantaque negotia sustineret. Inde illum Mediolanum dimisit: quo iã anno ante clericos miserat ex societate Iesv, Benedictũ Palmium in primis magno ardore, atque eloquentia concionatorem, qui omnes tanquã exercitati milites præcurrerent; in sua quisque muneris functione Duci viam pararent: bellique initia susciperent; quod grauissimũ, & turbulentum cum deprauatis hominibus, dęmonibusque futurũ erat. plurimi enim ex omni genere vitiis erant cõtaminati: rerumque salutaris tota ratio in ciuitate, in agro, in omni deniq; prouincia maximè perturbata. tum continuata, paucis annis exceptis, circiter octoginta annos Pastorum absentia: magnam ad diripiendum, dilaniandúmque gregem, aditum bestiis immanibus reliquerat: obscuratis vbique pręsertim ex diuturna temporum calamitate, sacræ disciplinę custodiendę tuendęque luminibus. Ecclesiastica administratio animarum curatione ferè prætermissa, ad iurisdicendi munus litigiosorumque clericorum controuersias dirimendas redacta erat. atque vni Vicario, tantum otii scilicet à negotiis dabatur: vt etiam rebus ludicris frequenter posset operam dare: sed ipsa quoque iurisdi-

ctio, iudicium, siue incuria, siue ignauia, violata magna ex parte fuerat, ac imminuta. Cleri mores in vniuersum, siue domos spectares, siue ecclesias: miserè corrupti: luxuries adeo libera, vt cautionem contemneret. sacerdotiorum multorum vectigalia vni assignata; eáque ad profanum splendorem pro cuiusque gratia expetita: sacra munera ab iis, quorum essent, neglecta; ab aliis ad egestatem sustentandam, non tam pro viribus, quā pro inopia quæsita. vtraque sæpe vitio, contraque sacrorum canonum præscriptiones impetrata. si quæ literæ; non ad salutē, diuinarumuè rerum scientiam; sed ad lites, & iudicia comparatæ. sacrorum munerum functionibus, sacrificiisque ipsis obeundis, tamquam vulgarium clericorum officiis, nobiliores abstinere: profanis negotiis implicari. ædes sacræ ex parte maxima deformatæ; debitóque diuinorum officiorum cultu destitutæ: sordida suppellex, reliquiæ aliæque sacræ res indignis modis habitæ. Concionatores ad eas res fere intenti, quæ vt Apostolus monet, ad cōcertationes potius, quam ad rectam vitæ institutionem valent. Hæc omnia qualis populi vita consequatur, ignorat nemo. annuus tantummodo sacramentorum vsus; ac in plurimis ne annuus quidem. sacra officia, immo ecclesiæ ipsę parum à clericis, multo minus à laicis frequētatæ. criminum, quę sacra potestate puniuntur magna licentia: adulteria multa, concubinatus, vsuræ. sed eius temporis miseriæ distinctius ex Caroli gestis apparebunt. Manebat certè Mediolanensium illa procliuis ad virtutem natura: erant piorum hominum sodalitia, aliaque vetera instituta multa; quæ singularis cuiusdam bonitatis, ac pietatis significationem dabant; exterisque hominibus à Carolo missis magnæ erant admirationi. Religiosorum hominum congregationes multa salutis habebant adiumenta.

Clerici, qui Paulo Apostolo duce, ac patrono: cœnobiticam vitam apud ecclesiam sancti Barnabæ iam instituerant, religiosæ, spiritualisque vitæ rationem pręcipuo studio reuocare, atque inducere conabantur. rerum caducarum contemptum non solum verbis publicè faciendis; sed etiam seuera admodum vitæ ratione docebant: & eorum, quæ Deus pro nobis pertulit imitatione, acriter sæpenumero inflammati, ea publicè faciebant, quæ ad homines præsentium bonorum amantes acriter commouendos, vehemēter valerent. Verum, vt hi magnum numerum ad optimas christianæ vitæ exercitationes adduxissent; nullo tamen publicæ potestatis subsidio; plerisque etiā repugnantibus, vix quidquam consequi potuerant, quod vniuersæ ciuitatis mores immutaret. nam & ipsi religiosi ordinis homines eiusmodi vitæ spiritualis instaurationi, nouitatis nomine sæpè sunt aduersati: tanta vis est prauæ, ac inueteratæ consuetudinis: quæ vetustissima quoque pietatis officia, vt res nuper inuentas, malasque respuit, ac aspernatur. ex cæteris quoque ciuitatis bonis, multum extabat fructus salutaris; at non is tamen, qui tam magnas tollere corruptelas posset. Commodissime autē videtur euenisse; priusquam ipse Carolus veniret, Ormanetum ad ecclesiam administrandam mitti: vt cum multa ex iis, quæ æquiora sine dubio essent, ille assequeretur; multa etiam dissimulare, multa tolerare; leniter omnino ad reliquam, perfectioremque conformationem animos pręparare posset. nam plena, repentináque correctio sine magna perturbatione, ac periculo induci posse vix videtur. Carolum autem ipsum præsentem in multis, grauibusque conniuere; tum eius amplitudine, potestatéque indignum erat; tum futuræ etiam administrationi non mediocriter incommodum: quæ ex seueris, acribusque initiis multo facilior ei futura erat; quemadmodum exitus comprobauit.

In suam igitur administrationem ingressus Ormanetus mense Iulio anno à salute M. D. LXIV. quid egerit breuiter attingendum puto: vt cuius ædificii ratio latius hoc libro describenda est; eius quo modo iacta sint fundamenta prius ostendam. Ac primò quidem præcipua quædam capita tantummodo ad vitia coërcenda, ecclesiasticamque disciplinam restituendam, prudenter aggressus est; eaque fere Concilii Triden. auctoritate sancita; quibus qui resisteret, non ita facile, vel nullo modo potius posset excusari. nam & Philippus Rex, ac Mediolani Dux omnibus prouinciarum suarum Præfectis iusserat; vt quę Tridenti constituta erant, omnino seruari pro eorum facultate curarent.

Quæ Ormanetus egit in administratione eccle. siæ Med. CAP. VII. 1564.

ecclesiarum Antistites, quibuscúnque rebus possent, in iisdem perficiendis iuuarent: & prouinciæ Gubernator Gabriel Couius Dux Alburcherchii, Senatúsque Mediolanensis, ad omnia in eo genere peragenda piè se paratos ostendebant. Primò igitur Ormanetus omnium Ambrosianæ ecclesiæ clericorum synodum, paulo post aduentum suum conuocauit: vt Ecclesiarum ministros, eorum conditionẽ, ac statum, tum ius habendi sacerdotii recognosceret: iis pręsentibus, quę ad vsum pertinerent, deliberaret: quæque seruanda essent, denunciaret: Habet vrbs Mediolanensis ecclesias animarum curatione insignitas, seu parochias ad septuaginta. alias octo, quę canonicorum collegiis coluntur. Extra vrbem vero sunt parochiæ circiter septingẽtæ; collegia multa, cumq; à reliquis partibus haud ita latè diœcesis pateat; quæ spectat ad Aquilonem: quamuis Comensis ecclesię finibus ad viginti millia, & amplius partim teneatur; longè tamen etiam funditur ad regiones Verbani lacus: tum vero obliquo, longissimóque tractu ad alpes pertinens, ad passuum circiter centũ millia ab vrbe progreditur; multúmque earũ regionum capit, quæ sub Heluetiorum imperio sunt: ac montibus, vallibusque multis impedita, vias incommodas, atque asperas habet. Vrbis igitur, atque agri sacerdotibus conuocatis, qui numero fuere circiter mille ducenti, synodum habuit Ormanetus, in eo sacri Tridentini Concilii decreta publicè recipi, fidémque catholicam singulos profiteri iussit: tum denunciauit; vnam cuique presbytero retinendam ecclesiam cum animarum cura; & in illa ei residendum: cæteras vero quam primum dimittendas. De seminario clericorum constituendo egit; vnde ministri moribus, & doctrina idonei ecclesiis suppeditarentur: de honestate clericorum in vestitu, in habitatione, in consuetudine quotidiana; in quibus variè, grauitérque peccabatur; nonnulla constituit, quibus de rebus tum decreta recitata sunt; tum Palmius grauissimas, liberásque conciones habuit. Sacerdotes deinde omnes qui passim antea nullo scientiæ facto periculo, nullóque testimonio confessiones audiebant, eo munere interdixit; nisi prius ab ipso essent probati; quod tempori cedens, tunc quidem leniter fecit. Legitimas inquisitiones, approbationésque, de iis qui sacris initiandi essent, restituere cœpit. Vrbis partimque diœcesis ecclesias visit, & recognouit, quarum malis tamen plurimis, & grauissimis haud mederi plene poterat; tum ob idoneorum presbyterorum paucitatem; tum etiam ob sacrorum vectigalium tenuitatem; quæ magnis pensionibus detractis, diminuta, atque adeo, exinanita erant. Hæc omnia licet tum veterum, tum Tridentini Concilii canonũ sanctionibus cõstituta essent; nonnulli tamen, vt est eorum cæcitas, qui in prauitate sunt obfirmati, pertinaciter recusare; publicè reclamare; Vicarium, & concionatorem accusare, ad Senatum cõfugere; de procuratore mittendo, nunc Romam ad Pontificem, nunc in Hispanias ad Regẽ, dictitare: secretò etiam per literas absque nomine scriptas Vicario minari; aliáque tum absurdè, tum improbè tẽtare. Sed hæc licèt magnam religioso Vicario molestiam exhiberent; illum tamen à partibus suis fortiter agendis minimè deterrere potuerunt. Seminarii caussa, quãquam Tridẽtino decreto sumptus ex sacris facultatibus suppeditãdi erãt; quia tamẽ clero vix quidquam adhuc extorqueri poterat; quin etiam multi actis conuenticulis, obstinatè optimo, & antiquo instituto repugnabant; Carolus necessariam pecuniam dari iussit. Multa quoque fecit Ormanetus in disciplina virginum, quarum cœnobia in vrbe, ac diœcesi sex, & quadraginta Archiepiscopali auctoritate reguntur, restituenda, quæ quidem pluribus locis valde corrupta erat; tum in vitæ communiter, æquabilitérque agendæ ratione; tum in ædibus vndique clausis habẽdis, & in admittẽdis ad collocutionẽ exteris, curauitq; illas per probatos sacerdotes, qui à confessionibus essent, quiue ad eas cõcionarentur, tum etiam per alimẽtorum subsidia ex Caroli pecunia suppeditata, ad religiosos mores, & ad spiritualia studia reuocare. Quo in genere multa executus ipse, Caroli auctoritate alios etiam Veronensis ecclesiæ presbyteros, & Ioãnis Matthæi olim administros accersiuit; quorum consilio, atque opera, tum in aliis; tum in hoc præcipuè negotio vsus est: & per eos optima virginalis vitæ in cœnobiis agendæ iecit fundamenta: id-

que ex Tridentini Concilii constitutionibus; ex Veronensis Ecclesiæ institutis; & ex ea, quæ iam in sancti Pauli cœnobio Mediolani ante vigebat, disciplina. Institutum illud fuit eodem tempore, quo Clericorum sancti Pauli Congregatio: eorúmque consiliis, atque opera gubernatum fuit: de quo cœnobio Veronenses illi, quemadmodum nuper in eorum literis ad Carolum legimus, testabantur, nullum se ad id tempus aliud nosse, quod omni vitæ religiosæ disciplina, propius ad optimum, perfectúmque statum accederet, quare ex eo postea plures Carolus eduxit; & aliis monasteriis ad eorum mores corrigendos præfecit: ex quibus quædam adhuc in eo munere perseuerant; libenter autem hæc bonorum virorum testimonia eò commemoraui; vt perpetuus sit, quemadmodum quidem valde cupio, virginibus illis stimulus perfectæ disciplinæ conseruandæ. Hæc vt Ormanetus facilius consequeretur, prudenti consilio sacrorum hominum disciplinam primò correcturus; in populo, magistratibusque multa pro tempore dissimulabat; nè quid eius conabitus afferretur impedimenti. Ex ordine sacro qui videbantur religiosiores, eos vti fratres amantissimè complectebatur; eorum exemplo, studiis, atque opera multa perficiebat: in literis ad Carolum collaudabat, iisdémque gratias agi curabat: quod ille statim faciebat, atque humanissimè. Sed Ducis quoque, prouinciæ Gubernatoris, & Senatus pietate non parum in multis adiutus est, ab eis si ecclesiastici homines præsidium peterent, nihil præter officiosas ad Vicarium preces impetrabant. Ducis autem in primis religiosum animum, in eiusmodi piis negotiis, valde solebat Ormanetus collaudare; inter alia referebat ad Carolum scribens, fauisse illum statim instituto de testimonio habitæ confessionis, & sanctissimæ Eucharistiæ acceptæ, tempore Paschatis afferendo: familiámque suam id afferre iussisse, cum edicta quædam ad penuriam arcendam promulgaret, de eo, quod ad clerum pertineret, nihil attigisse, Vicario totum sine controuersia permisisse. Commemorabat item, Franciscum Ferdinandum Aualum Marchionem Piscariæ, qui Mediolani tunc commorabatur, ita piis eiusmodi institutis assensisse, vt si quis ex familiaribus peccata confiteri, atque Eucharistiam sumere in ea Paschatis celebritate recusaret, eum è domo, & ex numero suorum exturbaret. Tam multa cum præstaret Ormanetus, parum tamen proficere sibi videbatur: eximio enim erat ecclesiæ benè constituendæ desiderio, angebatur animi, quod dum in mandato sibi negotio progrediebatur, nouas semper incurrebat difficultates, nouósque sibi excitabat aduersarios: vt illud ex Apostolo sæpe proferre soleret, Verè neminem posse placere Deo, & hominibus: & illud, Nullam humanè, prudentérque agendi rationem iis posse satisfacere, qui corrigi nolunt; quæ res faciebat, vt de suo discessu sæpius Carolum rogaret, quamquam illud in primis in eo spectabat, vt ad parochiam suam Veronensem posset reuerti. dicebat verò, vt magis Carolum moueret, neminem tandem vllam ecclesiam regere, vt oportet, atque ordinare posse, præter eum, cuius est illud proprium, non autem mandatum munus. Atque cum in his omnibus Ormanetus, Plamii, sociorúmque, tum Clericorum sancti Pauli consilio, atque opera plurimum vteretur, ex Caroli tamen in primis non auctoritate solùm, quæ Pontificis benignitate latissimè patebat, sed etiam sapientia, lumine, atque ardore animi valde iuuari se in omni administratione sua bonus senex prædicabat: mirabatúrque illum grauissimis occupationibus assiduè distentum, lōgissimas tamen sua manu de Mediolanensis ecclesiæ rebus literas scribere. Is verò piorum, doctorúmque virorum consilium quoddam Romæ sibi constituerat, in quo sigillatim de Mediolanensibus negotiis consultaret. Sed Gabrielem Paleottum in primis, tunc ex Senatoribus, quos Rotæ dicunt Auditores, postea verò Cardinalem ab ipso Pio creatum, adhibebat, quem virum ob doctrinam, pietatem, & ecclesiasticæ administrationis insignem vsum, plurimi semper fecit.

Carolus Mediolanum venit, & concilium Episcoporum celebrat. Cap. VIII.

Carolus autem suum vrgere discessum non desistebat, ac de Episcoporum prouinciæ Mediolanensis Concilio, per antiquiorem Episcopum saltem, si per se non posset, celebrando, omnino constitutum habebat, in quo sacris antiquis legibus nuper eo de genere Tridentini renouatis pareret;

prouinciæ

prouincię statum perfectius cognosceret: & de emendatione, constitutionéque rerum omnium; quæ opus erant; quæque iam magnam partem in animo habebat, auctoritate concilii plenè decerneret. At post moras, impedimentáque varia obtinuit à Pontifice tandem, quod diu cupiebat. Id vt honorificentius ei, atque facilius eueniret; non solùm Pontifex Legati dignitatem in Bononiensi ditione, prouincia Romandiolæ, ac Exarchatu Rauennæ cõtulit; quam antea quoque tenuerat: sed in tota quoque Italia Legatum à latere suo dimisit. Hic minimè alienũ existimo, reliquos item Caroli honores, munera, facultatésque recensere; quibus, cum haberet, insignis fuit, & cum dimisisset insignior. Cardinalis igitur, Legatus, idémque Archiepiscopus noster; ecclesias non minus duodecim in variis regionibus Abbatis, Commendatariivè nomine tenebat: & Ecclesiæ S. Mariæ maioris Vrbis erat Archipresbyter. Amplas pensiones variis in prouinciis, aliasque sacras facultates obtinebat. Caluentianum sacerdotium addixerat iam fabricæ collegii Ticinensis, quam ante annum opere magnifico cœperat. supremo paulo post sacræ pœnitentiæ muneri à Pontifice præesse iussus est, summa omnium approbatione: qui tali Præfecto, sacrosancti Magistratus optimã administrationem maximo per vniuersam Ecclesiam pietatis fructu, restituendam, sperabant. neque eos fefellit opinio; omnes enim eius partes, multo tempore, licet absens, opera eorum qui Romæ res eius gerebant, & Pontificia in primis auctoritate, religiosè conformauit. Delatum est etiam à Pontifice quandoque Camerarii Apostolici munus: quod ille, amicis nonnullis tacitè indignãtibus, pia de caussa recusauit. Aronæ Comes cum esset; Vritanæ quoque vrbis, ditionisq; à Philippo Rege, Princeps erat, dum viueret, constitutus: vnde aureorum circiter decem millia annua exigebat. Romaniani Marchionatum Federico Ferrerio cognato ante donauerat. Instructas triremes, quæ in eum à Federici fratris morte peruenerant, quæque stipendia in classe Philippi Regis, ad viginti millia aureorum merebantur, tamquam à suis studiis valde alienas iam vendiderat. Lusitaniæ Regnum, & Heluetiçæ gentis septem pagi catholici in eius erant clientela; quibus non multo post Germania inferior addita est. Vniuersus ordo Franciscanorum, Carmelitarum, Humiliatorum, & item canonicorum regularium sanctę Crucis Conimbricensis: præterea sacri milites; tum Hierosolymitani, tum Iesu Christi Lusitaniæ, ejus tutelæ fuerunt commendati. Annuorum redituum summa, quæ per id tempus fuerit, non satis definite potest affirmari. & emolumentorum tamen omnium habita ratione, ad nonaginta millia aureorum nummũ videtur quãdoque peruenisse. Vt modestum animi sensum, eius literæ tunc ad Ormanetum scriptę ostendebant: quibus de vitæ suæ ratione in itinere, Mediolanique tenenda singillatim monebat; & præscribebat: Cupere se comitatu modico, cultúque modesto Mediolani esse; vbi, vt Episcopus, exemplo cæteris esse deberet ad inania humanæ vitæ studia fugienda. Si ibi daretur permanere, progressurum se multo magis in vsitato vitæ cultu extenuando: Sed Romã redeundum cum esset; mediam quandam viam sibi tenendã: & eius tamen vitæ, ac disciplinæ specimen esse dandum, quã sibi iam constanter proposuerat. non posse familiares suos, tunc quidem, cum minorẽ comitatum cuperet, tamen non secum ducere variis de caussis amplius centũ. velle, sibi duo tantũ, aut ad summũ tria loca pannis ornari minimè pretiosis: non argenteis vasis in mensa, sed fictilibus vti: & ciborum rationem ad frugalitatis, temperantięque normam moderari. Episcopos omnes sibi statuisse hospitio suscipiendos; tum quia cõmodius id esset ad synodi negotia tractanda; tum quia hospitalitatis officiũ sibi, vtpote Episcopo, maxime cõuenire intelligebat; pręsertim erga fratres suos: quos quemadmodum nullo ambitioso apparatu excipere volebat, ita cupiebat omnibus fraternę charitatis officiis amplecti. Ad omnia se admirabili diligentia parauit, quæ opus erant; ad vrbis ingressum; Episcoporum conuocationem; vitę rationem; hospitum commoditatem; concilii actiones. Constitutionum synodalium materiam maxima ex parte, tum ipse Romæ iisdem consiliariis adiuuantibus parauerat; tum Mediolani per Ormanetum ex præsenti rerum statu colligi iusserat. Plures Theo-

logos ex variis religiosis ordinibus, tum alios iuris pontificii peritissimos, ad se accersiuit; in iis Scipionem Lancilotum, nunc Cardinalem; Ioannem Baptistā Castellium, Michaëlem Thomasium, postea Episcopos; qui in Concilii Tridentini actionibus cogniti, probati erant: quorum omnium præstanti doctrina, quæ in Concilii decretis conficiendis oporteret, explanarentur. adduxit etiam familiares suos, viros eruditione, ac eloquentia præstantes; Siluium Antonianum, valde sibi charum, cuius virtute, ac doctrina nunc vtitur in grauissimis rebus Apostolica Sedes: Ioannē Baptistam Amalthæum, Iulium Pogianum. Roma igitur profectus; Bononiæ multa de munitionibus, de finibus, de publicis iudiciis, ad eius vrbis, & ditionis vtilitatem auctoritate Legati triduo constituit: ad Nonantulanam ecclesiam venit; & quasi synodum clericorum habuit; vt si quid opus esset, pro suo Abbatis munere constitueret, corrigeretur. Toto itinere summo licet honore Principū, & priuatorū officiis exceptus, Pręsules, & Ecclesias suo intentus muneri circumspiciens, quid absentia pastorum incommodi, quid præsentia fructus afferret, obseruabat: in quo disceret ipse, & si quid iis opus esset, Pontifici referret. Singulari demum, & penè incredibili amoris, & obseruātiæ significatione, ciuis, & Pastor exceptus est à Mediolanensibus suis; præcipua namque lætitia quædā, atque hilaritas eius aduentus, ingressusque tempore, in omnium vultu, atque ore versari videbatur. ac memini me tum adolescentulū audiisse, qui eo ciuitatem ingrediēte prædicarent, alterū Mediolanensib. Ambrosium aduenisse. Vrbē ingressus est die dominico. IX. Cal. Octob. anni à sal. M. D. LXV. cum XXVI. ætatis annum ageret. Triumphales portas, symbola, elogiáque honorificentissima; ac viarum ornatus, non est opus explicare: è Basilica Regū, quæ nunc Eustorgiana est, de more mitra, & cæteris Pōtificalibus indumētis ornatus prodiit. albo equo, stragulis coloris eiusdem sericis adhibitis, insedebat. Confaloneriæ familiæ; cuius illud est ius, & institutum; nobiles viri, rubeo, & splendido vestitu pedites eum cingebāt: sericum vmbraculum itidem album, sublime super eum ferebant. clericis, & monachis ordine præeuntibus, ad maiorem Ecclesiam sacra solenni pōpa processit. Dux, cum Senatu, & aliis Magistratibus, & omni fere nobilitate comitatus est: vniuersa ciuitas concurrit: reliqua acta, atque adhibita pro ritu consueto. Proxima die dominica, celeberrima sacrosanctæ Missæ solēnia cum, vt par erat, maxima omnium ordinum frequentia, in maiori templo perageret; ad altare sedens concionem habuit, nouo planè eius temporis exemplo, de rebus salutaribus ad populum. Interim quæ synodi caussa oportebat, inter assiduas ciuium salutationes magno labore curauit. quarū rerum caussa iam tum cœpit, neque somno, neque cæteris vitæ commoditatibus parcere. Varia munera tum Episcopis, tum aliis assignauit, ad ea quæ opus erant primo definiēda, mox in synodo constituenda; quæ hoc loco enumeranda non videntur. Patuit multo latius olim ius Archiepisc. Mediolan. eiusque Prouincia multo fines habuit ampliores; quidquid enim cisalpina Gallia, Liguriaque continebatur, ad Mediolanensem metropolim creditur fere pertinuisse; immo nōnullæ quoque alię ciuitates. nam S. Barnabas, cum ad has partes diuini Euangelii præceptis ad salutem informandas venisset; vt multis argumentis, testimoniisque testatum est, quæ aliàs latius explicari poterunt; Mediolani vt in primaria totius regionis vrbe præcipuè consedit; & ex ea cęteras Ecclesiás per se, pérque discipulos suos, vt mos fuit Apostolorum instituit: quæ postea semper Mediolanensem, vt matrem agnouerunt; quamdiu, qui id poterāt, aliud non decreuere. Ad synodum autem à Carolo celebratam venerunt hi Antistites, Bernardinus Scotus tituli S. Matthęi presbyter Cardinalis Tranensis, Episcopus Placentinus: Vido Ferrerius Cardinalis, & Episcopus Vercellensis: Hieronymus Vida Albensis: Mauritius Petrą Viglebanensis: Cæsar Gambara Dertonensis: Scipio Estensis Casalensis: Petrus Costatiarius Aquensis: Dominicus Bolanus Brixiensis: Nicolaus Sfondratus Cremonensis, ad Apostolicam sedem postea ob eximiam pietatem elatus: Hieronymus Gallaratus Alexandrinus: Federicus Cornelius Bergomensis. Excusatos verò se variis de caussis haberi petierunt, Ioannes Antoninus

Capisuccus, tituli sanctæ Crucis presbyter Cardinalis, Episcopus Laudēsis: Ioannes Antonius Serbellonius tituli sancti Gregorii presbyter Cardinalis, Episcopus Nouariēsis; Gaspar Caprius Astensis: Ioannes Ambrosius Fliscus Sauonensis. Intimiliensis Ecclesia tunc Episcopo vacabat. Placentinus Episcopus adhuc sub Mediolanensi Archiepiscopo esse affirmabatur; ille autem negabat. saluis tandem vtrique parti iuribus suis. Placentinus tantum ex Tridentino decreto, metropolim Mediolanensem consilii Prouincialis caussa sibi elegit. In eadem caussa esse dicebatur Ecclesia Ticinensis; sed nihil est confectum. Alii quidam longinquiores itidem sunt vocati, de quibus nihil actum est. Prima sessione concilii Patres ab ædibus Archiepiscopalibus, Senatus ad maiorem Basilicam comitatus est: Missæ Gubernator interfuit. mox Palmius de Ecclesia ordinanda grauiter concionatus est. Carolus latinam orationem habuit de conciliorum prouincialium instituto, & necessitate. alia sunt acta, quibus alter quoque dies consumptus est. inter ea fuit lectio omnium canonum, & decretorum Concilii Tridentini, publicáque eorum receptio; tum fidei professio, quam vnusquisque obiit singillatim. aliis sessionibus Ambrosiano ritu Missæ ab Episcopis celebratæ sunt; & decreta synodi suo quæque loco promulgata. Postrema verò Cardinales alii duo, Bobba, & Castillionæus honoris gratia affuerunt: & Carolus fratres Episcopos ad ea perficienda, quæ constituta fuerant, & ad Episcopi munera sanctè obeunda latina oratione cohortatus est. Habuit actio eiusmodi fructum pietatis maximum. elucebat in amplissima dignitate, Præsulum, & Caroli in primis pietas, modestia, vitæque sanctitas. ac non solùm tantæ hospitalitatis officio; sed amplis eleemosynis in clericos. aliosque egenos; in Ecclesias sacráque collegia conferendis, præclara piæ liberalitatis edebat exempla. de rebus ad salutem pertinētibus sacri oratores quotidianas ad populum conciones habebant: qui multitudine post hominum memoriā maxima confluebat. proferebantur decreta ad cleri, populique mores componendos aptissima, atque illustria. réque ipsa à vitiis, & corruptelis, sacri, profanique homines. alii exemplo, atque honestate commoti, pars metu pœnæ sese abducere diligentius studebāt. obseruabant pii omnes, etiam ex longinquis prouinciis, ac mirabantur in Carolo, tamquā in omnium oculis collocato, animi religiosum ardorem; qui tali ætate, tali apud summum Pont. & sanguinis, & amoris loco; nihil tamen videretur aliud, quam commissi gregis custodiam, & perfectæ vitæ sacerdotalis officia curare. cum præsertim noua tunc satis esset ea disciplinæ ratio, quā sibi, cæterisque Carolus decretis instituebat, ac exemplis. Sed tantarū quoque rerum restituendarum vt se darent initia, plurimi expectabant. amici Carolo multi etiam ex iis, qui in summis gradibus sedebant, solliciti erant vehementer; nè, quæ tali tempore singularis Ecclesiæ putabatur ordinatio, ac emendatio morum; vsu ipso non sine dedecore careret: propterea quod corruptis consuetudine animis, plerisque difficilis admodum videbatur: & ex voluntate, virtutéque sua quisque, vel ipsam rerum naturam ferè solet metiri. Carolus verò diuino auxilio fretus, spe maxima erat; maximóque animo omnia aggrediebatur, obibat, exequebātur, neque spes eum fefellit: ea nāque fuit, Deo ita prouidente, omnium ad quos pertinebat in ea actione voluntas, & consensio; vt omnia prorsus feliciter euenirent. Gubernatori verò ipsi Carolus in primis mirificum pietatis testimonium tribuebat. qui licet religiosi animi laude; quem sua sponte rebus omnibus egregiè præstabat, non sit fraudandus: plurimum tamen effecisse dubium non est, Philippi Regis voluntatem; qui magnam voluptatem, fructumque ex iis Caroli consiliis, actionibusque se capere cum affirmaret; præfectis etiam suis iusserat, vt ei omni officio, studióque præsto essent. His igitur de caussis, qui actionis illius initia primo verebantur, exitum postea videntes, incitabantur ad imitationem. Pontifex ipse singula, quæ agebantur audiens, maximè lætabatur; etenim videbatur eo tempore Caroli studiis eiusmodi magis, quàm antea fauere: ac Sirleti Cardinalis consuetudine penè assidua delectabatur. Atque inter alia de concione intra missam habita cum accepisset; palam dixit, sibi quoque, & Cardinalibus idem

esse faciendum. cui quidem quam grata illa omnia fuerint, eius hæ literæ ad Carolum scriptæ testantur.

Pij Quarti literæ ad Carolum.

Iucundissimæ nobis fuerunt literæ tuæ omnes; sed postremæ inter cæteras, quas ad nos XVIII. huius mensis die dedisti, tum de omni synodi istius fœlici progressu, tum præcipuè de Tridentini Concilij decretis publicè receptis; de istorum populorum præparatione ad ea omnia accipienda, quæ in synodo constituentur: & de prompta item Gubernatoris, & aliorum Serenissimi Regis Catholici ministrorum voluntate; qui ad rerum decretarum vsum, studium, atque operam suam omnem pollicentur. Quæ in re diuinum auxilium perspicuè agnoscentes; quod ardenti, optimóque desiderio tuo, ad omnium rerum prosperitatem, præsto es; te collaudamus; hortamúrque vt læto animo pergas optima constituere, & quæcunque possis laudabilia exempla edere: postea opportunè Tridentum versus honoris causa obuiam Principibus fœminis procedas; aliáque præstes, quæ nos velle nosti. omnia autem te pro tua prudentia, & bonitate facturum non dubitamus. Dominus noster te seruet Romæ VI. Calendarij Nouembris, M. D. LXV.

Romam proficiscitur. Pontifice mortuo creatur Pius Quintus. Cap. IX.

His rebus celeriter gestis; Carolo quam primum Romam erat redeundum, ita iubente Pontifice in primis: sed postulantibus etiam rebus ipsis, negotiisque ad vniuersam Ecclesiam pertinentibus: in quibus illud præcipuum erat, & grauissimum, vt in Tridentini Concilii decreta conseruanda, contra frequentes, ardentésque multorum postulationes incumberet. Illud tamen est interpositum moræ; quod Cosmi Florentinæ, Senarumque Ducis, & gentilis sui rogatu, Pontifex, eum proficisci Tridentum iussit, ad Ioannem Maximiani Imperatoris sororem excipiendam, quæ Francisco Cosmi filio; & cum ea sororem Barbaram, quæ Alphonso Ferrariæ Duci, desponsa erat. Dum autem Italiæ Cæsaris sorores appropinquarent, paucos alios dies amplius nactus, nouos Carolus excepit labores. ecclesias, & sacra collegia multa canonicorum, ac virginum lustrauit, ac recognouit: iis quæ in synodo constituerat, efficiendis operam dedit. cadauera, quæ alte in ecclesiis collocata erant, deponi iussit; & in primis quæ Mediolanensium Principum fuerant: de legibus quibusdam publicæ vtilitatis caussa ferendis egit; de illa inter cæteras, quæ sumptibus moderaretur: de qua tamen nihil confectum est, ob iniecta quædam ex humanis rationibus impedimenta. Regiis demum fœminis obuiam profectus, ex itinere Episcopi Giberti illius inductus memoria Veronam venit: cum ei præsertim Ecclesiæ tunc Augustinus Valerius Episcopus, quem diligebat valde, atque obseruabat, præesset. Ibi summo studio parique animi submissione de Præsulis ipsius, Ecclesiæque institutis; de multis administrationis Ecclesiasticæ partibus exquisiuit: Giberti olim familiares, & alumnos diligenter interrogauit: quibus enim se totum tradiderat, omnia curæ Pastoralis officia plenè studebat condiscere. Dum autem Florentiam Ioannam deduceret, circiter Nonas Decembris accepit de graui admodum Pontificis morbo. tum relictis omnibus, cursu Romam contendit: atque ita maturè peruenit: vt auunculo adhuc viuo, non modo extremum suæ præsentiæ solatium afferre, sed ipsa diuina salutis instrumenta necessario tempore potuerit adhibere. Ibi dicitur ante omnia statim medicos ad se vocasse, petiiséque, num spes vitæ reliqua esset: quibus negantibus; tum adisse Pontificem, dixiséque; nihil petiisse antea vmquam, quod ab eius benignitate non accepisset: vnum adhuc petere, quod omnium minimè sibi negari vellet. cum annuisset Pontifex; enixè petit, atque obsecrat; quando spes vitæ prorogandę omnis erepta esset, nihil aliud penitus eo tempore vellet, quàm quę ad animæ salutem pertinerent cogitare. tum verò effecit, nè alius quisquam, vt sæpenumero fit, aliena ingereret, molestiamuè exhiberet. ac piis sermonibus, mira animi fortitudine, eum consolatus; sacra diuini viatici, & extremæ vnctionis subsidium prębuit: neque aliquo pietatis officio defuit, vsque ad extremum spiritum. In quo & accommodatam summo Pœnitentiario muneris functionem; & egregiam in auunculum, patrémque summum pietatem; tum verò præclaram iuuenis excelso animo humana cuncta despicientis.

constantiam licuit agnoscere. Pontifice vero Id. mensis eiusdem mortuo, ad noui Pontificis creationem ita se conuertit; vt incommodorum suorum, quibus pro humana conditione vehementer angi debuerat, prorsus videretur oblitus; erat autem præcipua illius in eo negotio auctoritas; ob magnum in primis Cardinalium numerum, qui à Pio creati, eius ductum erant de more secuturi. Atque ita se ille comparauit; vt neque hominum voluntatis, quicumque illi essent, siue Principes, siue alii: neque vtilitatis propriæ sibi rationem esse habendam statueret: quo diuinæ gloriæ, ac communibus Ecclesiæ commodis inseruiret: remque omnium grauissimam castissimè administraret. itáque & in itinere, cum tentaretur à Principibus amicisque viris: quidquam agere penitus recusauit; religione sacrarum legum impediri se affirmans, nè viuo Pōtifice de successore ageret: neque illo mortuo, eos audire voluit, qui rationes vtilitatésque humanas sequi viderentur: quamuis homines vulgari prudentiæ, cupiditatibusque dediti, factum eius reprehenderent; pertinaciæque scilicet, aut immoderato religionis studio id tribuerent. Antequā sacrum ingrederetur Conclaue; plures ille quidem animo sibi proposuit, qui viderentur Pontificatu digni; neque eum, qui postea electus est, vt eius intimi deinde cognouerunt, prætermisit. sed tamen mentem suam patefecit nemini: immo Francisco Crasso Cardinali, cum intraret, quærenti, quem crearent Pontificem; quem Deus elegerit, respondit; nihilque prætereà aliud. Ingressus verò, quotidianis sacrificiis, assiduisque precibus, quantum poterat opem à Deo in re tanta petebat. atque cum & proprio, & communi aliorum quorumdam Cardinalium officio, quibusdam nominationibus satisfecisset; omne demum studium, curam, operamque in eo posuit, vt Pontifex Ecclesiæ daretur, qui pietate, vitæ sanctitate, doctrináque plurimum prodesset: qualem inter alios Michaëlem Ghislerium ordinis Dominicani, Cardinalem Alexandrinum cognouerat. nam & eum amauit, & plurimi fecit semper: & de vitæ, atque ecclesiæ suæ rationibus sępe consuluit. itaque nulla habita ratione, quid Carafarum ille caussa facere fortasse posset, qui à Paulo quarto Cardinalis esset factus quodue Pio eius auúculo parū gratus fuisset; Marco Sittico Cardinali Altēpsio secum adnitente, in eius omni conatu creationem incubuit, collegis qui sese ad eum applicauerant idem persuasit; & eosdem cum res prope perficeretur, secum retinuit: nè sibi forte quis eriperetur. atque ita quod volebat, Deo in primis efficiente, celeriter, obtinuit. Creatus est VII. Idus Ianuarii anno M.D.LXVI. & Pius Quintus appellatus. Carolum in eo administrationis genere non satis peritum sesę ostendisse; aut solertem, ideóque quod alii, non quod ipse mallet, euenisse, nonnulli iudicarunt. sed eorum qui diuersa sentiunt, spectantque diuersum oportet esse iudicium. minus sagaciter, vel etiam prudenter eum curasse aliquid: & ideo non obtinuisse putamus interdū, qui sibi ęquo animo passus id fuerit eripi: contra, nec opinantem, & penè coactum admisisse; quod consulto fit secutus: ac non libenti solùm, sed gaudenti etiam animo exceperit: id quod iis sępissime euenit, qui perturbationibus liberi, diuina, non humana ratione ducuntur; plusque diuinæ prouidentiæ tribuunt, quam humanis artibus. Illud certum est, Pontificem sanctissimum, vel cum rerum suarum iactura Carolum quæsiuisse: ac demum etiam Dei benignitate fuisse consecutum. Eius electionis caussa magna fuit piorum omnium lætitia, magna Caroli probitatis cōmendatio: & ei Principes, Reges, priuati homines de re vndique sunt gratulati. Ipse verò tali electione lætus: nihil habuit tamē antiquius, quam vt ad ecclesiam suam quamprimum proueteri suo desiderio, & ex Concilii Tridentini cōstitutione, posset reuerti: licet eius animi paucos imitatores collegas haberet. A Pontifice maximè diligebatur. muneribus amplissimis in Vrbe prępositus erat. Principes eandē erga illum voluntatē conseruabant: neque enim potestatis amplitudine, sed virtute nitebátur: nam & Rex Catholicis Germaniæ inferioris clientelam ei tunc demū vltro detulit. Sed nihilominus secedere potius, & cōmissum sibi gregem custodire: simulque spirituali, ac Episcopali disciplina sese vtilius exercere maluit. immo licet opportunum tempus Romæ, per singularem Pontificis pie-

tatem offerretur, multa constituendi, quæ salutari essent toti Ecclesiæ documēto, iáque nōnulla essent in manibus; immo Pontifex ipse manere propemodū iuberet: tamen reputans, quanti referret ad cæteros omnes in eo genere commouendos, primarios Ecclesiæ pastores apud greges suos, vti recenti etiam Tridentino decreto sancitum erat, residere; debitumque illis officium coram præstare: lectissimorum etiam virorum consilio confirmatus; posthabitis aliis omnibus, constituit ad Mediolanensem gregem redire: concedente interim ea conditione Pontifice, vt proximo reuerteretur autumno: qua se ille conditione, bona deinde Pōtificis ipsius venia, rursus inuitatus exoluit. Prius verò quam discederet, Catechismum, quem auunculi iam auctoritate iusserat inchoari, perficiendum, & Breuiarium item, Missalémque librum restituendum curauit. nonnulla, quæ Mediolani statuerat, vt auctoritate Pontificia confirmarentur effecit: de quibus ipsæ Pontificię constitutiones extant. literas quoque Pontificis obtinuit ad Principes, in quorum ditione prouinciæ Mediolanensis ecclesię sunt: vt rerum decretarum vsum, & totum conformandæ ecclesiæ negotium iuuarent. Quæ quidem omnia, vt obtinerentur, parum habebant difficultatis: cum ipse per se Pontifex ad omnes rectæ disciplinæ partes restituendas animo valde paratus esset: & Carolum plurimi faceret. immò verò eorum occasione, quæ Mediolani confirmanda erant, plura constituit Ecclesiæ Catholicæ maximè profutura. ea quoque Carolus Pontifici, memoriam eius potius, quam voluntatem iuuans, monita libere suppeditauit; quæ vtilia in primis iudicabat Ecclesiæ Dei. Huiusmodi fuerunt, quæ ab amico Pontifice Cardinalis optimè de illo meritus recenti creatione sibi, suisque postulauit, atque impetrauit. Illud etiam in discessu fecit, iam disciplinæ omnis exequendæ, maiori quam antea desiderio accensus; vt nouum familiæ delectum haberet, eámque ferè ad homines ei disciplinæ, quam sibi proposuerat, accommodatos redigeret: quorum mores, ex episcopali domo, quasi ex edito quodam loco cæteris exemplo esse possent: quique non tam gratiam hominum, suasque vtilitates; quam res Deo gratas, sibique, & aliis verè salutares sequerentur. quæ res fecit, vt magna veteris familiæ pars ab eo discederet: aliqui etiam Mediolanum profecti, postea Romam redirent. sed ille sibi iam, id quod necesse est, humana omnia posthabenda constituerat, vt perfectam sequeretur Episcopalis vitæ degendæ rationem.

Mediolanum recursus exequitur munera sua. Cap. 10.

Mediolanum venit, Nonis Aprilis: ac ad ea perficienda, quæ in prouincię concilio anno superiore constituta erant, & ad ecclesiam in omnes partes, ex Tridentinæ synodi decretis rectè componēdam sese cœpit exercere. Iucundissima Carolo erat ea cura: quo tamquā ex maximis fluctibus in portū confugerat: non otii quidem, sed eius tamen negotii; quo sicuti numquam aliud magis operosum, assiduumque se habuisse, ita nullum quoque suauius se expertum commemorabat. Mirum autem capiebat ex eo fructum: quod ad meliorem cleri, populique disciplinā, ad diuini cultus incrementum, ad domus suæ piam gubernationem, non mediocres fieri quotidie progressiones videbat. ideoque tum voce, tum literis quod antea semper affirmauerat, fructus vberrimos, quos Episcopi in ecclesiis suis residentes ad crediti gregis salutem percipere possent, tunc maximè cœpit prædicare. Diuinorū officiorum cultum, in Metropolitana præsertim ecclesia, mirum in modum diminutū, cœpit restituere. sacrosanctę communionis in primis frequentiā quantū per idoneos sacerdotes efficere poterat, inducere studuit. in ecclesiis passim conciones sacras haberi constituit; tum in ædium suarum sacello vesperi tractatus luculentos, supplicatione, musicáque suauitate conditos: quo magnum ex nobiliori iuuentute numerum, vt piè commoueretur, alliciebat. ex primariis viris conflauit pręclarum sodalitium in ecclesia sancti Ioannis, cuius institutum esset, misericordiæ nomine, reos condemnatos consolari, piéque dum ad mortem ducerentur comitari. His rebus clerum ad officia sua reuocabat: confidebátque fore, vt ad pietatem diligentius colendam ita populus incitaretur, paulatimque sese vitiis expediret, ac breui quidem frequentē ad res sacras, diuinasq; non multitudinis solum, sed optimatum quoque conuētum festis diebus effecit. nam & exem-

plo suo, rebusque ipsis inuitabat omnes; & principes viros, senatores, magistratus, qui tunc eius domum frequentabant, amiceque, ac piè sectabantur, cohortationibus excitabat. eodem tempore multa conabatur, quæ ad vitia, corruptelasque publicas tollendas plurimum valerent. rursus de modo sumptibus adhibendo, de Academia, vel alia laudabili otiosæ iuuentutis exercitatione instituenda: de ganeis quibusdam ex vrbe, & suburbiis tollendis, in quibus magnum erat vitiorum seminarium, aliisque eodē pertinentibus. Ecclesias, clerumque ciuitatis lustrauit: & clerum quidem improuisò, atque ita celeriter, vt dispositis per vrbis regiones viris, omnia clericorum domicilia, quatuor horarum spatio diligenter inspicerentur. Deinde Septembri mense, post Virginis solemnia natalitia, exiit ad visendas agri ecclesias, vbi plurima passim inuenit, quæ extremo egere viderētur auxilio: vt tum dolore commotus interdum lachrymaret, tum lætaretur etiam in dolore: datum sibi tandem, vt afflictis patriæ rebus subuenire, rerumque sacrarum dignitatem, quemadmodum concupierat, in antiquum statum restituere posset. quod efficere, cohortatione, iussis, animaduersionibus, sacris vinculis pro sua potestate soluēdis; tum ea cura maximè, studebat, vt bonos sacerdotes sibi asciscceret, ac vndique accersiret: iisdemque, quantæ satis ad vitam, munusque essent, facultates attribueret: vt fructuosè possent saluti populorum variis muneribus inseruire. magnum enimuero, ac præcipuum rectæ administrationis momentum, idoneos habere administros: quos non gratia, vel aliena vtilitas obtulerit: sed rectoris ipsius studium, & prudentia delegerit. In huiusmodi negotiis incommodus Carolo accidit Ormaneti discessus: qui tum Pontificis iussu Romam euocatus est. quamuis autem se tali adiutore priuatum doleret: gaudebat etiam, quòd is vniuersæ Ecclesiæ operam daret apud eum Pontificem, qui ad omnia optima restituenda paratus, atque incitatus erat. Sperabat enim tanti Patris pietate, talibus consiliariis, & administris: Romanam rem ita constituendam, vt magis, ac magis optimis exemplis abundaret; & in omnes partes lumen vniuerso præferret orbi. Ipse Romam eadem de causa non obscure inuitatus, gregis sui amore recusauit: quamquam rerum omnium particeps, crebris consiliis, monitisque operi præclaro absens inseruiuit.

DE VITA ET REBVS GESTIS
CAROLI CARD. S. PRAXEDIS, ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI.
LIBER SECVNDVS.

Rebus aduersis cō. flictatus Carolus in salutari disciplina progreditur. Caput I.



Arolo quamquam ipsis initiis prospera fere omnia, faciliaque Mediolani euenirent; expectandæ tamen erant eæ difficultates, eaque certamina, quæ paulo virtutis, ac pietatis illustriorem viam ingredienti, nedum incumbenti Episcopo ad corruptos amplissimæ ciuitatis mores emendandos, solent offerri. Enimuero perennis ille rerum salutarium aduersarius, malorumque seminator, pios conatus omnes semper impedire, omnesque ad salutem aditus obstruere studet. qui iacentes homines sæpe commouet: per se variis cupiditatibus incitatos ad omnem contumaciam, & iniuriam impellit: auaritiæ, libidinis, superbiæ stimulos adhibet, vt religiosis Pastoribus quam acerrimos pares aduersarios, & insidiatores. Cumque illud assidue co-

gitet Episcopus, omnique studio agat, si modo recte munere suo fungi velit, vt populum sibi creditum à vitiis abducat, & ad optima christianæ vitæ instituta inducat, & compellat: quoniã hæc humanæ voluptati, cupiditatique valde repugnant, in plurimos necesse est incurrat aduersarios. pio namque in vniuersum, & ad rectam viuendi viam propenso populo, nihil mirum est tamen, variis de caussis multas inuehi corruptelas; vitiosos etiam multos, improbosque, nedum à christianæ vitæ perfectione remotos admisceri, in magna præsertim ciuium, externorumque frequentia. Eorum vero plerique qui dominantur in populis, aliam in sua ditione potestatem, & eam sibi quoque imminentem submoleste fere patiuntur, ac dum Episcopus ius dicit, iubet, coërcet; siue iuris sui tuendi desiderio, siue alia de caussa, inueniunt variis nominibus quod querantur, & expostulent. cum difficile sit non vti, quod in promptu est; legitimi iudicii nonnumquam impatientes vim adhibent, neque satis sacræ potestati suum relinquunt locum. Si Principes, ac domini prætermittant, non desunt administri, qui sese attentos præbent: vt sæpe etiam, quæ illi nec iubent, nec volunt, tamen studiose faciant, quod ita gratiam se ab eis inire putent. Alii vel tacent, timentes, ne dictum contra rem domini, licet sapienter dictum, pro maledicto habeatur, vel loquentes minimè audiuntur. Ita in bona, piaque ciuitate, a bono item, & catholico Principe, multæ sunt Episcopis tamen paratæ difficultates, multæ sæpe iniuriæ, insectationes, atque adeo interdum cruciatus. neque enim à suis hostibus tantummodo, vel ab Ecclesiæ catholicæ desertoribus suis, Christus Dominus molestias, acerbitatesque imminere pronunciauit. Vbi vitia, cupiditatesque nullæ sint, vbi nulla diaboli facultas, ibi qui repugnent Episcopus habebit nullos: tuncque non erit qui resistat, atque insectetur, cum ipse flagitiosorum pœnas, iusque suum persequi nolit. Cantuariæ inter catholicos inuenti sunt, qui Thomam crudelissime interficerent: Florentiæ, qui Antonium percutere non vererentur, optimos, atque sanctissimos Antistites. quibus equidem ciuitatibus non tam obiicere velim, quòd in iis Episcopi sint afflicti, quam gratulari, quòd tales habuerint Episcopos. neque tam dolere par est sanctorum ipsorum virorum perpessionibus, quam lætari præmiis. Similiter de ciuitate nostra Mediolanensi mihi euenisse videtur. nam & eximia eius pietas sanctorum Patrum grauissimo testimonio celebrata, hoc quoque tempore passim laudatur: & Regi optimo, ac religiosissimo Philippo paret: & talis nihilominus Archiepiscopus maximis in ea molestiis est affectus, atque adeo nefariè percussus: quarum rerum culpam ab auctoribus in ceteros deriuare, iniquum esset, qui semper eum religiose coluerunt. Non est autem, cur his omnibus quisquam deterreatur, aut in suo munere languescat sacrorum Antistes. quin potius conditionem esse suam agnoscens, vt imitatione ducis sui Christi, variis laboribus, acerbitatibusque conflictatus, cœlestem palmam ferat: ad animi fortitudinem cum res asperæ incidunt, cum vitæ sanctitate coniunctam, omni ope nitatur, sciens maxime, quanta laboranti, & quam iucunda leuatio, quamque vberes perpesso fructus, diuina benignitate sint parati. Carolus igitur ad ecclesiæ suæ ordinationem, emendationemque quotidie propius accedens, cum laicos homines nonnullos ex criminibus ad forum suum pertinentibus, vocari, aliquos etiam in custodiam dari per suos lictores iuberet, minime ius Episcopo esse quidam dixerunt, laicos absque Magistratuum auctoritate vinciri iubere. qui faceret, ab eo regium ius occupari. immo vero neque licere affirmabant lictoribus suis multis vti, neque vllis omnino, armorum genere quodam instructis, quæ ceteris erant prohibita. Ac cum publice tamen, aut scriptura minime resistendum existimaretur, ipsis priuatim sacri tribunalis hominibus verbo interdictum est, ne laicum quemquam auderent comprehendere, neque arma ceteris prohibita gestare. Ad hæc, cum edere Carolus synodi suæ constitutiones curaret, in quibus reperiri multa necesse erat ad laicos pertinentia, id minimè ferendum esse palam dicebatur. Præterea nescio quid à se concessus petendum prius Magistratus asseuerabant, quàm Apostolicis literis, iussisue quis

vteretur, aut promulgaret. Quarum omnium rerum facultatem ad se pertinere consilio iurisperitorum adhibito, Carolus iudicabat, tum ecclesiasticorum canonum auctoritate, tum quia sine ea potestas ecclesiastica minime libera videbatur, neque plene poterat vitiorum licentia coërceri, aut episcopale munus administrari. vt autem omnem perturbationem, quæ publice posset existere, quoad fieri posset, impediret, simul, vt opinor, apud se quodammodo magistratus excusans, qui non satis antea plenè vim, & effectum sacræ potestatis experti essent, priuatis amicisque tantum officiis ius suum demonstrare, tuerique studebat, ac Ducis in primis pietate perfecit, vt neque litteris pontificiis quidquam inferretur impedimenti, neque constitutionum synodalium editioni, promulgationique quisquam resisteret. Harum volumina vndique postulata, & toto pene christiano orbe, breui tempore disseminata, magno vbique vsui fuerunt, ad concilia per ecclesias celebranda, optimasque leges, clericis, populisque eorum imitatione scribendas, quibus christiani mores, religiosaque vita restituerentur. Omnes enim quicumque ecclesiasticæ disciplinæ studiosi erant, eas cupide legebant: & ex eo quasi fonte Episcopi suarum constitutionum scriptionem, gubernationisque rationem deducebant. Pius ipse Pontifex decreta omnia probauit: laudauitque ac non exiguam eorum partem à religiosis quoque viris seruari iussit, Archiepiscopali potestate solutis. Et vero inter omnia, quæ Carolus postea edidit, prouincialium constitutionum volumina, illud non minus rerum multitudine, ac grauitate, tum explicandi etiam ratione, quàm loco, reliquis præstare omnibus existimatur. tam multa enim libro illo, tamque præclara Carolus complexus est, de officio, cultuque Deo, diuinisque rebus debito, siue conseruando, siue restituendo, de retinendæ christianæ fidei cura, de sacrorum munerum functionibus rite, decoreque obeundis, de Episcoporum, clericorumque omnium vita, moribus, officiis, de virginum disciplina, de foro Ecclesiastico: de certis criminibus, & corruptelis in populo tollendis: eaque omnia tam eleganter explicata sunt, vt mirarentur omnes, tanta celeritate Carolum tantam rem conficere potuisse. Sed magistratuum manibus liberatæ constitutiones, in clerum inciderunt, in clerum inquam ecclesiarum vrbis, qui, licet ecclesiæ maioris collegium ab eo pie, prudenterque dissentiret, à decretis appellauit, quæ ad se pertinerent: quod idem fori ecclesiastici notarii fecere in iis, quæ de ipsorum officio statuta erant. Per idem tempus virginum cænobia, cum viseret, omniaque sancte conformare, quod Ormanetus antea cœperat, conaretur, ad sacri Tridentini concilii canones, Mediolanensisque synodi præscripta, tum ad eius constitutionis normam, quam ex ipsius Caroli, Ormanetique consilio de cœnobiorum eiusmodi claustris tum Pontifex ediderat: eius item rei multi sese aduersarios intenderunt. Regulares in primis viri pro monasteriis sibi creditis, quæ decem & octo numero sunt, reclamarunt: & ex ipsis virginibus multæ, quibusdam præsertim suasoribus, quos minime omnium decebat, resistere, & per propinquos suos Caroli conatus impedire curarunt, vt re ad ipsum quoque ciuitatis cõsilium relata, de legato, vel saltem litteris ad Pontificem mittendis consultaretur. quamquam paulo post ipsæ virgines, partim piis cohortationibus, partim etiam animaduersione, cesserunt, non Carolo dicam, eiusue decretis, sed dignitati, salutique suæ: quam & illæ, & earum defensores, & propinqui, siue falsæ libertatis desiderio, siue iuris tuendi cupiditate, siue disciplinæ ignoratione, in periculum sæpe adducere conantur: vt defendentes verius oppugnent: defendant vero qui videntur aduersari. quod exitus docuit: non enim earum animis tantum, sed corporeis quoque bonis, & cõmodis consuluit restituta disciplina. His omnibus addebatur, quod magnam Carolo difficultatem afferebat. multi enim eius in rebus agendis studium, atque ardorem, nimium esse dicebant: seuerius punire, grauiora passim imponere; quam æquitati conueniret: sibi minus etiam quam aliis parcere. erant qui fieri pleraque affirmarent, ad captandum nomen, famamque sanctitatis colligendam, occultorum scilicet vitiorum etiam suspicionem mouentes. æquiores iudicium, & prudentiam

requirebant: ætati, consiliisque religiosorum hominum errorem tribuebant, qui publicæ administrationis vsu carerent. Huiusmodi sermones alios ad imitandum, alios ad obsequendum tardiores efficiebant: ad contradicendum etiam paratiores, qui sibi id vsui fore putarent. Sed si quid acrius ille faceret, ita ferre videbatur suscepti negotii ratio, tum ea mens, quam præcipuo munere Deus ei dederat. magna & inueterata corruptela, magnum conatum, labores postulabat. frangenda erat obstinata quorundam voluntas, & audacia: quod esset exemplo ceteris, & ad facilem, expeditamque gubernationem, in posterum valeret. neque vero valde mirum, vel ex inusitata disciplina, licet optima, vel ex perturbatis animis, oriri obtrectationes, & maledicta. mirum vero si magistri conditionem discipulus aliquo modo non subiret. Sed quid animi, consiliique tum Carolo esset, ipse litteris ad Antistitem datis aperuit: qui libere illum monuerat, & amanter: Quod se monuisset, illi se plurimum debere: cupere vero, vt demonstraret explicatius, qua potissimum assequeretur via, vt in se ipso, aliisque regendis modum retineret. sibi quidem illud valde esse propositum: licet aliud vulgo fere putaretur, neque id fortasse sine caussa, ob eam, qua ipsis initiis vtebatur agendi rationem. In ecclesia namque Mediolanensi, quasi vinea inculta, vepribus, & dumetis omnia reperta esse adeo impedita; vt tanto proposito labore, neque sibi parcere posse videretur, & in alios facilitatem, lenitatemue sæpe cogeretur omittere: quo tum quæ praua erant tollerentur, tum bona etiam, & fructuosa, quæ quidem essent, confirmarentur, quæ vero non essent, sererentur. sibi certe, si dicere oporteret, à benignitate recessisse non videri. sed nolle suo tamen iudicio fidem adhibere: immo rogare, vt quemadmodum amanter, quid peccare videretur, significauerat, in quo sincerum illius agnouerat erga se amorem, ita consilio iuuaret, libereque moneret, qua ratione posset in posterum non offendere. nihil sibi gratius accidere posse. scire etenim nemini difficilius subueniri, quam ei, qui consilium accipere nolit. Dolebat vero Carolus vehementer, cæptum feliciter rerum salutarium cursum eiusmodi contentionibus, atque obtrectationibus non parum impediri, multosque non tam voluntati, studiisque episcopalibus, quam saluti suæ, vel patriæ bono repugnare. Sed patientiæ, religiosæque fructum abiectionis inde capiebat: ac contra aduersa omnia, Deo fretus, constantiam retinebat suam. tum vero precationibus. quotidianisque virtutum, & sanctitatis accessionibus, præclaris item ad suorum salutem actionibus, diuinam opem studiosius implorabat. nempe illud Prophetæ imitabatur: Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio. Præter ea quæ ad corporis duritiem pertinebant; quibus sese magis in dies exercebat: mensam, & omnem vitæ, domusque suæ cultum, ita conformauit, vt prouincialis concilii decreta longe iam superaret. Qui ei propius inseruiebant, eos tunc quidem clericali habitu, saltem cum ministrarent, esse statuit. Cum in aliis omnibus ad sanctorum virorum tenuitatem, paupertatemque quotidie propius accederet: in apparatu quoque itineris, & comitatu idem faciebat: cum enim ad viginti duos equites, pedites multos secum haberet: cum ad diœcesanas ecclesias visendas profectus est, præter mulos, qui suppellectilem portarent, nimiumque id existimaret: paulatim numerum ita minuit, vt in reditu non amplius omnino, quam duodecim, vnumque clitellarium mulum duxerit. Suppellectili illa sua pretiosissima, planeque regia sese spoliauit. plurima Romę, & Mediolani per ecclesias distribuit peristromata: lectorum conopea, vmbracula, quæ solent amplitudinis caussa in aulis haberi, instrumenta, vasaque argentea. Statuas, earumue partes plurimas, antiquæ artis pulcherrima monumenta, sacris item locis addixit, vt venderentur. reliqua ipse vendi iussit, pretiumque in sacros, piosque vsus erogari. extant ex donis illis inter alia in ecclesia maiore Mediolanensi; aulæa ad celebriorem eius ornatum, sericis, aureisque filis contexta: figurisque sacras veteris testamenti historias referentibus, variata: vasa argentea aurata maxima, ad Pontificalium sacrorum apparatum exponenda: instrumentum pacis rite in ecclesia dandæ pulcherrimum, & pretiosissimum,

Sacerdotiis item se abdicare instituit, quia propter animarum curam, vel monasteriorum rectionem, aut iuris dicendi munus, integrè illi administrationi satisfacere sibi non posse videbatur: simul bonos, eruditosque viros ea ratione remuneraturus, quorum fideli, fructuosaque opera diu vsus erat: omnino, vt quod de pluribus non habendis beneficiis, tum antiquis, tum nouis Ecclesiæ legibus sancitum erat, ex amplissimis ipse Ecclesiæ sanctę principibus, ad plurimorum documētum, plenius exequeretur. Ea igitur pleraque Pontificis auctoritate quibusdam familiaribus suis distribuit, viris probitate, litteris, ingenioque admodum probatis, de quibus alius erit singillatim dicendi locus. nonnulla ex monasticis, quæ commendationis ei nomine tributa fuerant, monachis ipsis liberè dimisit. reliquis familiaribus, prout iustum esse iudicauit, tum litteratis aliis viris, & Cardinalibus item egentibus, varias ex fructibus constitui curauit pensiones. quibus ex sacris vectigalibus dandas non existimauit, iis ex patrimonio suo statuit pensitari. Dimittebat ea sacerdotia libere Pontifici: virosque tantum nominabat, quibus ea conferri probaret: qui quidem sacro muneri apti, & ad loca, ecclesiasue ipsas incolendas, vt opus erat, essent expediti. Pontifex autem eius minime obsecrantis testimonio, voluntatique facile assentiebat. quibusdam etiam, nemine demonstrato cum cessisset. Pontifex quibus visum fuisset, assignabat. Pensiones præterea nonnullas, quas ex variis ecclesiis in Italia, Lusitanio, Belgio solebat exigere, liberaliter ecclesiarum commodo, quæ tenues habebant fructus, remisit. Hæc primo ipso Pii Quinti tempore Carolus cum instituisset, exequi deinceps perrexit, vt aliis locis demonstrabitur.

Iuris Ecclesiastici controuersia grauiter exercetur. Cap. 2.

Quæ clerus contra concilii decreta Romæ proposuerat, facile reiecta sunt. Verum cum Senatu plus negotii fuit: qui Regii iuris, quemadmodum asseuerabat, tuendi studio, in sua permanebat sententia: Archiepiscopo ius non esse, siue apparitores armatos habendi, siue laïcos: excepta fidei caussa, sine Magistratibus comprehendendi. In quo tum iuris, tum facti controuersia erat: nam vtraq; pars, quod pro ea faciebat, id præteritis temporibus consuetum esse dicebat, sibique testimoniorum subsidio, iuris controuersi possessionē vindicare conabatur Carolus, qui iurisconsultorū sententia, ius de quo agebatur, & iuris itē possessionē, ecclesiæ tribui intelligebat: quidquid iuris, factiue pro ecclesia suppetebat, ad Pontificem referri curauit, vt quid agendum esset Apostolica auctoritate statueretur, quod acceptur ū facile pro sua pietate seruaturumque Senatum confidebat. neque interim agere priuatim cū Senatoribus omittebat, & sui iuris argumēta cōmonstrare, si priuato posset res officio componi. Ex altera parte res ad Philippū Regem cum per eius ministros delata esset; Carolus quoque, ne quid temere facere videretur, per litteras, & per Apostolicum internuncium in Hispaniis commorantem, consilium in eo genere suum aperuit, & quæ pro iure Ecclesiæ fidem facerent, indicauit. Religiosissimus Rex respondit, totum negotium ad summum Pontificem deferendum. interim vero suis præcepit, vt salua regia potestate, ius Ecclesiæ omnino conseruaretur. Itaque misso à Senatu Romam ob eam rem Senatore, tum causæ cognitio certis Cardinalibus, doctisque viris mandata est, tum Carolus interim possessionem suam tueri iussus Ibi cum eorum sententia, qui de controuersia consultabant, ecclesiæ Mediolanensi fauere videretur, Senator Roma discessit. Pontifex litteras ad Ducem, Senatumque humanissimas dedit, & eos ad ius Ecclesiasticum tuendum, pro perspecta eorum pietate cohortatus est, dum causa rectè, maturéque Romæ cognosceretur. alteras saltem, si hoc loco insererem, gratum me piis viris facturum existimaui. hæ vero ipsæ sunt latinè scriptæ.

Pontificiæ litteræ ad Ducem Senatumque Mediolanensem.

Dilecti filij. Iustitiæ simul, & charitatis officio libenter adducti sumus, vt redeunte Mediolanum collega vestro Ioanne Paulo, Ecclesia, eius, quam in publico negotio vestro apud nos gerendo, egregiam vobis præstitit, fidei ac diligentiæ, testimonium redderemus Cuius negotij cum ea vis, & natura sit, quam nemo non intelligit: adhuc eius ratio facile explicari non potuit. Nec vero hac caussa diuturniorem, quam necessitas postulet, moram habebit. Nam auditis, & plane cognitis, quæ vtrinque pro rei veritate, rationes allatæ fuerint, maturè iudicium expediendum curabimus: Interea vos stu-

diosissime hortamur in Domino, vt in omnibus rebus Archiepiscopo vestro, & ceteris Prouinciæ Episcopis, ad tuendam, & ornandam Pastoralis officij curam, ac dignitatem: sollicitudinem, & operam vestram accommodetis, nulla enim re magis sæcularis potestas stabilitur, & augetur, quam amplificatione, & auctoritate Ecclesiasticæ ditionis, quidquid ad spirituale patrimonium firmamenti, & virium accedit, eo temporalis status maximè communitur. nam obseruantia, & pietas Principum, ac Magistratuum in ecclesiarum Antistites, populos ipsis adeo præbet obedientes; vt fatendum sit, Regnorum, ac statuum incolumitatem vno illo ecclesiastici iuris præsidio tamquam fundamento contineri. Quod vtinam contrarijs ad multorum exitium exemplis non pateret. Ea laude vestri sic excelluere maiores; vt illo facto, & ipsi clari sint, & multas ciuitates ac prouincias ad pij exempli imitationem inflammarint. Quo magis nos etiam eximia patrij in vos officij charitate, quam quod alioqui opus esse putaremus, cohortandos duximus; vt quam summa cum animi nostri lætitia retinetis gloriam iuuandi, ac fouendi ecclesiasticam iurisdictionem, in ea ardentius insistatis. Nam ista etiam studiorum vestrorum declaratione, pastores ad diligentiorem sui muneris administrationem incitati, vberiores suorum gregum fructus Domino persoluere studebunt.

At Mediolani interim periculum erat, ne dum vtraque pars possessionem sibi vendicabat, ita vt eius retinendæ nomine quod altera fecisset, altera duceret vsurpationis loco, violẽti aliquid accideret. variæ rationes conquirebantur controuersiæ partium consensu dirimendæ. sed nihil confici potuit. Ecce autem, dum ita consultatur, quod ea controuersia periculum parturiebat, repente peperit. Lictor primarius ecclesiastici fori, cum armis Principis edicto vetitis comprehensus, in carcerem ducitur. tum publice reuinctis post terga manibus, sublimis fune tractus ad summum Palatii arcũ, & ad solum vsque repente dimissus, quassu ter repetito, acerrime, si quis vmquam alius torquetur: ac statim pœna remigationis proposita, Mediolano discedere iubetur. Carolus cum ius sibi suum palam eripi; & etiam contra Pontificis auctoritatem fieri quodammodo iudicaret, ad quem erat delatum negotium, ipsum confestim iudicem, cuius in carceribus erat, quem iustitiæ Capitaneum appellant, item Aduocatum fiscalem, Notarium, & carceris custodem anathemate notari, eiusque rei scriptum publicè proponi iussit. Præsidem Senatus per Vicarium suum, & vniuersum item Senatum, scriptis ad fores loci, quo ille conuenire solet, affixis, vocauit ad eius facti caussam dicendam. Doluit casum Dux vehementer, quippe, qui nihil eiusmodi cogitasset, eoque magis doluit, quod propositum sententiæ scriptum, nescio cuius iussu per satellites à ianua ædium Archiepiscopalium, & ecclesiæ, & etiam ab ipso ecclesiæ suggestu abscissum fuerat, & clericus præterea, cuius opera quidam ex iis vocati fuerant, in custodiam datus. Itaque iudicem, cum se adeuntem vidisset, neque audire, neque admittere voluit: & satellites, qui scriptum absciderant, in carcerem detrudi iussit. rogauit vero Carolum, ne cito contra Senatum, ob præcipuam Magistratus dignitatem quidquam pronunciaret. qui cum Duci respondisset, non posse se ius ecclesiæ suæ non tueri, acturumque contra quoscumque, iure tamen, non iniuria, quemadmodum cum eius ministro actum esset: nihil tamen amplius statuit, antequam Roma responsum acciperet, quo rem, vti gesta erat, statim perferendam curauit. Senatus procuratorem dedit, qui negauit quidquam mandatum esse auctoritate Senatus: hominem punitum, non vt apparitorem sacri fori, qui quisnam esset ignoraretur, sed vt quemlibet alium, qui contra leges regias fecisset, & alia eiusmodi, quæ in iudiciis vsurpari solent. Scripsit ad Pontificem eadem fere vsus excusatione, culpamque omnem in Carolum transtulit. Dux item scripsit, sed multo mitius, & pro regio tamen iure. Displicuit vehementer Pontifici & factum, & litteræ Senatus. itaque nihil Senatui respondens, monuit Ducem, vt pro illata iniuria Ecclesiæ satisfaceret. tum vero Præsidem ipsum, duosque Senatores consilii, factique præcipuos auctores, Romæ coram se spatio triginta dierum adesse, reliquos iam anathemate percussos Romam item citari, iussit. Proprium ad id ministrum (cursorem appellant) Septembris mensis, anni M. D. LX. VII. 1567.
initio, cum litteris ad Ducem Mediolanum misit. Illas pius Princeps osculatus;

latus;

latur; tum omni alia pietatis significatione, summáque in Pontificem reuerentia in iis recipiendis vsus, Cursorem, quocumque opus esset vocandi gratia, tuto, honestéque adeo adduci iussit, vt ipsum Iacobum Paëzium eximia pietate, & doctrina Theologum ex Societate IESV, qui à concionibus cõfessionibusq; illi erat, vna miserit, qui hominẽ, quibus opus esset, cõmendaret. Quam quidem piam, & religiosam erga summum Pontificem reuerentiam imitatus magnus Cancellarius itidem Hispanus, addidit etiam, Pontificias litteras, vti ab ipsius beati Petri manu esse accipiendas. Fuit ex ea re, Mediolani, Romæ, in Hispaniis varius rumor, turbaque non mediocris: aliis alia dicentibus, opinantibusque: & vno quoque pro suo ingenio, atque sensu de re tota iudicante. Carolus magis ac magis in inuidiam variè vocabatur: vsque eo, vt dicerent nonnulli, potestatem illum Regiam sensim inuadere: nisi obsisteretur, viam sibi munire ad Mediolanense imperium occupandum: ab eiusmodi consilio Pontificem fortasse non esse alienum. de qua obtrectatione, ac calumnia delatus vir primarius Hispanus, in carcerem Ducis iussu ductus est. Vt intolerabilis potentiæ factum commemorabant, quod publicas bibliothecas omnes multis comitibus, & ministris, magna populi frequentia recognouisset, libros omnes singillatim inspexisset, plurimos abstulisset. id vero Carolus fecerat, cum audiisset multos libros hæretica labe infectos publice vendi, quemadmodum re ipsa verum esse deprehendit. fecit vero etiam Apostolico accersito inquisitore. Fuere adeo: qui iuris regii tuendi nomine, & ad vim, vt aiebant, vi repellendam, Ducem instigarent, vt ad extrema illa veniret, cum Episcopus è ciuitate violente pellitur. Contra plurimi, singularem Caroli pietatem, & egregiũ in Ecclesiæ iure tuendo studium, constantiáque in cœlum ferebant. summa cum eius laude mirabantur, quod religionis caussa neminem vereretur, aut respiceret, neque suam apud Principes gratiam, aut ipsum etiam Archiepiscopatum magni faceret. mentem eius optimam conatus sanctissimos prædicabant. regios vero Magistratus grauiter accusabãt. Carolus eximia Dei fiducia tum animi magnitudine, quã in amplissimis reipublicę christianæ negotiis exercuerat, ita se moderate gerebat, vt cum ex eorum consilio, quos apud se in eo genere peritissimos habebat, in primisque sacræ precationis lumine, fecisset, quæ legitime fieri posse, ac debere iudicaret, tum ea animi trãquillitate, silentioque alia omnia obiret, vt nihil illi omnino litis, aut cõtentionis esse videretur. Neque verò quidquam mœstitiæ attulit, quod ex optimatibus permulti, qui antea vel comitari, vel ad eum vẽtitare solebant, iam non apparerent, immo in eam partem libenter accepit, vt ad pleniorẽ rerum humanarum contemptionem ea quoque ratione sese incitaret. Cum dies adesset, quo die se Romæ sistere Senatores iussi erant, variis excusationibus, missis etiam Romam legatis, dilatus est, ac denique impetratum, ne quidquam contra illos promulgaretur, donec Seralui Marchio, qui negotii illius caussa ex Hispaniis aduẽtabat, Romam perueniret. Is Mediolani primo Carolum conuenit, multaque cum eo egit, & questus est: seuere nimis actum contra Senatores: Carolum à Rege potius remedium petere debuisse, quã accendere animum Pontificis. ita Regis in eum merita postulare: ita officium illud, quod vt homo in Regis imperio natus, ei deberet. si alia ratione demum res non ageretur, facturum Regem, quod iuri, imperiisque suis conseruandis opus esset, licet perturbationes inde fortasse multæ, grauesque orirentur. postremo etiam blande rogauit, vt amico, atque adeo paterno studio negotium complecteretur: id saltem, si alia recusaret, scriberet ad Pontificem: cupere se, vt citationis caussa prætermissa, controuersia componeretur. Respondit Carolus interposito die: quod Pontifex contra Senatores egisset, sese præstare non debere, neque etiam Pontificem ipsum, qui nemini id præter Deum deberet. de facto suo, timendam sibi videri potius Pontificis in eo reprehensionem, quia remisse egisset, quam offensionem Regis. Romam se motus initio minime confugisse: tolerasse: Gubernatorem sæpius, & Senatores priuatim, atque amice monuisse, vt quæ contra ius ecclesiasticum afferrentur impedimenta, ea vellent tollere. cum nihil profe-

cisset, cum etiam ad vim ventum esset, quæ contra non solum Mediolanensis, sed etiam vniuersæ Ecclesiæ ius, immo contra ipsius Pontificis auctoritatem videretur, merito ad ipsum retulisse Pontificem, supremum iudicem, patremque omnium ecclesiarum. molestum id fore Regi non putasse eius meritorum magnitudinem, & se agnoscere, & vt quam gratissimus esse posset, semper curaturum. A se Regi semper omnia fore paratissima: sed quæ Ecclesiæ esse putaret: iis, si quis forte id expeteret, cedere se nullo modo posse, præsertim quo priuatis beneficiis responderet. Nihil se à Rege expectare, quod valde pio, & catholico Principe dignum non esset: quem satis nosse sciret, regias vires in iuuanda Ecclesia, non autem opprimenda poni debere. id si non fieret, magnas sine dubio perturbationes, grauissimaque incommoda futura. quibus tamen ecclesia Mediolanensis tunc minime careret, quæ vi tam grauiter illata, suam libere non poterat exercere potestatem, in eos præsertim qui vel ob ipsam impunitatis fiduciam, turpem, flagitiosamque vitam agerent. Litteras ad Pontificem, quales postulabat Marchio, pro eo, quod ecclesiæ suæ debebat, dare se posse negauit. dedit autem huiusmodi.

Caroli litteræ ad Pontificē.

Sanctissime ac Beatissime Pater. Cum antea ad sanctitatem tuam de rebus ad huius ecclesiæ iurisdictionem pertinentibus singillatim retuli, tum hoc tempore Ormaneto mandaui, vt diligenter exponat, quidquid id cum Marchione Seralui actum est, qui nunc Romam proficiscitur. is cum à me contenderit, vt de eodem negotio componendo, Senatoribusque Romam minime compellendis ad te perscriberem: quæ in hoc genere sentiam, quæque antea significaui, & Marchioni ipsi libere respondi, hîc breuiter attingam. Quod ad Senatores attinet, nullam priuatam iniuriam meam equidem vindicari volo. de cetero, quid sanctæ sedis Apostolicæ dignitati conueniat, quid Ecclesiæ conducat vniuersæ, rectissime tua Sanctitas existimabit: eius enim illa caput est; ego autem exiguum membrum. De huius ecclesiæ iure, id confirmo, nihil aliud spectare me, nisi vt illius auctoritate seruata, qui post hac Archiepiscopatum geret, omnia libere exequi possit, quæcunque ad eius officium pertinebunt. Ceterum testimonia me, ac argumenta, quæ ad possessionem ecclesiæ probandam valent, ad Sanctitatem tuam misisse satis habeo. quæ cum apud se viros habeat bonitate, doctrina, iudicioque præstantes: & ex eorum numero, qui in Concilio Tridentino huius generis rebus constituendis interfuerunt: cumque, quod caput est, à spiritu sancto regatur: meas esse partes alias non video: quam expectare, quid illa decernat, & quidquid decreuerit, prompta omnino voluntate accipere, nihil dubitans, quin illud rectum, sanctumque sit. Sanctitatis tuæ pedes summisse osculor. Mediolani nono Calend. Februarij. M. D. LX. IIX.

Ita Marchio Romam profectus, in primis omni diligentia, studioque tempus adhuc prorogari curauit, vt aliquo modo interim vocati eximerentur.

Longinquas diœcesis suæ partes visitat. Caput 5.

Quamquam autem eo iurisdictionis grauissimo negotio Carolus erat occupatus, quæ tamen ad suos regendos, rebusque salutaribus iuuandos pertinerent, eorum nihil omittebat. Atque cū alias diœcesis partes, aut per se, aut per alios peragrare, visereque ad id tempus perseuerasset, ad eam ipse initio Octobris anni M. D. LX. VII. profectus est, quæ in rebus profanis paret imperio triumpagorum Heluetiorum. continetur ea pars tribus vallibus, Leuantina, Brennia, & Riparia, & ad montem sancti Gothardi pertingit. primo igitur Carolus certiores de suo aduentu pagorum principes fecit. & quoniam eorum imperium plurimum non modo apud laïcos, sed etiam apud clericos valebat, legatos mitti petiit, qui in ea regione lustranda eum comitarentur. Illi, vt tres pagi erant, tres primarios viros ita miserunt, quos humanissime habitos Carolus secum adduxit. Tanto temporis spatio regiones illæ Archiepiscopum, aut eius administros non viderant, vt penè à rectis omnibus Ecclesiæ institutis, atque adeo ab ipsa, quam Archiepiscopo præstare debebant, fide, atque obedientia discessissent: solosque propemodum Heluetios dominos in omnibus agnoscerent. populus quidem natura minime malus, & simplex, ignorantia peccabat: sed clerus vita erat, vitiis, flagitiisque plurimis cooperta. diuinæ res, & ipsa præsertim sanctissima Eucharistia indignissime habebatur, qua de re Carolum quandoque lachrymantem

comites viderunt. multa erat ignoratio rerum illarum, quæ ad sacra ministeria, non dicam vtiles, sed omnino necessariæ sunt. beneficia plerique vitiose obtinebant, tum pecunia interueniente, tum deficiente Archiepiscopi auctoritate. ipsi parochi turpibus lucris, sordidisque negotiationibus operam dabant. concubinas, liberosque ex eis susceptos domi palam habere non verebantur. adulteria, incesta, sacrilegia multa: apud quosdam etiam nō paruum catholicæ fidei discrimen. Ipsi autem pagorum principes, & magistratus licet catholici, nemine contradicente, aut aliud docente, omnem fere in rebus ecclesiasticis auctoritatem sibi sumpserant. Ibi Carolus singulas ecclesias visere, presbyteros, & alios incolas diligenter interrogare, angusta loca, difficilia, asperaque adire, montium altitudinem, prærupta saxa, siluestrium locorum penuriam non vereri, nullius vitæ commoditatis, neque valetudinis rationem habere, nullo diei, noctisue tempori parcere. omnino spatio mensis adeo profecit, vt eius ecclesiæ tota penè facies immutaretur. Multa passim decreuit: plures presbyteros mulctauit, puniuit, sacerdotiis, sacrisque officiis mouit. tantum se continuit, ne vinctos Mediolanum deduceret. Principibus Heluetiis persuasit, vt multa in dandis beneficiis, & in rebus iudicandis, quæ ad clericos pertinerent, sacræ permitterent potestati. quæ illi Caroli sese virtuti, sanctitatique dare publice testabantur: quamquam contra Carolus suadebat, non sibi, sed sanctæ Ecclesiæ, Deoque esse tribuenda. Postremo, vniuerso clero in vnum conuocato, quæ opus erant, grauiter, pieque monuit, & cohortatus est: quod idem præstari iussit per religiosum virum, qui grauissimam concionem ad eum cœtum habuit. Sed valuere plurimum verba, quæ aliorum quoque nomine vnus ex legatis ad clerum fecit: Quamquam Heluetiis consilium non erat, priuilegia sua dimittere, quibus in earum vallium administratione vtebantur, agnoscere tamen, ea quandoque rectores attigisse, quæ fas non esset: sed fecisse coactos malefactis clericorum, Pastorumque incuria, qui eam regionem neglexerant. in posterum longè aliter fore. in Concilio Tridentino se affuisse, illudque pagorum nomine recepisse: velle omnino Principes, eius decreta seruari. palam se denunciare omnibus, nemini post hac apud ipsos perfugium fore, quin à Cardinali plene regerentur, & quemadmodum oporteret, corrigerentur. Demum clerus Concilii Tridentini decreta publicè recepit, concilii prouincialis constitutiones seruandas suscepit: tum catholicam fidem stata formula singillatim professus est. Ita Caroli dolorem, quem ex tanta prauitate cœperat, emendationis remedium, spesque melioris in dies progressus non mediocriter leuauit: simul verò illud, quod præ finitimarum ecclesiarum de quibus cognouerat, conditione, suas bono statu satis esse intellexit. Litteras autem discedens ad gentis consilia dedit, quibus & de legatorum opera gratias egit: & monita multa iis de rebus addidit, quibus veræ pietatis, religionisque caussa, in regione gubernanda illis abstinendum esset. Atque iam tum, christiana gentis charitate motus, cum eam præsertim in sua iam habuisset clientela: cogitare cœpit, quemadmodum aliis item ecclesiis, quæ in ditione Heluetiorum essent, consulere posset. verum nihil eo tempore, publice tentandum arbitratus, priuatis officiis oppida, castellaque multa, maxime suæ diœcesis finitima, iuuare non destitit: tum pueris ad clericalem vitam Mediolani educandis, tum concionatoribus mittendis, qui fidem catholicam tuerentur, christianosq; mores suaderent. tum aliis rebus ad eorum salutem accommodatis. Sed minime prætereūdum videtur, tres eas valles, quatuor ex Canonicis Mediolanensibus Comitum titulo tenuisse, & vtraque potestate, sacra, profanaque administrasse. eas autem Heluetios cum Philippo Mediolani Duce bellum gerentes occupasse. cumque dè pace ageretur, nescio quo animo, Dux, vt facilius transigeret, valles non suas permisit Heluetiis: earumque loco Canonicis vniuersi Sepriensis agri vectigal quoddam assignauit. Ecclesiasticam vero administrationem, quam vt oportebat, canonici tueri, & ab improborum audacia, potentiumque viribus defendere non poterant, Carolus suscepit: cui tamen alioqui, vt loca intra suam diœcesim posita, neque ad alium Episcopum

pertinentia recognoscere, quæ opus essent, ex sacris sanctionibus decernere, facultas erat. Ius porro, quod in sacerdotiis dandis consistit, canonici retinuere.

Humiliatorum ordiné corrigit. Caput. 4.

Præter Mediolanensis ecclesiæ negotia, Carolus alia quoque grauissima suscipere non omittens, noua semper ad hominum salutem, & ad ecclesiæ fructum exempla proferebat. Cófecit eodem anno priusquam exiret, negotium inter alia correctionis ordinis Humiliatorum. Instituerant illum Mediolanenses olim nonnulli. cum enim Córadus Imperator eorum plurimos cœpisset, & in Germaniam duxisset, primarios quidem securi percussit: alios autem reseruauit; qui periculo commoti diuino se cultui totos dedere cóstituerunt: & vt primũ, Conrado mortuo, ab Henrico successore reditum in patriam obtinuerunt, monasticam auctoritate Pontificia religionis disciplinam, ex sancti Benedicti institutis, cum albis indumentis susceperunt, Humiliatorumque sibi nomen imposuerunt. Ii plurimis in Italia fundatis monasteriis, annorum amplius quingentorum spatio à prima disciplina, vt humana est imbecillitas, longe admodum in multis discesserant. Viderat Carolus ordinis patronus, & iudex, correctione opus esse: atque iam antea per Ormanetum, cum is Mediolani esset, aliquam eius rationem tentauerat. qui cum eorum comitiis præfuisset, fecit ille quidem, vt de corruptelis quibusdam tollendis aliquid in congregatione decerneretur: verum ad rem perficiendam, maxime autem ad alia, quæ grauiora, & difficiliora erant, constituenda, efficiendaque, iam tum vir sapiens multo maiorem auctoritatem, potestatemque necessariam esse prædixerat. Non omisit vmquam negotium Carolus, neque de ratione ineũda, qua ordo ille ad sua reuocaretur instituta, cogitare intermisit: sed Pio Quinto tali Pontifice demum creato, rem suscepit attentius. multa ipse cum Pontifice prius egit accurate: per Ormanetum postea rem totam confecit: & de toto ordine componendo constituit. Itaque conuentu indicto, omnibusque qui vocati erant, Cremonæ congregatis; cui conuentui Carolus non sua solum Protectoris, vt aiunt, sed Apostolica etiam auctoritate præsidebat: quæ acta de iis, Pontificiaque constitutione summatim saltem, sancita erant, & ad eam diem secretò habita, promulgari iussit, præsidiis ante paratis, si quis fortè promulgationi vellet resistere. dura maximè Præpositis visa sunt, quæ de eorum emendatione statuta erant, eoque duriora, quod minime quisquam putarat, emendationem eousque peruenturam; quin etiam, sicuti ego accepi, quidam ex iis, qui prudentiores sibi videbantur, subobscure Caroli conatum ante illudebant. cum autem talia improuiso audiissent, animo quidem grauiter perculsi omnes, nihil tamen resistere ausi sunt, aut contradicere. Summa emendationis fuit, vt Præpositi dignitatem, quam quisque haberet, & eius item insigne retineret: sed suum quisque locum, sacerdotiumque mutaret. tertio quoque anno in posterum per suffragia tum Præpositus ordinis vniuersi, tum locorum omnium Præpositi deligerentur. reditus ecclesiæ, non ipsi, vt antea, ciuili quodam splendore, sed alii ad id proprie electi religiose administrarent: iis vti communibus omnes æqualiter vterentur: omnino cœnobitica, religiosaque vita vere inter eos ageretur. hæc litteris Pontificiis cõtinentur, tum fusius, explicatiusque constitutionibus, quas tum pro amplissima facultate sibi data Carolus eis scripsit, & in conuentu etiam eodem promulgauit. At conuentu dimisso, multi Præpositi, nam magna pars nobilitate, gratiaq; plurimum poterat: omnes vias persequi cœperũt, quibus viis, promulgatis se legibus ex parte saltem liberare possent. Res longe grauissima illis videbatur, ex eo statu quem sibi proposuerant, cum ei se ordini addixerũt, ademptis beneficiis, quæ consueta ceterorum via obtinuerant, tantis detractis commodis, & facultatibus, ad eam vitam compelli, in qua & tenue esset, quo quis vteretur, & id ipsum non esset proprium: quæque seueris aliis contineretur institutis. nihil enim minus, siue ipsi, siue parentes, iis dignitatibus quærendis, fortasse spectauerant, quamuis spectare debuissent, quam monasticam, cœnobiticamue disciplinam. Sed quemadmodum vulgo: de aliis fieri solet sacerdotiis, quæ legibus eiusmodi cœnobiticis libera sunt, id sibi, suisque comparare ple-

rumque ſtuduerant, quod vitæ commoditati, nobilitatique ſuſtentandæ deſeruiret. Cognati quoque ipſi, qui Prępoſitorum opes ad familiæ ſuæ ſplẽdorem pertinere videbant: eaſque ad iuniores eiuſdem familiæ deinceps transferendas ſperabant, ſancitas leges, quantum poterant, diſſoluere conabantur. Itaq; amicos rogare, principes viros obſecrare, quacumque ratione poſſent, niti, vt à Pontifice audirentur. cum ſibi obſtructum Pontificis, Carolique conſtantia, & prudentia, tum Ormaneti diligentia; aditum reperirent: ſpecioſis cauſſis Italiæ Regulis perſuadere, ne nouos Præpoſitos iuuarent: neue ingredi in loca aſſignata permitterent: loca nonnulla ipſi armatis viris munire. Sed Carolus tum ſua, tum Pontificis in primis auctoritate, tum etiam Principum pietate perfecit, vt rebus conſtitutis eſſet omnino locus. Vniuerſo ordini præpoſuit Aloyſium à Baſilica Petri. Is cum eccleſiæ ſancti Iacobi Cremonæ Præpoſitus, profanis ſtudiis deditus diu vixiſſet; iam anno ante, diuino excitatus impulſu, bonitateque naturæ adiutus, vitam ſibi recte inſtituendam decreuerat: duoſque ſacerdotes ex clericis regularibus S. Pauli apud ſe habuerat, quibus ducibus ad id efficiendum vteretur. tantumque profecerat, vt eum potiſſimum Carolus toti ordini præficiendum deligeret. Sed bonus vir valde reſiſtebat: vitam male actam commemorabat, non ſe in litteris, aut piis ſtudiis, ſed in otio, venatione, profaniſque rebus aliis ætatem conſumpſiſſe. vrgebat tamen eo magis Carolus, quo ſe ille grauius accuſabat, quod probitati iam cognitæ, indicium quoque illud accuſationis accederet. Is deinde poſt ea perpeſſa, quæ Antiſtitem præcipue, tum bonos monachos omnes, tali rerum conditione, pati oportebat, extincto demum ordine, veſtitu ſuo in eorundem Clericorum Collegium S. Barnabæ Mediolani receptus, ſingulari modeſtiæ, patientiæque documento vitæ ſuæ curſum confecit. nam neque quod amplis fructibus ablatis, quadraginta aurei annui, quemadmodum ceteris, reliqui eſſent, neque ob deletum ordinem: aliud vnquã dixit, quam omnia rectè, iuſteque eueniſſe. Ita quæ inuito ac repugnanti caſtigatio, afflictioque exitio facile fuiſſet, piè, ac ſapienter accipiẽti ſaluti fuit: quemadmodũ aliis quoque fuiſſe putamus.

Addemus hic non diſſimile munus, quod poſtero anno Carolus obiit, in ordine Franciſcano, cuius item erat moderator. Ac in ea quidem parte quę laxiorem videtur ſequi diſciplinam, quædam magni momenti iam perfecerat, ad cœnobiticæ vitæ æqualitatem, tum in victu, tum in habitatione ſeruandam. alia deinde præſtitit valde vtilia per Alexandrum Cribellium Cardinalem, virum pium, & grauiſſimum, quem in munere illius ordinis regendi pro ſe ſubſtituerat. In reliquo autem ordine, qui obſeruantię nomine appellatur, illud auctoritate Pontificia curauit, ac effecit, vt quædam eius quaſi partes tollerentur. Clarenorum, Amadeorum, aliorumque, & nominibus quoque ipſis deletis, cum reliquo corpore coniungerentur: qua de re conſtitutio edita eſt. Eas partes omnes puto ex bonis initiis profectas: fit enim ſæpè in ſacris religioſorum virorum ſocietatibus, vt primo illo ſancti ſpiritus ardore, cum optima diſciplina paulatim pro humana miſeria refrigeſcente, quoniam vniuerſi moueri non poſſunt, vt ad priſtinos ſe mores referant, pars tantum id faciat, & à ceteris ſeparata, veteribus, perfectioribuſque vtatur inſtitutis. quę cum item ſpatio temporis remittantur: eò res tandem recidit, vt nomine tãtum. & præterea diſſidio ſæpe relicto, ea veluti diſiuncta membra omnino expediat reliquo eiuſdem conditionis corpori rurſus coniungere. Amadei, Pacis eccleſiam Mediolani tenebãt: nomen traxerant ab Amadeo Vliſſyponenſi, viro religioſiſſimo, qui ſibi ob præcipuam ſanctitatem non mediocrem fratrum numerum, plurimis ab hinc annis adiunxerat, & vna cum iis aſperiorem veterum vitam renouare conatus erat. iis cum poſteris temporibus noui, hiſque alii ſucceſſiſſent, manſit, quidem diſtractus numerus, ſed diſciplina tandem à ceteris non differebat. De iis reliquo numero aggregandis ne conſtitueretur, principes viri multi primò ſeſe interpoſuerunt, ſine quorum interceſſione vel oblata ſponte, vel poſtulata, quod maximè dolendum eſt, vix quiddam in Eccleſia paulo grauius componi, corrigiue poteſt, deinde vero, ne ſtatutum

In ordine Franciſcano nonnulla reſtituit. Caput. 5.

quod erat, efficeretur: plura, voluntásque Amadeorum ipsorum in primis, impediebat. Carolus autem nihil à proposito declinans, minime destitit, donec bono rem exitu concluderet. aggressus ad litteras Pontificias, quas ad eam rem proprie curauerat, in conuentu Pacis promulgandas, remque conficiendam, ea incurrit, vt vno verbo dicam, quibus tunc quidem sibi cedendum, & re infecta discedendum, clementer statuit. rediit tamen, remque totam confecit arbitratu suo. tum vero eorum, qui restiterant, apud Pontificem, ob eius grauiter offensum animum, deprecator fuit. Ea re peracta, conuentum habuit: in quo promiscue cœnobii cuiusque numero constituto, & rectoribus electis, salutaribus constitutionibus oportune renouatis prouinciæ res composuit.

Causis fidei præst: vitę sanctitatẽ auget. Caput. 6.

Gessit per idem tempus aliam rem à Pontifice mandatam. Nefarium hæresis scelus, cuiusdam concionatoris olim impietate, verbisque conceptũ, quod diu latuerat, in præcipua quadam Italiæ vrbe tunc apparuit. Inquisitor suo iure vti, in ius vocare, in custodiam dare, ob quorundam magnam potentiam, minime poterat. duo religiosi viri ob eam rem crudeliter interfecti erant. Pontifex eò sua sponte Carolum misit: pauca mandata, maximam auctoritatem tribuit. eo nondum profecto, componi res cœperunt: neque id mirum: quia licet cum hominibus, quibuscum oportebat, nondum egisset, egerat cũ Deo tamen, qui præsens est rerum omnium moderator, idque singulari quadam sacrarum precum contentione. etenim per omnia monasteria, omnesq; vrbis ecclesias precationis tempora ita distribuerat, vt sine vlla intermissione, die, noctuque essent, qui Deum pro grauissimo negotio orarẽt. quod genus precationis sine intermissione tunc primum, ex ea credo oratione acceptum, quæ pro Apostolo Petro vincto habita scribitur, postea in grauissimis rebus sæpe adhibuit. Cum ad locum venisset, veritate, ac vi argumentorum, tum prudentia, atque auctoritate, in primisque diuina ope, flexit potentum animos, auctoritatem sacrosancti magistratus, sacrorumque ministrorum restituit, qui eum veluti Angelum Dei sibi aduenisse prædicabant. effecit, vt sontes, quorum satis magnus erat numerus, deprehenderetur, in carcerem ducerẽtur, publice hæreses detestarentur, alii condemnati, potestati seculari permitterentur, ciuitas tanto periculo, maloque breui liberaretur: vt Pontifex, Cardinalesq; tum alii Carolũ mirifice collaudarent. Dum id ageret, addidit aliud Pontifex eiusdem generis ad euellendas ex religioso ordine prauas quasdam opiniones, quæ multis iam insitæ erant. quod Carolus iis qui corrupto sensu essent, per varias Italiæ vrbes prudenter comprehensis, & conclusis, diligentissime curauit. erantq; hæ, opinor, reliquiæ malorum illorum quibus non multis ante annis Italia magno in periculo fuerat; vtque remedium afferretur, Pius ipse Pontifex Inquisitoris tum officio fungẽs, egregie partes suas egerat. In quo magnã equidem caussam reperio, quamobrem Deo, quas maiores possumus, gratias Itali agamus, præcipuo eius munere factum agnoscentes, vt quæ pestis aliis quibusdam prouinciis orta, illataue, deleri nunquam potuit, sed maiori in dies perturbatione, pernicieque grassata est, apud nos facile sit nõn semel extincta, id ego ab diuina virtute proficisci existimo, quæ ex Romana illa petra in qua ædificata Ecclesia est, in propinquiores partes efficacius funditur. Alia publica, grauissimaque negotia per id tempus ad Carolum delata sunt: nam tantæ virtuti quæcumque maxime difficilia essent, omnia rectè committi posse videbantur: persuasumque omnibus erat, neque eius animi æquitatem vlla gratia inflecti, neque constantiam, & robur vlla potentia infringi posse. Sed ille operam laboremque omnem in ecclesia sua potius ponere cupiebat. Atque cum quarto iam mense ob illud fidei negotium ab ecclesia tali tempore abesset, orare Põtificem non desinebat, vt redire tandem liceret: eo magis, quod quibus id gratum fuisset, vulgo iactabant, detinendum eum de industria variis negotiis, ne Mediolanũ amplius reuerteretur: eam ecclesiã quasi vineã incultam assidua opera indigere: synodum clericorum sibi tandem habendã, diœcesis, quãtum posset eo anno sibi visendum, cuius maior pars restabat. At illa tamen absentiæ oportunitate Carolus otii aliquid nactus, animi spiritusque sui vires collegit: & cum in medio vix

ſpiritualis vitæ curſu ſe eſſe affirmaret; quaſi præterita obliuiſcens, maiore quam antea conatu ad metam incitatus eſt. præterita omnia peccata ſua diligenter à primis annis recognita, quod iam diu cupiebat, confeſſus eſt Alexandro Saulio ſancti Barnabæ Mediolani Præpoſito, nunc Epiſcopo Ticinenſi, cuius conſiliis, & doctrina vti plurimum ſolitus fuit; donec eum ad Epiſcopatum Alerienſem à Pio Quinto vocatum, tam libenter ob Eccleſiæ fructum; quam ægrè ob ſuum, & ſancti Pauli Congregationis vſum dimitteret. perfectiores ſibi vitæ leges familiæque ſtatuit: iam quidquid ad animum relaxandum pertineret, ſeuerius vitare: conſuetudini familiarium, ſermonibúſque minus fructuoſis omnibus ſe ſubducere: ſacras rerum ſpiritualium communicationes inter domeſticos inſtituere. quotidie habere; menſas cœnaculi religioſi more circumponere: quibus licet ipſe profeſtis diebus abeſſet; non tamen, vt ſuperioribus annis, conuiuas adhibebat; aut ſibi plus, aliudve, cuiquam alii apponi patiebatur. ieiunii diebus, quos plures iam in hebdomada ſibi conſtituerat; non vt ante conquiſitos, magnique pretii cibos, ſed viliſſimos veſperè guſtare: alia ſibi demum præfinire, quibus ad ſummos ſanctæ diſciplinæ gradus aſcendere properaret. Ita mente, ſpiritúque diuinitus inſtructus Mediolanum rediit menſe Iunio, populo maxime expectatus, maximaque lætitia exceptus.

Diœceſis prouinciæque ſynodum celebrat. Cap. 7.

Cum autem antea, quæ prouinciæ communis vſus poſtulabat, in Epiſcoporum concilio conſtituiſſet: ſuæ quoque diœceſis clericorum ſynodum, ex ſacrorum canonum præſcripto iamdudum habere cupiebat; in qua Eccleſiæ ſuæ, quæ propriè opus eſſent, decerneret. eam ob varias, & grauiſſimas occupationes, Pontificis etiam conſenſu, cum diſtuliſſet; habuit tandem pridie nonas Auguſti anni M. D. LX. IIX. Vicarios presbyteros, in diœceſi conſtitutos, menſe ante monuit, vt ſuæ quiſque regionis presbyteris in vnum coactis, quæ corrigenda, vel prouidenda iis locis eſſent, cum iis conſultaret; & notata deferret ad ſynodum. Vnumquemque parochum eorum nomina ſcripta iuſſit afferre, qui tempore Paſchatis in ſua parochia peccata ſua ſacerdoti confeſſi non erant; qui ſacræ communionis participes non fuerant; qui gradu cognationis propinquiore, quam fas eſt, matrimonio forte coniuncti eſſent: vt eorum omnium ſaluti proſpiceret. nomina item, ſtatum, & conditionem omnium, qui clericalis ordinis in eadem parœcia eſſent. Ad hæc, ſupplicationes quiſque ante diſceſſum vna cum populo obiret, ad diuinum auxilium in eiuſmodi negotio implorandum. clerici omnes ordinis, quo initiati erant; & beneficiorum, quę obtinebant, legitima teſtimonia recognoſcenda in ſynodum afferrent. Prouidit, ne quis clericorum in publicis diuerſoriis Mediolani commoraretur: neque ea in re pro conſueta liberalitate ſumptibus pepercit; quin ſuas magno illorum numero ædes impleret. Hęc, & alia multa Carolus tum præparauit ad ſynodum rectè habendam: quę libellis eo de genere confectis fuſius continentur: quæque poſtea, cum alias habuit, ex iis, quę vſu cognouerat auxit, etiam diligentius. Stata die ſynodum incipiens ſalutarem ipſe concionem habuit: ſacros ordines de more celebriter ad ſancti Ambroſii Baſilicam ſupplicatum duxit. in ea ſupplicatione præter cœnobitas, clerici fuere circiter mille quingenti. in iis trium vallium illarum incolæ, qui iam magis ac magis ad Eccleſiæ diſciplinam informabantur. Ibi librorum vetitorum indicem promulgari; conſtitutionéſque concilii prouincialis recitari, iuſſit. ea demum inquiſiuit, decreuitque, quæ ad clerum ſanctè inſtituendum, eccleſiaſque rectè, & ſalutariter ordinandas pertinerent. triduo religioſum illud negotium abſoluit. Quod reſtabat anni conſumpſit vicanis eccleſiis, montoſis præſertim, perluſtrandis. cuius operę fructus fuit ſanè maximus; tum ad rerum ſacrarum decus; tum ad ſalutem mortalium; qui eius ſermone, laboribus, abſtinentia, vehementer ad religioſam vitæ inſtitutionem mouebantur. conſumpſit item in rebus virginum reliquis componendis. quę quidem vt præcipua fuit & perpetua epiſcopalis eius muneris cura: ita magni, diuturnique laboris, Deo concedente, fructum habuit ſingularem. tunc operæ multum poſuit, in nonnullis cœnobiis ob exiguum numerum, locaué minimè tuta, omnino ob corruptam diſciplinam, in ampliora, religioſioráque

transferendis: tum nonnullis etiam à religiosorum quorundam potestate, Pontificia auctoritate vindicandis: in sacrilegis item hominibus non paucis puniendis; quorum consuetudo sacris locis perniciosa erat. vt tali sacri pudoris patrono, ac vindice, in illius pariter, & alienæ potestatis fœminarum, mariumque cœnobiis rectius se multo res haberent; & magna vbique Caroli diligentiæ, iustitiæque formido existeret. Intendebat animum ad Episcoporum concilium secundo celebrandum: cuius tempus, Pontifice consulto, à Septembri mense, quo triennium à primo præterierat, ex ratione sacris decretis consentanea, transtulit in insequentis anni M. D. LXIX. Paschales dies. vocauit igitur duobus ante mẽsibus Episcopos, monuitque, parati adessent, rerum ecclesiasticarum perfectam conformationem studiis suis prosequerentur. vocauit canonicos; & ex vnaquaque ecclesia, seu diœcesi testes, quos dicunt synodales: qui in priori concilio electi, quid ad rectam ecclesiarum administrationem cultúmque deesset; quid corrigendum, prouidendumve videretur, pro suo munere tunc referrent. Affuerunt in hoc concilio ciuitatum, quas in priori nominauimus, Episcopi; qui quidem essent, necessariove non tenerentur impedimento alii Præsules nonnulli, quorum doctrina, quæ decernenda erant, prius explanarentur. Ac licet eruditi viri, quos Mediolanum primo Carolus adduxerat, Romam rediissent; retinebat Petrum Galesinum; qui & stilo, & Ecclesiasticæ antiquitatis cognitione; ad conciliorum decreta multáque alia conscribẽda, quæ opus essent, non solum per eos annos, sed postea semper magnos illi vsus attulit. Carolus in Episcopos concilii tempore, canonicosque aduenas consuetam in domo sua præstitit hospitii liberalitatem. præstitit etiã suam probè assiduis in laboribus, vigiliisque mirificam constantiam. Delectus est Franciscus Bonhomius Cremonensis, cui Nonantulanam Abbatiam is contulerat; qui decreta in concilio sancita Romam, à Pontifice probanda deferret; eorumque pro sua prudentia, doctrina, & fide rationem redderet. eidem ad Pontificem mandata concilii, & singulorum Episcoporum nomine data sunt, ad Ecclesiarum salutarem administrationem pertinentia.

1569.

Interim Ecclesiastici iuris caussa, iudiciúmque biennio iam ante in Senatores, aliosque datum, fere conticescebat. Ac tametsi sacri iuris dignitatẽ auctoritatémque per moras eiusmodi lædi Carolus putaret: Pontificis tamen verbis, sapientiáque, tum sua virtute sustentabatur: eoque facilius, quod suis tum iudicibus Mediolani multum tribui videbat; hominésque laïcos, ecclesiasticorum criminũ reos, eorum iudiciis satis quietè parere: tum Magistratus etiã sæculares multa concedere, vel dissimulare. Tantum ipse eorum contemptum, seu negligentiam superiore anno, consulto Pontifice, castigauerat; qui anathemate iam ab eo damnati; colloquiorum rerúmque diuinarum communicatione, sicuti par erat, non abstinebant. Verùm ea quies & silentium eo demum euasit: vt nouæ, ac maximæ perturbationes efficerẽtur. Nobile Canonicorum collegium Scalense, inter alia Mediolani est, à Regina Scalensi, Barnabæ Mediolanẽsis Principis vxore inchoatum; & ab ipso Barnaba post vxoris mortem ea conditione ante annos amplius ducentos, integrè constitutum; vt sibi, successoribúsque ius ad canonicos nominandos reseruaret. De eo visendo, ac recognoscendo Carolus agere cœpit. Canonici contra, regiique Magistratus Ecclesiam ab Archiepiscopi potestate dicebant exemptam: Regi certè vt Duci, & patrono in ea ius esse. re vera Clemens Pontifex exemerat; sed ita tamen, si Archiepiscopus consentiret: consensus verò nusquam apparebat. Carolus tametsi certo sibi iure niti videbatur; negotium tamẽ sustinuit; Romámque detulit. cúmque respondisset Ormanetus, ac mandasset Pontificis nomine; vt iure suo vteretur; rem ille tamen adhuc trahi duobus ferè mensibus passus est. Interim canonici (nonnullos semper exceptos volo, quos scio dissensisse) tantum sibi sumpserant; vt ne in vllum quidem ipsius Ecclesiæ Scalensis clericum Archiepiscopali auctoritate agi posse cõtentè affirmarẽt. immò Vicarium caussarum criminalium, & fisci procuratorem, quia egissent, anathemate notatum publicè denunciarunt; Carolum etiam ipsum ea de caussa citare ausi. Priuilegii sui, & auctoritatis Apostoli-

De Scalensi casu, aliisque ecclesiæ perturbationibus. Cap. 8.

cæ nomine id fecerunt; cuius tuendæ ministrum, iudicémque delegerunt leuissimum hominem, atque imperitum Petrum quendam Barbestum. His rebus cum Magistratus apertè fauerent: Dux etiam ipse semper Ecclesiastico iuri tuendo antea deditus, tunc alium se præbebat: siue id aliorum instigatione; siue obtrectatorũ timore faceret; qui calumniandi, accusandique apud Regem, regiúmque consilium ex pio eius studio occasionem arripuerant. commotus etiam dicitur: quia cum ad tollendum mercatum quendam qui ad sancti Bartholomæi, eius die festo haberi solebat; ipso die Carolus Ecclesiam claudi iussisset; ad eam Ecclesiam rei diuinæ caussa fortè is aduenerat: &, vt perturbati animi natura est, occlusas fores, contra penitus, ac Caroli mens fuerat accepit iniuriæ loco. Vtcumque ille affectus, mutatusve fuerit; pœna certè capitali proposita, per eos dies edixit; ne quis aliquo modo regiam iurisdictionẽ læderet. quod quidem edictum ita conscriptum est; vt causidici, notarii, ministrique fori Archiepiscopalis omnes, veriti ne qua forte ratione aliquando comprehenderentur; eiusmodi pœnæ metu, forum, caussas, exercitationésque suas omnino dimitterent. Carolus in aperto iure minimè hæsitandum, cunctandumve ratus; ne maiora ex his in dies contra Ecclesiæ ius pararẽtur; simul suspicans, nè tempus ideo duceretur; vt ipse quoque per Barbestum publica posset proposita denunciatione notari: diem illius Ecclesiæ recognitioni denique constituit. eo die mane per Ludouicum Monetam presbyterum denunciat, iam se affuturum, Ecclesię, ac ædium Ecclesiasticarum visendarum caussa. canonici prius moniti sacrorum festinanter finem fecerant: & plerique sacra linea veste induti, ad cœmeterii ianuam, cæteris omnibus clausis, constiterant. Ex his Calaber quidam senior, qui œconomi munere in Ecclesia Mediolanensi fungebatur; denuncianti Ludouico, In regio, inquit, domicilio sumus, nullum ius Archiepiscopo in nos: Cardinali id nuncies; moneasque, vt prudenter agat: huc enim spectant edicta promulgata contra homines Regi infidos. Dum cæterorum sententiam, an eadem sit Ludouicus exquirit; exardescit senex; dure increpat; omnes in eum impetum faciunt; impellunt; eiiciunt. Carolus ipse non multo post aduenit. qui Cardinalis insigne ante illum gestabat; cum limen intraret, iniecta in frænum equi manu, repellitur. eodem modo, qui crucem Archiepiscopalem præferebat. tum Carolus mula descẽdit; crucem, quam tenere in pronunciatione sententiæ contra canonicos oportebat, prehendit, ingreditur. ibi verò horrendum spectaculum. cæci sacerdotes, qui tanti Antistitis, sacrorúmque insignium conspectu placari, aut potius terreri debuerant, vehementius accensi irruere; armati, quos quasi cum hoste res esset, conduxerant, districtos gladios tollere; Hispaniam, Hispaniam stultissimè conclamare; Carolum variè agitatum, & in imaginem Crucifixi semper intuentem repellere; fores obtrudere, contráque faciem claudere; multitudinis concursu, strepitúque omnia misceri. His interfui adolescens, cum ea via forte præteriẽs, turba reique nouitate motus eò loco moratus essem. Ibi Carolus in canonicos anathema, interdictum in Ecclesiam pronunciauit: Vicarius eius generalis Ioannes Baptista Castellius paratum scriptum parieti affixit. quo statim aduersarii conscisso; Vicarium malè habuerunt, atque adeo ceciderunt. eodem die à collegio celebriter deductus, præclarus ille litterarum Pontificiarum patronus Barbestus, sententiam solenni ritu, campanarúmque sono contra Carolum pronunciat: grandibus litteris in illius Ecclesiæ pariete, aliisque vrbis locis publicè notatur, Carolus Borromeius Cardinalis, & Archiepiscopus sacris interdictus, ob Pontificiæ auctoritatis contemptionẽ. Contra Carolus pronunciationẽ suam in Basilica maiore statim renouauit. deinde nominatim Oeconomum, totius facti ducem, & alios de quibus constare potuit, ob vim sibi, ministrisque suis adhibitam, sequenti die, ab Ecclesiæ corpore abscissos; eosque, & eorum Ecclesiã iis pœnis constrictam, declarauit, quæ Bonifacii Pontificis constitutione sancitæ sunt in Cardinalium violatores: plura enim erant capita, quibus eo facto canonici grauissimas Ecclesiasticas pœnas incurrerant. Duci prætereà, Senatuique facinus scripto denunciauit; monuitque, nè

fortè in tanta re conniuentes, in easdem pœnas inciderent. Cæsarem Specianum patritiũ Mediolanensem, tunc canonicum suum, nunc Episcopum Cremonensem, magna virtute Præsulem, & magnis Ecclesiæ sanctæ muneribus perfunctum, Romam misit, qui acta omnia ad Pontificem referret, & quæ ea de caussa opus essent, procuraret. Erant Carolo mœroris non mediocris caussæ complures: vastitas Ecclesiastici fori: nulla iudiciorum facultas, nisi quàm comprobasset Senatus: quãquam nè illa quidem vti quemquam permittebat, nè licentiam eiusmodi probare videretur: publica quædam auctoritatis suæ contemptio: nulla ciuilis potestatis tutela; quin tacita potius oppugnatio: iactatio aduersariorum disiunctum tandem ab eo, & abalienatum Ducem; Pontificem verò minimè, vt putabatur, commotum recentibus factis: Vicarii, consiliariique sollicitati, ac penè iussi, vt à Carolo discederent: dubitatio piorum, amicorúmque hominum, num fortè magis cedendum esset, quam tanta turbari sinere.

Romæ, & apud Regem de rebus suis agit fortiter. Cap. 9.

Hoc loco res Caroli cum essent; eò maiori tamen animo esse videbatur, quò grauiori premebatur acerbitate. summa in rebus omnibus circumspiciendis diligentia: neque opera, neque studio caussæ deesse, nullum officium Romæ, vel in Hispania prætermittere: sese in primis, Ecclesiámque suis, aliorúmque precibus impense Deo commendare: spiritualibus colloquiis, exercitationibúsque sustentari. Atque dum consiliorum suorum, & aduersariorum item rationem perpendens, exponeret omnia Pontifici; illud quãdoque dixisse reperio: si eorum malorum in se ipso caussam agnosceret, dicturum cum Iona: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: cessurum se facilè, magisque tranquillam vitam, quod ei facilè, iucundúmque foret, electurum. Sed cum perspiceret de auctoritate tantummodo agi: idque curari, nè quid Archiepiscopus in laicos ferè sine sæculari potestate posset; quod neque iuri consentaneũ; & moribus emendandis, salutique populi valdè incommodum iudicabat: id etiam fortasse agi, vt Carolus tantis molestiis, difficultatibúsque defatigatus tandem locum deferret; aliusque Archiepiscopus crearetur, qui vel non posset, vel nollet repugnare: hæc cum videret; decretum sibi esse, omnia potius incommoda perpeti, omnia subire pericula, quam Ecclesiæ caussam vmquam deserere. scire se etiam Pontificis in Ecclesia tuenda, & omni ęquitate conseruanda religiosissimam voluntatem. nosse Catholici Regis optimam mentem. his rebus in magnam spem adduci, omnia tandem, Deo in primis fauente, felici exitu esse concludenda. Sed quamuis acta Barbesti Pontifex irrita declarasset: ex Canonicis nonnullos Romam vocari: & quia non paruissent, anathemate damnari iussisset: remissius aliquanto tamen agi, tardiusuè remedia malis præsentibus afferri Carolus existimabat, quam res postularet. cunctationem ipse, dissimulationémque maioribus malis occasionem putabat esse. alii verò maiora mala ita potius auerti, dicebãt: omnino Caroli mẽtem, animúmque caratione exerceri, & quodãmodo expoliri. cum is ita sentiret; tanta tamen erat modestia, tãtumque summi Pastoris sapientiæ, atque amori tribuebat; vt in litteris, quas frequentissimè ad procuratores suos, homines maximè sibi fidos, Romam mittebat; nè verbum quidem reperias, quo vir acerbissimè pressus, vel agendi modum reprehendat, vel paulò liberius queratur. de ipsis etiam aduersariis ita loquebatur; vt quos poterat, excusaret; sicuti verè nonnulli erant aliqua excusatione digni. Merito autem paterno Pontificis amori plenè confidere poterat: à quo plurimi fiebat, atque vnicè diligebatur. cuius rei testimonium Ioannis Baptistę Cardinalis sancti Clementis litteris testatum, liber hoc loco proferre; Pontifici Domino nostro (ad Carolum scribebat ille) adeo probantur actiones tuæ, vt heri dixerit; Antistitem in Ecclesia Dei diuini cultus, & honoris studiosiorem; aut in Ecclesiastico iure tuendo, sanctæque Sedis huius auctoritate conseruanda fortiorem, quam tu videaris, scire se neminem. ideò viribus omnibus opem ferre quidem velle; amplitudinémque tuam defendere; sed rei tempus expectandum. aliàs dicebat Pontifex; in Caroli rebus tuendis, vel vitam ipsam sibi ponendam. De Rege licet ea omnia sibi Carolus polliceretur, quæ ab optimo Principe possent

expectari: tantum erat tamen aduersariorum studium, tanta contentio, vt vel scribendis ad Apostolicum Internuncium in Hispanias literis, scriptisque aliis mittendis, quibus varia, quæ contra ipsum, Regi referebantur, coargueret; assiduam pœnè operam dare cogeretur. Is erat Ioannes Baptista Castaneus Archiepiscopus Ruscianensis, humanitate, religione, iudicióque vir in primis præstantissimus. qui nuper Sixto mortuo, in altissima Petri Sede collocatus paucis diebus morte sublatus est. Erant apud Regem, & eius consilia, qui vel id prædicare non dubitarent; omnino prouinciam Mediolanensem, salua Regis auctoritate, administrari non posse, nisi Carolo pulso. Totius autem sensus sui, rerúmque Ecclesiæ Mediolanensis rationem Regi fusius aperire constituit; vt pro religiosa voluntate sua, quantum in eo esset, tantis incommodis mederetur. Optimo igitur Antistiti, valdéque amico mandata dedit: quorum fuit hæc summa. Quod perturbationum Mediolanensium, quæ Regi notæ satis erant, culpam in se, tamquã Regis parum studiosum, alienique iuris appetentem, quidam transferre conarentur: primò sibi conscium esse; suæ id vitio fieri non posse voluntatis; quam sanè optimam erga Catholicam Maiestatem hæreditatis quasi iure accepisset à maioribus suis; ipseque maximè omnium conseruaret; ob ea, quæ in Gibertum eius patrem, Federicum fratrem, in se demum agnoscebat ab eadem liberalissimè collocata beneficia: quam etiam Romæ olim; quo loco, & tempore, opera, & officiis suis multò meliùs poterat, re ipsa sæpius ostendisset. Alieni vsurpandi, quæ cupiditas, aut suspicio in illum cadere, qui omnia sua sibi relinquenda statuerat, vt Deo liberius, Ecclesiæque sibi commissæ posset inseruire? errorem etiam sibi adesse videri, cum viris peritissimis in iure suo planè cognoscendo vteretur. Neque se concordiam cum Regio Magistratu negligere: immò quoad posset, diligenter curare; cuius fructus in Ecclesia administranda omnibus esset manifestus. argumento esse vel eius patientiam, qua biennio iam in multis Ecclesiæ damnis, ac iniuriis vtebatur. At Magistratus in peiorem partem accipere omnia; apud Pontificem, Regémque de se iniustè queri; & sine causa accusare, vel iis refellendis, quæ contra se dicerentur, multum sibi negotii exhiberi. Regii iuris tuendi nomine edictum promulgatum, quo omnes Ecclesiastici fori actiones funditus essent sublatæ. Si clericus suum iudicio persequi vellet; si pro Ecclesia sua agere; si pia legata exigere; neminem esse, qui operam non negaret. Simoniacos, sacrilegos, adulteros, vsurarios, alios omnes maleficos, impunitos esse; vitia, & peccata latè manare: improbos, facinorososque exultare: clericos, Ecclesiasque iniuria affici: mortuos nonnullos piis suffragiis destitui: ita potestatis suæ conseruandæ nomine, regios iudices Ecclesiæ totam eripuisse iurisdictionem. Scalensium audaciam ab eis nutritam: nihil certè actum contra sicarios, qui sibi sacrosanctum Archiepi. auctoritatis insigne tenenti districtis gladiis à canonicis obiecti erant. id multis iustam causam existimandi afferre; vel delictum magistratibus placere; vel ipsis consentientibus fuisse commissum. eosdem crimini sibi dedisse apud Pontificem, quòd bidui moram in eo negotio negasset, qui ipsos concesserat menses. ad hoc rem indignissimam, sed tamen etiam ridiculam; gladios à Caroli parte prorsus semper inermi, prius eductos. Rem, quæ cum Senatu in controuersia esset, pro Rege quidem non tantam videri: quid tandem regiæ potestati obesset, necessarios iurisdictioni suæ satellites Archiepiscopum armatos habere; vitiosoué homines Ecclesiasticorum criminum reos eius auctoritate duci? at pro Archiepiscopo magni esse momenti: aliter enim vix, aut nè vix quidem, delictis coërcendis suo munere fungi posse. nam & si quid difficilius tentandum esset, perfici minimè posse absque laïcę potestatis auxilio. Ius regium verbo, re vera defendi viuendi licétiam. quale illud esset; quòd turbę pænè omnes ex eo tamquam ex semine ortę videbantur; quod in adulteros, & concubinarios agere cœperat. Eiusmodi impedimentis, & contentionibus summam Ecclesię conformandę, moribúsque emendandis difficultatem afferri. multitudinem variis rumoribus suspensam, incertámque teneri, ne Pastorem suum audiret, & in

salute curanda progrederetur. discere multos non solùm laïcos, sed etiam clericos repugnare Episcopis suis. Magistratus, quos prouincia benè gubernanda, vtilius occupari oportebat; detineri contentionibus cum Ecclesia exercendis. Hæc à verò animi sensu, christianáque charitate profecta Rex apud se cogitare vellet; viderétque, digna nè pia, optimáque mente, & sensibus suis planè catholicis à suis agerentur;& pro sua summa prudentia, & pietate de rebus omnibus consuleret. Quid Ecclesiasticum forum pateretur, eodem modo Duci,& Senatui denunciauit; & litteris testatus est: monuitque, vt pro eo quod sacri canones in eos statuerunt, qui libertatem Ecclesiasticam, auctoritatémque læderent, consulerent saluti suæ.

Percussus nihil læditur. Cap. 10.

Dum hæc ad Regem afferuntur; dum cunctatur Pontifex, & Magistratus in Ecclesiæ Archiepiscopique iniuriis conniuent: alia multo acerbiora, prorsusque detestabilia in Carolum patrata sunt. Humiliati optimis quidem legibus astricti, & ad instituta officiáque sua reducti erant; sed quantum vis poterat: alia enim erat voluntas; omniáque mouebant, vt ad vsitatum vitæ genus possent recurrere. Multa Carolus fecit, tentauit multa, vt verè ordinem ad veterem normam rectámque disciplinam reuocaret. de bonis monachis ex alio ordine vnicuique cœnobio præficiendis egit: de bono ordine cum eo coniungendo; de nouitiis optimè instituendis. omnia parum valere videbantur ad ordinem inueterata iam consuetudine, rursus inflectendum. optimum factu erat per nouitiorum institutionem, successionémque disciplinam restituere: sed nimis id longum videbatur. omninò illud compertum est; qui ignorantia, vel infirmitate errent; eos verbis, castigatione, diligentia in viam posse reduci: qui parata salutis subsidia contemnunt, scientésque,'& volentes in errore versantur, & consuescendo habitum confirmant; metu, vi, præmiis posse interdum contineri; cæterum vbi copia detur, eodem semper reuolui. Hæc tractare cùm Carolus pergeret; monachi eius auctoritate, diligentia, constantia vndique tenerentur; & vel Romam videre ipsa Romana auctoritate prohiberentur: nefarium consilium ex eis quidam cœperunt; Carolum quacumque ratione de medio tollere: id si succederet, quæ vellent, auferre facilè posse. Auctor sceleris fuit, vt etiam Pius Pontifex in sua constitutione refert, Hieronymus, Ecclesiæ Vercellensis sancti Christophori antea Præpositus. is, rem cum Laurentio Præposito Carauagii, Clemente Præposito sancti Bartholomæi Veronæ, & Hieronymo eiusdem ordinis sacerdote, cognomento Farina, communicat. Farina se paratum ostendit ad rem perficiendam; si pecunia detur. quadraginta aureos nummos tanti sceleris mercedem sibi paciscitur. cum ij non suppeterent, alio scelere parare aggrediuntur. Agunt de surripienda Ecclesiæ Braidensis Mediolani pecunia, quæ à Fabio Simoneta monacho, ex nouis constitutionibus custodiebatur, cogitant etiam, cum proxima esset Ascensionis Domini solennis dies; eiusdem Ecclesiæ altare; quid enim iam non auderent? aureis, argenteisque ornamentis expilari posse. Atque cùm ærarii Braidensis ostium effringere conati, nihil egissent; Fabium strangulare statuerunt illo in templi adyto sacræ precationi operam dante, veniunt ad ianuam, diffident inter se, quis eorum prior fasciam collo iniiciat. re tandem infecta discedunt. superari Deus voluit religiosa precatione improborum nequitiam. Sacra vasa atque ornamenta, Farina solus abstulit; & pecunia ex iis quamprimum confecta; per ganeas variis in regionibus voluptati se dedit. ac tandem, vt breui comprehendam; breuibus tormentis duobus, ex iis, quæ rotæ artificio, igne repentè ex silice excusso, feriunt, nouo alio furto coëmptis; ad nefarium scelus paratum se denunciat. eo peruenit immanitas; vt necesse iam non esset, eam mercedibus euocari. Modo in itinere Carolum aggredi constituit, dum perlustrat diœcesim: modo ad sancti Barnabæ ædem, quò ille frequenter veniebat; vbi opportunitatem dabant horti, qui contra illam sepibus tantùm muniebantur. Semel post sepem delitescens per ianuam Ecclesiæ ad altare sacra facientem, longiori tormento petere instituit; sed fores, quæ apertæ subito claudebantur; ministri item, qui per gradus altaris frequentes intuenti

intuenti occurrebant, impedimento fuerunt. locum denique, tempusque elegit, quo Carolus cum suis, aliisque vesperè suis in ædibus sacras preces obibat. cum accessisset, ob Cribellium Cardinalem lateri coniunctum abstinuit. reuersus conatus est tandem. ea precatio tunc habebatur; quia sacellum ædificatione impeditum erat, in amplo loco; qui hospitum commodo contra ianuam est ædium ipsarum. pars loci, quæ pro sacello erat, ligneo sepimento ad tempus erat à reliquo distincta. Igitur feria quarta vij. Calend. Nouemb. anni. M. D. LX. IX. dimidia circiter hora post noctis initium, genibus flexis orabat Carolus, quatuor, quinqueuè cubitis longè ab ostio sepimenti, ad pietatem excitandam, frequentiámque exterorum inuitandam, aliquid musici cantus adhiberi solebat: tunc autem canebatur illud Euangelii; Tempus est, vt reuertar ad eum, qui me misit: cumque ad ea verba cantores venissent, Non turbetur cor vestrum, neque formidet; sacrilegus ab eodem ostio quod apertum erat, tormenti rotam laxat: ignea vis pilam, pilulasque plumbeas plures in Carolum coniicit. flamma, sonitus ingens improuisus omnes perterrefacit. Carolus verberatum se in dorsi spina sentiens, locum manu premit: dolorem, quamuis minimè sentiat, se tamen grauiter sauciatum putat; existimans recenti adhuc vulnere cruciamentum non effici: in facto adeò terribili nihil corpore motus, parum etiam animo videtur; sed suis, præsentibusque aliis, qui consurrexerant omnes, & accurrerant, significauit, vt sacrum opus perficerent, neque abscederet quisquam: paruerunt omnes, finéque orandi quiete fecerunt; vt commodè percussor exire, per scalas descendere, atque abire potuerit. Pila nè vestimenta quidem traiecit; sed in linea tantúmodo exteriori veste (rochetū appellant) impresso vestigio, & labe quadam effecta, post Carolum super panno humistrato cecidit. Pilulæ ab ore tormenti dilatatæ varia loca petierunt. alia, eadem veste, tunicáque inani ictu transiecta, & exusta, itidem in pannum decidit: alia parieti adhæsit; qui contra ostium, Carolo medio, erat. reliquarum plura signa in eodem pariete apparebant. Precatione habita discedit in cubiculum Carolus: vbi exutis vestimentis nullum in corpore vulnus apparuit; nulla prorsus offensio; tantum notula quædam, non sine tumore, in loco verberato extabat. plumbea tela, vestes etiam demum, religiosa cura pij viri conseruarunt.

Quæ post casum facta sunt, & de rebus Caroli melioribus. Cap. XI.

Grauissimo casu, nefarioque facinore statim cōmota ciuitas, tota ferè conuenit ad ædes Archiepiscop. ibi omnes factū obstupescunt; sceleris horrent atrocitatem; miraculū prædicant. Dux ipse accurrit illico, Carolūque amantissimè consolatus, omnia pollicitus est. quæ telorum signa extabant, ea piè, studioséque visit. tum vero celeriter de sacrilego deprehendendo consultauit. Atque in ædibus Archiepisc. à secunda, vsque ad sextam horam noctis moratus, cum ex eius familia de re, & malefico quærere vellet, adduci nūquam Carolus potuit, vt consentiret: & quāuis vocari religiosos viros illi maximè probatos iussisset, vt id persuaderent; non impetrauit tamen. Duci verò Carolus gratias cum egisset; addidit etiam priuatim sibi ducere eam illatam iniuriam: propterea velle se, vt nullo humano studio adhibito, tota Dei iudicio permitteretur; qui ea in re præsertim suam declarasset tutelam. magis cupere, vt eiusmodi studium, diligentiáque ad Ecclesiæ ius tuendum conferretur; & ad ea vindicanda, quæ in eam quotidie fiebant; ea maximè, quæ ad Ecclesiam Scalensem publicè commissa fuerant: vbi non ipsi priuatim, sed personæ, auctoritatique Archiepiscopali insignis iniuria facta fuerat. tanta dissimulatione ea in re ab eo, & à Magistratibus adhibita, facile potuisse improborum audaciam ali. Quibus scitè Dux respondit; in publicis controuersiis, quæ iure dirimendæ essent, Consilij, Senatúsque arbitrio facere se oportere: quod propriè ad Carolum, eiusque vitam pertineret, cuius se defensorem profiteretur; id non secus, atque vitam suam sibi curæ esse. eadem sententia ad Senatorium ordinem Carolus locutus est; qui postridie eius diei officij gratia ad eum conuenit. quod idem Consilium ciuitatis, collegiáque præcipua fecere. At Dux ea ipsa nocte edictum promulgari iussit; in quo re, vt gesta erat, explicatè relata, & diuini miraculi nomine appellata; qui aliquid nossent, quod ad scelus illud per-

timeret, eos iussit statim, aut tridui spatio ad summum indicare; capitali, bonorúmque publicationis adiecta pœna, si non facerent. impunitatem præterea indici, nisi ipse auctor flagitii esset, pollicitus; præmium quoque proposuit, absolutionem duorum damnatorum exulum, & aureorum duo millia. triduo ferè portas vrbis clausas haberi iussit. cauponésque omnes eorum nomina deferre, qui feria quarta in eorum diuersoriis ad primam noctis horam morati essent. literis statim missis, edixit præfectis, tum qui vrbes prouinciæ custodiunt, tum qui arces tenent; vt omni diligentia, hominem nefarium conquirerent. alia fecit diligenter ad hominem aliquo modo eruendum. custodiam eius armatam, cum recusasset Carolus, hora tamen supplicationis consueta mittebat ad palatium Archiepiscopale; ianuámque custodiri iubebat, donec occluderetur. Ipse frequentissimè, atque amicissimè Carolum adibat; ea quemadmodum dicebat, de caussa, vt omnes intelligerent iuris quidem esse inter eos controuersiam, potestatúmque dissimilitudinem; sed non disiunctionem animorum. Carolus autem, vna cum clero de more sacros ordines duxit, ad agendas de accepto beneficio gratias; quem frequentissimus piè admodum, atque amanter populus prosecutus est: vt vel eo signo satis indicaret, quam charam haberet vitam Pastoris sui. Paulò post Carinianum se contulit, ad Carthusiensium monasterium vrbi propinquum; vt quem ferre posset, ex diuina voluntate, vel deberet eiusmodi euentus fructum; clarius, atque vtilius in loco solitario videret. Facto autem accuratè descripto, & ad Pontificem misso: ipse literas adiunxit huiusmodi.

Caroli literæ ad Pontificem.

Quod mihi ante tres dies accidit, Ormaneius exponet Sanctitati tuæ. id auribus tuis molestum erit: sed Domini Dei nostri misericordiam etiam indicabit, qua vsus est in me, haud vsitata ratione protegendo. neque id mea, qui nihil eiusmodi sum meritus; sed vel loci, officiique mei gratia, vel vt longius, quod mihi opus est, ad pœnitentiam temporis spatium daret: aut verò aliis de causis, quæ nobis curiosè inuestigandæ non sunt. est igitur hac in re potius, vnde læteris, quàm molestiam capias. Equidem Deo gratias ago; speróque non sine fructu hoc fore honoris, & gloriæ diuinæ. Sanctos pedes tuos osculor, tibique omnia bona precor.

Ad ea respondit Pontifex sua manu: Malis hoc semper in more iam fuisse iam inde ab ipsius Abeli tempore, insectari iustos: sed dum nocere illis conati sunt, profuisse potius; sibi verò obfuisse. dolere se maximè quorundam cæcitatem, qui contra se ipsos laborarent; seque eò paulatim demitterent, vnde non esset exitus. gratias Deo egisse; quòd talem virum sibi seruasset; & dæmonis conatum fregisset. non solum Dei fiducia, sed diligentia etiam vteretur in se custodiendo. vindicaturam id sceleris diuinam maiestatem, vt solet, in tempore. Deum oraret per se; & per alios, vt cæcis lumen daret. Verum allato Romam nuncio, magnus tota vrbe motus, magna fuit admiratio. Pontifex in Cardinalium conuentu ea de re verba fecit: casum deplorauit ita scilicet euenire cum ii qui potestates, & imperia regunt, odium in Episcopos, aut alienam voluntatem ostendunt; improborum animos in eos, furorémque confirmari. hortatus est denique, vt de tanto viro per miraculum seruato Deo gratias agerent. tum verò suo nomine Catholico Regi negotium grauissimè commendari iussit; vt ad prouinciæ Mediolanensis rectores, pro rei grauitate mandata daret. Nuncio item in longinquas vsque prouincias celeriter fama perlato; confluxere vndique Regum, Principum, priuatorumque literæ; quæ ex sceleris atrocitate, & ex felici euentu, dolorem, gaudiúmque miscebant. alii teterrimã hominis mentem, qui commiserat, asperámque tẽporum conditionem deplorare: alii Caroli sanctitatem, rectissimáque mentem prædicare; alii diuinam benignitatem celebrare, in suis seruandis; miraculisque etiam nostræ ætati concedendis. grauissimum multi argumentum efferre; quod constanter omnino agendum sit Dei ministris; quidquid eorum officii est, tam perspicuo Dei patrocinio. ingeniosè quidam proferebant, amantissimè gratulantes, Deóque gratias agentes; quod eodem tempore Deus & martyrii laudem, viro sibi, & Ecclesiæ prorsus deuoto dedisset; & martyrem mirificè sibi seruasset. nescire se dicebat M. Antonius Amulius Cardinalis; vtrum maiori mira-

culo corpus à vulnere, an animum à terrore liberum, Carolus ex horribili casu retulisset: vtrumque certè magnum sibi videri in miraculum. Quibusdam etiam fuit in prouerbio; lineam Caroli vestem esse quauis lorica duriorem. Eius cognati Principes viri, proximi, & longinqui, custodiam, potentiámque suã pollicebantur. Religiosæ, piæque Congregationes sacra munera assiduè obibant. gratiis Deo agendis, auxilióque diuino in posterum implorando: nam multi ex amicis post euentum magis, quam ante multo metuebant. At fuere etiam, qui dum cauti, atque intelligentes videri peruersè vellent, in maximam inciderent temeritatem; Caroli illud fuisse artificium, vt sibi opinionem quæreret sanctitatis. Carolus cum de se custodiendo moneretur, facturum se dicebat, non armis tamen; atque ea tantum cautione, quæ pastorali muneri obeundo impedimento non esset. vereri enim, si secus fecisset, nè tum rebus Mediolani incœptis, tum iis quæ in aliis Ecclesiis fortè agenda essent, magnum afferret detrimentum. si ipse Cardinalis, præcipua Pontificis tutela, timere videretur; quis in Ecclesiastica caussa constantiam præstiturus esset? videri namque omnibus non priuata, sed publica de caussa se peti. Cum autem à Pontifice sibi suspectos prodere iuberetur; scire se respondebat, sibi esse correctionis caussa multos offensos; sed legitimam suspicionem habere nullam: ciuilium iudiciorum disquisitione multis molestiam exhiberi, quos à maleficio valdè alienos existimaret. Letabatur autem: id quod optimæ custodiæ instar habebat, & lucri loco non mediocris; piorum precibus tunc se multo quam antea studiosius iuuari. tum precationem illam vespertinam ex eo casu maxima frequentia in ædibus suis celebrari gaudebat. Romæ fama erat, eò Carolum vocatum iri, vt periculis subtraheretur. id cum ex iis quidam audirent, qui eius negotia procurabant; suadere Carolo conabantur, vt cœptis ædificiis, quæ multa erant iuberet supersederi. at ille tum posse fieri respondit; si sua causa ea instituisset. Quod multi prædixerant, Caroli res, ob illum casum meliore loco fore; id euenit. omninò est hoc diuinæ clementiæ: vt incommoda suorum, salutari quadam vicissitudine commodis compenset. sed ex se tamen etiam res aduersæ, tum misericordiam mouent, tum amorem; quod si exitum habeant felicem, atque mirabilem; si cum opinione sanctitatis etiam coniungantur; accedit etiam non mediocris veneratio. Carolo post diuturnam grauémque sanè afflictionem; post grauissimam Scalensem iniuriam, atque periculum; post atrocissimum tormenti casum, mirabiliter seruato; minimè mirum, si magna fieri visa est in multis animorum mutatio; magnáque voluntatum erga illum inclinatio, tum insignis etiam apud omnes sanctæ cuiusdam existimationis eius accessio. Mandata primum à Rege Duci sunt allata: Ecclesiæ restitueret, quæ edicti illius caussa ablata erant. tumultum Scalensem sibi maximè improbari: temerarios illos, qui sese cum gladiis Carolo opposuerant, diligenter perquireret, suppliciόque afficeret. præsertim verò de nefario homine inuestigaret, qui facinus execrabile, sic enim appellabat, committere ausus fuerat. tantum abesse, vt Caroli iurisdictioni vellet eximi Scalense collegium; vt potius ad illud visendum, résque illius componendas hortaretur, rogarétque. in omnibus Caroli difficultatibus paratum se ad eius defensionem præberet. placuisse sibi admodum, quidquid officii erga illum in eo casu præstiterat. si quid etiam amplius addiderit, incertum est. Internuncius certè, ac vniuersi Dominicani ordinis Antistes Vincentius Iustinianus; quem Pontifex ob Mediolanensia, & alia negotia generis eiusdem ad Regem legauerat, plura scripserunt de optimo Regis in iis factis omnibus iudicio, optimáque in Carolum voluntate. Iis verò mandatis animum suum Dux amicissimum adiungens: grauia illa in primis Ecclesiasticæ iurisdictionis impedimenta, quæ adhuc perseuerabant; sustulit: nam & Pontifex ita voluerat; hominémque monuerat anathematis pœnã sacris legibus in violatores Ecclesiasticæ libertatis sancitã edicti promulgatione eum incurrisse. qua in re Pius Princeps eam ostendit pietatem; adeóque communicatione rerum omnium ad præscriptum canonum abstinuit; vt cum ad lustrandos equitum ordines prodire necesse esset; statim sibi sonitus tor-

mentorum plausum, ac salutationem interdixerit. Præterea, qui sacra communione olim exclusi erant, supplices eo se vinculo liberari petierunt. ij cum absolutionem Romæ Carolo iuuante, anteà petiissent; posteà verò destitissent, caussati, quod Regia auctoritate ita iussum erat; Carolus pii Regis iniuriam sentiens, in Hispaniam scripsit; vnde responsum tulit, contra mentem Regis id esse penitus. Itaque extructo ante fores Basilicæ maioris paulò editiori tabulato, pridie Natalis diei Domini, absolutionem Aduocato fiscali, & Notario, stata iureiurandi obligatione prius obstrictis, solenni ritu impertiuit. tum de canonicis pœnis, earumque vi, ac grauitate, sermonem habuit ad populum. Iudex autem ille, Senator interim factus, cum à Carolo postulasset, vti Alexandriam proficisci, ibique cognatorum nuptiis interesse liceret, neque impetrasset; nihilominus profectus, nocte post epulas consecuta morbo correptus, paucis diebus interierat. cuius cum euentu pii viri casum obseruarunt vnius ex tribus qui Romam Pontificis iussu vocati fuerant. is cum errore quodam, nescio qua ratione, fixè insito, omnium maximè Carolo repugnare videretur; in eum siue corporis, siue animi morbum per id tempus incidit, vt admodum acerbam vitam ageret: suspicatúsque dæmone se aliquo vexari, adhibitis sæpius per sacerdotem sacris exorcismis; non multò post eodem modo, semper vexatus, abiit è vita. Alii demum in eadem caussa fuerunt, quos calamitatibus suis, posterorum infelicitate variè mulctatos, Deo, & Ecclesiæ pœnas dependisse multi crediderunt. Scalenses canonici, qui contempta Caroli sententia, diuina officia, celebriore ritu, cantúque, quamquam populo piè abstinente, celebrauerant; diúque in contumacia permanserant; ad sanitatem demum rediere. At eorum Præpositus, quamuis non magna culpa, absolutionem statim postulauerat supplex; & ea pro foribus Ecclesiæ Sancti Fidelis à Carolo accepta; Archiepiscopi se auctoritati obnoxium esse, publicè professus erat. Carolus Pontificem deprecatus, vt clementer cum canonicis ageret; efficere non potuit, vt dignas ille omitti pœnas consentiret. iudicium tamen omne Carolo ipse permisit. nè multa; eos erratum suum publicè confessos, supplicésque, ante fores Ecclesiæ maioris, Carolus magna celebritate, solenni ritu, anathematis vinculo liberauit, die dominica, Nonas Februarii. M. D. LXX. 1570. qui deinde in Ecclesiam ad altare maius adducti, in ipsius, futurorúmque Archiepiscoporum sese potestate esse professi sunt; ac diuina sibi, Ecclesiæque suæ restitui summissè postularunt. Inter alia Carolus id imposuit, vt quotannis ad decem annos, in natali Mariæ Virginis die; quæ maioris Ecclesiæ præcipua est celebritas; dum Missæ solennia celebrarentur, collegium vniuersum, ad eiusdem Ecclesiæ altare maius, ritè, atque ordine veniret; vbi ad pedes Archiepiscopi abiecti veniam peterent; eiusque potestatem in se publicè faterentur. Ius, legitimè agendi in eos, reseruauit, qui sibi, armatis etiam viris accersitis, restiterant. demum apta concione habita, ad eorum Ecclesiam ordine, celebrique apparatu processit: cœmeterium, qui facinoris fuerat locus, ritè expiauit; Ecclesiam ingressus, inter canentium clericorum hymnos, statis cæremoniis populo benedixit. Ita eo quidem tempore cum canonicis actum est. postea contra eos, qui restiterant iudicium diu est agitatum: pluresque ex iis in carcere habiti: quorum caussam, cum Caroli itidem arbitrio, vel ipsis canonicis enixè postulantibus, Pontifex integrè permisisset; ea tamen conditione, vt beneficiis priuarentur; seuereque punirentur: impetrauit nihilominus Carolus, vt omissa canonis seueritate; paterna potius animaduersione, quàm legitima pœna castigaret; homines præsertim, qui piè admodum veniam petebant, Barbestus auctoritate Pontificia victus cum esset; ita ab omnibus desertus erat, vt nemo pro eo verbum facere auderet. sed eius casum miseratus Carolus tum publicè declarauit, licere eum defendere; tum etiam per Ormanetum Pontifici vehemẽter commendauit; orauitque, nè eas pœnas miserum hominem dependere vellet, quibus alioqui eius erat digna temeritas. exilio cum esset mulctatus; ei nos postea ab amicis rogati ab Caroli clementia reditum impetrauimus.

Puniuntur qui scelus in Carolum commiserant. Cap. 12.

Paucis diebus post nefarium facinus ab apostata commissum, venit ad Carolum Bartholomæus ex Præpositis ordinis Humiliati genibus nixus, incerto vultu, quædam se habere ait cum eo secreto communicanda. surgere, dicereque iussus, quæ haberet; plura loquitur de alio quodam negotio: tum addit grauius restare: scelus illud, vt ipse putabat, commissum fuisse à sui ordinis fugitiuo, qui etiam Braidense argentum furatus erat, nomine Hieronymo: eum enim, se præsente, sæpius ea de re cum Præposito Vercellensi egisse; petiisséque etiam ad id pecuniam; quam Vercellensis tamen negauerat; immò reprehenderat eius consilium; hominémque ad ordinem suum rediret, hortatus erat. Id cùm audisset Carolus minimè sibi fieri verisimile respondit: quoniam Hieronymum illum propriè nulla in re vmquam offendisset. post multa, ita Bartholomæus discessit, vt se certò rem scire negaret; sed ita coniicere ex iis, quæ audierat Vercellensis, & Hieronymi colloquiis. addit sperare se, Hieronymum ipsum post mensem affuturum; & ad ordinem reuersurum: tum facilè eum comprehendi, & de re tota inquiri posse: se autem de illius aduentu Carolo nunciaturũ. Quæ à Bartholomæo acceperat, eorum quidquam se nosse Carolus nemini prorsus significauit: aliis alia suspicantibus, nihil aliud dicebat; quam vt nè temerè de quoquam iudicarent. Cùm rerum suarum caussa Carolum Bartholomæus adiisset, indicium repetiit: religionis se caussa testatus est indicasse, vt peccati vinculo se liberaret; & quasi grauissimum onus, quod sustinere sibi videbatur, deponeret. Intereà de Antistite aliquo Mediolanum mittendo Romæ agebatur, qui de maleficio diligenter quæreret. cuius negotii, nè quisquam suorum vllo modo particeps esset, Carolus etiam, atque etiam curauit: immò publico scripto testatus est, nolle se in quemquam omninò de ea re agi. At Pontifex Antonium Scarampum, Episcopum Laudensem anno demum M.D.LXX. ineunte, ad id munus legauit. Pontificium edictum Episcopo promulgandum dedit; quo anathemati omnes subiiciebantur, quicunque non indicarent, quod de eo facto nossent: indicantibúsque impunitas promittebatur, etiam si sceleri consensissent. cui constitutionẽ addidit generalem; vt & Carolo ipsi, & aliis Cardinalibus in posterum magis caueret; qua veteris canonis pœna in violatores Cardinalium à Bonifacio sancita, etiam conscios sceleris, nisi indicarent teneri statuit. Cùm venisset Episcopus, edictúmque proposuisset; Carolus ea de re tota valdè solicitus erat. iussum Pontificis vrgebat, & grauissima pœna. premebant illa; quòd secretò sibi commissum indicium fuisset; quòd de sua vindicanda iniuria ageretur. miserebatur eorum, qui scelus nouerant. videbat enim facile fore, vt inconstantes homines, vel metu aufugerent, & anathemate profligati miserè iacerent: vel si manerent; capitalis iudicii molestiis, asperitatibúsque diu affligerentur, eam igitur ineúndam sibi esse statuit rationem; qua, & solicitudine sese, & vtriusque salutis periculo illos liberare posset. Bartholomæum vocat; tum verè grauissimum onus ei impendere monet: nisi rem Episcopo denunciet, anathematis vinculo, aliisque pœnis propositis eum obligandum: si denunciet; eam sibi videri rationem eorum quæ de se, & de Vercellensi Præposito narraret, easque in ea narratione suspiciones elucere; vt plurimùm eis negotii, molestiæque preuideret exhibendum. ac quamuis religione postposita, quod non putabat, anathema contempsissent; facilè tamen eius rei aliquid alia via patefactum iri; propterea quòd Episcopus diligentissimè inquirere iussus erat; & percrebuerat iam rumor ab ordine Humiliato malum profectum esse: ex quo multo difficilior eorum caussa reddenda erat. Vnam se videre rationem; qua molestiis, periculisque ii expediri possent: vt quæ verè nossent, etiam si ipsi essent criminis participes, ea sibi liberè patefacerent, ipsis vt incertis hominibus, qui dolore commissi flagitii commoti, ad eum confugissent, veniam à Pontifice impetraturum. interim secum religiosè rem totam habiturum. sperare id se maximè, Pontificis clementia fretum, amoréque erga se satis perspecto. At Bartholomæus enixè affirmare; neque se, neque alium quemquam ordinis sui

sceleris esse affinem; ea tantummodo nosse de Hieronymo, quæ dixerat. Vercellensis quoque ipse Bartholomæi hortatu Carolum adit; & mira religionis simulatione, secretò eadem quæ Bartholomæus, narrat. alia scire se obfirmate negat. immo velle Episcopum adire, rémque indicare ambo affirmant; & vt Carolus idem facere posset, si vellet; cum nexu rei secretæ habendæ, si quis esset, sponte liberant, Carolus etiam; atque etiam amantissimè monet; videant, quid agant; dum tempus esset, rectè consulant: Deum piè testatur, cupere se factum minimè in iudicium vocari; eosque alia via omni periculo liberari. Illi in sententia manent: rogantque, vt si sontibus opitulari vellet, multo magis tueretur insontes. commendaturum se eos Episcopo, Carolus pollicetur; rogaturúmque etiam, ne eos teneret: posse tamen veniam sponte petentibus, secreta clementiæ via, opem ferre, quam non posset laqueis iudiciorum irretitis. nè multa; edictis promulgatis, Episcopus auctoritate Pontificia Carolo iuramentum defert: quęrit ex eo, quid de facto nouerit, suspiceturve. primo factum ipsum Carolus narrat. addit deinde se de auctore nosse, quod duo Præpositi Humiliati ei indicauerant. rem eos expositvros, qui iam sponte venerant. si eadem ex se postea vellet audire, dicturum. testari tamen, nolle se in quemquam ob sua dicta vllo modo agi. orasse antea Pontificem, nũc itidem per ministrum eius orare; vt factum Deo remittat, eiusque auctores, affinesuè dimittat. neque Præpositis ipsis obesse velle; quin impunitatem, & omnia consequerentur; quæ literæ Pontificiæ iis, qui primò indicassent, etiam si participes culpæ essent, promittebant; quin se eorum nomine, corúmque commodo, quacúmque ratione posset, ea indicare. rogare item, nè si fieri posset, eos in custodiam daret. His in acta relatis introducti Bartholomæus, & Vercellensis, quæ Carolo iam dixerant, repetunt. in dicendo ita offendunt; ita suspicionem mouent, Vercellensis præsertim; vt est difficilis mendacii, & verisimilitudinis coniunctio; vt eos in vinculis retinere Iudices legitimè cogantur. Carolus pro eis non semel ad Ormanetum scripsit; vt Pontificis animum studeret ad lenitatem reuocare: tum quicquid eueniret, supplex eius nomine miseris hominibus, quantum posset à Sanctissimo Patre misericordiam exposceret. quòd ii sceleratum consilium non ante factum indicassent; eos non putare se Pontificis sententia puniendos: nam vel consentientibus impunitatem esse propositam, nedum scientibus tantum. licet etiam sontes deprehenderentur; in eo tamen mutatam voluntatem, & errati odium aliquo modo eos ostendisse, quod ei rem aliqua ex parte patefecerant; is maximè, qui primò adierat, alterique suaserat. Hęc cum vehementer oraret, quẽadmodum ex eius literis, quæ adhuc extant, perspicuum est, nihil tamen potuit impetrare. Habita deinde diligentius quæstione, Vercellensis demum fatetur, sacrilegio se, tum argenti Braidensis surripiendi, tum interficiendi Caroli consensisse. proditur Carauagiensis, & Veronensis. vterque in vincula coniicitur. Farina iam apertius indicatus; à Duce *Sabaudiæ*, in cuius oppido Clauasio morabatur, stationarius miles factus, Pontifice postulante, facilè deditus est. omnes Mediolanum adducti cum custodia, rem omnem confessi, condemnati sunt. duo tormenta, quæ secum sacrilegus habuerat, statimque post factum Mediolani occultauerat, reperta sunt; alterum vacuum, plenum alterum; tandem v. Cal. Augusti, de gradu sacræ sacerdotalis dignitatis, solemni ritu deiecti, & religioso habitu spoliati de more, sæculari potestati relicti sunt. cúmque religiosè casum ferre satis viderentur. ducti sunt ad supplicium. Vercellensis, & Carauagiensis, qui nobili genere orti erant, capite ceruicibus absciso, sunt interfecti. Veronensis, & Farina carro per vrbem miserabili spectaculo vecti, ad Archiepiscopales ædes cum peruenissent; carnifex Farinæ dexteram manum amputauit: qui quidẽ pręcipuè scelus suum doluisse, veniámque à Deo ex animo petiisse visus est: nam & populum allocutus è furca, supplex obsecrauit, vt sui misereretur, ignosceretque, quod cum esset è medio tollere conatus, qui communi saluti tantoperè prodesset. loco demum constituto ambo laqueo suspensi strangulati sunt. Bartholomæus ob culpam nefarii consilii non

indicati, quod plane nouerat, immo etiam ob id, quòd Farinam post factum occultari curauerat: consiliumque dederat, vt tormenta combureret, in opus remigandi ad quinquennium damnatus est: clementius aliquanto habitus ob quale quale indicium datum. pro quo sæpius Carolus per se, & per alios Pontificem rogauit, vt illius saltem, qui rei nefariæ adiutor minime fuisset, liberationem posset ab eius clementia obtinere. commemorabat hominem sponte, prioremque indicasse: de vita optime in posterum instituenda polliceri. negabat vero semper Pontifex, illud proferens, si potest Æthiops mutare pellem suam. sed cum iam ad triremes ille missus esset, saltem consecutus est Carolus, vt eum inde reuocatum in Monasterium ad certum tempus includeret.

Carolus in Heluetios proficiscitur. Pontifex Humiliatorum ordinem extinguit. Caput 13.

Dum infelices illi, miserabili ciuitatis vniuersæ spectaculo, pœnas dementiæ, scelerisque sui persoluebant, Carolus vallium illarum Helueticæ ditionis ecclesias, quamquam Visitatorem ibi perpetuo habebat, reuisit, laborum suorum fructum, & eorũ vsum quæ antea constituerat, recognouit, omnia meliora reddere studuit. quin etiam studio gentis iuuandæ, simul caussa visendæ sororis, quæ Altempsio Comiti nupta erat, ad vlteriora Heluetiorum loca, & ad diœcesim Constantiensem, Curiensemque penetrauit: religiosa loca, præsertim, vbi sacræ manerent reliquiæ, coluit: per hæreticos populos nulla iniuria, quin potius honore, reuerentiaque affectus, iter fecit. quorum locorum statu cognito, tum Pontifici, tum ecclesiarum Præsulibus ad populorum salutẽ multa suppeditauit: & de religiosis collegiis iis locis, Locarni præsertim instituendis studiose egit. ad eam rem duas Humiliatorum in ea regione Præpositura à Pontifice obtinuit, Heluetiorum quoque Principum voluntate, quod difficile videbatur, adiuncta. immo ad rem perficiendam, ex suis quoque facultatibus pollicitus est: quamquam ea res impedimentis quibusdam exitu caruit. Pluribus etiam officiis cum egisset de Antistite, ad catholicos pagos Visitatoris Apostolici nomine mittendo, Heluetiorum ipsorum culpa factum est, vt nemo tunc quidem mitteretur, sed dum hæc Pontificia officia variis impedimentis excluderentur, non patiebatur deesse sua: & vt poterat, multis modis hominũ mores à iure sacrorum canonum satis alienos emendare: in officioque erga Romanam Ecclesiam gentem continere, & omnino ad salutem iuuare, studebat. vnde non paruum ei negotium exhibebatur, magistratibus illis frequenter aliquid contra sacras constitutiones turbantibus. ille autem modo amice hortari, modo seuere monere, minari interdum: nunc ad eorum conuentus mittere: nunc eorum legationes accipere: omni ratione, quæ Deo grata, iisque salutaria essent, ea curare. omnino mirum erat, quantum genus illud hominum Carolo tribueret. verum ipse quoque omni ratione eorum sibi beneuolentiam conciliabat, amicitiamque, & pietatem multorum in iis partibus omni officio alere studebat. beneuolentia vero in primis, & animarum charitate, quæ propemodum vna hominum allicit voluntates, auctoritatem suam inter eos conseruabat. Pontifex, quod antea quandoque significauerat, vt Humiliatorũ ordinem deleret, tum apud se omnino constituere visus est: cum ab eo scelus in Carolum extitisse cognouit: atque iam ex eo tempore rumores de tali Põtificis consilio esse cœperunt. Carolum ea de re egisse non video, qui disciplinæ aliquo modo instaurandæ penitus spem abiecisse non videbatur. ciuitati certe fauit, quæ pro Humiliatis suis Pontificem oraret: & Aloysium Præpositum generalem iuuit, vt Romam profectus, interitum à familia sua deprecaretur. Sed nihil obtinuit ciuitas. Aloysius vero ad Pontificis pedes cum lachrymis abiectus, cum toti familiæ supplex veniam petiisset, quamquam Pontificia humanitate bene acceptus, nihil tamen profecit. Fixũ igitur cum esset animo Pontificis nulla ordinem ratione ad sanitatem posse reduci, & omnino extinctione opus esse: ei rei qui contradiceret, fere non reperiebatur: erant verò qui vrgerent, & sibi aliquid in beneficiorum distributione dari curarent. Carolus existimans fore, quod euenit: eiusmodiq; facultates in rebus rectissime collocari posse indicans, quæ locis iis commodæ, salutariterque vtiles essent, quibus in locis eæ constitutæ erant: Specianum

ſuum iterum Romam miſit, vt Eccleſiæ Mediolanenſi aliquid acquirere ſtuderet, ex quo ſeminaria, piave collegia conſtitui, vel augeri poſſent. quiquidem tres eccleſias, ædeſque cõiunctas ſine fructibus obtinuit. Eccleſias octo in vrbe Mediolano, Præpoſituræ titulo Humiliati tenuere: ex iis, iam Pii Quarti tempore, eiuſdemque auctoritate, quæ S. Ioannis Baptiſtæ nomine erat, Carolus ab eo detraxerat ordine, ſeminarióque clericorum ſuorum addixerat, quod in iis ædibus haberetur. Præpoſituram Beatiſſimæ Virginis ad S. Calimerum à Pio Quinto prius impetrauerat: cuius fructus Baſilicæ maioris collegio, Eccleſiam vero, ædeſque Clericis regularibus à Paulo Quarto inſtitutis, tribuit, cum eorum collegium Mediolanum deduxit: quando etiam Præpoſituram S. Iacobi Cremonenſem Clericis S. Pauli tradi curauit. Quæ S. Mariæ ad Othatios dicitur, eam Seminario in perpetuum coniunxit. Et eccleſiis quinque reliquis cum earum ædibus; Braidenſem S. Mariæ, ad collegium Societatis Ieſu inſtituẽdum, cum parte fructuum obtinuit, Io. Paulo Eccleſiæ Cardinali concedente, cui Præpoſituram Pontifex dederat: quæ S. Mariæ eſt, & canonica dicitur, inſtituendis Clericis ad ſcientiarum curſum minime aptis addixit: quæ S. Ioan. Euangeliſtæ nomine appellatur, nobilibus adoleſcentibus educandis: quæ S. Spiritus, Collegio Heluetiorum: quæ Sanctiſs. Trinitatis extra vrbis mœnia, Seminario. Ordinis extinctionem, & beneficiorum diſtributionẽ, litteris ſuis Pontifex promulgauit, anno eodem 1570. Præpoſituræ tunc diſpertitæ fuerunt circiter quinquaginta, pleræque in Gallia Ciſalpina: quarum fructus millia aureorum amplius viginti quinque annua efficiebant. præter quas aliæ datæ iam erant, vel commendationis nomine aſſignatæ, ad aureorum triginta millia annua. omnes fuerunt quatuor, & nonaginta: multæ iam monachis erant vacuæ: ii enim fuere non amplius centum ſeptuaginta quatuor. quos ex ipſis diſtributis facultatibus, victu monaſtico ſuſtentari Pontifex iuſſit, & in religioſa diſciplina Epiſcoporum cura contineri. Huc tandem recidit optimus olim monachorum ordo: taleque edidit Pius exemplum neglectæ diſciplinæ vindicandæ: vt ceteri ſibi diſcant cauere diligentius.

Vitioſas populi voluptates tollere conatur. Pio mortuo, Romam concedit. Caput 14.

Inter cetera, quæ Carolus per eos annos ad gregis ſui ſalutem aſſidue cogitabat, agebatque, ſtudium fuit eius moris tollendi, quo mortales poſt Natalis Domini celebritatem, atque vtinam non in ipſa quoque celebritate, maximè vero, quò propius ad ſanctam Quadrageſimam accedunt, publicis ſpectaculis, ludis, choreis, commeſſationibus, ſe profuſe, ac diſſolute dedunt, & quaſi Bacchanalia quædam, magna chriſtiani nominis iniuria celebrant. quod eò indignius haberi debet, quò magis tribus iis, quæ Quadrageſimam antecedunt hebdomadis, pii omnes ad pietatis officia multo attentius colenda, ſacris eccleſiæ myſteriis in primis inuitantur. quæ quidem non parua habenda eſt noſtrorum temporum miſeria. Atque anno M. D. LXXI. 1571.
eo nomine Carolus id ſedulo curauit, quod grauiſſimo bello à Turcis imminente, Pontifex omnibus, qui Chriſtiani nominis eſſent, publicas indixerat preces, vt fœdere inter Principes, id quod ipſe vehementer curabat, ſancito, eorum communi, potentiſſimoque hoſti, diuina in primis ope adiuti, reſiſterent. qua de cauſſa Romæ etiã perſonatorum hominũ vagationes, choreaſque edicto prohibuerat. ea occaſione Carolus arrepta, communia pericula vt grauiſſima erant, publicis ad populum litteris exponere conatus eſt: neceſſitatemque ſummi numinis placandi oſtendere, cum peccatis, vaniſque voluptatibus ſtudioſe vitandis, tùm ſtudiis, & actionibus, quæ ad pietatẽ pertinerent, religioſe ſuſcipiendis. Benè autem tunc quidem ſucceſſit, plurimumque ei detractum eſt malo. feſtis maximè diebus conuenit populus frequens ad diuina, quæ Carolus de induſtria ritu iucundiore, longioreque in præcipuis eccleſiis celebrari iuſſit. ſupplicationes per vias, vniuerſi cleri ordinibus procedentibus, populoque ad certas eccleſias ſubſequente, habitæ ſunt. flagellationes publicæ adhibitæ: precatio ciuitatis vniuerſæ ſine intermiſſione conſueto ritu continuata. Qui dies autem ſummum quendam afferre ſolebat corruptelæ cumulum (is erat Dominicus, & illius violati temporis poſtremus) eo ipſo die; vt expiatis animis ſanctiſſi-

mum Eucharistiæ cibum, ipso ministrante, acciperet, Carolus populum inuitauit. In quo insigne fuit pietatis Mediolanensis argumentum: tam magna enim multitudo, contra penitus, ac antea solita erat, rebus diuinis operam dedit, vt sex horis Carolus, duobus licet canonicis adiunctis, qui eodem tempore Eucharistiam separatim præberent, vix potuerit omnibus satisfacere. eam populi iuuandi rationem ad eius salutem aptissimam existimabat, cum non vno illo, quo sanctissimo se cibo reficit, die, sed pluribus ante, peccatis cogitandis, & confitendis, animoque rectè præparando, malis eum, inanibusque rebus abstinere necesse sit Postero anno, atque aliis deinceps, nouis semper rationibus omnes vias persecutus est, vt diaboli fraudibus, atque insidiis suum tali tempore gregem eriperet. Dum autem in Ecclesia componenda, & ornanda, tum eius iure conseruando, Carolus assidua cogitatione, laboreque incredibiliter exercetur, quotidieque magis in asperæ vitæ institutis progredi studet: tentari morbis, valetudine alioqui non optima, cæpit: ex quibus cum conualescere videretur, de integro incidebat. qua de re amici interdum eũ monuerunt: curaret tandem aliquando valetudinem, seque respiceret, & suos. in eius salute publicum bonum periclitari. Si quid ei accideret: ruitura præclara omnia, quæ incœperat. eius rei reddẽdam Domino esse rationem: quibus ille respondebat: Gratias agere, quòd de valetudine corporis soliciti essent, rogare, vt non minus de salute animi esse vellent. rerum spiritualium fundamenta in Deo ponenda. quæ in mortalium vita ponerentur, breui omnino concidere oportere: euenturumque, quod Isaias de iis pronunciabat, qui arundinibus Ægypti nitebãtur. Porro mense Iunio grauiter admodum ægrotauit, vt etiam vitæ periculum adiret non leue. Cum tãdem melius se haberet, recognitionique rursus ecclesiarum absens operam daret: Dux prouinciæ gubernator, non dicam molestiis, aut contentionum publicarum angoribus confectus, sed multis certe curis, solicitudinibusque diu, grauitérque affectus, dum neque Deo, neque hominibus displicere, & homo, & pius vehementer studet, paucis diebus febri consumptus est, mense Augusto: vt Carolus de periculo certior factus in tempore adesse, cum valde contendisset, ob temporis breuitatem, subsidioque venire morienti, non potuerit. In eius locum interim, dum alius mitteretur, substitutus est Aluarus arcis Mediolani præfectus. Cum per id tempus totum Carolus assiduis medicorum curationibus, fere detentus esset: pituita demum, tussi, incerta febricula, venit in periculum, quemadmodum scriptis eius caussa tunc summorum medicorum disputationibus didici: ne paulatim morbo correptus intabesceret, breuique consumeretur. ac ea conditione peruenit ad initium æstatis proximi anni 1572. tum de Pii Pontificis graui morbo nuncius affertur: 1572. assiduas illius rei gratia sacrarum precum exercitationes instituit, eundem Calendis Maii ex hac vita decessisse accipit. qui quidem summus, optimusque Pater christianam rempublicam moriens, non minus afflictam reliquit, quam Octobri proximo victoria contra Turcas ad Naupactum diuinitus obtenta, recreauerat. Purgationibus implicitum pro anni tempore Carolum medici tenebant: quos cum de itinere Romam faciendo consuluisset, metuentes illi, ne agitatione, ac labore: eo præsertim, vt semper solebat, tuncque maximè opus erat, properante, morbus ingrauesceret, iter dissuadebant. Sed ille purgationibus omissis, medicorumque consiliis tunc quidem posthabitis, Christiani orbis caussam, saluti suæ satius putauit anteferre, Ecclesiæque Dei tali tempore, pro virili parte, quæ magni momenti erat, subuenire. cum ita deliberatum ei esse viderent, præscribunt medici vitæ, itinerisque rationem: lectica vti iubent: sexcentis vasculis, cum variis pharmacis, bellariisque iumẽtum onerant. Ille iustis Pontifici solemni ritu solutis, primariis ecclesiæ presbyteris conuocatis, rebusque ecclesię, quantum breuissimo spatio potuit, constitutis, postridie eius diei, quo nuncium acceperat, diuina ope inuocata, in viã se dedit. Ac lectica quidem vectus est, sed itinere, die, nocteque continuato, mutatisque ad celeritatem sæpe mulis, adeo feliciter amplius passuum millia tercentum confecit, vt qui perdere

infirmam valetudinem labor debuerat, eam non mediocriter confirmaret. ac tam cito Romam peruenit: vt duo Cardinales, qui eodem tempore, ex iisdem partibus discesserant, cursuque iter fecerant, minime tamen ei præcurrere potuerint. sed simul cum eo factum conclaue, eo ipso die, quo reliqui omnes, intrauerunt. Placentiæ primò, quæ Mediolano quadraginta millia passuum distat, Missæ sacrificium fecit, quod superioribus diebus domi numquam potuerat, aut raro: deinde quotidie, toto itinere, in tanto celeritatis studio, ac labore facere perrexit. Iucunde autem accidit in via, vt ampullæ, vasculáque medicamentorum, cum iumentum iis onustum prope Bononiam in fluuio concidisset, omnia fere vel confringerentur, vel flumine deueherentur. quod ille cum accepisset, ridens, faustum, inquit, signum, non opus fore amplius. Quamquam autem Carolo melius ex eo itinere fuit, non conualuit integrè tamen. Quin diu, capite, pectoreque cũ laborasset, Romani medici de eius salute consultantes, aquis Lucensibus mederi constituerent, Mediolanenses vero contra sentirent: ipse aliam ex eo fere tempore iniit vitę rationem. nam cum toto iam anno medicorum consilia, præscriptaque satis exquisite secutus esset, ciborum delectum, multasq; eius generis cautiones adhibuisset: mutato consilio, ex sententia piorum, prudentiumq; virorum, iis medicarum obseruationum, quasi vinculis expeditus, liberiorem vitæ modum elegit, cibos, omnemque victus rationem sibi rudiorem constituit. id eo libentius, quo Sanctorum virorum vitæ magis ea ratio consentiret. consilium ita feliciter euenit, vt posthac bona sẽper valetudine vsus, neque pituita, tussi, aut febri fere impeditus, in Pastoralia officia, laboresq; tantũ incubuerit, quantum posteritati vix credibile videbitur.

DE VITA ET REBVS GESTIS
CAROLI CARD. S. PRAXEDIS, ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI.

LIBER TERTIVS.

Gregorius Pontifex creatur. Carolus amplissimis fere bus abdicat. Caput I.



POstridie quàm erat clausum conclaue, hoc est 3. Id. Maii, creatus est Pontifex Vgo Boncompagnus Cardinalis Sancti Sixti Bononiensis, & Gregorius eius nominis XIII. appellatus. cuius humanitati, pietatique Carolus cum valdè confideret, ei multa suppeditauit, quæ ad Ecclesiam optime constituendam, Romanosque mores componẽdos facere possent, librosque Pontificio muneri aptissimos obtulit. Audire illum Gregorius libenter visus est: nam & præcipuę virtutis virum, & vero etiam, si quid ad rem pertinet, dignitatis suæ fautorem amicissimum agnoscebat. Quo vero melius res ordinari possent, eum Romæ manere iussit, & vna cum optimis Præsulibus de iis, quæ agere oporteret, consultare. sed quãquam ad Octobrem mensem Carolus Romæ moratus est, vix tamen, vt sunt semper bonis consiliis plurima parata impedimenta, quidquam perfici potuit. At vsui tamen fuere, quæ tum consultata sunt, nam alia alio tempore Pontifex postea exequenda suscepit. Ad Pontificiam familiam ea, quæ Pii V. tempore viguerat, disciplina instituendam, Carolus non pauca contulit. Bernardum Carniliam Dertonensem olim familiarem suum, apud Pontificem collocandum curauit, hominem pietati maximè deditum. cuius religio ita se in dies ostenderat: vt Ormaneto Po-

tauii Episcopo facto, in eius fere locum, munusque à Pio vocatus successisset. Hic igitur in Pontificia domo, forisque sacræ disciplinæ seruiens, simul res Caroli omnes apud Pontificẽ, magna diligentia, studioque procurauit: Deo in primis ita prouidente, vt quod maximè opus erat apud ipsum Pontificem Carolo numquam deesset fidelissimus negotiorum illorum gestor, quæ grauissima ad singularem ecclesiæ fructum perpetuò tractauit. quã ad rem Specianum aptissimum postea, Gregorioque gratissimum habuit. vt meritò quis de Caroli familiarib. obseruauerit: tales Pontifices, eos sibi ministros asciuisse, talique loco habuisse. nam præter alios, etiam Constantium Tassonium Mutinensem ad se vocauit Pius, quem Mediolani Carolus familiæ præpositum habebat, antiqua probitate, pietateque hominem. Romæ dum fuit, diuino rursus impulsu, visus est ad omnem sanctitatem acrius etiã, quam antea incitari, quod tum in publicis Ecclesiæ, Præsulumque rebus, quibus ibi præfuit, conformandis, tum in vitæ suæ rationibus seuerius componendis declarauit. doleo non ea omnia certa, explicataque habere, quæ ibi tamen Carolum fecisse, non leuibus ducor argumentis. sed quæ satis comperta non habeo, ea satius arbitror præterire. illud vulgatum est, abiecta timiditate illa, quæ plurimos solet à christiano fraternæ reprehensionis officio, deterrere, plerosque Cardinales singillatim grauiter, libereque monuisse de eo, quod christiana res ab eis, tamquam Ecclesiæ Dei Principibus, postularet: quibusdam etiam proprias caussas demonstrasse, quibus præter ceteros ipsi vitæ sanctitati studere deberent. quod officii genus, quamquam non omnibus gratissimum fuit, eius tamen, quæ vis est veritatis, extitit in multis fructus ad pietatem non mediocris. Mediolanum demum rediens, Lauretanam ædem venit pridie solemnis festi Omnium Sanctorum: vbi tum loci, tum diei festi religione motus, ex veterum vigiliarum imitatione, tota nocte in sacrosancta illa Beatissimæ Virginis ædicula vigilauit, sacrisque meditationibus, precationibusque mentem exercuit, Ludouico Moneta solo comite: quem sacerdotem in itinere familiæ præfectum semper habuit. tum vero domi, forisque rerum plurimarum fidelissimum administrum, & supra quam senectus ferre posse videretur, in laboribus, & incommodis, quæ Caroli comitatus erant, patientem. qui cum Ecclesiæ iam dudum, Caroloque se totum tradidisset, nihil tamen ex Ecclesiæ, Carolive rebus vmquam percipere voluit. Plurima Romæ Carolus ad ecclesiæ suæ commodum, fructumque obtinuit, quæ Pontificiis litteris continentur. in his fuit Romanarum stationum diuinum beneficium, quæ toto anno per varias vrbis ecclesias distributæ, eximios animi fructus afferunt ad salutem. illud etiam fecit, vt ijs se muneribus, honoribusve omnibus iam tandem liberaret, quibus totum se, vt cupiebat, ecclesiæ suæ regẽdæ, ac custodiendæ dare prohibebatur. Pium ante orauerat, vt Archipresbyteratum Sanctæ Mariæ maioris, summam pœnitentiarij muneris præfecturam, ordinum religiosorum patrocinia, pręsertim Franciscani, quod multi negotij erat, renunciare, Pontificiæque auctoritati relinquere liceret. sed passus ille non erat: pergeret ijs muneribus satisfacere per viros idoneos à se substitutos: curaret ipse quãtum posset, aut per episcopalem curam liceret: quamquam minus etiam quàm antea posthac faceret, ita sibi satius videri, quàm ab eo munera eiusmodi relinqui: si quid in eo esset offensionis, præstare se velle: neminem se habere præsentem, quem Carolo præferret absenti. Nunc item Gregorium vehementer orauit, vt id sibi permitteret, quod ita tandem impetrare posse videbatur, si modo vellet eos nominare quibus ea rectè Pontifex munera posset committere. sed cum id quoque modeste recusaret, neque annuit tunc quidem Pontifex, & cum non abnuisset tamen penitus; Mediolanum reuersus Carolus, statim ijs se curationibus abdicauit, his ipsis litteris latine ad Gregorium scriptis.

Beatissime Pater. Postquam Mediolanum ad ecclesiæ mihi commissæ gubernationem redij, non iudicaui amplius id esse differendum de officio summi Pœnitentiarij, ad quod me, mea conscientia iam diu stimulabat, & vehementer vrgebat. Cum enim pastoralis curæ necessitas, me ab ecclesia Mediolanensi abesse non patiatur, vt præsens illi muneri, quod

Caroli litteræ ad Pontificem in quibus Sanctitati suæ dignitates, & officia multa resignat.

commemoraui, quodque totum hominem: eumque præsentem postulat, satisfacere queā: illud omnino deponere statui. Ceterum, quia Saluator noster Christus Iesus Sanctitatem vestram totius ecclesiæ suæ administrationi præfecit, & curam tradidit, ecclesiasticas dignitates, & officia ad Dei honorem, gregisque sui salutem idoneis viris conferendi, atque ad hæc, aliaque præstanda perpetuam spiritus sui præsentiam, ac singulare auxilium promisit, nihil conscientiæ meæ tutius esse video, quàm si illud integre in vestræ Sanctitatis voluntate, & manu reponam. Quapropter nunc sponte, & libere officium hoc summi Pænitentiarij in vestræ Sanctitatis, tamquam in Christi, cuius vicem in terris gerit, manibus resigno, continuas interim ad Deum Opt. Max. fundens preces, vt sibi hac in re, largius gratiæ suæ lumen impartiri dignetur, quo is illi muneri præficiatur, qui nulla alterius residentiæ, aut occupationum necessitate impeditus, Dei, & animarum zelo flagrans, ac doctrina, & vitæ integritate præfulgens, digne ministerium ipse suum impleat. Iisdem rationibus adductus, sponte etiam, & libere resigno in manibus vestræ Sanctitatis Archipresbyteratum ecclesiæ S. Mariæ maioris, & officium protectoris, ac correctoris religionis S. Francisci, & Carmelitanæ, nec non & monasterij S. Marthæ in vrbe, ac omnium aliarum Congregationum regularium, quarum ego Protector existo. Atque ita humillime vestræ Sanctitatis pedes deosculor, me, ac Mediolanensem hanc ecclesiam in visceribus Iesu Christi, eius pietati, & paternæ curæ toto corde semper commendans. Mediolani 13. Calend. Decemb. 1572.

Eodem tempore ad Philippum Regem de Germaniæ inferioris, & ad Sebastianum Regem, eiusque patruum Cardinalem de Lusitaniæ clientela dimittenda scripta: eiusmodi munera præsentiam in vrbe desiderare, vbi coram, & diligēter, quod ecclesiarum, rerumque sacrarum gratia opus est, quæque ad pietatem opportuna sunt prouincijs, curari possint: sibi id minimè licere: & alioquin se totum ecclesiæ suæ debere. Eadem fere de caussa Vritanum Principatum triennio ante alienauerat, quod enim ciuitati illi curæ tribuebat, id Ecclesiæ suæ adimere sibi videbatur: præter id, quod ex pecunia contracta, plurima poterat ad Dei honorem, gregisque sui commodum efficere, quemadmodum re ipsa effecit. Duas item Abbatias ex multis illis reliquas per id tempus dimisit, alteram ita se abdicauit, vt Othatianam Mediolani Præpositurā, licet tenuiorum multò fructuum, seminario suo Pontificis auctoritate tribueret. Aronensem vero vel prorsus dimittere, vel eius saltem fructus diuino cultui in ipso loco exercendo; perpetuo addicere sæpius curauerat. nunc de certo presbyterorum numero in ea ecclesia constituendo, qui diuinis rebus operam darent: nunc de ea religiosis viris penitus tradenda, cogitauit, cum aliud ipse ex omni parte non probaret, aliud Pontifex non concederet: sacerdotium ad id tempus sibi retinuerat. tantum, quia monachi illi pene defecerant, clericos eo loco multos habuerat, religioseque moribus, & litteris instituendos curauerat: ne, quamuis rem ipse retineret: in suos tamen vsus fructus insumeret. obtinuit à Gregorio tandem, vt eam, quod iamdiu cupiebat, traderet Societati Iesu. Ita vectigalibus, administrationibus, honoribusque maximis relictis: vno ex tot, tantisque sacerdotiis Archiepiscopatu retento, & ex plurimis pensionibus, nonnullis tantum, quib. ecclesiæ minimè grauarentur, ad aureorum nummum millia paulo plus viginti, additis patrimonij fructibus, eius annui reditus ex longe amplissimis redacti sunt. ipse vero se totum diuinis obsequiis, quæ omnibus humanis opibus potiora sunt, & charissimi gregis custodiæ, maiori quàm vmquam antea studio, contentioneque tradidit.

De aliis ecclesiæ perturbationibus, post concilium Episcop. tertio celebratum. Caput 2. 1573.

Prouinciæ concilium, quod primo quidem ob aduersam valetudinem, deinde Pontificis creandi caussa, distulerat in consequentem annum 1573. tertio habuit Aprili mense: cui Paulus Episcopus Placentinus, Cardinalis ante creatus, vir religiosissimus ex ordine Theatinorum clericorum interfuit, & Bonhomius item ex Abbate factus Episc. Vercellen. In eo non pauca decreuit ad diuini cultus, & disciplinæ ecclesiasticæ incrementum; præsertim de festis dieb. rectè colendis, & de catholica fide in prouincia integrè tuenda. quidquid aliorum conciliorū tempore solitus fuit, in eo concilio præstitit egregie. Concilii decreta, cum Romam de more recognoscenda mitteret, Io. Baptistam Castellium Vicarium suum primarium, alioqui profecturū ad id munus delegit. Multa per eum Pontifici

Pontifici exposuit, non suæ solum, sed vniuersæ ecclesiæ maximè vtilia, præsertim de conciliis in vnaquaque Metropoli, quod pluribus in prouinciis omittebatur, celebrandis. Verũ alia de caussa Castellii profectio Carolo nec opinanti opportuna fuit, ob ea quæ rursus, absente Carolo, diœcesisque ecclesias lustrante, Gubernator in ecclesiam, eiusque ius, & potestatem, fecit. Sed repetam paucis, quo modo se iuris controuersia superiori tempore habuerit. Post Caroli casus, omnium, vt ante dicebamus, commotis animis, nihil fere turbatũ est, Magistratusque æquiore animo omnia visi sunt administrare: eo maxime, quod magnum dissensionum odiũ, ac dolorem, & omnis contentionis aliqua ratione tollendæ desiderium, perspicue Rex ostenderat: ac Vincentio Iustiniano id in Hispaniis agente, qui ex ordinis sui Antistite, in summum S.R.E. Card. ordinem lectus erat: Duci mandauerat, vt controuersiæ dirimendæ aliquam omnino iniret rationem. Ita rerum meliorũ spes diu confirmata, piis omnib. gaudium attulerat non mediocre: præsertim Io. Baptista Rainoldo Senatus Præside creato, cuius virtus, piaque consilia Carolo valde probata, ad publicam tranquillitatem semper valuerunt. Carolus etiam per Cardinalem Alexandrinum Legatum, agi Pontificio nomine de controuersiis tollendis in Hispania curauit. cumque alius prouinciæ Mediolanensi gubernandæ destinatus, Romæ esset, per Pij Pontificis admonitiones, hortationesque rebus iisdem consulere studuit: præter id, quod ipse conatus est, cui cum ipso gubernatore necessitudo non leuis à multis annis intercedebat. sed siue nogotium eiusmodi non satis pro rei momento curare quidam voluerint, siue ob rei ipsius difficultatem, de rebus componendis nihil effici vmquam potuit. Itaque Aluaro gubernante ob rerum venalium festis diebus proponendarum licentiam à Carolo repressam, prohibitosque ludos publicos, quos in ipsa maioris ecclesiæ platea is apparabat: motus aliquid excitetat. quo tempore homo indignatus singulos ciuitatis ordines tentasse dictus est, vt certos ludos, choreasque publice, vnoque tempore ducerent: nihil autem propter populi pietatẽ perficere potuit: obiitque breui diem suum. Deinde cum successor Ducis venisset, Carolusque Romæ esset, alia multa turbata sunt. Huic successori propositum esse videbatur, in administratione prouinciæ rem suam animose agere, ac confidẽter, nam Ducis religionem, & erga Carolum, Ecclesiamque obseruantiam, remissi, timidique animi vitio, quod ipse Dux postremo tempore nimis exhorruit: quidam attribuerant. solet autem, qui cuipiam in munere succedit, in eam laudem incumbere maxime, cui contrariã vituperationẽ ille opinione hominũ subiit. qua ex re fit nonnumquã, vt non tam vitii fugiendi studio, si modo vitium illud esset, quàm superandi alterius, famæque colligendæ cupiditate longius prolabendo, quis in contrarium vitium cadat. Principio igitur, cum Caroli Vicarius publicas choreas, de quo etiam in priori concilio Episcoporum constitutum erat, festis diebus prohiberet, quò tali tempore, sicuti sine dubio christianum est, mortales rebus diuinis operam darent: & ea de caussa contumaces quandoque nonnullos, quemadmodum his temporibus necesse est, ecclesiasticis quibusdam animaduersionibus coerceret: ei rei vehementer à magistratibus reclamatum est. Hos motus Carolus itidem sedare curauit absens. ac tametsi nihil perfectum est, quo publica quies vere stabiliretur, euenit tamen, vt grauius nihil accideret. Sed eo demum præsente, ac visitandis ecclesiis, vt dicebamus, occupato, duo iussit Gubernator, quibus ius ecclesiasticum non mediocriter lædi, atque adeo labefactari existimabatur. alterum quidem per iustitiæ, quem appellant Capitaneum, contra liberum litterarum Apostolicarum vsum: prohibuerat enim litigantem litteris Apostolicis vti, eius non impetrata facultate. alterum vero contra eas omnes ecclesiæ rationes, de quibus antea cum Senatu disceptatum erat. ac primum quidem, cum iubente, paternoque amore admonente Pontifice, pie rescidisset, veniam, & absolutionem vna cum iudice impetrauit, hunc Carolus ante Sacelli sui ianuam solemni ritu sacro anathematis vinculo liberauit: Gubernatorem Io. Paulus Ecclesia: Cardinalis ex Senatore factus, qui tum in Insubria morabatur. De altero vero ea concerta-

tiones, ij motus, ea pericula fuere, vt leuia fere præ iis viderentur, quæ superioribus annis acciderant. Factum ita se habuit. Regiis quibusdam litteris biennio ante datis, nonnulla ecclesiæ promittere Gubernator iussus erat, ex iis, quæ tum fuerant à magistratibus in controuersiam vocata: cui tamen concessioni ab ecclesiæ parte consenserat nemo. litteræ ad id tempus erant suppressæ. Aggreditur tunc demum Gubernator, quod antea se facturum quasi per iocum Carolo dixerat, & ne faceret, Carolus vehementer, amiceque rogauerat: seque nisi abstineret, testatus erat omni ratione repugnaturum. eas litteras ad eam rem minime datas, Caroli Vicario, apparitorique testato denunciari iubet, præscribique de lictoribus, eorumque armis, ac coercitionibus, quæ ius, libertatemque Ecclesiæ certis finibus circumscriptè terminarent. Carolus Mediolanum accepto nuncio reuersus: primò quidem per religiosos viros, per Ioan. Paulum Ecclesiam Cardinalem tentauit, si posset huiusmodi malo remedium aliquod afferre. cum nihil fieri potuisset, subita ille quidem declaratione, quamquam in re manifesta, abstinuit: qua sacrorum canonum pœnis, Gubernatorem, aliosque facti administros teneri publice pronunciaret. beneuole autem monuit prius, mirari se vehementer, & dolere, tantæ virtutis, pietatisque Principem eò fuisse adductum, vt tam aperte ius ecclesiæ violaret. scire se mentem Regis longe esse diuersam. nihil ea denunciatione, iussisve ecclesiæ potestati detractum sese intelligere, qui & quod ille permittere visus erat, & quod permittendo prohibuerat, suo iure, vt antea semper, nihilominus erat facturus: sed tamen non potuisse dissimulare, aut silentio præterire talem licentiam. Sententia, pœnarumve declaratione, quam promulgare poterat, supersedisse: de eius salute solicitum, beneuole prius agere, paternéque voluisse. monere igitur, atque adeo anathematis eadem pœna proposita iubere, vt tridui spatio, quæ contra Ecclesiam fecerat, ea penitus rescinderet: seque rescidisse publice profiteretur: nisi effecisset, tum se, licet magno dolore: nomen eius tamquam anathemate notari, pro templis, locisque publicis propositurum. ob dignitatem vero magistratus, tum vt placide hominem acciperet, vnum misit ex Vicariis suis, vna cum sacerdote ob eam caussam nuncio facto, qui monitionis scriptum redderet. recusauit is accipere primò: sed Vicario admonente, Carolum moderatam eiusmodi rationem officii gratia elegisse: si per eum non liceret, quoniam id illi prætermittere nefas erat, scriptum esse in publicum proponendum: accepit ille quidem; sed adeo exarsit, vt statim scinderet, & proiiceret. post diem dictum, rursus virum grauem Carolus mittit: scripto se illum iterum vocaturum, antequam ad promulgationem veniret: pateretur; si tamen quæ monitus erat, facere nollet, habita dignitatis, vt prius ratione, sibi scriptum tradi: ne publicis locis affigeretur. Ille autem non multò post copiosas, aculeatasque responsiones, alias communi, alias latina lingua mittit, ad ea quæ Carolus monuerat, iusseratque: quibus persuadere conabatur, nihil se iniuste fecisse, neque Carolum quidquam ea de caussa posse contra se pronunciare. quæ quidem scripta in vulgus edi curauit. Carolus, vt paucis dicam, post nonnullas dilationes, relatis tum initio, tum deinceps Romam diligenter rebus omnibus, quæ ad negotium pertinerent, scriptis publice propositis, Gubernatorem, aliosque facti participes à sancta ecclesia abscissos declarauit, qua ex re tota Gubernator grauissime se offensum, commotumque plane vehementer, priuatim, publiceque ostēdit: neque quotidiana communicatione voluit abstinere. plurima locutus aspere, rursus scripturis contendens, homo alicuius litteraturæ habitus, alia scripta ad sui defensionem, Carolique accusationem edidit, totaque prouincia peruulgari iussit: quibus tamen eo magis seipsum arguebat, quo vehementius contendebat excusare, Carolique factum criminari. Plerique suspēso, solicitoque animo diu fuerunt, ne quid acerbius, ob iram Principis, accideret. rumor, vt assolet, eo vsque quādoque processit vt Romæ vulgaretur: incensas fuisse ædes Archiepiscopales. Ciuitatis consilium Decuriones misit, qui duce Tatio Mandello Comite, & ciuitatis Vi-

cario, Carolum supplices obsecrarent; ne ad eam grauissimam animaduersionem vnquam venire vellet, quemadmodũ minatus esse videbatur, vt vniuersam ciuitatem sacris interdiceret. futuram illam sine dubio rerum omnium extinctionem, quas summis laboribus plurimas, atque egregias ad salutem ciuitatis effecerat. meminisset etiam, primò quidem se natura eius ciuitatis filium, deinde dignitate, & sacerdotio patrem. propterea ne aliorum culpa quidquam ab eorum nominum pietate alienum statuere in eam vellet, quam sibi obsequentem, deditamque semper cognouisset. Respondit in summa Carolus, pietatis se erga patriam, filiosque suos, tum precum ciuitatis rationem habiturum: seque ad illud extremum, nisi canonicarum sanctionum ratione coactum, minime venturum. Eluxit eo tempore maxime Caroli animus, virtute, Deique fiducia in primis singulariter confirmatus. cum enim tota ciuitas, metu suspensa teneretur, domesticis frequenter quodam modo formidine sanguis refugeret, viri grauissimi amici maxima pericula, quamuis occulte, propter metum quotidie nunciarent: vnus ipse inuictus acri, & præsenti animo res suas agebat. neque dubitauerit, opinor, intelligens quisquam, quin ad omnia perferenda, & ad ipsam quoque vitam profundendam, si tanta fuisset temporum miseria, paratus esset. Ipsum video, cum Romam scriberet testatum esse plane diserte: & Pontificis iussu facile se de omni conatu, iureque suo decessurum, & illo contra sentiente, omnia pericula pro sacræ auctoritatis iure conseruando subiturum. At dolorem tamen non omnino dissimulabat, vel ob id maxime: quia varijs modis in Deum peccabatur. populique salutaria studia impediebantur. In ipsis periculis, cum eum domi mansurum omnes existimarent, exibat paucis comitibus, quemadmodum iam modestiæ gratia solebat semper, & ad cœlestium patronorum corpora precationis, sacrificijque caussa, vt fecisse Sanctum Ambrosium in periculis suis legerat, se conferebat. quam liberi, ac fidentis animi religionem, cum aduersariorum contemptioni quidam tribuerent, nam & ipsum Gubernatoris palatium, dum Ambrosianam ædem recta peteret, adire oportebat, sine caussa multo magis incendebantur. eo vero maior fuit Caroli patientia, atque animus, quod adhuc, licet optima Pontificis voluntas non deesset, Romanis subsidiis res eius aduersæ non satis subleuari videbantur. quamuis enim omnes eius mentem, constantiamque laudibus efferrent, pauci tamen erant, qui actorum eius defensionem susciperent. Rursus autem Gubernator Carolum in inuidiam trahens affectati Mediolanensis imperij, ea de re multa iactare dicebatur. tum vero Comitem Ioannem Angussiolam Placentinum, Carolo insciente, misit, qui Aronensem Borromeiorum arcem, in Caroli potestate positam, Regis nomine occuparet: esse locum fidei hostibus oppositum: eorum quos Carolus ad eum tenendum delegisset, fidem sibi non probari, vt de Carolo ipso nihil diceret. Carolus autem cum id accepisset, misit statim ad Iulium Bibulcum patritium Mediolanensem, arcis præfectum, vt Comitem reciperet, arcemque traderet, quia id Regis caussa pateretur. tum misit etiam ad Gubernatorem, qui non arcem illam solam, sed sua omnia, familiæque suæ semper Regi præstò fore nunciarent. Præterea, quoniam plurima erant in vrbe pia sodalitia, plebeiorum fere hominum, qui cum reliquis diebus artificiis suis operam dedissent, festis conueniebant, precibusque, & aliis piis actionibus occupabantur: publico edicto Gubernator iussit, grauissimis pœnis propositis, ne congregarentur, nisi is Regis nomine adesset, quem ipse ad id pro singulis sodalitiis delegisset, & cum publice sacro induti ordine per vrbem ire supplicationis gratia solerent: ne faciem de more haberent contectam, prohibuit. videri voluit se fecisse, ne quid contra reipublicæ statum ii homines machinarentur, qui pro ratione sacrarum exercitationum, proque pietate sua Carolo dediti erant. At genus id erat hominum à seditione, armisque prorsus alienum: pietati vero inter alias ciuitatis partes maxime deditum. Fecit edictum, vt quicunque pietatis caussa congregari solebant, metu pœnæ, & quòd viri Regis nomine delecti, vt pote nobiles, & aliis rebus occupati, moram, impe-

dimentumque afferrent, omnes abstinerent, & magnum ciuitati bonum detraheretur, donec iussum illud postea tandem, vt dicemus, euanuit. Interea Gubernator omni officio Romæ contendebat, vt, vel doceret nullo se anathematis vinculo irretitum esse, vel absolutionis facultatem cautionis gratia, si opus esset, obtineret. principes viri fauebant vehementer, eum magnæ prouinciæ præfectum esse: ibi grauissimi belli cum hostibus ecclesiæ catholicæ suscepti necessitatem instare: spectatæ alioqui virtutis Principi ad vitæ pericula pro fide catholica properanti, aliquid indulgendum: tanti, tamque pij Regis habendã esse rationem, qui iam mandata dederat, profectionemque vrgebat, cuius rei caussa Gubernator ipse Mediolanensem administrationem dimiserat: fortasseque iam tum erat in itinere. Ita demum in eam sententiam plures ierunt, vt omissa caussæ cognitione, absoluendi facultas ex priuilegio, cautius agendi nomine, concederetur. qua ex re publicæ rursus offensiones, indignáque multa acciderunt, cum enim litteras Apostolicas ea de re scriptas in itinere reddendas esse Romæ putaretur: ideóque potestas absoluendi cuilibet sacerdoti facta esset: Gubernator eas expectauit Mediolani. cumque à cœnobita quodam non peritissimo, Carolo contra præscriptum sacrorum canonum insciente: absolutionem in occulto esset consecutus, sacris palam interesse pluribus in ecclesiis conatus est. quod Pontifex ægre tulit, & eo nomine Carolo satisfieri iussit. Demum ille cum abiisset, re non admodum feliciter biennio gesta, abscessu & corruptione corporis interiit. de morte illius frater vir princeps cum accepisset, Caroli precibus pie, studioseque commendauit. qui sese iam animæ illi suffragatum affirmans, facturum etiam in posterum promisit. Carolo in tam afflictis rebus id quoque solatii fuit, quod non Romæ solum Castellum Ecclesiasticæ dignitatis acerrimum defensorem, præter alios suos habebat: sed in Hispaniis quoque Ormanetum Patauinum Episcopum factum, qui quidem & vera de Caroli actionibus narrare; & optima suadere Regi pro pietate, gratiaque sua poterat. Internuncii munus apud Regem superiore anno ad modicum tempus mandatum, bonus sacerdos inuitus acceperat. nam si breui tempore in eo munere permanendum esset, ne quid ecclesia caperet detrimenti, tunc aula regia discedendum aiebat, cum & rerum statum, & hominum ingenia cognoscere cœpisset. si diu: ecclesiam Antistite suo destitutam multis, grauibusque incommodis esse afficiendam. Præterea ex eiusmodi absentiæ exemplis Principes adduci, vt Episcopos ab ecclesiis abstrahere, & in consilijs suis sæpe habere studerent. Huiusmodi modestissime proferens, tam perfecte patebat tamen, quàm studiose, frequenterque agebat, cum Carolo præsertim, vt ad Ecclesiam suam redire liceret. cui Carolus & si tanti viri præsidium apud Regem rebus suis commodissimum videbat, quoniam in eadem erat sententia, & publicum Ecclesiæ exemplum suis rationibus iudicabat anteferendum, adiutorem in ea re semper sese præbuit. Ormaneti cura, tum maximè pietate sua Rex in eo perseuerauit, vt optime de Carolo sentiret. quin eius præscripta; cohortationesque publicis litteris populo tum propositas, de sacris precibusque pro Rege ipso, pro rebus Belgicis, belloque Turcico habendis, libenter legit, & supplicationem sine intermissione, eius quam Carolus publice per totam diœcesim instituerat, exemplo, per Hispanias haberi iussit. nimirum Carolus tum saluti, prosperitatique Regis maxime seruiebat, cum maxime quorundam sermonibus eius voluntas, fidesque erga Regem in suspicionem vocabatur. Quemadmodum autem in priore illa conflictione, ita in hac pii viri quosdam euentus obseruarunt, qui vel Ecclesiæ, Caroliquе caussam probarent: vel ecclesiasticæ animaduersionis auctoritatem confirmarent. Cum virum clarissimum Gubernator caussæ defendendæ gratia Romam misisset, ille in Pontificis conspectum admissus, vix dicere cæperat, cum repente voce, viribusque destitutus concidit, & inde asportatus est. nullus vero morbus tunc ei fuit: offensio tantummodo quædam in crure iter facienti acciderat, quæ propemodum erat sanata. sed domum tunc relatus, ita febri laborauit, vt in magno vitæ periculo esset.

ex quo, plurima salutis caussa vel perfecit, vel pie admodum sibi proposuit, tum de caussa, propter quam legatus erat, tum de omni vitæ suæ ratione. cumque item conualesceret, morte penitus inexpectata subito obiit. De magno Cancellario qui vna cum Gubernatore damnatus fuerat id euenit, quod ecclesiastici vim anathematis mirabiliter declararet. is antequam absolutionem impetraret, cum vinculum eiusmodi non satis pro grauitate æstimare videretur, interno quodam animi pulsu diurno nocturnoque commoueri cœpit, atque agitari: tum vero vehementi tristitia opprimi: vt sibi quandoque morti proximus videretur. cumque dies multos ægre sustinuisset, medicos frustra adhibuisset, demum angoris assidui victus acerbitate, mortemque timens, ad Carolum misit, qui veniam peterent, Ecclesiæque satisfacerent. quamquam re nondum cum Carolo plene constituta, cœnobita quidam illi, vt homini moribundo, qui se satis Ecclesiæ facturum promiserat, absolutionis remedium impertiit: qua ratione is subleuatus, postea vna cum alio eiusdem facti participe, postea Carolo adiuuante, Pontificiam absolutionem impetrauit. cumque alio tempore se postea morti propinquum esse sentiret, ad Carolum misit, vt ad se venire subsidio vellet, & si quid fortè adhuc opus esset, ab omni vinculo exolueret, quod ille facile concessit: & quibuscunque rebus potuit, animam illam è corpore migrantem amanter iuuit, & consolatus est.

Variis sacris institutis gregi consulit. Romam Iubilei caussa proficiscitur. Med. redit Caput. 3.

Carolus ita conflictatus, in ea tamen quæ suæ salutaria essent ecclesiæ pergebat animum intendere. cumque huius anni M. D. LXX. III. tempus illud appropinquaret, quo pij mortales Christi Domini aduentum recolere, & multis antea diebus sese pijs officiis, & actionibus ad sanctissimi Natalis eiusdem festa recte celebranda præparare solent: videretque temporis eiusmodi sanctitatem laïcis penè ignotam, clericis suis vsu fere non receptam magis, quàm vt sacrarum vestium, diuinorumque rituum mutatione declararent: quod multos iam annos exemplo suo docebat. tempus illud quotidiano colens ieiunio; id vt aliqua ratione ceteri sequerentur, studuit etiam publica cohortatione persuadere. Litteras ad populum edidit: quibus tum rationem, ritum, cultumque huiusmodi plene demonstrauit, tum pios omnes ad ea præstanda cohortatus est, quæ tale tempus; taliaque mysteria postulabant. quo in genere effecit postea tandem, vt non domus eius tantummodo, collegiaque multa, quæ eius nutu gubernabantur; sed plurimi alii clerici, laicique sanctum institutum, maiore alii, alii minore vitæ seueritate: vt fit in rebus, quæ cuiusque arbitrio relinquuntur; pie admodum agnoscerent, atque obseruarent. Initio anni M. D. LXX. IV. dies quadragesimæ 1574
proximos à corruptorum hominum impetu: tum cæcos homines ipsos à vitiorum corruptela vindicare perrexit. litteris editis temporis religionem, mysteriaque declarauit. publicis supplicationibus, concionibus, omni ratione, à voluptatibus ad pias exercitationes traducere summo studio populum conatus est. Ac ea quoque per id tempus cura solicitabatur: quòd sacrũ illud Romanarũ stationum munus ecclesiæ suæ cum acquisiuisset: constitutas ea de caussa ecclesias ita mares, fœminæque adibant, vt quæ res eis ad salutem comparata erat, ea re plurimi ad perniciem abuterentur. cum enim quam maxima animi, corporisque modestia ad veniam impetrandam, in diuinum conspectum venire deberent, immoderato, lasciuoque cultu studiosissime ornati, libidinosos exercebant obtutus. eam corruptelam, quamuis nunc diei tempora, nunc visendas ecclesias, viris, fœminisque separatim diuidendo, alias alia protridendo, tollere curauerit: non potuit omnino consequi tamen. Morem muliebris capitis operiendi, qui ad sacrorum locorum reuerentiam, vitiososque ornatus, aspectusque impediendos pertineret, eo tempore renouauit. mos hic Apostolica doctrina, disciplináque iam inde ab Ecclesiæ initio comprobatus, Mediolani patrum memoria modestissime seruatus est, cum nedum capite puellæ, sed tota facie velo contecta prodibant. persuasit id primo per parochos, & sacros concionatores, mox etiam iussit, vt exemplum alii Præsules imitati, idem eniterentur: seruarique etiam gra-

uioribus pœnis appositis edicerent. Atque continuata rerum salutarium cura, synodum suæ diœcesis eo anno quarto habuit: quam ex Pontificis concessione, aliquot iam annis differebat. In eo de vestitu clericali, pro loci, aut dignitatis varietate distinguendo, tunc primum plene constituit. de sacris etiam peregrinationibus pie obeundis, quia Iubileus appropinquabat. de ratione synodi celebrandæ. de visitatione Præfectorum vrbis, & Vicariorum, quos per diœcesim constitutos habebat: deque eorundem conuentu coram Archiepiscopo quotannis agendo: alia multa clericis, populoque valde fructuosa. Addidit tunc primum ad synodi decreta scriptas monitiones quasdam ex veteri instituto, quibus ad officia sua singula rectè seruanda sacerdotes excitantur. De hinc, eo per diœcesim ecclesias inspiciente, Henricus Poloniæ Rex constitutus, Carolo fratre Galliæ Rege mortuo, ad regnum illud capessendum rediens, per Mediolanensem agrum iter fecit. quem Modetiæ Carolus conuenit, muneribusque religiosis donauit, optimisque præceptis ad pietatem recte colendam, Galliasque hæreticis tumultibus afflictas recreandas, iuuare studuit: qua de re Pontifex, cum explicate omnia, quæcumque cum eo Carolus egerat, exquisisset, valde illum collaudauit. Neque Regem solum, sed Principes quoque, qui eum comitabantur, ille similibus officiis ad pietatem, religiosaque instituta curauit excitare. in quo, vt sæpe alias, ostendit, quam ad rem, quaue ratione Regum, Principumque amicitia Dei sacerdos vtatur. Atque ea omnia Rex, cum & verbis, & factis declarasset, plurimi se Carolum facere, pie, amiceque tunc quidem, quidquid postea euenerit, accipere visus est. Illud memorabile tunc Modetiæ contigit. mulier nobili genere nata, cuius mihi nomen hoc quidem tempore tacendum est: sic agitabatur, ac furebat, vt sanctissimæ Eucharistiæ, sacerdotumque præsentiam vix ferre posse videretur, implacabilem se ceteris plerumque præberet: furiosa matrem ipsam impeteret interdum. præterea intimo cruciatu quodam, agitationeque afflictata, nulla re, nulloque loco conquiescebat. Id alii veneficiis tribuebant: alii cacodæmonis vexationem arbitrabantur, ac multis licet adhibitis remediis, adiuratoque, si quis inesset, dæmone, nullum dabatur leuamentum. Cũ ad oppidum Carolus venisset, mulier, quæ sæpe non impedito mentis lumine suam agnoscebat miseriam, in spem venit, eius ope sese liberandam. cumque Carolus præteriret, domo illa subito prosilit, accurrit. prætergressus Carolus monetur, mulierem retro esse, quæ sibi peteret ab eo benedici. conuersus ad eam de more manu crucis signum format. tum ea grauiter commota, dolere perinde, ac debilitari sibi visa est, quasi grauissimum aliquid ex medicamento deiecisset, & ex eo temporis puncto bona vtens valetudine nihil vnquam amplius eiusmodi passa est. quod nos eam, virumque allocuti, diligenterque de tota re non semel sciscitati, ita esse cõperimus. Insequens annus septuagesimus quintus vltra mille, & quingentos, ille erat Iubilei nomine insignis: quo sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac alias quasdam Romanas Basilicas visentibus, plenissima peccatorum venia concedi solet. Romam ire quidem Carolus salutis, piique exempli gratia constituerat: sed ibi tantum morari, quantum veniæ consequendæ, præcipuisque, & religiosioribus locis visendis satis esset: immo nihil prorsus etiam cum Pontifice agere, nisi quid spirituale prorsus suppeteret. profectionem autem in autumnum ipsius anni sancti, sic enim rectè appellant, contulerat. nam tempus illud ex omnibus minus incommodum ecclesiæ iudicabat, si quando ei abesse necesse esset. Sed anteuertit Pontifex, & non semel Carolo iussit significari, vt ante anni initium iret: multa enim posse admonere, quæ ad Romanæ Ecclesiæ dignitatem accommodata essent, & ad externorum exemplum, qui ex toto Christiano orbe Romam confluxissent, in primis vtilia. Verum plura is iam suppeditauerat per Carniliam: veluti de pauperum hospitio constituendo: de meretricibus segregandis. quod pium hospitalitatis officium, alioqui etiam Romæ sicuti existimo, præmeditatum, Præsulum, ceterorumque liberalitas, christianaque

beneficentia tantoperè coluit; vt magnus, per exteras quoque prouincias, extiterit tam illustris exempli, religionis, pietatisque fructus. Non satis habuit Carolus exemplo suo, suos Mediolanenses, aliosque excitare ad Romanam peregrinationem suscipiendã. fecit id quoque literis editis: quæ per alias, non solum vrbes, sed prouincias quæstus caussa à librariis disseminatæ, magnos christianis hominibus salutaris peregrinationis stimulos adhibuere. Itaque ante finem ipsius anni, qui agebatur, Pontificis voluntate profecturus; scriptam prius eius rei facultatem postulauit; non alia de causa, quàm ex desiderio eius instituti tenendi; vt ad sacrorum canonum præscriptũ Episcopus ab Ecclesia sua sine legitima facultate non discedat. qua de re illud etiam in tempore suasit Pontifici; nè vllum Episcopum absque illius concessu scripto, temporisque præfinitione adiecta, Romam ire pateretur; nè Iubilei nomine qui sedis suæ diutius deserendæ caussam quæreret. Id ipse à suis clericis seruari mandauit; vt & cum suis literis proficiscerentur; & illas Romæ Cæsari Speciano statim offerrent; à quo item, cum post tempus præscriptum redire vellent, afferrent vitæ ibi actæ, honestæque habitationis testimonium. Profectus igitur Carolus mense Decembri, asperum sanè suscepit peregrinationis genus. quotidianum iter, non diuersoriorum commoditate, sed temporis ratione metiebatur. nox eum, & hospitio egredientem, & ad hospitium venientem comitabatur. ea de causa facultatem, Missæ, vel duabus horis ante lucem faciendæ sibi, suisque impetrauit. sępius eueniebat, vt commoda loca, amicorum etiam, principumque virorum officio vehementer rogatus, ad modicam lucis residuæ vsuram præteriens, ad hospitia planè rustica perueniret. vbi, quod neque præmitti quemquam volebat; & ob Aduentus abstinentiam, omnibus ferè insusitatam, sibi verò exquisitè seruandã, aliud ad reficiẽda corpora non suppetebat; herbis sæpe, nucibus, pomisve cum comitibus sustentabatur. ad ea interdum loca venit, quæ ne vnum quidem ad ipsum recipiendum, cubiculum haberent; sed in tugurio manere necesse esset: vbi appetita plenè frueretur incommoditate. omne tempus in rerum diuinarum contemplatione consumebat. loca omnia circa viã Romanam religione insignia, egregia pietatis significatione visebat: cum ipsius visendi caussa ex villis oppidisque plurimi passim accurrerent. Itaque Camaldulum adiit: Aluerniam, Assisium, aliáqua loca Francisci sanctitate. memoriáque celebrata coluit; magna denique cum sua, tum aliorum spirituali vtilitate iter confecit. Romæ ita versatus est, vt eius laudibus vrbs sancta compleretur; & quot homines exteri ibi erant, tot earum in variis regionibus præcones efficerentur. præteritas peccatorum confessiones repetiit. certo diuinarum contemplationum cursu se exercuit. statas Basilicas, pedes vna cum familia ordine procedente, omni pietatis, modestiæque officio adiuit; & in iis loca omnia diligẽter inuisit, quotquot præcipuo aliquo cultu censerentur. In via litaniam, multámque omninò precationem, nullo interuallo dato, continenter obibat, plurimi etiam nobilitate præstantes, se socios inferebant. si quis obuius, etiam vir princeps, & familiaris offerebatur; nihil amplius officii caussa præstabat; quàm, vt aperiendo capite, corporisque motu salutaret. multi honoris caussa eo prætereunte humi genua ponebant: quod si mirabãtur Mediolani id videntes; multo magis Romę; vbi tot alii præclari Antistites, & ipse Christi Vicarius erat præsens. Ignota mulier peregrino vestitu Carolo obuia, ita commota est, vt nulla publici conspectus habita ratione; toto se corpore ad eius pedes abiecerit; eosque religiosissime complexa, osculari verita non sit; cum eo se complexu expedire ille, quantum posset, conaretur. Ineunte autem mense Februarij anni M. D. LXXV. Roma profectus cum Vastallam tenderet; à Cæsare Gonzaga oppidi Principe, Camilláque sorore sua illius vxore, ad dedicandam Ecclesiam; quam ii ædificauerant, inuitatus: de grauissimo Cæsaris morbo, salutisque discrimine nuncium accepit. vix circa Bononiã equo descenderat; cum periculo audito; diuinis animæ illius charitatis ignibus accensus; statim rursus conscendit; & cursu, etiam nocturno celeriter eò cõtendit. quo postridie manè cum venisset; quasi longo ante spatio quieuisset; se totum ad affinis animam iuuandam 1575.

dedit. priuatam supplicationem præter eas, quæ publicæ habebantur instituit; quæ à suis aliisque religiosis viris sine vlla intermissione vicissim continuaretur. tum ipse eam exorsus, totum psalterium recitauit, atque Dei benignitate tanto fuit precationibus, salutaribusque verbis Cæsari adiumento; vt is demum à rebus humanis, ad diuinas mirabiliter animum auocaret; certámque mortem ita expectaret, atque obiret, diuinis rebus ad salutem ritè munitus; vt si, quemadmodum Carolus ipse palàm dicebat, in optimis religiosæ vitæ institutis multis sese annis exercuisset. Ibi Carolus post itineris laborem; post defatigationem cursus, qua solebat maximè affligi; post vigilias, totque dierum, noctiumque incommoda; quiete nulla vsus; corpore Cæsaris ad sepulturam dato: Ecclesia in oppido dedicata: sorore vidua iis de rebus monita, quæ ad salutem, ordinationéque domus pertinebãt, Mediolanum celeriter venit. Hic verò mihi iucunda sanè incidit recordatio; quam bona cum lectoris venia, non præteribo tacitus: recordatio inquam, diei illius, cum è ciuili cursu reuocatus, Carolo me tradidi: existimans, à salutari via tali duce, ac patrono aberrare me non posse. hæret animo illius actionis suauis, iucundáque memoria; cum profanam mihi togam suis manibus detrahens, sacrámque induens, vir apostolicus, apostolica sententia hortatus est, vt veterem hominem exuerem, indueremque nouũ. meque deinde breui mystica manuum impositione, per omnes sacri ordinis gradus extulit. Faxit Dei clementia, vt sacrorum dignitati, sanctitatique sacerdotis aliquo modo vita nostra possit respondere.

Quæ Romæ fecit de Visitatore Mediolanũ misso. de Cremonensi, Bergomensique Ecclesia recognita. Cap. 4.

Quotiescunque Romam proficiscebatur Carolus; quasi ad earum rerum honestissimum quoddam, sacrumque emporium accederet, quæ sibi essent, Ecclesiæque suæ commodæ, ac salutares; turpè ferè sibi existimabat inanem redire. Ipse item diuinis opibus confirmatus, Episcopalis vitæ cursum Roma rediens, acrior, semper, fortiorque repetebat: & in vitæ sanctitate solebat insigniter progredi; licet aliis sæpenumero secus eueniat. nimirum hæc valde distant; Romæ pietatem, ac sanctitatem; vel splendorem, ac speciem intueri. ipse certè id fructus ex Apostolica Sede, locisque sanctissimis referendum ostendebat quæ de se dutius statuerit, deinceps apparebunt. Familiæ nomen, annuente Pontifice, tunc ad humanarum rerum despicientiam, veterúmque imitationẽm, dimisit; & eiusdem insignibus è scriptorum Ecclesiasticorum signis sublatis; eorum loco, Pontificia auctoritate, veterũque Archiepiscoporum imitatione, cœlestium patronorum Geruasij, & Protasij martyrum, Præsulisque Ambrosij inter eos medij imagines substituit; appositis ex Ambrosij ipsius, non solum scriptis, sed sensu, atque animo, his verbis, Tales ambio defensores. Calculos ad precandum Pontificis auctoritate sacros, id quod pro salute gregis semper solebat, attulit innumerabiles; quamquam pauci pro Mediolanensium pietate vsi sunt. Sacrá septem insignium Ecclesiarum Vrbis indulgentiæ diuinæ munera obtinuit; in totidem Mediolani Ecclesiis collocanda. quæ res fecit, vt quæ veteres Ecclesiæ locis, & rebus Mediolani erant cultu dignissimæ; negligentia verò sacerdotum, & aliorum penè derelictæ; rursus piæ multitudinis frequentia, cultúque præcipuo celebrarentur. sed eius rei promulgationem distulit in posterum annum: propterea quod Romani Iubilei donum sanctissimum itidem à Pontifice Mediolanensibus suis cum impetrasset; sacra illa beneficia disiungi satius duxit; quò illustriore gratia, vberiorique fructu singillatim exciperentur; præsertim; quòd vtrumque visendarum Ecclesiarum operam requirebat. Anno igitur M. D. LXXVI. vt hoc quasi præcurrendo narrem, cùm edictum primò proposuisset, quo multa sacris locis indecora vetabantur; veluti de laicis à choro clericorum arcendis: literas quoque edidisset, antiquæ pietatis plenissimas; vt fideles doceret, qua ratione in Ecclesiis versari deberent; & ad sacrarum rerum reuerentiam incenderet: septem nominauit; Maiorem; sancti Ambrosij; sancti Nazarij; sancti Laurentij; sancti Stephani; sancti Simpliciani: sancti Victoris. tum postridie Calend. Iulij, qui dies Virgini dicatus est, celebri totius cleri, ciuitatisque supplicatione, lætóque apparatu, ipsas Ecclesias piè adiit: eamque supplicationẽ solemnem, anniuersariámque in per-

petuum constituit. ipse verò, quod assuefaciendo populo esset accommodatum; nunc priuatim cum familia; nunc publice cum canonicis eandem obiit, idemque canonicorum collegia, religiosorum hominum ordines omnes; vicinias cum parochis suis: pia sodalitia, societatésque, separatim facere iussit. quod quidem religiosum institutum Mediolanensium animis, & meritò quidem, adò insedit; vt in eo frequenter mares, fœminæ, nobiles, ignobiles, versari conspiciantur. Præter spiritualia Carolus in Vrbe alia quoque non parua suæ quæsiuit Ecclesiæ: mille aureorum ex Braidensi Præpositura pensionem clericorum seminario: parem presbyteris minoribus ecclesiæ maioris, collegio suo Ticinensi detractam: à quo collegio iam Caluentianum Prioratum in canonicos itidem transtulerat. cum enim tenues admodum essent eius Ecclesiæ fructus: ipse verò, vt par erat, statas in canonicis horis, nocturni, diurnique temporis precationes integrè restituisset; alias diuinorum munerum functiones ibidem auctiores multò, quàm antea vellet: auctoritate Pontificia fructus ita studuit augere; vt tum loci dignitati, tum occupationi sacerdotum aliqua ratione responderent. Verum pro vniuersa quoque Ecclesia; nam & illud erat ei semper propositum; Romę plura curauit: de palatij Apostolici, Apostolicæque vrbis disciplina; deque rebus Ecclesiarum per prouincias cõponendis. ac in hoc postremo genere, iam vsque à Pij V. tempore pro virili parte duo curauerat: alterum, vt esset Romæ proprium Cardinalium consilium, in quo res Ecclesiarum, Episcoporumque referrentur. & quod opus esset decerneretur; alterum, vt Episcopi mitterentur, qui Apostolica auctoritate Ecclesiasticam administrationem, & Episcoporum vitam recognoscerent; & quibus rebus opus esset, emendandam curarent. sed cum ad id tempus ad Ecclesias ferè ditionis Ecclesiasticæ tantummodo missi Præsules essent, egit Carolus dum Romæ fuit, vt ad alias quoque prouincias decernerentur. Cumque ditionis Mediolanensis Ecclesias lustrare Archiepiscopalis officii sui esse iudicaret; id muneris à Pontifice suscepit, præcipuis saltem in Ecclesiis exequendum; si totam non posset complecti prouinciam. & quoniam exemplo aliis præire maximè vtile arbitrabatur; prius ad se mitti postulauit; quàm aliena recognoscendi, corrigendique onus acciperet: vt cum sua ipse alieno iudicio subiecisset; tum iudicaret aliena. cumque aliæ Ecclesiæ aliis Episcopis attribuerentur: in eorum numero Castellius fuit olim Caroli Vicarius, Episcopus Ariminensis per id tempus creatus. omnino res opportuna fuit; cum Præsules ad Ecclesias ordinandas in varia legarentur imperia; in eorum numero Carolum esse; qui pro egregia libertate, auctoritatéque sua, ad multa, quæ aliis fortasse difficilia fuissent, in eo genere aditum patefaceret, viámque muniret. Ecclesia igitur Mediolanensis Hieronymo Ragazonio Veneto, tunc Salaminæ, quæ Famaugusta dicitur, posteà Bergomi Episcopo, assignata est; cuius pietas, doctrina, rerumque Episcopalium vsus, Carolo valde probatus erat. Venit is mense Maio: cuius aduentum cum pro sua erga Apostolicam auctoritatem veneratione, magno honore Carolus prosecutus esset; publicis supplicationibus eius negotii causa indictis interfuisset; ipsam actionem cœptam vidisset, in Ecclesias prouinciæ discessit. Cremonensem autem primò petiit, cui præerat Nicolaus Sfondratus, Ecclesiæ Catholicæ postea datus Episcopus. excepit eum absente Episcopo magno honore clerus, & ciuitas, omnique pietatis officio coluit, cumque tum publicas supplicationes, tum sanctissimæ Eucharistiæ communicationem indixisset, frequentissimi conuenere Cremonenses; & vno die cœlestem cibum millibus hominum circiter octo præbuit. non explicabo Caroli in ea Ecclesia labores, laborúmque fructus; ad clericos, ad cœnobitas, mares, fœminásque ad vniuersum populum pertinentes. satis dixerit. qui eos Carolo dignos fuisse dixerit. nam & eius auctoritas Ecclesiis ad ea obtinenda sæpe valebat, quæ ipsis Episcopis erant difficilia: vt non Visitatoris tantummodò partes; sed etiam patroni sustineret, omnia verò religiosissimi Episcopi desiderio, studiisque optimis opportuna fuere. In eo munere visitationis obeundo, Carolus, cum in ea, tum in aliis sumptus quidem vitæ necessarios à clero accepit, nè lęderet ca-

nonicum Ecclesiæ institutum; sed eos tantum, qui equitibus sex, peditibus tribus, solita eius familiæ parsimonia sufficerent. in ædibus Episcopalibus non habitabat; sed in aliis, Eccclesiasticis tamen. Atque tũ sibi, tum aliis Episcopis, quibus id muneris mandaretur, fecit ipse, vt, summis licet viris reclamantibus, etiam in cœnobitarum ecclesias, potestas daretur; vt eodem tempore, ac eadem ratione, qua reliquæ, componi possent. Menses tres Cremonæ cum mansisset; mox ad Virginis natalem Mediolanum venisset; Bergomum postea profectus est. vbi Episcopatum administrabat Federicus Cornelius posteà Cardinalis; qui quidem in exequendis conciliorum prouinciæ decretis, & in Ecclesia sua ordinãda multum profecerat. silentio prætereunda non est summa Senatus Veneti voluntas; quam iussis suis, de Carolo in vrbes suas quam honorificentissimè accipiẽdo ostendit. quæ iussa Bergomenses Rectores, ciuésq; adeò cumulatè perfecerunt; vt quæcumque non solũ ad amplissimi Antistitis; sed ad magni quoque principis honorẽ maximũ, studia, officiáque expectari poterant, omnia egregiè præstiterint, quibus Episcopus cum clero suo pro conditione sua minimè cessit. Carolus in ecclesia maiore Põtificia diplomata recitari iussit; pauca verba de caussa aduentus sui fecit: de quo latius posteà explicauit in proxima cõcione. Ciuitatis Rectores adierunt, Venetique Senatus nomine omnia illi à se se fore parata testati sunt. & eiusdem ciuitatis nomine habita oratio populi gaudium declarauit; & metropolitici muneris veterẽ vsum, ea actione à Carolo restitutum laudauit. Ad publicas supplicationes, vt faustum esset felixque principium indictas, maximus concursus fuit. motus, expiatioque animorum admirabilis. ipse tum in suburbiis, innumerabili marium, fœminarumque multitudini, etiam ipsis Magistratibus, militiæque ducibus sanctissimam præbuit Eucharistiam. illud cõpertum est, vel aduentus famam, vel præsentiam eius solam ad animas salutariter commouendas, resque omnes rectè componendas, plurimum valuisse. possentque multa, & grauissima numerari, quæ priuata, publicáque auctoritate illius aduentus caussa, piè præoccupata sunt. Expertus est in ea ciuitate Carolus, omnesque quot quot illius administri fuimus; bona hominum ingenia, animosque, tum rerum salutarium studiosos, tum ad perficiẽda mandata faciles. In maxima comitum, assectatorumque copia Magistratus ipsi frequentes aderant; quibus erant in ore semper Caroli laudes; prædicabantque, beatum fore orbem, si eius similes multos habuisset. In vnaquaque ecclesia, quam inspecturus erat cum Missam pro sua consuetudine faceret; sacræ Eucharistiæ accipiendæ gratia plurimi quotidie conueniebant. Ibi collegium virginum cum ex suburbio ad tutiorem locum trãstulisset: corpora etiam sanctorum Firmi, & Rustici martyrum, quæ illæ in sua ecclesia habebant, aliò celebriter transtulit: licet ex ea re nonnihil difficultatis extiterit, & tumultus. suburbani enim æmulatione quadam concitati; quo tẽpore putabant ex alia parte ciuitatis vẽturos, qui sacras reliquias asportarent; ad ecclesiam repentè veniunt; per vim ingrediuntur; in presbyterum custodem manus iniiciunt: loco capto, corpora custodiunt armati. quam sacri loci iniuriam, hominúmque audaciam cum vindicare se velle Carolus ostendisset: cũ primariis viris adhibitis adiere maximo numero suburbani, supplicésque, & humi abiecti veniam, absolutionemque petiere. Carolus præposterum pietatis ardorem valde reprehendit: dum maximè charas habere sanctorum reliquias viderentur, maximam beatis ipsis iniuriam facere; quia communis Domini sacras ædes, eiusque ministros violarent. non armis agendum illis fuisse, sed precibus; demumque pati facilè debuisse; vt quod gratius Deo esse eius sacerdotes iudicarent, id fieret. Arcam Dei quondam plaustro impositam, cum agitatione boum inclinata ferè corrueret, Ozam cui rem sacro-sanctam tangere nefas erat, manu tenuisse, audaciam hominis pietatis nomine susceptam Dominum ita vindicasse; vt is illico mortuus concideret. esse etiam pietati, & rerum sanctarum desiderio modum certosque fines; quos sine diuina offensione transire homines non possunt. quòd sanctas reliquias amarent, & apud sese retinere cuperent; piè facere, ac laudabiliter. sed cum immoderato earum studio, ad ecclesiasticæ

auctoritatis contemptum & ad rerum sacrarum violationem adducerentur; non pietatem esse, sed temeritatem castigatione dignam. re demum composita; qui vim sacris intulerant, eos singulos, venia prius à presbytero petita, certo signo notatos, Pontificali vestitu, solemni, & præscripto ritu, ante fores ecclesiæ, anathematis pœna Carolus liberauit; opportunaque opera pœnitentiæ nomine iniunxit. tum reliquias in Ecclesiam maiorem, magna hominum multitudine, amploque apparatu deportauit. Suburbani illi cereis accensis comitati sunt. Ad initium vsque mensis Decembris in eius ecclesiæ rebus componendis Carolus occupatus fuit; idque eo fructu, quem vel mandatorum ratio, vel breuitas temporis ferre potuit maximum. Brixiensem ecclesiam, quam itidem ex Pontificiis mandatis adire constituerat, tunc quidem ob anni tempus omittere coactus est.

Iubileum Mediolani celebrat. concilium Episc. quarto haber. Visitator discedit. Cap. 5. 1576.

Consultatum erat inter alia Romæ, cum ibi Carolus esset; de Iubileo post annum in prouinciis eorum gratia concedendo, qui variè impediti Vrbem adire non poterant. Quod cum ipse in primis impetrasset; secretóque habuisset; de magnis demum ex ea re populo suo spiritualibus adiumentis, animique fructibus acquirendis diu iam meditatus, negotium suscepit, studio, ac diligentia singulari: vt cum superiore anno maximum Mediolanensium numerum Romam ad sanctæ Vrbis beneficia capienda impulisset: reliquis, & eisdem rursus si vellent; Romanis beneficiis Mediolanum accersitis; sacra salutis subsidia, cœlestiaque animæ ornamenta compararet. Munus eiusmodi minimè arbitror Mediolanensibus posteà concessum; quàm Antonio ex Marchionibus Salutianis Archiepiscopo, & Galeatio Vicecomite Duce, Bonifacius nonus dedit, anno salutis M. CCC. XC. I. quo tempore admirabilis illa Basilicæ maioris ædificatio Mediolani cœpta est. Carolus igitur literis primum editis, quibus ad diuinum munus salutariter accipiendum suos accenderet; festo die Virginis, quem Purificationis nomine appellamus; ab ipsius Virginis æde cum rediisset, vbi more maiorum candelatum ritum, mysteriumque obierat, in Pontificia maioris ecclesiæ Missa concionem habens, Gubernatore, Magistratibusque præsentibus rē promulgauit: Romanumque diploma, ac edictum suum, in quo præscriptiones in eo genere variæ continebantur, recitari iussit. Tum ad animós præparandós; ciuitate ad ieiunia, eleemosynasque excitata omnes sacros ordines, populo comitante, publica supplicatione duxit, feria quarta ad sancti Ambrosii; sexta ad sancti Laurentii; sabbato ad sancti Simpliciani. statiuas deindè supplicationes in ecclesia maiore indixit; quo sacra collegia, clerúsque omnis, atque vniuersa ciuitas, certis cuique generi horis assignatis, distinctè conueniebant: ita vt horis quadraginta preces continuarentur. Cum per eós dies festo campanarum sono, animos diu piè commouendos curasset; in eorum extremo iussit vno tempore vesperi ab omnibus ecclesiis signa dari, quæ cunctorum animos inusitata quadam lætitia, cum rerum diuinarum desiderio coniuncta, perfuderunt. proximo die dominico, quo die sacrosancti beneficii statuit esse initium, sacros choros, ordinesque rursus duxit vniuersos; idque tam pio, splendidoque apparatu, vt diuina quædam celebritas videretur pompáque cœlestis. conuenere ex ecclesiis omnibus sacerdotes, sacris indumentis ornati, quæ pulcherrima haberent; tenentesque manibus cereos accensos, in pretiosissimis ferculis collocatas insignes sanctorum reliquias deducebant. infinita multitudo, non ex ipsa modo vrbe, sed ex vicis, agroque vniuerso confluxerat: quæ maximo in templo constipata, mutuisque impulsionibus perpetuò agitata, quasi vndis vltrò, citroque commeantibus, vasti cuiusdam pelagi fluctuantibus speciem afferebat: tum verò totis viis confertim emissa, huc, illuc continenter fluitabat: dum res sacro-sanctas inspicere, sacra agmina comitari, & pia quadam anxietate coronis vt appellant, ad precationis vsum paratis, sacra fercula, religionis gratia, tangere certatim studebat. Quatuor Basilicas, Romanorum exemplo constituit Carolus, quindecim dierum spatio quindecies obeundas; maiorem, sancti Ambrosii, sancti Laurentii; & sancti Simpliciani; quas æde sancti Nazarii addita, etiam Antonius Archiepiscopus olim

constituerat, ad diuini illius muneris opem consequendam. Atque pro facultate Pontificia, certos sacrarum confessionum ministros, ea de causa delegit; certam præscripsit precandi, & ecclesias adeundi, rationem in qua quidē ratione currũ non admisit: vanáque omnia ornamēta excludi curauit. Senibus, imbecillis, ęgrotis, vinctis, religiosis virginibus, quæ claustris continentur, prouidit, ne eo munere carerent. Præter scripta, quæ multa ipse ad fructum, salutémque suorum edidit; libellos etiam de diuinis eiusmodi muneribus acquirendis, déque religiosis locis piè adeundis edi curauit. de præcipuis Mediolani ecclesiis, déque rebus, locisque earum religiosioribus, pij publici ardoris iuuandi gratia proprium libellum conscribi iussit. Ecclesias ipsas delectas, vt animi vehementius accēderentur, quam ornatissimas haberi iussit; & in ipsis quæcumque res religione insigniores essent, frequenter proponi: idque non incolarum tantummodo causa, sed exterorum quoque, quibus ad idem beneficium consequendum aditus patebat. Atque vt vitium, periculumque omne diligentius arceret, quod ex marium, fœminarumque ad eadem loca concursu esse poterat; ipsas statas ecclesias ex antiquo, etiam multorum locorum Mediolanensis diœcesis, instituto, diuidi iussit; & vniuscuiusque partem, quæ ad austrum est, maribus; aliam fœminis assignari. quamquàm is fuit tunc sancti Iubilei cultus, vt quæ alias corruptè fieri ad ecclesias solebant, eo tempore minimè committerentur. Separauerat antea stationalis celebritatis gratia, ecclesias interpositis velis; sed tunc ligneis septis diuidi statuit, vt melius caueret; moremque veteribus vsitatum, religioso pietatis fructu, ac exēplo renouaret & stabiliret. quod idē in alias quoque ecclesias, etiam castellorum, vicorúmque postea paulatim introduxit; & decreto quoque sanciuit. Carolus ipse nunc cum canonicis suis, aliàs cum familiaribus, Ecclesias frequens adibat, hymnis, psalmisque simul recitandis, in via operam dabat; res, & loca omnia, vt in libello demonstratum erat, piè visebat. Collegia sacra omnia, piáque sodalitia idem fecere. tum Parochus quisque sibi commissa vicinia comitante; collegia profana item artificis, mercaturæuè societate congregata: alii chori multi marium, & fœminarum: vt viæ continua psalmorum recitatione, sæpe suaui rerum sacrarum cantu, personarent. plurimi nudis pedibus, vestituque aspero, viri, & mulieres etiam nobiles frequenter ibant. alij operta facie, tota via flagella sibi ad sumendas flagitiorum pœnas adhibebant. Vidi nobilem iuuentutem, & primariam, voluptatibus antea deditam, cannabino indumento, oculis in crucem, quam manu quisque tenebat, defixis, ordine eandem viam obire; tāta pietatis significatione animorúmque motu; vt boni omnes incredibili gaudio afficerentur; senes supplices manus tenderent, Deóque toto pectore gratias agerent; qui ad id tempus eorum vitam reseruasset. Ex agro Mediolanensi, singulisque vicis, & castellis quotidie populi integri, facto agmine, cruce, cleróque præeunte, Mediolanum pedibus etiam nudis veniebant; quamuis viginti, atque adeò triginta millia passuum quidā abessent: ita enim Carolus hortatus erat. quibus etiam faciliorem sacri muneris consequēdi modum præscripserat. Atque vnumquodque agmen in Ecclesia maiore primo pia concione, optimis admonitionibus referta, excipiebatur; quod munus frequenter ipse, sæpius in die ad id in tēplum veniens, obibat. Ibi sacerdotes: & quæcumque ad animi expiationem, diuinique beneficij adeptionem opus erat: omnia præstò erant. neque verbo tantum Carolus aduenientium pascebat animos: sed diuino quoque sanctissimæ Eucharistiæ cibo: vt admirabili vicissitudine, ab vno ad alterum sæpius sacrum ministerium nullo transiret interuallo. Tum ad Ecclesias cōstitutas, eiusque sanctas res venerandas se conferebant. demum rebus omnibus procuratis, quæ ad animi salutem pertinerent: ad vires quoque corporis reficiendas inuitati veniebant. nam id quoque prouiderat amantissimus pastor. Hospitio suscipiebantur in ædibus amplissimis, quas ad mares, fœminasque separatim recipiendas Carolus constitui curauerat. maribus recipiendis præerant primarij viri: fœminis matronæ grauissimæ: consilio, atque opera virorum probatæ vitæ, atque grauitatis adiutæ. huc res ad victum necessariæ, pia ciuium liberalitate: tum industria

ſtria multorum, qui eam rem auctore Carolo, curabant, vndique comportabantur. Menſæ longiſſimæ, ordine multiplici poſitæ conſpiciebantur, hominum millibus interdum quinque, ac ſex vno tempore ſæpe accumbentibus. quorum dum corpora recreabantur, animi quoque ex pulpitis aptè diſpoſitis concionatorum ſermone reficiebantur. ſed ante cibum, antiquo christianæ charitatis officio, de itinere feſſis, pedes lauabãtur. quo munere cum Carolus ipſe fungeretur; & cum domeſticis, canonicisque ſuis frequentaret: ad eandem exercitationem multos quoque ex optimatibus excitauit: qui vna cum ceterorum magno numero ei ablutioni operam aſſiduè dabant. Ad piam animorum commotionem id opus maximè valebat; tum in iis, qui ſpectabant, & faciebant; tum in iis, quibus adhibebatur. obſtupeſcebant homines cum ad pedes ſuos, viros nobiliſſimos proſtratos videbant; vixque officium eiuſmodi ferebant. at Carolum linteo præcinctum ſeſe offerentem, & ad pedes ſedentium abiicientem conſpicientes; tam noua ſpecie obſtupefacti, demiſſis oculis terram intuebantur; ore, corpore, mente ipſa denique minimè videbantur poſſe cõſiſtere. Hæc cum aſſiduo labore Carolus gereret; tum illud aſperitatis addidit; vt toto quadragenario ſolennis ieiunii tempore in aſſeribus cubaret. quod ea quoque de cauſa feciſſe eius familiares putarunt: quia cum ſatis magnus numerus peregrinorum lectis ſemel caruiſſet; culpæ id ſuæ adſcripſit; & ea ratione voluit à ſe pœnam exigere. perſeuerauit autem in eo, donec Epiſcoporum, qui ad proximum concilium venerunt, idque reſciuerũt, precibus vix adduci potuit, vt ſolam culcitrã aſſeribus imponeret. Verũ pia illa populorũ itinera, cum adhuc multa reſtarent, Gubernatoris ſunt impedita iuſſu; cum de magnis vrbibus, Venetiis, Mantuæque peſtilentia oppreſſis, & aliis vicinioribus locis eadem contagione tentatis certi nuncii Mediolanum allati eſſent. prouidendum enim exiſtimarunt Magiſtratus, ne quis in vrbem admitteretur, niſi ſcriptum teſtimonium afferret; ſe locumque vnde veniret, peſtis ſuſpicione carere; quod in tantæ multitudinis conuentu fieri non poterat. Id quamuis Carolo ex omni parte non placeret, cui periculum adhuc minus videbatur; quàm vt piis populis vicinis, ciuitatique tantus, tamque ſalutaris pietatis fructus adimi deberet: non reſtitit tamen; ſed reliquorum vtilitati conſulens conceſſit, vt in agro quoque Iubilei beneficiũ conſequi poſſent. Concilium tamen Epiſcoporum ſtato tempore ex inſtituto quartò celebrauit, præſente ipſo Salamino Epiſcopo Viſitatore. diurnos, nocturnoſque labores, quos cum vitæ aſperitate, magniſque vigiliis coniunctos, in rebus componendis, parandiſque primò; poſteà in congregatione Epiſcoporum tractandis, ſuſcepit; & Epiſcopi, & alij, qui interfuimus, plurimum, & magis quàm vnquam antea mirati ſumus. cum enim duas, treſve, horas, ſiue ſedens, ſiue in ligno ſtratus ſomno dediſſet; reliquas omnes Concilij negotiis, aliiſque rebus tractandis dabat. Decreta confecit, quibus plurima complexus eſt, ad omnem Eccleſiaſticarum rerum perfectiorem conformationem pertinentia: prouinciæque maximè vtilia; cui quid opus eſſet, ex Eccleſiis ante recognitis melius intellexerat. Quæ de ſacris reliquiis pro dignitate habendis, aut transferendis; de religioſis peregrinationibus; de modeſtia in ſacris locis tenenda; de vario ſupplicationum genere, proximis annis vſu probauerat; perpetuis prouinciæ conſtitutionibus commendauit. de ſacrorum locorum fabrica, ornatu, omnique ratione multa comprehendit quæ iam vſu fuerat expertus. magnam item earum rerum partem decretis ſanciuit; quæ idem Epiſcopus Viſitator in vniuerſum de variis rebus Eccleſiaſticis, deque Virginum cœnobitarum diſciplina præſcripſerat. de diuinis item officiis plurima, de Epiſcoporum, omniumque clericorum vita, modeſtiáque; de munere Eccleſiarum recognoſcendarum adiunxit. Alia multa conſtituit ad diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtatum conſtituendum, non vtilia ſolum, ſed etiam neceſſaria, ſatis magno decretorum volumine; quæ bonorum Epiſcoporum ſtudia in perpetuum iuuabunt. Ac eo tempore Viſitator in Eccleſia Mediolanenſi muneri ſuo finem poſuit, qui multa per ſe, virtute, ſtudióque ſuo, cum ad optimum Eccle-

siæ statum contulisset; eo etiam Carolus, eiusque apostolica auctoritate in aliis multis vsus est, ad ea consequenda; quæ vel tunc quidem à se tentari opportunum non iudicabat; vel auctoritate sua ordinaria ipse non poterat comprehendere: præcipuè ad ea corrigenda, & ordinanda, quæ in Ecclesiis regularium opus erant. inter alia per eum effecit, vt loca tum pauperum hospitalitati, curationique; tum piis aliis operibus destinata, ad ArchiEpiscopalem recognitionem, speculationémque reuocarentur: quique iis locis præfecti erant, in eorum administratione diligentiam ad sacrorum canonum præscriptum iureiurando reciperent. quod eorum nonnulli res eiusmodi vel negligere, vel ita curare solerent, vt suis potius, amicorumve commodis, quam rebus sacris seruirent interdum: cum alioqui tamen viri nobilissimi plurimi singulari fide, ac diligentia eiusmodi negotia pietatis ergo susceptura tunc gererent omninò longè alia ratione, Carolus illud visitandi munus accepit, atque alii quidam. nam & ad Ecclesiæ suæ perfectam disciplinam quamplurima conferri, addique studebat; & quod suæ culpæ esset, id demonstrari, corrigique valde lætabatur. dicebat maximam eiusmodi se officii expertum esse vtilitatem: nam cum natura homines in suis erratis cognoscendis parum videant, multum in alienis; cum aliorum Episcoporum res ipse perscrutaretur; in aliorum culpa, suam sese agnoscere; cum verò alius res suas recognosceret, multa, quæ se antea fugerant, doceri. Episcopus igitur festo die ante altare sedens, populo nunciauit discessum suum; dixitque se peragrasse totam diœcesim, ecclesias omnes, præcipuas per se, reliquas per alios lustrasse: res omnes ita ordinatas comperisse; vt ei ad multa discenda muneris ea functio valdè opportuna fuisset. quod perfectum non esset, præscriptum esse tamen in vnaquaque Ecclesia diligenter. ideo ferè vno executionis verbo posse actionem suam se concludere. cui Carolus è sede sua respondit: vsurpare se posse illud sanctorum piscatorum, Tota nocte laborauimus, & nihil cœpimus; nunc in verbo tuo laxabo rete. nihil ad id tempus ferè suis laboribus cum fecisset; eius tum Præsulis verbis, atque virtute, quem ex Apostolica Sede Romana Christi Domini Vicarius miserat, fructum tandem laborum ita sperare, quemadmodum illi cum iussu Domini rete iecissent, magnum piscium numerum ad littus traxerunt. alia addidit pro modestia sua, & ea quam semper habuit erga Romanam Ecclesiam summa reuerentia. Episcopus autem ad Casalensem, aliasque prouinciæ Ecclesias perlustrandas se contulit; quæ cum Carolo vnà cum aliis ad metropolim suam pertinentibus inspiciendæ essent, & componendæ; commode tamen ei muneri vacare non poterat.

De Sanctorum corporum translationibus à Carolo celebratis. Cap. 6.

Sed reuocanda oratio est ad translationes sanctorum corporum referendas; quibus Iubilei celebritas valde illustrata fuit, animique religiosius ad salutis suæ negotium procurandum præparati. Inter alia salutis adiumenta, quæ Carolus Ecclesiæ suæ posset afferre, illud erat planè magnum; beatorum virorum, quorum reliquiis locupletata, ornatáque erat, memoriam redintegrari: vt excitata, vel renouata erga patres, patronósque suos populi pietate; nosset in posterum, velletque ad eorum confugere præsidium in calamitatibus suis. quam ad rem, licet non parum valuerit, aliquid ex eorum historia delibatum edere, quod in ecclesiarum libro factum est; maximè tamen opportunum erat, ipsas sanctorum reliquias in apertum proferre, solenni Ecclesię pompa more maiorum circumferre; populo ipsi ante oculos proponere. Eius rei idonea illa visa est occasio; quòd, vt altaria, aliæque Ecclesiarum partes, quemadmodũ plerisque in locis Caroli tempore factũ est, instaurarẽtur; locis suis sacras reliquias mouere necesse fuit. omnino turpe erat, populum Mediolanensem plurimos pastores habere, quorum sanctitas publice colitur; multos item Christi insignes martyres, præclara ciuitatũ prę sidia: quorum nędum opem frequẽter, vt debebat, imploraret; reliquiasque veneraretur; sed ne memoriam quidem fere teneret; opportunè vero, &, vt videtur, diuinitus, Carolus fecit; vt ea clade ciuitati impendente, de qua paulo post dicemus; tum Iubilei religione; tum voluntate in cœlestes patronos suos piè inflammanda, plebem Mediolanensem ad animorum castita-

tem, salutariáque studia exerceret; quò minus cœlesti domicilio indigni, migrantes ex hac vita reperirentur. Atque iam ante annos quinque, hoc est postridie IX. Septemb. M. D. LXXI. sanctas reliquias mouerat, & recognouerat, quas Basilica olim sanctorum Naboris, & Felicis, nunc sancti Francisci habet: sed sine eo apparatu, quem posteà antiquæ pietatis esse animaduertit, & ad pios animos sanctè commouendos accommodatum. reliquias Apostoli Barnabæ nonnullas à sacello suo: martyrum Naboris, & Felicis, Caij item, & Materni Præsulum Mediolanensium, à capite Ecclesiæ, vbi altare maius erat; ad locum transtulit, vbi nunc illud situm est. alias recognouit, & suis locis reliquit; martyrum Felicis, & Fortunati; Sauinæque matronæ. Nunc autem celebriorem translationibus addidit apparatum. Erat inter commemoratam Basilicam, quæ nunc est sancti Francisci, & Ambrosianam; alia sancti Vitalis nomine dicata, quæ Fausti Basilica fuisse putatur; de qua etiam apud sanctũ Ambrosiũ mentio est. ab ea titulum parochiæ Carolus cum amouisset; mox etiam ei persuasum est, vt eam monachis Ambrosianis concederet. prius autem inde exportandum putauit corpus veteris Archiepiscopi Mediolanensis, Monæ, sub altari conditum; cuius memoria in Ecclesia Mediolanensi colitur pridie id. Octobris. Atque die translationi dicto, qui post nonas Februarij consequebatur, quo die prima erat supplicatio ad sanctum Ambrosium ob Iubilei memoratam præparationem; misit vesperi, qui locum recognosceret, & quæ opus erant, pararet. nocte accessit ipse. ibi, arca lapidea, quæ in terram defossa erat, aperta; post precationem, stola collo inducta, ad sepulchrum abiectus, singillatim ossa illa veneranda extrahebat; & in arca serico panno intus ornata, tacitus, mentéque in sancti patris merita defixa, componebat; astantibus canonicis nonnullis linea veste indutis, qui pio operi inseruiebamus; & aliis item presbyteris, diaconisque præsentibus; quorum quidam lachrymas præ animi suauitate; gaudióque tenere non poterant. Arca deinde cum ossibus posita super altare; nocturnas preces ad sancti honorem accommodatas primò recitauimus: post etiam quæ diei illius erant addidimus inde cum essemus profecti; canonici alij successere, & post eos alij; vt tota nocte ex sacris institutis essent, qui ibi vigilarent, & precarentur. Manè, his peractis, quæ ad supplicationem pertinebant; ex Ambrosiana Basilica, ad corpus venimus; quod ornatissimo feretro humeris portandum erat. charum onus subiere in anteriore parte Carolus, & Episcopus Salaminæ; in posteriore duo præcipua dignitate. Canonici extra Ecclesiam, Canonici vicissim succedentes, vsque ad maiorem Ecclesiam portauere, sacris, & pretiosissimis indumentis ornati omnes. multos iam dies cœlum nubibus erat, pluuiisque perturbatum: at cum efferretur sacrum corpus magna omnium lætitia, & admiratione, serena, clarissimáque luce fulsit. clerus vniuersus, hymnos, psalmosque ad rem accommodatos per choros musicè cantabat. tubarum sonus frequens ciebat pios animorum motus. Senatus sectabatur. multitudo præterea infinita. luminum vis innumerabilis. Cum ad Ecclesiam maiorem ventum esset; feretro in altari posito, Carolus de sancti laudibus concionem habuit. toto die conuenit populus ad beati parentis reliquias venerandas; immo agnoscendas; cum vel eius nomen plerique ignorarent; tum magno studio, coronis, sibi ad precandum paratis, religionis caussa feretrum tangi curabant. vesperè verbis ab Episcopo Salaminio ad populum apposité factis; magno concursu, in subterraneam ædem corpus delatum est. Post triduum; cum tertiæ supplicationis gratia Carolus itidem ob Iubileum ad sancti Simpliciani cum clero venisset; aliam celebrauit translationem. Aronæ in Ecclesia sanctorum Felini, & Gratiniani, quam Societati IESV traditam diximus; erant corpora sanctorum martyrum Fidelis, & Carpophori. cum eorum memoria in oppido vix vigeret; locus certè sepulchri ignoraretur; religiosa patrum cura, in altari demum inuêta sunt. Atque cum veteris, & angustæ sancti Fidelis Ecclesię loco, quam eis olim Carolus Mediolani tradiderat: amplam, & magnificam ex ciuium liberalitate cœpissent ædificare; ad sanctorum cultum magnificentius, & ad multorum salu-

tem vtilius fore existimarunt; si ea corpora Mediolanum transferrentur; & Fidelis corpus, vna cum martyrii socio in suam ædem referrentur. Ea igitur ex Caroli consensu, qui oppidi sui rationem, augendi cultus caussa, minimè habuerat, ad sancti Simpliciani Ecclesiam priuatim deportata; solemni ritu, atque apparatu ad constitutum locum transferenda erant. Carolus eò feria sexta nocte venit: reliquias composuit; diuina nocturnæ precationis officia obiit; ibi fuit donec lux appropinquaret. manè autem stata supplicatione absoluta, V. Idus mensis eiusdē, ad nouę Ecclesiæ locum eas magna celebritate transtulit; ipsis societatis clericis vmbraculum honoris caussa suprà feretrum gestantibus. At populus Aronensis, quo inscio corpora fuerant asportata, paulò post, cum id cognouisset, valdè commotus, acri admodum studio; vt vehemens esse solet in huiusmodi genere popularis impetus; de recuperādis reliquiis institit; neque conquieuit, donec eorum partem à Carolo acceptam in eandem ecclesiam Aronam referret. Addam aliam similem celebritatem, quæ fuit eiusdem anni mense Iulio. Obsecro autem, si cui forte videbor res huiusmodi aut diligentius colligere, aut pluribus exponere; quàm ad propositum finem intento, properantique gratum videatur: vt æquo animo patiatur, aliquid me rerum nostrarum memoriæ, non sine multorum fructu concedere; piisque nostris hominibus gratificari. Versamur etiam in hoc genere libentius, quam in Caroli rerum asperitatibus exponendis: quæ licet constantiæ, patientiæ, sacerdotalisque roboris contra aduersa omnia retinendi, exemplum Dei ministris præclarum præbeant; illud tamen inest molestiæ, quod res piis temporibus prope modum indignas scribere necesse est. Piget explicare turbulentos quosdam motus, qui hoc ipso diuinæ placationis optatissimo tempore extiterunt. Itaque ad aliam translationem veniamus. Nonnullis ante annis monachi, qui ab Oliueto monte nomen traxere, nouam Ecclesiam sancti Victoris cœperant, pulchram, & magnifici operis. qua perfecta, veterem, quæ proxima erat, dirui volebant. illam dico, quæ Portiana veteribus appellata est; & sancti Ambrosii literis, actionibusque illustrata. sed prius sanctà corpora quibus locus abundabat, tollenda erant, & in nouam Ecclesiam transferenda. occasionem libenter arripuit Carolus splendidæ translationis celebrandæ, qua & sanctorum reliquiis honos tribueretur, & Mediolanensium pietas erga illos quoque diuinos eius custodes renouaretur. Arcæ lapideæ erant plures ossibus plenæ, circum altare sub terram collocatæ: quæ ossa, licet neque nominibus, neque aliis signis distinguerentur; aliud tamen iudicari de iis non poterat; quàm ex iis sanctis corporibus esse, quibus eam ecclesiam esse copiosam veteribus monumentis testatum est. Vna erat arca sub altari, altius quam alię defossa: in ea corpora sanctorum Victoris martyris, & Satyri, sancti Ambrosii fratris, erant. his igitur omnibus primò legitimè recognitis; demum IIX. Calend. Augusti quo die S. Iacobi festum celebratur, Carolus ad locum, vigilandi ex instituto precandique gratia; quia postridie futura translatio erat; se contulit. ibi nocturnis precibus de more habitis; & sancti Victoris vita recitata; ossa omnia ita composuimus; vt septem feretra portanda pararentur. Postridie clerus vniuersus in maiore Ecclesia coactus, ordine ad sancti Victoris processit: vnde sublata sacra diuini amoris pignora, primò canonicorum, deinde monachorum humeris, viis apparatis, cantu ad beatorum gloriam significandam accommodato, circumlata sunt, tanto spatio, quantum opus erat ad longissimos sacrorum hominum ordines producendos; maximāque multitudinem capiendam, quibus ad eandem Ecclesiam relatis, sacro-sanctæ Missæ solemnia celebrata sunt. reliquiæ toto die in conspectu populi relictę, qui frequentissimus eò magna pietate confluit. vesperè autem reuerso Carolo, sericis illę pannis inuolutę, pręsentibus notariis, in capsas plumbeas reconditæ sunt. quæ Victoris, Satyrique erant, separatim in altare maius Ecclesiæ sunt illatæ. Aliæ in suis arcis lapideis à vetere Ecclesia deductis, positę, in sacello, quod ea de caussa monachi, Carolo auctore, ad suam subterraneam ędem addiderant; ita in variis capsis separatæ, ac in sacelli angulis, quantum fieri potuit, collocatæ sunt; vt primò fuerant inuentæ.



DE VITA ET REBVS GESTIS

CAROLI CARD.

S. PRAXEDIS,

ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI.

LIBER QVARTVS.

Peste vrbem ingressa, quid Carolus, aliique prouidere cœperint. Cap. I.



Vltos iam menses pestilentiæ fama prouinciam Mediolanēsem cum peragraret: Martio mense anni ipsius M. D. LXXVI. ad vicum quendam prope Aronam demum ipsa peruenit. eò statim missi qui consulerent: vrbs custodita: exteri sine testimonio non admissi. At cum placitum est Deo; eam propius accedere; vrbémque ingredi; siue ad multorum peccata vindicanda; siue ad exercendam, aut verò remunerandam bonorum virtutem; siue ad illustrandam charitatem, vigilātiamque Sacerdotis sui: aditum facilè per omnes custodias inuenit. Mense igitur Iulio extremo, religiosissimis exercitationibus illis, supplicationibusque peractis; in ipsa vrbe deprehensa pestilentia est. Tum Magistratus ille presertim, qui publicæ sanitati præest; maiorem diligentiam adhibere; custodiam augere; aditus non modo in vrbē, sed etiam in prouinciam diligentius obseruare. at malum manabat in dies; & dum illi vel aliud esse morbi genus demonstrare, vel secretum habere omni ratione conarentur; magis ac magis sese prodebat, latiusque fundebatur, multi, affecta iam prope æstate, nihil, in proximos menses, totamque hyemen timendum affirmabant. Carolus autem, tamquam in specula collocatus, , imminentem tristissimi temporis tempestatem, &, si sic expediret, à suis enixe deprecabatur, & multis tamen prædicebat; nam & satis multas cernebat plagarum, grauesque caussas: & Præfectos videbat, aliorumque rectores de humanis remediis valdè solicitos, diuina ipsa, quibus potissimum spes hominis christiani niti debet, minimè quærere, vt oportebat: immò ipsa quoque humanæ diligentiæ officia minus integrè, perfectéque præstare, sed quasi stupore quodam oppressos rei nouitate teneri, atque hæsitare. id ille maximæ calamitatis breui futuræ indicium sibi videri dicebat. Ea de caussa statuit Brixiæ visitationem eo anno omittere: immò ab vrbe penitus non discedere, donec rei exitum aliquem videret. tantum ea perficienda diligenter in vrbe curauit, quæ Salaminæ Episcopus per Ecclesias facienda decreuerat, qua in re, quod ita esset cæteris eius occupationibus commodius, consumebat meridianum tempus: & maximos calores contemnens, vrbis Ecclesias quotidie singillatim adibat. iam pedibus instituerat ire: neque id in vrbe solum; sed in agro etiam, dum itinere breui singulos vicos obiret: quamquam hoc non tenuit semper, quod nimis incommodum, laboriosumque suis esse videret, ea ratione iter facere. Publicæ supplicationes posteà tamen diuinæ iræ placandæ gratia, ter ad consuetas Ecclesias de more habitæ sunt. quarum caussa cum Carolus, Gubernatore, Senatu, aliisque magistratibus præsentibus, concionem haberet ad populum; oblata occasione reprehendit eos, quòd

tam serò ea quæsissent, quæ certissima sunt humanorum malorum remedia; cum alioqui vehementer suæ custodiæ confidissent; & eius caussa pios illos conuentus præpropera festinatione prohibuissent. Sed illud quoque obiecit, dum caussas diuinæ castigationis percenseret, quòd piarum societatum optimæ exercitationes iam diu sine caussa impeditæ, adhuc eodem statu tenerentur. quæ res magnam hominum multitudinem à salutaribus rebus auerterat, quæ ad Deum placandum plurimum valerent; vt ad voluptates, vitiáque conuerteretur, quæ diuinas prouocarent animaduersiones. Manabat autem iam latius pestilentia; grauitérque suburbium, quod est ad Comensem portam affligere cœperat: & in ipsa quoque vrbe multas inuaserat domos. Campus est ad orientis portam extra mœnia latissimus, & in quadrum redactus. ædificia circum extructa, ad eos qui tali morbo laborant separatim recipiendos, locis quam plurimis distincta sunt: & fluuialis aquæ riuo cinguntur. in medio campo sacellum Sancto Gregorio dicatum; quo nomine locus ipse solet appellari. Qui rebus eiusmodi curandis præfecti erant, rectè quidem suspecta valetudine homines, aut suis ædibus inclusos esse; aut extractos, per homines mercede conductos, in sancti Gregorij locum deduci iubebant. Sed necdum vlla penè ratio inita erat, qua vel ad curationem ægrotorum, vel ad pauperum victum, necessaria suppeditarentur. immò ædificia quoque longo tempore vacua, ita ab omni habitationis commoditate deserta erant, vt nihil præter nudos parietes relictum esset. itaque non morbo tantum miseri, qui eo adigebantur; sed fame, aliisque incommodis multis grauiter premebantur. omninò inter se curari, inter se consolatione leniri, eos oportebat; & quæ ad vitam necessaria erant, à cognatis, si haberent, & misererentur, accipere. Sed quod grauissimum erat, nulla sacra erant parata; nulla sacrorum hominum consolatio. vbi plures cognatione coniuncti eodem loco simul erant; vt quisque ante alios moriebatur, ita necesse erat à superstitibus sepeliri; & qui eiusmodi beneficium aliis dederat, ipsum paulò post ab aliis accipere: augescente mirum in modum, ex aliorum, præsertim charissimorum miseria, extremisque terminis; propriæ calamitatis dolore. Cum hæc ita cœpta essent; neque enim magnus adhuc erat numerus; Carolum ipsum multi hortabantur, vt aliquò secederet. cum autem religiosos, doctosque viros de se consuleret; quamuis eos laudibus afficerent, qui in eo se charitatis officio olim exercuissent; non consentiebant tamen, vt vitæ periculum adiret ipse, tantum adesset, prouideret, consuleret, pro rerum euentu, & necessitate: verum à contactu caueret omninò. id quòd paterna misericordia alienum, & factu difficile videbatur. nam & quotiescumque domo ille exiret; multitudo periculo territa, quasi opem implorans; ad eum vt ad patrem accurrebat. propius positis genibus, vestimenta tangebant, & quibus tetigerant, manus osculabantur: quæ pietas, cautionis gratia, quomodo poterat cohiberi? Eos igitur sibi agendi terminos minimè constituendos: sed pastoris officia omnia iam sibi suscipienda; & in suorum salutem omni studio atque opera esse incumbendum existimauit. Quid animo suo, quid in cubiculum suum abditus fecerit, neque scimus; & facilè tamen ex iis quæ apparuerunt, assequi possumus coniectura. Ad mortem certè obeundã, perspicuè paratus, etiam testamentũ fecit, in quo hæreditate ad hospitium pauperũ Mediolanense delata, multa piè legauit Ecclesiæ, amicis, & familiaribus. Tum ad gregem suum sine mora conuersus, miseris illis ad Gregorianas ædes derelictis cœpit subuenire; & ex domo sua, quæ res ad vitam erant necessariæ, eas quotidie mittere. tum verò eleemosynas in vrbe, foris, atque adeò extra prouinciã corrogare; à clericis, monachisque qui abundarent, petere; vt illos, aliosque per vrbem in egestate positos subleuaret. Quamuis autem maximè doleret, suos rebus ad victũ necessariis destitui; multò magis tamen angebatur: quòd sacra subsidia, extremæque ipsæ ad salutẽ subleuationes deessent. Vidi equidem miserrima, cum Carolum ad Sancti Gregorij ædes Diaconus secutus sum; quò ille ad ægrorum acerbitates certius cognoscendas, accesserat. Cum locum extrinsecus circumiremus; eiulabant illi; & ad fenestras sese proiicientes, calamitates de-

plorabant suas. alius ex tabe concepta, alius ex propinquo mortuo, animamve in eius conspectu trahente, gemitus edebat sane miserabiles. hic vitæ incommoda, ille diuinarum rerum inopiam lamentabatur. Cum ab omni alio subsidio destituti simus, ô Pater, clamitabant, tu nobis saltem benedicas. Carolus ægros tunc quidem quantum potuit, humanissime consolatus est: sed domum reuersus, vix è publico se conspectu receperat, cum pariete nixus, magno cum mœrore, Vidistisne, inquit, miserrimam illorum conditionem? humanis commodis omnibus spoliati, tristissimis casibus, doloribusque afflicti, ipsa etiam rerum diuinarum ope destituuntur: nec est sacerdos, qui tantos casus miseratus, opem ferre velit. vnum scio, periculo meo eos in discrimine esse: nisi alia ratione Dei clementia subuenerit, quid mihi faciendum sit, constitutum habeo. Significauit sine dubio, si alij nollent, suo se ministerio voluisse miseris opitulari. Ac varios ille quidem sacerdotes cœpit tentare, si tam misere desertos iuuare vellent. vnusque oblatus est, qui confessiones quidem ægrotorum audiret, & sacrosanctam Eucharistiam præberet, sed vngere tamen rite recusaret. at optimum, diuino spiritu adiutus, consilium cœpit. in eam partem diœcesis Mediolanensis misit, quæ Heluetiis in profanis paret, indeque non modo presbyterum, qui sacra omnia præberet, sed alios quoque accersiuit, qui operam suam in tali calamitate, mortis metu posthabito, locarent. gentis enim animi ob colluuionis frequentiam, consuetudinemque firmati ita obduruerunt: vt nihil, aut nõ magnopere pestilentiæ contagium timeant, seque inter se inuisant, curent, funera prosequantur, cautionésque fere, quasi turpe aliquid, fugiant. Cũ cœnobitas deinde aliquos, plurimis enim opus erat administris, ad id munus inuitasset, alii non omnino recusarunt, alii apertè promiserunt, si suorum præfectorum auctoritas accederet. Non parua erat in parochorum officio difficultas. pleríque enim periculum subire recusabant, atque adeo iure cogi se non posse etiam asseuerabant. verum Bernardinus Figinus, commemoranda est enim singularis boni presbyteri virtus, quamquam magna vis morbi magnaque multitudo erat in Comensi porta, qua cura illius continebatur, partes suas ab initio vsque misericordi, fortique animo egit.

Hæc ita cum essent, summum Pontificem sibi in primis consulendum Carolus statuit, neque enim adhuc Romæ refutabantur litteræ Mediolanenses. Quid de parochis agendum esset, per Carniliam consuluit: quidque ipse ex piorum, doctorumque virorum sententia existimaret, exposuit. Postulauit, vt auctoritate Pontificia posset homines regulares: quos mala mente claustris suis ad tale obsequium, periculumque exire velle, verisimile non erat, alienosque clericos, etiam suorum Antistitum iniussu, volentes tamen, ad ægrotorum ministerium admittere: varia Apostolicæ indulgentiæ genera, etiam quæ summa sunt, pro ratione, modoque obsequii, ministeriive, iis proponere, ac impartiri, qui ægrotorum curationi, salutique animi, & corporis varie inseruirent: veniam pœnitentibus quorumcumque criminum dare, & quibuslibet animæ vinculis sacros homines liberare, quorum caussa ad Romanæ Sedis auctoritatem confugere necesse est: coronis, calculisque benedicere, quibus precantes varia indulgentiæ dona consequerentur. consuluit item, an ad pauperes subleuandos, bonis ad alios pios vsus relictis, & quatenus, vti deberet, & ea de re facultatem petiit, etiam si alienatione bonorum immobilium opus esset. litteras quoque Pontificias ad populum, quibus ad calamitatem christiana mente sustinendam, & ad charitatis officia, ægris amanter præstanda, incenderentur. Præterea, quò mortis casum omni ratione leuiorem iis faceret, quos ad ministrandum aliis inuitabat: postulauit, vt Missis in sacello Sancti Gregorii faciendis, ita mortuis suffragari sacerdotes possent, vt qui Romæ in insigni illo altari Sancti Gregorii faciunt. Concessiones autem non sibi tantum, cui aliquid humanitus accidere poterat, sed alii quoque, qui in ecclesiæ administratione succederet, poposcit. Demum supplex petiit, quidquid in omni cura, & administratione, quam sibi proposuerat aggrederetur, & faceret, id vt bene, fœliciterque sibi, aliisque eueniret,

A Pontifice multa petit, ipseque multa suppeditat ad ciuitatem iuuandam. Caput 2.

summus Pater precaretur: & quas pro aliis venias, facultatesque petebat, eas itidem sibi iubere posset adhibere. Annuit Pontifex Caroli postulatis. alia literis quam primum mittendis comprehendi, alia consultanda Carniliæ mandauit. qui tamen antequam ea conficerentur, vir optimus, optimo vitæ fine requieuit. Sed rescripsit prius Pontificis verbis, laudare se Caroli animum, tum metu vacuum, tum vero ardenti incensum charitate gregis sui, quem sicuti nullo modo deterrebat, quin præsens omnium saluti diligenter consulere studeret, ita hortabatur, ne ipse illa facile cum vitæ periculo obiret, quibus exequendis aliorum opera sufficeret. maximum enim immensæ multitudini præsidium, in eius vita esse positum, quæ si deficeret, omnia, vt videbatur, miserrima strage perculsa, & prostrata fore. Neque pro sua tantum, sed pro aliis quoque prouinciæ ecclesiis, quibus imminebat malum, Carolus Romæ egit, vt ea item ratione Episcopos ad charitatem, fortitudinemque in eo genere adhibendam impelleret. Interea clero conuocato, animos omnium confirmauit: quæ partes essent hominum diuinis obsequiis addictorum, diligenter monuit. ad ægrotos in tanta rerum omnium inopia studiose iuuandos vehementer cohortatus est: Quibusdam ex primariis certas vrbis regiones assignauit, vt quæ opus esse viderent, suo quisque loco, diligenter pro tributa auctoritate curarent, aut Carolo ipsi denunciarent. Atque cum ex vrbe in castella, villasque quam maxime à periculo remotas, nobiles viri, & alii quoque omnes, quicumque perfugii aliquid habebant, passim dilaberentur: plurimos ad se vocatos, qui reipublicæ vsui esse poterant, in vrbe detinere, & ad patriæ charitatem præstandam diuinis verbis incendere studuit. quosdam, vt firmius teneret, piis operibus variis in ea calamitate necessariis præfecit. Præfectos autem assidue confirmabat, stimulabatque, vt afflictis rebus melius consulerent, nunc ad se vocando, nunc ad ea loca adducendo, vbi præsentes mala, miseriasque cernerent, frequenter etiam ad eos mittendo. Clericum in consultationibus eorum semper adesse curabat. qui sanitati præsunt publica auctoritate conseruandæ, vt potestatis vtriusque gubernatio aptè ordinata conueniret, & ad subueniendum esset accommodatior. Hi magistratus, & præfecti, tum qui ciuitatis in consilio erant, primò quidem inusitata, & tunc inexpectata tempestate perturbati, simul ea re impediti, quòd, Regis ne, an ciuitatis sumptu, qui maximus futurus erat, tanta prouidenda essent, disceptatio erat, officij sui partes non satis, vt diximus, agere potuerunt. at cum sese colligentes, negotium serio susceperunt, rem omnem ipsi quoque magna diligentia, vt inferius apparebit, magnaque prudentia gessere. qua de re qui eorum negligentiam, & tarditatem, primò de suggestu religiosi viri grauiter increpauerãt, atque adeo crudelitatis nomine dure accusauerant, postea mirifice laudarunt, prædicaruntque, Mediolanenses tarditatem magno virtutis cumulo compensare. Gubernatorem præterea ipsum Carolus grauiter monebat, vt in tanto amplissimæ ciuitatis periculo, & pene imminenti exitio, quæ opus essent, prouideret, ciuium fugæ modum poneret, egenis curaret subueniri. nam in dies morbus magis ac magis cum ingrauesceret, eorum numerus, quos ex vrbe quotidie magistratus educi, & in Sancti Gregorii locum coniici iubebant, præter modum augebatur, & cum eo maximè rerum omnium egestas crescebat. Conquiri etiam studiose veterum scripta curauit, quibus de grege à Pastoribus, & præfectis in calamitate non deserendo, præsertim pestilenti tempore, disputatur: exempla item eorum proferri, qui tali tempore curam ægrotorum, contempto mortis periculo, susceperant. atque omnia libello comprehendi, edique iussit, vt præcipuus aliquis pietatis ardor in hominum, præsertim sacrorum mentibus, Dei spiritu in primis agente, concitaretur, & ad contemnenda mortis pericula pii mortales acrius inducerentur. habuit in hoc genere ab Episcopis suis Mediolanensibus exempli aliquid ad imitandum. sed iis præcipue delectatus est, quæ vt est apud Eusebium, Dionysius Alexandriæ Episcopus narrat: ægros grauissimo pestis tempore, ab Christianis omni charitatis officio adiutos: non solum Presbyteris, & Diaconis: sed laïcis quoque: qui quidem iacenti-

bus assidentes, hilare ministrabant, & morbum etiam contrahebant: ipsa cadauera lauantes, ornantes, & funebri linteo inuoluentes, immo etiam humeris portantes, libenter vnà cum fratribus suis mortem oppetebant: eoque libentius, quò genus mortis à martyrii laude nihil abesse existimabant. cum interim gentiles homines miserabiliter se inuicem desererent: vir vxorem, vxor virum, filii parentes, parentes ipsi natos suos.

Mendicis, destitutisque aliis subuenit. Caput 3.

Cum essent omnium animi tam tristis euentus expectatione suspensi, nullusque iam esset mercaturæ, artificiive quæstus: suam quisque domum ad quam paucissimos redigere studebat, quia & sumptus diutius ita suppeteret, & in minori numero, minus periculum futurum erat contagionis. Itaque & patritii famulos, famulasque, & mercatores, artificesque operarios, quotquot poterant, missos faciebant. illi autem, neque suo labore, neque aliorum liberalitate viuere poterant: prouincia decedere, nisi certo vitæ discrimine, per finitimos non licebat: tecto etiam ipso carebant. Atque alii quidem, vitæ periculum contemnentes, vt vitam tuerentur, aut si minus possent viuere, honeste saltem occumberent, operam suam ægrotis, cadaueribusque deducendis, rebus quoque igne, & aqua purgandis, publice locauerunt. alii agmine facto, ad Carolum, tamquam egenorum patrem, omnes communi consilio confugerunt. quibus item se socios addiderunt mendici multi, qui ostiatim quæritare victum solebant. Carolus, quamquam de tot hominum inopia iam solicitus erat, quot humano iudicio diu sustentari posse nullo modo videbantur, egregia tamen illa sua fiducia confirmatus, de iis subleuandis animo cogitare cœpit. post multa versata, cum in primis tecto, eoque amplo opus esset, venit in mentem magnarũ ædium quas in via Romana, septimo ab vrbe lapide, Franciscus Gallorum Rex ante annos circiter sexaginta construxit; victoriæ illius monimentum, quam de ferocissima Heluetiorum multitudine, pro Mediolanensi Duce Maximiano pugnante, reportauerat: qua de re eas Victoriæ etiam nomine appellauit. quas quidem ædes, cum adiuncto agro, Carolus olim, cum nescio qua ratione obtinuisset, pro ea parte quæ ad eum pertinebat, primario pauperum hospitio donauerat. eò igitur gregem miserabilem misit, supellectilem ad vitæ necessitatem suppeditauit, mares à fœminis disiunctos haberi iussit, certas precandi exercitationes, horasque præscripsit: religiosos viros laicos; & sacros, præsertim quos vocant Capucinos præfecit, qui eorum res curarent, & multitudinem malis fere artibus assuetam in officio continerent. vt autem facilius, & otii malum arceretur, & vnde viuerent suppeteret, ad vicos, villasque, quæ circum essent turmatim eos educi quotidie præfectorum cura iussit, & eleemosynas passim quæritare. ordine autem quæque turma crucem sequebatur, & litaniæ in via operam dabat. ac, tametsi incredibile visum fuerat, de tali hominum genere, sine flagitio fere, toto pestilentiæ tempore, quietam in eo loco vitam egerunt. id fecit indigentia, fecit eorum, qui præerant diligentia, & pœnæ item metus: nam ad eos, qui deliquissent, puniendos, iudicem suum mittebat Carolus, quemadmodum cum Senatu conuenerat, qui homines castigari, & virgis etiam cædi iuberet. Ipse quoque præsens interdum eorum res cognoscebat: tum ex Archiepiscopali domo, licet inopi iam, peneque exinanita, eleemosynarum subsidio deficiente, quæ opus essent, & suppetebant, petere, atque asportare iubebat. Fuerunt autem ii circiter trecenti. Verum cum hyeme ingrauescente homines semiuestiti maximè algerent, memorabile fuit Caroli factum, qui cum aliud non haberet, velaria, quibus ex simplici laneo panno, nulla textili pictura, ad parietes vestiendos vtebatur: item conopea, vela, stragula, quibus ex eadem materia, & opere, operiri lectos, ostia obtendi, mensas sterni opus erat, omnia concidi iussit, & ex iis duplices vestes quamplurimas cum caputio fieri, singulisque tradi, vt iucundum, pietatisque plenissimum spectaculum, multitudo pauperum, marium, fœminarumque præberet, purpureis, violaceis, viridibus, pullisque vestibus, olim ad amplitudinem comparatis, variè induta. scio ex eiusmodi supellectili nihil reliquum in Caroli domo fuisse, præter vnum viride, & vile conopeum,

nescio quo casu omissum, & cannabinum item stragulum viride, quod laneo panno fuerat subsutum, quod in ea ipsa mensa stratum Carolus habuit, qua legendo, scribendove vtebatur: neque vnquam postea mutauit, sicuti neque pannos parietum, neque stragula ostiorum vmquam restitui, vsque ad mortem passus est. Sed ne aliis quidem rebus vllis tali tempore pepercit. vestes, caligasque, necessariis tantũ retentis, aut donauit, aut vendidit, vt pretium pauperibus daret. pelliceas vero vestes ita alienauit, vt vsum eiusmodi sibi in perpetuum interdiceret. omnino domus tota rebus iis omnibus exhausta est, quæ sibi, familiæque prorsus ad vitam necessariæ non essent. nam Carolus ipse cellas ingressus, ne quid fortè contra eius voluntatem reseruaretur, inspectis recepta culis, omnia extrahi iussit. pecunia quoque multa mutuò accepta, quæ non nisi ex insequentium annorum fructibus solui posset. quin ea ipsa quandóque penitus defuit, cumque nihil suppeteret, vnde necessaria emerentur, & nox iam esset, magnum pecuniæ numerum, pro consueta in eleemosinis dandis magnificentia, Cusani fratres Pomponius, & Augustinus misere: vt ob illam præclarasque alias virtutes, Augustinum in sacro sanctum Ecclesiæ catholicæ Senatum cooptatum, non solum Mediolanensis, sed Ecclesia quoque lætetur vniuersa. ac non ciues solum, sed exteri etiam multi quæ pauperibus dare statuebant, eaque magni momenti, mittebant ad Carolum, quem optime omnium distribuere sciebant.

Parochorum officia: supplicationesque publicæ, pestis caussa. Caput 4.

Iam pluribus locis tacta morbo ciuitas, in tantum periculum adducta erat, vt quasi multis partibus iniecto igne, subito, atque horribili incendio conflagratura videretur. prudentes certe, patriæque amatores viri summopere dolebant, breui fore, vt amplissima ciuitas, morbo, luctuque confecta miserrime concideret, & ciuium internecione vastata, in solitudinem propemodum, vt antea simili ex morbo, redigeretur, multitudo namque populi maxima est: insigni numero plebs, & vulgus, genus hominum ad contagium maximè accommodatum ob confertissimam habitationem, & sordes: qui si non pestilentia, fame certe breui interituri videbantur. solent enim ex quotidiano quæstu viuere, cui tunc locus non erat. & si quid supersit, in vestimenta potius, etiam quæ longe eorum statum superant, quàm in res ad paulò diuturniorem victum parandas, malunt insumere. Is cum esset prudentium virorum sensus, ne Carolus quidem, nisi Dominus præcipua aliqua, atque admirabili ratione subueniret, aliud fore existimabat. Attamen litteris à Pontifice interim, & concessionibus allatis: alacri, promptoque animo, Deo fretus, & charitatis stimulis concitatus, ad reliquam afflictæ ciuitatis curam aggressus est. Atque Parochos, quamuis de eorum debitis populo officijs adhuc definitum non esset, grauium tamen Scriptorum sententiam secutus, iussit consistere, ægrotis suæ parœciæ adesse, sanctaque, pœnitentiæ saltem, & Eucharistiæ sacramenta ministrare. qui resisteret mulctauit, quosdam etiam in carcerem coniecit: quamquam plerique minime coacti, ac satis fortiter in vrbe, totaque diœcesi, officij sui munera tandem obierunt: quidam etiam sponte extremam vnctionem moribundis adhibuerunt. Cum autem artificia varia, mortis metu industriam acuente, qnidam inuenirent, quibus. Sanctissimam Eucharistiam, vel longe, vel tecti morbo affectis præberent: nullum adhiberi Carolus passus est, sed manu libere porrigi sacrosanctum cibum omnino statuit. At etiam decentes cautiones & probauit, & docuit. veluti, vt contra ægroti spiritum sacerdos vultu non consisteret, sed eum commodo semper declinaret: vt inter eum, ægrumque poneretur ignis, cuius vi, quæ in aere esset, tabes absumeretur: digitos statim post ministerium, vel aceto, vel accensi cerei flamma purgaret: indumentorum suorum, ægrique contactum studiose caueret, sua etiam statim mutaret, purgarive curaret, & alia eiusmodi: Baptismum quoque, non mergendo, vt Ambrosiani ritus est, sed aquam infundendo ministrari concessit. Impetrata deinde Apostolica præmia, vt iam inciperet impartiri, populumque iam totum ad diuinum auxilium implorandum, Deumque in primis placandum conuerteret, publicas supplicationes indixit. Litteris editis populum vehementer cohortatus

eſt, vt verè iam, totoque animo ageret, ieiunium cum ſupplicatione coniungeret, quam frequentiſſimus conueniret, & quæcumque poſſet, etiam extrinſecus, abiectionis, & pœnitentiæ indicia ex animo daret: tum vero pauperum miſeriam quantum poſſet, quiſque ſubleuaret: & proximo die dominico, poſtridie nonis Octobris, ſanctiſſimam Euchariſtiam, peccata confeſſus perciperet. qui id facerent, iis auctoritate Pontificia pleniſſimam peccatorum veniam conceſſit. monuit diem illum ſacroſanctæ cõmunicationi dictum diuino beneficio, eoque ſingulari inſignem eſſe, in quo ante annos ſeptem Dominus admirabilem contra Turcas victoriam ad Echinadas largitus erat: proinde noua quoque ſperarent diuinæ clementiæ beneficia. Quoniam vero ſupplicationum gratia magnum eſſe conuentum oportebat, verebantur maximè qui humano iudicio ducebantur, ne peſtifera contagio, morbuſque magnopere augeretur: ideoque Magiſtratus rem minime probabant, neque tamen, tanto imminente diuinæ animaduerſionis periculo, magnopere reſiſtebant. & vero etiam rebus iam in ſummum penè periculum adductis, non valde periclitari ea in re ciuitas videbatur. Carolus igitur in eo perſtitit, vt ad ſupplicationes cõueniretur. tempus enim iam tandem videbatur, cum ab humanis conſiliis diligẽtiaque minime penderent. vim publicæ, ac coniunctę precationis non ignorabat, populo præſertim afflicto, ſalutariterque commoto: ſimul exemplis maiorum confirmabatur, tum domeſticis, tum externis. nam & in ſimili cauſſa S. Gregorium ita ſuaſiſſe ſciebat. & ciuitatem Mediolanenſem, acceperat, cum olim triennio peſte laboraſſet, neque liberationis ſpes oſtenderetur, ad extremum omni multitudine conueniente, religioſeque ter ſupplicatum ad ſtatas eccleſias eunte, ſubito, mirabiliterque liberatam. minus vero erat incommodi, quia fœminæ, puerique incautiora capita, domo prodire iam edicto vetiti erant. Feria quarta cum clerus, populuſque frequentiſſimus in maiorem Baſilicam conueniſſet; vt ad Sancti Ambroſij ſupplicatum iretur: priuſquam in viam ſe darent, Carolus cineres, ſtata pœnitentiæ ſignificatione, ſingulis imponebat: capita vero plerique, & ipſi quoque Magiſtratus, lachrymantes ſubmittebant. Iuit Carolus cappa, vt appellant, funeſta veſtitus, cuius caputio caput induerat, poſtremamque partem ex inſtituto prolixam, nemine ſuſtinente trahebat. nudis erat pedibus: funem collo, vt damnatis mos eſt, circumdederat: magnam Crucifixi imaginem ferebat, quam fixis oculis progrediens perpetuo intuebatur. omnino veluti reus ſordidatus, ſupplex veniam pro ſuis chariſſimis filiis petebat. neque dubito quin iam tum initio pro eorum ſalute, vitam ſuam obtulerit: qui poſtea publice verbis, & factis declarauit pro eis ſeſe deuouiſſe: vt illius boni Paſtoris fungeretur officio, qui animam ſuam dat pro ouibus ſuis. ſimili habitu fuerunt canonici. immo plerique ſacri viri, plurimi etiam laici, cum de eo, quod Carolus facturus erat, fama percrebuiſſet, nudis pedibus venerunt, cum funibus, item collo aptatis, paruiſque crucibus, quas manu tenebant. In Ambroſiana Baſilica concionem de ſuggeſtu habuit, in qua themate illo ex Ieremia propoſito, Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo, ex tanta, tamque repentina ampliſſimæ ciuitatis mutatione, rerum humanarum inconſtantiam, cæleſtiumque irarum vim ante oculos ponere, populumque ad errata, ſceleraque ſua deflenda, & calamitatem ſalutariter ferendam, tum vero vitæ rationes melius inſtituendas, incitare curauit. Antea ſæpe ille quidem ad populum verba facere ſolitus fuerat, ſed licet religioſi viri quandoque ſuaſiſſent, ſuggeſtum conſcenderat numquam, concionemque habuerat ad altare ſedens. at tali tempore fecit calamitatis, periculique magnitudo, tum pia, quæ animis omnium inerat, affectio, communiſque dolor, qui propius, & clarius ex ſuperiore loco conſolatione leniendus erat, vt eò tunc aſcenderet, ac eiuſmodi loco poſtea pergeret ſemper concionari. Itaque tunc mœſtiſſimo habitu dicens, Dei ſpiritu inprimis incitante, concionem adeo commouit, vt omnes fere in fletum adduceret. & cum initio plerique ſeparati, ab aliis tangendis cauerent, poſtea nulla periculi habita ratione, conſertim ad ſuggeſtum propius accede-

re, audiendi studio conabantur. Feria sexta ad sanctum Nazarium litania fuit; vbi eodem modo, ex illo Chaldæi Regis somnio, de procera, pulcherrimaque arbore, cuius copiosissimis fructibus, ramis, vmbraque commodissime animalium genera omnia vtebantur, quæ mox ita succidi, & dissipari iussa est, vt radices tantum manerent: populum suum ad vitia recognoscenda impulit, quibus in sua maxima opulentia seruierat, vt ea ratione quemadmodum par erat, improbata, noua iam, & vtiliora sibi consilia proponeret, quibus à Deo veniam posset impetrare. Sabbato itum est ad celeberrimam beatissimæ Virginis ecclesiam, apud aliam veterem S. Celso dicatam. pia sodalitia tunc ex instituto veteri, contra quàm Gubernator olim iusserat, operta facie conuenerunt. illud etiam amplius factum, vt ex omnibus ecclesiis, quæ commode potuerunt, sacræ reliquiæ elatæ cum luminibus portarentur, ad animos magis commouendos. Tunc quoque de sacrosancti illius claui memoria renouanda Carolus constituit, quem ab S. Helena in frænum redactum fuisse, tum alii narrant, tum S. Ambrosius in primis: Eum clauum Carolus alter Mediolanensis Archiepiscopus, vniuerso clero comitante, maximaque populi frequentia, se ad maiorem Basilicam anno M. CCCC. LXI. XIII. Cal. Aprilis, ab antiqua ecclesia S. Teclæ, transtulisse testatur. de qua ecclesia tollenda, eiusque clero, rebusque in ipsam maiorem Basilicam transferendis, idem ipse sententiam tulerat. Fuit clauus ad hoc tempus excelso loco in summo fornice, ad ipsius ecclesiæ caput collocatus. & quamuis lampades quinque ante illum perpetuò collucerent, non satis tamen decore affixus; paucorum etiam veneratione, memoriáque tam sancta res, tamque insigne Christi Domini sāctissimæ, atque acerbissimæ passionis instrumentum, colebatur. Clauum igitur per sacros homines machinis in sublime tractos, Sabbato abstulit, & amplæ cruci apte insertum portauit, summa populi totius approbatione, religioneque. eo die occasione ex clauo accepta, de clementissimi Domini erga mortales benignitate dixit, & propositis, quæ pro eis acerbissima perpessus est, ad diuinam misericordiam implorandam vehementer eosdem excitauit, & ad omnia bene speranda confirmauit. ferrum sacro sanctum non statim ad locum suum referri, sed omnibus propositum esse constituit, in altari quadraginta horis venerandum: vt ad salutis suæ negotium procurandum tota ciuitas eo spatio conueniens, proximo rei sanctissimæ aspectu vehementius afficeretur. Deinde antequam reponeretur, aliam celebrauit litaniam, eumque longissima via tulit, cum vniuerso itidem clero, & populo ad celebriora loca sex, quæ Pontium nomine præcipuas ante portas ex veteri vrbis situ, appellantur. Mirum fuit, ciuitatem vniuersam, quasi contagij metu solutam, libenter, studioseque omnibus iis diebus ad supplicationes conuenire. quòd ei tam fœliciter euenit, vt in tanto hominum conuentu, eoque sæpe repetito, cum etiam cœlum humidum esset, & graue: non modo nemo in ipsa via ceciderit, sed nihil acciderit omnino, ex quo auctum esse contagium appareret. quod magis mirum videatur, si cum illius litaniæ euentu, quæ Sancti Gregorii suasu Romæ, vt modo tetigimus, habita est, conferatur: quæ quidem cum non vna, vniusve cœtus, sed septemplicis fuisse tradatur: vnius tamen horæ spatio octoginta homines in ipsa via interierunt. Sed Deus perpetuò clemens, ex caussis, quæ nobis ignotæ sunt, non eadem semper tamen vtitur miserendi ratione. Diuinarum autem supplicationum finem Carolus minime faciens, præscripsit prætera collegio maioris ecclesiæ, vt secunda quaque hebdomadæ feria ad Ambrosianam Basilicam supplicatum iret: reliquo clero vniuerso, vt præter id, quod in ecclesia sua facere quisque debebat, quotidie in certas partes distributus, vna cum populo, veniret supplex ad ecclesiam maiorem. In ecclesiis itidem externis adeandem rationem precationes varias mandauit: vt in vrbe, & foris, mane, meridie, vespere, neque solum in ecclesia, sed domi, vel in via propter eos qui inclusi erant, perpetua fere, esset supplicatio. quas quidem exercitationes iubebat fœminis à maribus separatis, vbi opus erat, haberi: feminasque semper velato capite conuenire.

uenire. formulas etiam precationum ad eam rem, tum aliàs, tum in Missæ sacro adhibendas edidit. quæ omnia singillatim persequi nolumus, ne cui forte narratio molesta sit: præsertim cum libellis tunc Caroli iussu editis contineantur. Hæc publice per vrbem fiebant, præter ea, quæ per religiosa virorum, fœminarumque collegia, partim ex Caroli præscripto, partim ex Antistitum religione, proprie, non solum in ecclesiis palam, sed etiam priuatim, pie, sanctéque agebantur, ad diuinæ misericordiæ opem exposcendam.

Voti ciuitatis: ędiū custodia, & alimenta inclusorum. Caput 5.

Supplicis Ecclesiæ, Sacerdotisque sui preces non statim audire visus est Dominus. quin pestilentia latius in dies cœpta progressione manans, iam totam occupauerat ciuitatem. Sed liberatione dilata, eam mentem, eaque consilia, ad ciuitatem sacra, ciuilique cura tali tempore gubernandam, eius rectoribus diuina clementia dedit: vt nihil vmquam præclarius in eodem genere factum videatur. Carolus autem ita se gessit, vt licet fatendum sit, antiquæ pietatis, & lumen, & vim ad maiora facienda valuisse: exemplum tamen ipse, memorię, quod sciam, aut litteris adhuc minime proditum, pastoribus reliquerit, gregis pestilentiæ tempore gubernandi. Eam rationem, quantum potero, breuiter exponam: dicam vero prius, quæ Mediolanensis ciuitatis consilium, reliquis etiā, qui in vrbe erant, consentientibus, Deo, eiusque martyri Sebastiano vouit, quem & propter similia beneficia per eum quādoque impetrata, & quòd matre Mediolanensi natus, Mediolani quoque eruditus esset, sibi deprecatorem aduocarunt. vouerunt igitur, nouam martyri ecclesiam, vetere diruta, ædificare: conferre, vnde sacrum in ea fieri quotidie posset: diem martyris festum, etiam cum diei antecedentis ieiunio colere; ecclesiam ipsam, cum solemnibus donis, quotannis in die voti, hoc est Idib. Octobris, & festo item martyris adire: vas pretiosum offerre, quod eiusdem martyris ossis decorum esset receptaculum. alia addiderunt, quæ hic explicare necesse non est. Carolus vero, vt voto rite, decoreque soluendo quam maximè faueret, quibus diebus populo conueniendum fuit, vna cum clero Ecclesia adita, sacrisque apparate peractis, religiosissimam effecit celebritatem. atque anno post, cum ciuitas ex diuturna afflictione recreata esset, ædificii forma probata, primum ex Ecclesiæ stato ritu lapidem posuit. Cum igitur ægroti vna cum rebus suis, vt quisque morbo inficiebatur, pro iam instituta gubernatione foras educendi essent, tam magnus erat numerus, vt Gregoriana loca exiguam eorum partem caperent. Ideo extra mœnia ad vnamquamque portam, agro conducto, casæ quædam ex lignis, paleaque constructæ sunt, vt portæ singulæ quasi vicum quendam casarum circiter ducentarum haberent. de earum autem opportuna, & salubri ædificatione Carolus, qui nihil ad se non pertinere arbitrabatur, quod ad ægros, egenosque suos iuuandos spectaret, plurima monuit, & parochis etiam suis libello edito præcepit; at multi etiam. quibus non deerant facultates, eas sibi, cum egredi necesse esset, ampliores, & commodiores ædificarunt. De iis vero, qui in vrbe manerent singularis quædam ratio, ne malum serperet latius, neque tamen sine aliquo exemplo, inita est. Publico interdicto non pueri solum, & fœminæ, vt antea, sed quicumque in vrbe essent, rebus, vt quisque posset, ad eius temporis victum, comparatis, omnes iussi sunt quadraginta diebus domi se continere. grauissimæ pœnæ iis, qui non parerent, propositæ: publicæ custodiæ constitutæ ad populum continendum: furcæ quoque per vrbem pluribus locis, ad terrorem iniiciendum erectæ. certis tamen hominibus permissum est exire, necessariaque, domum quisque suam, referre. Miseranda sane res erat: quæ ad rerum humanarum nobilitatem, diuinæque animaduersionis seueritatem aliquo modo contemplandam, magnopere valeret: amplissimam ciuitatem paulo ante admirabili ordinum omnium frequentia celeberrimam; ciuium, externorumque splendore ornatissimam, nobilium hominum, curruum, equorumque pompa, & concursu passim fulgentem, publica quadam lętitia, atque opulentia semper florentem: quæ vtinam extra christianæ modestiæ fines tantopere non prodiissent; tunc in solitudinem pro-

pemodum esse redactam. Sacræ ædes vacuæ, fora derelicta, negotiatorum mira multitudo, atque assiduitas tota sublata, notariorum, omnisque iudiciorum propè infinita turba disiecta: in viis furcæ pro ornamentis: nemo fere obuius, nisi funesta carra, quibus vel cadauerum acerui, vel ægroti semianimes, & squallidi, efferatorum hominum opera, suis à sedibus, rebusque charissimis auulsi, quasi proiiciendi, foras asportabantur: quorum non aspectus solum, sed ipse rotarum stridor, ad obuios longe monendos comparatus, etiam à remotis auditus magnum iniiciebat horrorem. Quanquam autem maximus ciuium numerus, immo ex tribus, duæ propemodum partes ab vrbe iam discesserant: maxima tamen remanebat, vt in vrbe frequentissima, egenorum multitudo: nam & qui se periculis subducentes exierant, ex locupletioribus fere fuerunt. vt autem res ad victum cuique repositæ quotidie minuebantur, ita numerus in dies augebatur egentium. cum igitur ex tanta inopia, & ipsis egenis interitus, & reliquis non paruum periculum immineret, consilium ciuitatis egregia sane prouidentia, & humanitate iis omnibus statuit subuenire: & domo inclusis quotidiana cibaria ostiatim ministrare. quam ad rem cum aliud consequi non posset, communia ciuitatis vectigalia venalia proposuit, magnamque pecuniæ vim ex ipsis confecit. memorabile fuit, hominum circiter quinquaginta millia de publico mensibus amplius sex fuisse sustentata, quamquam multæ etiam eleemosynæ in id collatæ sunt. sed neque illud vulgare: quæ ad victum necessaria essent, gratuita piorum, nobiliumque virorũ manu, operaque quotidiana per singulas domos tradita fuisse. quorum egregiam erga patriam, pauperesque pietatem, hic nominatim efferrem, nisi nimis longum esset, ob magnum numerum, considerem que, cœlestia potius ab eis, quàm caduca hæc, qualiacumque sint, laudis humanæ præmia expeti. Ea tempestate multorum inanis elatio, improuidumque consilium correctum est: qui magnos quæstus in epulas, vestitumque immoderatum insumentes, splendorem stulte retinere conantur, qui tum conditionem suam longe superat, tum subito aliquo impedimento, verti potest in sordes. In ea publica egestate, vicorum, oppidorumque multorum officium liberalisque obseruantia erga vrbem, tamquam matrem suam, extitit: nam triticum, & alia, quæ ad egenorum multitudinem alendam vsui esse possent, vt inter se corrogare, colligereque potuerunt, sponte Mediolanensibus misere. vt etiam Casalense oppidum, quod in Cremonensi diœcesi Mediolano distat millibus passuum amplius septuaginta, munera præclara miserit. qua de re Consilium ciuitatis & gratias egit, & grata animi significatione, quosdam ex eius oppidi primariis ciuitate donauit.

Carolus ministros ægrotis suppeditat. Caput 6.

Quoniam vero plurimis ad tantam multitudinem curandam, iuuandamque, opus erat administris: qui vero præmiis ducerentur humanis, ij neque ita multi reperiebantur, vbi maxime vitæ discrimen non dubie versaretur, & minus amanter, imo plerumque odiose officium tribuebant: Carolus pro Pontificia auctoritate, Apostolica dona singillatim, distinctèque proposuit iis, qui variis officiis, muneribusque ægros iuuarent, medicis, præfectis variis, chirurgis, obstetricibus, nutricibus, famulis, aliisque quorum industriæ, atque operæ in ægrorum, egenorumque cura, posset esse locus. maiora vero grauioribus, cumulatioribusque officiis, ministeriisque assignauit. Cum autem nulla in re consilium, laborem, vigilantiam, auctoritatemque suam afflictæ ciuitati deesse pateretur, iis de rebus erat maxime solicitus, quæ ad animas expiandas, saluandasque pertinebant. sacerdotes desiderabat in primis, qui sacrosanctis rebus iuuarent ægrotos. ac Gregorianæ quidem turbæ, priore mortuo, alium itidem ex Helueticis regionibus presbyterum dederat. in quo tantus fuit morbi contemptus, vt locum ingressus, statim se in eodem lecto collocarit, in quo alius mortuus erat: posteaque licet pestilentia bis affectus, numquam deterreri potuerit ab ægris assidue, non solum adeundis, audiendisque, sed quocumque modo opus esset, tangendis, atque tractandis, vsque ad pestilentiæ finem. dederat item Paulum Belintanum Brixiensem, ex

Capucinorum ordine: qui sacramentis exceptis, non enim sacris erat initiatus, rebus omnibus multitudinis salutem curabat, ac Præsidis cuiusdam eo loco personam, partesque sustinẽs, & pestilentiæ nomine inclusos, & eis inseruientes, etiam auctoritate Senatus in officio continebat, puniebatque delinquentes. At iis item quasi valetudinariis castris, quæ extra mœnia posita erant, consulendum erat, sacerdotesque dandi, qui sacra præberent, ne flagitia committerentur curarent, & ipsorum quoque præfectorum actiones obseruarent. Ad cœnobia igitur regularium hominum conuersus, eorum Præfectos vocauit, qui alios quoque sacerdotes audiendis sacris confessionibus destinatos adducerent. eos in huiusmodi fere sententiam est allocutus. Miseram, ac luctuosam ciuitatis nostræ conditionem, si vobis explicare coner, inepte faciam fratres: nemo est enim, cui non ante oculos perpetuo tantæ miseriæ versentur: immo neminem tam durum arbitror, cuius non misericordia iam disrumpatur animus. carissimorum capitum præsentia, omniumque subsidio homines destituti, ex proprio, dulcique domicilio, rebus suis relictis, ægros, & semianimes extrahi, funestis, sordidisque carris in ea tecta duci, quæ stabulis, quàm ciuilibus ædibus multò similiora sunt, vnde redeundi vel nulla, vel exigua spes manet, in mortis quasi faucibus assiduè teneri: hæc vt humana fert imbecillitas, prorsus misera sunt: sed quoniam huius tantummodo vitæ sunt, ac temporis, videri possunt tolerabilia: maxime si quis futurorum spe sese erigat. At iis quoque subsidiis, atque opibus deseri, quæ ad alterius vitæ felicitatem, bonaque æterna maxime conducunt, vt cum præsentia quis amittat, in discrimen quoque veniat futurorum, quæ perpetuo manent: id vero, & iis, qui patiuntur, miserrimum est, & nobis, quibus earum rerum cura, potestasque diuinitus data est, graue sane, & periculosum. Scientibus nobis, ac videntibus, vt pestilentia corpus, ita pii fratrum nostrorum animi rerum diuinarum desiderio contabescunt. semiuiuis vocibus sæpissime, vel obtutu ipso sacra postulant, misericordiamque implorant: nos autem duri cũctamur, aut despicimus. Parochos in officio, vt scitis, continemus; sed non sufficiunt multitudini, quemadmodum notum est, ne si quidem eorum quisque plurium vires haberet. omnino qui ad casas educuntur, multò sunt remotiores, quàm vt iis, suus possit parochus subuenire. quin etiam parochi sæpe ab suis refutantur, cum ægrotis ministrauerint, donec tempus comprobauerit sanitatem: ita vt ipsius etiã viciniæ incolis aliorum opera necessaria sit. Externos sacerdotes quæsiui, neque frustra: sed plurimis adhuc opus est: ad casas educta multitudo certe destituta iacet. alios qui operam dare velint, non reperio, cogere non possum, nec debeo quemquam. Confugio ad vos, quorum conditio, & status, ita rerum omnium humanarum contemptum præsefert, vt vnam diuini cultus, humanæque salutis curam intueatur. si vitæ periculum pro aliena salute adire, Dominumque in hoc genere imitari, cuiusquam est, vestrum esse videtur in primis. Non ita egent ægri subsidiis nostris, fateor, vt sine iis spes salutis nulla maneat. verum sæpe necessaria sunt, cæterum quantum semper prosint, non solum malis, sed etiam bonis, clarius est, quàm vt disputetur. vel de sensu nostro nosmetipsi coniecturam faciamus, quantum afferre soleant tum ægroto corpori, tum maximè animo de salute sua solicito leuationem. sed quibus tam profusa liberalitate misericordia tributa est, quomodo ipsi suam tam anguste circumscribunt, & necessariis, extremisque rebus metiuntur? Qui omnium, etiam inimicorum, impiorumque salutis caussa, Dei filius summo dedecore, cruciatuque acerbissimo, fixus in cruce mortuus est: idem nos, qui tantum ab eo beneficium consecuti sumus, inuitat, vt quietæ, gloriosæque mortis periculum pro piis fratribus adeamus. cui tantum debemus, quantum millies moriendo sine dubio assequi non possumus, is ne vilem quidem vitam hanc, sed eius tantummodo periculum poscit. in his periculis ita versari plurimos videmus, vt mortem tamen effugiant: immo etiam multos metu solutos eadem subire. sed si nos non effugiemus, hoc mori non erit, sed eam potius, quæ vere vita est, citius consequi,

omnino quid habet in humanis rebus summa nostra tenuitas, in quo pro summis, & immortalibus Dei beneficiis vere gratum animum præstare possit, si occasionem amittamus huiusmodi? quid autem? vitæ parcimus, post paucos tamen annos, aut dies, aut vero horas vt humana conditio est, necessariò amittendæ. quin hoc ipso ciuitatis casu, quam periclitationem fratrum charitas à nobis non impetrauerit, eam facile iam iam extorquebit contagionis necessitas. facile, quemadmodum alii fere innumerabiles, licet omni sibi diligentia caueant, moriemur. quàm pulchrius est, hac quidem in re, necessitati nos anteuertere, gratissimamque Domino pro peccatis, proque eo, quod eius immensæ benignitati, maiestatique debemus, hostiam præbere? videmus heu quotidie plurimos hæc eadem adire pericula, mercede vilissima conductos, qua sæpe ne fruuntur quidem: nos tantis de caussis, tam amplis propositis præmiis, moramur. si respicitis obedientiæ legem, cuius virtute vestras actiones ad salutem roborari recte vultis: illud, sicuti vos non latere iam arbitror, in manu nostra posuit Summus Pontifex, communis omnium Pater, atque Antistes: cuius etiam litteras recitari audistis, quibus ad præclarum nos sanctumque iuuandorum fratrum munus vehementer cohortatur. non est, quod Antistitis ibi quis, aut respiciat voluntatem, aut interdictum vereatur, vbi Antistitum omnium Princeps, & velle se declarauit, & suas addidit cohortationes. Deo vos hoc tribuere muneris volo, fratres, quod, quemadmodum spero, suscipietis: sed maximo nos quoque beneficio affeceritis, quod nulla vmquam delere poterit obliuio, si huic summæ solicitudini, dolorique meo, vestra virtus, hoc attulerit leuamenti, vt hic aliquos videam ad opus sanctissimum paratos, vltrò vitam suam in hoc beatum discrimen Deo, mihique offerre. non dubito, quin aperto semel ab nonnullis vel paruo aditu, plurimi alii, qui nunc grauiori quadam insolitæ rei opinione deterrentur, quasi lata via introeuntes, exemplum hilare sequantur. ita qui prior id fecerit, is se aliis auctorem, ducemque præbuerit, magnoque pondere auxerit meritum suum. Neque vere nouum ad vos nunc affero charitatis ardorem. ita Patres nostri Dei spiritu incitati in re simili fecerunt, ita faciendum docuerunt: quemadmodum ex veterum scriptis iussu nostro collectis, editisque satis apparet. immo opus eiusmodi ita extulerunt, quod ad animos nostros stimulandos maxime valeat, vt martyrii genus esse confirmarent. optabile sane tempus, quo absque tyranni crudelitate, sine eculeis, sine ignibus, sine bestiis, omnino sine illa cruciatuum asperitate, quæ humanæ imbecillitati maximè solet esse formidabilis, martyrii palmam consequi possumus: immo, & sine ea acerbitate possumus, quæ solet semper cum huiusmodi morbo esse coniuncta, vt ægroti destituantur ab omnibus, nulliusque ope subleuentur. quod ægro cuicumque dabitur, id multò minus negabitur ægrotorum Patri, nobisque imitatio proderit illius exempli, quod per nos proditum fuerit. sperare quisque potest, incolumem se fore, id multò maiori ratione, quàm alii fere innumerabiles, quos videmus, nulla cautione, nulla etiam temperantia, in medio pestilentiæ æstu assidue versari: sed si morbum quis contraxerit, quando alii deficient, ego ipse, qui egenorum caussa inter vos quotidie versabor, adero, mihi curæ erit vtraque salus vestra, ego libenter subueniam, ego me, si opus fuerit, sacrorum ministrum iam nunc vobis offero: qui quidem diuina ope fretus, neque laboribus, neque periculis vllis parcere decreui, vt Pastorali officio meo satisfaciam, & quibuscumque rebus potero, gregis mihi commissi saluti seruiam. Huiusmodi Carolus: cuius orationis vim, scio me tamen his verbis non esse consecutum: talem enim se auditores sensisse testati sunt, vt ex ea sibi aculeos, & vincula iniici viderentur, & humana quidem facultate nihil efficacius fieri posse iudicarent. Res ipsa declarauit, quid Caroli oratio diuina vi roborata posset: continuò enim sacerdotes circiter viginti octo sese ad ægros sacris rebus omnibus subleuandos, promptos esse professi sunt, quo quasi fundamento iacto, alii multi præstò fuere: neque vmquam postea defuerunt, toto ipso pestilentiæ tempore, qui mor-

tuis succederent, & vbi Carolus iuberet, operam suam libere poneret. quorum omnium paratum hospitium erat Caroli domus. laici præterea multi exemplis huiusmodi, Carolique adhortationibus excitati, atque incensi, iisdem misericordiæ officiis, obsequiisque, sese quandiu pestilentia fuit, exercuerunt: & variis ęgrotorum commodis amanter inseruientes, in pestilentiæ discrimen christianè se libenter obiecerunt. Pulcherrimum visu erat, mares, fœminasque frequenter ad Carolum ipsum accedentes, operam in eo genere suam fidenter polliceri, cannabinamque vestem quādam fusci coloris, quam is tradere ad id solebat, hilare, quasi insigne aliquod magni honoris accipere: tum salutari signo, precationeque optimi Patris confirmatos, ad assignata munera conuolare, nulloque mortis metu, mortis pericula, quasi rem iucundam, adire. Ex omnibus propemodum religiosis ordinibus sacerdotes fuere, qui ad eam se piam curationem offerrent: sed plurimi ex Capucinis. Memorabilia vbique fuere christianæ charitatis exempla, quorum vel exiguam partem persequi nimis longum esset. liceat tamē aliquid domesticæ pietatis ad posterorū exemplum tangere: cum vnum, & alterum ex nostro Sancti Barnabæ collegio pestis attigisset, certatim petebant multi, vt inseruire fratribus liceret: neque id mirum, cum ad extraneos quoque iuuandos multi se paratos ostenderint, duo certe vitam in eo munere profuderint. Singulis igitur casarum vicis, si ita volumus appellare, quamquam eos etiam à parocho suo quandoque lustrari iubebat, vnum, duosve ex sacerdotibus, qui se obtulerant, prout necesse videbatur, Carolus præposuit. & vbique peccatorum confessione, diuino Eucharistiæ pabulo, vnctione extrema, ægrotos ita fere iuuandos curauit, ac si non multitudo maxima pestilenti morbo affecta: sed mediocris numerus in hospitio aliquo congregatus fuisset. immo alios illi ægrotos in eo superabant, quòd à quocumque sacerdote, morientes plenam peccatorum veniam, ex concessione Pontificis accipere poterant. sanis autem diuersos sacerdotes, ad sacra præbenda destinauit: ne timentes ab iis, qui tetigissent infectos, rebus fortè salutaribus abstinerent. Illud quoque solatii Carolus iis, qui in casis detinebantur dedit, vt Missæ sacrum, si non audire, saltem videre omnes possent. iussit enim tabernaculum ex tabulis ita alte extrui, vt sacerdos in summa parte faciens, ab omnibus casis conspici posset. Licet autem aceruatim fere, ob multitudinem, carris imposita cadauera ad sepulturæ locum portarentur, sacros tamen homines, apto loci interuallo comitari, preces, lumina, & alia quæ in funere esse solent, adhiberi iussit. immo neque sacrum sepulturæ passus est officium, ritumve prætermitti. nam ad posteriorem Gregoriani valetudinarii partem, ex aliis locis cadauera plaustris afferri solebant: cumque magnus esset congestus numerus, tum sacerdotibus rite precantibus, ecclesiasticisque ceremoniis adhibitis, in ampla fossa ad id facta, consecrataque, omnia simul ad sepulturam quotidie dabantur. quo loco mirabile quiddam euenit, quod Carolus ipse tum de suggestu, tum libello de pestis memoria edito prædicauit, mihique prætereundum silentio non est. summo mane Gregorianus presbyter sacramentum sanctissimum ad ægrotos suos afferens, non longe ab ea quam memoraui parte forte præteribat. tum ex magno corporum aceruo, quæ proxima nocte illata fuerant, vnum sese attollere conatur, genibusque consistere, ac simul voce, inquit, morienti, verbisque interruptis, Per Deum obsecro Pater, mihi quoque. cumque à sacerdotis clementia statim omni pietatis indicio sacramentum accepisset, eodem loco procumbens, nullo præterea motu iacuit. quod quidem singularis beneficii loco animæ illi, ob religiosum, & ardens illius diuini cibi studium, tributum credibile est.

Ad inclusos redeamus. Carolus, cum & ipse clerum suum domi se continere iussisset, iis tamen exceptis, quos ob pia ministeria, diuinaque officia, foris, & in ecclesiis versari oportebat: inclusionis vniuersæ diem litteris editis præuenit: quibus quadragenarium illum numerum pie, sciteque ad sacram rationem conuertens, omnes monuit, vt cum is numerus ieiunio, atque afflictionibus iam inde ab antiquissimis temporibus consecratus esset, Mediolanenses quoque eo

Inclusus consulit. Caput 7.

tempore, quo per pœnitentiam Deum placare debebant, oportune illud temporis spatium in custodia traducendum religiosè acciperent, & ad pœnitentiam salutarem accommodarent. præterea hortatus est, vt ante constitutam diem peccata quisque confiteri, sanctissimamque Eucharistiam accipere studeret, prompteque deinde Magistratuum edicto pareret. Curauit item, vt inclusi, cum adire sacra loca, rerumve sacrarum fructum percipere nequirent, diuinis tamen subsidiis, quantum fieri posset, ne carerent, custodiaque illa, atque otio domestico ad exercitationem precandi frequentiorem vterentur. Itaque per vrbem aptis, conspicuisque locis: vt quam maximus numerus de fenestris, ianuisque, spectare posset, altaria constitui iussit, quantum potuit, ad rei sanctissimæ decentiam composita, & circummunita. presbyteros elegit, qui in eis quotidie Missam facerent. sanctissimam Eucharistiam, rite scabellis ante ianuas apparatis, itidem distribui permisit, ipseque sæpe distribuit. sacerdotes mittebat, qui cum sacris indumentis, & scamnis ad ferendum accommodatis, domos obirent, vt ad ianuas sedentes, eorum qui inclusi erant, aliquo interuallo disiuncti, sacras audirent confessiones. Prętereà septies die, nocteque maxima ecclesiæ maioris campana signum dari iussit, quo ciuitas audito, ad litaniam, psalmosque ex editis libellis recitandos vniuersa consurgeret. singulæ autem plateæ, aut vici quasi choros singulos efficiebant: nam ad fenestras, ianuasque per diem, magnamque item noctis partem habitatores veniebant, & vno qui voce excelleret, præeunte, qui sæpe etiam erat presbyter, ad altare in via consistens, reliqua multitudo omnis vndique respondebat. quæ res erat tum admirabilis, tum etiam, vt in magna calamitate, piis omnibus sane iucunda: cum totam viderent maximam ciuitatem, ex libera euagatione, ac licentia, in cellas quasi redactam, & in monasterium quoddam conuersam, imitatione canonici instituti, septem temporibus noctu, atque interdiu publice precari: & vno tempore, vias omnes, tectaque vrbis vniuersa sacris vocibus audirent personare. Hæc omnia cum ita instituisset Carolus, loca omnia obibat frequenter, quotidianaque opera præsens de omnium rerum statu cognoscebat: hortabatur, iubebat, quæ fieri oporteret: per vicos, & plateas mira humanitate infimis hominibus precationis ritum tradebat, rediens rationem poscebat: qui præcinerent ipse deligebat: cum multos simul videbat ad ianuas congregatos, eò veniens religiosis, piisque verbis apposite monebat: omnes consolabatur, & ad otium illud sancte accipiendum, consumendumque inducebat; omnino tanta erat Caroli mansuetudo, vt quilibet ex infimis ordinibus libere alloqueretur, eius se precibus, domumque suam commendaret; & tamquam patri, quæ sibi opus essent, quæque vellet, familiariter exponeret. multi, qui pudore quodam impediti præfectis, aut aliis quibuslibet inopiam suam patefacere non audebant, aperiebant illi multò facilius, illeque egenos eiusmodi iuuare præcipue studebat. mulierculæ etiam annulos, & alia eiusmodi in manum tradebant, quibus venditis, pretio pauperes subleuaret. tantam autem in eo sibi spem cunctus populus posuerat, vt eius aspectu primo, vicinia tota frequenter edito clamore, misericordiæ vocem mitteret. Gregorianas item ædes sæpe circuibat, casasque lustrabat. ac ad singula consistens domicilia, singillatim de iis quæ ad animæ salutem primò, deinde quæ ad corpus pertinerent, item de opera ministrorum, diligenter inquirebat: quod erat prouidendum, curabat diligenter, & memoriæ gratia, quod facto opus erat confestim in libello notabat ipse. pecuniam quoque manu sua largè dabat egenis. eius erat consuetudinis, ex hebdomadæ diebus, duos iis dare qui in ciuitate manebant, reliquos iis, qui extra mœnia erant educti: domo exire numquam, nisi suorum salutis gratia. mittebat etiam aliquos ex primariis suis presbyteris, qui in equis cistas tenentes, ægrotis ostiatim tribuebant exquisitiora quædam, quæ languentibus stomachis essent leuamento. Ægrotos, qui ob dignitatem in vrbe relinquebantur, ipse visebat, consolabatur, indulgentiam tribuebat, cubicula ipsa ingrediens, ad ipsos quoque lectos accedebat. In primis curabat ecclesiasticis viris subueniri, iis præsertim, qui ægris deseruierant:

ideóque iusserat, vt sine mora de inferiorum morbo gradatim certiores fierent superiores. ipsis parochis in vrbe, si pestem contraherent, iuuandis, se ipsum offerebat: in diœcesi vero vicinos parochos, tum Præpositos, aut Vicarios hortabatur, vt subuenirent. atque his non solum sacramenta ministrari decreuit; sed etiam religiosæ consolationis leuamen, quamdiu animam agerent: missis ad id quocumque oporteret sacerdotibus, adhiberi. Atque huiusmodi Caroli instituta, quotidianam præsentiam, cohortationesque, cum eximia charitate, & suauitate coniunctas, plurimum valuisse dubium non est; vt tanta ciuitas, carceris genus eiusmodi tamdiu facile toleraret: quod initio vix sperabatur: quodque ab aliis ciuitatibus ferè non potuit obtineri. Quamquam autem ab initio Carolus, vt demonstratum est, consilio fauit de populo in custodia habendo: cum intellexit tamen plus ei remedio tribui, quàm ad diuinam misericordiam agnoscendam opus esse videretur ideóque præscriptum quadraginta dierum tempus produci; ita vt ipsis natalitiis Domini festis populus ad Ecclesias conuenire; ipseque Pontificiam indulgentiam, quæ ad ferendum Italiæ peste laboranti auxilium, Pontifex in vniuersum proposuerat, promulgare, liberisque conuentibus celebrare non posset; cum Gubernatore, qui Viglebanum secesserat, grauiter expostulauit; vixque se continuit, quin omni suo conatu resisteret. Tantum tribui Carolus humanis rationibus volebat; vt spem suam omnem in diuina clementia præcipuè sese collocare, re ipsa palam profiterentur. ad id suadendum recens conuentuum illorum euentus; quando frequentissimus populus ad Ecclesias supplicatum ductus est, graue argumentum suppeditabat: præter ea, quæ ex veteri memoria suppetebant; demonstrabantque supplicationum conuentu potius, quàm solitudine, veniam à Domino fuisse impetratam. Cessit nihilominus Carolus; credo ob sacras precationes, diuináque officia; quibus tamen assiduè populus intra domesticos parietes exercebatur; & in instituta vigilantiæ pastoralis opera perseuerauit.

Præbet æ- Hæc ita cum ageret Carolus; quæ quidem, his præsertim moribus, & hac remissiore Pastorum cura, magna meritò, atque adeò maxima iudicabantur: sibi tamen parum facere videbatur; quia tangere, tractaréque pestilentiæ nomine suspectos, aut etiam infectos, sibi quoque pro suo munere non contingeret. Apud se igitur primò cogitauit, esse in vrbe, atque in tota diœcesi plurimos, qui Confirmationis sacramento muniti non essent: hos ex hac vita pati sine tali sacramento decedere; quo salutis imminente certamine, diuina firmitas, & robur animis adderetur: neque satis animarum charitati consentaneum; & sibi qui solus posset, etiam quodammodo turpe; omnino sibi minimè committendum existimabat. ideo magis, quod ab hæreticis sacramentum illud hoc tempore grauiter sciebat impugnari. Itaque indicta chrismatis sacri per vrbem administratione; quàm potuit decorè, per vias Episcopali illo munere diu satis functus est: licet enim quotannis, stato tempore per vrbis Ecclesias idem faceret; multa tamen adhuc hominum millia inuenit, qui nondum sacramentum illud acceperant, atque ipso initio, licèt de morbo suspectos, & à reliquis segregatos minimè vocasset; dubium tamen non est, quin affectos peste quamplurimos inter eos confirmauerit. fieri namque non poterat, vt omnes simulatque contagione infecti erant à ministris deprehenderentur, & à cæteris separarentur. verum ipsos quoque palam infectos, ægrotósque posteà liberè, sicuti dicemus, admisit. Vrbis cum tantummodo rationem sibi non esse habendam statueret; vicos etiam, castellaque totius diœcesis, quæ morbus oppresserat, mira celeritate omnia adiit; & in iis eiusdem chrismatis sacro-sanctum remedium passim adhibuit. Posteà verò vt quæque locum recens infectum audiebat, ita eò statim solebat aduolare; ac eadem ratione calamitosis consulere. Eadẽ verò via, occasionéque ad alia quoque vtebatur gregibus suis salutaria; nam parochos, aliosque sacerdotes ad ægrotorum curam studiosius suscipiendam excitabat confirmabatque; quosdam etiam compellebat. ægrotos ipsos consolabatur: precationum publicarum rationem præscribebat; omnem populi gubernandi, custodiendi, eleemosynis

grotis sacramentũ. Cap. 1.

iuuandi rationem recognoscebat: cemeteria consecrabat, quo ritè multitudo cadauerum inferretur. Præfectos item, ministrósque ciuiles iuuare studebat; monendo; ad officia commissa inflammando; mercedem promittendo, sacros ministros pluribus locis ab eorum vi, atque iniuria defendit; qui sacrorum munerum liberam functionem; Ecclesiasticamve administrationem, siue in sepultura corporum, siue in distributione piorum emolumentorum, quandoque in oppidorum ingressu, & egressu; vel in segregatione sacrorum hominum, & huiusmodi aliis, impediebant. populos ad Ecclesiarum ædificationem; ad festorum dierum integrum cultum, chorearúque refutationem, & alia pia opera publicè vouenda, perduxit. Cumque ita frequenter, vt necessitas ferebat, ipse loca omnia obire non posset; suos cum potestate sæpe misit; qui loca reuiserunt, easdémque res recognoscerent. quibus si Præfecti locorum exquisitæ custodiæ gratia restitissent, & locorum ingressum prohibuissent; anathematis pœnam adhibuit, & ea ratione aditus omnes suis patefecit: quos tamen certa sanitatis testimonia volebat à Vicariis suis afferre. Atque iis itineribus Carolus incredibiles planè suscepit corporis, animique labores, non primis solum mensibus, sed postea semper quamdiu morbus viguit; vt neque cibi, neque somni, neque longinquitatis asperitatisve vllius habita ratione, omnia loca celerrimè adiret; & perlustraret; sacrisque officiis, & muneribus assidua contentione operam daret. Foris ad sacram chrismatis confirmationem etiam infectos ipsos hoc modo cœpit admittere. cum ad vicum in via Modetiensi venisset, qui sexto ab vrbe lapide positus, Sextus appellatur; & ad sanctam confirmationem conferendam ibi paratus esset: animaduertit; morbidos quoque magno teneri eius sacramenti desiderio. cogitauit apud se; neque tunc primum; indigere illos magis, quàm alij, vtpote morti propinquos, eiusmodi salutis adiumento, atque diuinum sibi lumen ea in re precatus Monetam interrogat; censeretne; miseros etiam illos admittendos. neque affirmare ille, neque negare audet; tantum si admittere vellet, operam suam pollicetur. Ecce autem dum consultat; ex iis circiter duodecim adueniunt, & se diuinæ vnctioni offerunt. satellites, & præfecti conuiciis increpare, repellere, minitari, nisi statim ad locum reuertantur. Carolus verò; Iam nihil, inquit, dubitemus: neque enim casu omnino venisse iniussi existimandi sunt: & præfectis abstinere, silereque iussis, eos, aliosque rite confirmauit; idémque passim postea, & foris, & in vrbe fecit. accidit autem in vico Tritio, vt ægrotus quidam, vix Caroli manu peruncta fronte, mortuus caderet ante illum. Obtulit se prætereà occasio; vt quod erga parochos, & alios presbyteros, de infectis iuuandis, tangendisque facturum se pollicitus erat, re ipsa præstaret, in quo quidem consilio, ac voluntate; quamuis ei multi contradicerent; persistendum sibi iudicauit: affirmans, parochum se esse parochorum: absurdumque videri, ac turpe; si ipse, qui parochos hortaretur, & impelleret, vt curæ suæ commissos, sacris rebus iuuarent; quique eis non semel eam operam pollicitus erat; quam ipsi aliis tribuissent: nunc cũ opus esset, abstineret; periculumque fugeret. & qui aliis omnibus persuaderet, vt metu mortis abiecto, deseruirent ægrotis; oblatam occasionem aspernaretur, aut dissimularet: offensioni id multis futurum; cuius causa vel in eo charitatis officio frigescerent, vel penitus abstinerent. Ac primò quidem in vrbe parochorum Ecclesiæ sancti Victoris ad theatrum, item sancti Babylæ; & plures alios ex pestilentia iacentes, piè visit, ac amanter consolatus est: nonnullos eorum sanctissimo Eucharistiæ cibo refecit: qui paulò post vi morbi interierunt. Illud verò fortius, illustriusque factum. Qui parochiam sancti Raphaëlis curabat, ex quorundã consuetudine, quos incautè in domũ admiserat, morbum contraxit: adiit illum statim Carolus, & ægritudinem pia consolatione leniuit. cumque valdè oppressum aduertisset, sacris muniendum iudicauit. postero die, manè ad eam Ecclesiam venit, vt Missa facta sanctissimam Eucharistiam ad parochum deferret; eique extremam vnctionem adhiberet. Post Missam, in qua illius clericum morbi nomine suspectum sacrosancto cibo pauit: dum se mutatis ritè indumentis, ad reliqua pararet; clericis, & admini-

ſtris, qui aſtabant, & inſeruiebant, ob periculum expalleſcentibus: ad Eccleſiam venerunt, Ioan. Baptiſta Capra ciuitatis Vicarius, & Alfonſus Gallaratus, deſignatus, nunc Senatores; vnaque patritii multi, ex ipſius ciuitatis conſilio: qui neque loci, neque ſacri muneris ratione deterriti, proſtrati, ac ſupplices à Carolo ciuitatis nomine cum lachrymis petierunt, ne in tantum ſe vitæ diſcrimen vellet obiicere. aliorum miniſterio presbyteri ſaluti conſuli poſſe. ſi fortè contracto morbo ipſe ex hac vita abiiſſet; res ciuitatis, totiuſque diœceſis; quæ, vt in maximo periculo optime tamen ſe haberent, & fœliciter gubernarentur; in ſummam confuſionem, deſperationẽque adducendas. omnium animos eo duce, & præſide ſuſtentari. diuini propemodum, & humani ſubſidii ſpem in eo vno eſſe collocatam. Conſtitit Carolus ad amantiſſimas ciuium, filiorũque preces audiendas, quibus, cum, eo vno excepto præſentes omnes lachrymas funderent, reſpondit: Gratias ſe agere de tali amore, pietateque in Paſtorem ſuum: ſed nè ægrè ferrent, ſi munus illud obiret: ſuum id eſſe officium, ſuaſque partes: in quibus etiam ſi vitam amiſiſſet, rectè id factum omnes iudicare deberent. neque ipſis ideo deſperandum; ſed diuinæ bonitati, ſummæque potentiæ magis confidendum; cui facillimum erat ſine ipſo ciuitatem ſeruare; aut alium Paſtorem meliorem dare. Cum aliud impetrare non poſſent, illi magno affecti mœrore tacuerunt. Carolus vero primò Euchariſtiam ad presbyterum iacentem, & iam torpido corpore æſtuantem attulit; præbuitque; deinde etiam, eius cubiculum ingreſſus ſolus, miniſtro Bernardino Tauruſio in limine conſiſtente, extremum vnctionis ſacramentum ritè contulit: & piis, ſuauibuſque verbis confirmauit. Parochus ita confirmatus paulo poſt accepta ſacramenta, piè mortem obiit. Ad alium parochum ſancti Petri, ad caminatellam appellant, ex peſte iacentem iuit, animo itidem ſacra miniſtrandi: ſed cum aduenisse Carolum bonus presbyter audiiſſet, ægrè ferens tanti viri vitam in ſuo capite periclitari; quantum potuit conatus, ſurrexit è lecto, & in Eccleſiam venit. conceſſit Carolus, vt Euchariſtiam ibi acciperet; ſed iuſſit deinde ad cubiculum redire, & in lectulo ſe collocare: quo ſtatim eum ſecutus eſt, vt extrema muniret vnctione. recuſauit ille, periculum adhuc quidem tanti eſſe non concedens: ſed poſtero die, cum de morbo ingraueſcente acceppiſſet, reuiſit eum Carolus, ritéque vnxit. qui poſtea vi morbi oppreſſus abiit ex hac vita. Ex his actionibus omnibus contactibuſque nullam ſenſit Carolus, Deo in primis benè iuuante, contagionem, quod eius fiduciæ fuit valde conſentaneum. confidebat enim maximè ſolo actu, contactuuè ad rem ſacram neceſſario, morbum à nullo presbytero contrahendum. atque ita toto illo tempore eueniſſe prædicabat. qui interierant, peſtemque attraxerant, eos ſibi non cauiſſe in cæteris, vt oportebat. Fiebat reuera, vt cum quis ad ægrotos iuuandos animum induxiſſet; quaſi ſe ipſe abiiceret, & pro derelicto haberet; omnem omitteret cautionem; & non neceſſaria iuxta, ac neceſſaria pericula adiret. Ipſe autem qui liberè, & abſque vllo metu ſacra omnia peragebat; in reliquis omnibus exquiſita cautione vtebatur, vt contagionem vitaret; idémque ſumma diligentia iubebat à ſuis obſeruari. maximè autem curabat in iis ſacris officiis indumenta ſua ita collecta, & contracta eſſe; vt nè modico quidem alieni panni tactu, quod facillimè fit, infici poſſent. Initiaci, qui vicus omniũ miſerrimè tunc peſte afflictus eſt, Eccleſia cœmeterióque iam completo: quamplurima in campum cadauera illata erant, quotidiéque inferebantur. locum religioſi ritus gratia ſibi Carolus conſecrandum ſtatuit. terra iam ob anni dieique tempus calefacta, magno tabidorum cadauerum numero humato, fœtoris, corruptique vaporis multum emittebat: vt eius adminiſtri, clerici de vita ſua tunc maximè deſperaſſe affirmarent. eo loco Carolus, quantum ad actionem conſecrandi; quæ longa eſt, opus erat, cum ſine ſolicitudine vlla moraretur: in cæteris ita cauebat; vt ne ipſos quidem viatorios ſacculos, peraſuè; opus enim faciebat ocreatus, & ex itinere; humi poni pateretur. Ibi tamen plurimos ſacra vnctione confirmandos, cum reperiſſet; Eccleſiæ, cœmeteriique fœtentis periculum deuitans, in platea ſacra-

mentum administrauit, primò valentibus, deinde reliquis item vniuersis. Quamuis autem ita confideret; quotiescumque morbo infectum tetigerat, separatum sese habebat ab aliis. ex familia eos tantum sibi propius inseruire patiebatur, qui necessarii essent, & id facerent libenter, & ex animo. ea re interdum accidit, vt cum alius esset nullus; sibi ipse, vt quilibet priuatus homo, quibuscũque rebus opus esset, ministraret. Qui adibant eos interposito longurio audiebat. per vias aliquem anteire iubebat, qui virgam, periculi indicium, ferens, tacitè obuios moneret, vt cederent. In Ecclesia procul à canonicis sibi assistere solitis, & à cæteris clericis congruo interuallo se continebat; cumque passim homines contagionis causa suspecti humano iudicio quadraginta diebus segregarentur; ipse sibi, sacerdotibusque aliis, qui sine magno ægrorum damno abstinere diu non poterant, septem tantummodo præscripserat dies. Cum ita suis caueret; euenit tamen, vt tres ex familia, & ex eorum numero, qui ad Carolum tangendum non accedebant, morbo contracto, interirent; vnus ab epistolis, alter à pedibus, tertius stabularius. Fuisse non ignoro, qui Carolum seruatum eo tempore dictitarent, ex variis medicamentis, quæ multa sunt illi, etiam à Principibus viris, Italiæque Regulis missa. sed ego ipsius verbis affirmo, ea contra pestem, periculo facto, minime valuisse: scioque nihil ab eo adhibitum fuisse, præter spongiam aceto imbutam; quam, vt alij passim, in pila lignea perforata inclusam manu ferebat; & aliquid etiam aromatum, quod ore solebat interdum tenere.

Nonnulla emendat vigente peste. ipse progreditur in via salutari. Cap. 9.

Oblatum est ex ea plaga Carolo tempus ad multa reprehendenda multaque efficienda, quæ alioqui multos aduersarios, magnamque habuissent difficultatem. est enim animus in periculis ad pietatem, & emendationem propensior. & qui eo se loco esse sentit; quamquam eo sumus semper mortales omnes; sed qui tamen ex manifestis periculis, ea se conditione esse videt, vt facilè iam iam ex hac vita sit ad diuinum tribunal rapiendus; meliora fere, sanctioraque consilia eligit. Ita cum etiam optimates in publicis concionibus Carolus liberius increparet; plerique ne dum indignarentur, potius ad errata dolenda, publicéque deflenda piè mouebantur. Sed habuit etiam tempus illud sua vitia, criminaque permulta: plurimique fuerunt duri, ac pene ferrei homines; qui nullis calamitatibus, periculisuè flexi, peiores etiam, quam antea euasere. In assiduo mortis discrimine, & fere inter ipsa cadauera erant, tum qui aliena surriperent; tum qui effrænatè luxuriæ seruirent: vt qui valetudinariis præfecti erant, illud non in postremis curare oporteret, nè libidinosis criminibus daretur locus: eueneritque interdum; vt cum illud vehemens admodum sit contagionis genus, miseri in ipsa propemodum peccati actione interirent; & vno tempore corpus, & animã pestilentia duplex interimeret. In castellis frequens erat, & maior etiam quàm consueuerat, aduersus sacra quædam instituta contentio; ab iis maxime qui nobilitate, opibusque præstant; quos quidem; bonos excipio semper; Ormanetus ille, paruos Ecclesiarum tyrannos quandoque appellabat. tum autem ob commercij communis impedimenta, magis ab Antistitum correctione remoti, maiori licentia, atque audacia vtebantur. Itaque affirmabat Carolus, suis extra vrbem administris numquam maiores obiectas fuisse in munere suo exercendo difficultates. addebat se tunc re ipsa perspexisse, quod fertur; bonos meliores; malos peiores animaduersione fieri. Sed Carolus dati temporis beneficio vtens, nonnulla sibi aliisque facienda suscepit, quæ ad augendam religionis, sanctitatisque disciplinam pertinerent. Ignis beneficio, leuationeque hyeme sibi interdixit; vt frigoris asperitatem die, noctéque ferret. abiecta culcitra paleas elegit ad cubandum. carnem à mensa sua repulit. modicum illud, quod ieiunij diebus vespere, medicinæ potius, quám cibi causa sumitur, reiecit. quæ omnia ita in posterum retinuit; vt in dies etiam, quemadmodum suis locis dicetur, augeret. Cumque Ariminensis Episcopus, olim eius Vicarius, amantissimis litteris, ciuitate liberata, vehementer rogasset; vt quando iam Deus pestilentiæ pœnam remiserat; ipse itidem remitteret afflictiones, auertendæ pœnæ causa susceptas: augendi potius es-

se causam ille respondit; cum moribus minimè emendatis, duriora pertimescenda esse viderentur. Concionari quoque festis, & præterea duobus aliis in Quadragesima hebdomadæ cuiusque diebus instituit: & canonicorum funera prosequi. Cantores à se non approbatos, aut clericali vestitu non indutos, ab Ecclesiasticis officiis, quàm antea diligentius exclusit. Ianuas, quæ in lateribus Ecclesiarũ erant, obstruxit. In vniuersum autem, quæcumque antea decreta erant, vt omnia perficerentur; & per diœcesis quæque loca, quantum posset, res omnes componerentur, per id tempus studiosius curauit: nouosque præfectos elegit, quibus ad ea curanda diœcesis regiones separatim distribuit. Illud etiam perfecit, quod difficile omnibus videbatur; vt clerici omnes barbam sibi præciderent. Iam dudum id se cupere ostenderat; tum vt corruptelam sacrorum hominum tolleret; qui profanas, militaresque barbarum formas, & earum frequentes, leuésque mutationes indecorè admodum imitantur; tum vt vetus cleri, præsertim Mediolanensis institutum renouaret. plurimi enim superstites illud viderant in Ecclesia Mediolanensi seruari; nonnulli adhuc seruabant. Verum cum ea de re Carolus agere cœpisset, sermoque percrebuisset in clero; fuere, qui eius non modo iussum, sed etiam exemplum præuenerunt; barbamque sine mora posuerunt. cum autem ipse rasus in publicum prodiisset; literas etiam ea de re ad clerum proposuisset; quibus factum potius laudabat, quàm faciendum hortabatur; argumentaque explicabat, quibus id fieri deberet; clericales item virtutes commemorabat, quæ eiusmodi pilis abrasis significarentur: omnes ferè paruerunt. qui difficiliores tunc fuere; postea maiore vrbis celebritate, cum multo magis erubescerent, euitare non potuerunt. illud verò institutum decreto deinde in synodo diœcesis sancito, confirmauit. dictum Caroli hoc de genere venit in mentem; qui cum collegium canonicorum recognosceret; quendam, qui adhuc non paruerat, reprehendit: eius nomen erat graui de crimine delatum. homo respondit, pudere se, rasosque clericos remigum sibi similes videri. cum seuere Carolus, At, inquit, adhuc pendet caussa tua. Ita Carolus tempus nactus idoneum; pietatis ardore, afflictionum quasi ventis in eius animo vehementius excitato; in omni sanctitatis laude tunc vehementer ipse progrediendis, ceteros quoque ad salutem, optimamque disciplinam iuuare studebat.

Pestilentiæ vis cum Octobri mense, vti demonstrauimus, valde progressa esset; minui cœpit Nouembris initio; posteáque paulatim ita debilitata est, vt ex ea tamen quotidie aliqui morerentur; interdum etiam multi. quod ex vestimentorum tractatione fere accidebat. ob id proximus annus M.D.LXX.VII. in timore fuit. & hyeme quidem veris, atque æstatis; æstate verò autumni aduentum formidabant. quidam etiam verebantur, nè in annos plures, vt olim acciderat, illud, quidquid erat, contagionis maneret. Sed Dei clementia, sicut iam iam narrabitur, opinionem, spemque hominum longè superauit. Celebrauit Carolus post initium anni, statis precationum officiis, trinaque ad Ecclesias decreta supplicatione, Apostolicæ indulgentiæ beneficium; quod superius diximus à summo Pontifice toti Italiæ, ad pestis pericula auertenda fuisse propositum. Iuit ipse nudis pedibus & eodem habitu; quo initio pestis, ad Ecclesias iuimus canonici, magnaque cleri, & populi pars. conciones ille habebat, magno lachrymantis populi fructu. post eas ipso, & canonicis humi postratis, litania habebatur: Missaque à sacro maioris Ecclesiæ collegio fiebat. omnino ea celebritas, precatióque visa est ad emendationem morum, piasque animorum affectiones plurimum valere. Appropinquante Quadragesima eius primæ Dominicæ cultum ex toto restituit. Retinet Ambrosiana Ecclesia Quadragesimæ vetus institutum, quo dies quadraginta duo tantum numerabantur. iam dudum autem fecerat immoderatum voluptatis studium, quo misere ante sacri temporis illius initium, plurimi Christiani nominis afficiuntur; vt Dominicum ipsum diem, qui quidem veluti sanctæ Quadragesimæ caput, colendus erat, ab ea penitus amputarent; & ad voluptarium tempus sic adiungerent: vt cum ad Quadragesimæ dies sancte agendos, cuncti sese paratos ostenderent; is tamen

Nouas celebritates, aliaque religiose peragit remissa peste. Cap. 10. 1577.

tamquã voluptatis extremus dies, profani totius gaudii, peruersitatisque omnis quasi cumulus redderetur. Antea Carolus, vt tetigimus, partim quidem restituerat diei sanctitatem, magna multitudine ad Eucharistiam suscipiendam, & ad conciones. precesque diuinas allicienda. Sed cum Romæ, Mediolanique, multis adhibitis viris, qui religione, doctrina, iudicióque in primis excellebant, eâ de re consultasset: superiore quidem anno cum Iubileum celebraret, literis editis monuerat, docueratque populum; diem illum, Quadragesimæ initium esse; omnique ratione, cohortatus erat, vt eum non secus ac alios colere vellet: clero autem idem iusserat; quò populum exemplo suo vehementius excitaret. cum autem vidisset rectè populum accepisse; plurimosque ita cohortationi paruisse; vt si decreto iam, & lege res sancita esset: hoc anno cum adhuc in morbo, luctuque ciuitas esset; edicto generali rem sanciuit; & in proximæ synodi decreta postea retulit. Vrbanarum item Ecclesiarum recognitionem eo tempore aggressus: ad pleniorem ciuitatis correctionem; præter ea, quæ ad populi salutem ipsa vniuscuiusque Ecclesiæ visendæ actio suppeditat; illud adiunxit; vt ædes omnes, ac domicilia, sacra aqua, sacrisque precibus adhibitis singillatim ritè lustrarentur, quæ res valde accommodata erat ad ea quodammodo expianda; & à pestilentis illius vexationis vestigiis, quæ manebant, liberanda. Itaque recognitionem Ecclesiarum incipiens, stato ritu primò ad Ecclesiam maiorem eques, clero præeunte, Pontificalibus indumentis indutus, iucundum eo calamitoso tempore spectaculum ciuitati præbuit: iucundum, inquam, non ob ornamenta solum, & egregiam pompæ sacræ speciem; quæ tamen ex longo luctu lætior, pulchriorque apparebat; sed ob id quoque; quòd, qui antea partim summa humanitate, & abiectione, suorum commodis seruierat; partim habitu miserabili, summoque squalore Dominum pro iisdem publicè precatus erat; tunc augusto ornatu, splendidóque apparatu ingrediens; miram quandam rerum vicissitudinem cum lætitia coniunctam ante oculos poneret: eodem ostendens tempore, quàm ex christianæ virtutis præscripto, & sese abiicere; & rursus sacram maiestatem conseruare, cum opus esset, pari animo, voluntatéque nosset; Apostolo non dissimilis, qui & abundare sciebat, & penuriam pati. Expiationem ædium aggressus; vt maiorem dignitatem, fructumque res haberet, exorsus ipse, suas, & canonicorum aspersit. cumque ea progredi per vrbem inciperet actio; populus summa voluntate, pietatéque eam expetere videretur; certatim vnaquæque familia ad rerum sacrarum honorem, decore domum ornare conaretur; imagines, & libros à christianis moribus alienos deleret, abiiceretve; sacras picturas, & ad pietatem accommodatas apponeret; aliaque eiusmodi, pro ratione Caroli literis præscripta, atque edita compararet: cum etiam multi publicis flagitiis maculati, de ignominia vitanda deliberarent; nè sacerdos eorum domos præteriret, quemadmodum Carolus faciendum iusserat: omnino cum plurima ad corruptelas tollendas, pietatemque augendam instituta essent: Gubernator, aliique magistratus quasi in eo ius regium læderetur, intercedere, & queri cœperunt; remque variè disturbarunt. Populi custodiam paulatim cum morbo ipso remissam, Gubernator appropinquante Quadragesima per edictum renouauit: sed Carolo cõquerente euenit, vt multi tamen ad Ecclesias nulla facultate exirent, & ad sacras conciones conuenirent. maximè vero Pontificiæ illius indulgentiæ caussa, quæ tota prouincia eo insigni die celebris habetur, quo cœlestis nuncius ad Mariam humanæ salutis caussa venit, magna multitudo prodiit ad destinatum indulgentiæ cõsequendæ templum. quo tempore mirum extitit afflicti populi solatium: miraque ciuitatis apparuit alacritas, in Ecclesiis insignibus, quibus diu caruerant, assiduè frequentandis: supplicationibus obeundis; gratiisque Deo de oblata spe liberationis agendis. tamquam ex diuturno carcere ciues ea libertate recreati, nec fatigari, nec satiari pio, assiduóque eiusmodi labore posse videbantur. quæ alacritas eò maior erat; quò ex multitudine, ac frequentia, quæ cernebatur, exiguus eorum numerus cognoscebatur, qui peste interierant. Fecit etiam Carolus, vt sacrosan-

crosanctis diebus, ante Pascha, vsque ad octauam illius celebritatis diem, omnibus domo egredi, & in Ecclesias conuenire liberum esset. indignum enim illi videbatur, tali tempore, talique diuinæ clementiæ pignore, christianos Ecclesiis adhuc prohiberi: difficiléque admodum erat; omnibus domi inclusis, vt tempus necessario postulabat, sacræ confessionis, communionisque potestatem facere. omnes autem illi conuentus adeo fæliciter acti sunt; vt nihil prorsus accessionis morbus acceperit, neque opus omnino fuerit amplius custodiam impetrare. Festus aduenerat dies, quo sanctæ Crucis ab S. Helena inuentæ memoria colitur. cumque illustriorem sacrati claui cultum, quem superiore anno instaurauerat, annua celebritate aliqua Carolus continuare in animo haberet; eum diem ad id aptissimum iudicauit, clero igitur vniuerso conuocato, clauum à loco suo demissum publico conuentu festóque apparatu, tulit ad ædẽ sancti Sepulchri nomine appellatam. Euenit autem non sine magna piorum lætitia; vt cum nebulosum cœlum, neque sine imbre esset; sanctissima re in altari deposita, subitò serenum redderetur, claraque luce refulgeret, donec issent, & ad Ecclesiam maiorem sacri ordines essent reuersi: tunc enim rursus nebulæ, atque imber aërem occupauit. Ita conuenit populus ad eam supplicationem: vt vnaquæque pars signum illius sancti sequeretur, cuius nomine parochiæ suę Ecclesia dedicata erat, quæ ratio tunc primùm Caroli iussu fuit adhibita ordinis, pietatisque gratia. fuit institutum non dissimile labaris illis, quæ Constantinus in exercitu suo significatione pietatis haberi, gestarique iussit. clauum in altari collocatum, quadraginta horis coli constituit, clero, & populo distincte per collegia, & regiones, singulis horis ad precationem conueniente. Carolus autem inde numquam discedens, vt quæque populi pars adueniebat; ita primò quidem pia verba ad eos faciebat; mox de suggestu ad altare veniens beatorum inuocationi, litaniæque cum eis operam dabat; postremò antequam abirent eis benedicebat; decennemque auctoritate Pontificia largiebatur indulgentiam. dum autem alia pars veniret; alia, quæ rursus diceret, ex diuinis Bibliis, quæ ibi habebat; flexis ante altare genibus meditabatur. hoc ipsis quadraginta horis continuis facere constituerat; sed prohibuit Gubernator post primam noctis horam domo quemquam egredi. At ab aurora nihilominus ad noctem, Carolus circiter horas sexdecim, in ea exercitatione ita permanebat, vt ne vlla quidem naturæ necessitate ab altari auelli posset; donec quadraginta tamen horarum diurnarum spatium completum est. in quo viri patientiam omnes mirabantur; eò magis, quòd neque somno, neque vitæ commoditati propterea præter consuetudinem quidquam nocte tribuebat. Post illum horarum cursum clauus eodem modo, atque eadem celebritate in suum locum relatus est, ciuitasque ex ea re magnam visa est leuationem doloris accipere. sed claui figuram scite prius expressam, & ipsius ferri contactu sacratam, Carolus misit ad Philippum Regem, donum optimi Principis pietati accommodatissimum. Ea igitur anniuersaria celebritate constituta; tum claui, tum diei cultum mirum in modum amplificauit. Pulcherrima, pietatéque plenissima certè actio illa est. In amplissimo totius cleri conuentu, maximóque totius populi concursu; musicis choris suauem concentum edentibus; populo misericordiæ vocem identidem ex animi pia commotione mittente: tres sacerdotes, ex iis, qui adsint dignitate præstantiores; in quibus non semel Episcopos vidi, sacris, splendidisque vestibus induti, machinis, quæ non apparent, in sublime sensim feruntur; in apto quodam, ornatissimoque receptaculo decore collocati, integumentis pellucidis ita circundato, vt inclusis luminibus lucidissimæ nubis speciem præ se ferat. cum ad fornicẽ summum, locumque demum longo tractu, temporéque peruenerunt; ablato clauo, eodem modo demittuntur. cum ad solum nubes venit; Archiepiscopus qua par est, veneratione excipit sacrosanctum ferrum: & in ampla cruce media aptè insertum, ipse fert ordinum sacrorum pompa antecedente. Inclusit autem illud honoris, cõmoditatisque gestandi gratia Carolus argentea theca; sic, vt per crystallum perspiciatur, locum præterea vbi affixus est, tum fer-


reis clatris, lapidibusque supra compositis muniuit; tum splendidè etiam ornauit.


Post alias supplicationes demum ciuitatis liberationem celebrat. Cap. 11.

Intereà licet humanæ diligentiæ officia, easque exquisita non deficerent; manebat aliqua pestis tamen: neque obtineri poterat, ne quotidie nouis casibus, iisque minimè contemnendis, ciues exterrerentur. Quocirca remedium rursus publicæ precationis Carolus, expiationisque animarum quæsiuit. solita diuina præmia, sicuti consueuerat, à Pontifice impetrauit; populoque proposuit: quæ mense Iulio mœstis supplicationibus, concionibusque, vt antea, vna cum clero, & populo prosecutus est. Cum autem per id tempus ex peste Brixia miserrime laboraret; eò voluit Carolus aduolare; sed nescio qua ratione dissuadere visus est, impedireque Episcopus; qui quidem cum optimè ægrotis consulere cœpisset; post interitum nonnullorum ex domesticis suis non longè ab vrbe secessit. ex iis ille fuit, qui Carolo per literas initio suaserant, vt propositis sibi officiis abstineret. Attamen, vt auxilium aliqua ratione Brixiensibus ferret, præter cohortationes ad Episcopum missas; eò Carolus dimisit Paulum illum, quem toto reliquo tempore Gregorianæ multitudini præfuisse diximus. Cum idus Octobres venissent, publici voti dies; Carolus ea celebritate litteris publicis ante denunciata; ciues proximæ iam liberationis spe proposita, ad veram diuinæ misericordiæ fiduciam excitauit; tam incerto præsertim humanæ industriæ præsidio cognito. nouas supplicationes decreuit in vrbe, ac in diœcesi. sacris in æde S. Sebastiani celebratis, diei religioni satisfieri curauit, & voto; populus per partes de more distinctus cōuenit: ciuitatis consilium, & qui in singulis parœciis à populo mandatum acceperant, solemnia dona obtulerunt. Respiciens deinde pius Pater eorum conditionem, qui toto illo tempore in vrbe, diœcesique; immo in aliis item Italiæ ciuitatibus mortui erant; quibus pro morbi eius ratione, quo cognati omnes sæpe absumuntur; deesse fere credibile erat, qui sacris officiis opem ferrent: vt suis, & alienis, omnia optimi patris officia præstaret; communes exequias constituit, tribus diebus celebrandas, qui sancti Martini diem festum sequebantur. qua in re viuis quoque ipsis consulebat; si officia illa, & sacrificia christiane prosequentes, integram sibi, atque aliis, religiosi operis virtute salutem possent impetrare. primo igitur die, vna cum omnibus presbyterorum collegiis in Ecclesia maiore, funebria sacra celebrauit. altero, tertióque die in vrbis Ecclesiis peracta sunt, quæ Collegia habent; ad quæ singula reliqui omnes regionis eiusdem clerici conuenerunt. vnumquemque presbyterum pro iisdem Missæ sacrum iisdem diebus facere iussit. ad eandem rationem sacra in diœcesi facienda mandauit. primo autem populum ad id publicis literis cohortatus, ad alia quoque opera incitauit; quæ suffragio, salutique mortuis esse possent. Post hæc in longinquiores diœcesis partes currit; & ad loca venit Helueticæ ditionis; tum pestilentiæ causa; tum vt nonnullas in Ecclesiam prohiberet iniurias. quibus in locis, quoniam permisti erant, morbidis æque, atque integris sacramenta præbuit. quod iam mente Carolus de ciuitate liberata conceperat, id enunciare volebat palam; religiosoque ritu publicam ea de re celebrare gratiarum actionem. sed contra magistratus dicebant: debilitatam valde, sed non extinctam esse pestilentiam: docere id, si non quotidianos, ac frequentes; aliquos tamen adhuc ex eo morbo morientium casus: vel illud valde vereri, ne potestate facta; cum ea, quæ recondita fuerant, depromerentur; multa pestilenti contactu affecta, rebus adhuc recentibus, reperirentur; quæ de integro ciuitatem in easdem miserias conicerent. si liberatione promulgata, rursus inualesceret morbus; præter calamitatem & damnum, quàm id pudendum foret? Sed tenuit animo mirum in modum confirmato, propositum Carolus. de libera; integraque, non ciuitate solum, sed etiam diœcesi certum vna cum magistratibus constituit. ad agēdas publicè de accepto maximo beneficio gratias, proximum sancti Sebastiani festum diem anni M.D.LXXIIX. delegit: vt quem patronum imminente periculo, sibi Mediolanenses aduocauerant, eodem postea impetrata venia, ad gratias rectè agendas vterentur adiutore: & quem initio afflicti ora-

uerant, eidem in fine liberati, gratos sese ostenderent. Itaque præter supplicationes, quæ alioqui ad illius Ecclesiam habendæ erant; binas alias Carolus indixit. itum est ad sancti Ambrosii, deinde vt initio periculi factum est, ad vrbis compita omnia. Quæ quidem supplicationes, vt celeberrimæ, ita sanctissimæ fuerunt; ob id quoque in primis; quòd sacras reliquias omnes, quam maximo fieri potuit ornatu, clerus vniuersus, vt antea, ferre iussus est; cum vi luminum prope immensa; quæ non modo clerus adhibuit, sed populus quoque frequentissimus. Affuerunt Gubernator, Senatus, & Magistratus reliqui; omnesque publice, pieque gratias egerunt, ex libello, cohortationéque, quam ad eam rem Carolus edi iusserat. Atque dum ad compita ordines duceret; ad Cruces morabatur, quæ ibi pestis caussa erectæ fuerant; & posita sacra re, quam ferebat, in mensa ibidem ad id decore constituta, ritè precabatur. mira pietate clerus, & populus in ea supplicatione perseuerauit vsque ad noctem, cum mane cæpisset. via etenim ob amplitudinem vrbis longissima est. accessit maximus plurimorum tormentorum sonus honoris, & lætitiæ gratia ex arce effectus, dum sacri ordines ea vrbis parte transirent. Cum in Ecclesiam maiorem reditum esset; sanctissima Eucharistia prius per Ecclesiam omnibus sacrorum hominum choris comitantibus lata, in altari proposita est: cum omnia maximo, gratissimoque sono, hymnis, psalmisque, tum tubarum etiam clangore personarent. Ibi Carolus, quasi nihil adhuc fecisset, quadraginta horarum precationẽ ante sanctissimam Eucharistiam instituit; in qua eadem patientia, & labore, quo antea sacro proposito clauo, sese exercuit. Quo tempore cum in concione ciuitatem à morbo diuina ope liberatã disertè prædicaret; erant qui valde mirabantur, quo certo signo id posset affirmare; nonnihil etiam verebantur, vt ea præstari posset in posterum affirmatio. quod ita Deo concedente, factum est tamen. Alia quoque ciuitas consueta populis lætitiæ signa multa edidit, quæ præterimus; literæque ad exteros populos datæ, ad mutuam consuetudinem plenè restituendam. Carolus Episcopos prouinciæ missis literis monuit; rogauitque, vt vna vellent gratias agere. atque alij omnes per literas gratulati sunt: Nicolaus autem Cremonensis Episcopus; ex præcipuo in Carolum, patriámque amore, gratulationis caussa Mediolanum venit; & de suggestu concionem in Ecclesia maiore præsente Carolo, Gubernatore, Magistratibusque ad populum habuit sane piam, & luculentam. Mortua fuisse hominum circiter tredecim millia in vrbe; octo verò in agro, ad initium mensis Decembris anni M. D. LXXVI. Carolus literis suis testatus est: ex quo tempore numerum eorum, qui morerentur, vsque ad morbi extinctionem, non magnum fuisse iam diximus. alij vero de vrbe tantum commemorantes, ab initio morbi, vsque ad integram liberationem, in ea mortem obiisse affirmant hominum circiter decem, & septem millia: nata verò, vt id quoque referamus, eodem spatio temporis, quinque millia, & trecentum. Vici, & castella, quæ peste laborarunt, fuerunt ad centum viginti. Ecclesiastici viri omnium ordinum in vrbe, & diœcesi, centum viginti diem suum obierunt: tres tantum ex iis parochis, qui officium erga ægrotos non deseruerunt: quorum nemo tamen, quòd constet, ex sacris officiis, quæ cuiquam ægroto tribuerit, morbum contraxit. Illud minimè prætereundũ, ex quinque, & sexaginta monasteriis Virginum, vnum peste tactum in vrbe, in quo duæ tantum Virgines; alterum in diœcesi, in quo paucæ omnino mortuæ sunt. neque in iis quidquam de prescripta & consueta claustrorum, custodiæue disciplina remissum est. In Ecclesiis omnibus, vt ante consueuerat, statis horis, sacra officia, muneraque clerici toto eo tempore obierunt; qui congruenti ad contagium vitandum spatio, alius ab alio longè consistebant, quod vt Ecclesiæ maioris collegium facilius exequeretur subterraneam viam ab ædibus canonicorum in Ecclesiam ipsam eo tempore Carolus fodi, construique iussit. Hic fuit maximi illius periculi exitus, vnde magnam vrbi ruinam intelligentes omnes extimescebant. qua in re singularem profecto Dei clementiam perpetuò gratissimis animis erga nos agnoscere Mediolanenses debemus; neque vmquam gratiarum agenda,

rum finem facere. Quid in rebus tantis Carolo sit tribuendum; res ipsa loquitur. ipse verò nihil suis laboribus, studiis, vigiliis, lachrymis tribuens; piorum ciuium precibus, eorum maximè, qui simplices sunt, & incorrupti omnia facta, impetrataque esse prædicabat. Habet certè Mediolanum, quæ proponat aliis in simili casu, tum sancti Pastoris, tum optimorum ciuium præclarissima exempla: siue, quod in primis graue est, requiratur, quod ad iuuandas animas; siue quod ad corpora subleuanda; & omnino ad omnium rerum aptam, rectamque gubernationem tenendam pertineat. Quid enim magis commune, quàm inuadente peste, sibi quemque, rebusque suis consulere; etiam à coniunctissimis discedere; longe, quantum potest, pericula fugere? quod magis peruagatum malum; quàm infectos deseri, rerum diuinarum inopia, curationéque omni destitui; plerumque etiam fame cruciatos interire? quæ quidem contra diuino munere nobis euenerunt: vt verè Carolus dicere soleret, circumspectis rebus omnibus: piisque operibus ponderatis fructum, quàm damnum multo maiorem fuisse ciuitatis. Ac singularis quidem Dei benignitas; ciuitatisque vti in malis eiusmodi, singulare bonum, per se quidem apertum sine dubio fuisset omnibus: qui modo cogitare vellent infinitæ prope multitudinis ciuitatem, pestilentia penitus occupatam, tam exiguo mortuorum numero; tanto rerum omnium ordine; tantis, tamque promptis ad salutem subsidiis feliciter euasisse. Sed illustrata sunt hæc omnia multo magis aliarum ciuitatum Italiæ casibus. quibus locis, etiam iisdem tentatis includendi populi remediis longe maxima strages laicorum, sacrorumque hominum fuit; ipsis quoque marium, fœminarumque monasteriis occupatis. de ciuitatibus loquor, quas vere pestis complexa est: nam verius quædam tentatæ sunt, quàm occupatæ. De rerum autem procuratione, quæ vel ad sustentandum corpus, vel ad subueniendum animæ pertinerent; de gubernatione tota; de supplicationibus aliarum ciuitatum, nihil attinet scribere; quæ quidem rebus Mediolanensibus (notam rem commemoro) ne minima quidem ex parte conferenda sunt. Addere huc item potest, qui velit; vt clarius, quomodo nobiscum actum sit, agnoscatur, eorum recordationem, quæ antea annos circiter sexaginta Mediolanenses pestilentia vexati non semel pertulerunt. id tantum commemorabo, quod Galeatius Capella refert; anno M. D. XXIV. cum pestis ciuitatem neque tunc primò, sed quartò iam per id tempus, inuasisset: Dux, Senatus, Magistratus omnes sese recepissent Moderiam; eò breui ventum esse, vt res ipsæ ad victum necessariæ penitus deficerent. tum infectorum maximum numerum, qui è ciuitate, vt fit, emissi fuerant, captis armis in vrbem ingressum, noua pericula intulisse. supplicationibus demum, extrema rerum conditione habitis, ita diuinam misericordiam impetratam; vt quatuor mensibus tamen amplius quinquaginta millia hominum in vrbe interirent; præter alios innumerabiles, qui in oppidis desiderati sunt.





DE VITA ET REBVS GESTIS CAROLI CARD. S. PRAXEDIS, ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI.

LIBER QVINTVS.

Quæ post pestem cõtra Caroli acta gesta sunt. Cap. 1.



CVm res tantas Carolus gessisset: restabat, vt iis pręmiis afficeretur, quæ præstantissimo cuique, ex iis, qui Christum sequuntur, in terris quidem sunt expectanda. dico, vt variis rursus molestiis, acerbitatibusque premeretur. Id cum Diabolus ad impediendum commune salutis negotium semper curet: sæpenumero etiam Dominus permittit; nè sese homo magno salutis periculo efferat: & eo maiorem gloriæ mercedem accipiat in cœlo; quo grauioribus in terra perfunctus est periculis, & laboribus. Caroli res pestis caussa gestas, præsentes, absentesque; ij quoque qui initio in multis dissenserant; diuinis laudibus extulerunt; & pene ex vltimis terris, etiam regiæ missæ fuerunt gratulationes. alieni homines, ac maleuoli coacti sunt vel obmutescere, vel probare Sed non ideo tamen non fuere; qui proximis annis duobus, negotium ei grauius etiam, & molestius, quàm antea variis de rebus facesserent. ac ob ea ipsa, quæ pestilentiæ caussa fecerat, criminis aliquid inuenirent ad Pontificem Gregorium deferendum. Igitur Gubernator, qui iam inde ab eius cui successerat tempore, alienum, à Carolo animum propter ea quæ tum acciderunt habuisse videbatur; vix morbi sublatis impedimentis, iurisdictionis Ecclesiasticæ negotium instaurari curat: Senatus nomine Romam ea de re mitti iubet. delectus est Iacobus Ricardus iurisconsultus Laudensis; nunc Senatus Mediolani Præses, cuius virtutem, diligentiam, studiumque cum regii legati probarent; modestiam quoque & aduersus Carolum reuerentiam ipsi quoque Caroli procuratores laudabant. Ac eodem ferè tempore venit à Rege missus ex Hispania Marchio Alcannisii, vir prudens, & pius: qui diu iam omnium iuris Ecclesiastici controuersiarum caussa expectabatur, quæ in aliis quoque erant Regis prouinciis. de quo principe viro silendum non videtur; licet regiam caussam cautè, ac diligenter egerit; optimo tamen animo, summaque obseruantia in Carolũ fuisse: nam & à Rege plurimi illum fieri affirmare solebat: stultumque omnino esse palam semper prædicauit, de ipsius mente quidquam sanctitate alienum suspicari. Itaque Gregorii Pontif. iussu nonnulli Cardinales, viris aliis eruditissimis adiunctis, rem totam cognoscendam susceperunt. Sed ad pristinas caussas addi Gubernatori iussit recentem de pestilentia querelam; quòd de sacris hominibus pestis caussa custodiendis, & liberandis Carolus constituerat: feceratque vt omnes, quicumque Ecclesiasticæ administrationis gratia opus fuissent, ad omnia loca peruenirent, suorum tantummodo de sanitate testimoniis acceptis. eam ob rem ciuitatem scilicet in discrimen adduxisse criminabantur. Prę-

terea Caroli administrationem, eiusque Vicariorum foris, & in vrbe magno studio scrutatus est, si quid inueniret errati; vt multis eum posset nominibus accusare: vsque eo, vt si Ecclesia rectore careret; si quid forte grauius publicè peccati pœnitentiæ nomine imponeretur; & alia eiusmodi diligenter obseruarentur; & iis de rebus testimonia Romam mittenda colligerentur. Procuratores castellorum agri Mediolanensis eiusdem iussu multi Mediolanum vocati: variéque de Vicariorum actionibus interrogati sunt: qui tamen licet minarum aliquid interponeretur, & ea de caussa non sine magno incommodo, pluribus diebus in vrbe detinerentur, adduci non potuerunt, vt contra Vicariorum ipsorum sacram gubernationem quidam dicerent; aut vero, quod magis cuperetur, litteris consignarent. Quarum rerum idoneos quosdam Gubernator nactus videbatur administros; ex quibus nonnulli Carolo plurimum ob eius merita debebant. Ciuitatis consilium in ea caussa, sibi adiungere curauit: adduxitque tandem, vt primò litteras; deinde etiam, vti dicetur, nobiles legatos ad Pontificem mitteret; & de multis, quæ ipse iniusta iudicabat, populi nomine cõquereretur. Accusationis verò capita erant; de ludis publicis, saltationibusque prohibitis; de festorum dierum integro cultu vindicato; de peccatorum quorumdam absolutione, ob frequentiam, licentiamque nimiam, reseruata; de primo die Quadragesimæ in antiquum statum restituto; de seruitute, atque iniuria sacrarum ædium, ianuis à lateribus clausis, sublata: de marium, & fœminarum ad honestatem, decusque sacrum conseruandum in Ecclesiis separatione; de beatorum patronorum Protasij, & Geruasij festo die, cultuque veteri redintegrato: & si quid simile forte nobis excidit. Quæ quidem, quoniam fieri non poterat, vt duriuscula quibusdam non viderentur: qui per se iis rebus commoti essent, eos tali auctoritate contra Pastorem suum multò grauius incitari: qui verò quieti, tentari magna ex parte, & non mediocriter commoueri, necesse erat. Interim verò si quid ipse horum posset, id reipsa, factisque disturbare, rescindereque studebat. quæ Carolo displicerent, ea studiosè conari videbatur. nam saltationes instaurauit: hastiludia etiam alieno prorsus tempore exerceri iussit: quæ olim de sodalitiorum cœtibus habendis turbata erant, renouauit. Ad hæc quæ collegia, monasteria, quive priuati vellent ex sacris, profanisque ordinibus, Caroli iussis, decretisve resistere: iis omnibus Mediolani, Romæ, auctoritate, gratia, suorum opera sese præbuit adiutorem: omniaque regii nominis integumento studuit honestare. Quæ Carolus melioris disciplinæ gratia faciebat: ea sæpius in personæ suæ sine caussa vertit iniuriam: & ea de re magis etiam sese commotum præbuit. Neque licet Carolus eum quandoque paterno moneret officio: qua de caussa, quoue animo faceret, simpliciter aperiret: rerum quas contra is tantopere laboraret, fructum ad Dei cultum, salutémque hominum demonstraret: acquiescebat vllo modo tamen. Huiusmodi Gubernator per eos annos magno studio, vehementiaque & sua sponte incitatus, & ab illis, vt ferebatur, instigatus egit: & in ea contentione tamdiu perseuerauit, quamdiu licuit in vita commorari. At sacri quoque ordinis homines in multis ad rem perficiendam, Carolique sollicitudines, & curas augendas, ex altera parte non defuere. quod quidem earum rerum, quæ contra sanctitatis excellentis viros insectando fiunt, plerumque solemnis accessio quædã atque cumulus esse solet. Cœnobitæ magna ex parte, propter ea, quæ circa suam, virginumque sibi creditarum disciplinam, eo quoque tempore Carolus agitauit, illi sese infensos admodum præbuerunt; præsertim ob eas hospitales ædes, quæ virginum cœnobiis ipsorum commodo sunt adiunctæ: quarum corruptelas quasdam tolli studebat. itaque Romæ quidam eorum, occasione ex cæteris, qui aduersabantur, arrepta, in eum, eiusque existimationem acerbe, quantum potuerunt, inuasere. Religiosioris item ordinis nonnulli, aliqua ex parte consenserunt: Caroli studiis, atque operibus non obscure detrahentes: & caussam aduersariorum probantes. ac inuenti sunt, qui

de suggestu celeberrimis in concionibus, id facere non vererentur. quorum dictis, Principis, ac omnium, qui cum eo Caroli oppugnandi negotium susceperant, animus acuebatur: alebatur multarum rerum licentia, quas iamdiu Carolus communi bonorum consensu, tollere contendebat: offensiones omnino publice ac priuatim extabant graues, & multæ. Quod libertatis genus, cum tacitus mira patientia, bonis indignantibus, diu Carolus tulisset: priuatisque tantum admonitionibus temperari beneuole curasset: demum iustitiæ seruandæ necessitate, gregisque sui charitate coactus, remouendum esse, coercendumque statuit. ac ea concionandi ratio reprehensa Romæ grauiter, & punita est. Fuisse autem ex iis quoque, qui præcipuo religionem studio colere profitentur; qui diuersum à Carolo sensum haberent, haud scio mirandum ne sit. tamen vt quisque variè affectus est, ita varie sentire oportet. non est erga Deum par omnibus pietatis ardor. neque omnes ex iis, quæ proponuntur, optima sequuntur perpetuo. humanæ prudentiæ rationibus interdum, quàm religioso, diuinoque lumine, quidam magis ducuntur. Diuersa etiam sunt eorum, qui religiose viuunt, instituta, immo diuersæ ipsius sanctitatis viæ: hic ad seueritatem duritiemque, ille ad comitatem, suauitatemque procliuior. Intra fortitudinis, temperantiæ, omnium denique virtutum gradus, alius ad summos nititur, alius inferioribus contentus est. Quæ quidem hominum varietas ferenda est, si modo ipsi se inuicem ferant: ac non alter alteri, quia diuersam sequatur rationem, detrahere velit, & obtrectare. id enim non admiratione solum, sed castigatione dignum videtur, præsertim si in Præsulem fiat, & publico loco, quod nominatim sacris sanctionibus vetitum est. quod quidem vitium in tantis humanis perturbationibus studiose cauendum est, ac diligenter. impulsus enim quo ad aliena reprehendenda mortales feruntur, vehemens plerumque est: ac vt quisque ingenio, doctrinaque maxime valet, ita solet acerrimè, nisi magna virtus resistat, ad id incitari, libentiusque in excellentes, & spectatissimos viros: quòd vel ad gloriam illustrius id videatur, vel ad excusationem commodius, si quis ea non assequatur, quæ nō excellere, sed extra virtutis modum prodire iudicat. Interdum ex hominum existimatione, immo ex ipsa religionis exercitatione, atque etiam ex aliqua diuini luminis illustratione, sese homines infirmi efferunt, sibique de cæteris iudicium arrogant. Vrget etiam maxime principum virorum auctoritas, & gratia: qua non moueri, & à recta mente non deduci solidæ pietatis, & cōstantiæ est.

De oblatorum Congregatione. & reliquiis ecclesiæ maioris. Caput 23.

Inter eas acerbitates, quarum exitum postea exponemus, Carolus nouas quærere non desistebat salutaris vitæ progressiones. etenim ex præterita pestilentiæ calamitate, quemadmodum aliis mortiferi æstus venenum in membra iniectum, ita illi pietatis, & charitatis ardor in animum immissus videbatur, tuncque magis quàm vnquam antea erat ad summos sanctitatis, perfectæque disciplinæ gradus erectus. Illud inter alia, sublato statim pestilentiæ morbo, curauit, vt cœnobiticam vitam vna cum clericis suis instituerent. de qua tamen antequam narro, de sacris reliquiis dicam, quas ille sub altare subterranei sacelli, quod veteres Confessionem appellarunt, in ecclesia maiore recondidit. Sacellum hoc ipse perficiendum curauit, in primisque coluit, in eo Missæ sacrum frequenter facere solitus fuit, non semel integro noctis spatio pie vigilauit: in suo denique testamento sanctis reliquiis sacraque & pretiosa supellectili locupletauit. tunc autem ibi condidit corpora sanctorum martyrum Cantii, Cantiani, & Cantianillæ, & item Maximi militis Thebæi, sanctorum Episcoporum Mediolanensium, Monæ, quod ab ipso Carolo antea è Fausti ecclesia translatum diximus, Dionysii, quod vna cum Aurelii itidem Episcopi reliquiis, olim ab ecclesia Dionysiana translatum fuerat: & Galdini, quod Pontificiis insignibus, vel eorum saltem vestigiis ornatum, ita in arca marmorea inuenimus, vt primo fuerat sepultum. cineres sancti Pelagii, vnum ex ossibus sancti Iuliani Episcopi Cenomanensis; ex iis autem corporibus cum non modica pars ossium desit, quorundam etiam capita: crediderim ea esse in aliis ecclesiis, quæ eadem se habere corpora prædicant. Ea igitur omnia Carolus

ad id tempus alieno fere loco habita, summa diligentia, decentiaque condidit. & in cellula sub terram fabricata, testudine super eam ducta, insculptisque litteris firmiter clausit, mense Ianuario anni M. D. LXXIIX. Capita vero martyris Thebæi, Monæ, & Galdini, & item martyrum fœminarum principis Teclæ minime condidit, vt thecis argenteis includerentur, & celebritatis caussa in altari de more proponi possent. Redeamus nunc ad cœnobiticam institutionem. Cum pro Episcopalis vitæ statu, qui religiosos ordines quoscumque perfecta, optimaque vitæ institutione antecellit, & vtinam re, factisque semper antecelleret, humana studia Carolus, resque caducas animo iam penitus abiecisset: ad rem perficiendam, aliosque exemplo commouendos, illam animi conformationem, re ipsa præstare, factisque exequi cupiebat. quod quidem ad imitationem eorum veterum Episcoporum valde pertinebat, quos in primis sancta colit Ecclesia. Egit primo ea de re cum canonicis maioris Basilicæ, quos ea coniunctionis accessione, vti vere fratres arctius complecti volebat, & tanquam ecclesiæ senatum, vt veteres dixerunt, in ecclesia gubernanda coniunctè magis adhibere. neque vero id à superiorum instituto valde aberat, nam inter se olim eiusmodi vitæ rationem Mediolanenses canonicos, collocatis in communem vsum fructibus, sub Archiepiscopo Oberto habuisse, testantur Eugenii tertii summi Pontificis litteræ, quas aliud agentes nos eo ipso tempore forte reperimus. volebat vero ipse quoque Carolus reditus suos omnes, vt alii, conferre, vt qui ei curæ præfectus esset, habita ratione dignitatis, officii, & eorum omnium, quæ Caroli persona, sancte tamen, postulabat, prout cuique opus fuisset, distribueret. & omnino quantum pro ratione dignitatis posset, pari conditione cum suis fratribus viuere, in animo habebat. Sed quamuis ex eis nonnulli consentirent, quibus vitæ ratio ad diuinorum consiliorum præscriptum proposita erat: cæteri tamen adduci non potuerunt. Id cum minime successisset, aliam societatem instituere constituit, clericis omnibus communem, qui cœnobiticæ disciplinæ imitatione viuentes, Ecclesiæ Mediolanēsi multò magis, quàm cæteri clerici mancipati, Archiepiscopoque addicti, sacra munera, quæ pro tempore, vsúque ecclesiæ oporteret, prompto animo ex Archiepiscopali iussu obirent. In eum numerum plures canonici, vna cum aliis presbyteris, & clericis nomen dedimus. vitæ conditiones post multa, Romano Pontifice consulto, hæ fere eo quidem initio constitutæ sunt: vt Oblati Sancti Ambrosii ii dicerentur, quòd non certo homini, sed ecclesiæ Ambrosianæ sese addicerent, vtque Archiepiscopo semper obedire promitterent, voti vinculo astricti. hæc vero eorum munera fere commemorata sunt, ecclesias perlustrare, ac recognoscere, parochi munus, vbicumque necesse esset, ad tempus sustinere, sacras habere conciones, muliebribus cœnobiis sacris ministeriis inseruire, christianæ doctrinæ rudimenta per ecclesias docere, collegiorum à Carolo institutorum gubernationi operam dare: Archiepiscopalis etiam domus ministeria obire: quibus quidem in rebus ita Carolus iis vti constituit, vt tamquam Apostolicos viros, quocumque opus esset, mittere, tum ad arbitrium suum reuocare, posset, vtpote iis vinculis solutos, quibus clerici passim detinentur, haud penitus Deo, Ecclesiæque traditi, sed arbitratu suo viuentes, & commodis, vtilitatibusque suis, suorumque sæpe seruientes. quòd si qui magis ad vitæ perfectionem accedere, rebusque suis omnibus, quæ possideri possunt, per votum se vellent abdicare, aut vero facultates suas retinentes, earum tantummodo potestatem ad Archiepiscopi arbitrium deferre, eos admisit. Laicis item locum dedit, qui operam suam facultatis, artificiive cuiuspiam nauare vellent. Vota eius conditionis esse statuit, vt ea posset Archiepiscopus remittere, & iis astrictos cum opus esset, liberare. societate non exclusit, qui certis ecclesiis addicti essent: quarum beneficia tamen dimittere, sicuti neque accipere, sine Archiepiscopi consensu non possent. Ita cum multi separatim per varias ecclesias, aliosque locos viuerent; certa quoque collegia constituenda decreuit, vbi clerici simul, tamquam in cœnobio vitam agerent. quam ad rem idoneos societati reditus assignari Pontificia auctorita-

te postea curauit, negotiumque totum confecit, quemadmodum institutionibus eo de genere editis fusius continetur. Eiusmodi societatis institutionem visus est studiosissime Carolus, si quid vmquam, suscipere, & prosequi: vt in alliciendis ad eam clericis, humanitate, officio, familiaritate, oblitus interdum fere videretur grauitatis, amplitudinisque suæ. erat enim ad animarum salutem omnibus viribus quærendam tanto ardore incitatus, in quo congregationis illius summa consistere debebat, vt nihil in eo genere facere se posse existimaret, quod minus non esset, quàm res ipsa postulabat. Plurimis id persuasit, maxime tunc oblata diœcesanæ synodi occasione, in qua tribus de more concionibus, propositis Dei ministrorum officiis, contra vero eorundem negligentia ante oculos constituta, licet modico admodum spatio ad meditandum dato, clerum adeo commouit, vt multæ lachrymæ profunderentur: presbyterique, quorum alioqui plurimi diuturna quadam consuetudine ad res eiusmodi obdurescere solent, ad munera sua diligenter, sanctéque obeunda mirum in modum accensi discederent. præsertim vero tertio die, visus est multis diuino spiritu afflatus, inusitatam quandam, diuinamque dicendi vim adhibere. Vnum ipse collegium constituit, ad ecclesiam Sancti Sepulchri: quem locum boni presbyteri nonnulli, Monetaque inter eos, etiam ante Carolum Archiepiscopum colentes, antiquam Mediolanensium clericorum disciplinam, in maxima ciuitatis corruptela retinebant. In ea igitur ecclesia societatem, actis interuenientibus, instituit XVII. Calen. Septemb. & primos sese offerentes celebri ritu, apparatuque recepit. quos alij magno numero secuti sunt: quamuis Caroli præsentia per mortem de medio sublata, locum multi deseruerunt, beneficiaque, aut alias vitæ conditiones quæsierunt, iis ad Sanctum Sepulchrum relictis, qui vere sese Ambrosio, ecclesiæque Ambrosianæ tradiderant. At collegium, societatemque, quoad vixit, Carolus numero, sacrisque muneribus florentem conseruauit: Oblatis ipsis multum vsus est: in eo semper perseuerauit, vt eius ordinis clericos benigne admodum tractaret, charosque haberet. collegium frequentabat, sacra munera in eo, sacrasque, & pias exercitationes publice instituebat: tum vero priuatim communicationes, consultationesve rerum ad eam disciplinam, & omnino ad clericales virtutes pertinentium, certis temporibus cum eis familiariter habebat, imitatione regularis instituti. Cum in eo collegio grauissime presbyter ægrotaret, & medicorum sententia morti proximus crederetur: ibi Carolus ipse humilia fraternæ charitatis officia captans, tanta assiduitate, die, noctéque ei affuit, atque etiam sæpius ministrauit, vt singularem benignitatem, eximiamque tanti Præsulis humilitatem omnes obstupescerent: neque vero deseruit, donec post dies multos, quibus ille semper fere animam trahere visus est, mortis periculo liberatum reliquit. quod Caroli sanctitati, precibusque à Domino quasi per miraculum concessum esse, plerique crediderunt.

Taurinensis peregrinatio. Caput 3.

Animi diuinitus ardentis indicium, præcipueque res exempli visa fuit omnibus Taurinensis peregrinatio. Habet Sabaudiæ Dux, magno Dei beneficio, Sindonem illam, qua sanctissimum IESV Christi corpus olim pij viri de cruce sublatum inuoluerunt. eam Carolus cum visere iam antea optaret, tum à pestis calamitate magno eius rei desiderio cœpit teneri, neque amplius illius explendi tempus sibi differendum statuit. Ea re accepta, Dux Emanuel, qui alioqui, & sacrum linteum ab oppido Camberio, quod vltra Alpes situm est, Taurinum tranferre iustis de caussis in animo habebat, & Caroli præsentia, consuetudineque frui pro sua pietate, & in eum obseruantia cupiebat, occasionem arripuit; Carolum inuitauit, & linteum transferri iussit. Iter pedibus facere Carolus constituit, quod est passuum octoginta millium. ex plurimis, qui libentissime profecti essent, idoneum comitatum, sacrorum, piorumque hominum delegit. itineris, exercitationumque rationem ordinauit. dictus est profectioni dies. Pridie vero eius diei, comitibus conuocatis, exposuit quid in itinere fieri vellet. mane à sacerdotibus Missa facta, accepta ab aliis sanctissima Eucharistia, omnes affuerunt cum baculis, & indumentis, quibus solent pia de caussa peregrinantes vti. quibus ex eccle-

siastico ritu, cum Carolus benedixisset, discesserunt. clerus maioris ecclesiæ vsque ad portam ciuitatis comitatus est. ibi Carolus breuiores vestes, baculumque sumpsit. tum canonicos pie admodum, atque amanter singillatim complexus, magna cum multitudinis quæ secuta erat, piaque iucunditate, dimisit, & iter ingressus est. Itineris ratio fuit: summo mane, sacris procuratis, aderant omnes, & ab ecclesia initium erat proficiscendi. bini ibant, & horis certa ratione distributis, nunc ei rei à Carolo præfectus, salutarem meditationis materiam tradebat: nunc taciti, & meditantes ibant: pias animorum conceptiones postea cōferebant: aliàs alternatim psalmos pronunciabāt: interdum ex calculorum corona: quam manu tenebat quisque, precationem Dominicam, & Angelicam salutationem inter se repetebant. ambulantibus denique nihil otii relinquebatur, totum viæ tempus salutariter consumebatur. Cum meridie, vesperique ad oppida hospitii caussa venerant, adibant ecclesiam primo, ibique Carolus more suo genibus flexis, cum suis canonicarum horarum preces obibat, licet corpore de via sæpe non mediocriter languenti, mensa, quæ semper moderationem, ne dicam inopiam præseferebat, sacra lectione, piove sermone minime vacabat: reliquum temporis, quod erat exiguum, rebus corpori necessariis dabatur. Mirificus erat toto itinere concursus ad vias, quibus pius comitatus transibat. in oppidis, vicisque in quibus fortuitum semper hospitiū eligebatur, vt mira omnium commotio, ita singularia erant christianæ benignitatis officia. certatim omnes honoris, & reuerentiæ significationes dabant. certatim etiam quandoque ad domum quisque suam rapiebant peregrinos, vbi pie admodum, amiceque eos tractabant, pedesque lauabant. alias vero, si aduentus differretur ad noctem, lumina ex cunctis ædibus proferebantur. comites in itinere multi sese offerebant. Ioannes Franciscus certe Episcopus Vercellensis, vna cum aliis viris religiosis, ab vrbe sua numerum auxit. Quamquam autem ipsa tota actio ita ordinata, plena optimi, & inusitati exempli erat, quædam in Carolo tamen præcipue licebat passim obseruare: singularem quandam hilaritatem, quam ex incommodis hospitiis capiebat; non patientiam solum, sed gaudium, quo pluuias, lutum, alias viæ difficultates, corporis etiam defatigationem perferebat: ex qua ægre admodū sæpenumero membra trahere videbatur. interdum etiam antequam cibum sumeret, mira humanitate, & modestia ieiunus adhuc aliis prandentibus legebat. Toto iucunda res fuit itinere, amplissimi Pontificis personam videre cum inopis peregrini humilitate coniunctam. sed iucundissimum omnino spectaculum, cum eo quarto denique die Taurinum appropinquante, qui fuit v. Idibus Octobris, post Archiepiscopum, nobilesque viros multos, Dux ipse cum Principe filio, tum Cardinalis Vercellensis, multique Episcopi, qui conuenerant, obuiam humili, atque abiecto peregrinorum numero, cum nobilissimo comitatu, armatorumque militum ordinibus processerunt, faustisque salutationibus, cum magno tormentorum bellicorum sonitu exceperunt, seque socios itineris modici, quod restabat, in eum numerum intulerunt. Ventum est primò ad maiorem ecclesiam precandi caussa, postea in palatium ad sacellum Sancti Laurentii, vbi sacra Sindon erat, maxima cum hominum multitudine, non solum ex vicinis locis, sed Mediolano, & ex aliis ciuitatibus, regionibusque, qui rei fama permoti, cupide cōuenerant. Ibi Carolum quasi factum subito ex egente ditissimum, non sine delectatione obseruabant multi, magnificentissimo, planeque regio apparatu, quem præcipuo studio Dux adhibuit, ita plane vti, vt tuguriis in itinere vsus fuerat. Ac licet ob exorta itineris labore sub pedibus tubercula, ita laboraret, vt incisione etiam opus fuerit, noluit iacere tamē, & munera sua libere semper obiit. postero die priuatim peregrinis sanctum Linteum ostensum est, Carolique iussu multa de eo dicta sunt ad animos, ex tali specie per se maxime commotos, magis etiam excitandos. publice deinde spectandum in amplissima platea, præsente, tenenteque Carolo cum Episcopis omnibus, sacris Pontificiis vestibus indutis, Duce, nobilitate, omnique populo astante, propositum fuit. Mox ante illud in maiore ecclesia decenter, cum perpetua sacrorum vi-

porū & religiosæ militiæ custodia, collocatum, quadraginta horarum supplicationem de more Carolus instituit; horis clero, & populo ad conueniendum, precandumque distinctè distributis. quo in supplicationis munere partes suas minime desiderari Dux ipse passus est. singulis horis, singulas conciones viri sacri, suam quisque, Carolo de more id exigente, habuerunt, etiam Episcopi, & Cardinalis ipse Vercellensis. Carolus vero plures habuit. Cumque plurimos aduenisse ex propinquis vallibus hæreticos animaduersum esset, tum ad eos sanandos conuersæ sunt conciones, tum tempus supplicandi etiam prorogatum. Octauo demum die Carolus, cum toto eius temporis spatio in ecclesia, intra parietes, in mensa, & vbique salutaria dicta, exemplaque, vt cuique coniicere facile est, abunde protulisset; iam iam discessurus, longos habuit cum Duce de imperio piè administrando sermones. tum vero surrexit amplissimus Princeps, & ad Caroli sese pedes abiecit, idemque Carolum Emanuelem filium, nothumque Amadeum facere iussit. ac supplex, vt sibi, filiisque benedicere vellet, postulauit. recusabat Carolus, suum id eo loco non esse dicens, & quantum poterat, eum erigere conabatur. instabat vero Dux, seque, nisi sacri signi expetitum munus accepisset, negabat surrecturum: cum lachrymas neque Dux ipse, neque astantium quisque tenere possent, in tam præclara, atque illustri singularis pietatis, religionisque specie. cum impetrasset tandem, quod postulauerat, iussit Principi filio, Carolum obsecraret, vt se filii loco semper habere vellet, ipse perpetuò tantum virum coleret, eiusque præceptis studiose obediret. tum ipse quoque Carolum ea de re vehementer orauit. Id re ipsa effectum est: nam paulo post Emanuele mortuo, Carolus Emanuel Dux factus, Cardinalem Patris loco semper habuit: illeque Ducem quibus rebus potuit semper ad salutem, imperiique prosperitatem amantissime iuuit: neque tempus vllum prætermiserunt, quo simul esse possent, quin eo studiose vterentur. Ita se habuit peregrinatio illa, pietatis fructu sine dubio in omnes partes vberrima, Caroloque ipsi ob sanctissimi Lintei in primis contemplationem diu expetitam, deinde etiam ob perspectam Ducis singularem pietatem, Principisque optimam indolem, iucundissima. Non est prætereundum, nobilissimam ciuitatis matronam, baculum, quo ille in itinere vsus erat, magno studio conquisitum apud se piè seruasse, atque inter res charissimas habuisse. vt videatur Dominus eiusmodi honores prorsus inusitatos Carolo tunc eo loco haberi constituisse, cum alibi solicitudines, & molestias inusitatas sustineret. Inde Carolus accepta ecclesiarum quarundam visendarum occasione, diuertit ad Varallium montem, vt propositis per loci illius imagines Domini perpessionibus, ipsam rursus quodam modo sacri Lintei miserabilem speciem, quæ eius vulnera, cruciatusque omnes acriter admodum refert, absens renouata meditatione cōtemplaretur. Ibi animum diuinarum rerum cogitationibus, corpus vero pane, & aqua tantum sustentauit, noctem totam ad ædiculam quandam, ex iis, quas mons plurimas habet, vigilias egit, vna cum Francisco Adorno societatis IESV, quo sæpe sacrarum exercitationum adiutore vti solebat: demum Mediolanum rediit.

Contra vitiosas voluptates, spectaculaque pugnat. Finitimas ecclesias iuuat. Caput 4.

Inter alios salutares fructus, quos ex ea diuina pestis animaduersione populum suum percipere Carolus volebat, erat integra morum conformatio illius temporis, quod à festis Natalitiis ad Quadragesimam interponitur. cum enim superioribus annis, corruptelas eiusmodi non mediocriter moderatus esset, cupiebat, sperabatque, eas omnino tunc demum tolli posse. animis enim periculis, afflictioneque deterritis, verisimile videbatur fore, vt consuetum illum ad voluptates impetum homines remitterent, & ad diuinum cultum attentiores in posterum redderentur. Atque anno M. D.LXXVIII. hoc est extincta vix dum pestilentia, ita prorsus euenit, vt ille cupiebat: quamquam, quod ad Principes viros attinet, non tam fecit recens morbi, periculorumque memoria, quàm pietas optimæ fœminæ Annæ, Gubernatoris vxoris, quæ rebus diuinis, salutaribusque dedita, Carolique studiosissima, virum quantum poterat, in eo genere moderabatur, adolescentesque filios refrænabat, cæterum reliquo anni tēpore, quamuis à spectaculis, ludisque

alieno, maxime vero iisdem proximi anni M. D. LXXIX. diebus, nihil ad moderationem valuit; non recens castigatio: non vxor, non Caroli studium, non rei frumentariæ inopia, quæ pestem consecuta est, non Belgica pericula, armaque Regi catholico, & Ecclesiæ sanctæ infestissime illata, quæ quidem vitiorum detestationem, supplicationesque exposcebant, non autem voluptates, & vitia. non Regis ipsius denique, regiæque familiæ luctus, immo neque ipsa etiam regia mandata valuerunt: cum tamen eorum quoduis per se valere debuisset. luctum regium intelligo, ex filii adolescentuli Ferdinandi Hispaniarum Principis obitu, adiuncta præsertim etiam Ioannis fratris nothi, quem Belgicis rebus præfecerat, Vinceslai Mariæ Imperatricis eius sororis filii, & Sebastiani Lusitaniæ Regis eius propinqui, morte. quibus de rebus, quæ quidem trium mensium spatio acciderant, Regem & in mœrore esse, & nouarum curarum accessione valde premi credibile erat. Atque Ferdinando Octobri mense ante mortuo, cum ad Præsides prouinciarum Rex pias admodum litteras dedisset, Carolus iis vti commodum putauit, quæ Gubernator Mediolanensis acceperat, ad malas proximi temporis consuetudines excludendas. scribebat Rex, magno se quidem ex obitu filii dolore affectum, tum quod optimæ esset indolis, optimæque spei, tum quod ei se, vt primogenito, & Principi hæredi iureiurando regna Hispaniarum obstrinxerant. se tamen eiusmodi à diuina manu æquo animo vulnus accepisse, imo gratias egisse, quod innocentem adhuc puerum à terreno, ad cœleste regnum transtulisset. proinde omissis luctuosis officiis, supplicationes publicas, ad impetrandam flagitiorum veniam, magnaque reipublicæ incommoda deprecanda, decerni curaret. id quò facilius obtineretur, daret operam, vt quatenus regio ministro conueniret, flagitiosi mores qui calamitates inuehere solent, studiose corrigerentur. Carolus igitur Regem, Reginamque prius religiosè per epistolam consolatus, eas litteras, suis ad populum litteris inclusas, proposuit, atque edidit: populumque grauissime monuit, vt Regis sui fortitudinem obseruaret, & in aduersis imitaretur, incommoda maxima precando subleuare studeret, auctoritatem, iussumque abstinendo, beneque agendo exequeretur, idque in iis præsertim vitandis malis, quæ solebāt ex publicis vitiosis voluptatibus proficisci Varias autem supplicandi rationes, iis litteris, per ecclesias vrbis, aliasque prescripsit, atque instituit, pro catholica Ecclesia, pro regia prosperitate, pro salute mortuorum Principum: quibus etiam in proximos menses populi pie, festis præsertim diebus occuparentur. quod vt alii quoque prouinciæ Mediolanensis Episcopi facerent, litteris ad eos datis, admonuit. Instituit eo tempore, quod postea fructuose publicis de caussis retinuit: vt parochi post vespertinum officium, certa capita populo in ecclesia congregato singillatim, tamquam precandi materiam, denunciarent, vt congruo tempore cuique capiti attributo, horæ spatium, tum mente, tum voce etiam, simul precando consumerent. Hæc Carolus cum prouidisset, quamuis supplicationes quidem non omitterentur, in ipsis interdum plateis per religiosos viros de rebus diuinis sermones haberentur, indeque ad ecclesias, & diuina officia homines cohortationibus inducerentur, ipse iam consueto ritu totos dies inter populum; & altare perseuerans precationi operam daret: consuetas tamen voluptates Gubernator excludi non est passus. qua de re commotus Carolus alteras litteras edidit, in quibus grauiter eos obiurgauit, qui calamitatū publicarum, Regis, salutisque suæ obliti, tempora sacris precibus destinata vellent adhuc violare. sed nihil amplius effecit obiurgatio, nihil aliena tamen à sanctitate moderate commoti Patris, quàm vt eam Gubernator in maledicti loco haberet: & quasi crimen quoddam, vna cum aliis Romam deferret. immo cum superiores dies in spectaculis, publicisque voluptatibus consumpsisset: rebus omnibus rursus ad insignem equestris ludi apparatum dispositis, ipsam quoque diem Dominicam sibi violandam putauit, quam esse Quadragesimæ caput, atque initium Carolus antea declarauerat, iamque vniuerso populo ita persuaserat, vt eam sancte obseruaret. quod idem facturus deinceps Gubernator in aliis sacri illius tēporis

Dominicis

Dominicis dicebatur. Sed Carolus cum id resciuisset, edicto subito promulgato, grauissimaque anathematis proposita pœna, ludos illos prohibuit, & sacrum institutum defendit: neque enim Gubernator sanctum Antistitis iussum, terribilemque pœnam ausus est contemnere. Multa quoque per ea tempora Carolus egit ad finitimorum vtilitatem, quorum erat illi, cum ecclesiæ suæ recta administratione, cura coniuncta. Prouinciæ suæ ecclesiis partim ab ipso, partim ab aliis perlustrandis, atque ordinandis consuli curauerat. Nouariensis visitationem, quæ restabat transtulerat in Ioannem Franciscũ Vercellensem Episcopum: Laudensem vero in Franciscum Episcopum Nouariensem: Viglebanensem ipse hoc eodem anno, quippe paruam, paucis diebus recognouit. sed Nouariense negotium differendum putauit, quod aliam grauiorem prouinciam, necessitatisque maioris Episcopo Vercellensi potius dandam iudicauit. A rebus Helueticis, Rhæticisque prouidus Antistes oculos non deiiciebat. videbat enim quàm miserabili statu essent ecclesiasticæ res in multis earum regionum locis, quamque earum malum vicinum nobis. miserebatur imperitæ multitudinis, cuius perniciem, vastitatemque augeri, pestifero hæresis morbo videbat. Cura erat omnino Mediolanensi Archiepiscopo, sed magis tali Archiepiscopo digna. Atque in Heluetiis ad religiosiorem gubernationem adducendis, quatenus ad ea, quæ curæ sunt Archiepiscopalis, pertineret, multum profecerat: in aliis sæpissime gẽtem iuuerat. & cum ab eis plurimi fieret, si quando se in eorum negotiis pacis cõmunis, salutisque caussa interposuerat, fructum tulerat laboris sui non mediocrem. nouerat vero ex longo vsu, iam inde ab eo tempore, quo Heluetios habuit in clientela, quibus viis ad eos aditus esset, quave ratione cum eis agi oporteret. Telinam vallem, quam Voiturenam alii dicendam putant, omnesque populos, qui Rhætorum in imperio sunt, variis item rebus tueri, adiuuareque solitus fuerat. Omnes ij scilicet, modo catholicè sentirent, si quid opus erat ad res sacras, animisque salutares, confugiebant ad eum, de veniis Romæ impetrandis, de presbyteris, & concionatoribus adducendis, de religiosis collegiis constituendis, ad eum referebant. nonnumquam etiam litteris Principum ad Rhætos impetratis, piorum hominum libertati in religione tuenda consulere studuit. quibus rebus eorum calamitates, & pericula melius cernere potuerat. Curauerat inter alia, eundem Episcopum Vercellensem Comẽsi ecclesiæ recognoscendæ, & ordinandæ Romana auctoritate præponi, quæ Mediolanensi finitima per easdem regiones late patet. idque magis faciendum iudicauerat, quod Episcopus Comensis officio suo, catholicis hominibus earum partium subleuandis, nescio quomodo impeditus, parum fungebatur. Id muneris obiit Ioannes Franciscus egregie: & per ea loca, etiam in hæreticorum imperio, catholicis sæpe functus officiis, non sine vitæ periculo, plurimos ad salutem iuuit, catholicos confirmauit: ecclesiæ Comensi in vniuersum, rebus multis pie restitutis, multis canonice conformatis, vtilissimam operam præbuit. Cum autem hoc tempore, vix id negotii ille absoluisset, rursus Carolus cõsilium iniit, vt in præclarissimo opere per eundem Episcopum progrederetur. itaque nemo cum esset in regionibus illis, qui Romana auctoritate christianas res, catholicasque procuraret, & magna esset sacrarum rerum confusio, eum in Helueticis, Rhæticisque ecclesiis Visitatorem, & Internuncium Apostolicum Romæ decerni curauit. Idoneum eiusmodi prouinciæ putauit virum illum, qui non tantum sibi proponeret publicam amicitiam tueri, Romanamque dignitatem cõseruare, quamquam & hæc studiose, atque diligẽter, sed in primis diuino cultui restituendo, augendoque inseruiret. cuiusmodi nuncios Carolus desiderabat, præsertim ad nationes hæretico malo corruptas. Id vt perfectius ille consequeretur, consilio, studio, curaque sua præsto fuit, quibuscumque rebus opus esset. dedit etiam ex numero suorum administros, M. Antoniũ Bellinum Iurisconsultum in primis, qui nuper operam suam Carolo, atque ecclesiæ dicauerat. Ad easdem iuuandas nationes aliã quoque iniit Carolus rationem: vt Mediolani collegium constitueretur, in quo earum nationum clerici piis moribus educarentur, catholicaque doctrina instituerentur. qui

deinde sacerdotio initiati in patriam reuertentes, Ecclesiæ statum tueri possent. qua in re, licet Heluetiis, Rhætisque opem ferre vellet, Telinæ tamen valli cupiebat subuenire, & ei vicinitati omni, quæ est circa Alpes: tum propter loca nobis propinqua, tum ob ingenia quoque, non ad eruditionem tantum, sed etiam ad probitatem accommodata, quæ Carolus solebat non mediocriter laudare. negotium igitur iam multò ante propositum, & deinde intermissum, rursus suscepit, & quæ fuit Gregorii Pontificis pietas, etiam confecit. Assignata est collegio ecclesia, & ædes sancti Spiritus Mediolani, in qua olim Humiliatorum Præpositura fuit, tunc vero erat Cardinalis Alexandrini. cumque nihil tunc quidem suppeteret, quod perpetuò posset ad sumptus necessarios assignari, tribuit liberaliter Pontifex magnam pecuniæ summam, donec aliquid occurreret perpetuò tribuendum. Iacta sunt hoc anno Calend. Iunii collegii fundamenta; Carolus deinde diligentia, atque attentione vsus, stabiles facultates ab eodem Pontifice impetrauit, fructus Præposituræ Modœtiensis sanctorum Iacobi, & Philippi, sanctæ Crucis Nouariēsis, Sancti Antonij Papiensis, ad aureorum nummum fere duo millia: atque ædibus illis alienatis, ampliores, commodioresque comparauit, in quibus pro facultatum modo magnus clericorum numerus, quos Archiepiscopus approbaret, educaretur, ad salutarem earum nationum vtilitatem. Insignes quoque Præposituræ, quæ Mirasolis dicitur, fructus obtinuit, cessione Marci Sittici Altaempsii Cardinalis, anno M. D. LXXXI. ad aureorum fere tria millia, si integri percipiantur. quam piam, præclaramque liberalitatē suam Marcus in Constantiensium suorum in primis, sed Altaempsianorum quoque, & aliorum quorundam commodum redundare constituit, quemadmodum actis ipsis latius continetur.

De concilio Episcoporum quinto, & constitutionibus clericorū regularium Sancti Pauli. Caput 5.

Quintum consueto anni tempore celebrauit Episcoporum suorum conciliū, in quo multa decreuit ad fidem catholicam à vicinis hæreticis tuendam, ad christianam doctrinam tradēdam, & in populo conseruandam, ad sacros dies, sacraque tempora rectè colenda, & ad alias christianæ disciplinæ partes tuendas, spectantia. præcipue vero de Episcopi, & presbyterorum officiis pestis tempore, & de omni cura, & gubernatione ad Dei sacerdotes tali tempore pertinente, ex iis, quæ experiendo, & perficiendo cognouerat, multa constituit. in quo nouā, & pulcherrimā Ecclesię Dei parauit supellectilem. quintum celebrauit quā-quam quarti decretorum volumen Romam anno ante probationis caussa missum, vt absolueretur, nondum impetrare potuerat: inciderat enim in eosdem scopulos, in quos res eius reliquæ. Illius concilii Episcopi, cum aduertissent inter alias corporis afflictiones, illam quoque Carolum suscepisse, vt super asseribus cubaret, quod quidem ad salutarem, & quietam tali tempore gubernationē gregis sui à Domino impetrandam, tunc fecisse credibile est: etiā, atque etiam ab eo postularunt, tandēque obtinuerunt, vt tantam remitteret asperitatem, & paleas saltem pro lignis substitui pateretur. Operam dedit post concilium valde opportunam, grauissimamque præsentiæ suæ tribuit auctoritatem Congregationi Clericorum regularium Sancti Pauli: quæ nouas sibi constitutiones, cum ei veteres auctæ iam, & amplificatæ non sufficerent amplius, scribere, summo Pontifice approbante, instituerat. ipse enim pro sua antiqua erga eam voluntate, quòd libentissime cōmemoro, Patrum consultationibus ea de re habitis amantissime interfuit, & præfuit. quæcunque constituenda essent, omnia recognouit, probauitque, & Pontificia quoque auctoritate confirmanda curauit: vt ex antiquis Episcopis vnum posses agnoscere, qui pro sui status eximia præstantia, etiam de eorum disciplina, qui excellentiorem christianæ vitę formam propositam habent, optime iudicabant, atque adeo illam ipsam vitæ suę exemplo exprimebant. est vero, cur id diuini, maximique beneficii loco, quod facimus, ducere debeamus, quod tanti viri benigno adiumento, atque auctoritate, iacta sint nostræ amplificationis fundamenta. nam & rerum nostrarum ab eo tempore euentus ita perspicue confirmant. At Caroli quoque beneuolentiæ, atque amori respondit semper ordinis nostri inter cæteros, vel potius, si bona omnium pace dicere licet, præter cæteros omnes, summa obseruantia, constansque

eius studiis obsequendi, atque inseruiendi voluntas: vt tantum ei Patres obedire eiusque sanctos conatus iuuare studerent, quantum ille eos benigne complectebatur, & nouis semper beneficiis ornabat. Studuit eodem fere tempore diligenter, vt erat cœnobitarum disciplinæ iuuandæ studiosissimus, & ad eorum pia commoda, progressionesque semper, etiam inter maximas occupationes, paratissimus, rebus ordinis illius componendis, qui Sancti Ambrosii dicitur, Mediolanique, ac aliis quibusdam locis ritum seruat Ambrosianum. quibus vt res suas optime constituerent, religiosissimi Antistitis auctoritas, atque diligens opera non defuit. edidit libellum per id tempus, quem Memorialem inscripsit: vt ex eo Mediolanenses afflictionis, liberationisque suæ proximæ, tum caussarum, vnde profecta afflictio existimari debebat, memoria conseruata: res prosperas temperarent, gratias Deo haberent, agerentque semper, sibique in posterum cautius prouiderent.

De translatione reliquiarum Basilicæ Apostolorum. Caput 6.



Concilium autem ornauit translatio reliquiarum Basilicæ Apostolorum, quemadmodum & translatio ipsa ex Episcoporum præsentia valdè illustrata est. Mouerat eas Carolus superiore anno, cum canonici antiquam ædem instaurare, atque ornare vellent. Sed in loco destinato non reposuerat, vt honore, celebritateque maiore, cum haberetur concilium, per vrbem gestarentur, & omnino earum esset translatio splendidior, & ad populum pie excitandum efficacior. Cum igitur altare præcipuum, ex media ecclesia tolleretur, inuenimus sub eo quemadmodum à maioribus traditum erat, corpora sanctorum Antistitum nostrorum, Venerii, Clicerii, Maroli, atque Lazari, non satis commode tamen, aut distincte, ac in rudibus quibusdam lapideis labris posita. alia ossa incerta rudius etiam habita: in medio loco arculam argenteam, & in ea quædam velamina, vasculumque rotundum, in quo ossis frustulum itidem cum velo erat. Collocatas in hac æde pridem Sanctorum Apostolorum reliquias Paulinus scribit, ea de caussa Basilicam Apostolorum appellatam significans: Sanctum Simplicianum vero eas Roma attulisse quidam tradiderunt, quem quidem multum antequam Episcopus esset, peregrinatum esse, sanctus ipse Ambrosius testatur. perpetuò igitur existimatum est, eas reliquias sub hoc fuisse altari, atque adeo, vt fit, etiam vulgatum, certa ipsius Apostoli Petri ossa ibi recondi. ea nos cum hoc tempore inuenire gestiremus, & in argentea capsula, cum ea demum apparuisset, esse crederemus: velaminibus tantum repertis, hæsitauimus tristes. Sed quod inuentum in ea est; quidquid dubii afferretur, Carolus, cœlesti aliquo motus instinctu, tamquam Apostolica pignora iussit nihilominus haberi; & primo loco suis, sociorumque Episcoporum humeris in sacra pompa portari: tum eodem receptaculo recondi. At aliquot post annis memoria cũ repeterem veterum Romanorum Pontificum in reliquiis tradendis consuetudinem, recordatus sum, reliquias Apostolorum petentibus, non ossa aliqua, quæ ne aspicere quidem auderent, sed brandeum, hoc est velamen quoddam in pixide conclusum tradidisse. cuius consuetudinis S. Gregorius testis est locupletissimus in epistola ad Constantiam Augustam. & Ioannes eius vitæ scriptor, qui pluribus post eum seculis vixit, loco brandei postero tempore, particulas vestium quarundam ex altari Sancti Ioannis Constantinianæ Basilicæ pro reliquiis, petentibus datas affirmat. hanc Romanam consuetudinem tam sancte testatã, si quis respiciat: neque aliquid ex Apostolorum corporibus Roma potuisse afferri tempore quo Paulinus demonstrat, credibile duxerit, & hæc velamina reliquias esse à Paulino demonstratas recte, ni fallor, iudicauerit. quæ quidem an sint veneratione digna, illud declarat, quòd cum S. Leo primùm, mox idem Gregorius huiusmodi pannos incredulorum caussa incidissent, sanguinem mirabiliter effuderunt. Cum autem in rotundo vasculo incisas litteras vidissem huiusmodi (Dædalia viuas in Christo) putaui aliquid ea in re esse. quod ad clarissimam quoque præstantissimamque virginem Mediolanensem Manliam Dædaliam pertineret, quæ cum per ea tempora vixerit, earum reliquiarum partem fortasse contulit. hæc pauperum mater, ob insignem in eos liberalitatem appellata est; & annis sexaginta, quibus in hac vita fuit, sanctissime coluit virgi-

nitatem. cuius memoriam, quamuis publico non colatur honore, obseruatur semper, & colere Mediolanenses, maximæ autem Deo dicatæ virgines debent. Sub alio item præcipuo altari ad caput ecclesiæ constituto, quod itidem tollendum, & commodiore loco constituendum fuit, celeberrimi martyris Nazarii, vnde præsens nomen ecclesia accepit, reliquias inuenimus, quę alte sub terram inter tenues quasdam, & politas marmoreas tabulas conditæ erant. vidi succidum quiddam adhærere inferiori tabulæ, quod equidem vestigium esse recentis sanguinis putaui, quem à Sancto Ambrosio cum reliquiis huius martyris mirabiliter repertum, Paulinus narrat. neque enim coniicere potuimus, corpus ex eo tempore motum esse, quo illud Ambrosius condidit. apud loculum sancti Nazarii arca inuenta est, duorum corporum esse continens, quæ quorum fuerint, ignoramus. ex vtroque autem loco magna odoris suauitas cum sepulchra aperirentur, afflata est. A latere dextro ecclesiæ, fere sub loco Euangelii legendi, aliam arcam aperuimus, quę paruulo sacello, altarique munita, Sancti Vlrici, siue vt alii, Arderici vulgo appellata, à multis præcipuo cultu frequenter visebatur: cui loco eiusdem sãcti viri statua etiam apposita erat. omnia vero erant remouẽda, vt ecclesiæ apta, decensque forma constitui posset: inuenimus in arca indumentis Pontificalibus ornatum corpus, quamquam simul ac ea aperta est, eorum species tota propemodum euanuit; quisnam Episcopus ille fuerit, Mediolanensisne, an Augustanus, vt quidam putant, aut vero alius, adhuc equidem ignoro. Has igitur reliquias Carolus inuentas, pie manibus suis collegit, nobis sancto officio inseruientibus: quos iubebat eiusmodi semper actionibus adesse. Absoluto autem, vt dicebamus, Episcoporum concilio, hæc corpora religiosa admodum, celebrique pompa extulit, & congruo viarum ambitu, portans ipse cum Episcopis sancta feretra, populo frequentissimo ad venerationem proposuit. commemoratas reliquias omnes collocauit sub nouo magno altari: præter episcopales illas ab ecclesiæ latere dextro ablatas, quas ab eadem parte in extremo ecclesiæ brachio posuit, & altare super eas construxit: nam aptus ad id erat locus, quoniam in opposita ecclesiæ parte aliud è regione simile respondebat, sub quo itidem sancti Matroniani corpus alio loco antea positum, tunc retulit. at efficiebatur quoque, vt dextri lateris eiusdem ianuam, quam nuper, vt in ceteris ecclesiis claudi iusserat, nemo posthac, appositi corporis saltem gratia, esset patefacturus. Ratio condendarum reliquiarum qua Carolus vsus est, quamque in posterum præscripsit, fuit sane magis quam antiqua, quãtum perspicio, & ad conseruationem aptior, & ad memoriam accommodatior, quæ quidem eius editis libris continetur.

De Caroli rebus inclinatis, & profectione ad vrbem. Caput 7.

Interea contentiones aduersus Carolum susceptæ, totoque hoc temporis spatio continuatæ res eius tantum in discrimen, & inuidiam adduxerant, vt nihil fere amplius actorum eius Romæ defendi posse quibusdam videretur. Incommodis sermonibus, & rebus inuidiose relatis iamdiu completas aures, vix demum Ecclesiæ principes multi sine fastidio Caroli procuratoribus dabant. Eius existimatio, quod ad iudicium, prudentiamque pertineret, suspensa, neque mediocriter apud multos erat extenuata. Importuni rumores spargebantur, Carolum plerisque odio esse in prouincia Mediolanensi, vix ferri posse amplius: immo ferebatur, mãdasse Regem legatis suis, vt eum Episcopatu Mediolanensi moueri curarent: Gubernatori vero, vt vi contra eum libere vteretur. vulgatũ est eundem Romam breui iturum, neque rediturum: quæ quamuis neque vera essent, neque similia vero, magno tamen cum detrimento rerum Caroli iactabantur. Mediolani nonnulla ex iis quæ pie is instituerat, iam pene lapsura videbantur. nempe inter alia, rumore quodam studiose per vrbem, diœcesimque disseminato, chorearum licentia subito loca multa peruasit. eoque res deuenit, vt in vico quodam, Carolo propè inspectante, qui eam diœcesis tunc partem lustrabat, nonnulli temerarie cogerent ferme puellas, aliosque, vt ab ecclesia, christianæque doctrinæ schola, discederent ad choreas celebrandas. quod quantum Carolo doloris afferret, facile est coniicere. vel ipsi certe laici, vt erat bonorum omnium sensus, maximè dolebant,

eiusmodi impunitatem dari. Omnino ita inclinatum videbatur totum de disciplina restituenda negotium: vt ad fælices exitus posthac erigi vmquam posse, plerique desperarent. Cum tantis incommodis Carolus conflictaretur, animo quidem in rebus suis agendis minimè deficiebat, & se tamen non mediocriter fatigatum interdum fatebatur: de quo Pontifici etiam significari iussit: non id fieri solum contumacia, insectationeve hominum, sed ob eam quoque maxime caussam, quod facta sua, si qui repugnarent, quasi iudicium accipiens, litemve persequens, Romæ defendere singula cogeretur. ad retardandum Episcopi animum, qui suam ordinare cuperet ecclesiam, non parum id valere. venire in mentem facile posse, cum id fecisset, quod rectum, piumque videbatur, demonstrasset etiam quærenti Pontifici, quid in eo spectasset: tum nihil aliud agere, curareve; remque totam summis iudicibus libere permittere, siue confirmandam, siue rescindendam. prouocationes quidem omnium ecclesiarum pro summa Apostolicæ auctoritatis dignitate, iustitiaque minime debere contemni, neque eorum, quæ vbique fierent recognitio recusari: sed ita tamen, vt omisso sæpe iudiciorum more, Episcopo facti sui, præsertim non grauissimi, rationem, in re comperta reddenti, fides haberetur, cui grauissima, omniumque maxima animarum cura credita esset. Specianus igitur, qui solus negotia Mediolanensia tunc Romæ procurabat, & præsens eorum fere animos, quorum in manibus negotia erant, in contrariam partem valde inclinatos cernebat, anxiè admodum petebat, vt Carolus ipse Romam iret, cuius præsentia, auctoritate, ac industria, quæ propemodum iacebant, erigi, confirmarique possent. Carolus, qui gregi suo affixus antea iurisdictionis caussa Romam ire recusauerat, eo tunc periculo motus eundem sibi constituit: ne forte iis, quæ in contentione posita erant rescissis, auctoritate, existimationeque labefactata, præcipuis restitutæ disciplinæ fundamentis euersis; fructus, multorum annorum laboribus, vigiliisque collecti perirent. habebat præterea, quæ ad vniuersæ prouinciæ commodũ pertinerent, cum Pontifice agenda. Itineris consilium, prudenter secretò haberi curauit, ne vehementius ad contentiones suas aduersarii forte concitarentur: donec oblata mense Augusto Dominici Bollani Episcopi Brixiensis grauiter ægrotantis, occasione, ignotæ quidem aptum profectioni, sed valetudini valde periculosum tempus elegit, ob magnos calores, Romanique cœli naturam. sed eo periculo posthabito: Brixiam statim ex prouincialibus decretis, moreque suo aduolauit: morientem Episcopum assidua præsentia, officiòque, quibus rebus oportebat, pie iuuit. mortuo in funere, & exequiis, in precationibus, & sacrificiis non defuit: populum deinde Brixiensem, in Beatissimæ Virginis eius mensis festo die, Missę solemnibus celebratis, sanctissima Eucharistia, ad hominum sex millia, religiosissimè pauit. Inde Mantuam ob Principis sororis suæ negotia, cũ ex charitatis officio se contulisset, Romam direxit iter. sed vt contra aduersarios, atque obtrectatores sese religiosius instrueret, opinionemque de suis actis incommodam, aduersariorum opera multis insitam, posset conuellere: omnino vt sibi viam muniret ad ea Romæ perficienda, quæ Ecclesiæ, diuinique honoris caussa in animo habebat: ad Deum, diuinasque exercitationes, sacraque, ac diuina loca ex itinere obeunda, mentem, animumque adiecit. Primò igitur se ad Camaldulensem eremum contulit. ea est inter iuga Apennini quibus, Tusciç fines ab Æmilia diuiduntur, in monte magnæ altitudinis, difficilisque ascensus. Ibi in vnam ex domunculis sese abdidit, quæ multæ sunt in summi montis planitie, ad singulorum eremitarum vsum, & dies aliquot solus orationi, cõtemplationique diuinæ dedit. Vir Deo plane deuotus, summa in Deum fiducia, tali tempore, tali loco, quale sibi, rebusque suis comparauerit præsidium demonstrabit euentus. Monetam, Iuliumque Brunetum, qui ei erat ab epistolis, cum ibi retinuisset, ac reliquos præmisisset, fama in multas partes manauit, eum rebus omnibus relictis, illius loci factum esse eremitam, propterea quod iam intelligeret post varios conatus, nihil se in iis proficere, quæ proposita multos annos ad christianæ disciplinæ restitutionem habebat. At ille relicta eremo, Aluerniam, aliaque reuisit sancti Francisci monimen-

ta. Deinde venit ad sanctissimam Laureti ædem. iter ad millia passuum circiter viginti sacro loco proximum pedibus confecit. toto autem itinere, quàm ad eum incolæ omnes videndum cupide confluerent, post illud pestis facinus, quotidianasque sanctitatis accessiones: ex eo quod antea fiebat, coniicere licet, vel me tacente. iter faciens, vel tacite precabatur, vel psalmos recitabat, aliàs ex sacris litteris aliquid animo tractabat. si colloquebatur, eodem sermones referebantur tamen. Quoniam non voluntate hospitia, sed casu, & necessitate, cum tenebræ obstarent itineri, quæcumque illa inciderent, eligebat, in paruo quodam vico euenit, vt cum vlterius progredi non liceret, aliudque hospitium non esset, ad domum presbyteri loci illius, confugere compelleretur. ibi cum solum hominis lectulum vidisset, noluit illi esse incommodo, sed vili, & modico cibo sumpto, in ecclesiam se recepit, vbi tota nocte moratus, modicum temporis somno dedit, reliquum precationi, tum audiendis suis, quos vicissim pios, sacrosque libros iussit legere, ac secum salutariter exerceri. Earum precationum vi factum existimarunt Caroli comites, vt Iulius Homatus bonus presbyter, & eius amanuensis mirabiliter postero die seruaretur. qui ante Carolum de more contentius equitans, de celsa rupe cum forte decidisset, equus quidem, in quo sedebat, præcipitatus confractus est, ipse vero præcipiti loco magna eorum qui aderant admiratione hærens, nihil offendit. In sacrosancta Virginis ædicula Laureti tota nocte vigilauit. proximo die, qui Natalis Virginis erat, Missæ sacrum ritu celebriore fecit: & in eo concionatus est, eo pietatis ardore, vt omnes præsentes incolæ, ac aduenæ, quis autem aberat, qui quidem adesse posset? vehementer commouerentur. Ita munitus, diuinitusque confirmatus Carolus Romam venit. diceres virum Romæ prorsus contemnendum, aut eo solo honore accipiendum, qui sine manifesta iniuria pro dignitate personæ prætermitti non posset: siquidem quo statu essent antea res illius, attenderes. At contra, magna subito facta rerum conuersione, maximis, & inusitatis honoribus, maximaque publicæ lætitiæ significatione exceptus est. tantus fuit populi Romani concursus, tanta eorum multitudo, qui eum, Romæ tamen complures dies futurum, videre statim cupiebant, vt non angustissimam viam mille fere passuum longitudinis à ponte miluio penitus complerent: quasi non Cardinalis vnus, isque humili paucorum comitatu, sed magna pars amplissimi Christiani orbis consilii vno tempore aduenisset. Ante omnia mane domo exiens, scalam illam ad Basilicam Lateranensem, quæ merito sancta dicitur, genibus, vt piè fit, obire, beatique Petri sepulchrum, moxque Pontificem adire cõstituerat: sed & conuenientium collegarũ, principumque virorum frequentia prohibuit, & Gregorius anteuertens ad Pontificium palatii hospitium accersiuit: vbi amoris, honorisque præcipua significatione eum apud se detinuit complures dies. Rerum gestarum, itinerisque religiosissimi fructum eiusmodi, tunc largita est diuina benignitas, quæ tum sæpe suos, neque cupientes, neque opinantes, efferre maxime solet, cùm maxime videntur abiecti. At vero non potuit eo loco, vbi posita est vicaria Christi Domini potestas, non pro merito accipi egregius, fidelissimusque Christi minister: iis præsertim rebus, paulo ante gestis, quæ gloriosum quẽdam triumphum de magnis calamitatibus, de immani pestilentia, deque grauissimis mortis periculis merebantur. neque potuit Roma veritatis mater, non statim fauere veritati.

Quæ Romæ egit de legatis Mediol. Romã missis, & de Caroli discessu. Caput 8.

Tuebatur ille Romæ sua instituta, domusque suæ disciplinam. Cœnaculum in ædibus Sãctæ Praxedis ad similitudinem cœnobitici, parari iussit. mẽsam ad præscriptum conciliorum Mediolanensium instructam habuit, adhibita sacri libri lectione. sanctissimis locis colendis, diuinisque rebus contemplandis, quæ ad ea pertinerent, dum ibi fuit. pascere animum in primis studuit, ac exaturare. Basilicas insigniores, omnia sacra loca, veterisque pietatis monumenta pedibus obibat, precibusque dum iret, vt antea solitus fuit, operam dabat. Nocte Saluatoris natalitia, de Pontificia synaxi ad maiorem Sanctæ Mariæ ecclesiam longè profectus, ibi abiectus ad sanctissimum præsepe, precando, diuinisque mysteriis contemplandis vigilauit, donec ad eandem synaxim mane in Vaticanum reuerte-

betur. Die item ante Sancti Sebastiani festum, cum ad eius Ecclesiam notissimæ religionis, sanctitatisque locũ, venisset; ibi tota nocte, mansionis eiusmodi conditionem nihil veritus, in subterraneis locis, vno aut altero comite, martyrum sepulchra veneratus est. Ab his rebus minimè vsitatis; eam tamen diuino beneficio præstitit modestiam, charitatem, & suauitatem; eaque itidem vsus est prudentia: vt etiam qui alieniores videbantur, amicos, beneuolosque sibi redderet, omnibusque satisfaceret. Cardinales, Regii legati, ciuitatis Principes, Præsules, eius consuetudinem, mensam, & disciplinam, non solum ab eo inuitati non defugiebant; sed appetere etiam, magnũque pietatis fructum inde percipere videbantur. Neque verò aditum ad multa pro se, rebusque suis conficienda difficilem habuit, quæ magnis impedimentis ad id tempus suspensa tenebantur. Decreta concilii quarto loco cum Episcopis celebrati; cum vt diximus, iam diu agitarentur; ipse rerum singularem rationem ita reddidit; ita quæ sua esset decernendi ratio, quæ caussa: quæ spes exequendi demonstrauit; vt omnia fuerint, & quidem amico planè animo demum comprobata. nec ea solum, sed quæ item in quinto nuper fuerant constituta, qua quidem in re conficienda, rationéque reddenda Antonii Senecæ Mediolanensis Ecclesiæ Decani, & in ea disciplina diu exercitati opera multum vsus est. Illud insigne fuit; Gregorium ipsum tanta occupationum Pontificiarum grauitate; Carolo tamen id dedisse, vt omnia quarti Concilii decreta ipse legeret, atque recognosceret: cum alia præterea multa audire, iudicaréque necesse habuerit; de rebus ciuitatis, & prouinciæ Mediolanensis; de querelis ciuitatis nomine habitis; de administrationis, atque adeo vitæ ipsius ratione. omnia enim publica, & priuata diligenter ad eum Carolus tamquam ad patrem deferebat. Egit etiam de communibus sacræ iurisdictionis caussis, quas Alcanisii Marchio, cum aliis adiutoribus ex altera parte agebat; sed res cum esset maioris temporis; multorumque curam, atque operam desideraret; nihil confectum est. Caroli acta Pontifex publicis querelis impugnata comprobauit. moderatione tamen nonnulla quibusdam in rebus demonstrata. Itaque suspensa, vel intermissa Carolus perfici, renouariuè Mediolani, iussit; per Nicolaum Galerium Patauinum Canonicum, & Iurisconsultum, quo quidem grauibus in negotiis muneribusque, toto Ecclesiasticæ administrationis suæ tempore, vsus est. tunc autem generalem suæ potestatis Vicarium dederat: perque Ioannem Fontanam Mutinensem nunc Episcopum Ferrariensem: quem Archipresbyterum Ecclesiæ Mediolanensis fecerat, & eo tempore primarium suæ gubernationis habebat administrum. Ita de spectaculis edicta rursus proponi; saltationes coërceri; festorũ dierum cultum conseruari; ianuæ in Ecclesiarũ lateribus clausæ haberi; alia confirmari, quæ in discrimen adducta erant, magna piorum omnium iucunditate cœperunt. De saltationibus cum legisset Pontifex libellum, ab vno ex Caroli ministris eo tempore conscriptum; constitutionem generalem de iis vbique festo die promulgaturus erat; nisi ea iam scripta, nonnulli intercessissent, quibus fidem habere Pontifex in eo rerum genere solebat. At Mediolani cum primum audiuit Gubernator, eiusque consiliarii, quæ antea facere videbantur, à Carolo Romæ excitati, & non mediocrem fieri voluntatum inclinationem; enitendum sibi vehementius; legatosque tunc ciuitatis nomine mittendos statuit. cumque satis sciret, quod consilium sexaginta virorum ciuitatis iis de rebus sentiret: tentauerat enim: conuocato consilio tamen, seu quali quali Decurionũ conuentu, missoque magno cancellario, cuius præsentia, verbaque vrgerent: ægrè, sed perfecit tamen, vt non solum legatio decerneretur: sed ij etiam legati, quos ipse probasset, nobiles tamen, & ornatos viros quibus in re tali recusandi potestas esse non solet. Ita ciues discessere: vt palam multi, magno dolore cõquererentur: passimque testarentur, ciuitatem Mediolanensem quæ bonis Archiepiscopis numquam aduersata erat, Caroli autem optimi Patris semper fuerat studiosissima, coactam fecisse: vt contra talem virum legationem Romam decreuisse dici vmquam posset. Cum legati anno M. D. LXXX. ineunte Romam venissent: Carolus

qui perfectis iam rebus, & cum Pontifice constitutis, iam iam discessurus erat, profectionem tamen ideo suam non distulit, tunc omisit consuetum multi temporis officium conueniendi Cardinales, & salutandi: reliquit autem ex suis, qui singillatim vnumquemque adeuntes, omnibus ea de re satisfacerent. Sed vt aduentus antea, sic non caruit discessus egregiis ornamentis suis; nam præter Cardinales qui eum comitati sunt, populus Romanus summis laudibus, optimisque precationibus magna frequentia prosecutus est exeuntem. Florentiam venit ad magnum Ducem Franciscũ, quo cum erat illi, sicuti cum Patre præcipua quædam necessitudo: vt de rebus salutaribus cum eo, magnique momenti nonnullis ageret. Inde Ferrariam, Venetiasque venit: quibus locis grauissima quædam ad Dei honorem, catholicam fidem, sacrorumque immunitatem tuendam, erant ei mandato Pontificis itidem agenda. Quãuis autem ille ad excludendam celebrioris ingressus pompam, ignotis diebus soleret aduenire; vix tamen celari poterat aduentus: & in eo tamquam viro excellenti, & Cardinali præstantissimo honorando Principes, & ciuitates vsitatis honoribus non contentæ, consuetudinis modum plerumque transibant. Venetiis in Pontificii Internuncii domo, potius quàm in magnificis ædibus à Senatu oblatis moratus est; quotidie tamen amplissimis muneribus de publico donatus quæ viuendi sumptum longe superarent. Cum autem Senatores salutatum domum venissent, eumque ad Ducis palatium comitarentur, vias, plateas, ædium fenestras, tecta ipsa, populi concursu, mirabiliter repleta fuisse narrant; palatium verò ipsum, ita plenum, vt nisi vi adhibita, Dux ipse non posset per gradus obuiam illi descendere. Ibi omne tempus à negotiis vacuum, in visendis, piéque venerandis sanctis corporibus reliquiisque posuit; quas Ecclesia Veneta plurimas, insignesque habet: vnde complures particulas ab ædium sacrarum rectoribus acceptas Mediolanum attulit. in quo tamen ex præcipua quadam religione, etiam Summi Pontificis assensum postulauit. Quotidie quidem pii quamplurimi ad eius sacrum conueniebant, vt sanctissimam ab eo Eucharistiam acciperent. Sed maxima omnium ordinum multitudo certa die ei rei dicta, in Ecclesia societatis IESV conuenit. in ea Missa, rogatus à multis, & à Veneto Patriarcha Nuncióque Apostolico in primis, habuit concionem; quæ salutares eius dici, temporisque fructus auxit. Præter ea, quæ proposita in primis habebat; alia multa pro sua summa auctoritate, præsentia sua salutariter effecit. nam etiam Ferrariæ, & alibi; sed quid enumero? quacumque demum transiret, in christianis rebus plurimum proficiebat. atque tum ipse attendebat vbique diligenter, si quid Domino, cui se totum dicauerat, animæque suæ posset amplius quærere: tum alii quoque, si quid esset, quod ad salutem animarum, diuinum honorem, inopiæ subleuationem, pertineret, auide accurrebant; & mire tamquam patri confidentes suppeditabant: aut verò solo exemplo excitati multa ipsi piè, religioseque faciebant: quod semel dixisse sufficiat. Eius caussa clerus Venetus, qui more laico caputiis rotundis vti solebat, ea tunc quidem sumpsit, quibus crucis figura formatis, clerici reliqui vtuntur. Et eius item monitu, Episcopi, qui circiter sexdecim ad eum quamdiu ibi esset, colendum, sectandumque conueniebant; & pallia clericorum communia adhibere consueuerant; aliis pro dignitate personæ vti cœperunt indumentis. quos etiam vt ad suam quisque Ecclesiam, se conferrent, cum diutius multi abessent, Venetiisque fere habitarent; grauiter cohortatus est: ac ea de re Pontificis auctoritate moneri, iuberique eos curauit. Eo tẽpore apud ciuitatis principes actionibus iis viam muniuit, quantum potuit, quæ in Brixiensis Ecclesiæ rebus recognoscendis ei suscipiendæ erant. Atque Venetorum res, atque animos eo statu, sibi visus est reperire, vt de ipsa Ecclesia; non abs se quidem, qui plus satis negotiis districtus erat; sed ab alio Antistite Apostolica auctoritate lustranda, & recognoscenda cogitare, & cum Pontifice agere cœperit. quod munus postero anno Augustinus Valerius Episcopus Veronensis, adnitente Carolo suscepit.

Venetiis cum discessisset; Brixiam recta proficisci in animo habebat, & Mediolanum venit

cultum Dominicæ primæ quadrages. tuetur Brixiēsem ecclesiam incipit recognoscere. Cap. 9.

ctus Ecclesiæ recognoscendæ initium facere; quod necessariis de caussis in id tempus distulerat: Sed erat de Dominicæ illius cultu retinendo sollicitus, quam Mediolanensis Quadragesimæ caput esse, postremò etiam Pontifici probauerat. quo die item solemne illud sacræ communionis conuiuium cum filiis suis cupiebat concelebrare. Itaque Mediolanum venit, sexta ante ipsam Dominicam diem feria: vbi incredibile est, quantum gaudii, & iucunditatis, inuisus ille dictus & intolerabilis, aduentu suo excitauerit in vniuersa ciuitate. Hora igitur qua eum ingressurum audierant, frequentes fuere Mediolanenses in viis, quibus erat transiturus. audito autem campanarum sono, qui eo appropinquante, sacri honoris causa, in omnibus Ecclesiis præscriptus erat; repentè concursus fuit maximus; ita vt viæ amplæ, & longissimæ ab orientali porta vltima, ad maiorem Ecclesiam planè complerentur. immo quamplurimi extra muros prodiere obuiam Patri desideratissimo. Et mulier quædam pietati insigniter dedita, moram, vt alij, non ferens, ad passuum duo fere millia progressa; vt Carolo propinqua fuit, muliebri verecundia omissa, quasi mentis minimè compos, sese ad mulæ pedes lacrymans abiecit. Igitur Carolo ingrediente, tum charissimum ab eo salutaris signi beneficium auidè excipiebant; tum passim mares, fœminæque præ gaudio lachrymabantur: neque pias voces continebant. En venit, iam adest Pastor noster, quem negabant reuersurum. plurimi reuerentia propemodum ex abundantia gaudii, & amoris abiecta; nisi hanc maiorem ducere velimus reuerentiam; minimè se à vestimentis, aut iumento saltem tangendò continebant. vt sæpe circa Carolum constipati sese inuicem comprimerent. alij non contenti semel vidisse; crucisque figura paterna manu signatos esse; præcurrebant, & rursus expectabant, vt cumulatius explerent desiderium suum: qua specie religionis plenissima, publicaque amoris præcipui significatione, neque alii multi, neque Carolus ipse, lachrymas tenere poterat. Recta venit ad Ecclesiam maiorem: ibi precatus, ad altare maius ascendit; populo, qui vt in maximis celebritatibus templum illud impleuerat, celebriter benedixit; & cum gaudio, paceque dimisit. Honos, & concursus ille, totus amoris, ac pietatis fuit, nihil fuci, nihil ambitionis, aut industriæ. ciuitatis rectores, aut principes viri, si vnum, aut alterum excipias, non affuere; ne displicerent in eo Gubernatori. hæc fere magnatum est miseria: vt humanis de caussis, modo hac, modo illac impediti, piarum rerum sæpè sint expertes. Sed domum postea salutatum magna frequentia, quasi tunc primum venisset, non autem sex tantum menses abfuisset, sine mora confluxerunt omnes; maximè cum ipse quoque Gubernator eiusmodi minime defuisset officio. Multa Carolus, vt solebat Roma gregi suo attulit: nam præter globulos sacræ indulgentiæ nomine insignitos: alia cœlestia dona, toti prouinciæ profutura impetrauit: iis qui concionibus, qui celebriori Missæ, qui vespertinis precationibus festo die interessent: qui signum parochiæ suæ, sacerdotemque sequentes, ordine ad Ecclesias, quando opus esset, piè procederent: alia, quæ litteris Pontificiis editis continentur. Die igitur dominico, de quo solicitus fuerat, summo manè, sanctissimæ Eucharistiæ præbendę operam dare cæpit: & in eo, quamuis adiutoribus adhibitis, continenter perseuerauit, donec tribus horis tantum nox abesset. quo tempore ægrè quidem, sed tamen innumerabiles fere sine cœlesti illo cibo dimisit; cuius gratia tota die in Ecclesia manentes terreno caruerant. atqui eodem tempore in Ecclesiis quoque suis parochi eodem munere perfuncti erant. Cum ad eam horam perseuerasset; quasi labore neque fractus, neque fessus; Vespertinarum tamē precum officio carere, quod ex veteri Ecclesiæ instituto, Pontificialem ritum postulabat, haud concionandi munus omittere noluit. Ita diei celebritas bene, piéque admodum ei procedebat; vt sacris ab aurora ad noctem perductis; clerus populusque toto die in templo frequentissimus, plenè tempus illud animæ daret, quod penitus solebat tribuere corpori. Sed Carolo concionante, noua turba, tubarum clangor, & strepitus equitum ex propinquo palatio interuenit. constituerat Gubernator quamquam edictum, & pœna anathematis statim post

factum subeunda, iam Caroli iussu renouata erat; equestrem ludum eo die omninò committi: rogaueratque multos Mediolanenses; neque impetrauerat. itaque leuis armaturæ equites ex agro Papiensi, homines aduenas, per eorum ducem, minime aduenam, & quod agebatur planè intelligentem, accersiuit: & iis adhibitis, quando alia ratione non poterat, ludos fecit. ipse cum filiis spectator fuit. Eam rem vxor pro religioso animo suo molestissime ferens; cum viro persuadere non posset; filiis saltem imperauit, vt omnino abstinerent: ipsa vero eo tempore ad vespertina sacra concessit. Eum postea equitum ducem primò misere vinctum; & paulò post, cum è carcere aufugisset, miserius de improuiso interfectum ciuitas vidit. Carolus in dolore, quem ex tali facto cœpit maximum; id solatii sensit, quod præclarissimam eo die Mediolanenses recti sui sensus, apertissimamque dederunt significationem. quam ciuitatem voluptatibus, & spectaculis eo tempore, dieque in primis, nullo modo posse carere, & vsque ad seditionem propterea Carolo aduersari velle, etiam atque etiam affirmabant; ea nè regio quidem Gubernatori contra Caroli edictum obsequi voluit: & non modo cibis in Quadragesima vetitis abstinuit; sed ipsum diem totum in Ecclesia religiosissime traduxit. quæ quidem laus non plebi tantum, aut fœminis tribuenda est: nam vel in ludis recusandis patritij, & equites communi patriæ religioni pulchre satisfecerunt. neque dubitandum, si ludus ipse postea repetitus fuisset, quin vel ipso exiguo spectatorum numero caruisset. immo, & milites ipsi fortasse, quantum postea perspici potuit, parere libere recusassent. Ad vindicandum eiusmodi sacræ auctoritatis, vt videbatur, contemptum; Carolus qui ludum fecissent, auctoresque faciendi fuissent generaliter anathemate notatos proposuit. neque enim facile militum nomina haberi poterant, cum ementita facie cucurrissent: sicuti neque facile poterat probari Gubernatoris, aliorumve iussus. spectatores autem Ecclesiæ ingressu interdictos ad normam edicti denunciauit. Quicumque spectauerant, qui si consuetos cōcursus attendamus, pauci fuerunt, factum dolentes, ad Carolum statim, eiusue ministros, veniæ caussa, etiam ex ipsa Gubernatoris domo omnes conuolarunt: facileque impetrarunt: quod non animo edicti violandi, pœnamque ignorantes, tantum ex curiositate quadam accessissent. ex militibus, qui ludum fecerant, multi supplices venerunt: idemque petierunt: quod nonnulli consecuti cum essent: alij enim edictum ignorauerant: alii minis compulsi erant: Gubernator eos in carcerem trudi iussit: immo, & typographum cum eis, qui scriptum denunciationis illius proponendum impresserat: iratus enim dicebatur, quòd de suggestu se præsente illud recitauerat concionator. harum vexationum caussam, nè res ad iudicium Ecclesiasticum reuocaretur, aliam obtendebant. vulgò etiam ferebatur nonnulla Gubernatoris excusatio: illam anathematis sententiam valere non putasse, propter appellationem tempore edicti renouati interpositam. at Lupus mirifico animi ardore concionator Hispanus, & Gubernatorem priuatim reprehendebat; & publicè magna libertate vociferabatur: nimis indignum esse, sacram sententiam parui pendi: palamque ipsi, eiusque consiliariis, sacræque eorum confessionis ministris auctoritate diuina minabatur. Non multò post autem, tum qui carcere tenebantur, dimissi sunt: tum quibus opus erant, facultate Iubilei nomine à Gregorio concessa, liberari pœnis Ecclesiasticis potuerunt, quam concessionem Carolus, statis supplicationibus indictis celebrauit. mox Brixiam contendit: eiusque res Ecclesiæ cognoscere iam tandem instituit. ac ad postremos Quadragesimæ sanctos dies, Paschalemque celebritatem cum grege suo, agendam, reuersus, Gubernatorem domi salutauit; ob id in primis, vt hominem de iis quæ commiserat patrio animo moneret, corriperetque. Fecit grauiter, vt res postulabat: ea oratione homo visus est affici vehementer: & tamquam stupens sublatis oculis, Magnum est, inquit, ea induci in Mediolanensium mores, quæ seruantur alio loco nullo. at eò magis lætandum erat, quo religiosius præcipuo Dei munere Mediolanenses, perfectiusque, pro naturæ suæ bonitate, ardoréque

Pastoris viuerent. gratias tamen is Carolo egit; & abeuntem honore etiam maiore, quàm solebat prosecutus est: cuius aspiciendi potestas ei in posterum futura non erat; etenim multos iam dies haud bene valebat; cordis quodam cruciatu quandoque angebatur: & nonnunquam viribus, sensibusque destitutus concidebat. febris demum vehemens illum celeriter confecit. de quo morbo paulo post festum Paschatis, Carolo Brixiam reuerso cum nunciatum esset; de coram iuuando, præsertim, si quo animæ vinculo ob superiora facta teneretur, amanter cogitare cœpit. cumque nonnullos qui aderamus ea de re consuleret, à tam insigni charitatis officio minimè abducendum existimauimus. ita equis ad cursum dispositis vsus, quoniam summa festinatione opus erat: paucis horis passuum sexaginta millium itinere confecto, Mediolanum venit; rectaque ad hominem iacentem accurrit. eum morti propinquum, nulloque quod perspici posset sensu, cum offendisset; mansit ibi tamen. donec efflaret animam: eaque omnia præstitit, quæ tali casu ab amantissimo non dicam Episcopo, sed parocho possent expectari. vxori deinde, ob magnam præsertim eius pietatem, & filiis, quantum potuit, nullum à se officium ad leuationem subsidiumque deesse passus est. mortui animæ sanctissimi sacrificii, quod ipse fecit, statarumque precum celebritate vna cum suorum canonicorum collegio in templo Pacis, vbi sepeliendus erat, suffragatus est. in media Missa cadauere in conspectu posito concionem habuit de morte, deque humanarum rerum conditione: quæ officia, & nobilissimo Principi honori, & Carolo magnæ laudi fuere.

Pontifex legatos Mediolanenses dimittit. literis ciuitatis respõdet. Cap. 10.

Carolo Roma profecto, oblatus est rursus Pontifici libellus, in quo querelæ omnes de Caroli actis continebantur; & huc ferè tendebant, vt ostenderent, Carolum multis præscriptis, iussisque populum Mediolanensem intoleranter premere: sancti Ambrosij instituta (diem illum primum Quadragesimæ significabant) tollere. infamiæ, atque adeo impietatis notam inurere ciuitati, cui seruandæ tot remedia necessaria viderentur. ad quæ breuiter Carolus, modestissimeque singillatim respondit: quæ ageret, Mediolanensibus esse facilia; plurimis etiam iucunda: summo studio Ambrosiana instituta sese obseruare, & tueri: vt gregem suum, quod eius optima natura ferebat, postulabatque, optima disciplina institueret, curare: id non dedecori, aut infamiæ illi, sed summæ laudi esse, ac saluti. omnia idoneis argumentis demonstrauit. Sed Pontifex quoque, tota negotiorum eiusmodi ratione iam bene cognita, ipse pro Carolo, notis manu sua libello appositis, respondit: neque vnquam ab eo abduci potuit, quod præsente Carolo decreuerat. Cum autem id legati sæpe memorarent; res Mediolanenses, aliorum locorum, Romæ præsertim similitudine habendas: ea de causa existimatum est, consuetos cursus ad pallium quoddam consequendum; aliosque ludos eiusmodi, qui Romæ ante Quadragesimam fiebant, iussu Gregorij tunc esse sublatos. quo etiam tempore Pontifex ipse, dum per eos dies alij voluptati seruirent, statas septem Vrbis Ecclesias cum multis Cardinalibus religiose visit. Sed literis ciuitatis nomine Pontifici missis ita Pontifex respondit.

Pontificis responsũ ad Mediolanensium literas.

Gregorius Papa XIII. Dilecti filii, salutem. Ex vestris literis, quas ternas diuersis temporibus accepimus, atque ex sermone oratorum vestrorum, cognouimus ea, quæ de decretis dilecti filij nostri Caroli Cardinalis sanctæ Praxedis, eiusdemque Pastoris vestri, nos scire voluistis; quæque exponi vestræ ciuitatis, ac prouinciæ multum interesse existimatis. Quod illius innocentiam, integritatem, vigilantiam, Dei gloriæ, atque animarum salutis zelum in Ecclesiastica disciplina restituenda, & tuenda agnoscitis; rectè, sapienterque facitis. sic enim debitum virtuti testimonium tribuitis: dumque talibus factis lætamini, vestram quoque pietatem, ac Dei timorem declaratis. Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, inquit Propheta, idque magno cum fructu: reddit enim hæc lætitia vos eiusdem cum Pastore vestro coronæ participes. Sic enim Abraham pollicitus est Dominus, Benedicentibus tibi benedicam, maledicentibus maledicam. & quamquam vestra, bonorumque omnium opinio, non sinebat nos suspicari quicquam à Pastore vestro grauius, aut secus quàm par esset decretum fuisse; tamen querelas expositas bonam in partem accipimus, laudamusque vestrum consilium eas ad nos deferendi, nostroque iudicio standi: sic enim facere decebat filios optimos; atque huic sanctæ Sedi

addictissimos, quo nomine semper vos amauimus, Vt igitur vestræ postulationi satis faceremus, considerauimus omnia quam diligentissime: & quia rationi maxime consentanea, vobisque ad seruandum salutaria, & fructuosa esse iudicauimus; hortamur vos, vt ea promptè, atque alacri animo amplectamini; ac non modo nihil obstetis, sed vestris etiam studiis, auctoritate, opera, executionem adiuuetis: nos enim Cardinali ipsi in omnibus mentem etiam nostram aperuimus, & declarauimus: Neque vero ignoramus posse decreta ipsa in hoc initio videri nonnullis paulo duriora; sed euadent suauia, ac facilia, si bona voluntas accesserit, quam debet quisque à Deo postulare, certissimeque expectare: angusta, atque aspera via est, quæ ducit ad vitam; si corruptam scilicet naturam spectemus: at si Dei gratiam, Iugum meum suaue. Vbi vero ad obediendi voluntatem vsus etiam accesserit; experientur homines leuissima esse ea, quæ initio ducebant grauissima. Maxime autem debet omnes consolari optima Pastoris voluntas: nihil enim aliud laborat, nisi de gregis sibi à Deo commissi incolumitate, & salute; quam etiam sua ipsius vita semper antepos̃uit tanta cum charitate, quantam omnes perspexistis. Committite vos igitur ijs manibus, quas vestris commodis, & saluti paratas, atque inseruientes grauissimis temporibus experti estis: animumque inducite, talis, tamque vestri amantis Pastoris decretis acquiescere, inque eo gratissimum vos Deo facere, vestroque officio satisfacere existimate; sic enim fruemini ea pace, quam Christus tantoperè commendauit.

Rescriptum legati non reddiderunt: sed exemplum eius cum in consilio ciuitatis Carolus recitari curasset; Decuriones, quibus nihil minus cordi erat; quàm ea legatio; quique acta Caroli, piosque conatus non infringi, sed confirmari volebant; neque responsum à legatis exegerant; & Pontificias literas, vt gratas, & iocundas, qua decebat reuerentia, & obsequendi voluntate acceperunt.

Carolus ad Regẽ mittit, qui de suis, ministrorumque regiorum rebus plene doceat. Cap. II.

Erat ea de Philippo Rege Caroli opinio; vt quæcumque à Regiis administris in Mediolanensium moribus, ad Christianæ disciplinæ normam dirigendis impedimenta, difficultatesque incurrerat; quascumque contentiones, oppugnationesque sustinuerat; ea sibi minimè euentura fuisse confideret, si cum Rege ipso nemine intercedente agere potuisset. Si quid durius ab eodem fortasse visum esset emanare, si quid minus potuisset obtineri: id aliorum vitio factum esse, qui res pro turbido suo sensu, animoque perturbato, corrupte referrent: Regisque, & consilij eius animos in Carolum incendere studerent. Vt eiusmodi vitaret incommodum, per Nuncios præsertim Pontificios, sæpius, quæ accidebant, quæ ipse sentiret, quęque fieri oportere iudicaret, ad Regem retulerat, sed quoniam publicis internunciis, aliisve agentibus, qui vsitato modo negotium procurarent; res ipsa vti erat satis persuaderi non videbatur; & negotia semper ad consilium recidebant, ibique ciuili quodam iudicio plerumque oppressa interibant, diu in animo habuit, sacri ordinis hominem mittere; qui simplici quadam ratione, & à consuetudine cæterorum negotiorum separata vtens, semel veritatem rerum omnium sincere, ac religiosè exponeret: Caroli ipsius animum, & consiliorum, studiorumque intimam rationem aperiret: quæ item nominatim referri oporteret, quæ auxilio Regis indigerent, ea proponeret. Id genus agendi, Regi sperabat pro eius bonitate probatum iri. Huiusmodi consilium cum ad eam diem distulisset; fecit Gubernatoris noua contentio, quæ nimium iam extra modum processerat; vt aliam moram interponere nollet; præsertim quia viri sapientes ita cum eo censebant. Carolo igitur huius historię scriptore ad eam rem vti constituit. quem ante Gubernatoris ægrotationem ad id inuitatum; neque mortis tempore plene instructum; post mortem nihilominus misit: quia non huius solius, sed omnium Præsidum etiam futurorum caussa, missio illa necessaria videbatur. rem omnem secretò haberi constituit, nè quid contra quisquam moliretur. In finibus Lusitaniæ Rex in vrbe, cui Pax Augusta nomen est, morabatur. eò Carolus cum peruenisset, prid. nonis Augusti, Regis adeundi, & alloquendi facultatem quærit: respondetur, nisi magna cum breuitate id fieri non posse; Regem in possessione Lusitani regni adipiscenda die, nocteque esse occupatum. demum impetrat, vt Regi nuncietur clericum Italum adesse; qui se ad eum literas, mandataque habere de

te de rebus magni momenti affirmet; petatque vt in eius conspectum modò venire liceat, ibi redditurum litteras, & à quo, quamque ad rem missus sit, paucis dicturum: de cætero facturum, quod iuberetur. Cum Rex consensisset: tertio post aduentum die, clericus introductus breuiter vnde veniat, & genus mandatorum exponit: à Rege ipso audiri postulat; idque antequam nouus Gubernator prouinciæ Mediolanensis deligeretur. tradit literas, capsulam offert, in qua dimidiatum corpus infantis, ex iis, qui Herodis iussu, olim, infantis Christi Domini caussa occisi fuerant, Mediolano allatum, decorè continebatur. Sacras reliquias Rex collaudat, flexo genu cum clerico veneratur; vultuque piè admoto tangit, quasi crucem formás; tum clericum gratias agere Carolo iubet de tali munere; & in scriptis, quæ agenda haberet, afferre. Clericus quæ posset scripta sese allaturum respondit; sed plura etiam fuisse mandata, quæ referret verbis. quæ dedisset lecturum; quæque dicere vellet mox etiam auditurum, benigne admodum Rex pollicetur. post triduum Clericus quæ scribi posse existimauerat, ea ad Regem affert. quibus ille acceptis iubet etiam dicere, Clericus cur eiusmodi ordinis hominem, & in eo potissimum tempore Cardinalis misisset, aperuit. nullo patrono, vel adiutore, immo nullo conscio, regium ipsum conspectum se rectà petiisse: vt ita diuina tantum spectari, Dei caussam agi, nihilque esse in toto negotiorum artium humanarum: satis intelligi posset. nonnulla de Cardinalis mente, consiliis, animoque in Deum, in Ecclesiam, in Regem ipsum commemorauit, tum obsecrauit, vt cum tali causa tali ratione ageretur; nè ad publica consilia, neuè ad ciuilis prudentiæ homines deferri vellet; sed secum haberet, aut cum religiosis tantum viris iuberet communicari. Addidit, quæ hoc modo breuiter perstringi possunt: De iuris, potestatumque controuersiis nihil se dicturum; eas Cardinalem iudici summo relinquere, Romæ dirimendas, quibus satisfecisse crederet, cum Ecclesiæ argumenta, testimoniaque tantum iussisset suppeditari. de moribus, de spirituali disciplina; de progressu pietatis populi Mediolanensis, de diuino honore, gloriaque sese acturum. horum caussa dolere Cardinalem, & conqueri, cum plurima quotidie magistratus impedimenta rebus iis afferrent; quæ salutariter, singularique adeo virtute Mediolanenses alioqui facere posse, multis argumentis, factisque ipsis clare demonstraretur. Boni plurimum illos disturbasse primò; si non de iurisdictione controuersiis excitandis; quod tamen ipsam Episcopalis administrationis vim, cum multorum salute coniunctam, non parum retardauerat, at earumdem certè caussarum agendarum ratione; tum contentionibus studiosè faciendis; omninò iis committendis, quæ ad Episcopalem dignitatem, & Ecclesiasticam auctoritatem offendendam, sacrasque sententias contemnendas ex se pertinerent: quod quidem vel maximum esset viæ salutaris impedimentum. Vi pro iure adhibita, Ecclesiæ ministro manum iniecisse; inusitata asperitate publice quassato exilium denunciasse. Terribili edicto promulgato, licet aliò verba spectare viderentur, re ipsa forum Ecclesiasticum scribis, notariis, ministris omnibus spoliatum fuisse. Quas res facientibus immineret anathematis pœna, eas sæpius attigisse. eadem affectos pœna, neque consuetudine reliquorum, neque rebus agendis, vt ius, fasque erat, abstinuisse: publicis factis quodammodo professos, non timere se grauissimam Ecclesiæ pœnam. Multa eiusmodi narrare posse singillatim, quæ tamen putaret iam ad regias aures peruenisse. Discere superiorum exemplo nimis facilè licentiam, & contemptionem eiusmodi, inferiores. ita neque improbos contineri; neque imbecilles animos sustineri posse. Plurima facta suppetere, quibus, vel impedito Præsulis officio, improbis peccandi licentia relicta erat; vel proposito Magistratuum exemplo, ex priuatorum audacia, contumaciaque, despecta fuerat sacrosancta fori Ecclesiastici auctoritas; & rebus, personisque sacris vis illata. Sed vel pauca satis, superque esse; prorsus inaudita; & tali tempore, talisque Regis imperio indignissima. Quomodo enim remoto

Magistratuum exemplo, vel potius auctoritate; pauci clerici tantum animi, atque audaciæ sumpsissent, vt Antistiti suo Cardinali publice resisterent; sicarios districtis gladiis obiicerent; detruderent Ecclesia, & pene præcipitem agerent: & præterea etiam publicis scriptis notare auderent? quomodo imbelles homines contra eundem coniurassent; teterrimusque apostata tantum facinus suscepisset, vt sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, sacris occupatum tormento conaretur transuerberare? vt nihil diceretur de sceleribus, quæ nonnulli, presbyteris etiam in ipsa Ecclesia cædendis, commisissent. Non longè abesse perditos mortales hæreticos, immò etiam sæpe adesse commercij caussa: quibus Ecclesiasticam potissimum auctoritatem destruere propositũ esset, vt eo quasi fundamẽto disturbato, omnis disciplina, pietasque corrueret. Quidnam caussæ tandem esset, vt tantũ contẽtionis. & pugnæ iurisdictionis caussa susciperetur, non satis intelligi. sed tamen ita esset, vt magistratus videri volebant: quid ad iurisdictionem; nouas semper aduersandi, calumniandique caussas quærere: sic cum sacro Pastore patreque, vt cum aduersario, vel hoste fere se habere: regiæ rei nomen ad remotissima trahere: perturbatisque animi sui motibus semper obtendere; id quod inter alia Cardinalis non mediocriter doleret. Ita iactatum palam; Cardinalem viam sibi latenter parare ad ditionem Mediolanensem occupandam; cum scilicet, qui opibus abiectis, posthabita hominum gratia, totum se Deo dicasset. Suspicionem verbis tantummodò elatam, nimis indignũ erat. at ab ipso Præside prouinciæ factis fuisse confirmatam. arcem Aronensem propterea Borromeiis ereptam, fidelissimamque Regi familiam quodammodo notatam; id vero quale esset, grauissimo Regis ipsius iudicio relinqui. Non absimili nomine piorum hominum societates esse dissipatas; quasi exercitum quendam sibi ex ea pia, imbellique multitudine Cardinalis sibi compararet, quæ cum in sacris ædibus ornandis: sacroque cultu honestandis, antea curam, operam, laborem, pecuniam piè poneret; diesque Deo dicatos, benefactis, precationibusque sacris obeundis cõsumeret: ad otium, gulam, luxuriam, malas omnino artes magna ex parte conuersa, & dilapsa erat. in qua quidem vastitate, cum piis omnibus dolendum esset vel maxime; dixerunt quidam tamen gaudentes, repertum tandem, quod Cardinalem in corde acriter pungeret: quasi claro aperientes, quod obscurum alioqui magnopere non erat: non quæ regio imperio vsui essent, curari; sed quæ Cardinali essent iniucunda. Ita choreas, & saltationes quas iam fere sacrorum hominum cura, & labor excluserat, deleueratque; restitutas, & defensas: vnde rixas, homicidia, turpes amores, quotidie proficisci, non modo vsus doceret; sed Gubernatorum ipsorum edicta demonstrarent; quibus expressa multorum, grauiumque malorum caussa, olim eæ prohibitæ fuerant. ita sacros dies, qui ob animæ commodum, ac salutem sunt instituti, corpori, voluptatique datos: mares, fœminasque innumerabiles à rebus animo fructuosis, ad perniciosas voluptates abstractas. Eò venisse postremũ Gubernatorem: vt contra edictum Cardinalis, anathematis sententia munitum, ipso dominico die, & eo, qui caput esse Quadragesimæ declaratus erat, ludis equestribus operam dare Mediolanenses curauerit: cum id impetrare non potuisset, induxisse, ac pene coegisse ad id homines exteros: ipsum vna cum filiis astitisse. Si hæc omnia fortasse publici iuris, potestatisque tuendæ speciem aliquam habere viderentur: etiam ad longinquiora multò, indigrioraque Principem venisse: quæ nullo modo possent consueti nominis integumentis inuolui. Ciuitatis Decuriones nihil eiusmodi cogitantes, & ab iis contentionibus alienos, solicitasse, impulisse; vti multa quæ Carolus vitiorum reprimendorum, pietatisque augendæ gratia fecerat; ad Pontificem deferrent; eaque veluti iniuste, vel sine caussa, & cum ciuitatis magno incommodo facta, rescindi postularent. compulsos semel, atque iterum per litteras facere: demum pene coactos, nobilem legationem magno sumptu Romam mittere, cum querelis, vndique studiosissime conquisitis. Inuitatos, instigatosque multos, vt querelas contra Carolum, eiusque presbyteros per diœcesim Vicarios afferrent. eorundem actiones examinatas diligenter;

inuestigatumque si quid aliquo modo ipsi, aut etiam vrbani Vicerii offendissent. si ex clero; si ex cœnobiis etiam muliebribus esset, qui Archiepiscopi sui præscriptionibus vellet contradicere; eius caussam prompte susceptam; studiosè defensam. quæ omnia licet regii iuris conseruandi, defendendive specie nullo modo possent honestari: quia tamen regiorum ministrorum fuerant consilio administrata, studio procurata, patrocinio defensa; regio nomine acta viderentur; idque eò indignius, quò regia mens ab iis omnibus esset aliena; de quo Cardinalis nihil dubitaret. Ne illud quidem prætermissum; vt concionatores, honore, gratia frequentique conuentu allectos inducerent; qui recte sensus hominum voluptariorum defenderent, Carolique rebus obtrectarent. Ita quantum in ipsis fuisset, omnium ordinum animos ab Episcopo suo auertisse: acta, conatusque omnes euertisse; nihil reliqui fecisse. magnam re ipsa, imbecillis animis præsertim, attulisse offensionem, maximumque detrimentum. si totius ciuitatis perturbator verè fuisset, vti quandoque fuerat ab aduersariis appellatus; durius agi fere non debuisse. quid simile vmquam Cardinalis in eos tantæ oppugnationis quid culpæ sustineat, eum nescire; nisi illud vere sciret, ob vitæ suæ errata, multò se atrociora, quàm ea quæ Dominus permiserat, commeruisse. quantum quidem perspicere; & à Deo assiduis precibus suis, alienisque consequi potuisset; id fieri semper, eamque rationem omnibus in rebus adhiberi studuisse, quæ Deo gratior videretur. De eius mente, ac voluntate; de dominandi, alienive vsurpandi cupiditate; quid post talem, totque annorum Antistitis vitam, demum ad talem Regem opus esset, pluribus? De legitima, iustaque agendi ratione sua; id affirmare Cardinalem; non pepercisse se vmquam sumptibus, vt viros doctos & grauissimarum rerum vsu exercitatos, tum pios quoque id quod nosse omnes poterant: apud se haberet; quorum iudicio, & sententia, omnia recte, casteque gererentur. De moderatione agendi cum magistratibus, aliisque laicis hominibus; de seruando modo; ad eos retinendos, conciliandosque accommodato! quantum sibi conscius esset, id studiose curasset: at multa sæpe non incommodè minus, quàm temerè iactari. si quid decerneret Cardinalis; si anathematis sententiam ferret; si paulo liberius agere videretur; id vbique dissipari, prædicari augeri sermone: libere nimis, atque austere factum; subito sacræ potestatis gladium districtum. nescire autem homines, quæ, quantaque is dissimulasset: quid prius ptiuatim rogasset; hortatus esset; etiam, atque etiam monuisset. quæ si palam fuissent; diuersam opinionem omnino futuram. Enumeraturum se multa, & grauia facta, si Rex iuberet, in quibus iniuriam Ecclesiæ Cardinalis dissimulasset; hominibusque turbide commotis condonasset; quotiescumque Ecclesiastico gladio vsus esset, eum videri sibi fecisse coactum; quia sine grauissima culpa Ecclesiæ suæ ius nō posset deserere; quod tueri etiam singillatim Pontificia auctoritate iuberetur. Non ignorare Cardinalem, multa molli potius brachio, cohortationibusque curanda, & efficienda; quàm iussis, pœnisque infligendis. at ob contumaces, perditosque, qui non exiguo numero his temporibus vere piis, christianisque permisti sunt; iussis etiam sæpe, animaduersionibusque agendum. Vnum ei modum cum id sedulo cogitaret, tandem videri, vnamque rationem satisfaciendi magistratibus; pacisque, & quietis, vt vulgo putatur, conseruandæ: cohortari, obsecrare; si recusaretur, cedere; ius suum remittere. quod tamen semel factum; iterum paulò post, & in re grauiori esset faciendum; & eodem modo deinceps: vt abiecta demum pastorali virga, celeriter ipsa quoque vox pastoralis prorsus contemneretur. De rebus ipsis, quæ is ad populi salutem instituisset: partim, vtrum quæ fierent ad rem pertinerent, & verè apta essent ad fidelium vtilitatem: partim essent ne iuste, legitimeque facta, & iudicata: haud difficulter existimari posse: primo quidem ex ratione, maiorumque exemplo, si locus daretur: deinde iudicio Pontificis: qui vel ipsis litteris, monitisque ad ciuitatem datis, satis ostenderat quid sentiret: sæpe etiam ipso regio iudicio, cum vera nunciata sunt: Sed euenta quoque ipsa, &

fructus ex aucta populi pietate perceptos, magno esse argumento; quæ quidem mallet Cardinalis Regem alia via cognoscere. Si in tanta Magistratuum alienatione, clerus, populusque id profecisset, quod omnium bonorum opinione, prædicationéque ferebatur: iudicari posse, quid facturus esset iisdem fauentibus. Non esse inuoluendum silentio, quod plurimorum sententia fuerat existimatū: multos diuino iudicio morte mulctatos, qui sacrum anathema paruipenderant vel Ecclesiæ auctoritati studiosè fuerant aduersati: quæ quidem existimatio tum numero mortuorum, tum conditione, rationéque mortis confirmaretur. Dictitatum etiam à nonnullis qui videri vellent æquiores; Cardinalem, quamuis piis, salutaribusque institutis, nimis tamen populum vrgere; & præstantiore, seuerioréque disciplina premere, quàm multitudini conueniret; sed in eo genere Cardinalem affirmare, fidémque, vt de re spectata, & bene cognita facere; populum Mediolanensem à voluptatibus, & vitiis ad salutares exercitationes, & ad alia, quæ nimis exquisita, & perfecta quidam appellarent, traduci posse, idque non modò sine publico tumultu, quem sine caussa aduersarij sæpe commemorassent; sed magna etiam omnium ordinum consensione: si modò ij non impedirent, quorum erat officium adiuuare potius, & fauere. optimè tenere Cardinalem, quid de Mediolanensibus suis posset polliceri. Quod si etiam aliqui se difficiles præberent quemadmodum pro humana conditione necesse esset: propter paucorum contumaciam non esse tamen deserendos omnes: immo conandum, vt ipsi quoque ad sanitatem reducerentur. Cogitari posse, quale illud esset; nolle rectores ciuitatis, vt populus vltra vsitatū quemdam, communémque modū in Christiana disciplina proueheretur, si posset, & facile posset. vt in singulis hominibus, ita in singulis populis variam esse posse vitæ rationem, diuersumque virtutis gradum: dedisse Deum Mediolanensibus, quod aliis fortasse non dederat. Episcopi esse necessarium officium, animas sibi commissas velle, studeréque virtutis, pietatisque summis ornamentis esse instructissimas. eodem quoque rectoris laici munus referri; si modò rectè pieque res penderetur. Petere Cardinalem à Regia pietate, clementiaque per Christi Domini cruciatus, effusumque ad saluandas animas inæstimabilis pretii sanguinem; prouideret in reliquum tempus, vt non solum non impediretur, oppugnareturve, sed in conatibus, laboribusque animarum caussa susceptis subleuaretur. id maxime decere tam illustrem tanti Regis pietatem: cuius nomine alio quidem loco, in perfidos Catholicæ Ecclesiæ perfugas piè, fortitérque bellum geri; alio autem contra Dei ministros, actaque populis salutaria pugnari, nimis indignum esset. Mentem suam planè declarare vellet, eaque mandare; ex quibus rectores prouinciæ, magistratusque intelligerent; ad regiam rem, Regis ipsius iudicio, minimè pertinere, immo contra illius esse voluntatem contentionibus eiusmodi, vel quoquo nomine illæ appellandæ essent, sese j dare: neque retinendi tantum imperij, vectigalium conseruandorum, iuris dicendi se esse administros; sed morum etiam regendorum; conseruandæ pietatis, & augendæ; quantum quidem tum pro sua auctoritate ipsi facere; tum in reliquis sacerdotes Dei adiuuare, eorumque studijs fauere, ac inseruire possent. Recordari Cardinalem qua conditione Dominus suos inuitaret. curas, dimicationes, perpessiones, sæpe etiam cruciatus iis subeundos, seque quòd diuinæ opis robur esset, ad id paratum esse. cupere tamen in tali Principis ditione; & ab eius administris non sustinere, quin etiam omnino sibi curandum, ne per alicuius peccatum ea vmquam sustineret. nemini penitus eum concedere, qui regiam potestatem, auctoritatemque in imperio Mediolanensi saluam vellet. debere hoc iustitiæ, Deoque; debere iustissimi Regis pietati; debere patriæ; sibique ipsi, qui sub illius imperio natus, & ab eo varie, multumque vna cum patre, fratreque ornatus; eidem se, quantum per fidem, officiaque summo terræ, cœlique Imperatori debita liceret; omni tempore gratum præstare vehementer cupiebat. In moribus Mediolanensium recte, piéque, vt quidem voluerat, moderandis, multò se magis regiæ rei, dominationique tribuisse; quàm qui minuta quædam

tanto ſtudio in lictoriis obſequiis, appariturisq; Eccleſiaſtici fori ſine cauſa perſequerentur: qui contra potius tantum ex regiis rebus detraherent; quantum Dei miniſtris incommodarent. quò magis fideles Chriſto Domino, populi forent: eò fideliores etiam ſuo Regi iuſto, Catholicóque fore. Addidit Clericus, ex omnibus quæ tetigiſſet, alia quidem ſatis eſſe, ſi teſtata eſſent apud Regium animum, vt quid ſibi credendum poſthac, quid reſpondendum, quid mandandum eſſet, in rebus ad Eccleſiam Mediolanenſem pertinentibus: apud ſe pro pietate, iudicioque ſuo ſtatueret: ex quibus, ſi quid explicatius, pleniuſve cognoſcere vellet, ſe præſto futurum, argumenta, ſcriptaque ſuppeditaturum. Alia vero, in quibus facto opus eſſet, quæque à Regia benignitate opem expectarent, ſeparatim deſcripta, fuſiuſque in oblatis libellis explicata iam tradidiſſe; vel ab impugnatione magiſtratuum liberanda: vel eorumdem auxilio perficienda: vel ab ipſis omnino imperanda. ſeſe iterum Cardinalis verbis ſuppliciter petere, vt ea omnia, conſilio, iudicio, ſapientiaque expenderet, ac ponderaret ſua: aut certè non vulgaris ſenſus, pietatiſuè homines adhiberet in conſilium. Ea Rex attentè cum audiiſſet; habere ſe Cardinali gratiam dixit; quòd ea relata illi eſſe voluiſſet: habiturum ſe eorum rationem: quædam plenius cogniturum: communicaturum etiam quæ opus eſſet, cum idoneis viris: ſignificaturum poſtremo, quid Clerico ipſi faciendum eſſet. Poſt paucos dies nunciari iuſſit, delectum à ſe Didacum Claueſium ordinis Dominicani, qui ei à ſacris confeſſionibus erat; cuius opera in propoſitis rebus plenius cognoſcendis, conſilioque in earum deliberatione vteretur: eum clericus adiret; & cum eo diſſereret. Didacus pro ſua prudentia de vnaquaque re propoſita, cum diligenter dies complures egiſſet; & clericus eſſet dimittendus: interuenit Regis ægrotatio; quæ illum multos autumni dies, magno cum vitæ diſcrimine tenuit: vt victi Antonij, receptæque paulo ante Vlyſſiponis lætitiam Dominus morbi dolore, vitæque regiæ periculo compenſare velle videretur. vix morbo liberatus, negotium rurſus admiſerat; diemque dixerat, quo die clericus abiturus in eius conſpectum veniret. Sed Annæ Reginæ caſus, quæ cum partu ſeptem menſium obierat, adhuc profectionem clerici impediuit: non enim licebat in luctu, & quidem acerbo adire Regem; commemorandam verò hoc loco arbitror huius Reginæ virtutem, quæ quidem in ſummo periculo; Regis, regiæque domus, & vt exiſtimandum eſt, reipublicæ chriſtianæ charitate adeo commota dicitur; vt ſeſe pro illius incolumitate deuoueret. commemorandus item rei euentus; nam & in vita Regi conſeruanda eam Dominus audiuit, & piam ipſius accepit oblationem, quam perpetuæ ſaluti illi fuiſſe ſperandum eſt. Cum primum igitur datum fuit, venit Clericus ad Regem; ſupplexque petiit, vt eius voluntate diſcedere in Italiam liceret. Rex humaniſſime accepit: Cardinali nunciari iuſſit; cupere ſe vehementer eius precationibus aſſiduis iuuari: & magnas ei de tali officio gratias agere: immò & clerico ipſi de eo quod feciſſet, egit ipſe. Litteris ad Cardinalem datis ea Rex tum reſpondit, quæ poſt gratiarum actionem, poſt eius pietatis commendationem, moderationem etiam quandam in eo non obſcure requirerent. Didacus de moderata regendi ratione fuſius litteris ſuis, doctéque diſputauit. Duplex vero cum ſit chriſtianæ vitæ publicè, priuatimque inſtituendæ ratio; vna, quæ rebus ad ſalutem neceſſariis contenta eſt; altera quæ meliora ſemper, quantum poſſit, & præſtantiora ſequitur, illam magis probare plurimi videntur. potius eligenda non negant, quæ præſtantiora ſunt, ſed difficultatem ſemper, humanamque imbecillitatem opponunt; at hæc pro varietate locorum, hominumque expendenda; variéque iudicanda cum ſint: probatorum virorum iudicio, qui præſentes, vſu præſertim diuturno, omnia cognouerunt, videntur relinquenda. In voluptatibus item iudicandis plurimos vidimus rerum naturam ſpectare potius, quàm vſum; cum ſæpe non malæ res ob perniciosum vſum, vt malæ meritò ſint reiiciendæ. Confirmauit vero Didacus, capturum Cardinalem magnum illius officii fructum: ea miniſtris in poſterum danda eſſe mandata, quæ ei valde probarentur. iam delectum

Gubernatorem, qui pietate, ceterisque animi ornamentis gratus admodum ei futurus esset. erat is Medinæ Sidoniæ, optima pietatis opinione Dux; qui postea tamen munus dimisit. ad hæc Didacus, gratum semper Regi fore dixit; quotiescumque vellet, eadem via cum eo Cardinalis agere. Atque re ipsa præstitum est, quod illius verbis promissum fuerat. nam ex eo tempore satis ex sententia res Carolo successerunt. maximè vero Carolo Aragonio, Duce Terrænouæ prouinciæ præfecto; pleraque fuerunt, quod ad ciuilem potestatem attineret, populi Mediolanensis saluti facilius, perfectiusque curandæ non mediocriter accommodata: quod ex sequenti historia perspicere licebit. Multis rebus significauit Rex, legationem eam sibi gratã fuisse: multisque indiciis, quàm bene de Cardinali sentiret, quantique eum faceret, eo tempore demonstrauit: si quidem adeundi potestate clerico celeriter facta; satis longum eius sermonem libenter audiuit: negotium multiplex, tali tempore; id quod neque facere solebat, neque fieri posse cubicularius putauerat; in bello, quod ei maximè cordi esse dicebatur; propéque in procinctu, humanissimè suscepit. rem suo tantum, vt postulatum erat, & religiosi viri iudicio; qui ad consilium deferre consueuisset; existimauit: nam ita Clericus: re diligenter inuestigata, comperit esse factum. prætere in maximo sui morbi periculo, cum ea Pacensis ciuitas, morbis, & annonæ inopia, caritatéque valde premeretur; de Clerico quæsiuit; si quid opus esset, subueniri iussit. cum morbo leuatus esset; item post Reginæ mortem, citius eum, quàm familiares omninò putarent, admisit; vt alij exteri, qui aditum eundem quærebant, & domestici ipsi valde mirarentur, quid cum Rege clerico illi esset; cui ad eius conspectum aditus tam facilè pateret. Satis ampla quoque præmia, vt est catholicæ Maiestatis liberalitas, eidem proposita sunt; Mediolanensis ecclesiæ sacerdotia, quæ regiæ sunt cooptationis; quæ vel ipse per Pontificis auctoritatem caperet; vel in propinquum aliquem conferret. sed ea Clericus recusauit. Hæc libenter commemorauimus, vt Regis maximi pietatem; & erga Cardinalem optimam voluntatem omnes intelligant. qui si nemine interposito; aut vero priuata, & simplici via inter se maturius egissent; multò meliora sperari posse videbãtur.

DE VITA ET REBVS GESTIS

CAROLI CARD. S. PRAXEDIS, ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI.

LIBER SEXTVS.

De Brixiensibus laboribus: de reliquiis Ecclesiæ S. Stephani, & S. Celsi, & de sacra Sindone rursus visa. Caput I.



POST Gubernatoris mortem, meritò spes erat, in Ecclesia Mediolanensi æquiora omnia facilioraque fore. defecerat enim in Principe contentionis omnis præcipua vis, & potestas. ac licet manerent quidam præteritorum certaminum administri; quamuis magna; non summa tamen ad voluntatem accedebat potentia. Quid in eo genere per Romanam auctoritatem effici posset, summus Pontifex satis ostenderat responso suo. Sanctius Gheuara, Arcis præfectus, & donec Gubernator eligeretur, prouinciæ præpositus, homo erat satis pius, & à superioris temporis contentionibus abhorrẽs. qui quidem illud Caroli cohortatione fecit laudabiliter, vt histriones minimè ferret; genus hominum; qui turpibus plerumque fabulis ad spectatorum mores deprauandos accommoda-

tis, sordidum quæstum faciunt, impudicasque fœminas ad alliciendam iuuentutem in scenam immittunt. hos Carolus, primo quidem idoneis hominibus constitutis, qui obseruarent, ita corrigere studuit, vt nihil obscœnum, aut christianis alioqui moribus alienũ dicerent facerentve: diebus item festis: ac sexta quaque feria omnino abstinerent. postremo scriptas fabulas, ad similitudinem librorum, qui eduntur, à se prius probandas statuit. quam darentur: histrionumque libidinosa crimina, quæ fori sui essent, persecutus est: vt ij potius abire, quam ea sustinere vellent. Sed ad rem. Non modica etiam erat expectatio, de eo, quod apud Regem missus in Hispaniam clericus effecisset. Ita vero euentus se habuit, vt spes fuerat. sed non ita subitò, tamen aduersariorum conatus concidere: partim enim ex præteritis certaminibus multa renouare per Decuriones, perque Gubernatoris consilium quidam curarunt, quæ minime perfecere: partim etiam nouas contentiones excitarunt. Cum ad res præcipui pauperum Valetudinarii recognoscẽdas, à Carolo Ioannes Fontana delegatus, rationes administrationis posceret: is autem qui Regis nomine tum loci curatoribus assidebat, rationum libros negaret, munus suum prius exequi non potuit, quàm assessorem anathematis afficeret pœna. qua re ad Apostolicum iudicium statim delata, multa complurium mensium spacio incommode acciderunt: dum assessor plura pro se diceret, vehementerque ageret, ipsamque anathematis sententiam, quod grauius erat, rationibus quibusdam contemneret. Ea de caussa, opportuna fuit in Hispaniis, Philippi Segæ Episcopi Placentini, & Apostolici internuncii præsentia, qui pro sua pietate, ac eximio rerum publicarum vsu, tum erga Carolum obseruantia, vt alias sæpe, quæ vera essent Regi referret, & ecclesiæ caussam tueretur. vir is postea diu agitatus, caussam capitis apud eos iudices dixit, quibus se, dum Carolo resisteret, gratificari fortasse summopere putabat. atque demum cum in publico quadam die fuisset, domum reuersus, repente prolapsus concidit, & erepta statim loquendi facultate, amissisque sensibus, paulò post mortuus est. Dum hæc agerentur, Carolus ecclesiam Brixiensem diligenter recognoscebat. Sed hic tangendum ante alia de aucta vehementer eius vitæ duritie. qui Roma cum postremò rediisset: ad aquæ vsum, relicto penitus vino, deuenire constituit, id quod multos iam annos paulatim moliebatur. Eius rei tempus erysipelas obtulit, & febris, qua post reditum laborauit, ita vt vino complures dies abstinere medicorum voluntate necesse esset. eo enim quasi aditu patefacto, integram in eo genere abstinentiam ingressus est. neque ea contentus, duos hebdomadæ cuiuslibet dies constituit, quibus pane tantum, & aqua sustentaretur: ac non multò post, tres, quas antiqui legitimas ferias dixerunt, eodem modo sibi traducendas decreuit. item sublato de loco suo consueti lecti apparatu, in angustissimum, secretumque locum cubandi caussa se retulit, apud alium similem, precandi caussa constitutum, quo intimis tantum aditus erat. cubile fuit paleæ saccus: in quo vestitus cum iaceret, postea Pontificis monitu, quem de vitæ suæ ratione Romæ consuluit: detractis sibi vestimentis, linteis cannabinis vsus est: quæ cum vsu, lauationeque asperitate carere cœperant, noua iubebat adhiberi. nouum autem operimenti genus super lecto habuit, duplicis panni itidem cãnabini, palea interposita consuti, quo etiam hyeme vtebatur. hac porro asperitate audita, multi amice, vehementerque cum eo egerunt, ne se tantopere affligeret. Augustinus Episcopus Veronensis pro suo summo in eum amore, ac pietate, per epistolam ei fusius eo de genere scriptam, aquæ potum improbauit; cui Ioannes Paulus Caimus ex bono medico presbyter, & canonicus ecclesiæ maioris factus, respondit, rationes afferens, quibus etiã natura, potus aquæ Carolo videretur conuenire. Ab eo fere tempore, maiorem etiam affabilitatem, suauitatemque quasi perfectæ virtutis maturitatẽ quandam, adhibens, gratiam suam auxit cumulo non mediocri. vt plerosque passim audiremus prædicantes, id quod erat, eo nihil humanius, nihil dulcius fieri posse. Nunc ad Brixiensem ecclesiam, cui Carolus magna Rectorum vrbis obseruantia cultus, operam non minus laboriosam, quàm vtilem dedit, multis adiutoribus, factotum cano-

num, disciplinæque ecclesiasticæ peritis. In ea diœcesi cum ad Telinæ vallis hæresi laborantis fines venisset, se minime continuit, quin ad regionis catholicos homines confirmandos, millia passuum duodecim pedes in eam penetrans, nobilem beatissimæ Virginis ædem inuiseret, ibique etiam concionaretur, pro sua modestia, religioneque minime fecit Comensis Episcopi, ad quem ea pars pertinebat, assensu. Populum quendam falsis dogmatibus ob hæreticorum consuetudinem iam antea deprauatum, cum in eadem diœcesi studiose iuuare curaret, puellæ cuiusdam, insignem pietatem est admiratus, de qua mihi tacendum esse non existimo. eam auus cum ad patrem hæreticum, qui in Telina valle exulabat, esset missurus, tanta constantia eò se venturam negauit, vt domo pulsa, potius apud extraneam mulierem duriter sustentari vellet, quàm fidei periculum adire. auo mortuo, cum frater rursus vi ad patrem duceret, aufugit illa in itinere, & in siluam sese abdidit, moxque ad mulierem rediit. Carolo demum annos nata circiter decem, supplex se commendauit, isque in Brixiæ pio quodam pauperum mulierum collegio iussit collocari. Neque prætereunda est ipsorum sicariorum, eiectorumque, quibus Brixiensis regio tunc abundabat erga Carolum reuerentia: cum enim alii, qui incidissent, rebus suis, sæpe vita spoliarentur, contra non ipse Carolus solum, sed eius administri quoque, quibus illi sæpe in variis itineribus occurrerunt, honore potius quàm vlla iniuria ab eisdem afficiebantur. Venit quandoque eorum dux, nobilissimo loco natus, toti regioni maxime formidabilis, ad vicum quendam, vt Caroli sacro, concionique interesset. Carolus cum plurima in æde tormenta, telaque conspexisset; sacri loci dedecus minime ferens, ad ducem misit, vt ea exportarentur: qui suis omnibus exire iussis, tormentum quod gestabat, humi posuit, illudque pede comprimens, ad sacrum, concionemque attentus mansit. Martinengum noctu Carolus cum venisset, diuersorium extra castellum ingressus, eodem hominum genere completum offendit, qui maxime illum reueriti, domiciliis etiam, quæ iam tenebant, prompto animo cessere. ipse vero suis ad cœnam dimissis, infelicissimum vitæ genus miseratus, diu cum illis egit, vt ex tantis periculis, miseriisque animas, corporaque item sua eriperent, suumque ad eam rem auxilium pollicitus est: quorum nonnullos ita commouit, vt pœnitentiam sibi proponerent, innocentemque vitam posthac agendam constituerent. Cum quatuor sanctorum Brixiæ Episcoporum, & inter eos sancti Dominatoris corpora in arcis æde sine cōgruis honoribus, cultuque haberentur; neque piis hominibus ob arctam loci custodiam, aditus esset ad venerationem: ea Carolus, etiam rectorum ciuitatis voluntate, in Ecclesiam maiorem celebri admodum apparatu, cōuentuque transtulit, mense Nouembri anni M. D. LXXXI. nam ad id tem- 1581.
pus in eo negotio Brixiensi, longinquo itinere sæpius repetito, perseuerauit, anni tempora inter suam, Brixiensemque ecclesiam partitus. In ea ciuitate conuenit Mariam Maximiani Imperatoris olim vxorem, Rodulphique matrem, & Philippi Regis sororem: quæ ex Germania in Hispanias iter faciebat. debitum erat officium altissimæ Imperatricis dignitati, non minus tamen insigni optimæ fœminæ pietati: accommodatum vero ad Caroli res in Hispania iuuandas. periucundus fuit Reginæ Caroli aduentus: atque humanissimè, pieque admodum accepit: Missam, vt coram ea faceret, suisque precibus iuuaret, postulauit. Carolus eo tunc salutationis officio contentus, Laude iterum adiuit, vbi eam præcipue honorare cupiebat, quòd ea ciuitas prima in Mediolanensi ditione occurrebat. Sed illa Imperatorum filia, vxor, & mater, præ summo christianæ humilitatis studio Carolo dixit, pompam illam personæ Imperatorię perscriptam sese ferre quodammodo non posse, in qua ipsa veheretur, clerus vero pedibus præiret. Itaque omissa pompa ingressa est. Missam Carolus illa præsente fecit, cumque loco minime consecrato fieri necesse fuisset, eam rem, cum inter sacrum verba faceret, noluit Carolus exempli gratia silentio præterire: quin excusationem afferret, idque sibi alioqui non probari modeste significaret. nonnulla Mariæ, nobilissimisque fœminis, quæ eam comitabantur, donauit, religionis gratia: quæ quidem illæ, vt

incredibili cupiditate expetierant, ita summo gaudio acceperunt. cum autem de Mediolanensis ecclesiæ rebus eam generatim ipse docuisset, clericum deinde, quem miserat in Hispanias, Genuam versus, eam subsequi iussit, & quæ opus essent, ad ecclesiæ caussam defendendam, latius suppeditare. Ad Brixiensium populorum salutem plurima Carolus effecit, auctoritate sine dubio adiutus amplissima, sed in primis sanctitate. Magnus, salutarisque locis omnibus animorum motus, voluptatum propensio. plurimi tali exemplo, cohortationibusque permoti: ad fugienda vitia, ad emendandos mores, ad augendam pietatem incensi: non mediocriter in salutis negotio profecere. multi diuturnis secretim vinculis astricti salutarem libertatem, diuino beneficio, Carolique opera consecuti sunt: vt eiusmodi commotiones Carolus videns maximis in laboribus maxime item recrearetur, sæpiusque gentis laudaret pietatem. præcipue vero, quod ad acuendum virtutis studium dicendum est, mulierum virilem, excellentemque animum, admirabatur, ad insignia quædam pietatis officia exercenda paratum. Quæ vero pro sua auctoritate decernenda, scriptisque mandanda censuit, ea si respiciamus: plurima item ea ratione, grauissimaque instaurasse, atque egisse videatur, ad Pontificiarum constitutionum, decretorumque prouincialium præscriptum: de cleri disciplina, de cultu ecclesiarum, de recto rerum ecclesiasticarum statu, de cœnobiorum virginalium institutis, demum de iis omnibus, quæ ad vniuersam ecclesiam illam recte, sancteque ordinandam pertinerent: quæ nimis longum esset enumerare. grauissima quædam ad sacram immunitatem spectantia, quæ quis in iis regionibus emendari fortasse voluisset, non neglexit ille quidem: immo cura, diligentia, cohortatione, omnique officio suo, neque id sine fructu, curauit: sed iudicio persequi, & corrigere, eius arbitrii, potestatisue non fuit. Commemoranda fuit eo loco Hieronymi Luciaci patricii Brixiensis pietas, admirabilisque in Carolum animus, tum assiduis, prorsusque inusitatis officiis, quæ præterimus: tum hoc maxime. cum Brixiam Carolus, venit, vt Imperatricem conueniret: quoniam visitationis leges tunc non impediebant: ad eum improuiso diuertit. homo incredibili gaudio perfusus: idque in felicitatis loco ponens, cubiculum, quo ille vsus fuerat; cum lecto apparato ea lege conclusit, nuncque conclusum habet, vt eo posthac vmquam sit vsurus nemo; beatum sese honestissimi vir ordinis dicebat, si per suorum necessarias rationes licuisset in Caroli domo, vel ipsius stabuli sordibus exportandis, operam dare. Vno ex iis temporis interuallis vsus Carolus, quæ Brixiense negotium intermittens dabat ecclesiæ suæ, octauam totius cleri sui synodum habuit: in qua mirificam illam vim ad clericos commouendos, vt antea, magno animorum fructu præstitit. eaque vsus opportunitate, populo suo sacrorum corporum ecclesiæ sancti Stephani translationem, quò celebrior, adiuncto diœcesis clero, splendidiorque esset, exhibuit. cum enim ob ædiculam sancti Vincētii in ipsa ecclesia instaurandam, eæ reliquiæ mouendæ essent, sua consuetudine vsus: populi erga beatos illos pietatem trāslatione celebranda, studuit excitare. dies translationis fuit XIIX. Cal. Maii. Reliquiæ fuerunt sanctorum Leonis, & Matini martyrum, & Arsatii Episcopi: quæ in eodem loco, sed ad honorem decentius, & ad diuturnam conseruationem cautius, collocatæ sunt. Atque eodem mense post dies quinque reliquias mouit sanctorum Cirini, Naboris, & Basilidis, quæ in altari sancti Celsi in capite sinistræ nauis, vt appellant, posito, reconditæ erant: quod altare, ob minime congruum locum tollendum erat. celebritatem, pompamve eius rei nullam instituendam censuit, cum pauca tantum ossa, ante conspexisset. ea priuatim reposita sunt, mox in aptiorem locum referenda. Consuetum eius anni tempus dabat Carolus ecclesiis diœcesis suæ lustrandis: cum ad venerandas sancti Eusebii eius vrbis Episcopi reliquias, Vercellas venit: quarum translationem Ioannes Franciscus eius successor parabat longe celeberrimam, ob insignem optimi sacerdotis, & patroni difficillimo Ecclesiæ tempore præstitam pietatem, constantiam, animique magnitudinem: quæ translatio tamen quibusdam impedimentis dilata, numquam habita est. nam Ioannes Francis-

cus sanctæ Sedis Apostolicæ internuncius, apud exteras nationes moratus est vsque ad mortem. Vercellis Carolus Masinum profectus est ad Carolum Emanuelem nouum Sabaudiæ Ducem: decesserat enim ante menses circiter decem eius pater. Carolus autem per Franciscum Adornum tantummodo filium consolatus, paternisque admonitionibus prosecutus, adhuc eum non viderat. tunc vero libenter sumpsit oblatum tempus, vt adolescentem iam etiam ad omnem regiam virtutem, pietatemque incitatum, pro suo eximio amore, pro patris fiducia, & spe, pro ipsius studio, deditaque admodum voluntate, coram confirmaret, & consiliis, præceptisque suis quantum posset, adiuuaret. Aduenienti princeps passus amplius ducentos pedes obuiã processit. Tum Caroli sermonum, actionumque fructu maxime lætatus, vehementer etiam ab eo petiit, vt Taurinum ad visendam iterum Sindonem redire vellet. quo profectus Carolus, in longinquiores inde suæ diœcesis partes discessit. atque ad Virginis sacra natalitia Mediolanum reuersus, Reginæ Hispaniarum antea mortuæ, non animæ solum funebribus officiis, sacrificiisque summo splendore in ecclesia maiore celebratis, suffragatus est, sed laudibus quoque satis ornata concione habita, quæ edita est, tantum tribuit, quantum eius præclara virtus deposcebat.

Prouinciæ concilium sextò habet. Trãslationem corporum S. Simpliciani, aliorumque beatorum celebrat. Caput 2.

Duo Carolus instituit primis in sequentis anni M. D. LXXXII. mensibus ad populi sui disciplinam, salutemque valde vtilia, sibique admodum iucunda. primò quidem festos dies integre tutatus est, non solum à ludis equestribus, sed etiam à personis, & laruis, quod antea factum non erat. hunc virtutis progressum, quæ fuit, non dicam populi, is enim semper obtemperasset, sed principum etiam virorum obseruautia, facile consecutus est, cum suum de spectaculis edictum ad id genus quoque pertinere tantum declarasset. Deinde cum ad sanctos illos dies ventum esset, quibus Eucharistia christiano cuique canonicis sanctionibus sumenda est: præcipua cura, diligentiaque inquiri iussit, qui publice in christianam disciplinam peccarent, vt eos ad sacramentum admitti minime permitteret. quæ res ad animas erigendas, quæ sordidæ iacerent, magnopere valuit. multi enim, si non immortali sacramenti beneficiò, saltem notæ, infamiæque timore permoti, & ea necessitate etiam adiuti, ex publicis malis, offensionibusque tamquam è luto emerserunt. & sacri homines, siue ad confessiones audiendas, siue ad regẽdas parochias delecti, quorum negligentia, vel infirmitate vitia sæpius aluntur, à Carolo grauiter moniti, quòd certorum hominum publica, vel etiam inueterata peccata, sicut ipse reperiebat inquirendo tolerarent, ad officium suum, grauissimum quidem, maximique momenti redditi sunt attentiores. in ea caussa fuerunt primarii quidam, qui posthabita salutis, & existimationis quoque cura, turpem, & contaminatam vitam agebãt: qui quidem summa omnium bonorum approbatione, libere fuerunt à Carolo correcti. Post Pascha vero duas illustres actiones sibi obeundas parauerat: sextum prouinciæ concilium, & pulcherrimam sacrarum reliquiarum trãslationem. Ac translationem quidem, cum antea posset haberi, reiecit in illud tempus, vt Episcoporum conuentu magnificentior euaderet. nam superiore anno monachi Cassinenses ecclesiam, priscis quidem temporibus Mariæ, cæterisque beatis Virginibus dicatam, postea vero sancti Simpliciani nomine appellatam, instauraturi; altaris locum alium designarunt. quod mouendum cum esset, mouendæ necessariò erant reliquiæ, quas continebat. Carolus igitur, cuius auctoritate id faciendum erat, eò venit IIII. Cal. Aprilis. inuenimus arcas plumbeas, vna Sisinii, Martyrii, & Alexandrini martyrum: & item sancti Benigni Archiepiscopi Mediolanensis ossa habebat: caput tamen vnum, quod Benigni fuisse creditum est: martyrum vero capita Tridenti fuisse relicta, vnde ea corpora transportata fuerant, credibile videtur: quin etiam non pauca eorum ossa deesse animaduertimus. Capsa altera duorum beatorum Præsulum itidem Mediolanensium ossa continebat, Ampelii, & eius, quem hilare admodum, & qua possum veneratione commemoro, Geruntii: traditur enim ex familia fuisse, cui à Basilica Petri nomen est. In tertia, Sancti Simpliciani itidem Mediolanensis Ar-

chiepiscopi ossa, & ex omnibus pulchertimum caput, condita erant. Ex capsæ, quemadmodum inscriptum erat, & senes quidam memoria tenebant, eo loco conditæ fuerant anno salutis M.D. XVII. quo anno monachi ecclesiam obtinuerant: alia quoque ossa ibi sunt reperta, quæ Sancti Antonini itidem Archiepiscopi fuisse existimata sunt, in illa enim ecclesia ea esse, memoria proditum est, neque alius eorum demonstratur locus. Capsæ rursus clausæ in ecclesiæ sacello collocatæ sunt, donec rite transferri, & constituto loco recondi possent. Habuerat igitur Carolus Episcoporum suorum concilium, in quo præter consueta ornamenta, ad magnificentiam ecclesiasticam comparata, tunc primum in loco vbi Episcopi congregabantur, imagines sanctorum, qui vt patroni ab singulis ecclesiis prouinciæ inuocantur, apponi iussit. Plura de more variis de rebus, ad disciplinam ecclesiasticam restituendam, decreta fuerant, quamquam paruo satis volumine. continenter vero ad translationem ventum est, VI. Cal. Iunii, die dominico post Ascensionis solennia; quæ vno fere Simpliciani nomine vbique promulgata est: quia illi præcipue honos habebatur; propterea quòd non sanctitate solum, sed doctrina quoque præstantissimus vir ille fuit, quamuis nulla eius scripta extent: & quod plurimi faciendum videtur, non solum à sancto Augustino valde obseruatus, sed ab ipso etiam S. Ambrosio patris loco habitus est. omnium, quæ Mediolani quidem celebratæ sunt, ornatissima, apparatissimaque hæc translatio fuit. præter concilii Episcopos, alii quoque multi, in primis vero Gabriel Paleotus Cardinalis, affuere. litteræ ad vniuersam prouinciam datæ, quibus omnium pietas erga beatos, optimosque illos Ecclesiæ Mediolanensis patres, in primisque erga illum quodammodo patrum ipsorum patrem, excitabatur. libelli psalmorum, precationumque editi, cum hymnis multis, carminibusque, tunc ad beatorum illorum honorem Mediolani, Romæque compositis. ieiunium quarta, sextaque feria. tum sabbato quoque, precedente hebdomada passim seruatum. pluribus ante diebus in tota prouincia, festus campanarum sonus. prîdie diei translationis, nocturna lumina ad publicæ lætitiæ maius indicium ex vnaquaque domo prolata. qua sacræ reliquiæ portandæ erant, ad passuum millia circiter quatuor, egregius viarum apparatus. peristylia pluribus locis, portæque triumphales. ad Archiepiscopale palatium, omnium Antistitum Mediolanensium, quotquot vmquam fuerunt, imagines affixæ. insignis porta ad locum, vbi ciuitatis consilium haberi solet, cum victoria depicta, quam Mediolanenses olim, trium martyrum illorum auxilio, contra Federicum Imperatorem pugnantes sunt cõsecuti. vbique vero elogia, & inscriptiones ad sanctorum illorum, ipsiusque sanctorum creatoris honorem proposita. Clerus vniuersus cum splendidiorib. indumentis, cereisque, qui etiam longè ex vicis, & castellis ad duodecim millia passuum conuenerat: post illum Episcopi: deinde reliquiæ, quas in quatuor feretra distributa ferebant Abbates Cassinenses, sacris indumentis, mitraque insigniti. Simpliciani vero caput argenteo capite inclusum duo Cardinales, duoque Episcopi portabant. cerei maximi vtrinque accensi. super singulas arcas vmbracula à viris honestissimis sustentata. tanta cõuenit multitudo, vt viæ circiter millia passuum decem ab vrbe plenæ conspicerentur. at ex multis quoque prouinciæ partibus plurimi aduenerunt. vt tot, tantisque rebus accedentibus, ea celebritas longe maxima sit effecta. Carolus sacris feretris ad eandem ecclesiam relatis, pontificale sacrum fecit, & in eo cõcionatus est: idque ea facie, quod a multis est obseruatum, vt si portando, & impetum multitudinis, quæ videndi, tangendique caussa tota via concurrebat, per multas horas sustinendo, nihil laboris sensisset, cum alii tamen Præsules vultu satis manifeste defatigationem non mediocrem præ se ferrent. In ædibus monachorum, vt commoditatis gratia constitutum erat, Præsules mansere: sed priusquam ipsi accumberent, duodecim pauperibus accumbentibus stantes ministrarunt, interim eos salutaribus verbis cohortantes, spiritualemque cibum corporeo adiungentes. Cum denique ipsi quoque cibum caperent, eumque minore, quàm pauperibus suppeditatum fuerat, copia, ex prouincialis de-

creti moderatione: venia, Carolus inquit, dari potuit inopum gratia, si præscriptum cibi modum transiuimus, nostri vero caussa, non item.

Transfert corpus S. Io. boni. Synodum diœcesis habet; rursus in Taurinos, deinde Romam proficiscitur. Caput 3.

Post concilii, translationisque labores ex sacrorum munerum, operumque functiones obeundæ Carolo inciderunt, quas, ad eius virtutem ante oculos ponendam, ordine semel recẽsere, non alienum puto: vnde fieri facile poterit reliqui temporis coniectura. nam frequenter sese offerũt, si persequi vellemus, huiusmodi continuationes. statim igitur occurrerunt triduanæ supplicationes illæ, quas excellenti cultu, præcipuoque labore corporis Ambrosiana celebrat Ecclesia. nam à nocte fere media, duodecim ipsas horas, atque amplius singulis diebus continuatur, dum per ecclesias ex antiquo ritu, intra, extraque vrbis mœnia vniuersus clerus sacris precibus insistit. has neque ob superiores labores, neque ob id, quòd Cardinalem, aliosque Episcopos hospites domi haberet, omisit Carolus, sed nocte post translationem proxima, sumpto vix duarum horarum spatio ad somnum capiendum, affuit in maiore ecclesia, ad sacrum cinerem capitibus omnium qui conuenerant, more maiorum imponendum. supplicationum deinceps totum triduum, pane, & aqua tantummodo se reficiens, religiosissime coluit. Primo pie cum ex tam longa via rediisset, quietis loco, illud addidit, vt ad reliquias iam translatas de more recondendas, Sancti Simpliciani Basilicam adiret. altero die itidem reuersus, in parua, & pene ruinosa æde Sancti Michaelis, quæ maiori templo subest, reliquias Sancti Ioannis Archiepiscopi, cognomento boni, aperuit, collegitque postea in ipsum templum transferendas, quò etiam parochiæ titulum, iusque transtulerat. tertio vero die vespertinarum precum solemniis in eadẽ ecclesia celebratis, eas in capsa stannea, consueto ritu, diligentiaque recondidit, capite reseruato, vt argento tegeretur. ac postero die vna cum Cardinali Paleoto, cleroque vniuerso transtulit. collocauit autem in altari, quod extruxerat ad dexteram templi partem, vbi alteram ianuam occluserat: Proxima Dominica, Sanctissimæ Pentecostes solemnitati, Pontificalibus officiis operam dedit. postridie supplicationi, quæ plena proposita indulgentia, cum vniuerso clero habetur ad Sancti Gregorii locum extra vrbem. tertio eius celebritatis die festo, sacramento confirmationis administrando, vt tali tempore solebat, vna cum Paleoto fuit occupatus. Cumque clerum totius diœcesis ad eam diem conuocasset, quarta, & duabus consequentibus feriis synodum habuit, concionesque, vt consueuerat ad clerum. Cardinalem Paleotum interea vrbis ecclesias, earumque sacras res pie visentem, passim audiebamus, Caroli singularem pietatis ardorem, intolerabilesque labores continuos summa cum admiratione extollentem, atque obstupescentem. Impetrauit ab hoc optimo Præsule Carolus, vt in synodo ipso quoque concionem, eamque latino sermone, quod illi perfacile est, ad clerum haberet. cuius concionis locum in proxima synodo ipse pro sua singulari modestia, ad clerum in concione attulit, diuinitusque tractauit. is autem erat de eo, quod Israeliticus populus, dum post captiuitatem Babylonicam templum instauraret, variè sentiebat: alii namque præsentem ædificationem videntes, flebant recordatione longe pulcherrimi veteris Templi, alii vehemẽter gaudebant, instaurationem ex superioribus ruinis contemplantes. quæ res ad præsens tempus erat valde accommodata: erat enim, si præteritas corruptelas quis consideraret, valde gaudendum, ob ea, quæ in diuino cultu, ecclesiasticaque disciplina restituta erant: sed dolendum etiam maxime, quòd omnis instauratio à vetere cultu, disciplinaque longissimé adhuc abesset. Post ea quæ commemorauimus, cum iterum Carolus Taurinum petere cuperet, & sacrosanctam Sindonem visere, delegit tempus illud. vt cum Paleoto Cardinali vna proficiscerentur. ea re lætatus est Dux vehementer, & sanctissimum Christi corpus iam tũc à Carolo sumere constituit, in proximo eius solemni festo. iter fuit piarum exercitationum plenum. in locis vbi manendum esset, primò Cardinales ad ecclesiam veniebant, ibique litaniam cum inuocatione sanctorum ex ecclesiastico ritu habebant. mane post sacrum in viam se dabant. in itinere de rebus salutaribus sermones, cogitationesque omnium erant. singulis enim

currib us

curribus sacerdos erat præfectus, qui certa capita sociis ex euangelio traderet, dum iretur, meditanda. Nouariæ, Vercellisque concionibus, sacrisque aliis actionibus populorum pietatem adiuuarunt: qui quidem licet Antistites, vt principes amplissimos honorarent, vt seruos Dei, sanctosque viros etiam obseruabant, & venerabantur. armati, qui ex vicis honoris caussa dé more obuiam prodibant, noua militũ specie, humi positis genibus, tormentis, vt consuetum est, sonum efficiebant. mira delectatione, gaudioque pulpita, dum Præsules amplissimi concionarentur, insueta purpura collucentia, pii omnes contemplabantur, & temporum fœlicitatem vicissim gratulabantur. Quæ Taurini, multitudinis infinitæ concursu, etiam ex corruptæ fidei locis, pie, sanctæque acta sint, in sanctissima Sindone aspicienda, publice ostendenda, publiceque adoranda, in precatione quadraginta horarum, ab vniuersis ciuitatis ordinibus per stationes de more continuanda, in sacris cõcionibus ab ipsis Cardinalibus, ab Episcopis, qui conuenerant, à sacerdotibus aliis, tum per singulas stationes, tum alias quoque, ad eorum populorum salutem habendis: in Domini corpore, pompa magnificentissima per vrbem rite ferendo, eiusque festo die celebrãdo, hæc omnia ex iis, quæ aliàs in hoc genere facta narrauimus, existimari possunt. Inde vero per Padum discessere Cardinales. Paleotus lõgius delatus est, Bononiã versus. Carolus in Casalensi diœcesi naui egressus, parœciam suam oppido propinquam recognouit. inde ad montana loca profectus, vsque ad Septembrem rebus sacris ordinandis, populisque ad salutem iuuandis operam dedit. Romam hoc eodem anno redire Carolus constituit: tum quia eius rei tempus ex ecclesiastica norma, post triennium recurrerat: tum etiam quòd multarum rerum caussa, quæ ad Ecclesiæ statum pertinebant, eius virtus à multis ibi desiderabatur, & erant quotidie, qui instarent. maturius autem profectus est, quàm putarat, ob grauissimum morbum Camillæ sororis. de quo cum accepisset pridie natalis Virginis festi, ea ipsa nocte, dispositis ad cursum equis, Vastallam contendit. sed eò cum peruenisset, offendit mortuam: cum paucos ante menses Anna quoque ex hac vita migrasset. Commodum igitur ita arbitratus, inde Romam petere statuit: cum profectionis causam prius tamen ab Episcopo Dertonensi, vt pote cæteris prouinciæ Episcopis antiquiore, probari ad præscriptum decretorum prouincialium curasset. Romæ de iuuandis inter alia vicinis populis hæresi contaminatis, egit, de quo latius postea explicabimus: sacras Ecclesiæ sanctæ ceremonias, à certis Cardinalibus, viris doctis ad consultationem adhibitis, auctoritate Pontificia cõstituendas curauit: opusque iam cœptum vidit, antequam discederet. alia permulta, quæ necesse non est enumerare. Seminario suo duas Carauagienses Præposituras, quæ Humiliati ordinis fuerant, impetrauit: Abbatiam vero Secedanam in agro Alexandrino congregationi Oblatorum. Ineunte anno M. D. LXXXIII. Roma rediens ad grauissimam controuersiam inter duos Italos Duces componendam, iussu Pontificis venit. quam rem complexus, ita deinde, tamque fœliciter non multo tempore confecit, vt & Pontifici ipsi, & vtrique parti satisfaceret. Mediolanum cum rediisset, tribus diebus consueto ritu, cum vniuersis ordinibus supplicationes obiit ad statas ecclesias, ob Didaci Hispaniarum principis obitum: ita enim Philippus pater, omissis funebrium precum officiis, pro decem annorum puero, faciendum pie iudicauit.

Vicinarum gentium fidem, salutemque sibi curandam suscipi[t]. Caput

Hinc ad vicinas gentes, hæresi, malisque aliis afflictas, iuuandas, Carolus animum adiecit. Plurima fecerat ob eam causam antea, quemadmodum demonstratum est. Multis populis, plurimis etiam hominibus separatim, varia ratione sæpius ad salutem subuenerat. Fecerat Carolus non solum, vt illis opem ferret, sed vt eodem etiam tempore ecclesiæ suæ, atque adeo ipsi Italiæ caueret, cui magnũ ab ea parte periculum videbat imminere. licet enim variis decretis prouidisset, ne, quod propter varia negotia quotidie accidit, vel exteri veniẽtes in prouinciã suam, quidquam sanctæ fidei, disciplinæque detrimenti possent afferre, vel sui ad loca deprauata euntes, contaminarẽtur, & si quid ipsi labis contraxissent, cum patria communicarent: multò cautius tamen, tutiusque fore animaduertebat, vicinam partem, si fieri posset

sanare, quàm ne quid proximè corrumperetur, eniti. Vicinam partem intelligo non Heluetios solum, & qui primam Rhætiam incolere putantur, Grisones appellatos: sed multò magis Italos populos, neque exiguos, neque ignobiles, qui citra ipsum quasi Italiæ vallum, Alpes dico, ditionis Mediolanensis fines attingunt: & sub earum gẽtium imperium, ceciderunt. Heluetiorum quidem certos pagos scimus rectã apud se fidem, & in suis citra alpes adhuc conseruare. sed ea tamen in rebus ecclesiasticis disciplina vtuntur, vt maiora sint iis pericula pertimescenda. nam cæteri, post amissam disciplinæ integritatem etiam diuinæ veritatis lucem perdiderunt, miserisque sunt errorum tenebris circumfusi: tum sua in eos, quibus imperant, mala deriuarunt. at eiusmodi pericula itẽ, vitiaque quantum posset, tollere Carolus in animo habebat. Rhæti vero illata semel à Zuinglio hæresi, ante annos circiter sexaginta, Episcoporum Curiensium primò negligentia, deinde infirmitate, negligentiaque simul: ad eam enim ecclesiam pertinent, in eum denique statum venere, vt ex tribus pagis, quas ligas appellant, quibus tota Rhætorum ciuitas continetur, duæ magna ex parte hæretica peste corruptæ sint, tertia quæ genti nomen dedit, cum Grisia vocetur, & maioris videtur auctoritatis, dimidia tantum ex parte sequi videatur catholicã fidem. Cum vero non exiguas etiam citra alpes regiones occupent, quæ natura, & lingua Italicæ sunt, & prouinciæ Mediolanensis antea fuerunt, eandem ad illas calamitatem transfuderunt. Eiusmodi vallis est, quæ Mesaucina dicitur, à Mesaucis populis, in qua castellum hodie quoque, paulum corrupto nomine, Mesocum appellatur. Eiusmodi Pesclauium cum agro, & valle, quæ ad illud pertinet. qui quidem populi, Rhætici popularis dominatus sunt participes. Sed est alia vallis longe maxima, & multarum rerum copiis abundans, quæ hominum ad centum millia, cum nobilibus familiis, variis castellis, vicisque dicitur continere. Telina illa est. eius longitudine passuum circiter sexaginta millium, Abdua fluens, demum Larium lacum ingreditur, vel potius illum efficit. est & alia minor, Larium, medio quodam alio lacu pariter attingens, quæ ab Castello Clauenna nominatur, cui vallis alia sancti Iacobi nomine dicta coniungitur. Harum vallium populi, dominatus minime participes, tali sub imperio, si tantummodo essent, tolerabile videretur, sed ea dominatus ratione à iudicibus plerumque hæreticis premuntur, vt hæresis pestem in dies magis, magisque recipere quodammodo cogantur. qua ex re, qui nõ multos ante annos incorrupta fide viuebant, nunc ex parte non modica sunt inquinati: atque ita serpit malum, quotidieque manat, vt nisi Deo miserante, quis occurrat, breui (quod auertat Deus) populos vniuersos, qui tamen Itali sunt, occupaturum penitus videatur. vnde non paruum reliquæ Italiæ periculum immineat; præter illud præsens, grauissimumque detrimẽtum, quod nefariæ libertatis caussa, eò tamquam in tutum locum, mira facilitate, ob nimiam locorum propinquitatem, sese recipiunt Itali omnes, quotquot ordines religiosos, fidemve ipsam impie, pernicioseque deserere statuunt. His igitur regionibus, populisque omnibus, cum ab se Carolus, quãtum fieri posset, totis viribus subueniẽdum statuisset: re ad Pontificem Romæ delata, Heluetiæ, Rhætiæque, Visitatoris Apostolici nomine, magna cum potestate præfectus est. Roma reuersus, neque laboribus, neque sumptibus vllis parcendũ sibi statuit, vt miseris subueniat: omnes vias circumspicit, exploratque, quibus viis tantis malis possit remedium afferre. Caroli desiderio illud erat adiumenti, quod aduentu Ducis Terrænouæ, ecclesiæ Mediolanensis administratio facilior videbatur: & contentionis aduersæ loco, rebus salutaribus auxilium ab eo expectabatur. cuius rei indicia multa statim is dederat: hoc in primis, quòd administrationis initio superiora edicta de more renouaturus, & ea omisit, reiecitue, quæ populi pietatem antea magnopere turbauerant, & alia promulgauit, quæ Carolus cupiebat, quæque iam à Rege ipso per Clericum postulauerat. præterea sese rebus omnibus eam rationem initurum pollicebatur, quæ à controuersia, contentioneque maxime esset aliena. quod Carolus etiam sperabat, pietate principis adductus antea sibi perspecta. Audoenum Ludouicum præterea Anglum, nunc Episco-

pum Cassariensem, administrationis suæ primarium Vicarium relinquebat, cuius fidei, virtutique confidebat plurimum. Hæ res ob firmam spem publicæ quietis, rectæque gubernationis, locum Carolo dabant, vt exterorum saluti operam dare facilius posset. Cisalpinos igitur cum in primis sibi tentandos, iuuandosque ob propinquius periculum constituisset, Mesaucos ex his primos sibi petendos existimauit, quòd primariis quibusdam regionis viris auxilium petentibus, multitudine ad id parata, proficiendi spes erat non mediocris. Est ea vallis longitudinis millium circiter viginti, & mortalium ad millia vndecim continet. Cum autem Mesauci essent in administratione, & imperiis Rhætorum consortes, & Grisiæ gentis pars, quæ grauior esset, & à recta fide minus aliena: securius ibi agi posse videbatur, si forte ob renouatum pietatis cultum, iis reliqui vellent aliquid negotii facessere. Accedebat, quòd publico vicorum consilio nonnulli ex valle ad Carolum venerant, iudicemque petierant, qui apud eos maleficas, strigesque inquireret. quod quidem ab veteri eorũ more, ad Archiepiscopũ Mediolanensem similes ob causas confugiendi, non abhorrebat. Eò igitur Carolus præmisit Franciscum Borsatum Mãtuanum clari nominis Iurisconsultum, qui ad clericalem ordinem nuper transierat: vt de maleficis quæreret, iudiciumque ferret, & Caroli officiis quodãmodo viam pararet. Is profectus, conuocato totius vallis consilio, sic acceptus est, vt magnas se Carolo, ipsique Francisco gratias habere de huiusmodi charitatis officio incolæ responderent. Ille igitur ea omnia studiose suscepit, quæ mandata erant, & totam vallem perlustrauit: donec Carolus aduenit ipse. qui summo gaudio exceptus, & quibus potuit in locis siluestribus, ab eiusmodi hominum genere, maximis honoris significationibus acceptus fuit. Antequam vallem ingrederetur, suis omnibus cõuocatis, ostendit quantam rem susciperent, quàm acres, astutæque Dæmonum cõcertationes expectandæ essent. proinde tum assidua, & ardenti precatione, cum ieiunio, salutarique aliarum rerum patientia coniuncta, opus esse, tum magna quoque cautione, ne quidquã ab aliquo fieret, diceretur ve, quod ex ea gente quisquã in malam partem posset, vel ob iudicii infirmitatem accipere. quod vbique ex christiana pietate cauendum erat, id iis locis præcipuo studio fugiendum. Quo die Roboretum peruenit (præcipuum illud est in vallis prima parte castellum) magno incolarum concursu, Pontificali habitu venit ad ecclesiam: vbi sumpto concionis argumento ex sacra Iosephi historia, quem pater miserat, vt fratres quæreret, & quomodo ipsi, gregesque se haberent, patri referret: missum se dixit ad fratres suos a summo Romano patre. missionis caussam, suumque erga illos amorem, & ipsorum conditionem, statumque sic explicauit, vt pie admodum multitudo commoueretur, & fleret. Hæc Roboreti agebantur. summo mane Franciscus Panicarola nunc Episcopus Astensis, verba faciebat ad gentem catholicis dogmatibus instituendam, accommodata. Carolus postea Missæ sacrum faciebat, concione altera populum pie cohortabatur. Achilles Galliardus ex societate IESV vespere christianæ fidei prima dogmata accurate docebat: deinde multitudo litania, eiusdemque modi sacris precationibus exercebatur. sacræ confessiones quotidie audiebantur, qua in re magna erat à Carolo impertita sacerdotibus ad animas expiandas auctoritas. Ad conciones, ad diuina officia, ad sacrosanctam communionem, mares, & fœminæ, cuiusuis ætatis, gregibus pascendis, operibusque victus caussa faciendis addictum vulgus, quotidie cõueniebant, vt si dies illi singuli festi fuissent: idque eximio quodam salutis desiderio, miroque in Carolum vti patrem amantissimum, amore, & obseruantia faciebant, vt ferme nascentis ecclesiæ imaginem quandam cognoscere liceret. Carolus interim quotidiano ieiunio sese exercens, pane, & aqua tantummodo sustentabatur, festis exceptis diebus. comites, quoniam sacri dies Aduentus erant, Quadragesimæ cibis vtebantur: quæ quidem abstinentia ob multarum rerum inopiam iis locis erat incommoda valde, magnique sumptus. Roboreti plures cum dies moratus esset, & in ea vallis priore parte plurima gessisset: ad extremam transiit, qua parte præcipuum castellum alterum est Mesaucum, à quo tota vallis nominatur. duo

enim vallis rectores in iis duobus locis sedem habent. Eadem ibi ratione se gessit, similemque tulit laborum suorum fructum. Regionis mala ipse quidem, non vt iudex, sed vt quilibet sacerdos, Deique minister fere persecutus est. ipsis tantummodo gentis legibus est vsus, quibus eam quisque fidem sequi permittitur, quam velit, & ita catholicis pariter, & hæreticis proprios per leges licet habere sacerdotes, & doctores. quamquam re ipsa per omnem Rhætorum ditionem, maxime autem in dedititiis: magna fit in eo genere catholicis iniuria. cum enim hæretici passim, quos volunt, etiam exteros, ignotosque sacerdotes, religiosorumque ordinum apostatas recipiant: catholicis contra leges prohibetur, alterius regionis presbyteros, concionatoresve adducere, si modo rectoribus plerumque hæreticis non placeant. ij vero fictis nominibus, calumniisque, siue publicæ quietis turbatæ, siue maledicti in aduersarios prolati, pro arbitrio vtuntur, vt bonos quosque presbyteros diuexent, atque eiiciant. malos, licet catholicos, ferunt facilius, quòd eorum vitia sibi ad hæresim propagandam vsui esse perspiciant. quin etiam Episcopi sui subsidia inique prohibere solent: vt prohibito Pastore, facilius grex diripiatur. Ita miseri, cum aliquo sacrorum ministro carere non possint, dum alii non suppetunt, sæpe improbos homines, nonnumquam etiam impios sibi doctores asciscere coguntur. atque interdum fuit, qui detestando scelere multitudinem fallens, nullius sacri ordinis homo, sacra omnia aliquo loco conficeret. Igitur ardenti amoris, & charitatis officio Carolus hæreticos circiter viginti ad Ecclesiam catholicam conuertit. pauci enim pre reliqua multitudine corrupta fide erant: ac si loca extrema quædam detraheres, quæ aliorum populorum propinquitate, licet asperis interpositis montibus, frequentiorem hæresis pestem contraxerunt, recti, catholicique sensus erant fere omnes. Duos cœnobitas, qui fœminas secum, filiosque ex eis habebant, & non minus inopem, ac miseram, quàm sceleratam vitam agebant, inflexit, vt ad suos ordines, religiosamque vitam redirent. ea in re summa, incredibilique vsus est benignitate, amantissime cohortando, pœnasque meritas minuendo, immo illas sibi adscribendo: tum fœminis quoque, & natis sua cura, sumptuque collocandis, & sustentandis. presbyteros à concubinis, quas palam habebant, abstraxit: minime aptos exclusit: malos puniuit. in iis saltem ecclesiis bonos collocauit, quarum esset structura decens. sacerdotes è societate IESV eò accersiuit, qui non fide solum, & moribus christianis omnes: sed pueros etiam litteris erudirent: cum Rhætia fere tota magistris paulo saltem eruditioribus careret. eis amplas ædes rectorum consensu tradidit, quas Triuultii olim Mesauci Marchiones obtinuisse dicuntur: vt eorum collegium summa incolarum voluntate constitueret. plurimos præterea, qui vel ob clandestina, graduque prohibito contracta matrimonia, peccati sordibus hærebant: vel ob praua lucra, & iniqua fœnora Dæmonum laqueis constricti tenebantur, variis modis excitauit, atque ab eiusmodi miseria, animæque vinculis, pro sua auctoritate liberauit: tum à peccandi licentia in posterum reuocauit. omnino circiter viginti dierum opera, Carolus ita res iis locis immutauit, vt alia prope gens videretur, omnesque ad optimum pietatis cultum ex præterita corruptione sese excitatos ostenderet. Iudicium de artibus maleficis, Dæmonumque nefario cultu, Borsatus ita peregit, vt decem fœminæ, quas sceleris non pœnitebat, damnatæ, sæculari, vt vocant, brachio traderentur: quarum etiam pars post paucos dies iussu magistratuum igni necata est: aliæ plurimæ impietatem detestatæ, veniaque petita punitæ sunt. neque tamen impii flagitii mares expertes erant: immo, quod horribile est, ipse Præpositus Ecclesiæ Sancti Victoris Roboreti, quæ in tota valle præcipua est, dux eius, & caput fuit, sacrisque rebus in eo nefarie abutebatur. is autem gradu sacro deiectus, magistratibus itidem dimissus est, vt iuris erat, puniendus. Eius loco Ioannem Petrum Stupanum Theologum ingentis imperio natum, Carolus ecclesiæ illi præfecit, qui adhuc locum tenet, pieque populos pro virili parte iuuat. Scelus illud huiusmodi esse ex reis repertum est. certis diebus in loca siluestria nullo labore, vel incommodo ferebantur,

ibi dæmoni, qui principem locum tenebat, cum primò quis accederet, sese tradebat, & sacrosanctam crucem conculcare iubebatur, eo loco saltationibus, choreisque vacabant. carnes à dæmone acceptas edebant. omni libidinum, turpitudinumque genere sese contaminabant. quæ omnia tamen specie tantum, quadam, & quasi per somnium miserorum animos afficiebãt, ita vt cibi, resque aliæ inane quoddam tantummodo, vanumque afferrẽt oblectamentum. quæ res saltem, infelices mortales à scelere debuerat alienare. sed eo vinculo constricti erant, vt non solum non resipiscerent, sed studerent etiam maxime societati quamplurimos alios aggregare. puellas cum vix nubiles essent, erat, qui per insidias ad id incitaret: quin ipsæ matres impellebant. nonnulli erant, qui tota ætate, iam senes ea ratione turpitudini, atque impietati seruierant. immo erant familiæ, in quibus iam plures ætates, à maioribus, quasi iure quodam hæreditatis id flagitii posteris tradebatur. huic sceleri addicti hæreticorum nomine vulgo appellabantur, cum hæretici ipsi nouæ religionis homines dicerentur. Id malum, eumque Diaboli dominatum, quo maximus numerus continebatur, Carolus diuino munere disturbauit, peneque extinxit, plerisque aliis approbantibus, & summopere gaudentibus. nam præter reliquam perniciem, multorum valetudini, Diaboli mancipia illa suis malis artibus vehemẽter nocebant, & vitam ipsam nõnumquam videbantur eripere. Discessit Carolus magnum sui desiderium relinquens, non solum apud vallis incolas, sed apud alios quoque finitimos, etiam hæreticos. cum enim Bernardinum Morram Iurisconsultum Casalensem, qui nunc in ecclesia Mediolanẽsi generalis Vicarii munere magna cum laude fungitur, tunc autem Carolum non multo ante, relicto ciuili magistratu, clericalique habitu sumpto, secutus erat; per eos dies Curiam, vbi totius gentis conuentus agebatur, negotiorum eiusmodi Rhæticorum caussa misisset, populi eius tractus omnis Carolum aduenire existimantes, cupide expectabant, deque eo honorifice excipiendo studiose agebant. Curienses ipsi maxima ex parte hæretici eadem esse voluntate videbantur. Sed ille Bilitionem venit Heluetiorum ditionis castellum citra Alpes, non hæresi illud quidem, sed prauis, damnatisque contractibus; ecclesiasticæ auctoritatis vsurpatione, matrimoniorũ execrabili licentia, ita contaminatum, vt summopere Caroli auxilio, beneficioque indigeret. quod ille cõsueta benignitate, clementiaque cũ tribuisset, magnũ animarum numerum paucis diebus passim liberauit, quæ variis sacræ censuræ laqueis irretitæ tenebantur. Ipsi quoque loci rectores, vt expiationẽ impetrarẽt, publico scripto polliciti sunt, fore, vt factis eiusmodi, canonũ iure prohibitis, in posterum abstineretur. His gestis Carolus Mediolanum reuertit.

Conatus prędicãtiũ in Mesaucos repri-mit, alia auxilia populis afflictis suppeditat. Capur 5.

Quod in Mesaucis, Deo in primis bene iuuante, salutariter actum fuerat, id Diabolus dissoluere per Prædicantes, vt appellant, statim conatus est. hi sunt hæresis doctores, qui non errore solum, sed seruitute etiam quadam ob doctrinæ auctoritatem miseras nationes oppressas tenent. impietatem, frequenter concionando, docendoque multitudinis imperitæ mentibus inserere, tuerique student. quæ ad gentis libertatem, auctoritatemque conseruandam pertinent, ea se nosse, vehemẽterque curare profitentur. dominis, optimatibusque assentantur; eorum gratiam omni ratione colligunt, & cõseruant. si quid excitari impietatẽ, eorumque licentiam sentiunt, quod quidem attente obseruant: conueniũt statim, & de communibus rationibus vna consultant: tum omni astutia, & dolo pios conatus omnes infringere, bonaque rerum initia penitus delere student. per eos hæc in primis efficiunt, qui rerum potiuntur, quibus ante omnia suspicionem de imperio, auctoritate, stipendiis amittendis iniiciunt: & indoctis, auarisque hominibus, quæ volunt facile persuadent. Sacrilegi igitur cum audiissent, quæ in Mesaucis facta erant, sibi, auctoritati suæ, commodisque, talibus ex initiis valde timentes, Curiæ in totius nationis comitiis, quò ad sexaginta (tanta est hominum pestis) conuenerant, post Morræ discessum; gentis principibus suspicionem de suis summis rebus mouent: vociferantur vehementer, rem esse minime dissimulandam, immo graui pœna dignum facinus; Mesaucos Inquisitorem hæresis contra leges accersiuisse: Cardi-

nalem principem virum recepisse: ędificia tradidisse, quæ munita esse arcis loco possent. fœdus, quod cum Gallorum Rege esset, ea via frangendum, nouum autem cum Hispaniæ Rege faciendum curari. initia illa esse principatus, libertatisque amittendæ. Vanissimis argumentis cœtum illum permouent, vt iudices ex singulis pagis dentur, qui propter eam caussam in Mesaucos agant. erat enim cœtus hæreticus ex maiore parte. & tum in vniuersum tota natio, tum multi priuatim, stipendia Gallici Regis accipiebant. Legatis item, quem Rex idem apud eos habere solet, rebus catholicis, vt debebat, fauere pollicitus, Mesaucorum, & ipsius fidei caussam deseruit. actum est vehementer: nonnulli ex primariis Mesaucis sese in vincula dare coacti sunt. sed per legationem Heluetiorum, perque Grisiorum contentionem, qui iudicium illud suis tantũ principibus vindicabant, quoniam vallis ad eos proprie pertinebat, Carolo studiose agente, Deoque in primis volente, effectum est, vt Grisiorum ipsorum sententia Mesauci liberarẽtur, Caroloque facta conseruarentur. nam & ipsi populi in eo, quod sibi proposuerant constanter permanentes, seque in posterum semper sanctæ ecclesiæ addictos fore confirmantes, paratos sese ostenderunt, ad religionem vna cum libertate armis tuendam, vitamque pro fide catholica etiam profundendam. Carolus postero anno, qui nobis eius vitæ finem acerbissimum attulit, minime dimisit susceptum munus: immo omni studio, ac pietate exequi, atque vrgere non destitit, vt aliqua ratione fidei caussam ab hæreticorum manifestis iniuriis vindicaret. in quo illud cõsequi tunc quidem satis habebat, quod iustissimum est, & gentis legibus, vt diximus, consentaneum, vt quando vnicuique fidei, religionisque arbitrium lege cõceditur: neque catholici pios sacerdotes, etiam exteros, & cuiusuis ordinis probatos habere, sacramentorum, doctrinæque gratia prohiberẽtur: & neutri improbos, sacrilegosque perfugas, quod passim ab hæreticis fieret: neminemque omnino, absque idonei testimonii fide, possent recipere. Ita enim & catholicæ fidei consulebatur, cui nõ ad conseruationem solum, sed ad propagationem quoque ministros idoneos suppeditasset, & proximum perfugium intercludebatur perditis hominibus, qui vel ab Ecclesia Romana, vel à religiosis ordinibus, vel omnino à recto, & honesto per Italiam vellent desciscere. At præterea quid ille sibi in hoc genere toto proposuisset, quid ageret, aut aggredi vellet, hoc loco non est opus explicare. Sed non vnam inierat rationem, quæ magnam religionis citra alpes in primis restituendæ, spem ostendebat, erat certe ad id aptissima: nisi insperata morte Deus omnia disturbari, propter obscuras nobis caussas permisisset. Interim vero dum grauiora pararet, susciperetque, tum varios populos in vniuersum, tum homines separatim plurimos reliquo tẽpore, rebus ad salutem necessariis, assidue iuuit. Franciscum Adornum societatis IESV sæpius commemoratum, & Dominicum Bouerium Congregationis Sancti Pauli Clauennam misit. eundem postea Dominicum, Pesclauii catholicis auxilium postulantibus, concessit, vbi diutius moratus, piis dogmatibus explicandis, contrariisque confutandis, tum aliis sacris officiis, rebus catholicis magno fuit adiumento: donec aduersarii, qui eum ferre diutius, suis rationibus rem valde contrariam putabant, variis de more confictis nominibus illum accusarunt: effeceruntque, vt ei dum in muneris sui functione perseueraret, vincula de improuiso iniicerentur, neque alia conditione, quàm sponsione facta, ni abiret intra certum tempus, dimitteretur. Commemorandum est in hac fidei caussa, totius fere catholicæ gentis Helueticæ factum: qui non difficile Caroli opera sunt adducti: vt publico consilio, legatos ad Rhetorum conuentum mitterent, de integra religionis libertate populis dedititiis restituẽda. qui etiam publice testarentur, si quemadmodum iustum erat, & fœderis legibus continebatur, Rheti non fecissent: nolle se eiusdem fœderis iure, si quid iis aduersi accidisset, teneri, subsidiumve aliquod ferre. Quæ legatio magni sine dubio ponderis, plurimum catholicis valuisset, si cætera quoque teneri potuissent. His omnibus Caroli officiis, conatibusque, simul fortitudine Mesaucorum, mire catholici earum regionum omnes sunt excitati. languent permulti quidem in

ſtudio tuendæ ſalutis fideique tum conſeruandæ, tum propagandæ; ſiue quia in vitiis ſæpe iacentes fide ſunt infirma; ſiue quia tales dominos timent; nullo præſertim parato defenſore. Sed in vniuerſum tamen ad fidei libertatem recuperandam; & ad grauiſſima quoque pericula ob eam cauſam ſubeunda, ſeſe per id tempus erecto animo, paratos præſtiterunt. quæ res fecit, vt quidam fidei negotium, quod Carolus vnum agebat, ad rem ſuam, cupiditatémque accommodantes; cum ducem aliquem tantummodo, paucoſque armatos populis Telinæ vallis deeſſe ad arma contra Rhætos capienda exiſtimarent; militum manum ad eos ducere, mortuo Carolo nulla auctoritate publica conarentur. cuius rei auctores Mediolanenſis Gubernator puniuit. Verum is ardor, alacritaſque omnis, quæ ab Caroli auctoritate, liberalitatéque plurimum pendere videbatur, ab eius obitu vereor, nè penitus ſit debilitata. quæ tamen, ſperemus, vt aliquando Dei munere, in ſpem religionis integre colendæ reſtituatur. At interim Italici populi in totius præpotentis Italiæ, & maximorum Chriſtianorũ Principum conſpectu, hæreticorum dominorum iniuria, qui potentiſſimi tamen non ſunt, perculſi iacent. Dei cultus, ſacrorumque adminiſtratio friget; & in dies minuitur, contaminaturque magis. augetur quotidie numerus hæreticorum. Italiæ pars, teterrima hæreſis peſtilentia paulatim conficitur, & contabeſcit. Quæ mala vtinam Dei miſericordia ij quandoque reſpiciant, qui remedium afferre poſſunt.

Eius vitæ ratio poſtremis annis & extremi temporis actiones quædam. Cap. 6.

Peruenimus ad poſtremas Caroli actiones: quas tamen poſtremas forè credebat nemo. nonnulli quidem in eo, vltimis præſertim menſibus, obſeruabant aliquid inſuetæ imbecillitatis, & maciei. ſed tamen, vt ſæpe accidit in excellentibus viris, eò longiore vita fore plerique exiſtimabant, quò Chriſtianis rebus eam videbant vtiliorem. Imbecillitatis cauſſa putabatur, corporis ſui tractandi ratio, quam in ſummis, aſſiduiſque laboribus tenebat. cum enim in ſuperioris anni Quadrageſima tota, pane, & aqua tantummodo ſe reficere ſemel in die cæpiſſet; Dominicis diebus exceptis; quibus tamen piſces non guſtabat: in eo genere adeo progreſſus eſt; vt iam reliqui etiam temporis maiori parte eadem in corpus ſuum duritia vteretur: cumque ad ſequentem perueniſſet Quadrageſimã huius anni M. D. LXXXIIII. adhuc aſperitatem augens, certis diebus ipſo quoque pane relicto, ficus aridas tantum, & aquam ſumebat. atque vltima hebdomada, quæ ſanctius colitur; ficis omiſſis, lupinis vti conſtituerat. Cruda legumina puto imitatione Patrum voluiſſe adhibere, inter quæ vnum lupinum egenis vſui eſſe aqua maceratum, hoc tempore videre potuit. Verum ob eam cauſſam abſtinuit, de qua nunc referam. Non multos ante dies eryſipelas in crure rurſus apparuerat, vlcuſque fecerat: cuius curandi cauſſa, medicis parens, iacuerat cõplures dies. cum minime ſanaretur; conceſſere Medici, vt ſurgeret, motuſque beneficio frueretur. ita tum ſacras ordinationes initio Quadrageſimæ habuerat; tum alia geſſerat, quæ opus erant: neque crure amplius laborauit. ac dum ſurgendi facultatem peteret; affirmaretque ex natura corporis ſui benè cognita, ſeſe ex ea re conualeſcere poſſe; medici autem primò quidem non concederent: quidam ex familiaribus, exiſtimans Carolum cum vitæ diſcrimine medicis minimè pariturum; idque animo ſuo dolens; litteris Romam ad Caroli neceſſarios datis; eum grauiter ægrotare ſcripſit; neque velle medicorum curationem admittere. Ibi de re conſultant. efficiunt denique vt ad eum ſcribat Pontifex in hanc ſententiam: ſeſe ægre admodum ferre, quòd curationem pati nollet: monere autem, vt ſanctos viros animi virtute imitaretur; corpus eatenus affligeret, quatenus vires, æquitate ſeruata, ferre poſſent. Poſtremo etiam grauiter imperat, vt in vita moderanda medicorum conſilia ſequatur. Carolus, qui tum ſe valere ſentiebat; ſibique conſcius erat, in proximo morbo nihil feciſſe contra medicorum præſcripta: qui de falſo item nuncio, vnde literæ aperte pendebant: & omnino vnde fluxerat tota res, ſatis cõpertum habebat: qui denique ſciebat, omnem vitæ ſuæ rationem Pontifici, cum eum proximè fuerat allocutus, retuliſſe; & quæ is improbaſſet, dimiſiſſe: nihil in re tanta, tali loco, & tempore ſibi temere faciendum ſtatuit: ſed Pon-

tifici scribendum; vt is cognita veritate, sententiam suam aperiret. sed interim tamen medicos accersit; de vita spirituali, atque Episcopali medicinæ legibus astringenda quærit: aliqua de asperitate suscepta remittit. Primo igitur, quæ de proxima ægrotatione se accepisse Pontifex ostenderat, vnde pendere iussus perspiciebatur; ea falsa esse literis demonstrat. Addit se de tota valetudinis, vitæque suæ ratione, iam nunc Patri sanctissimo quæ vera esse existimaret, expositurum: facturum deinde diligenter, quod is iuberet. Sese antea, quod Pontifex ipse recordari poterat, dum medicorum præscripta sequeretur, infirma semper fuisse valetudine: demum etiam ita se habuisse, vt ad modicum tempus existimaretur vitam posse producere. ante annos circiter duodecim, piorum, prudentumque virorum consilio, mutasse viuendi rationem; à præscriptionibus medicorum discessisse: adeo fœliciter euenisse: vt quæ valetudo studiosa obseruatione, curaque sustentari non potuerat: ea vulgari viuendi modo optimè confirmaretur; vitæque longioris spem afferret. si tũc demum post diuturnam consuetudinem, cum annum ætatis ageret quadragesimum sextum, sese ad medicos referre voluisset; neque sine muneris sui graui impedimento, & cum manifesto vitæ discrimine id futurum. Attamen artem se medicorum nullo modo aspernari; ne latum quidem vnguem ab eorum præscriptis discedere, cum ægrotaret: alias etiam eorum consilia requirere. at ea semper sequi, eorumque se obseruationibus addictum præstare; id vero neque menti eius sanctissimæ; neque vitæ Episcopali videri consentaneum: quod vel medicus ipse fateretur, ab eo proxime consultus. veterum Patrũ, & Sancti Ambrosij in primis, hanc esse sententiam: diuinæ cognitioni contraria esse præcepta medicinæ; à ieiunio reuocare; à lucubrationibus, & ab omni intentione mentis abducere; cum qui se medicis daret, seipsum sibi abnegare; omnino cura corporis huius auerti neminem à studio disciplinæ debere. Pontificis ipsius exemplo ita doceri, qui medicas obseruationes in vitæ suæ ratione minime seruaret. hæc ita cum se haberent, qui Pontificio iussu medicorum consiliis addictus esset, eum certe perpetuis conscientiæ stimulis, atque angoribus necessario cruciandum. Quòd existimaretur ea corporis asperitate vti, quæ vires superaret: hoc vere affirmare posse; neque se eam, quæcunque esset, valetudini sensisse contrariam; & ad munera sacerdotalia facilius obeunda accommodatam. omnino eum se modum minimè transire, quem superiore anno, cum ad eius iudicium omnia sua detulisset, Pontifex ipse comprobasset. si etiam continentia, & corporis afflictione paulò magis progrederetur, quàm vulgò alij multi solerent; minime videri improbandum; tum ad delenda peccata; tum ad sanctorum virorum; immo ad ipsius; qui sanctorum est auctor, actiones, aliquo modo imitandas: idque maximè, quòd eius ipse ordinis, hoc est Episcoporum esset; quibus non animi virtute solum, sed exercitatione item corporis; ex Gregorii Nazianzeni aliorumque Patrum doctrina; reliquos omnes longè post se relinquere studendum esset. Quod autem ea vitæ ratio futuris temporibus, coniectura quadam sibi nocere posset: incertæ offensionis metu, certos salutarium operum fructus negligendos non videri: neque tam longe cauendum: alioqui corporis afflictionem, pœnitentiæque officia homini Christiano necessaria. quis vnquam suscepisset? Si etiam animo in res salutares intento, Episcopus in eiusmodi exercitatione præter voluntatem aliquid corpori suo noceret; quod sanctis plerisque legeretur euenisse; non esse id tamen damnandum. meritò patres existimasse, sacerdotes ab ipso Christo Domino sali, & lumini ob id quoque comparatos; quia illud dum condit cibos, liquefit; hoc dum ardet, & diffunditur, oleum sibi consumit. confidere se, ea omnia summo Patri probanda. at vero quidquid significasset, ei se omnino prompto animo pariturum. Cardinali autem Comensi: qui Pontificis erat negotiorum præcipuus administer, Pontificiisque Epistolis præfectus: & litteras ipse quoque ad Carolum ea de re dederat, respondens: addidit, si Pontifex in ea perstaret sententia, quam litteræ præse ferrent: nulla alia ratione se posse conquiescere: cum illius iussi vi, ac timore solicita-

ti perpetuò necesse esset; nisi vt dimisso Archiepiscopatu Romam demigraret; ibique in conspectu Pontificis viueret; qui eius vitæ rationem quotidie cognoscens, eum ab conscientiæ aculeis, quotidianisque morsibus liberare potuisset. sed is rescripsit, nolle Pontificem Carolo vinculum iniicere; sed eius arbitrio permittere, quãdo medicorum consilio sibi vtendum esset. Factum huiusmodi fecit; quoniam in iis epistolis scribendis nostra opera vti voluit; vt de eius vita, sensuque plenius cognosceremus, certiusque scriberemus. optandum erat fortasse, vt saltem durissima quædam in tempore nominatim interdicerentur; si virtutis illius, vitæque fructum ita forte potuissemus diutius percipere. nam medicorum præceptis hærere semper quomodo posset tali consuetudine, talique occupatione Præsul? Verum illud potius existimandum est; in hoc Dei seruo, quemadmodum in aliis multis, de quibus nominatim agere longum esset, diuina benignitate factum: vt ad exitum vitæ huius appropinquans, clariori sanctitatis luce splenderet: quod illi expeditius esset ad beatitudinem consequendam; cæterisque ad virtutis imitationem illustrius. neque verò nouum est; sanctos viros, vt optimos cursores, hisce viuendi spatiis, eò se magis incitare, quò propius accedunt ad metam: licet eos sæpe quidam hæsisse dicant in cursu, quos oculis corporeis ad metam peruenisse non vident. ego enim ita sentio, multos Deo deuotos viros, non quòd extremo tempore durius vixerint, longius vitam non potuisse producere: sed quod à fine vitæ propius abessent; iis Deum dedisse durioris vitæ beneficium. Finem vero vitæ præsagiens Carolus dicebat; de maiore annorum numero, se omnium minime solicitum esse debere; qui mirabiliter quodammodo, quantum ex priore imbecillitate iudicari poterat, ad eam ætatem perductus esset. quæ quidem ætas esset fere familiæ suæ. Gibertum patrem mortuum, dum annum XLVII. ageret: fratrem Federicum multo iuniorem: sorores quatuor ante illam ætatem vita excessisse; duas prope adolescentes. quid sibi reliqui tãdem existimaret; nisi fortè paucos annos in doloribus, cruciatibusque corporis esse traducendos? Cum Franciscus Adornus ad eum per idem tempus venisset; huius generis nonnulla locutus, Patrem quodam quasi ioco interrogauit, qua ætate esset; cumque audisset, si rectè memini, esse circiter quinquaginta annorum; heus, inquit Pater, num adhuc in vita manendum est? quæ quidem erant itidem obitus sui proximi prædictiones quædam. Post Paschæ celebritatem cum crucis festum appropinquaret, inuitauit Augustinum Valerium Episcopum Veronensem, qui paulo ante creatus erat Cardinalis; ad illa sua sacrosancti claui solemnia: propter quæ Duci Mantuano se tum excusauit, nè ad eius filij nuptias iret. ita cupiebat optimi Antistitis, quem plurimi semper fecerat, & amplissimo honore dignum iudicauerat, spirituali consuetudine paulum frui. Sed paucis ante festum diebus ei nunciatum est de grauissimo Ioannis Delfini Episcopi Brixiensis morbo. cumque tota die Dominica in diuinis officiis de more fuisset; nocte Brixiam summa celeritate venit. mane cohortatione, sacrisque necessario tempore hominem magnopere iuuat: mortuo funus curat; celebri Missæ officio suffragatur; pia concione cohonestat: his omnibus Brixiensium pietatem magna cum iucunditate iuuat. demum ad Crucis festum, quod feria quinta celebrandum erat, citatis equis, quoniam ita ob temporis breuitatem necesse erat, noctis festum præcedentis hora octaua Mediolanum peruenit. tanti momenti putabat, piis populi studiis, officioque suo, cum vsu veniret, non deesse. tum viatoriis vestibus statim positis, quasi ad illam horam commode quieuisset, iis meditandis, quæ in concione postero die dicturus erat, reliquo noctis tempore operam dedit: nocturnis, matutinisque sacris interfuit; Pontificali more Missam fecit: concionatus est: clauum consueto viarum ambitu, sacris ordinibus cunctis productis, portauit: reliquum diei in vespertinis sacris, aliisque de more diuinis exercitationibus integrè posuit. Ab Augustino autem, vt aliàs, sic eò die impetrauit, vt piam vespere concionem ad Mediolanenses haberet Reliquos anni menses consumpsit in consuetis laboribus. quos quidem, & extremo omnino illius facta, ne minu-

te nimis à me deſcripta, prudentiores quidam iudicati ſint, nonnihil vereor. ſed nihil dicturum me confido, quod iure ſuperuacuum videatur, aut leue: religioſioribus certe mentibus pleriſque gratificaturum me, profuturumque ſcio. Viſendis Eccleſiis diœceſis ſuæ ea æſtate ſe exercuit: idque magis quàm antea fructuoſe. denũciari enim vnoquoque loco ante iubebat aduentum ſuum; & amplum indulgentiæ beneficium iis proponi, qui peccata confeſſi communicaſſent. Sacerdotes præmittebat magna auctoritate ſacramenti pœnitentiæ adminiſtros. ipſe cum venerat, ſanctiſſimum Euchariſtiæ cibum præbebat. magnus vbique conſtabat ſacræ pœnitentiæ, ac ſalutaris expiationis fructus. nam plerique negotiis omiſſis, ea præclara dona cupide admodum à chariſſimo Patre accipiebant. Modo etiam venit: vbi noſtram ſanctæ Mariæ Eccleſiam tribus cum altaribus cum dedicaſſet, XVII. Calendas Iulij; in collegio, quod ſemper, vt opus ſuum, amauerat, mira quadam abiectione ſolus manſit; ad Nouitios rogatus à nobis, verba fecit amantiſſime, de perfectæ vitæ inſtitutis. At verò libenter alioqui per id tempus frequentiam fugiebat; & in remotiora loca diſcedebat, negotiorum ſe moleſtiis ſubtrahens; vt ſacris ſtudiis, diuiniſque contemplationibus vacaret. quod gubernationis, actioniſque omnis iam iam deponendæ, diuinæque contemplationis integrè ſuſcipiendæ, omen quoddam videri poſſet. Sed Mediolanum tum ad præcipua feſtorum ſolemnia rediit, vt ſolebat ſemper; tum ad conſecrationem primo Albenſis, deinde Alexandrini Epiſcopi electi. nam & ipſe ſacris eiuſmodi officiis delectabatur; & pij viri ſibi à tanto Antiſtite manus imponi cupiebant; à quo præterea diſcedebant optimis Eccleſiaſticæ diſciplinæ præceptis locupletati. Atque Octauium Parauicinum Alexandrinum, nunc Cardinalem, cum conſecraſſet, eduxit etiam ſecum ad Eccleſiarum luſtrandarum munus. nam, & ipſe optima noui Epiſcopi voluntate, virtuteque delectabatur & ille antiquam religionem magni & Epiſcopali munere diu glorioſè perfuncti Antiſtitis, ſingulariter obſeruabat.

Exercet ſe. Celebraturus erat ſacra, quæ dicimus Septembris menſis tempora; cum accepit, Franciſcum Boſſium Nouariæ Epiſcopum ita ægrotare, vt morti propinquus iudicaretur. iuſſerat autem ille Carolum certiorem fieri, & ſuo nomine tantummodo poſtulari, vt ſibi benediceret morituro. Carolus autem ſtatum illius temporis ordinationum munus Franciſco Cittadino Epiſcopo cum mandaſſet; paucis horis poſt nuncium allatum moratus, nocte ipſa Nouariam contendit, quæ triginta paſſuum millia Mediolano diſtat. mortuum Epiſcopum inuenit; conſueta pietatis ſuffragia tribuit; in concione populum cohortatus eſt; quæ tali tempore conueniebat. Eccleſiæ miniſtros monuit, quid facerent, dum Epiſcopus à Pontifice daretur. Nouaria Guido Cardinalis Vercellenſis, eum ad Meſſerani Marchionem communem cognatum adduxit: vt in mortifero morbo hominem conſolaretur, & iuuaret; quod vtiliter admodum effecit: nam Marchio ſacramento pœnitentiæ expiatus, & Euchariſtia ſanctiſſima munitus, pie mortem obiit. Vercellis aliquot dies fuit; vbi in componendis illius Eccleſiæ rebus, cum Epiſcopus apud Imperatorem Sedis Apoſtolicæ nuncius abeſſet, verſatus eſt. Conſtituerat eo tempore ſeſe diutius ſalutariter colligere; quibus in rebus à multis menſibus peccaſſet, & ſuis defuiſſet officiis, attentè peruidere; errata confiteri: veniamque à Deo poſtulare: tum per diuinas contemplationes ad pietatem, vitæque ſanctitatem acrius ſeſe incitare: & ad negotia præterea, quæ tum illi erant in manibus, piè, & fœliciter gerenda, diuinam opem enixe implorare. quibus rebus ſolitudine opus erat. Eiuſmodi exercitatio cum aliàs ei cordi eſſet vehementer; tum eo tempore erat optatiſſima, ob mentem magis, quàm antea diuinarum contemplationum cupidam; earum præſertim, quæ de cruciatibus, morteque Chriſti Domini eſſent: quas per ea tempora ſtudioſiſſime, ardentique animo frequenter tractabat; articulatim ordinabat litteriſque mandabat. qua quidem mente, ſtudiiſque clementiſſimus Deus, id quod demum poſt factum clarius apparuit: ſacerdotem ſuum iam iam ex hac vita migraturum ad æterna præmia præparare videbatur. Varallum vbi alias ſimili de

ſe in monte ſalutariter. iter facit ægrotans.
Cap. 7.

caussa fuerat, tunc etiam ad eam rem delegit. vico id nomen est, qui Nouaria, & Vercellis æquo spatio distat, ad passuũ millia circiter vigintiquinque. ibi mons, quoniam fere sub alpibus est locus, ex piorum hominum, etiam longinquorum votis, & omnino religionis caussa frequenter visitur. nam religiosus vir ordinis minorum, ex Mediolanensi nobili familia Caima ante annos ferè centum; cum ex Iudæa, sanctissimo Christi Domini sepulchro religiose inspecto, rediisset; eius imaginem aliquo loco ponere constituit; quæ piis hominibus, cum Iudæam petere non possent, ad pietatem, venerationemque erga sepulchrum, sanctaque Hierosolymę loca exercendam, aliquo modo valeret. ac eo loco, mõteque delecto: Ecclesiam Monasteriũque sui ordinis piorum hominum sumptu ædificauit: & sepulchri speciem decore collocauit. ea res adeo fæliciter euenit; vt locus maxime celebris euaserit; & variis temporibus ædiculæ multæ fuerint constructæ; vbi pulchris imaginibus, ac statuis, ea in primis referuntur, quæ in affligendo, morteque afficiendo Saluatore, acta sunt; tum aliæ quoque res ex diuinis historiis ad nostram salutem pertinentes. Ita iam in summo monte quasi sacer quidam vicus plurimarum ædium factus est; quas ordine, certisque viis frequentes peregrini salutaribus cogitationibus, supplicationibusque intenti adeant, & religiosè contemplentur. Eo se Carolus igitur conferre statuit, & ob eam rẽ Franciscum Adornũ accersiuit: quem piarum exercitationum adhiberet adiutorem. Sed ante misit Dux Sabaudiæ Vercellas, qui illum eius nomine rogatum Taurinum adducerent. officium Duci Carolus, vt charissimo filio non negauit; quod vel sponte libenter suscepisset, ad sacro-sanctam Sindonem postremò visendam, & venerandam. Dux vero magnum cœpit, si vnquam antea, Caroli præsentiæ, consiliorumque fructum: visusque est maximè ad pietatem commoueri; & eumdem etiam in discessu prosequi lachrymis. Ad montem cum venisset; monasterij cellula, in qua moraretur, electa; ibi corpus incommode admodum, & seuerè tractare cœpit. in ligneis tabulis somnum capiebat lodice tantum instratis. consueto vtebatur panis, & aquæ alimento. durius, quàm antea corpus flagellabat; id quod ex interula deinde, flagellisque sanguine aspersis apparuit; licet ipse studiosè occultasset. sacræ confessioni parandæ, sacræque meditationi sese dedit. ad hanc meditandi exercitationem suos admisit, quamquam spatii, occupationisque longe minoris: sed distincta ad meditandum rerum capita quotidie tradebantur: quibus cogitandis, & contemplandis, certis diei, noctisque horis, ea se quisque ædicula, & coram iis imaginibus exerceret; quæ ad animi sui fructum sentiret aptiora. certum item tẽpus constitutum erat, quo simul conuenientes inter se, quæ animo senserant; quæque erant meditati communicabant. Carolus primis diebus sex horas, partim diurnas, partim nocturnas sibi finierat; quibus horis contemplationi, precibusque vacaret, reliquum tempus confessioni dabat; tum necessitati quoque corporis, quam angustissime tamen circumscriptæ; & si quid negotii esset, quod non posset omitti. Iucunda prorsus species, & pietate plenissima. conspiciebatur nocte amplissimus Antistes, nullo comite, paruulam laternam sub pallio tenẽs, per vias illas summi montis, petere quam sibi iudicasset, opportuniorem ædiculam; vt in ea quemadmodum sibi præscripserat, sese exerceret. quarto ab aduentu die peccata sua confessus est, tanta pietate, dolore, ac lachrymis; vt qui confessionem audiebat, itidem in fletum adduceretur. postero die, tantis exercitationibus tam beatè occupatus, nõ neglexit officium tamen; neque recusauit. Aronam ad Cardinalem Vercellensem venire: sed prius nocte proxima, circiter octo horas contemplando, Deumque orando, in diuinis rebus ita mansit; vt flexis genibus, tanto spatio, nulla corporis parte cuiquam rei inniteretur: quin etiam ad extremum, cum subaccusare visus est qui horologium curabat, quasi tempus studiose contraxisset. Post diem reuersus, in suam se retulit solitudinem. quo loco, & ex iis quæ cum aliis conferebat, & ex aliis sermonibus, indiciisque perspexerunt, & Pater, & alij; eum minime vsitata, prorsusque singulari ratione diuinitus commotum, & eo præsertim lumine illustratum, eaque mente confirmatum, quæ rebus

humanis, vitaque ipsa omnino posthabita, Deum solum petit; eique intima voluntate, totaque mente penitus coniungitur. quibus rebus nihil ad propinquam mortem erat accommodatius: maxime, si delectationem addas, quam ex sermonibus, meditationibusque de morte, & sepultura Domini; & eius sepulchri imagine in primis visenda, contemplandaque capiebat. cui rei satis consensit etiam sacra Sindon visa prius, & culta; tum duo principes viri, Episcopus, & Marchio extremis sacramentorum, funerumque officiis adiuti. Non multos in monte manserat dies, cum in febrim incidit: cuius impetus cum tulisset tantus; eaque tertio die rediisset; Patri demum significauit. idque fere præter consuetudinem: nam alias etiam quinquies reuersam nemini indicauit: vt nisi obiter postea quandoque alicui significasset, id resciuisset nemo. Adductus est à Patre, vt asperitatem corporis nonnihil minueret: quamquam quid fuit tandem, palearum aliquid, in quibus cubaret recipere, & in aqua coctum panem, nullo tamen condimento, admittere? mentis item exercitationes aliquo modo moderatus est: ita vt aliquid temporis aliis quibusdam consultationibus daret; præsertim de ædiculis illis melius disponendis. Febris autem inuasit eum tertiò: ac quantum corpori firmitudinis decedebat, tantum animo diuini luminis, cœlestisque virtutis accedere videbatur. Triduo tantũ aberat sanctorum omnium cultu insignis dies; quem Carolus de more cum populo suo Mediolani, consuetis munerum functionibus, agere studebat. erat ei quoque negotium ab Apostolica Sede mandatum, de collegio ex testamento pii viri in vico Ascona instituendo; vbi pueri pietate erudirentur, & literis; cuius negotii causa ad locum ipsum eundum erat: neque id sine magno damno differri poterat. Dum igitur hisce de causis à monte discederet; ita rursus sese in locum Dominici sepulchri abdidit; vt comites, cum fere descendissent, tum demum Carolum deesse animaduertentes, in eo loco inuenerint. Aronam eo die venit montosa, difficilique via milliarium decem & octo. Ibi studio celeritatis tertia noctis hora nauem conscendit; vt per Vrbanum lacum Asconam contenderet, quæ aberat ad millia passuum circiter triginta quatuor. In quo itinere plurima fecit, & locutus est; quæ tum sanctitatis officia, tum proximæ mortis indicia cumularent; & ideo minime videantur prætermittenda. hæc plerique agunt, dum in lecto iacent: de humanarum rerum despicientia; de beatæ vitæ desiderio loquuntur; suis salutaria præcepta tradunt. Sed Carolus, qui in laboribus assiduè vixerat; pro quiete semper laborem elegerat; suam etiam in morte præstitit consuetudinem; suamque itinere faciendo, incommodisque, & laboribus tolerandis, ægrotationem traduxit. philosophabatur de animo sic in hac vita conformando; vt humana omnia, præ iis, quæ Dei sunt, pro nihilo prorsus habeat. oportere hominem sese omni tempore ita expeditum præstare: vt Dei nutu prompto animo semper ex hac vita possit demigrare. ipsas etiam Dei caussa susceptas res, quæ quidem quandiu tempus datur, omni diligentia, studioque agendæ sunt; ita tamen esse curandas; vt iis licet imperfectis, nihil animo tamen afferatur impedimenti, vel moræ: quin liber hinc, omninoque solutus euolet. plures Ecclesiæ suæ re exemplo proponebat: quas licet valdè vtiles, ac necessarias; & magno item à se studio, laboreque ad id tempus curatas; nullo modo tamen adeo valere æquum erat; vt si vita decedendum esset; animum quidquam morarentur; quin ad Dei voluntatem exequendam prorsus expedite sese cõuerteret, ac hilariter. atque vt, quò sermones eius spectarent clarius appareret: breuem cognatorum suorum vitam rursus in ore habebat; & Giberti patris, qui eadem, qua tunc ipse erat ætate, vita cessisset, mentionem repetebat, quæ quamuis ille frequenter loqueretur; de eius tamen impendente morte, tunc quidem nemo suspicabatur. Cum Arona quemadmodum modo dicebam, soluisset; in genua procubuit; & cum suis statas itineris preces habuit. addidit psalmos nonnullos, vt mortuis suffragaretur. tum conuersus ad nautas: omittitis ne precari, inquit, fratres cum soluitis? at mihi hoc dabitis posthac, vt dominicam Orationem, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorum piè semper recitetis. cuius consuetudinis initium

initium tunc faciens, vnà cum illis mira humanitate ad verbum ea pronunciauit. mox salutari sermone omnes, qui aderant, fructuosè cohortatus; in culcitra recubuit vestitus ad nonam noctis horam. tum surrexit nocturnasque statas preces obiit vna cum suis, genibus more suo nixus. mente deinde precari non destitit, donec hora duodecima Canobium appelleret, eo loco sacrum facturus. In Præpositi illius Ecclesiæ ædibus permansit, Deum orans, donec illuxisset. tum re diuina confecta; valetudinarioque cibo, sicuti vesperi, sumpto; nauem conscendit; Asconam, quæ circiter millia passuum decem distabat, venit: eodem die negotium confecit ad quod venerat; nauigationémque repetiit. Constituerat postero die, qui omnium Sanctorum festum antecedebat, Mediolanum peruenire. sed cum Asconæ quartam febris accessionem sensisset, Canobii subsedit eo die necessariò. recubuit primò sine culcitra, atque adeo sine palea: mox familiarium rogatu, vique morbi adductus, sese in culcitra collocauit. morbo afflictus Capucinos iussit accersiri, quorum piis verbis, consolationéque subleuaretur; quos de sancti Francisci exemplis rebusque cælestibus aliquid incipientes, subsequebatur ipse fusius, diuinaque multa proferebat quibus ex sermonibus in Pij Quinti mentionem delapsus, eius Pontificis plurimas laudes diu, suauiterque percensuit. cum nox esset, ipseque sibi integer videretur; consulto medico Aronam ea nocte saltem proficisci volebat. Orant autem familiares Octauianus Forerius canonicus Med. in primis; sibi parcat; præterita nocte breui spatio quieuisse; magnum periculum esse, ne tanto incommodo morbus ingrauesceret; præsertim si Mediolani ad proximam celebritatem adesse conaretur. omnino verisimile non fieri, vt vires ad solemnes sacrorum munerum functiones obeundas suppeterent. eorum victus precibus, ea nocte commodè quieuit. mane autem post statas preces, sacrificiumque, Aronam petit, omisso cibo, quoniam erat ieiunij dies, neque inualetudinis excusatione sibi vtendum putabat. In naui genua ponit, precationem iter facienti præscriptã, & litaniam, primo quidem Ambrosiano ritu cum suis; deinde aliam Romano more cum nautis habet; quod ij Aronenses erant, vbi ritus est Romanus. postea sedens sacrum sermonem de celebri festo illo instituit. quo habito, distinctas quasdam conceptiones auditoribus tradidit, in quarum meditatione, contemplationeque taciti versarentur. Id cum horæ spatio factum esset, sigillatim interrogauit, quid cogitassent. Deinde negotiis operam dedit: Forerium in Mesaucos dimisit, vt ibi de salute multorum ageret: & per homines recte sentientes; quæ de Calendario Gregoriano, proximis Rhætorum comitiis recipiendo, posset, diligenter curaret. tum litteris, & supplicibus libellis perlegendis sese dedit: etenim si Rhæticum excipias, negotiis fere superioribus diebus abstinuerat, nè animæ exercitationes, & fructus impedirentur. In conspectum Aronæ cum venisset, litaniam repetiit. in oppido mansit in ædibus sodalitatis IESV. Renato Comiti se excusauit; quòd ægrotus apud religiosos viros rectius esset; vbi si quid accideret, propiora essent salutis adiumenta. Ibi igitur refectis tenuiter pro ægroti modo viribus, vt superioribus diebus fecerat; in lecto quieuit ad septimam noctis horam. mox cum surrexisset, tum diuinis contemplationibus, tũ statis nocturnis precationibus operam dedit, vsque ad lucem. Missæ sacrum ad omnium sanctorum cultum fecit: in eo non solum nouitiæ domus illius iuuentuti, sed aliis incolis multis, qui conuenerant, sacrosanctam Eucharistiam præbuit. tum sese in lectum retulit quintò febrim expectans; quæ quidem grauior fuit; quàm solebat. atque, cum ex medicorum præcepto febri consistente, aquam cum hordeo coctam, calidam sumpsisset; moxque somno se dedisset; acrius inflammatus adeo laborare cœpit, vt numquam postea integrum corpus habuerit. nihilominus postero die mane, quo mortuorum suffragia celebrantur, inuitatus nauigandi commoditate, Mediolanum petere constituit. itaque statas quidẽ horarũ preces obit; Missæ autẽ, quoniam tum demũ facere nullo modo poterat, in ecclesia interest: lectoque in naui parato; lacu, mox Ticino flumine, indeq; aquæductu, Mediolanũ eo die vehitur.

Ibi medicis statim accersitis sese Obitus. Cap. VIII.

curandum tradidit altare in cubiculo collocari, sepulturæ Domini imaginem apponi; eiusque similem super conopei fulcra statui iussit; vt quotiescumque oculos tolleret, eam posset contẽplari. aliam non dissimilem, Domini precantis, sanguineumque sudorem cum morti appropinquaret, effundentis, eisdem fulcris appendi mãdauit, quam directo videret obtutu: vt priora illa signa continuari facile quisque cognosceret. quamquam eiusmodi imagines, quotiescumque ægrotaret, ad solatium suum requirebat. Mane cum adhuc horarias preces, quẽadmodum ad id tempus religiosè fecerat, recitare vellet; Patris Adorni suasu, satis habuit alium recitantem audire. cupiebat item, si febris remitteret in sacellum se conferre, ibique sanctissimum recipere sacramentum; alioqui saltem ad altare cubiculi sui: sed neutrum licuit. cumque Pater suaderet, vt in cubiculo Missam fieri pateretur, non consensit, ne quis forte sequi vellet exemplum. Post meridiem febris increscere, sextaque accessio obscurè fieri ita cœpit, vt somnum quendam videretur inducere. Audieram eum quandoque narrantem de Egidio Mutinensi Episcopo, quem plurimi fecerat: cum mors immineret: quiescenti sese, ac penè dormienti similem præstitisse: qui cum sæpius interpellaretur, finite me, inquit, tandem quiescere, & cum Deo esse. Id cum eo tempore venisset in mentem; dixi subuereri me, nè Mutinensem Episcopum imitaretur: quod ille subridens ita negare visus est; vt verum tamen ex parte crederes veniunt medici; inspiciunt. ita timent, vt morbum diuturnum, neque eum sine aliquo vitæ periculo prænuncient. ac cum habita inter se consultatione, paulo post ad illum redeunt; motumque in brachio rursus obseruant; tum vires ad exitum præcipitare, iam iamque interituras, præsentibus renunciant. Subitus, minimeque omnium expectatus casus, quàm vehementer nec opinantes perculserit, non est cur explicare conemur. alij aliis significant: tacite simul lamentãtur; intimo dolore afficiũtur. mittitur statim, vt sacrosancta Eucharistia proposita, supplicationes in maiore, aliisque Ecclesiis instituantur. Accedit Pater lachrymans; quis enim se poterat continere? euocari eum ait ex hac vita: vltima sacrorum subsidia non videri differenda. Adeo præcipiti lapsu vires deficiebant; vt ipsa loquendi facultas vix relinqueretur. casum tamen æquo prorsus animo accipiens, de sacramentis respondit, instare se maxime. Dum hæc pararentur ad aurem supplex petii; dicere illud vellet, quod sanctus Martinus sub mortem dixisse legitur, Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: nam & ante annos duodecim, cum grauissime ægrotaret, illud idem audieram vsurpasse. an secum dixerit, ignoro: sed apertis illico oculis, meque intens, consuetam omnino visus est obtutu saltem præstare benignitatem: quamquam idem vitæ ipsius, qui sancti Martini, tum euentus fuit. rectè verò ille ad sancti illius Episcopi imitationem tunc inuitari potuit; cui tum in vita, tum in morte multa habuit similia. vtrum suum, vt Martinus præsenserit obitum, affirmare non audemus: quæ ante euenerunt, quæque nouimus, simplici naratione modò protulimus, Sed Martinus quoque paulo ante mortem Ecclesiastici negotii causa profectus, viribus corporis, vt Seuerus narrat, cœpit repentè destitui: & aliquot dies vi febrium afflictus, non solum orationes, vigiliasque intermittere noluit, sed ne vilia quidem stramenta iacenti sibi supponi passus est: iacebat autem in cinere, & cilicio. Sanctissima igitur hostia celebriter allata, capite, brachiis, toto denique corpore Carolus nitebatur, vt assurgeret: sed nobis adiuuantibus sese ita saltem extulit, vt linea veste, ac stola collo inducta, religiosè sacrosanctum viaticum acciperet: quod extrema vnctio rite adhibita statim secuta est. quibus in sacris officiis ipse, cum ritus postulabat, vna cum aliis sacerdoti respondere conabatur. reliquum tempus consumptum est in legendis diuinis scriptis de passione Domini, aliisque quibus animã tali tempore iuuari, Deoque commẽdari solenne est. cum autem sensus paulatim restinguerẽtur, Annibal Altemsius Comes eius affinis vna cum filio genibus positis supplex sibi petiit benedici; quod idem fecere omnes, qui aderãt. manum ille mouit quidem, sed nisi alio adiuuante tollere non potuit, vt de more crucis signo benediceret. ci-

licium illi cum sacro cinere imposuimus, ex instituto veteri; quod ille in libro rituum Ecclesiæ suæ renouari iusserat: ac merito quidem vel ad eius asperitatem vitæ significandam id erat adhibendum. continuerunt liberiorem fletum familiares, quandiu ille aliquid sentire visus est: at cum animam agere cœpit: quæ res, & ad modicum tempus durauit; & parum præ se tulit difficultatis: tum vero gemitus, lamenta, atque adeo eiulatus eruperunt. hic vniuersæ Christianæ reipublicæ iacturam: ille Mediolanensis Ecclesiæ casum, & orbitatem: alius susceptorum ad Dei gloriam munerum dissolutionem: nonnulli priuata detrimenta, miserabiliter flebant. Circum cubile locum, ex intimis quisque, morienti Patri quam potuit proximum, initio cœperat. id vsui etiam fuit; vt rem aliquã ab eius corpore sumeret, amoris, religionisque gratia. hic namque ceream agni imaginem è collo pendentem; coronam ille, qua precari solebat; alius caputiolum, alij alia piè rapuerunt. quidam celeriter ad res alibi repositas venerunt: ex quibus pretiosissima sibi contigisse sunt lætati, qui flagellum, ex Varalli verberatione tinctum sanguine; atque interulam itidem sanguineis guttis aspersam inuenerunt. idem adeo studium in plerisque postea viguit; vt cilicium, tum illud quod imposuimus, tum aliud, quo vti solebat, in infinitas particulas diuisum plurimis enixe postulantibus, sit distributum. Aliæ res, libri, imagines, vestes, omnibus viis quæsitæ, & inter res charissimas habitæ. aliquid palearum in quibus iacuerat, si aliud non daretur, quædam longinquæ virgines postularunt. Periculi fama per ciuitatem vniuersam subito diffusa, cunctos commouerat. vbique ciues in viis, vbique lumina; passim circulari; anxio animo inter se interrogare; inter se factum narrare cum lachrymis; coacti subito longi ordines marium, fœminarumque omnis ætatis; cruce prælata, per vias procedebant, litaniamque habebant: quorum stata verba alta flebilique voce prolata; admirabile est, quantum dolorem, fletumque omnium augerent. Plurimi in Ecclesias supplicatum confluxerunt. alij ad eum visendum concurrerunt; vt palatium Archiepiscopale, cubiculumque ipsum omnium fere ordinum multitudine statim compleretur. ipse etiam prouinciæ Gubernator statim accurrit. Neque vero casu fortassis euenit, vt magni Antistitis obitum tot hominum genera coram dolerent. Principes viri, magistratus; milites, patritii, plebei: non Itali solum, sed Hispani, Germani, Heluetii, Angli. viri Ecclesiastici cuiuscumque propemodum generis, atque ordinis. erat ea certe iactura cõmunis. virgines in monasteriis, cum eò quoque celeriter nuncius penetrasset, itidem commotæ, statim ad precandum sese dederunt: ac tota fere nocte quædam in supplicatione permanserunt. ita circiter tertiam noctis horam III. non. Nouemb. die sabbati, nos optimus Pater reliquit. cumque charissimam animam hinc euolasse, facie propius admota experientes, cognouissemus; clausimus, quoniam eramus à latere, relicti corporis oculos.

Audita morte, is luctus, atque mœror fuit; vt in rerum omnium desperatione versari ciuitas videretur. eos equidem libere, ac effuse flere vidi, quos à fletu penitus alienos, vel ob charissimorum mortem, quisque facile iudicasset. neque vero subitò dolor, aut paucis, vt fieri solet, diebus desiit; immo auctus potius videtur in dies: sciteque dixere quidam: hunc dolorem, non vt alii, tempore minuẽdum, sed potius augendum; quòd quotidie magis perspiceretur iacturæ magnitudo. Rite curatum est corpus inter familiarium oscula. quod quidem macie sua maiorem etiam in spectantibus doloris sensum efficiebat: videbatur enim propemodum ossibus, pelleque tantum constare: vt de eo fere, quod de sancto Basilio, dici posset; cuius vitam is commemorare frequenter, sibique proponere solebat: quemadmodum charta laternæ circumdatur; ita pelle prope arida reliquum fuisse corporis circumamictum. addebatur, quòd, vt quibusdam visum est, adhuc signi aliquid in dorso manebat, quod nefarij illius ictus memoriam renouaret. collocatum postremò est in palatij sacello, vestitum Pontificiis indumentis albi coloris: & cum mira esset populi cupiditas visendi illius: timereturque ne immensæ multitudinis concursus, atque impetus, satis moderari


Exequiæ, ac sepultura. Cap. xx.

posset: non solum nocte ipsa, quæ non multum habuit quietis; sed die item insequenti clausæ habitæ sunt fores. At cum diutius teneri populi desiderium non posset: corpore cancellis circummunito; quibus multitudinis impetus, vehemensque plurimorum studium cohiberetur; aditus omnibus apertus est liber. tantus omnium ordinum toto biduo concursus fuit, vt per amplas palatij scalas, dum confertissimi alii descenderent, alij ascendere conarentur; seseque mutuo premerẽt; multi ferrentur præcipites; nonnulli pene opprimerentur. ipsius sacelli non exigui tamen, parietes rumpere, multitudinique exitum patefacere, necesse fuit. diuturnior concursus fuisset sine dubio; exterique aduenissent, si amplius dilata fuisset sepultura. augebatur verò populi conuenientis dolor; quòd tangere, atque osculari chari patris corpus per cancellos non possent; neque ob perpetuò confluentem multitudinem, morari saltem permittebatur, vt paululum eam intueri faciem, contemplarique possent, quam visuri amplius non erant. in qua quidem nouus quidam decor, præcipuaque tunc sanctitatis, & benignitatis signa quædam elucebant. Aliud solatium denegabatur, quod nonnulli tamen obtinebant furtim; vt globulorum coronæ, quas magna cupiditate offerebant, corpori admouerẽtur, quibus religiosius ob eius contactum vterentur in posterum: & inter res chariores asseruarent. Dum ibi corpus fuit, clerici semper astiterunt, piè precantes; horis distributis, vt alii aliis succederent: canonici maioris Ecclesiæ: alia clericorum vrbis collegia; eius item familiares. feria quarta elatũ est corpus, funúsque ductum, vniuersis vtriusque cleri, tum piarum sodalitatum ordinibus comitantibus. vnusquisque autem accensum manu cereum tenebat. secuti sunt pontificio habitu ex Episcopis prouinciæ nonnulli; Nicolaus in primis Cardinalis; qui pro suo eximio in Carolum amore Cremona statim accurrit. Prouinciæ Præses, Senatus, Magistratus; populique multitudo; quanta longissimis viarum spatiis potuit contineri. nam iudiciis omissis, relictis negotiis clausis officinis, etiam ex agris longe conuenerunt. quorum fletus vere memorabilis, tum Antistitis sanctitatem, insignesque laudes, tum populi amorem, gratumque animum, satis per se prædicabat. neque se continuerunt, quin aliquando vocem simul tollentes, non sine multorum terrore; misericordiam, conclamarent; quasi ciuitati exitium aliquod instaret. Funeri statim successere funebria sacra, quæ Cardinalis idem celebrauit. quibus & sacri homines, & quotquot Ecclesia maiore contineri poterant, interfuerunt. concionem habuit Franciscus Panicarola; qui de quacumque re apud quoslibet dixisset, summa vi dicendi permouisset omnium animos: nunc de tanto Antistite, ad auditores tam dolenter affectos; ipse lachrymis frequenter oborientibus, quid effecerit; facile coniici potest. Fuerat corpus in ampla structura alte collocatum; atque ita cõmunitum, vt cupida multitudo minime posset perrumpere. *Sed factis exequiis*, necesse fuit eum tutiore loco inter ferrea clathra ponere. nam summo studio, atque impetu irruebant plurimi, vt corpus tangerent; siue religione, amoreque inuitati; siue etiam sanitatis adipiscendæ desiderio incitati. Multi prauis dæmonibus occupati adducebantur, qui clamoribus, magnisque agitationibus sese perpetuò commotos ostenderunt, tum in funere ducendo, tum in diuinis faciendis, tum die ipso toto; quo ad populi solatium sine intermissione confluentis, intra septa illa corpus relictũ est; vt proxima nocte sepeliretur. Delegerat sibi ipse in testamento sepulturæ locũ, ad primos gradus, quibus altare versus ascẽditur; ante ipsum aditum; vt ingredientium, ac prætereuntium pedibus teri necesse sit. Eò, cum interim defossum, atque ædificatum subterraneum sepulchrum esset; corpus in arca plũbea inclusum; nomine ac tempore insculpto, intulimus. lapis impositus est cum epitaphio, quod in testamento ipse conscribi iusserat his verbis, Carolus Cardinalis tit. S. Praxedis, Archiepiscopus Mediolani, frequentioribus cleri, populique, ac deuoti fœminei sexus precibus se commendatum cupiens: hoc loco sibi monimentum viuens elegit. Testamentum fecerat ante annos octo, cum pestilentia vrbem inuaderet, vt diximus ac hæreditatem quidem suam reliquit præcipuo pauperum valetudinario. sed à maioribus accepta bo-

na, quæ fidei commissi iure manere in familia necesse erat, Francisco Borromeio Comiti patruo reliquit, eique patrueles suos Comites substituit, Renatum, & Federicum; qui quidem Francisco ante Carolum mortuo, ei successerunt; & meritò quidem, non ob propinquitatem solum, sed ob eorum in Carolum obseruantiam ac pietatem: Federici præsertim; qui clericalem à prima adolescentia vitam amplexus, eius virtutes, moribus, & disciplina quotidie magis expressit; quẽ Deus, vt esset expressior, atque illustrior imitatio, voluit anno ætatis suæ XXII. creari Cardinalem; ita Caroli quamuis mortui suffragantibus in sanctam Ecclesiam meritis; vt ex propriis tamen virtutibus omnium iudicio dignissimus habeatur. In eodem testamento religiose liberaliterque legauit multa. Sacra, precationesque anniuersarias ad maiorum, animæque suæ subsidium constituit. pro se quotannis obitus die fieri iussit; cauitque, si mors in diem illum incideret, quo die pro Archiepiscopis mortuis sacra fieri decreto constituerat; differrentur in proximum. ac quasi id præuidisset: ita euenit, vt sese habebat conditio. Ecclesiasticam suppellectilem fere omnem, magni pretii Ecclesiæ maiori legauit. Scripta ad conciones pertinentia Ioan. Francisco Episcopo Vercellensi. Familiaribus annuas pẽsiones ex auitis fere bonis soluendas: religiosis collegiis; amicisque aliis varia reliquit. Dedit eodem testamento erga filios id specimen amoris sui; vt quocumque loco moreretur, cadauer tamen Mediolanum afferri, atque ibi sepeliri vellet. Non videtur omittendum: quoniam & hæc signa ad rem facere exemplis didicimus; iis mensibus qui hanc iacturam nostram antecesserunt. fulmina inusitato prorsus numero, per diœcesim Mediolanensem erupisse; in Ecclesias præsertim; quarum vna fuit nostra Modœtiensis, quamuis nullam ruinam passa. imo, quod precipuum est, in ipsam quoque maiorem Ecclesiam Mediolani irrupit fulgur; & altaris maioris vmbraculum nonnihil læsit. In Vrbe vero malus in Adriani mole alte eminens. cui Pontificia signa quædam, solent apponi; cum de cœlo tactus esset; postridie accepto, dum adhuc lignum conflagraret, de Caroli morte nuncio, eam rem significatam multi existimarunt: quamquam alii retulerunt ad Gregorii Pontificis mortẽ; qui post menses circiter quinque diem suum obiit. sacris per Ecclesias passim celebriter peractis, suam ciuitas erga tantum Patrem pietatem ostendit. Piæ honestæque mulieres multæ, quasi pro vniuerso sexu; cui se ille in epitaphio commendauerat, satisfacientes; tum funebria iusta, in eadem Ecclesia maiore suis sumptibus fieri curarunt; tum facto agmine septem statas Ecclesias, toto itinere supplicantes, crucifixi imagine prælata, cum Caroli insignibus, adierunt. quod idem primo quoque cuiuslibet mensis Dominico die postea seruauerunt: vt illud vulgò Cardinalis sodalitium appellatum sit. Signa mœstitiæ, ac doloris etiam in longinquis Christiani orbis regionibus edita sunt. Gregorius ipse Pontifex, eius audita morte, quemadmodum viri grauissimi nobis narrarunt, illud pronunciauit, Extincta est lucerna in Israel. In Heluetiis, ac Rhætis in primis, quantum impii gauisi sunt, grauissimum sibi aduersarium sublatum: tantum luxere pii acerrimum defẽsorem quamquam dolere visi sunt ex iis quoque multi qui minore adducti malitia sequuntur impietatem. De morte narrationes: tum laudationes multæ, versu, solutaque oratione conscriptæ, inque varias linguas conuersæ, per orbem disseminatæ sunt. Ioan. Franciscus olim, antequam Vercellẽsis Episcopus crearetur; latinum poëma de Carolo condiderat: quod hæc scribens editum audiui. poemati laus debetur; fides item historiæ, si poetica inuolucra detraxeris: quæ quidem indigna fortasse sacris historiis existimans auctor opus odi nolebat, quemadmodum nobis affirmauit. At suos in mortẽ quoque Carolus habuit obtrectatores. cœnobitici ordinis homo; cuius mores pene intolerabiles Carolus diu non solum tulerat, sed officiis, & mira benignitate moderandos susceperat: incredibili odio Carolo mortuo maledicebat; eiusque nomen, ac memoriam insectabatur: neque ferre poterat, vt ei vitæ sanctitas à quoquam tribueretur. at is non multo post quorumdam criminum reus factus, Romamque vocatus, morte pœnam vi-

tæ huius effugit. Alius ordinis eiusdem, scriptor imperitus, & leuis, historia quadam edita, Caroli famam inepta quadam dissimulatione, acriter, & maledicè vellicauit. ea de re cum Romam relatum esset; inspecto libro, volumina omnia è bibliothecis auferri iusserunt summi iudices. homo paucos post menses interiit. Magna omnium animis memoria, veneratioque eius sanctitatis perseuerauit. imaginis habendæ, quæ aliquo modo eum refert, tanta cupiditas fuit; vt inaudito studio quouis operis, & artificij genere, innumerabiles effectæ sint; passimque à nostris, & ab exteris expetitæ: tum ad Principes, & Reges in longinquas partes præclari muneris loco missæ. videre licet in prouincia Mediolanensi, per domos, per officinas, priuatim, & publicè, passim affixam, imo piè, ac religiosè collocatam eius effigiem; vt eo aspectu nemo carere potuisse videatur. quamquam incommode accidit, vt ex tot artificibus nemo fere, vere, vt erat, expresserit. nam vt pingi se viuens pateretur, ne petere quidem ab eo quisquam ausus esset. furtim vnus, aut alter, quod sciam, conatus est; idque satis fœliciter. Anno ab eius morte elapso, ipso obitus die, conuenere, qui doctrinæ Christianæ scholis sese exercent, & aliæ item piæ societates: atque agmine maximo ad statas septem Ecclesias eius memoriæ gratiæ supplicatum ierunt. dumque ita pius populus toto pene die pluuio tempore supplicationi vacans vrbem peragraret; plurimi ad sepulchrum venientes sese abiicerent, saxumque flentes oscularentur; ipsa incredibilis detrimenti recordatio, cum tali publicæ pietatis, & amoris argumento coniuncta, ciuitatis luctum instaurauit. At libentius maxima pars eius laudes diuinis officiis concelebrasset: seque potius illi commendasset, vt apud Deum iuuaretur; quod priuatim faciunt plurimi: quàm orarent pro illo Deum; quod plerique inuiti quodammodo, propter spem de eius beatitudine firmiter conceptam, facere sibi videntur. plurimi eius auxilium in suis difficultatibus, & angustiis implorant: multi vota faciunt, & persoluunt; cereis etiam ex Ecclesiastico ritu allatis; qui honoris, & religionis gratia ad eius sepulchrum incendantur. ex Heluetiis nonnulli Mediolanum miserunt, qui vota persoluerent. vir charissimus eiusdem gentis, primò quidem ad Varallium montem; inde ad Caroli sepulchrum pietatis ergò pedibus profectus est. cúmque ægrotasset; se tamen iussit adhuc imbecillum ad idem sepulchrum rursus portari. Multi etiam beneficia diuinitus per eum à Deo accepta prædicant: atque pridie eius diei; quo hæc scribebamus; funale ad sepulchrum allatum est ab eo qui diceret, sese cum Carolum inuocasset, & votum fecisset, ex morbo quodam conualuisse. Quibus de rebus alias, vt spero, fusius explicabitur.





DE VITA ET REBVS GESTIS
CAROLI CARD.
S. PRAXEDIS,
ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI.

LIBER SEPTIMVS.

Statura, & effigies Caroli. Caput I.



Vlta sunt ex Caroli factis, quæ cum historiæ filo duci commodè non potuerint, minime tamen existimamus omittenda. Vno etiam in loco eius naturam, consuetudinem, disciplinam, ac animi imaginem quandam exprimere, huius videtur esse scriptionis. nam vt in corpore toto diffusum sanguinem propriam tamen obtinere sedem videmus, ita Caroli moribus, licet vniuersa rerum gestarum narratione dispersis, proprius etiam locus rectè videtur assignari. Ex his igitur nunc aptam operi conabimur addere quasi coronidem. atque omnia ad certa capita redigentes, prius quæ patent sensibus, quæque in ipso fuerunt, deinde quæ ad alios priuatim, publiceque referuntur, ordine quantum fieri poterit contexere studebimus: ecclesiæque administrationem, quæque eifactæ sunt salutares accessiones, generatim comprehendemus. Statura fuit Carolus, quæ communem nonnihil superaret: cui membrorum quoque magnitudo, ossibus saltem, respondebat, nam carnis tantum fuit, quantum ieiunii permisit assiduitas. magni oculi, cœruleique, nasus grandior, rugis laxioribus ab eo ad mentum deductis. capillus subniger. subrufa barba, & incompta, quamdiu non rasit. Auctoritas vero, grauitasque multa, toto vultu pallido, & macilento, veterum sacerdotum sanctitatem maxime referret. Robustum natura corpus idoneis signis multi iudicauere: sed curis primo familiaribus, dein ecclesiasticis, semper ætatem præcurrentibus, studiis litterarum, laboribus demum, vigiliisque episcopalibus, & varia corporis vexatione debilitatum.

Victus, & somnus eiusdem. Caput II.

Corpus vt tractarit, quibusve quasi gradibus ad summam vitæ asperitatem venerit, pluribus locis supra demonstratum est. quam ad rem vsus est, Deo concedente, duobus magnis adiumẽtis. alterum, quòd nihil subitò durius suscipiebat, sed sensim progrediens, tum vires experiebatur, tum sese paulatim assuefaciebat: in quo magnum salutaris progressionis momentum esse meritò existimatur, ne vel se quis cito conficiat, vel defatigatus subsistat, aut de via declinet. Ita sese in aquæ vsu habuit, ad quem annorum cursu ita peruenit, vt vinum paulatim minuendo, aquam vero addendo, stomachus demum aqua sola contentus esset. Ita in ieiunio, quod multis annis, dierum numerum per hebdomadas paulatim augendo, fecit quotidianum, illudque prandii solius, nihil vesperi prorsus admittens. Ita in omni fere obsonii genere reiiciendo, vt primò carnem, mox oua, ceteraque sensim dimittens, ad panem solum cum aqua, cibus denique redigeretur: quamquam mors anteuertens fecit, vt aliquot dies, puta tres in hebdomada restarent, quibus lacte potissimum, sed pomis etiam, & herbis, similibusque adhuc

vtebatur. simili vsus in Quadragesima ratione gradatim in angustias sese ficuum aridarum, lupinorumque deducere curauit. Alterum adiumentum fuit, quod quæ semel susceperat, ita constanter tenebat, vt neque labore, neque incommoditate, neque humano diabolicoue impulsu ab iis deduci posset. plurimi enim parum progressus idcirco habere videntur in via salutis, quòd leuiter ab instituto deflectunt, quotidieque noua ordientes, nihil ad exitum perducunt. omnino mira inerat, his præsertim temporibus, patientia inediæ, vigiliæ, assidui laboris, omnium denique, corpori quæ sunt incommoda: vt demum, non pro eius appetitu, & ne pro vsu quidem necessario, sed pro occupationum opportunitate, & pro suo denique arbitratu, corpori satisfacere videretur. Cibum, si officium diuinum, vel humanum ita postularet, quod eueniebat frequentissime, tam facile differebat in horas plures, quàm alius rem quamlibet leuissimam. at contra etiam officii caussa tempus consuetum præueniebat, amicorum flagitantium gratia vinum, carnemque admittebat, bis in die quandoque edebat: quamquam non ita facile extremo vitæ tempore: tum enim grauari se vehementer, & quasi febri tentari sentiebat, si amicis in eo genere obsequi conaretur. Sed Brixiæ vidimus, cum ad eum hospes vir princeps venisset, bis in die cum eo accumbere, cibumque promiscuum, etiam vesperi sumere, cum tamen longè post meridiem negotiorum commodo pranderet. Quibus diebus panem solum adhibebat, quoniam ægrè mandentem diutius detineri necesse erat, edens supplices libellos, aut epistolas inspiciebat, ac subnotabat, vel alia legebat, & meditabatur. Cum rogaretur, vt quam biberet, eius aquæ naturam saltem aliquo modo vellet temperari: delicias respondit in exercitatione patientiæ minime quærendas. sese vino potius vsurum. Cibum, & potum ita sumebat, vt nihil gustare videretur, nec quereretur vmquam, vel datum aliquid quod nollet, vel secus factum ac vellet, nisi quid forte melius esse sentiret, quàm ferret sibi proposita durities. Ad ea quæ legebantur edenti, tum ipse fuit attentus maxime, tum exteros quoque cum eo accumbentes attentos facere solitus est, de eo quod audiebat identidem aliquid dicens, ad pietatem excitandam. de cibo vero, vel potu nullum penitus vmquam verbum. Corpus non exercebat: nisi quãtum muneris, pietatisve ratio postularet, in quo non valetudinis modum respiciebat, sed rerum diuinarum ardenti studio ferebatur. Somno quinque horas horas dabat in lectulo illo suo paleato, & cannabino, sæpe etiam, si opus erat, breuius spatium, nonnumquam breuissimum, & in sella aliqua collocatus: qui aliis tamen humanissimus Pater indulgebat, si essent imbecilliores, vt octo, vel etiam nouem darent. cumque eius familiaris narraret, cuiusdam non ignobilis rerum spiritualium magistri sententia, septem horas sano corpori concedi posse: de Episcopis, inquit, non puto locutum. Ante lucem surgebat semper. ad somnum vtebatur nonnumquam tempore, quod itineri dare necesse erat, & nihil de iumenti celeritate remittens, vt poterat, aliqua ex parte satis necessitati faciebat. dormitabat sæpe, tamen interdiu, natura etiam moleste exigente, quod ei debitum erat: sed ita modice, vt omnia quæ dicerentur audiret. dixisses in consultationibus quandoque, nihil omnino percepisse eorum, quæ dicta fuerant, cum ille sententias aliorum repetens, optime omnia iudicabat. cum in sacris precationibus, psalmodiaque arcto somno teneri videretur, promptum se tamen præstabat absque vllius admonitu, vt si semper vigilasset, quotiescumque surgendum, caput aperiendum, aliudve ex ritu agendum esset. Admonitus aliquando, satius esse naturæ quod necesse erat concedere, quàm alieno tempore, & loco dormientis speciem publice præbere: naturæ id esse vitium affirmabat suæ: cui nullum somni tempus satis erat ad eiusmodi dormitationem vitandam: qua se vel medicis curationibus etiam expedire curauerat. Hanc vitæ duritiem, ex clero, populoque imitati sunt multi. qui vino, cibisque melioribus, pro modo quisque sibi proposito, abstinentes, aut etiam in tabulis cubantes, commune lautitiæ studium valde temperauerunt.

Patientia frigoris: & aliorum incommodorum. Caput 3.

Omnia captabat in quotidianis rebus durioris vitæ momenta, quæ plurimi vitare potius solent: in quo ma-

gnam vim meritorum, occulto quodam studio colligeret, & non mediocriter ad perfectam vitam iuuaretur. Non paruum illud fuit incommodum, vel potius cruciamentum: neque die, neque nocte vnquã ignis beneficium in regione valde frigida recipere, hominem interdiu male vestitum, noctu vix contectum, palea subtus, supraque afflictum corpus fouente, vt non immerito dixisse videatur in oratione sua Franciscus Panicarola, nihil amplius Carolum vsum suis, quam canem domini facultatibus, qui quidem pane, aqua, paleaque modica contentus est. At etiam, quasi humanis commodis illudens, Iulio Petrutio religioso admodum seni, qui intimis obsequiis ei inseruiebat, nonnihil eiusmodi acerbitatem quodam tempore querenti, eam esse rationem dixit, qua hyeme lintea minime frigida cubans sentiat, qui ignem iis adhibere nolit: frigere adeo, dum in iis se collocat, vt præ membris suis lintea minime frigida videantur. Stans legebat, scribebatque semper, tabulæ innixus altiori. at foris paratas ad vsum sedentium tantum mensas reperiens, genua ponebat in solo. opinio fuit, salutaris patientiæ caussa eam quoque rem ab eo susceptam. cumque sæpius multi sacra biblia, quæ frequenter in manibus habebat, ita collocatum perlegere vidissent: diuinos libros reuerentiæ gratia flexis genibus ab eo semper legi consuesse prædicarunt. captabat ille quidem omni studio incommodorum, perpessionumque occasiones, eximiaque erat erga diuinos libros reuerentia, vt meritò, ita sit existimatum. sed aperuit nobis quandoque, dolens vitæ suæ asperitatem nimium prædicari, atque amplificari, quod silere non debeo, id se facere valetudinis gratia, cum eum sibi situm vsui esse ad quædam corpori necessaria cognosceret. id quatenus eiusmodi caussæ tribuendum sit, alii viderint. Ita vero angusto loco in suis ædibus consistebat, vt angustiore religiosi viri nulli vtantur: tum æstate caloribus ita subiecto, vt pari propemodum patientia, ad calorem, frigusque opus esse videretur. Foris item, cum necessariæ occupationis gratia morabatur, ne forte oblectationis gratia secedere quis putaret, eodem modo incommoda eligebat loca, eaque interdum eiusmodi, vt omnes eius miserentur conditionem, cum præsertim vbi constiterat, siue in algida, siue in æstuosa loca incidisset, constanter maneret, neque dolens vmquam, neque aliquod leuamentum quærens. si aquæ, hortiue essent, ne aspiciebat quidem, nedum inambularet vmquã. cum essemus in ecclesiæ Mediolanensis villa Cuprelliana, & vna Franciscus Adornus ecclesiasticarum consultationum gratia, ad fluminis Aduæ ripam semel post cibum cum processisset, in insignis cuiusdam iucunditatis loco id ponere visus est, quas propter nos susceptisset, quamquam alioqui non sine caussa locum visit. Cum tot annis ad ædes S. Barnabæ Mediolani ventitarit, semel, aut iterum tantummodo, idque adductus Cardinalium hospitum caussa, hortos ingressus est. postremo vero tempore, cum suauiorem sese omnibus præbere studebat, eo semel nullius gratia ingresso, adeo mirabile visum est, vt inter se Patres quasi rem inauditam narrarent, magno præsertim accedente cumulo, quòd manu sua pomum arbori detraxerat. Cum in eiusmodi religiosis locis edebat, vel solus, vel vno ministro contentus erat, nihilque sibi præter cæteros volebat apponi: quamquam postremis annis communis cæterorum modus, si tamẽ illum admisisset, pro lautitia illi esse poterat. paululum autem post cibum pie cum sacerdotibus collocutus, satis relaxationi datum dicens, ad opera sese reuocabat: nam vel modicum post cibum recreationis, quotidiana eius consuetudo non admittebat: nisi per æstatem quieti potius aliquid, quàm somno, interdum ex necessitate daret. eam esse demum in hoc genere veram virtutem dicebat, non solum cupiditatibus resistere, sed eas persequi, sensibusque, non ea tantum negare, quæ vitiosam haberent voluptatem: sed studiose detrahere iucunda, molesta vero propinare. Itinera tum equis, tum pedibus durissime confecta non vno in loco narrauimus. sed iter faciebat, tum magna festinatione semper, vt domestica iumenta non diu labori resisterẽt, tum cursu etiam, quotiescumque charitas postulabat animarum, idque eo labore, quem extenuatum, debilitatumque corpus ferre necesse erat: quemque sibi propemodum intolerabilem

esse, quandoque fassus est. Cremonense iter millium quinquaginta, cum vsu venit, & alia similia, vno die conficere solitus fuit: pluuias, tempestates, nocturnum tempus, præcipitia montium, fluminum, lacuum, latronumque pericula, hospitia incommoda, frigora, calores, contemnebat. quibus de rebus nemo est familiarium, qui paratas non habeat narrationes admiratione dignas. hic Verbani lacus vndas, ille Apennini tempestatem, & turbines, alius Alpium rupes præruptas, & earum diurna, nocturnaque pericula recordatur. mirum vero omnino, tot, tantisque periculis, & casibus quoque multis, neque ei, neque comitum cuiquam mali aliquid euenisse. à puluerem æstate ab ore non disiiciebat: vestitas numquam habebat manus, vt hieme: præsertim si loca montana, asperioraque obiret; tumidæ perpetuò, plenæque vlceribus apparerent. neminem ad hospitia præmitti, præsertim ieiunii diebus, patiebatur, vt subitò adueniens, aliquid semper addere suis posset incommodorum thesauris. Pedibus, si tamen hoc inter Caroli labores numerare conuenit, per vrbem ibat: nisi hospitum Præsulum caussa equos interdum adhiberet. currus neque in vrbe, neque in itinere admittebat, quòd non ita decore Antistes in iis esse videbatur, neque crux præferri satis decenter posset. Romæ tamen cæterorum morem in eo sequebatur, nam & ibi forma esse videbantur decentiore. nostratibus interdum vsus est hospitum Cardinalium caussa, quorum commodis, præsertim si essent imbecilli, amantissime seruiebat. Lecticam, si vehiculum Præsuli adhibendum esset, ob decorum, & legendi commoditatem, in primis probauit: ipseque postremo tempore tum hospitum in vrbe, tum sui, suorumque commodo in itinere adhibuit.

Morbos, & dolores corporis vt tolerauerit. Capur 4.

Præscripta medicorum, cum iis sese curandum tradiderat, ita seruauit, vt nihil præter eorum iussum, vel quod vehementer expeteret, quamuis minimum, reciperet, vel quod maxime horreret, recusaret vmquam. sed quæ in eo genere ferenda essent, ea prompto animo ad exercitationem asperioris vitæ referebat. cumque sæpe morositas quædam, atque fastidium soleat ægrotis, etiam religiosis condonari, non erat in eo quod ferretur ægrotante magis quàm in valente. quin etiam dicere solebat, in cuiusdam voluptatis loco morbum se habere: cum eo tempore semotis curis quiescere, seque ipsum liberius daretur attendere. si quando medicis ægrotum alium parere nolle cognosceret, reprehendebat, & vt faceret, grauiter hortabatur. Cum ad Dei misericordiam pestilentiæ caussa implorandam, vna cum clero, & populo ad celebriora vrbis loca, seu compita supplicatum iret, sanctumque clauum ferret, pedem nudum clathro ferreo, quo subterraneæ sellæ fenestra muniebatur impegit, atque vnguem maioris digiti ita summouit, vt tota via, quæ multa restabat, abundè sanguinem funderet, neque tamen ob doloris sensum, qui ea parte vehemens esse solet, de incessu quidquam remisit. narrat medicus, supplicatione demum peracta, cum accersitus esset: inspecto vulnere, tolerantiam viri se esse admiratum, cumque dixisset, esse vnguem necessariò abscindendum: Carolum, qui sibi post abscissionem necessario quiescendum esse verebatur, quasi nihil morbi, dolorisque vim æstimaret, sibi respondisse, in aliam diem id esse differendum, donec in ecclesia quasdam sacrorum munerum functiones obiisset: obligaretur tunc quidem vulnus aptiori quo poterat modo. tertio die medicus vocatus, id exequi iussus est, quod ad curationem necesse erat. ibi vero Caroli mirificam patientiam sese obstupuisse testatur: ei enim grandem vnguem, vulneris acerbitate recrudescente, ita excidisse, vt cum ipse in eo genere exercitatus perhorresceret, neque corpore ille, neque voce, neque spiritu vllo modo commoueri videretur. neque vero ob id diu quieuit, aut labori, vel viæ pro quotidiano ecclesiæ vsu pepercit: vt ex eo potius noui cruciatus, ac patientiæ nasceretur occasio. nam infirmo pede lapsus, os manus loco suo mouit. id reponere quidam conatus, cum minime assecutus esset, medicus idem, ingrauescente admodum dolore restituit, prorsus ita se habente Carolo, quemadmodum is loquitur, ac si permulsisset integram manum.

Labores, & occupationes. Caput 5.

Incredibilem laborum tolerantiam, occupationumque infinitam prope continuationem, superius attigimus:

vnde facile fuerit totius agnoscere vitæ consuetudinem : nam alioqui actorum eius diurnum, non leui argumento confici potuisset, quod audio ex eius domesticis quosdam, pro ea temporis parte saltem fecisse, qua fuerunt apud eum, motos admiratione laborum, quos ab eo quotidie sustineri videbant. Eiusmodi laborum caussas, quibus interdum Episcopi nonnulli carere sibi videntur, tum admirabile studium pariebat ecclesiæ in omnes partes veteris disciplinæ cogitatione conformandæ, gregisque ad cœlestia bona, continua progressione ducendi, quod quidem negotium nullis agendi terminis continetur: tum vero animi Deo penitus dediti, diuina quædam inflammatio, qui nulla diligentia, nullo vmquam labore contentus, numquam satis suo iudicio perpessus, neque pro infinitis tanti Domini meritis, neque pro suis, suorumque peccatis, sibi videtur vmquam posse satisfacere. maxime item, vt in omnibus, S. Ambrosii exemplo mouebatur, de quo Paulinus scribit, in diuinorum munerum functione tam magnos consueuisse labores excipere, vt quæ officia erga eos, qui salutari lauacro abluēdi essent, solus obibat, iis post eius obitum vix Episcopi sufficerent quinque. quod idem merito de Caroli laboribus dici potest. Hinc diurna, nocturnaque in meditando, scribendoque occupatio, hinc longissimæ consultationes : assiduitas respondendi ijs, qui consulere, opemve implorare necesse haberent : diuturnæ supplicationes, sacramentorum administratio sæpe vsque ad noctem ducta, labor assiduus concionum, visitationum, aliarum rerum, quæ sexcentæ singulis horis, propeque momentis occurrebant. Cum Episcopus ad eum scribens forte significasset, sibi parum esse negotii. eam vocem, vt Episcopo prorsus indignam, & turpem, grauibus ad eum litteris datis, acriter, lateque reprehendit. Cum Nouariæ Francisci Episcopi exequias celebrasset, quidam eius mortis caussam dolentes, laboribus tribuebant, quibus in lustrandis suæ diœcesis ecclesiis eo anno non mediocris vigilantiæ sacerdos perfunctus erat. at ista ipsa, inquit Carolus, de caussa, & isthuc ipsum agentem, hoc est pro ecclesia sua laborantem, Episcopum decet mortem oppetere. Dicere solebat, tantum esse Episcopo negotii, quantum ipse velit: hoc est pro eius studio, vel negligentia. item, Nullum Episcopum muneri suo posse satisfacere, si valetudini parcat: & earum rerum obseruationibus teneatur, quæ nocere corpori, prodesseve possint. Quòd populi parum ad salutem proficiant, maiori ex parte culpam esse Antistitum affirmabat, qui non assidue curant, atque vrgent eorum progressiones.

Qui corpus tam dure habuerit, nullum quoque penitus cultum adhibuisse, vel nobis tacentibus, licet coniicere, nisi quatenus munditiæ, vel dignitatis caussa necesse putaret. Nullum sericum adhibuit indumentum : sed eius generis tamen, quæ personæ conuenirent. posteriorem tunicæ partem, quam solent sacri Præsules magis demissam humi trahere, libenter æqualem reliquæ recipiebat. vestimentis, omnibus quidem diutius vtebatur, ac tritis, sed quæ in conspectu non erant, in primis resarciri non semel iubebat. Opera suorum exuendi, vestiendive corporis caussa fere non vtebatur, idque sæpe ob alienum, & incommodum iis cubandi, surgendive tempus. eorum vero, qui sacris essent initiati, nihil ad corpus suum obsequii paulò vilioris admittebat. Episcopali veste linea, humerorumque amictu etiam domi semper indutus erat, ad personæ dignitatem seruandam. nam & domicilium suum, locum publicum dicebat, suosque ibi volebat, vt in publico, versari. Itaque mane antequam ea indumenta sumpsisset, neque in exterorum conspectum veniebat, & neminem nisi intimum patiebatur intromitti. Ac quoniam ab oratione, & sacræ aquæ aspersione diei antecedentis, vsque ad Missæ sacrum postero die factum, nihil, quantum fieri posset, ob rei diuinæ reuerentiam loquebatur: publicum vestitum differebat, donec ad sacrum prodire vellet. ibi cubiculo vero priuatim pulla quadam, & rudi veste vtebatur, quam suam appellabat, cum personæ suæ reliquas esse diceret. Exquisitam adhibebat in omnibus ecclesiastici decori seruandi curā. in ipsis caligis, & calceamētis, ac in omni vestitus parte, tū in omni officio, ac gestu, quid sacrum virum deceret, attendebat. vt nullum penitus elegan-

Vitæ cultus. Caput 6.

tiæ, venustatisve, nedum leuitatis profanæ vestigium appareret, nihilque à dignitatis grauitate, sanctitateque alienum videretur. quæ quidem minute persequens, gratum facerem fortasse multis, plerisque vereor ne molestum accideret. Sunt qui animi virtutibus intenti, hæc vt leuiora negligunt: ipse vero, id quod perfectius, multoque melius esse constat, cum ea quæ grauiora essent, in primis curaret, tum hæc etiam sibi iudicabat minime prætermittenda. Commemorabat interdum S. Ambrosii factum, qui in clericorum numerum admittere quendam recusauit, cum eum sese ingressu leuiter, & indecore habere animaduertisset. Aderamus in cubiculo cum Episcopi caligas, deducta veste, & earum constringendarum rationem comiter inspexit, reprehenditque, quoniam ea in re profanam consuetudinem imitaretur. E fenestra nihil in via vmquam, quidquid ibi audiretur, spectauit loco nullo inambulauit. vulgo iudicari posse, opinor, putauit, his actionibus aliquid inesse, quod ad curiositatem, otium, curamue corporis nimiam pertineret. In ea vero decori parte, quæ valeret ad obscœnitatem, & omnem turpitudinis odorem vitandum, præcipuam adhibuit diligentiã. nam ipsam pudicitiæ virtutem à puero coluit religiosissimè, sicuti iam tetigimus. ab omni verbo, in quo aliquid non solum obscœnitatis, sed licentiæ, vel deformitatis appareret, diligenter cauit. in caussis aliquando, vbi de matrimonio, & eius impedimentis ageretur, laborabat magnopere loquens, ac pene torquebatur, vocabulaque a re ipsa quam remotissima expiscabatur, vel adhibebat latina. ephebos in domum non admisit. cum fœmina numquam locutus est, quin ex grauioribus domesticis vnus, pluresve adessent. Domum nulla parte pictam esse voluit, nisi viridem parui cubiculi sui tincturam visus gratia quæsitam, picturæ loco numeraueris. atque initio quidem cum Mediolanum esset venturus, ædesque Archiepiscopales iussisset instaurari, cœperunt lacunaria quædam pingere, atque ornare: quod ipse statim prohibuit, pictaque inducto albario deleri iussit, id quod hodie quoque perspicitur. totas vero ædes, amplas tamen, modesto, vulgarique opere perfici iussit. Supellectilem in domo ad ipsam quotidiani vsus necessitatem redactam habuit, nihil omnino fuit post egregiam illam inter pauperes partitionem ad parietes, ostiave contegenda. hospitum vero caussa mutua sæpe multa sumere necesse erat. Equile mandauerat ædificari, quòd vetus, noua cœnaculi, locorumque adiectorum ædificatione diruendum esset. præpositorum imprudentia magno id sumptu factum est. Carolus cum demum re pene perfecta, audiisset, neque enim alias, quàm sacras fabricas inspicere solebat, vehementer doluit, ministrosque reprehendit, tum diu inuestigauit, licet frustra, num vsui sacro fortasse, vel omnino digniori ædificium destinari posset. Quamuis magno numero, hoc est circiter centum, eius domestici essent, exibat plerumque tamen paucis comitatus, aliis alio genere occupationis ecclesiæ caussa vtiliter impeditis. ipse vero neque numerum maiorem respuebat, neque etiam paucitatem grauiter accipiebat, quam pertinere ad Christianam modestiam intelligeret. in quo non occupationis solum necessitatem, sed negligentiam quoque sæpe ferebat, quæ dissimulatione, patientiaque sæpe alitur. quod in Caroli priuatis rebus argumentis non paucis cognoui: nam familiares nonnulli in eius corpore incommode, duriterque habendo, mirifice cum Carolo consentiebant: & ei commoda sua negligenti, negligentia ipsa diligenter inseruiebant: vt verissime dixerit quispiam, qui res incommodas, acerbasque sequatur, vel abiectione, patientiaque exerceri velit, eum plurimos inuenire passim adiutores. At erant, qui, tum exiguum sæpe comitatum, tum alia quædam in Carolo ad christianæ humilitatis virtutem pertinentia reprehenderent, & summam dignitatem aliquo modo ita imminui quererentur. Res etiam ad ipsum Pontificem Pium Quintum quandoque relata est: cui Carolus ita facti sui rationem reddidit, vt nihil haberet optimus Pater, quod improbaret. Eorum qui Dei ministri essent, dignitatem, ac existimationem, dicebat, non in humanis ornamentis, quæ tamen ad certum modum pluribus de caussis essent adhibenda, sed in religiosis virtutibus consistere. Res

ipsa declarauit, & superius narrata demonstrant, Caroli abiectionem, morum grauitate, sanctitateque coniunctam, summis, atque infimis tanto semper in honore fuisse: quantum nulla terreni splendoris ornamenta consequi potuissent.

Humanas opes vt contempserit, consumpseritque. Caput 7.

Religiosam paupertatem Carolus amauit, & eius officia piè coluit. eius victus, vitæque cultus satis ostendit. si quid in mensa, & omnino in domestico sumptu paulò copiosius, largiusue fieri animaduerteret, solebat statim corrigere. id vero tam celsi animi vir, qui omnes alioqui de re familiari curas, minutas, & cogitatione sua indignas iudicabat, virtutis caussa obseruabat diligenter. Poma tantum, aut eiusmodi munuscula solebat accipere, eaque fere à religiosis viris: quæ ipsa item, vt eleemosynam pietatis gratia datam, recipere videbatur. Quàm vero parcus in iis erat, quæ ad sui corporis commodum, domesticamue affluentiam pertinere posse viderentur, tam erat in ceteris omnibus, quæ pietati conducerent, liberalis, prorsusque opum magnanimus contemptor humanarum. quid amplius in hoc genere commemorem, post maximas pecunias religionis ergo donatas, amplissimas facultates dimissas, exhaustam magnifica, & pulcherrima supellectili domum, administrationes, officiaque honestissima, cum fructibus: & vectigalibus vberrimis relicta, post ea denique pietatis caussa contempta, quæ summi sæpe viri studiose quærunt; eademque tanta munificentia donata, vt nisi christiana, diuinaque liberalitas ea fuisset: dissolutam prorsus effusionem esse necesse fuerit. Sed aliquid etiam superest minime spernendum. quam daret ex facultatibus quæ remanserant eleemosynam, non opus est explicare. hoc sufficit, quidquid suo, familiæque necessario sumptui superaret, totum piè, ac religiose donabat. Egentium sacerdotum postulationes benigne tribuens, alias superauit, alias præuenit, iis qui apud eum ecclesiæ operam dederant, imo & propinquorum eorum necessitatibus moderate subueniebat, si veras esse necessitates videret: de cetero largiri Episcopum non debere aiebat, sed omnia pauperibus, ecclesięque suæ reseruare, cum tanta semper ad gregem pro debito officio iuuandum offerantur, vt vel maximæ facultates non sufficiant. cum ad eum retulisset, qui familiæ præerat, à pedibus hominē esse, qui iam minime aptus labori, ideoque dimittendus videretur: eandem ei mercedem, atque adeo maiorem tribui, tum è consuetis laboribus eximi iussit. Summas fructuū suorum, expensarumque rationes satis habebat generatim, eatenusque cognoscere, quatenus negligentiæ in fructibus ecclesiasticis erogandis condemnari non posset, caueretque, ne sumptu nimio æs alienum contrahens, creditoribus esset detrimento. quamquam accepti, & expensi plerumque rationem cum omitteret, sumptus autem piis de causis large mandaret, ne hoc quidem satis poterat cauere semper, tantumque aberat, vt ex reditibus quidquam vllo anno superesset, vt sæpe antecedentis anni sumptus, in fructibus insequentis non modica ex parte niterentur. Nummorum genera, quantiue essent, minime nouerat, ac eos vel aspicere ægre videbatur. Cum aureorum quadraginta millia ex iis, quæ in regno Neapolitano vendiderat, allata essent ad eum in cubiculum, vbi acceptæ pecuniæ testimonium, ipsa præsente pecunia conficiendum erat: ita exhorrescere visus est, vt si anguis esset oblatus, cubiculoque relicto, vix perficiendi actus necessitate reuersus est. tum vero statim auferri iussit, & Præposito domus Cæsare Speciano accersito, de quo sæpè mentio facta est, ad vsus pios dilargiendam totam distribuit, sic, vt aliquòt addere aureorum millia necesse fuerit. Eius Oeconomus inter alios fuit vir bonus, valde industrius, & ei ceteroqui charus, sed tanto facultatum Archiepiscopalium augendi studio, vt prædiola, vel agellos addere prædiis ecclesiæ perpetuò studeret. quo in genere studioque aliquid eorum fere committere oportebat, quod profani homines facere solent, qui egenorum sæpe necessitate, ad suum quæstum, res eorum emendo, abutuntur: ex cupiditate emunt maiora, quàm vt possint præsenti pecunia satisfacere: vt semper debeant, aliasque semper cogantur reseruare pecunias. minoris interdum emunt, quàm res valeat, de redimenda re paciscētes, idque ad maiorem interim pecuniæ fructum. quæ quidem sæpissime sunt auaris, atque improbis

turpissimi quæstus integumenta, vixque multis assignatis conditionibus, à iuris sacri petitis possunt laqueis improbitatis expediri: semper vero suspicionem non solum cupiditatis, sed etiam flagitii meritò mouent. Eius igitur generis negotia, cum ab administro suo gesta Carolus resciisset, & ex emptionibus quibusdã adhuc multum deberi, quod tenues homines exigendo defatigarentur: quamquam nihil improbe contractum argui poterat, summo tamen dolore affectus, hominem vocat: multis præsentibus, quoniam se inconsulto, ac omnino contra eius sententiam, ac voluntatem ea facta esse patefieri oportebat, acerrime si alium vllo tempore, increpat, an eiusmodi essent, studiis suis, & omnino episcoporum, clericorumque officio digna: quantam infirmis præsertim animis, ansam datam esse, ad suspicandum de mente Pastoris sui, quantã malis ad obtrectandum: quonam ore populum ad cupiditatem rerum humanarum fugiẽdam, terrenaque contemnenda hortaretur, cuius minister augendæ rei cupiditati tantopere visus esset inseruire: nexibus eiusmodi, tricis, inuolucris, ita enim appellabat, in discrimen vocatam fidem, existimationẽque suam, & vna cum ea, quod in primis dolebat, populi sui religiosas progressiones, ad id tempus, tanto studio, tantisque laboribus comparatas: quiduis perpeti se, aut amittere maluisse, quàm eiusmodi compendia facere: si alia ratione pretium emptorum bonorum creditoribus solui non posset, vendi se iubere quamprimum alias ecclesię possessiones. quod re ipsa perfici quamprimum per Lanfrancum Regnam iurisconsultum, & canonicum Med. in eo munere substitutum, curauit, cum ex increpationis dolore, vt existimatum est, ille in morbum incidisset, mortemque non multò post angore confectus obiisset. Domui Præpositus postremis annis Antonius Seneca, sumptus magnitudinem respiciens, inter alia conquerebatur, ex familiaribus quemdam à se nulla facta potestate, cellis penariis omnibus afferrę manus, & effundere largiter. Carolus autem ita sinere iussit, cum eleemosynis tribuendis ille præfectius esset. Lis illata erat eius nomine Cardinali, primis Pii Quinti annis, de nobili Abbatia aureorum annuorum circiter duodecim millium: cumque accepisset, sacros Rotæ Romanæ iudices nonnulla iudicasse, quibus facile, vel potius sine dubio sese caussam obtenturum speraret, sponte cessit, ac præter omnium opinionem remisit, quidquid ea in re posset consequi: motus, vt aiebat, quòd neque negotiis eiusmodi volebat suum à rebus diuinis animum distrahi, neque cum collega iudicio disceptare: omnino, quòd litem nullam, quæ ad se priuatim pertineret, in qua esset actor, prosequi apud se constitutum habebat. non enim eam sibi satisfacere rationem, quòd posthabita omni diligentia, ne dum perturbatione, iudicibus rem totam posset permittere; respiciendum namque esse quomodo posset ille, vnde peteretur, ex actione commoueri, cuius animum remittendo sedare, & ad amorem allicere in sua manu esse videret. factum mire collaudauit Pontifex, collegæ, aliique omnes: magnum que boni reliqui ex eo lætitiæ fructum, propter illustris, religiosique exempli vtilitatem, perceperunt. Scimus alias etiam de priuato iure suo non semel eum insigniter remisisse, tantum ne quid ex litibus in aliorum animis offensionis oriretur. Mercedes, & pretia rerum suarum, si creditores cum eo forte conquererentur, familiaresue ipsi consulerent, ita iudicauit, vt non æquitatem solum expleret, sed expectationem quoque petentium, liberalitate vinceret. quibus de rebus hoc loco breuitatis caussa non explicamus. Cum ad locum diœcesis quendam venisset, vltimis vitæ suæ annis, mulæ, & equi omnes, quibus ipse, comitatusque vehebatur, hospitis vel domesticorum eius culpa incendio necati sunt. at nihilominus hospes incensi stabuli sui damnum resarciri à Carolo petiit, facileque impetrauit. Quandiu summum sacræ pœnitentiæ magistratum tenuit, nulla vmquam munia ad eum pertinentia vendi permisit, cumque modica inde percipi emolumenta nunciaretur, tantum abest, vt doleret, vt lætitia potius afficeretur. Cum Aronæ arcem Gubernator, vt ante diximus, occupasset, ad duci numquam potuit, vt de restitutione quidquam ageret, aut suo nomine agi pateretur à Borromeiis, qui tamen aliquot post annis eam à Philip-

po Rege receperunt. immo cum ea de re nuncio Romam allato, Gregorius Pontifex grauiter ferens, de ea restituenda suo nomine agi cum Rege iussisset: gratias egit ille quidem Pontifici: sed rogauit, vt ea omissa cura, rebus ecclesiæ suæ potius perfecte consulere pergeret: de iis reuera se vehementer solicitum esse. atque vtinam, dicebat, in arcem Aronæ recidant, quæcumque possunt in ecclesiam committi. qua in re non rerum tantummodo humanarum contemptionem, sed charitatem quoque insignem Ecclesiæ Carolus ostendebat, cuius rationes aliis vtilitatibus omnibus semper voluit anteferri.

De eius ædificationibus. Capue 8.

Ad hunc locum ædificia referri possunt: quæ foris,& in vrbe magnis sumptibus ad publicam vtilitatem Carolus variis temporibus extruxit. mitto profana, quæ Bononiæ, ac alibi quoque visuntur. Archiepiscopales, canonicalesque ædes eo loco ędificauit, quem à Ioanne Galeatio Sfortia Mediolani Duce Vidus Antonius Arcimboldus Archiepiscopus olim ad suam, canonicorumq; habitationẽ obtinuerat. Cum enim ecclesiæ maioris ædificandę caussa, ædes ecclesiæ dirutæ essent: neque vmquam, vt promissum erat, siue Ducis sumptu, siue facultatibus ad ecclesiæ fabricam destinatis, restitutæ: tandem Arcimboldus, veteribus, & amplis ædificiis à Duce prope maiorem ecclesiam impetratis, eorum quidem partem ad habitationem suam instaurari curauit, sed tum opus ipsum imperfectum, tum canonicorum domicilia nondum erant inchoata: Ducesque, ac deinde prouinciæ Rectores partem canonicis attributam, quòd Regiæ propior esset, sordidis vsibus occupabant. Carolus igitur, iis omnibus, Philippo Rege facile cedente, recuperatis, & ab iniusto, indignoque vsu vindicatis, tum Archiepiscopale palatium perfecit, & non modica parte vsque à fundamentis fabricata, ad maximum familiarium, hospitumque numerum accommodauit: tum canonicales item contiguas maxima ex parte, certis attributis ex iis quas possidebat, facultatibus, ædificauit: & magnas lapideas porticus adiunxit. quibus ædibus circiter triginta domicilia continentur, quæ singula canonici familiam commode, atque honorifice capiunt. Domum, interposita licet via, his adiecit, in qua xenodochium senum habebatur, vt ibi minorum eiusdem ecclesiæ presbyterorum domicilia ex iisdem facultatibus ædificarentur: cum xenodochium ad Othatiana ædificia, de quibus superius attigimus, transtulisset. In ecclesiarum, collegiorumque plurimas ædificationes magnam copiam liberaliter contulit: de quibus narrare singillatim nimis longum esset. Ticinensis collegii fabricam primo suorum honorum tempore, magnifico plane, regioque sumptu cœperat, atque ita amplam, vt magnum nobilium adolescentum numerum caperet, qui variis scientiis operam darent. sed postea tantam speciem submoleste ferens, & religiosiora spectans, quàm disciplinarum humanarum studia, laicorum fere hominum ciuiles progressus viderentur: tum fabricæ ornamenta, vt potuit temperauit, tum sæpe de tota re cum amplis fructibus annuis, in alium vsum conuertenda, qui diuinis, ecclesiasticisque rebus magis conduceret, sæpe cogitauit. sed Comite Federico suo demum, cum aliorum adolescentum non paruo numero ibi collocato, qui habitationis, tum disciplinæ in primis fundamenta quædam iaceret, institutam loci rationem teneri passus est, quam Federicus deinde optimis legibus constituit. Ædes ad ecclesiam S. Ioannis, vbi clericorum constituit seminarium, magno sumptu ædificauit: alias itidem ad alteram eiusdem sancti ecclesiam, vbi nobiles adolescentulos educabat. In ecclesiis, quas tenuit, quarumve fructus accepit, Romæ atque alibi non vulgaria reliquit religiosæ liberalitatis suæ vestigia. ecclesiam vero S. Praxedis, cuius titulum post duos alios nactus retinuit semper charumque habuit, omni licet emolumento nudam, pro eximia loci sanctitate, necessitateque, magno sumptu vna cum ædibus instaurauit in primis, & ornauit. Non prætereunda fabrica Crupelliana in agro Mediolanensi: nam licet parochus alius satis propinquus esset: ecclesiæ tamen colonis, quamuis non ita magno numero, præcipue dandum existimauit, vt commodissima salutis haberent adiumenta. itaque ecclesiã, domumque suo insigni sumptu fabricauit, parochi

etiam stipendia constituturus, nisi mors anteuertisset. Ibi quoque posuerat domus Archiepiscopalis fundamenta, & ne amplius ædificaretur, mors itidem impediuit. ad eam enim possessionem millia passuum viginti distantem, cum necessitas occupationum postulabat, libenter consueuerat concedere, opportunitate inuitatus, quod subuehi naui per riuum poterat, qui à flumine Adua Mediolanum decurrit, & ita itineris tempus etiam legendo, scribendoque vtiliter consumere. Ibidem in decliui ripa fluminis, cuius altitudinem prærupti lapides tenent, loca designauerat domui coniungenda, quibus apte distinctis, sacrisque imaginibus instructis, ad diuinas contemplationes quibus tantopere postremis annis erat intentus vteretur. Ac licet auita castella possessiones, & villæ, præsertim ad Verbanum lacum, & in ipso lacu, plurimum haberent non dicam amœnitatis, quam minime curabat, sed ad diuina contemplanda commoditatis: neque tamen ibi quidquam sibi ædificandum cognouit, neque adiuit vmquam, nisi vt loca in sua diœcesi necessariò sibi visenda.

Vt res gesserit., Caput 9.

In eius rerum gerendarum ratione, duo pene vulgari iudicio pugnantia videbantur. ex altera parte si spectaueras, totam rem admirabili quadam fiducia diuinæ prouidentiæ ita commissam videbas, vt nihil spei penitus in humanæ diligentiæ officiis relictum videretur: ex altera vero, cum nullum officii, studii, curæ, industriæ munus, tempusve prætermitteretur: nihil in diuina ope positū propemodum arbitrabare. In negotiis suis mentem, animumque in primis perturbationibus vacuum, in id firmiter intendebat: quod optimum, rectissimum, Deoque gratissimū, videbatur. ea studiose Deo, plurimis deprecatoribus, publicisque supplicationibus adhibitis, cōmendabat, quemadmodum historiæ cursu nō semel indicatum est. tum, vt erat acri ingenio, iudicioque, omnia circumspiciebat, commoda, atque incommoda ponderabat, quibus viis detrimentum importari posset, quibus remedium afferri, diligenter inuestigabat: calamo etiam difficultates, remedia, argumenta, cautiones, & omnino quicquid in re tota esset, distincte, ordineque notabat, ne quid elaberetur, aut imprudenter, permixteve fieret. alienum præterea consilium prolixe, ac patienter exquirebat. cumque plena quadam cognitione, perfectioneque omnibus in rebus delectaretur: tamdiu fixo animo vni rei insistebat, donec ipsa negotii, vt ita dicam, viscera diligenter inspexisset, quidque potius, meliusve esset ad eligendum cognouisset. quam ad rem subsidio erat capitis firmitudo eiusmodi, vt cum multas horas, puta sex, aut septem vni rei dedisset, tum etiam minime defatigatum, peneque integrum sese præberet. vetus prouerbium sequebatur, Age quod agis. ita enim perfecte agitur. quamquam ille pro naturæ quodam vitio sibi fere tribuebat, quòd fixe adeo in opere proposito perseueraret. Res in omnes partes versata, pleneque discussa videbatur, cum ille adhuc plurima inueniebat, quæ merito adderet moneret, contradiceret. Scriptum, ab aliis intelligentibus perlectum, & emendatum, nam consuetudine sua multorum iudicium adhibebat, pluribus tamen locis merito corrigendum demonstrabat: ipseque mutabat, limabatque diligenter pro negotii grauitate, vt molestum sæpe esset, quibus tam perfecta rerum species proposita non esset, tam diu immorari, ac non tandem probare, modumque ponere. Ac diuturna quidem in dubiis rebus vtebatur deliberatione: diu si spatium esset, secum habebat: sæpius alienum consilium exquirebat. cū vero constituisset, celeriter, fortissimeque exequebatur, sic, vt plerisque persuasum esset, ne quidquam, nisi per auctoritatem fortasse maiorem, repugnari. Id ita præstabat, vt etiam grauissimas res facile, ac nullo pene negotio facere videretur: neque enim vel insuetus motus apparebat, vel plura loquebatur, quàm necessitas ferret. eam virtutem diuina vi sustentatam, prudentes homines nonnulli, consuetudini tribuebant, antea maximarum rerum vsu in administratione Pontificia, confirmatæ. dicebant enim, vt ii, qui primò discentes, litteris magnis pingendis assuescunt, cum ad communem formam redeunt magna vtuntur manus celeritate: ita Carolo maximis gerendis rebus Romæ assuefacto, Mediolanensia negotia facilia, leuiaque videri. quod vt aliqua ex par-

te verum sit, præstantiora tamen illa sunt, quàm vt ea possit vis eiusmodi consuetudinis consequi. Quid supplicationes, fiducia, perturbatione liber animus, summa diligentia illi valerent ad rem gerendam, tum vniuersæ administrationis euentus satis docuit, tum certa negotia multa. non semel res eius vniuersæ, sæpe etiam singulæ quædam, in eum locum erant adductæ, vt ad extrema ventum esse videretur. at repente commutatione facta, in optimum statum, tanquam in lumen ex tenebris restituebâtur. quæ res erat eius sensui consentanea; dicebat enim, qui Deo vere seruiret, ei tunc maximè in rebus suis bene sperandum, cum extenuata maxime spes humano iudicio putaretur. Caussæ suppetunt grauissimæ, in quibus cum virorum, doctrina, vsque præstantium sententia, immo valdè piorum impulsu ad iudicandum vrgeretur, ipse redintegratis supplicationibus, diu cunctatus est, donec contra penitus ac alii putabant, rem se habere, cunctis admirantibus apparuit: exploratumque fuit, nisi ille distulisset, rursusque ad preces confugisset, incommoda maxima extitura fuisse, grauissimas inimicitias, honoris, atque adeo quorundam vitæ iacturam: vt Carolum præcipuo quodam mentis lumine diuinitus illustratum prædicarent omnes. quibus de caussis hoc tempore nobis minime videtur explicandum. Humanam prudentiam rebus diuinis fæliciter peragendis valde prędicabat aduersari. quod pium, religiosumque esset, etiam contra communes hominum sensus, constanter sequendum affirmabat. sed prudentia nihilominus, & etiam artificio laudabili quodam, ad ea quæ recta, piaque essent, consequenda, vtebatur. cuiusmomi Romæ, rebus eius in magnam inuidiam, ac non mediocre discrimen adductis, adhibuit. omni enim pietatis officio, sicuti suo loco narratum est, prius adhibito, prudentia mox alienissimos homines sibi conciliauit, in primis vero vnum, cui dicitur Carolus ludibrio, & despectui adeo fuisse, vt ab eo palam stultus quidam spiritualis appellaretur. patientia enim, & dissimulatione, tum earum quoque rerum commendatione: quæ vere laudabiles in amplissimo viro erant, eum ita sibi leniter placauit, vt magni demum iudicii vir, valdeque sapiens ab eo diceretur: aduersariique magnum suæ caussæ patronum sibi tam præter opinionem ereptum, valde quidem dolerent, magis tamen mirarentur. Profanarum rerum controuersias à principibus viris ad eius arbitrium quandoque delatas, recusauit. de contrahendis matrimoniis agere, si rogaretur, negare solitus fuit.

Vt negotiorum euentus, & pericula tulerit. Caput 10.

Cum autem ea, quam exposuimus, præparatione rem susceperat, vt cumque illa procederet, constanter perseuerabat, inuictam mentem, animumque metus expertem præstabat. certum illi erat, magna sibi ad propositum tenendum, vel dæmonum insidiis, vel hominum errore, rebus omnibus fore impedimenta, maximas sibi, omnibusque Dei administris paratas esse difficultates: quæ Dei clementia posset, soleretque in salutares animarum fructus vertere. hæc cum ita proposita, prouisaque haberet, minus mirabatur, aut commouebatur, si quid accidebat aduersi, &, dure licet conflictatus, ab instituto non desistebat: Defatigatis interdum, fractisque bonorum virorum animis, qui in caussa non erant, spectatorumque tantum, vt ita dicam, officio fungebantur, ipse rerum omnium actor sese integrum, erectumque omni tempore præbebat, resque suas agebat, vt si non multum esset negotii. omnino in prosperis, & in aduersis eundem se præstabat semper, neque lætitia efferri, neque dolore vmquam abiici videbatur: eundem vultum, eundem statum ita retinebat, vt animi affectus, quo moueri omnes natura necesse est, cognosceret fere nemo. In grauissimis imminentium periculorum rumoribus, cum ex principibus ciuitatis nonnulli clam adirent, magno conatu grauissima pericula nunciarent, non aliorum sermone relatas, sed auditas à se minas aperirent, sibi diligenter cauere monerent, Carolus nihil mouebatur, ac potius subridens contra monebat, ne quid timerent, Deoque confiderent. de periculis huiusmodi quandoque inuitatus à religiosis viris, ita fere loquebatur, vt de leuibus, aut iucundis rebus, eamque mentem præ se ferebat, vt si quid grauius in eum accidisset, nihil sibi timendum magis, quàm inanis gloriæ sensum existimaret. Quod

ad sua priuatim pericula, doloresque pertineret, ferre se dicebat acerbius, si presbyter, aut clericus vitio aliquo transuersus ageretur, clerique disciplinam turbaret, quàm si principes viros multos haberet infensos. Magnum in primis erat eius æquabilitati, ac constantiæ ad omnes casus firmamentum, diuina voluntas & prouidentia, in qua sibi conquiescendum constituebat: immo certa spe nitebatur, ex omni euentu, quicumque esset, Dei benignitate boni aliquid exiturum. exempla fortitudinis, ac humanorum periculorum despicientiæ, in primis vero singularis Dei fiduciæ, quæ veræ, solidæque fortitudinis parens est, & altrix, superioribus libris plura, & grauissima continentur. quæ quidem hic repetere non oportet. sed aliud hic afferemus, Triremes nonnullæ ad litus Sabbatium, seu Sauonense appulerant, quidam in eis vinctus nobili genere, Episcopo accersito indicat, consilium de occidendo Carolo initum, immo data iam mandata. verum ne id esset, an confictum, nouit Deus; homo certe non indignus, cui fides haberetur, neque libertatem, neque aliud sibi ex ea re quærere ostendit, multaque protulit nominatim, quæ rem probabilem facerent. Episcopus celeriter ad Carolum quidquid audierat, scribit. ipsius iudicis litteras alligat, quibus de toto negotio plenius explicabatur. vtrasque Mediolanum mittit ad Hieronymum Vicecomitem equitem nobilissimum, Borromeiis affinitate coniunctũ: cui de negotio item breuius scribit, & tamen generatim periculum demonstrat. Eques orta vix luce, litteras enim noctu acceperat, Carolum adit. cum difficilis aditus esset tali hora, Carolo nondum ad Missæ sacrum parato, par esse arbitratus, vt officium, reuerentiaque cederet rei grauitati, per se ingreditur, litteras offert, statimque, opinor excusationis caussa, quid iis contineretur, ostendit. Carolus re audita, lumen postulat, quo allato, litteras obsignatas comburit, tum conuersus ad equitem, mirantem, & prope subindignantem. omnino, inquit, præsidia, custodiæve mihi adhibendæ non erant, neque meis pro Ecclesia muneribus, ob huiusmodi suspiciones abstinendum, quid proderat alicuius peccatum nosse, vel quemquam habere suspectum, quæ quidem odii, iudiciive de alio temere faciendi, tum aliarum sunt offensionum inuitamenta? satius est Deo rem totam permittere, eiusque sola misericordia sustentari. ita discessit eques. Carolus vero nullum penitus verbum de re præterea fecit. Similẽ adhibebat aliis omnibus ferendis constantiam, ac fortitudinem, quæ quidem in hac vita possunt infæliciter accidere. 3

Litterarum studiis deditus fuit à pueritia. hanc rem demonstrauit morbus, in quem ex assiduo eius generis labore delapsus est adolescens: tum horæ incommodæ, ac nocturnæ, auunculo viuente, inter ipsa orbis negotia, litterariis exercitationibus datæ, de quo superius commemoratum est. præterea vero successiua tempora, quæ inter grauissimas Pastoralis curæ occupationes, nunc scribendis ad salutem sui gregis opusculis, nunc satis decretis ad certiorem, faciliorem que vsum, nouo ordine sibi, suisque distribuendis, aut vero parando concionum argumento consumebat. At rerum agendarum necessitate semper cum exercitatione litterarum coniuncta, cursum tenere non potuit, nisi impeditum, interruptumque studiorum, desideriique sui. qua in re cum se ipse vicisset, atque infregisset, tum alios quoque docebat, tantum litteras amare, quantum muneris ratio pateretur, tempusque illud tantummodo capere studiorum, quod ipsa commissæ administrationis necessitas relinqueret. Vsitatam iurisconsultorum scientiam, qua fuerat occupatus adolescens, minime ad se pertinere arbitratus, Theologica, & canonica tantum nouit, quantum Cardinali magnam ecclesiam regenti efficere posse concessum est. ex Theologia, scripturas diuinas potissimum sequebatur, tum veteres Patres, interpretesque illos, qui solidiorem sensum amplectuntur. Canonum ea scientia periucunda erat, quæ Patrum mores, & acta repræsentans, ecclesiæ componendæ, atque ordinandæ rationem continet. dolens autem eos communi consuetudine tantummodo canones ad interpretandum seligi, qui ad lites, iudiciaque valent: constituit ipse, qui iis declarandis præesset, vnde sacra maiorum instituta, & ritus, optimumque ecclesiæ administrandæ

Litterarum studia. Caput II.

genus hauriretur. quos vero eiusmodi cognitioni deditos nactus erat, eorum studiis, iam inde ab illis Sirleti initiis, benigne fauit: vt quod etiam Romæ postea eiusdem generis studium excitatum est, ei non exigua ex parte videatur adscribendum. placuit ei latinus sermo; neque incommode locutus est; vt nonnumquam orationibus honoris gratia coram eo habitis latinis responderet; Episcoposque valde hortaretur, vt in consultationibus Concilij tempore latine loqui vellent. decreta, cæteraque sua curauit eleganter scribi; etiam ea, quæ Italicam huius temporis linguam requirerent. at reiectis flosculis, inanique ornatu, locutiones eas, verbaque probauit, quæ decorum ecclesiasticum quoddam retinerent. multo magis autem sensum personis, rebusque sacris accommodatum quæsiuit. Cum hac exigua quoque facultate nostra vsus, scripta quædam emendanda perlegeret; nobisque forte excidisset, dolere, quod non ita modicum tempus olim stylo dedissemus: melius collocatum fuisse respondit, quam in ea quæ diu nos occupatos tenuerat, iurisperitorum facultate. copiosa ipse oratione scribendo vsus est; periodosque multis sententiis refertas, longiusque ductas adhibuit. quæ scribi iusserat, ad ea emendanda, quicumque scriptores essent, acre, prudensque iudicium adhibuit. libellum scripsit, ipse, vbi religiosa monita plurima, facili quadam ratione, ad quotidianum populi vsum complexus est; pro domestico cuiusque officio separatim distincta. alium item sublata pestis calamitate, ad memoriam diuinæ animaduersionis conseruandam; vt ea populus vitaret in posterum, quorum caussa pœnas eiusmodi dedisset. Omitto literas tum ad publicam Ecclesiæ commonitionem; tum de grauissimis alioqui rebus ab eo sæpius conscriptas. de concionibus quę scripserit, alio loco dicemus. Bibliothecam insignem habuit, quam collegio reliquit canonicorum suorum. ac decreto Prouinciali constituit, in omnibus prouinciæ ciuitatibus ab eiusdem generis collegiis bibliothecas communes esse comparandas: quas singulas canonicus deligendus conseruari curaret, ac augeri. Viros eruditos amauit, & in honore habuit semper; tum re, opera, commendatione, ad vitæ sustentationem ad studiorum adiumentum, ad honoris amplificationem iuuit liberaliter. tales apud se habere studuit; multosque habuit, Romæ præsertim; cum Italiæ pene florem in eo genere sibi, & Academiæ suæ adiunxerat. Multa vero componi, & ad communem salutem edi curauit. De arte Rhetorica librum eius hortatu scripsit Augustinus Episcopus Veronensis ad Ecclesiasticam rationem accommodatè: de Episcopo item: & in sacrosancta Euangelia homilias ad Ambrosianæ Ecclesiæ vsum, minime adhuc editas. librum alium Siluius Antonianus de christiana liberorum educatione. alios ab eo postulatos, scio, qui fortassis edentur.

Peccata omnia vt vitarit. Cap. XIII.

Labes animæ, vel minimas exquisite vitabat. ne quid offenderet; etiam modici temporis otiosam amicorum consuetudinem, & superuacaneos sermones omnes studiosissime fugiebat: vel si vna esse, ac alloqui ob virorum dignitatem necesse esset; attentissime ad vsum, & ad pias vtilitates omnia conuertebat. ipsum temporis otiose traducti peccatum ita cauebat; vt etiam dum tonsorem adhiberet; vel salutari cogitatione; vel legendo, legentemve audiendo vtiliter detineretur. quam diligenter autem maiora peccata; & omnes offensiones deuitarit; tum ex hoc facile coniici poterit, vel me tacente; tum eius cæteri mores descripti clare demonstrant. omnino mos eius fuit, curaque perpetua; vt omne peccatum, eiusque periculum, ac speciem quam longissimo interuallo declinaret. quod autem vitare non posset, qualecumque erat, quotidie solebat subiectissime, magnaque diligentia sacerdoti confiteri. Si quid incideret, in facultate sibi impetranda, in veniis obtinendis, ampliora semper poscebat, vt sibi tutius consuleret. Si quid ita illi remitteretur, vt eius animæ periculo esset; vel recusabat, si posset; vel miram adhibebat cautionem. quod agendum erat, in quo recte ne fieret, dubitatio oriretur; Mediolani, Romæ, eorum, qui doctissimi ac peritissimi haberentur, consilium semper exquirebat. In vitiis superandis, virtutibusque comparandis fixa illi erat ea cura, quæ omnibus perfectum vitæ statum cupientibus propo-

sita esse debet; vt ex Apostolico præcepto, iis quæ fecisset, adeptusve esset, minime contentus, ad maiora semper intenderet animum. quod eius quotidiana fere incrementa superius suis locis notata demonstrant. omnino iudicabat, animarum Pastorem satis officio suo in aliis iuuandis facere non posse; nisi se ipse salutariter exercens, progressiones suas sẽper vrgeret.

Vt se gesserit in sacris obeundis. Cap. XIIII.

Summa diligentia vsus est, vt ritè, recte, ac religiose sacra omnia obiret: id quod etiam ante cogitando, meditando, sese assuefaciendo, consequi studebat. si quis ministrorum erraret; grauiter corrigebat. distribuenti sanctissimam Eucharistiam Brixiæ, nescio cuius fortuito successu, vas pene excidit; particulæ certe multæ in pannum delapsæ. ea de re tantopere doluit, vt vix teneremus; ne ab se pœnas alieni errati repeteret; quæ sacris decretis eius generis magnæ negligentiæ statuuntur. Missæ sacrum facere numquam omisit, nisi morbi necessitate, eaque non quauis, sed summa coactus eiusmodi consuetudini plurimi, ex vulgo ad res diuinas attentiores, sic erant assueti; vt cum Episcopum, alterius sacerdotis Missæ frequenter interesse fœmina vidisset; percunctaretur, idque serio, num Episcopus ille Missa facienda esset interdictus. Nisi aliter necesse esset, sacello Archiepiscopalis palatij omisso, in Ecclesiam ad altare suum subterraneum, vel omnino ad Ecclesias sacri faciendi causa, ob eximiam sanctissimi mysterii dignitatem, accedebat. Solebat ille quidem, vt diximus, mane, antequam sacrum obiisset, neminem admittere: cum autem in via prohibere non posset, tantum respondebat, quantum ipsa modo necessitas postularet; sed in Ecclesia aditum dare solebat nemini, & omnino cum eò venerat; procul omnia iubebat esse. Cum in omni actione, tum in rebus diuinis præsertim, quid deceret, exquisitissime obseruabat. oculos, manus, omnem motionem atque gestum ita moderabatur, vt sacrorum dignitati, sanctitatique prorsus conuenirent; neque tamen eorum esset conspicua cura. excreandi etiam, spuendique tempus opportunum, ac modum tenebat. verè, quidquid ageret, exemplar diceres Ecclesiastici decoris, ac sanctitatis; in Missa tamen haud nimis longũ temporis spatium ponebat. ob eam quam dixi dignitatem, alienissimus semper fuit à sacellis, in priuatis ædibus quacumque de causa permittendis, vbi Missa fieri posset. eam rem tum decreto Prouinciali sanxit: tum seuerius vsu firmauit perpetuo. Canonicarum horarum sacerdotales preces, & quæ ad beatissimam Virginem habentur, quotidie humi positis genibus obibat. Quocumque loco esset etiam lutoso, publicum audiens Angelicæ salutationis signum, genua ponebat in solo. Festis diebus in Ecclesia diuinis officiis omnibus assistebat: cum cæteris alte recitabat, seu canebat; sacerdotisque celebrantis, seu chorum ducentis partes semper agebat ipse: dumque ex ritu standũ erat, manus etiam ad Deum semper tendebat supplices. plerumque autem eueniebat; vt ab antelucanis officiis in Ecclesia permaneret, donec omnibus peractis, ad corpus reficiendũ discedendum erat. quod enim Missæ sacro, concioni, cæterisque diuinis rebus supererat, id temporis in subterraneo sacello consumebat secũ orans. affirmabat, & re ipsa ita esse perspiciebatur; quamdiu esset in Ecclesia, quiescere se, & iucundæ admodum animi relaxationis instar, eam occupationem ducere. itaque mirabatur, sacra munera, etiam si longo essent spatio temporis obeunda cæteris sæpe grauia videri. dolebat diuinorum officiorum disciplinam delicatæ hominum consuetudini plerumque aptari: cum contra conandum esset, vt homines ad veterem se disciplinam, licet paulo magis laboriosam, accommodarent. id fieri posse docebat exemplo populi sui; quem integros pene dies variis rerum sacrarum exercitationibus intentum, suauiter in Ecclesia retinebat. Cum ab eo missi ad principem virum ad vrbem appropinquantem, paulo post essemus ad eum reuersi; in cœnobii virginalis æde sacrum faciebat. expectamus donec distributa virginibus Eucharistia, Missæ finem faciat. cum ad sedem rediisset; indumentaque deposuisset; ad sedentem mittimus, vt adire liceat. ipse vero quamquam caussa erat, cur nos audire cito studeret; atque adeo cur putaret celeriter consulendum; aditum minime concedens, alia sumpsit indumenta, quibus

sacrum vestitum traderet nouitiæ virgini. rem conficit; concionem habet ad sacrum cœtum: demum post duas, opinor, horas, cum exiisset, vocat, negotiumque admittit. res ita se habuit, vt opportuna fuerit ea dilatio. eundem se præstitit, cum in ædibus seminarij in re non ita magni momenti, sed sacra occupatus esset; nunciusque Romæ, quem magno desiderio expectabat, ob negotium grauissimum aduenisset. nisi enim re perfecta, quam in manibus habebat; nuncio aditum non dedit. Indecorum iudicabat rebus sacris interponere, sacrove loco admittere quidquam externum: sed simul etiam voluntate, ac desiderio reprimendo se exercebat; in quo studio, licet de re non magni momenti agatur, magnum tamen ad virtutem esse momentum existimatur. si de sacris reliquiis, aliisuè rebus eiusmodi, vt sæpe fit, aliquando dubium aliquod incideret; in eam partem semper propendebat, quæ religiosior videretur, & magis pia. Antiquitati, maiorumque consuetudini plurimum tribuebat. Si Ecclesiam viseret religionis gratia; quoniam sunt loca sæpe, vel sacella plura, quibus variis de causis vulgo cultus adhibetur; adibat omnia diligenter, & vel rudiorum hominum piam consuetudinem in eo imitabatur.

Eius studium contemplationis, precationisque. Cap. XIV.

Deum orandi, diuinaque meditandi studiosissimus fuit. cui studio cum se tradiderat, ita mente atque animo solebat hærere, atque ita si tempus daretur, in intimas rerum spiritualium cogitationes sese coniiciebat; vt ab aliis omnibus, vir incredibiliter occupatus, sese abstractum præberet. id ipsi partim etiam ob vehementis applicationis, occupationisque in omni genere consuetudinem eueniebat; de quo iam attigimus. cum interdiu negotiis distineretur; nocturnum tempus ad orandũ sumebat. cumque magni momenti res incidebant, ipsas noctes precando consumebat. locum ad eum vsum sibi parauerat, vsitato sibi cubiculo proximum; ita remotum, vt aliquis familiarium tamen sæpe gemitus exaudiret. Præter has quotidianas exercitationes; tum extraordinarias quoque multas, quæ præcipuum studium, spatiumque longius requirebant: bis in anno saltem ab vrbe discedebat, seque in remotis, solitariisve locis colligens, plures dies totos ab omni alia occupatione liber, tum superioris temporis errata dolebat; tum sese spiritualibus, diuinisque contemplationibus ad maiorem sanctitatem incitabat. qua de re supra non semel attigimus. Inde autem cœlesti pabulo refectis animi viribus ad sua curricula recens, alacrisque descendebat. Præterea vero, quod perpetuæ supplicationis genus existimatur, quascumque res ageret; ita se comparabat, vt neque diuinæ præsentiæ memoriam, neque motuum animi sui custodiam desereret: cum idem tamen, quæ essent in manibus, tam perfectè tractaret; ac in omnes cuiusque rei partes tam acriter, vt diximus, acie mentis penetraret; vt nihil fieri posse videretur accuratius; videbatur autẽ, si quis attenderet, in ipsa rerum tractatione interdum modico spatio, ab iis quæ agebat, mente abstrahi; alias subito commoueri, speciem flentis nonnumquam præ se ferre. Ex eadem vigilantia, suique ipsius custodia fiebat; vt quidquid ad eum quis afferret, paratum animo semper, semper cautum inueniret; ne vlla re, vel nimis commoueretur, vel offenderet aliquo modo. Episcopo, dicebat, vtpote rebus sacris administrandis assiduè occupato, eam maxime custodiam conuenire: nè actio à spirituali meditatione penitus vmquam distraheretur. Itineris tempus ita consumebat, vt nisi quis interim audiendus, vel cum aliquo esset colloquendum; in rebus diuinis semper animum defigeret; atque ita raperetur, vt pene sensuum intermitterentur officia. In Deciana via, cum iter noctu, densissimis tenebris faceret, & in foueas quasdam delapsus esset; mula super eum iacente, comitibus visus est, & in primis Cæsari Speciano, qui nobis postea Episcopus narrauit, ita permansisse in meditatione sua; vt ne de exitu quidem cogitaret; donec comites accensis facibus regressi, eum nihil querentem, aut dicentem, extraherent. madidus vero, ac lutulentus nihilominus hilari vultu Mediolanum venit. interdum ita mula offendebat, vt procumberet. ipse vero, nisi corrueret penitus, nihil plerumque animaduertebat. A rebus nouis nunciandis, vel audiendis abhorrebat: præcipuum importari dicebat ex ea curiositate, spiritualem vitam agentibus detrimen-

tum. si quid ab amicis absentibus nunciaretur noui, quod ad munus suum minime putaret pertinere; nihil, aut quantum officio seruando solum necesse esset, respondebat. quod satis docent eiusmodi literarum responsiones eius breuissimæ. si quis quacumque dignitate adiret salutandi causa; & de rebus eiusmodi vel percunctaretur, vt vulgo fit, aut referret; ipse vel tacebat, vel alium, eumque vtilem sermonem inferebat. Ita se à rebus humanis auertebat; vt frequenter dies, & pene menses, qui agebantur, ignoraret. Sed vitæ postremo tempore multo magis incitatus, ita sacris cogitationibus, contemplationibusque deditus erat; vt aliquid etiam operæ necessariæ, suæ subtrahere videretur administrationi; illius operæ saltem, quæ ministris, aliisque audiendis, qui consulerent, danda erat. omnino ab eiusmodi studio nullo modo videbatur posse diuelli. quo tempore, quæ Christus Dominus pertulit, ea diligenter ad meditandum per particulas distribuisse, viamque, & rationem meditandi, precandique composuisse commemorauimus. De cetero ita contemplationem coluit, vt actionem semper, salutemque mortalium respiceret. itaque si qui à rebus publicis abstinere; quieti se tradere; sibique tantum, licet sanctè, viuere vellent; his haud facile concedebat, ægreque adducebatur, vt cuiquam manus imponeret, si priuati spiritualis fructus tantum gratia id peteret, ac non certæ Ecclesiæ, certoque muneri vellet addici, cultuique diuino publice operam dare. ad eam rem tum sacris legibus in primis mouebatur; tū sensu quoque suo; qui sacros homines prodire; in negotiis sacris versari; de plurimis ad salutem bene mereri; ad Antistitis iussus paratos se, facilesque præbere: neque otium, neque spiritualem quietem, ac ne illa quidem, quæ ad victum necessaria essent, respicere: incommoda, & difficultates: locorum, munerumque mutationes pati, omnes volebat, atque hortabatur: eos maxime, quos licet probos, & diuinarum rerum studiosos: sibi tamen libenter parcere: arbitrii sui, potestatisque ius studiose conseruare: iis, quæ ipsi sentirent adhærescere, aliis vero difficile assentire videret. Cum ita ipse affectus, animoque paratus esset; ad eandem sententiam maximè conformari cupiebat clericos suos: & eos cum se offerret occasio, singulari quodam ad id studio erudiebat.

Domesticos suos, vel clericos elegit, vel eos, qui essent in clericorum instituta, disciplinamque propensi. omnino autem eos, qui virtute, officiis, consuetudineque quotidiana, Deo dicatis viris essent, quàm aulicis similiores. curabat eam rem, cum aliquem recepturus erat, per hominum probatæ fidei testimonia: sed ipse quoque; cum in aliquem defixisset oculos; pro humana facultate ad sensus, mentemque cognoscendam valde penetrabat. Multi locum apud eum cupide quærebant: atque nescio, vtrum etiam aliquis illud postremo loco spectaret; quòd Carolo probatam operam dedisse, spectatæ vitæ graue testimonium, bonorum existimatione putabatur. illud itē constabat, si quis moribus doctrinaquo valuisset, ei sine dubio Carolum beneficia sponte, administrationesque pro virtute mandatorum; quamquam nullo modo tamquam operæ, obsequiive præmia; nam id cauebat diligenter, & certa cunctis alioqui stipendia tribuebat. sed vt hominibus, qui digniores occurrerent, vacantes ministris Ecclesias, vel munera, ipsis pariter, atque aliis concedebat. At hoc minime spectare poterant, qui à facultatibus alioqui, honoribusque parati, omnia relinquentes, ad eum veniebant, tamquā ad religiosarum virtutum mercaturam, quos quidem hoc loco multos possem numerare. hique vel oblata beneficia recusabant; vel ita recipiebant, vt diuina causa tātum mouerentur. ex eius Episcopali certe domo, atque disciplina, variis temporibus multi, præter eos, quorum mentio iam in historiæ seriem incidit, tamquam in aciē quandam Ecclesiasticam prodiere, Præsules, grauibusque aliis Ecclesiæ muneribus ac administrationibus præfecti: quorum alii aliud; plurima vniuersi, præclaraque in communem Ecclesię vsum ex Caroli schola contulerunt. quamquam suos & ipse habuit degeneres alumnos. Vestitu clericali, etiam qui clerici non essent, nisi ratio muneris, eo videretur indigna, omnes vti iussit, qui non vterentur, nigra tamen indumenta, eaque modestissima, & à profana consuetudine remota, omnes ad

Familia, & in ægrotos misericordia. Cap. XV.

vnum adhibuere. non serica solum; sed magna ex parte etiam, quæ proxime accedunt, iis prohibita fuerunt. Nobiliores, quos addictos sibi famulos, sed clericos fere apud se habere iussit; quibus inseruiendi cura ita incumberet, vt etiam literariis studiis, sacrarumque exercitationum tempus daretur. Qui familiæ toti præesset, eum presbyterum elegit; neque vulgari nomine, sed Præpositum domus appellauit. Oeconomum adiunxit, qui possessionum, fructuumque omnium curam gereret. Virum item, qui domi quotidiana quædam, minutioraque curaret. Cubicularios, magnam partem, presbyteros habuit, eosque fere in doctoris gradu positos, siue canonum, siue Theologiæ. in iis duos esse studuit spectatissimæ vitæ, quales vnicuique sacrorum Antistiti esse debere dicebat, actionum omnium diurnos, nocturnosque testes. Domestica munera ita distribuit, vt vnusquisque plura sustineret: nam & ipsos cubicularios, vel certis Ecclesiæ administrandæ officiis præfectos habuit, vel aliis sacris rebus occupatos; vt eis quam minimum vacui temporis relinqueretur: neque frustra limina terendo, tempus consumerent. ex eo fiebat, vt ad ostia, cubiculave assisterent, tum foris etiam ij tantum comitarentur, qui necessarij erant; si modo vel ipsi quoque necessitati sæpe aliquid non subtraheretur. suos non sibi, sed Ecclesiæ suæ velle dicebat inseruire; ac re vera nemo erat, vel Ecclesiæ, vel Episcopali personæ non necessarius; valebat vero id, tum ad numerum, & officia religiose constituenda. tum ad hominum mentes, pro pietatis ratione rectius, fructuosiusque dirigendas. Homines nobilitate, scientia, vel spe aliqua inflatos recipere non solebat: neque illos, qui alibi, nisi forte apud religione præstantes Antistites, prius essent exercitati. receptos autem, ne quid elationis fortè lateret, iis ministeriis exercebat, quæ humilia, viliaque putantur. illustri genere orti; Comitis, aut doctoris dignitate insigniti, epistolis aliisuè rebus transcribendis sæpe operam dabant: posteriorem vestis partem, cum prodibat Carolus, tollebant, in itinere sarcinas ferebant: crucem præferebant; quamquam hoc inter digniora volebat officia numerari. hac de causa plerosque sine certo munere assignato primum recipiebat, eosq; gradatim postea prouehebat, pro virtute, ac habilitate perspecta; idque nisi spectatæ iam in rebus, ac muneribus Ecclesiasticis virtutis, ac existimationis essent. Durior videbatur eorum conditio, qui Carolo operam dabant, ob labores, vigilias, plurimaque alia incommoda; & re vera erat. sed eam iam notam omnibus non imponebat ipse, sed ipsi suscipiebant. neque verò fieri potest, vt ducis summa vigilantia, & labor, delicati, vel remissi militis operam ferat. Ac tametsi robustos, præsertim iuniores, variis incommodis ferendis exerceret; magna tamen humanitate parcebat imbecillis: quod tum de aliis, tum de me ipso verè possum, ac largiter affirmare. Præter eos, qui domesticis muneribus propriè destinati erant, alios multos, si modo alioqui probati essent, facile recipiebat; siue aduenas, vt eorum periculum faceret; siue etiam ex clero suo. quam ob causam, quantum in ædibus amplissimis capi posset, tantum domi alere numerum solebat; vt vno tempore tum clericis subueniret; tum ministros pararet Ecclesiæ suæ. omnes interim habebat, vel familiaribus, vel Ecclesiasticis negotiis, vel diuinarum rerum administratione occupatos. omnesque tenebantur institutis domesticæ disciplinę. Eorum fere qui sacerdotes essent, institutum erat, quotidie Missam facere. reliquis sacramentorum confessionis, & Eucharistiæ certa tempora, eaque frequentia præscripta erant; cuius rei testimonium vnusquisque afferebat. alia diuini cultus officia varia, concionum, supplicationum, & eiusmodi colere suo tempore illos opottebat, omnino, ne minutiora singillatim persequar; non solum communi quadam probitate; sed præcipuis piæ religiosæque vitæ institutis, atque exemplis, studebat populo familiam suam praelucere. Ad eam rem quotidiana suppeditabat adiumenta. erat etiam spiritualis disciplinæ præfectus, qui quotidie aliis ex Euangelio, vel sacris omnino diuinisque rebus, articulatim tradebat, quæ ad salutem suam cogitarent, ac meditarentur. quæ inter se deinde certo tẽpore conferebant, ac suum, intelligens quisque cæteris, cogitationis fructum communicabant. ea plerumque Carolus tradebat ipse, præeratque sępe, dum

communicarentur. Horarum statarum breuiores preces, quæ Virgini tribuuntur, clerici, aliique quibusdam præcipuis muneribus minime occupati, ad certa signa in sacellum conuenientes, obibant. Doctrinæ christianæ rudiméntis rudiores instituebantur. Non deerat iis, qui egerent, grammaticæ magister. Vesperi antequam cubitum irent, vniuersi, ad excutiendam factorum diei conscientiam, accipiendamque sacræ aquæ aspersionem, conueniebant, quo eodem tempore tum capita, quæ commemorauimus piè cogitanda tradi solebant; tum statis etiam diebus Caroli exemplo inuitati, flagella sibi ad veniam peccatorum impetrandam, flagellationisque Christi Domini memoriam renouandam, plerique piè adhibebant. Cum vno loco, mensis circum dispositis cœnobitico more accumberent omnes; erat etiam edito loco, qui de salutari libro legebat; à quo quidem munere vix ipsi causarum iudices, & Vicarij propter occupationes excusabantur. Cibus religioso item, & cœnobitico modo fere dabatur. vno constabat obsonio, & iurulento ferculo; cum pomorum, vel simili additamento, altero ante, altero post reliquum cibum. omnia vero vulgaria nihil prorsus delicatum, vel exquisitum. atque huiusmodi mensæ vniuersi accumbebant, summi, & infimi: nam cuiquam cibum priuatim in proprio domicilio sumendum dari, erat interdictum: eademque lege Vicarios teneri constitutum erat. Quemadmodum antequam assiderent, statam bene precandi formulam adhibebat, qui primum ibi locum ex presbyteris tenebat; ita post cibum sumptum, eodem præeunte, gratiæ agebantur: & ordine omnes ex triclino in sacellum ibant; vbi litania cum inuocatione sanctorum consueta, precibusque adiunctis habebatur. Valetudinariũ erat constitutum, quo ægroti saltem humiliores curabantur; salutaribus rebus iuuabantur; ab ipso Carolo interdum visebantur; certo præfecto ei muneri constituto. Omnes familiæ leges antea breuiter, summatimque notatas, postremo describi iusserat copiosius; quãquam minimè potuit opus absolui. eas vero seruari præcipuo quodam studio curabat, ministros sæpius interrogando, & monendo; tum certis temporibus etiam eosdem cum aliis religiosis viris conuocando; vt de rebus omnibus plenius consultaretur. quo loco recordor inter alia iussum ab eo frequenter, & inculcatum; ne quid ægrotis, imbecillis, hospitibusque deesset: sibi numquam ministros satisfacere posse; donec id plene, cumulatéque perfecissent. hæc tantoperè in ægrotos officia illi hærebant in visceribus: vt ex summis rebus, quas animo quotidie agitabat. ad ea, quamuis etiam tenuissima, frequenter respiceret. cum pene moribũdus Mediolanum venisset; dum per gradus ædium ascendens sustentaretur, tanto studio quendam ex suis præfecto commendauit, qui ægrotus itidem venerat, vt de illo multo magis quàm de se ipso solicitus videretur. Cum apud eum Brixiensem Ecclesiam visitantem, in morbum incidissemus; benignus pater inuisens, pannum quo operiebamur suis manibus tentat, leuiorem existimans, quàm opus esset, aptiorem lecto suo detrahi iubet, atque afferri; vt incommodo suo nobis commodaret. Externis item ægrotis Christianæ charitatis officia libentissime tribuit. declarauit, se libenter iturum; si quis ægrotans ab eo sibi priusquam moreretur benedici cuperet. immo vt eis subueniret cumulatius, suique Pastoris accersendi desiderium excitaret, plenariæ indulgentiæ iis tali tempore tribuendæ, obtinuit à Pontifice perpetuam facultatem: neque id sibi solum, sed prouinciæ totius Episcopis; vt eos quoque ad idem piæ benignitatis opus incitaret: quæ quidem plenius in litteris Pontificiis editis explicantur. ægros autem sæpe cum adiret ipse; sacerdotes suos etiam quandoque mittebat, qui eius nomine benedicerent, indulgentiamque largirentur. Sed postremis annis, cum ad sanctitatis opinionem ei plurimum accessisset; increbuisset etiam, per eum esse redditam quibusdam sanitatem; ideoque iam ab nonnullis ad ægrotos desperatos accerseretur: multò cautius eundem sibi Christianæ humilitatis studio, constituit; atque etiam recusauit. Carolo Emanueli in primis Duci Sabaudiæ peruulgatum est ab eo beneficium eiusmodi tributum esse: quem nulla pene vitæ spe Vercellis iacentem cum adiisset; suis, populiq; supplicationibus magno studio

dio adhibitis, discedens eo periculo liberatum reliquit. quæ res & magnam multis admirationem; & summam piis; publicæ eæque tranquillitatis studiosis lætitiam attulit. Homines sibi charos, immò qui magno etiam essent Ecclesiæ vsui, benigne ille quidem cõplectebatur, dum manebant; omnique ratione studebat retinere: sed si quando ab eo discedere contigit; nihil fere visus est commoueri. eorum item si aliquis peccasset; minimè dissimulabat; nisi æquum alioqui Christianumque parcere existimaret: id quod libẽter iis tribuebat; qui erratum agnoscentes, & ex animo dolentes, veniam peterent. Cum iis, qui domesticis ministeriis addicti erant, minimè solebat sermonem conferre: quæ enim opus erant cum ipso domus præfecto agere satis habebat. nullius item facetias, leporesve admittebat vmquam. seriis de rebus semper erat sermo. quidquid otiosum esset, indignum Episcopo censebat. Qui cum eo familiariter versabantur, iis numquam aditum apertum esse volebat, ad remittendam eam, quę personæ deberetur, reuerentiam. quæ cum alioqui familiaritate, vetustateque sæpe obsolescat; teneri, vigereque semper æquum, decorumque putabat; tum ad disciplinam conseruandam admodum vtile.

Hospitalitas. Cap. XVI.

Coluit non mediocriter officium, virtutémque illam, quæ in hospitibus benignè accipiendis posita est. peregrinos omnes, sacros præsertim, & probatos; principes item viros pie accepit, ac liberaliter. Studiose id faciebat, & libentissime; tum quia Christianę cõsuetudinis ea beneficentia fuit semper; tum quia multis ad salutem iuuandis aditus ea via sibi videbat aperiri. ardebat namque desiderio in omni actione, in omni sermone, omni tempore curandæ, iuuandæque alienæ salutis. exteros in primis earum regionum, quæ corruptæ fidei miseria premuntur; omni officio, ac benignitate complectebatur: humanissime alloquebatur; extraordinariis honoris significationibus, si venientibus, occurreret, si abeuntes prosequeretur, si cum iis esset, semper accipiebat: nihil prætermittebat, quo eos in recta fide, atque integra confirmaret: Catholicæque Romanæ Ecclesiæ magis, ac magis eorum studia, pietatemque conciliaret. vt omnes tantam humanitatem, cum sanctitate cõiunctam, abeuntes infinitis laudibus extollerent. Cum Heluetiis, & Rhætis, qui frequẽtes rerum salutarium caussa orthodoxi ad eum veniebant. hilare more nationis agebat; ac familiariter manum prehendebat: accumbebat comiter cũ illis; atque licet disciplinæ suæ modum teneret: nonnulla tamen concedebat: bibentium propinationes non respuebat, ab suo tamen modo; & ab aqua sua parum; aut nihil potius discedens. Præsules ad Ecclesias sacrasque res insigniores visendas inuitabat; ipse etiam, si Cardinales, primarii ve Episcopi præsertim exteri essent; domos accedebat. in collegiis religiosioribus, loco recreationis animorum, dum iis erat, quo tempore de seueritate sua multum remittere humanitatis gratia solitus fuit; seque ad hospitum mores, voluntatémque non mediocriter conformare. eosdem accipiebat in collegiis clericorum suorum: locorum communicabat instituta; disputationes; orationes coram iisdem haberi iubebat. Principibus viris laicis, sermonibus ad eorum documentum aptis; sacra lectione mensæ adhibita, libellis optimis dono datis; prodesse quamplurimum studebat. eosdem ad vespertinam domus suæ precationem, spiritualemque scholam inuitabat: vbi siue bellatores essent, siue aliis vitæ institutis addicti, dicebat ipse ad cuiusque salutis rationem accommodatè. erant nonnumquam, qui omissam multo iam tempore sacram confessionem dolentes: & vitæ præteritæ mala detestantes, superioris temporis omnia peccata; prius quam abirent, confiterentur; melioremque sibi vitæ rationem constituerent. ac quemadmodum ad rem aggrediendam cohortatione; ita Pontificia facultate, quæ ampla numquam ei deerat, si ob grauiora peccata necesse esset, subueniebat ad perficiendum. Tanta erat hospitum frequentia; vt vel ipsi publicorum vectigalium conductores, portarumque custodes, Caroli nomine res tantas absque portorio quotidie victus caussa mirantes importari: eidemve aliàs ascribi; fraudemque suspicantes, Caroli procuratores adierint: incredibile sibi videri, tantum commeatus in Caroli

domo consumi, diligenter vellent animaduertere; ne qua in re sacræ immunitatis nomine fortasse fraudarentur; & aliquid ad quæstum suum nomine Cardinalis abuterentur. qui vt hominibus iis satisfacerent, ærum, hospitumque summa facta, tercentos vno mense receptos hospites, qui vario temporis spatio morati essent, reperetunt. Tam magni sumptus, rebus domesticis præfecti verebantur, vt Caroli facultatibus essent tolerabiles; cumque non semel monuissent: ille pluribus in consilium adhibitis, ea de re deliberauit, cum essemus in ædibus nostris Cernusculanis: & hospitii pio, salutarique fructu proposito, contraque rei familiaris ad sumptum sustinendum inopia; quæsiuit, quid magis è re Christiana esse iudicarent: se, nè talis fructus eriperetur, vel id mendicitatis multorum caussa non refugere; si sic expedire putarent; vt arcam certo loco constitueret, qua eleemosynæ subsidium ab hospitibus, qui dare vellent, colligeretur. in eam sententiam ventum est; vt nè hospitium intermitteretur: sed satis haberet, cum antea vniuersum comitatum, equos, & alia iumenta, vel inuitis dominis, in domum acciperet, principes ipsos nonnullis pro dignitate additis comitibus, suscipere; cæteros autem in cauponis relinquere. famulorum caussa disciplinæ ordinem valde perturbari; inde autem ipsos referre vtilitatis parum: ex iis, & iumentis simul, magnam sumptus partem existere. ita fore, vt & propositum sibi, ex iuuandis ad salutem multis, principibus præsertim fructum perciperet; neque quidquam temere committeret, vnde ære alieno immoderate grauaretur. cæterum nihil dubitandũ, quin ad tam pios sumptus diuina benignitas, quæ opus essent, suppeditaret. Hospitum mensa domesticæ finibus minimè continebatur: sed propria quadam moderatione concilij prouinciæ decreto sancita constabat: sic tamen, vt qualis, quantusque cibus apponeretur, etiam summos viros non pœniteret. Verum postremo tempore hospitalitatis officium insigniter augeri constituerat: iamque paulo antequam moreretur, Præposito domus iusserat, vt ad omnes totius diœcesis clericos excipiendos, quibus ad vrbem rerum suarum caussa veniendum esset, ædium partem instrueret; hospitio sacerdos præficeretur; cui non hospitum solum commoda essent, sed mores etiam curæ; quique operam daret, vt ij per certas exercitationes in Ecclesiastica disciplina proficerent. ita etiam fore, vt neque leuibus de caussis clerici ab suis Ecclesiis abessent, neque nimis diu.

Animus eius erga bonos religiososque viros. Cap. XVII.

Religiosi animi viros vehementer diligebat, & magna voluntate complectebatur; vt licet necessitudinis, amorisuè alia caussa intercederet nulla; essetque homo alioqui ignotus, studio faueret, ac re iuuaret amicissimè; non solum si rogaretur; sed sua sponte, si veniret in mentem. eiusmodi ad probitatem, religiososque mores propensio tanta erat; vel specie ipsa interdum videretur commoueri; hominesque recipere, quorum bonitas eius gratiæ non responderet æqualiter. Sed ipse quamplurimis egens administris, interdum quorundam operam Ecclesiæ suæ necessariam, & in præsentia vtilem cautè adhibebat; neque interim valde laborabat, verè nè ac omnino ij tales essent, quales specie videbantur, illud Apostoli, vt quandoque audiuimus, vsurpans, Dum omni modo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur. Ecclesiæ Præsules, maximè si perfectæ disciplinæ desiderium in eis perspiceret, singulari quodam, non amore solum, sed suauitate, ac delectatione tenebat amplexos: nihil officij prætermittebat: de communi munere, atque officiis attente communicabat; & suum, alienumque Ecclesiæ optime administrandæ studium conabatur acuere. hac in primis de caussa, mutuum Præsulibus congressum, expetendum dicebat; vt alterius sermone iuuaretur; & si qua parte religiosus animi ardor deferbuisset, ea quasi exercitatione, diuino afflante spiritu, recalesceret. Episcopos omnes præter multorum consuetudinem, honorauit; plurimique se facere semper ostendit: ad res Ecclesiasticas benè gerendas studiose iuuit: reuerendissimos in Epistolis appellauit: quod licet alii quoque Cardinales prius facere consueuissent; alii tamen eius exemplum secuti sunt. Consuetum honoris officium in eosdem venientes, & abeuntes supera-

nit. Atque à magno quodam principe hospitio in itinere acceptus; cum esset vna; Episcopus ciuitatis nemine præmisso venit; doluit Carolus, quòd ei occurrere non potuisset. Sed discedentem ipso relicto Principe; cui sciebat id molestum fore; ex consuetudine sua comitatus est, vt suum de dignitate Episcopali colẽda iudicium ostenderet. Quorum virtus olim in Ecclesia floruisset; eorum instituta didicit; scripta conquisiuit ministros accersiuit, ipsam vultus imaginem sibi comparauit; vt ob oculos collocata; viuam virtutis Episcopalis memoriam, ad imitationis studium, in eo conseruaret. huiusmodi fecit in primis erga Gibertum Veronensem Episcopum. Roffensem quoque, qui Christi caussa sanguinem, in Anglia, vitamque profudit, ante se pictum habuit, vna cum S. Ambrosij effigie; quam, omnibus aliis inspectis, quæcumque antiquiores haberentur, curauerat exprimi, Regulares viros cuiuscumque ordinis essent, quos sacræ disciplinæ studiosos nouerat, ita beneuolentia prosequebatur, & honore; vt nemini prorsus cederet. eorum quoque opera, quibus rebus idonei essent, libenter vsus est. res item vitæ necessarias suppeditauit. id cũ faciebat, ad cœnobii mittebat Præfectum; hominemque tantummodo, cuius caussa mouebatur, iubebat, in eius necessariis rebus commendari. contra, si aduersus instituta sua facere; si disciplinam negligere; si populi licentiam alere; si christianæ disciplinæ restitutionem, aut progressum impedire; cognosceret; eos corrigendos maxime curabat: monebat præfectos; ipsosve Cardinales ordini præpositos. ipse præcipua in eo genere prẹter Tridentinum decretum, Apostolica auctoritate vtens: haud quidem facilè: sed cum erat opus; vt eorum, cæterorumque saluti consuleret; in eos animaduertebat. ea res faciebat, vt in diœcesim Mediolanensem ordinum præfecti bonos, quantum fieri posset, mittendos curarent. obseruarunt quidam; Carolum, cum regularis ordinis quispiam in via ipsi honorem tribueret; si comitem videret, vt disciplinæ cœnobiticæ leges ferunt; & benedicere manu solitum fuisse & etiam paulum tollendo galero honoris significationem dare: verum si solus esset, præteriisse, quasi nullum vidisset. vix caussa necessitatis adducebatur, vt eos ad parochias suas custodiendas admitteret. verebatur enim; cum animarum charitatem perspectam non haberet, vt aliis curandis esset idoneus; qui se ipsum ita non custodiret, vt assignatum diuinitus locum posset tenere. Paruorum cœnobiorum, quæ in vicis sunt, vbi exigua vel nulla vigere solet disciplina; contra vero datur delinquendi locus; ita rationem haberi cupiebat, vt & ordini consuleretur, & populis. qua de re cum Pontifice Gregorio non multò ante mortem cum egisset; eius iussu Præfectis omnibus vocatis, numerari cœnobia curauerat; & ad se referri, quem numerum soleret, eorum cœnobiorum quodque continere; ad alia progressurus: si vita longior contigisset. Ipsam hominum Deo penitus addictorum regulam, ac statum tanti fecit; vt quemadmodum animo præclare fecerat; ita quotidie studeret institutis domesticis imitari. eadem cum in collegia clericorum suorum induceret; fiebat sæpenumero, vt ex iis ad cœnobiticos ordines aliqui transire vellent. quod ille, cum vehementi regularium ipsorum cohortatione; vel quòd eos seuerioris disciplinæ tæderet, euenire sæpe suspicaretur; cumque necessitatem Ecclesiæ suæ quotidie magis perspiceret; prius eorum voluntatem, consiliumque diu curabat, ac diligẽter examinari; quàm ea de re consentiret. quin etiam, Apostolica interposita auctoritate, prouidit; ne ad eorum ordinem, quorum domestica opera regebantur, & literis erudiebantur, seminarij clericis aditus pateret; nisi quadriennio essent extra seminarium morati. cæterum si diuino spiritu verè agi quem viderat; facile dimisit: & ad perficiendum iuuit. si quis etiam, regulari vita prius sibi proposita, mutato deinde consilio, quod euenit sæpius, vellet animum ad eius disciplinam, Oblatorumve regulam adiicere: nisi illi, sibique, Theologis consultis, studiose cauisset: non recepit.

Poterat vere de religiosis viris cum Domino dicere, hi sunt fratres mei. nam erga propinquos ita se habuit, vt eos potius sibi cauendos, quàm amplectendos statuisse videretur. tametsi autem illi, quãtopere ex tanto viro au- *Vt se gesserit in propinquos. Cap. XVIII.*

gerentur, satis agnoscerent; erant aliqui tamen qui talem in eo suorũ quasi despicientiam, vt sunt humani sensus, ægre quandoque ferrent, nonnihilque expostularent: Borromeiam gentem ex eo sperasse semper dignitatis amplitudinisque accessionem: at contra prorsus accidere: cum ea, quæ adhuc tenuerat, eius causa potius amitteret. Ille verò sacram disciplinam, & res diuinas; quibus addictus erat, Ecclesiæque iura, non posse, aiebat, non curare, omnibusque viribus tueri. si ex ea cura detrimenti aliquid familiæ afferretur: aliorum esse culpam: contra suam id fieri voluntatem; ex Dei benignitate tamen multo plura sperarent, quàm ea, quæ vel amitterent, vel ab eo, si ei rei studeret, possent adipisci. se tamquam Deo, diuinisque obsequiis penitus traditum, ab eorum familia translatum putarent. quod quidem & re, & nomine paulò post Aronæ arcem ereptam, effici curauit. nam Iubilei causa Romam profectus, cõsulto prius Pontifice, non se post hac Borromeium scripsit, aut scribi voluit: sed sanctæ Praxedis Cardinalem; illud Prophetæ amplexus, Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Sed antea quoque, cum in summis porticibus ædium canonicalium architectùs insignia Borromeia insculpi iussisset; præteriens forte Carolus, & cœptum opus suspiciens: tum in posterum facienda prohibuit: tum facta iussit excidi: quæ tamen curante nemine, Caroloque amplius non aduertente, in ipso operis principio remanserunt. Attamen charitatẽ propinquorum retinuisse illum dubitare nemo debet; quatenus vel naturæ, vel Christianæ disciplinæ ratio postulat. itaque amantissimi cognati officia, cum opus fuit, in suos cumulate præstitit; fauit; tutatus est. quid sororibus dederit, non commemoro. viri principis humanis opibus florentis potius, quàm Antistitis religiosissimi illa fuerunt officia. sed ipsas sorores consilio, studio, opera sua semper amantissime iuuit. propinquis multis magna nobilitate, parique inopia fœminis; dotes elargitus est, nobilitati non omnino impares. Alios item egenos non deseruit, modo à flagitiis abessent. Cæterum tantum aberat, vt suis quidquam largiretur, vt potius rebus eorum vteretur sæpissime. Ac paterna quidem bona per fidei commissum relicta, Comiti Iulio Cæsari patruo dimisit: sed ea pactione, vt integros eorum fructus quotannis perceperit. Illud autem sibi cauendum existimauit; ne forte animo ita in eo genere flecteretur, vt officia Deo, Ecclesiæ, gregique suo debita aliqua ex parte prætermitteret; quibus humanas charitates omnes cedere debere, nemo negauerit. Cum ei de Hortensiæ sororis obitu nunciatum esset; non ausi nos quidem, cum præsentes essemus, consolari tantum virum; cum aliquid tamen tangeremus; non negauit; parum se suorum morte commoueri solitum: verum id naturæ potius, quàm virtutis esse, modeste dicebat. ac multa tunc quidem ex eo sermone intulit; quàm diligenter Ecclesiasticos homines, cum cognatis suis conglutinationem animi quandam cauere oporteret: quorum misericordia, precibus, suauitate facillime inflecti; & à vitæ huius contemptu, à sacris laboribus, à iuuandis liberaliter egenis, auocari possent: tum adduci quoque, vt multa sæpe Deo minime grata facerent, permitterentve, cum eorum offensione, quibus optima semper ad imitationem exempla proponere debent. quò facilius id fieri posset, abstinendum monebat ab eorum consuetudine: deque se ipso tali viro affirmabat; numquam se cognatorum suorum domum adire; adibat autem perquam raro; quin aliquo modo diuinarum rerum studia, atque desideria retardari animo suo sentiret. Federicum suum propter optimæ naturæ specimen, atque adeo singularem Ecclesiasticæ probitatis indolem, à prima ætate dilexit plurimum. sed amorẽ ita coërcuit; vt neque apud se habere voluerit; neque vultu, neque verbis, neque re aliqua fere quidquam in eum præcipuæ voluntatis demonstrarit. cum annos XIII. natum doctrinæ causa Bononiam dimitteret, nonnullaque per nos ei vitæ præcepta daret: amplexurum illum esse vitam clericalem gaudenti sanè animo nobis aperuit: quamquam nihil eiusmodi palam præ se tulit. ac nos tunc quidem existimauimus, Federicũ de ea re cum eo communicasse: posteà vero permirum visum est; cum idem Federicus Cardinalis nobis affirmauit, neque

tum se aliquid eiusmodi præ se tulisse, & à clericali vita eo tẽpore fuisse alienum. Propinquos per alios libentius, quàm per se ipsos, aliquid petentes audiebat. omnino caute audiendos esse dicebat, animoque nonnulla suspicione occupato, nè quid minus iustum, probatumve postularent: tum parato etiam ad negandum si minus id rectum appareret: nè vi forte coniunctionis, ad aliquid minus iustum concedendum impelleretur; qua remollescere fortis quoque animus facile solet, ac leniri. Cum alij fere propinquitatis causa, multa tribuere, atque indulgere soleant; contra ille coniunctionis vinculo vtebatur, quantum poterat; vt eo constricti cognati rebus omnibus magis, quàm alii continerentur, ne cæteris exemplo quidquam nocerent; imo potius prodessent. Agebatur quandoque de Episcopatu in prouincia Mediolanensi mandando cuidam eius affini: cuius doctrinam, alia fortasse nonnulla ad Episcopatum gerendum necessaria cum desideraret; eũ excludendum curauit. qua de re cum is, aliique coniuncti quererentur; libere causas aperuit, quibus eam rem ipse probare non posset; imo sibi iudicaret impediendam. Ioan. Iacobi Medicis cadauer, iussu Pii quarti eius fratris in eleganti, ac magnifico marmoreo sepulchro collocatum in Ecclesia maiori Med. nihilominus deponi atque sub terram coniici iussit; licet exceptum monumentum, in decretis eo de genere scriptis intelligi posset. Cum adhuc auunculo viuente, per Ormanetum collocutionis loca in monasteriis ad virginalis pudoris normam conformaret; in ipso monasterio in primis, vbi non soror eius tantum, sed etiam Pontificis ipsius sorores erant, id effecit.

Amicos aliquid petentes, vt audierit. Cap. XIX.

Amicorum gratiæ tantum tribuit; vt omnes tamen intelligerent, nihil ab eo impetrari posse, nisi iustum, rectumque esset penitus: & suæ Ecclesiæ institutis, atque vtilitatibus; tum vero vniuersæ Ecclesiasticæ disciplinæ consentaneum. sæpe euenit, vt quæ alii leuiora putassent, vel principibus viris, Cardinalibusque ipsis denegaret; quia Ecclesiæ suæ disciplinam aliquo modo per ea lædi, fructumve ex parte aliqua impediri cognoscebat: vnde maiora deinceps sibi detrimenta expectanda essent. Inter eius familiares, nemo fuit, qui verè posset insigniter apud eum: æquabiliter omnes amabat; & pro eo, quantum vnusquisque aptus esse æstimabat, atque vtebatur. qui plus forτasse posse videbatur, is nihil solebat alicuius gratia postulare; neque omnino quidquam alia de causa proponeret, quàm quòd ita rectum esse iudicaret, & institutæ disciplinæ accommodatũ. Ea maxime recusabat Carolus, quæ contra sacra decreta peterentur. timebat enim in administratione sua, vniuersa vehementer, indulgentiæ genus eiusmodi: ægreque admodum cõmittebat; vt quempiam lege aliqua solueret aliquando: cum ex diuturna experientia documentum caperet; si quid ex modica parte, vel specie sola relaxatum esset; quàm facile tempore procedente, plena consequeretur dissolutio. quemadmodum aggeris sublata particula, sensim ea via facile tota vis erumpit fluminis. Ea re fiebat, vt interdum nonnullis videretur canonum sacra vincula constricta nimis habere. Sed ipse nullius gratiæ, potentięve addictus; & momenta rerum ab eo quod in posterum euenire facile posset; & ad diuinam voluntatem diligenter perpendens, præscriptis suis religiosissime sibi hærendum statuebat. nam & simili constantia in iis tenendis legibus vtebatur, quas semel sibi priuatim constituisset. longum esset enarrare, quanto illi vsui fuerit in proposito tenendo, decretisque tuendis accurata stabilitas. At in denegando, cum permagni intersit, qualem se quisque præbeat; multosque non tam recusatio ipsa perturbet, quam insuauis recusandi ratio: tam scite Carolus id facere, atque amabiliter solebat; vt non voluntatem, sed iustam caussam, rationemve impedimento esse petentes agnoscerent. Roganti primariæ matronæ, in principio suæ administrationis, nondum constricta recentibus decretis disciplina; vt filiam liceret in cœnobio visere grauiter ægrotantem; respondit Carolus, Breue tibi, inquit, hoc erit solatium; at tibi tanta nobilitate, atque auctoritate, si denegari patiaris; quod te vehementer rogo; mihi nunc claustrorum religiosas leges renouanti, magnum præsidium attuleris; vt tui exemplo proposito, cæteris me possim excusare. quibus verbis illa facilè,

placatéque repulsam tulit. Si quid à Principibus viris ipse petere rogatus esset; libenter, promptoque animo suscepit; modo gloriæ Dei, hominumve saluti in eo posset inseruire. De magistratu obtinendo non rogabat, nisi recte, iuteque peti cognosceret. plerumque testimonium tãtummodo dabat; hominem, quantum ipse nosset, aut à probis viris accepisset, sibi idoneum videri: cui, si magis idoneus non occurreret, mandari posset. Narrabat in ipsis amplitudinis suæ initiis, aliquid rogantibus, quod à Pontifice concedendum esse non putabat; ita respondisse tamen semper; vt verba speciem promissionis, vt fit, præ se ferrent: mox id minus ingenuum, dolique genus quoddam cum existimasset; eam consuetudinem tenuisse, vt si concedẽdum non arbitraretur, aperte proferret, sæpe etiam moneret, vt à proposito petentes declinarent; immo facturum se denunciaret; quominus Pontifex aliorum precibus in eo flecteretur. Ita factum esse, vt qui iusta quærerent, fidem promissis haberent; quod antea pauci faciebant: cæteri moniti ab incepta re desisterent. suum canonum tuendorum studium; libertatemque id recusandi, quod ab eis alienum videret; illustri declarauit exemplo, quod hoc loco subiicere operæ pretium existimamus. Sebastiano Lusitaniæ Rege absque filiis mortuo, creatus est Rex Henricus S. R. E. Cardinalis eius patruus; quem vehementer rogatum, regni optimates, Præsules, populique exorauerunt, vt vxorem vellet ducere: sperabant enim ex eo, quamuis ætate confecta, procreandum in imperio qui succederet. præter vniuersi regni solatium, pietati, religionique valde consentaneum esse; discordiis, bellis, calamitatibus occurrere, quæ Henrico mortuo, nullo regiæ domus relicto successore, propemodum necesse erat existere. Henricus, vt Episcopus, religione solui, vxorisque ducendæ facultatem à Gregorio Pontifice sibi concedi, postulat. eodem tempore Mediolanum ad Carolum dat literas: adductum se à Lusitanis suis, vt coniungio consentiret; quo tamquam vnico remedio tranquillitati prouinciæ posset consuli; graue admodum sibi esse, ducereque id cuiusdam loco sacrificii, in quo se ipsum pro suorum salute immolaret: sed publicæ quieti cedendum iudicasse. vehementer igitur rogare, vt quantum eniti posset, ad eam concessionem Pontificem perducere conaretur. idẽ viri principes alij maiorem in modum à Carolo postulant; negotiumque eius auctoritati commendant. Carolus amicissimi, optimique Regis postulationi, non quod is velle videretur, sed quæ sanctæ Ecclesiæ putaret conducere, respondet: Magni quidem interesse videri; quærere Lusitanis, qui ei sine controuersia legitime posset in regno succedere. sed tali Antistiti potestatem facere coniugii, rem omnium videri grauissimam; neque vllo vmquam tẽpore concessam. Personæ Deo dicatæ, in alio genere, factam quandoque dici potestatem nuptiarum: quod nullo tamen satis certi, probatique auctoris testimonio fere confirmaretur. omnino exoptatos eiusmodi nuptiarum, vel publicæ quietis, vel successionis euentus minime contigisse. maxima etiam inde publice, ac priuatim extitisse incommoda; vnde magnæ vtilitates expectarentur. probandam magis, atque imitandam quorundam Regum continentiam; qui matrimonio coniuncti, cum recte, ac legitime filios possent suscipere: nulla tamen hæredis successorisve habita ratione, singulari castimoniæ studio, tali matrimonii vsu abstinuerunt. quantò magis, qui cœlibem vitam professi, sine singulari quadam venia sese ad connubium referre non poterant. quæ dixerat, exẽplis allatis cõfirmauit. postremò in re tanta, tãque difficili, nihil se aliud probare posse dixit; quàm, vt quibus de causis ea facultas postulanda videretur, eæ caussæ summo Põtifici candidè, nulloque studio referrentur. quod is pre summa auctoritate, diuinoque afflatu iudicasset, æquo animo, voluntatéque acciperetur. De re grauiter ad Pontificem scripsit. quid sibi maxime probaretur indicauit. euentus qualis fuerit, ignorat nemo. Cum autem aliquid sibi petendum, aut persuadendum Carolus statuisset, id faciebat vi quadam singulari, non is quidem contenta voce, vel corporis motu, neque dicendi facultate, quæ modica erat; sed optimis argumentis, iisque ita explicatis, vt ratione tantum, veritatéque; non studio, vel desiderio suo, nedum pertur-

batione duci satis intelligeretur. neque vero ad responsiones hæsitabat, aut respondentis asperitate, vel importunitate commouebatur: sed tum acute, tum sedate semper replicabat: vt plurimi prædicarent, inuictum ab illo abire posse neminem, quem vincere is statuisset persuadendo, sicuti contra, à nemine illum vinci, flective posse, cum ita rectum esse, animo statuisset.

Monendi officium vt erga alios adhibuerit, ac in se tulerit. Caput 20.

Monendi officium, quod amici, christianique in primis animi est, nescioque vtrum magis, vtile, vel neglectum, in quo publice opus esse cognouit, aut priuatim, minime prætermisit. Episcopis, Cardinalibus, principibus viris, suis ipsis aduersariis, in eo genere non defuit. quod quidem, cum non minus amanter, quam libere faceret, non potuit ei non fæliciter, fructuoseque, si non statim, at aliquando tamen, euenire. Vir amplissimus quidam quandoque fertur eiusmodi officium acerbe admodum tulisse, qui diu post gratias egit, magnumque inde fructum percepisse, Carolo ipsi modestissime testatus est. At se quoque mira modestia ipse passus est ab aliis moneri, cum opus fuit: submisseque vel suarum actionum rationem reddidit, vel fecit quod monebatur. neque solum erga viros ętate, atque auctoritate graues ita se gessit: sed alios quoque monere ausos sic prorsus audiuit, vt par omnino erat, si eos ille monuisset. Fuere tamen, quibus videretur Carolus in modo publicæ, priuatæque disciplinæ tenendo, non satis alienas quandoque curasse monitiones, qua de re commemoratum est supra. Verum, si quando non obtemperauit, monitionem nullo modo videtur contempsisse, sed ita rectius, Deoque gratius, iudicasse. enimuero omnium sequi consilia, etiam si boni, prudentesque videantur, solidæ, præstantisque virtutis non est. aliis alia proposita sunt. quidam animi infirmitate male iudicant: multi mediocritate quadam contenti, vitæ, morumque communem quendam modum minime transire student. pauci ad perfectæ virtutis præstantiam incitati feruntur. horum omnium sensus, animusque, infirma fere necesse est vulgariaque consilia pariat. At præcipuis quibusdam diuini spiritus donis, viri excellentes affecti, propriisque diuinitus illustrati luminibus: quorum vita perpetuo quodam choro virtutum, ita sibi constat, vt cum alia recte procedant, alia non claudicent, ii, inquam, neque communibus consiliorum terminis sese continent, neque consuetis virtutum gradibus consistunt: sed longius multò progrediuntur, atque euolant altius. quotus enim quisque est ex summis, diuinisque viris, quos colit Ecclesia Dei, cuius vita communibus præceptis contineatur, qui quidem singulari quodam diuini amoris ardore inflammati, ad maiora semper ita rapiebantur, vt in cursu charitatis infinito modum sibi satis definire non possent: ad eamque demum excellentiam peruenirent, quæ cæteris eos mortalibus proposuit, vt perfectissimo exemplo ante oculos posito, neque illud desperent, quod alii diuina ope sunt assecuti, & quò maiori studio summa sequuntur, eò magis sese remoueant ab infimis. Non id mihi arrogo, vt inter sanctos eiusmodi viros Carolum esse reponendum ego pronunciem. id viderint alii. sed quibus præcipuum illud lumen, vimque largitur Deus, iis eundem arbitror præcipuum quoque largiri munus, quo, neque alienum consilium, monitionemve contemnant, & cursum ab omni errore suum, constanti quodam, & certo conscientiæ lumine confirmati, tueantur.

Vt eos qui adirent acceperit, alienaque vitia tolerauerit. Caput 21.

Mansuetudine, atque humanitate vtebatur in omnes qui adirent, sed insigniter in eos, quos christianis esse moribus, religiosisque deditos operibus nouerat, libentissimeque si pauperes essent: cum alioqui grauitatem personæ semper cum primariis, principibusque viris, dignitatemque egregie, tueretur. nunc humilem aliquem christianorum elementorum magistrum summa humanitate, ac propemodum abiectione accipiebat: paulo post cum amplissimo magistratu agens, nihil de summa sui gradus auctoritate remittebat. at enim minuta officiorum, quæ in quotidiana consuetudine versantur, momenta, pro cuiusque loco, atque ordine cognita habebat exquisite, noueratque omnes honoris tribuendi, benigneque accipiendi vias: vt cum dignitatis suæ locum teneret, tum nihil etiam prętermitteret in quemquam officii, vel humanitatis. itaque tum passim prædicabatur officiosissimus, & liberalis, tum mirabantur multi tanta

sanctitatis Antistitem, tamque cœlestium contemplationi deditum, quotidianis officiis, cum opus esset, sese tam intentum præstare. Morosos, ineptos, immodestos, aut etiam insolentes homines, si qui adirent, æquo animo ita ferebat, vt neque increparet, neque abire iuberet, neque omnino quidquam faceret, vnde perturbatus videretur. quod iustum esset, tantum respondebat, aut vero etiam modeste monebat. eundem se præbebat in omnes alios, quibuscum res illi esset, difficiles licet, iniustos, imperitos. quamlibet enim iustam offensionis, indignationisve caussam, vt vno verbo dicam, eius virtus superabat. Quosdam in consultationibus, importune rectis institutis, decretisque contradicentes, & difficile acquiescentes, æquo animo semper argumentis refellebat, omnem iracundiæ, atque obiurgationis impetum comprimebat, omnes ineptias, imperitias, peruersitates deuorabat: & ea patientia, demum quod volebat facilius consequebatur. huius rei frequentissima potuerunt ab iis exempla obseruari, qui illi astiterunt. Hominem in ecclesia maiore festis diebus concionantem diu sane tulit, qui se præsentem, nominatimque sæpe reprehendebat. neque solum permisit, vt concionari pergeret, sed ipse quoque frequens erat eius adiutor: cumque alios audiens dormitare videretur, ei se præbebat attentissimum, neque vel inter suos accusabat vmquam. demum, cum ita expedire cæterorum caussa iudicaret, eum missum fieri placide curauit. Neque vero non inter domesticos etiam suos, siue operæ caussa, quæ vsui ecclesiæ esset, siue ad exercendam patientiam, similem aliquem tolerauit. mitto incuriam, & indiligentiam, quotidiana domesticorum errata, quæ licet leuia sint, ob frequentiam tamen, & quoddam rerum familiarium commune fastidium, æquo animo tolerata, præcipuæ cuiusdam virtutis præbent indicium: ad quæ sese Carolus animo sedatum, pacificumque præbuit semper. Euenit interdum vt ad ipsa sacra obeunda Carolo parato, negligentia ministrorum aliquid deesset, quod ille insigni temporis spatio, in ipso loco sacro, tam quiete, tamque sine vllo motu expectauit, vt tamquam exemplar patientiæ astantes omnes eum intuerentur. Sed vnum ex familiaribus in primis pertulit plane molestũ, odiosum, impotentem, qui nemini parceret, quotiescumque iracundia, vel perturbatione aliqua efferuesceret: qui vel in ipsum Carolum maledictis nesciret abstinere, eidem sæpe insigni contumacia contradiceret, atque resisteret. quo quidem vel vnius hominis vitio, singularis Caroli patientia mirifice apud omnes illustrata est, diuturnæque fuit multis tum admirationi, tum documento. At excusabat etiã Carolus, vitioque naturæ insito, magis quàm voluntati tribuebat: omnia verò morum grauitate sustentatus, sine aliqua dignitatis immutatione patiebatur.

Aduersarios, & obtrectatores vt tulerit. Caput 22.

Plurimos Carolus aduersarios expertus, neque illos tamen suorum studiorum, sanctitatisque imitatores, tantum abest, vt accusandi vmquam, detrahendive studium præ se tulerit, vt si quid vere dici ad eorum excusationem posset, id libenter enunciaret. cumque interdum eos in se acriores experiretur, quos antea maioribus ornauerat beneficiis, quos equidem plures possem numerare, neque accusabat, neque beneficiorum mentionem vllo tempore faciebat, siue maledicto, impugnatione, atque adeo telo ipse peteretur, siue ministri violarentur, siue iudicia ecclesiastica disturbarentur. licet aduersarios perturbate agere, omniaque in peiorem partem trahere videret: nihil, quod perspici posset, indignatione, vel odio mouebatur, modestiæ, grauitatisque suæ locum tenebat, tranquille rebus suis operam dabat: vt nescio quid homine maius in eo quandoque offerretur intuendum. misericordiam potius turbatis, agitatisque animis tribuere cognoscebatur. cumque sacris precibus semper studeret eis benefacere, manifesta quoque opera, si locus daretur, libenter eorum saluti, commodisque consulebat: vsque eo ab omni vlciscendi desiderio aberat. exempla suppeditant narrata superius: ibique latius apparet, quam patienter ac beneuole repetitis officiis, eos placare semper, sanareve studuerit, qui sibi acriter, & inique aduersabantur: quantis incommodis suis eorundem viuorum, mortuorumque salutem curauerit: quid pro iis ipsis liberandis fecerit, qui in eius vitam con-

instrauerant. Sanctissima mansuetudinis exempla in eius elucent scriptis, quibus de aduersariis loquens, eisve respondens, cum ipse non obscure pertinax, imprudens, superbus, dæmonis etiam arte illusus, furenter ab eis appellaretur, illius imitatione cui se totum addixerat, quæ tantum oporteret, ad caussæ veritatem demonstrandam, resque sacras tuendas, mirifica patientia, modestiaque proferebat. Dum multa publicis dissidiis agitarentur, venit ex familiaribus quidam, scriptumque affert loco publico detractum, in quo multa in Carolum erant maledicta: quod vix aspectum Carolus, nullo facto verbo, reiecit vt combureretur. Amicus quidam Roma veniens, Carolo nonnulla narrabat: inter alia, nuper ibi actum de longinqua, grauissimaque legatione ipsi danda: hominem vero magnæ auctoritatis maximis olim beneficiis à Carolo auctum, & ornatum obstitisse, & eum vt balbutientem improbasse. tum Carolus placide statim, vere, inquit, locutus est: vt amicus admirans obmutesceret. Eandem moderationem multò facilius in eos seruauit, quibus in eius caussis aliqua potestas erat, quidquid ii statuissent contra quàm vellet, expedire vt iudicaret ecclesiæ suæ. grauiter sæpe dolebant eius minime stulti procuratores, multa querebantur. ipse vero non solum non incendebatur, sed suorum agendi modum potius temperabat. Nunc ad ecclesiæ administrationem propius est accedendum.

Ecclesiæ suæ coram custodiendæ, ac iuuandarum animarum cura. Caput 23.

Singulare quoddam diuini cultus, & humanæ salutis studium Carolus insitum sibi semper ostendit, ex quo de medio prosperitatis humanæ cursu, ad meliorem statum diuino munere reuocatus est. cumque Tridentini concilii decreto, ne Cardinales quidem excusari vidisset, quin residerent in ecclesiis suis, ideoque in sede sua Mediolanensi perpetuo sibi manendum constituisset: quotidie magis ad commissi gregis commoda, salutaresque progressiones affectus, & incensus, in eo custodiendo, atque omnibus rebus iuuando, mirificam adhibuit attentionem, vigilantiam, ac laborem. Qua in re naturali facultate quadam non mediocriter eum iuuari concessit Deus: vt quibus in rebus sibi elaborandum constituisset, iis se rebus penitus, totumque daret. Ita certe se totum ad ecclesiæ suæ curam retulit, ita ei sese mancipauit, vt eius gratia, & commodo, amplissima donauerit, propter eam administrationibus se omnibus exoluerit, ipsum præclarissimum Cardinalatus gradum, si ita oporteret, ob eandem caussam dimittere, quod temere non dico, paratus fuerit, in ea denique cura omnia studia, omnes animi, corporisque vires posuerit, & consumpserit, vsque ad mortem. Cumque videret quantum ex præsenti Pastoris ipsius custodia grex ad vberes Domino fructus ferendos, iuuaretur, præsentiam ipsam, residendique in suis ecclesiis continuum studium summopere semper extulit, ac Episcopis omnibus, toto animo persuadere conatus est. qua commendatione, ac cohortatione profecit in multis: qui eius sententiam secuti, vel sese ad ecclesias suas retulerunt, vtilitateque perspecta, gratias egerunt: vel, si residere nollent, munere ipso se abdicarunt. quibus Carolus ex animo gratulari solebat, quod absentiam à grege suam adeo non tulissent, vt pastorale munus potius sibi renunciandum existimarent. at Pontificia quoque auctoritate iuberi, quos opus esse viderat, in primisque suæ prouinciæ Episcopos curauit, vt ecclesias suas præsentes administraret. Cardinalem cum esset cohortatus, vt in ecclesia sua resideret, ille vero sese excusasset, quod non magnam ecclesiam habens, eam potius deberet aliena opera, custodiaque administrare, respondit, ne dum multa millia, vel animam solam amplissimi cuiusuis Antistitis præsenti custodia dignam. Cum Subalpinæ regionis ecclesias visitandas audiisset sibi destinari, omni ratione onus à se auertit, ecclesiæ suæ necessitates excusans. at non eodem modo, de prouinciæ Mediolanensis ecclesiis, quæ ob coniunctam metropolis administrationem, iusque metropoliticum in eas, ad eius curam aliquo modo pertinebant. In Helueticos sibi, Rhætosque eundum, ac tantopere de eorum salute, vt narratum est, ideo sibi laborandum putauit, ne mala eorum propinqua possent ad ecclesiam suam peruenire. De cætero absentiam ab ecclesia sua diligenter vitauit. ne ipsæ quidem de iurisdictione ecclesiastica controuersiæ, poterant cum à grege suo

paulum auellere. Quando autem, vel creandi Pontificis caussa, vel ad Apostolica limina visenda, Romam proficiscebatur, quam citissime posset, redire maturabat: nisi, quod semel, atque iterum euenit, iussu Pontificis menses aliquot moraretur, ad aliquid instituendum, quod toti prodesset Ecclesiæ. Quod nisi ita sensisset, fecissetque, tanto profecto, neque in publicis ecclesiæ gubernandæ rationibus, neque in priuata sanctitatis disciplina, consequi potuisset. dicebat enim ad vtramque rem valdè se incitari, cum eo se loco esse vnum sentiebat, quò spectarent reliqui omnes, & vnde virtutis exemplum sibi quisque petere deberet. commouerique vehementer, quòd suis quotidie oculis aspiceret filiorum necessitates, tum vero animum eorum, ac voluntatem tantum in via salutari progredi paratam, quantum patris amore studioque iuuaretur. Animarum charitate sic flagrabat, vt dignitatis suæ quodammodo oblitus, eorum presbyterorum conditionẽ quandoque toto corde videretur expetere, qui agrestibus, asperisque locis parochias habentes, inopem, laboriosamque vitam in curatione animarum agebant. ibi demum charitatem ostendi posse, cui nihil humani desiderii, commodive esset admistum. Hanc suorum oblatorum præcipuam esse virtutem cupiens, docebat eos frequenter, quàm vehementer eam quæri, colique ab iis conueniret, qui se Dei ministros profiterentur. Memoria teneo, cum in ædibus esset, quæ Canonicæ nomine appellantur, quotidie certa hora multos eius collegii clericos, qui nomen in Oblatorum societatem dederant, aduocasse, sententias ex Euangelio selectas, quæ ad eam rem maxime valerent, tradidisse, ac diligenter explicasse: de quibus altero die, cum interim eas meditati essent, singillatim interrogabat, quid sensissent. quam quidem exercitationem miro studio, ac etiam abiectione obiuit complures dies. quod cum aliquando faceret, præcipuo quodam affectus ardore, ad nos conuersus, Quàm libenter, inquit, nisi hoc essem loco, eam amplecterer conditionem, vt bono Episcopo deditus, nulloque stipendio, certove hospitio nixus, huc illuc animarum caussa mitterer, nulla cuiusuis incommodi, vel laboris habita ratione. Eorum ille quidem res minime cognoscere studebat, qui suæ curæ non essent: neque operæ aliquid suis subtrahendum putabat, vt aliis tribueret: cumque aliquando quispiam suaderet, vt pro Cardinalatus officio, eam personam suscipere vellet, quæ ad vniuersam spectaret Ecclesiam, vt quid vbique opus esset ad pietatem recte colendam, & nosset, & prouideri curaret: ei rei se assentire non posse dicebat, propterea quòd ante omnia sibi ecclesiam suam curandam ex sacris legibus agnosceret, cui ne totis quidem viribus suis, totoque vitæ curriculo posset satisfacere. Sed quia tamen multa nunciabantur, multi ad eum confugiebant, & omnino de rebus externis multa cognoscere erat, officiis, admonitione, consilio, etiam longinquis sæpe subuenit. De ecclesiis, prouinciisque subleuandis, aut componendis, de legatis mittendis, visitationeque mandanda, ad Pontificem sæpe retulit. maxime vero frequenti supplicationum publicarum exercitatione, res Ecclesiæ totius Deo curabat commendari. De regularium quoque disciplina monebat quos oportet. omni officio, studioque regulares ordines, iuuabat. Sed ita tamen, vt in ecclesia sua administranda interim desuadere desisteret.

In concionibus habendis studium. Caput 14.

Concionandi munus, quod præcipuum Episcopi esset Tridentinæ synodi constitutione iudicatum viderat, studiose in primis suscepit. ac primò Romæ, vt est demonstratum, remotioribus locis sese in eo exercuit. Mediolani deinde sedens ad altare, neque admodum frequenter, verba fecit. donec calamitosissimo pestis tempore in suggestum ascendere, frequentiusque ad populum necessitate pene coactus, cœpit concionari. Institutum semper deinceps tenuit: & quod initio difficillimum experiebatur, vsu paulatim facile admodum sibi reddidit. Cum in priuatis sermonibus ex præcipiti quadam pronunciatione, verba frequenter minus expressa proferret: mirum in modum id vitii publice dicens temperauit. at aliud item erat impedimentum quodammodo contrarium, quòd ægre verba inueniebat, quibus animi sui conceptiones explicaret: idque ea fere de caussa, quia verborum momenta singulari quodam iudicio ponderabat,

non solum, vt quod volebat proprie significarent, quod quidē magis commune est, sed etiam vt decorum quoddam haberent homine sacro, & Antistite dignum, de quo non in locutione solum, sed in aliis omnibus limatius ipse, quam alii plerique, solebat iudicare. exiguitas quoque temporis ad legendum, meditandumque dati, erat impedimento. neque enim poterat ab occupationibus tot, tantisque districtus, maius, quàm antecedentis fere noctis spatium ad id sibi sumere. In hisce difficultatibus & naturæ, & muneris, sibi tamen committendum minime existimauit, vt tam graues partes suas relinqueret: quod sacri nonnulli homines interdum suaserunt. At vero cum ad se concionem tantum pertinere iudicaret, quantum & Tridentina constitutio, & ratio, diuinaque confirmaret auctoritas: habilitas etiam tanta erat, tantum personæ grauitas, & in vultu, motuque omni sanctitas, paternusque animus elucens, efficiebat, tantum res ab eo sanctissime ac prudentissime dictæ valebant, vt ad eum, licet crebro concionantem magna concurreret multitudo, quæ dicentem attentissime audiret. non multi quidem nobiles, sed ii, quorum debebat salus esse charissima. In eo genere, sicuti alias semper, facultati suæ minus etiam tribuens, quàm ipsa res pateretur, eam sibi in dicendo tenuitatem vsui esse contra elationem animi, nimiumque erga se ipsum amorem, & propterea gratam dicebat: quoniamque fructum eorum, quantuluscumque esset, nolebat deperdi. qui curioso doctrinæ, ornatæve orationis studio, conciones cura, & vigiliis elaboratas quærunt: concionatores eorum item caussa curabat in eo genere excellentes haberi. Ipse aliis cōtentus, satis interim suo muneri, pioque plurimorum desiderio faciebat, & salutari multitudinis fructu potiebatur. At enim diuino quodam spiritu, præter morem, interdum etiam præter meditata, sic ferebatur, vt omnes commoueret vehementer. Ad ecclesiasticos autem homines verba faciēs, cum ipse cœlesti quodam ardore inflammaretur, diuinas etiam quasdas dicendi faces animis auditorum videbatur admouere: dum grauissima presbyterorum, altissimaque munera commemorans, ex altera parte, quàm lente, quàm oscitanter, quam fœdè nonnunquam, ab iis administrarentur, diuinitus ostēdebat. de me ipso affirmo: cum ad eum audiendum, aliàs sæpius, in synodo esse pro modestia sua iussisset, si quid in rebus, voce, gestu, obseruarem, de quo moneri illum oporteret: occulta quadam verborum illius vi, mentem meam subitò ab ea obseruandi attentione abductam, ad diuinas sententias, quas loquebatur, ita conuersam, atque adeo raptam fuisse, vt quam ob caussam eò vocatus essem, oblitus, toto animo in eius oratione defixus tenerer: tum, quasi aliquid rebus humanis maius viderer aspicere, atque audire, mecum, quotquot vbique sacri diuinarum rerum administri essent, ibi adesse optarem: demumque ad satis longæ concionis exitum nimis celeriter me adductum, cum dolore sentirem. Commemoratus antea in toto clero synodi tempore animorum motus, satis idem confirmat. Porro res ipsæ, materiesque concionis, iudicii semper, & ingenii, in primis vero pietatis cuiusdam exquisitæ lumen præferebant: eadem materies plerūque diuinarum litterarum locis nitebatur: iis enim libris perlegendis, & meditandis fere consumebat, quidquid ad eam rem dabatur otii. Prophetis maximè studebat: qui loci aptissimi essent ad huius temporis vsum, eos habebat in promptu, tractabatque accurate. ad eam rem, tum ad vniuersa, quæ inciderent concionando, Ludouici Granatensis scriptis vtebatur plurimum: cuius hominis alioqui penitus ignoti, religionem, iudicium, doctrinamque multis libris declaratam, adeo amauit, & obseruauit, vt familiariter, amicissimeque per litteras salutaret. neque ipse solum, quàm eius labores sibi grati essent, sæpius significauit, sed vt Pontifex Gregorius litteris suis idem publice testaretur, effecit. immo curasse scimus, vt in Cardinalium collegium ille cooptaretur. optimus vero senex eum contra ob singularem virtutem, religionemque colebat obseruantia singulari, mirumque in modum eius eximiis virtutibus, rebusque gestis lætabatur: de quibus vt scriberemus, sæpius vrgendo nos appellauit, & ad rem perficiendam suis precibus, viuens, & vt spero post mortem, amanter iuuit.

Postremo vero Carolus amplam sibi ipse locorum, sententiarumque siluam comparabat; ex diuinis scriptis in primis, sed ex aliis quoque sacris libris: tum ex probatis etiam sanctorum virorum historiis; salutarium copiam exemplorum: quibus omnibus distincte, ordineque sepositis, ad diuersas conciones vti posset, quotiescumque vsu veniret, cum præsertim propter occupationes, spatium minime daretur singillatim conquirendi. Varia genera mente comprehendebat, de quibus sibi essent verba ad populum facienda. tum diuinos libros attente legẽs, quod in quoque genus conueniebat, illud notabat diligenter, ac distincte describi iubebat. ad varios vsus siluam conformabat suam: sed elaborauerat in primis in iis colligendis, quæ ad sacrorum hominum cuiusuis ordinis officia pertinerent: plenamque eorum, densamque syluam effecerat. eam rectius dirigendam, colendam, atque dilatandam post eius mortem. à Ioanne Francisco Episcopo Vercellensi susceperat Franciscus Adornus, qui quidem singularem, reconditamque doctrinam, cum exquisito christianæ disciplinæ, religionisque studio coniunctam, ad opus efficiendum afferre poterat. Sed Carolum, vt præsenserat, non multò post secutus est. præsensit Franciscus obitum suum hoc modo, quemadmodum, vel de suggestu ipse publice testatus est. narrabat Caroli effigiem pulcherrimam ei per quietem obiectam. admiranti, percunctantique, quid sibi vellet tanta pulchritudo, illum respondisse, Bene mecum agitur, tu quoque breui accerseris. verum ille visum credidit: neque ita multò post expectatam Genuæ mortem obiit in patria sua, magni consilii, magnæque virtutis sacerdos, dignusque cui ad maximas res pro Ecclesia Dei gerendas, ingens aperiretur campus. has demum, aliasque lucubrationes idem Episcopus Vercellensis sibi legatas, optimis Cardinalibus reliquit, Augustino Valerio, & Federico Borromeio, quibus opus nemo curare melius posset, ac diligentius. Concionandi munus in Episcopo, atque adeo in presbyteris omnibus magni Carolus faciebat, indignum iudicans, quorum illud proprium, præcipuumque esset, ab iis negligi, aliis vero, hoc est regularibus totum relinqui, qui tantum missi essent subsidii loco. ac quamuis propter occupationes ecclesiæ administrandæ, illi æque instructi ad dicendum venire non possent, cum regulares viri in ea re vna omnem ætatem sæpe consumant, paterna monita, pastoralemque vocem non esse tamen suis subtrahendum prædicabat, quæ plus sæpe multò ad docendum, cohortandumque valeret, quàm dicendi facultas, & industria. itaque vrgebat parochos, vt non solum festis diebus, ex Tridentino decreto verba facerent ad populũ suum, sed ter etiam singula hebdomada, dum Quadragesima erat. idoneos ad id viros, quantum poterat in parochiis collocabat. quos educabat clericos, in eo genere exerceri iubebat à pueris. alios quosque, qui habiles viderentur, ad id incitabat. ex conciliis, sacrisque libris aliis, ac rhetoricis quoque, multa colligi iussit, libellumque edi, quo ad sacræ prædicationis munus rite, decore, fructuoseque obeundum, vitiaque multa fugienda, concionator monetur. ob eandem caussam Valerii, Granatensisque de arte rhetorica libros ad ecclesiasticam rationem formatos, à suis adhiberi iussit: & eiusdem Granatensis conciones Mediolanensibus typis imprimi, vt eas vnusquisque parochus in primis, tum alii quoque facilius sibi compararent. nam in eis auctor, ad omnia concionum genera studiose locos suppeditauit. Episcopos etiam, quotiescumque se occasio offerret, hortari non desistebat: & cum ad eum Mediolanum venirent, contendebat maxime, vt sanctis cohortationibus de suggestu populum ad studia pietatis excitarent. ac rarò quidem, nisi manifesta essent naturæ, doctrinæue impedimenta, quamuis sæpe resisterent, & pene moleste ferrent, dabatur facultas elabendi. quod quidem minime consequi potuisset, si, vt quidam suadebant, desiisset ipse, ne si quidem minus ipse fuisset in eo genere frequens. Itaque festis diebus semper concionabatur, interdum non mane solum, sed etiam vesperi. in Quadragesima vero, partitis æqualiter cum alio concionatore diebus, nisi, quod infrequentiores fere sibi ipse reseruabat. In omni quoque Pontificio munere obeundo: nam siue homines initiandi essent, siue dedicanda ecclesia,

vel altare, siue ænea vasa ad populum conuocandum consecranda, velanda virgo, eiusue sacra professio recipienda, sacramentum aliquod administrandum, publicæ supplicationes habendæ, ecclesia recognoscenda: concionem addebat semper, idque ad mysteria, quæ tractaret declaranda, ad populum pro eo quod in præsentia opus erat, commouendum, omnino ad fructum astantium salutarem. Cum ad côcionandi munus duo sibi necessaria iudicaret preces, & lectionem: si forte, quod sæpius euenit, angustia temporis, & ad precandum, & ad libros euoluendos spatium non daretur, precationem præferebat lectioni. meminique, cum ad collegium virginum verba faceret, eum opportune narrasse, sibi eo die valde occupato in dubiû venisse, vtra re paululum quod erat temporis, consumeret, legendo, an orando, & eam voluntatem, vt dæmonis dolum repudiasse, quæ ad libros potius incitabat. Quoniam vero Pastoris vox ad omnia loca peruenire non potest, vt eius tamen monita quamplurimi non solum in vrbe, sed etiam in agro facilius acciperent, litteris vsus est, quas pastorales appellant: quæ quidem, exemplis typorum arte multiplicatis, per ecclesias promulgarentur, & per loca omnia disseminarentur. his vtebatur cum grauis inciderat causa, quamobrem populi monendi, docendive essent, quod ad communem salutem pertineret.

In catholica fide tuêda, & Apostolica Sede colenda. Caput 25.

Quæ ad catholicam fidem tuendam pertinerent, summo studio curauit semper. decreta ipsa in hoc genere sancita per se loquuntur, gestaque per eum, in Rhætis, Heluetiisque tum alibi quoque, sicuti narrauimus, demonstrant. sed caussarum, quæ ad fidem pertinentes, vel Mediolani essent, vel Romana auctoritate illi mandarentur, accuratissima tractatio itidem declarauit. libris importandis, edendisue, ne quid periculi fidei, vel moribus afferretur, religiosi, doctique hominis assidua cura prouidebat. Consultationibus earundem caussarum ipse intererat: diligenter Romam, quæcumque in eo genere opus essent, sua plerumque manu perscribebat. Præterea in vrbe Mediolano, tamquam in sublimi quadam specula collocatus, totam hâc Italiæ regionem Alpibus viciniorem singulari vigilantia custodiebat. locus vero est ob proxima pluribus ex partibus pericula, satis opportunus: nam & Romani Imperatores hanc vrbem quasi Italiæ propugnaculum, contra nationes transalpinas quandoque habuerunt. Ad Subalpinæ regionis custodiam, quantum eius consilia, atque actiones valuerint, huius loci, vel temporis non est explicare. Si quid vbique toto hoc tractu oriretur huius generis incommodi, prouidebat, Romam nunciabat. nam pii, & religiosi viri ex omni parte ad eum potissimum, quæcumque acciderent, tamquam ad rerum diuinarum, salutariumque vigilantissimum custodem, procuratorem que diligentissimum omnia deferebant. Cum militum Germanorum cohortes nonnullæ, donec alio vocarentur, essent in diœcesi collocatæ: multorum impietatem ex publicis factis quibusdam odoratus, eò venit ipse, licentiam repressit, Gubernatorem monuit, litteras ad Philippum Regem dedit, malum auersum est. Apostolicam Romanam Sedem summo semper honore veneratus, eius dignitatê, auctoritatemque religiosissime tueri studuit, & propagare. Apostolicis mâdatis suscipiendis, promulgandis, exequendis, nihil apud se vmquam ad honorem, atque reuerentiam summæ sedi debitam deesse voluit. neque si opus fuit, fortitudinem suam passus est in hoc genere desiderari. ac litteras quidem Apostolicas cum acciperet, aperto prius capite, venerans obsculabatur. Quidquid in priuatis, publicisque rebus non satis certum incidebat, considerandum, iudicandumque Romam deferebat semper. Quæ illi, vt tali ecclesiæ Antistiti veniebant in mentem, quæ ad meliorem rerum statum Romæ fieri oportere putaret, ea modestissime suppeditabat. pii homines plurimi, si quid rectius publice faciendum existimarent, ad eum referebant: quorum si quis immoderato feruore commotus, paulùm modestiæ fines transiret, grauiter reprehendebat: neque enim æquum iudicabat, vt vel ipso nimio pietatis ardore debita Principibus Ecclesiæ reuerentia pelleretur.

In ritibus, & cæremoniis obseruandis. Caput 26.

Ritus, & cæremonias ecclesiasticas exquisite cognoscere, seruareque studuit: quo de genere certum sacerdotum numerum delegit, qui consul-

tarent, cum dubitationis aliquid afferretur. nec vero grauabatur contationi præesse, diligenterque de iis quoque diu disquirere, quæ leuia sæpe vulgo putantur. nihil enim ad diuinum cultum pertinens, non dignum arbitrabatur, in quo curam, diligentiamque collocaret suam. Cœremoniarum magistrum, honestis tributis stipendiis in ecclesiam maiore constituit. Romæ, quod antea tetigimus, idem studium iuuit, consultationemque Cardinalium ad id constitui curauit: quos ipse in primis consulere solebat frequentissime. Huiusmodi cognitione curabat clericos omnes, eos præsertim, qui in seminario alebantur diligenter institui. ac ea quidem peritia solebat in ecclesiis Mediolanensibus, præsertim in ecclesiæ maioris sacris officiis, magno fructu pietatis, elucere. In ipsis laicis non vulgaris sæpe cognoscebatur huius generis obseruatio. Cum Episcopus aduena post Caroli mortem, Missæ solemnia celebriter agens, mitram ab altari ad thronum rediens deposuisset, Gubernatoris salutandi gratia, qui erat extra cancellos, mulier erratum notans, ne vultus quidem significatione, mitratum Carolum dixit, quemquam extra cancellos salutasse. Quoties minus vsitatum aliquid agendum esset in ecclesia, tunc in primis consulebat, quæ ipsi in eo genere agenda, vel cauenda essent: ad ea libris allatis, ritu omni considerato, experientia adhibita, sese diligenter parabat. Ita plene, perfecteque curabat instituta sacra omnia exequi, vt eo ipso die, quo ex hac vita abiit, tantulo allato cibo, preces ad eam rem clericis præscriptas, ante, & post integras obiret: quibus psalmum quinquagesimum ex Ambrosiano ritu inserere semper solebat. cum iussisset ob magnam in eo genere plurimorum ignorationem, omnes ante sacram confessionem, symbolum Apostolorum, Decalogumque cum Dominica oratione, salutationeque Angelica recitare, ipse quò cæteri facilius facerent: eadem prius quotidianæ suæ cœpit præponere confessioni.

Ambrosiani ritus, & reliquiarũ cõseruatio. Caput 27.

Ecclesiæ suæ proprios ritus studiose conseruauit, ea præcipua, vt dicebat, ratione: quòd non Mediolanenses solum, sed auctoritate, atque approbatione Romani essent, & Apostolici. Cum ad corrigenda librorum ecclesiasticorum menda, quæ superiorum temporum vitio irrepserant, aggrederetur, quæ quidem fuit eius non postrema cura, fuere qui suaderent, vt eo labore omisso, Romanos potius eligeret, & in ecclesiam suam induceret. quod ille sibi in tantæ antiquitatis, auctoritatisque institutis, neque ex toto, neque ex parte faciendum, neque aptam eiusmodi Ecclesiæ varietatem, quam sancti Patres probassent, sibi tollendam constituit. nam proposuerunt etiam quidam, vt quia primam Quadragesimæ Dominicam restituerat, quatuor quoque alios dies ex communi consuetudine curaret addi; ille vero ritus ecclesiæ suæ restituẽdos, non autem mutandos affirmabat. Quidam prouinciæ Gubernator à Pontifice summo postulauerat, vt ei liceret, vbicumque Missæ interesse vellet, Romani ritus sacrum adhibere, quod Carolus cum audiisset, Pontifici persuasit, vt negaret. Ita sentiebat, quoniam ritus ecclesiæ Mediolanensis iam inde ab antiquis temporibus consensu Apostolico probaretur, expedire quoque, eos quantum fieri posset, integre seruari, neque diuersa ratione confundi. quotiescumque autem sibi aliquid in hoc genere defendendum esset, accurate admodum, litterisque sua manu scriptis, id faciebat. Breuiarium emendatum edidit. Missale cum esset in manibus, mors intercessit. sed tamen omnem ante rationem libello ediderat, qua clericus inseruiret Missæ. Sacramentale, sic enim appellant, descriptum quidem, sed nondum à se plene recognitum cum reliquisset, nuper editum est. in quo præter ritus ecclesiæ Ambrosianæ proprios, quam plurima ex decretis conciliorum, & ex diuturno vsu, describi iussit, ad sacramenta pie, decenterque quocunque ritu administranda. In Rogationibus triduanis, quas sancte admodum inter alias ecclesias, Mediolanensis retinuit, cum nonnulla corrupte introducta correxisset, librum quoque diuinarum precationum, quæ per varias ecclesias, certo ordine diebus iis habentur, instaurauit. Præter festum Protasii, Geruasiique sanctissimorum martyrum, patronorumque diem, vt tetigimus, restitutum, vt tota quoque

prouincia S. Ambrosii dies, qui est VII. id. Dec. festus ageretur: immo eiusdem memoria, quotidiana commemoratione, statis horis publice coleretur, prouinciali decreto curauit. quod idem diei sancti Barnabæ Apostoli tribuit, vt ecclesiæ Mediolanensis fundatoris. Quemadmodum sanctorum reliquias religiosissime coluit: ita quas habet ecclesia Mediolanensis plurimas, tum coli sanctius, tum conseruari, ac augeri diligentius curauit: id quod ab eo celebratæ translationes, & quam in iis recondendis adhibuit, adhiberique decretis prouincialibus constituit, exquisita diligentia, satis demonstrat. harum cognitioni, curationique certum sacerdotem præesse iussit. At illud etiam decreto ea de re sancito curauit, vt nemo priuatim eas haberet, sed in sacris locis omnes relinquerentur. Cum autem prouidere vellet, ne illæ ab ecclesia sua vmquam auferrentur, neque prouincia Mediolanensis, quantum fieri posset, tali vmquam præsidio spoliaretur, præter id quod in concilio decreuit ipse, Pontificias etiam litteras obtinuit, quibus anathematis adiecta pœna, prohibetur, ne quis reliquias extra prouinciam ferat, ne ve quæ in ecclesia quauis locatæ sunt, ab ea possint auferri.

De rerum sacrarum cultu, sacrisque nõnullis institutis. Cap. 18.

De Sanctissimis Sacramentis, rebusque sacris omnibus, quæ constituerit, effeceritque, huius loci non est explicate narrare: alioqui decreta, præscripta, monita, quæ multis eo de genere conscriptis libris continentur, oporteret huc transferre. Verum sacramentorum administrationẽ ad animarum fructum, decentiamque sacram sancte conformauit. canonicarum precum ritum, ac dignitatem restituit. diuina munera, officiaque omnia rectius ordinauit. Pontificis celebritates, & munera imitatione veterum instaurauit. sacri chori disciplinam, silentium, reuerentiam, ordinem, apta indumenta, censuram item erratorum, constituit. non risus eo loco, non collocutio, non somnus. intra cancellos laicus nullus, quacumque is esset dignitate. cumque rumoris nonnihil esset Philippum Regem Mediolanum venturum percunctanti, quid tandem putaret, si Rex venisset, num & ipsum recusasset in eum locum recipere, pro suo eximio disciplinę ecclesiasticæ studio Carolus respondit, sperare se, ne ipsum quidem Regem, vt eius erat egregia pietas, eò peruenturum, maxime cum argumenta sua cognouisset. Qui musice canerent in ecclesiis, eos clericos, si fieri posset, alioqui tunica clericorum simili, & linea veste saltem indutos, & certo loco separatos, constituit, qua consuetudine etiam ipsius Gubernatoris cantores, si ad ecclesias adducerentur, contineri volebat. Regulares viros nõ ita libenter in eorum numerum admittebat, præsertim si regulæ seueriori addicti essent: nam & omnino musicam ab eorum ecclesiis alienam putabat. Quæ canerentur, ea non solum sacra, sed ad præsens officium accommodata, esse iussit, cantumque ita temperari, vt verba intelligerentur. Altaria ex eius præscripto decore munita fuerunt, & instructa, sepimentum ab omni parte, certi gradus, tegumen alte superimpendens: ad instruendum, ornandumque vestis, & suppellex varia, & decora, clericus plerumque, cum superpelliceo certe, quicumque esset, sacrificantis administer. sacraria ipsa nitida, & ab omni importuno hominum ingressu libera. supellex non integra solum, & munda, sed apte, decoreque collocata, & pro temporum, dierumque varietate plene cõparata. Imagines, & inscriptiones probari voluit prius ab eo quem ei rei præfecerat, quã in ecclesias admitteretur. Sedes in ecclesiis præcipua cautione præscriptæ, quibus ad maiorem modestiam, interposita tabula presbyteri fœminarum confessiones ita audirent, vt impediretur aspectus. Sellas altiores, summis quibusdam viris exceptis, ob sacrorum reuerẽtiam adhibere permisit neminem. Magistratibus tamen sedes à multitudine separatas constituit. Missæ sacro, vtroque posito genu, semper, si tempus excipias euangelii recitandi, omnes interesse docuit: vt non minus rarum postea fuerit, stantem, nedum sedentem videre, quàm antea genibus nixum: in ecclesiis mares à fœminis, etiam tabulatis interpositis, vt iam commemorauimus, distingui iussit: fœminas autem ipsas caput velo contectum habere, quamquam difficilius ob ornamentorum corruptelam id videbatur. Quæ in ecclesiarum lateribus essent, ianuas clausit, vbi commoditate inuitati homines, per eas

indecore, quasi per vias, neglecta sacrorum reuerentia, transire possent. quæ res ad separationem quoque fæminarum melius tenendam valebat. Cadauera in sacris locis sublimia: signaque militaria sepulchris apposita, in suis, alienisque ecclesiis, quas visitauit, sustulit, licet clarissimorum Ducum suorum eiusmodi monimenta studiose ciuitates retinere cuperent. Ecclesiæ omnes, quotquot in diœcesi tota numerantur, eius iussu, operaque restitutæ sunt, atque ornatæ: multæ de integro, veteribus dirutis, ædificatæ. omnium formas in ecclesiæ tabularia iussit afferri: vt quid facto esset opus, cum vsu veniret, facile posset iudicari. nihil autem ædificari, dirui, mutari licuit, primariis eius adiutoribus inconsultis, quamquam pleraque cognoscebat ipse, & magna etiam ex parte memoria tenebat vniuscuiusque ecclesiæ formam. Vt autem & ipsa ædificia sacra, & earum supellex decenter vbique haberetur, libellum de fabrica, & supellectili ecclesiastica edidit, in quo vniuscuiusque loci instrumenti, indumentique ecclesiastici genus, formam, mensuram, numerum diligentissime præscripsit: quarum quidem præscriptionum, omnisque diligentiæ, quæ ad fabricam, supellectilemque sacram pertineret, Ludouicus Monera præcipuus administer, consiliariusque fuit. Huiusmodi studium fecit, vt sacri homines, qui Archiepiscopali auctoritate non continentur, communi quadam incitatione ducti, suas item ecclesias ecclesiasticasque res reficere, ac ornare, tum diuina etiam munera decentius obire curarent. Insignis ecclesia Raudensis Virgini dicata eius iussu cõfluentisque multitudinis liberalitate, cœpta est ædificari, cum anno M. D. XXCII. in remota vici ædicula, ad eius imaginem inuocata Virgine, multa mirabiliter impetrata essent: quæ nos legitimis testimoniis confirmata, vera esse comperimus. Instauratio quoque basilicæ S. Laurentii, cuius amplissima testudo rotunda corruerat, eius iussu ita inchoata est, vt ab eo etiam de suggestu prædictum affirment eius parochiæ viri graues, magnum subsidium illud, quod eo mortuo, Virginis munere simili, à nobis itidem comprobato, concessum vidimus. His rebus omnibus etiam ipsa vrbis artificia incrementum accepere non mediocre: quæ in ecclesiis ædificandis, cædendis lapidibus, vasis fabricandis, vestibus sacerdotalibus efficiendis, opere vario, ac multiplici versantur. De septem ecclesiis, totiusque anni stationibus, supradiximus, ad Romanarum similitudinem in vrbe cõstitutis. Quotidianam precationem instituit, quam indulgentia proposita populus vniuersus haberet, certo sub noctem exaudito campanarum sono. Festis diebus in parochorum ecclesiis certas supplicationes pro publicis rebus, temporumque difficultatibus pium populum habere curauit. In vnaquaque parochia sancti diem, cuius nomine ecclesia dedicata est, honore præcipuo colere vicinos iussit: tum ieiunium quoque pridie seruare cohortatus est. sacras exercitationes nullo tempore passus est deficere, ad augendam semper populi pietatem. mane, ac vesperi frequentes conciones, crebræ variis de caussis sacræ celebritates: magna semper in ecclesiis populi frequentia: ad officia pietatis alacritas: celebris vbique sanctissimorum sacramentorum administratio. festi dies ab omni mercandi opere, præter necessarium, tum à profanis spectaculis, choreisque fere ex toto vindicati. ieiunia restituta. sed de his hactenus: salutaria enim instituta, corruptelasque diuini honoris gratia sublatas, infinitum prope esset enumerare.

Sacra munera quæ obibat. Caput 19.

Omnia Pontificalia munera magna voluntate obibat ipse. excurrebat longius, cum opus erat ad ecclesiam, altare, campanam, & eiusmodi alia consecranda. huiusmodi administrationis gratia, neque laboribus, neque incommodis parcebat vllis: neque tempestate, viisve etiam deterrimis vmquam retardabatur. Ea verò tam ad se pertinere secum statuerat, vt licet aliquando, de Vicario generali recipiendo, qui episcopalis ordinis erat, ageretur, denunciauerit tamen, nolle se in eum eiusmodi munerum aliquid transferre. Ac his minime contentus, ad alia item veniebat. quibus ad conficiendum Pontificia dignitas necessaria non esset: veluti vestitus est sacrarum virginum, ac professio. Sic officium suum Deo præstabat, gregique sibi commisso cumulatius, sacris functionibus maiorum conciliabat auctoritatem:

tum res ipsæ, ad actionis decus sanctius, & ad euentum fructuosius administrabantur. iis eò plus honoris tribuere hoc tempore conuenire iudicabat, quò magis hæretici detrahere conantur. Sacramenta, quorum est enim presbyterorum administratio, sæpius ipse tamen obiuit, baptismum, stato tempore Paschali, ad similitudinem antiqui ritus, quo tempore ciuitatis infantes iubebat ad id reseruari: præterea quotiescumque rogatus, pietati viri principis alicuius ea in re satisfaciendum putabat. Eucharistiæ præbendæ labores iam pluribus attigimus locis: erat enim in eo genere frequens. Pœnitentiam interdum ministrare, ab Episcopi officio alienum non putauit: & Episcopos laudauit Nicolaum Cremonensem, Hieronymum Bergomensem, Franciscum. Vercellensem, cum id quandoque fecissent. seque idem velle demonstrauit, licet, quod sciam numquam perfecerit, Vnctionem extremam tribuit pestilentiæ tempore, sicuti narratum est: matrimonium sæpius sacro ministerio suo celebrauit: quod libenter primariis viris concedebat: vt ea via sponsos ad matrimonium sancte contrahendum adduceret, immoderatasque cohiberet nuptiarum voluptates.

Clericaliũ munerum fũctiones. Capur 30.

Eius erat non dissimile studium in munerum functionibus exquisitè requirendis, quæ ad inferiores clericorum gradus attinent: quibus singulis quid assignaretur officii distincte declarauit, & vnumquemque iussit singillatim obire, dum per eos gradus proueheretur. viri graues, etiam dignitate, genereve præstantes, quique confirmata, interdum etiam prouecta ætate, ad ecclesiasticum ordinem transibant, humilis tamẽ clerici munia exequebantur, nunc custodienda, mundandave ecclesia, nunc ære conuocationis gratia pulsando, alias vasculum thuris ministrando, aliàs presbyteris sacrum facientibus, vel Eucharistiam distribuentibus inseruiendo: quæ quidem ad populi documentum, ad sacrorum dignitatem, ad fructum eorum qui faciebant, mirum quiddam valebant; neque vero quemquam ad superiorem ordinis gradum admittebat, cuius de inferioris functione adhibita testimonium non videret: id quod etiam prouinciali decreto sanciuerat.

De initiãdis, & recipiendis ad munera ecclesiastica. Capur 31.

Cum permagni referat in Ecclesia: quæ de hominibus in sacrum ordinem recipiendis, vel ad sacra munera admittendis disquisitio habeatur, de qua grauiter veteribus Ecclesiæ decretis, recentibusque præceptum est: tum de moribus, tum de litteris periculum fieri diligenter iubebat: siue quis ordinandus, siue ecclesiastico muneri perpetuò deligendus, siue ad confessiones audiendas, concionesve habendas admittendus esset. qua in re nimis exquisitam interdum interrogandi diligentiam questos esse nonnullos audiuimus. Carolo quidem ea res cordi vehementer erat vnde populorum salus magna ex parte pendere videretur. satis erat illi tamen, quantum rei grauitas posceret, tantum in ea poni sedulitatis. At erat ab eo quoque alienus, vt cuiquam in eo genere parceret: licet ob doctrinam, auctoritatemve quibusdam paulò durius videretur, communem experimenti conditionem subire. his vero de caussis Carolus faciebat, quòd opinioni, ac famæ sæpe veritas non respondet, quòd alioqui doctissimus, ea quandoque negligit, de quibus agitur: omnino, quòd, si est idoneus, summissionis christianæ gratia, homo Christo consecrandus, vel iam sacer, illud fructuose pati potest: si vero minus idoneus, merito probandus offertur, vt possit repelli. præterea, vero, quia sacrorum canonum accurata custodia, quæ illi summopere proposita erat, ita videretur postulare: ne qua parte disciplinæ sacræ, quasi rimas negligens, forte ruinæ periculum adiret. Interrogandi rationem vnicuique ordini conuenientem decretis prouincialibus expressit. Subdiaconos creandos præcipua statuerat esse probandos diligentia, quòd eo gradu diuinis sese perpetuo mancipàrent officiis, perpetuaque castitatis lege deuincirent. Ab iis qui essent initiandi, certo die coram se vocatis, testimonia multa exigebat, de natalibus, de vitæ ratione, de sacramentorum vsu, de diuinis officiis, de promulgatione nominis, de patrimonio si de subdiaconatu ageretur, de approbatione doctrinæ: aliisque de quibus hoc loco mihi explicandum non arbitror, cum ea decretis ad concilii Trid. normam descriptis contineantur, quæ sunt in promptu. Ibi vero ipse cuique vultum

compositione, vestitum diligenter considerabat, si ordini ecclesiastico essent accõmodata. Subdiaconos, presbyterosque designatos, certis ante ordinationem diebus in remotum locum venire, ibique relictis omnibus, apto aliquo sacerdote duce, salutari contemplatione sese exercere iubebat; cuius adiumento ad meliorem, sanctioremque vitam, suscipiendique muneris plenam cognitionem adducerentur. ad eam rationem tradendam à societate IESV primò ductam, multos demum presbyteros planè aptos ipse habuit. locum ad eam exercitationem accommodatum, multis cubiculis distinctum, ædificauit, in hortis ecclesiæ, quæ Canonicæ nomine appellatur, & Asceterium congruenter nominauit. Ad alios Episcopos, huiusmodi sacramenti suscipiendi gratia, fere suos non dimisit, ne vel ex eo se labore eximeret, vel aliqua consuetæ diligentiæ pars in eis approbandis omitteretur.

Cleri disciplina. Caput 32.

Adhibita in iis diligentia, qui clericali se ordini darent, multum valuit ad cleri mores sanctitatis studio conformandos. Sed alia quoque cura, multiplicique disciplina Carolus eum in officio continere studuit. omnes alioqui non addictos, ecclesiæ certæ iussit assignari, vbi festis saltem diebus diuinorum officiorum sese præberent adiutores. Quàm frequenter peccata confiterentur, & Eucharistiam sanctissimam acciperent, obseruauit: certos ex religiosioribus, sed magno tamen numero, sacræ confessionis ministros assignauit: litteras discere, qui per ingenium, & ætatem possent, curauit. liberam consuetudinem, vagationemque per præfectos coercuit: vt neque cum laicis, nisi iusta de caussa essent, neque in ianuis, vel vicinorum tabernis sederent otiosi. vbi, & quibuscum habitarent, singillatim nouit, habitationisque locum inspici iussit interdum; si arma essent, si libri, imagines, aliave ab ecclesiastico decoro aliena. nam arma ne in itinere quidem vlla concessit. Ex agro Mediolanum venientes in certum diuersorium ad id institutum omnes conuenire iussit, quò laici non reciperentur, clerici vero ipsi certis legibus ad ecclesiasticam disciplinam accommodatis haberentur. Discessum ab ecclesiis, itinera, peregrinationes, nisi ex facultate præscripta, non permisit. Statum cuiusvis clerici, conditionemque certo libro distinctam, subtiliterque notatam habuit, ordinis gradus, beneficia, studia, cognatos, habitationem, ministerium, & si quid aliud nosse interesset. eam notationem, quoniam mutari aliqua semper necesse erat, certo tempore, vocatis omnibus singillatim recognouit, & quibus rebus opus esset, renouauit. ex eo libro subito poterat de vnoquoque clerico suo plene omnia cognoscere. At alias etiam fuit magis reconditus libellus: in quo de vniuscuiusque moribus notatio breuis continebatur: vt cum de aliquo esset statuendum, quid ei committi posset, peruideret. Fœminas apud se habere vel nullas passus est: vel eas, si necessitas cogeret, quæ senectute, sanguinis coniunctione, moribus, ab omni suspicione essent alienæ. Canonicos, quantum potuit, in eorum ædes, plerisque locis cœnobii cuiusdam instar apud ecclesiam fabricatas, compulit: neque laicorum contubernia, nisi salua disciplina tolerauit. Parochis, & eorum muneri valde fauit: quippe suis in animarum curatione præcipuis adiutoribus. quibus etiam proprium tradidit magnæ grauitatis indumentum. eorum Missas, ecclesiasque frequentari, auctoritatem, officiaque conseruari, & ab omni aliorum impedimento defendi, studiose curauit. Vestitum clericalem synodalibus decretis constituit, pro cuiusque loco, ac dignitate distinctum, idque ad eam fere rationem, qua clerici veteres vtebantur, Monitaque vna cum sociis S. Sepulchri cultoribus sancte retinebat. Cum episcopum ad clericorũ collegia visenda Caroli iussu essemus comitati, fassus est postremo, rectores, præfectos, administros clericos, quos ibi vidisset, ex modesto, religiosoque habitu regulares putasse, donec secus admoneretur. Eundem vidimus admirantem, quod in ecclesiis, aut in via, ne vnum quidem ex infimis clericis, male, nedum sordide vestitum vidisset. si publicis in gymnasiis canonicæ doctrinæ caussa clericos morari permitteret: frequens Episcopi, Vicariive vrbis illius testimonium requirebat, de vita modeste, religioseque acta. In laicorum familia, quacumque dignitate illi essent, neminem, maxime

presbyterum, ita esse permisit; quod sæpe antea non sine magno sacræ dignitatis contemptu fiebat; vt vllo modo in famulatu esse videretur. Hæc attigisse breuiter sufficiat; vt huius generis speciem saltem quandam exhiberemus. Quæ quidem disciplina, literis adiunctis, aliisque nonnullis tuendæ dignitatis adiumentis, de quibus exponemus; ad existimationem, grauitatémque cleri pene abiectam erigendam magnopere valuit; qui quidem non exiguus fuit inter alios Caroli laborum fructus; ex quo multa populis salutaria extiterunt, nam, vt in officio clericos continuit; iustéque puniuit delinquentes; ita bonis benignissimè fauit; & vniuersi ordinis existimationem studiosè defendit. Honoris insignia libenter tribuit. cappas, vt dicimus, rubeas Canonicorum Ecclesiæ maioris confirmari curauit: cæteris canonicis, quas appellant Almutias, Præpositisque alias cappas tribuit. Prothonotarios, quòd non ita passim creandos existimauit, tum ad eandem pertinuit dignitatem; tum etiam ad inane studium honoris in quibusdam comprimendum. Facultates etiam, vt ad vitæ clericalis decentiam cuique pro loci conditione essent, attente curauit.

Collegia Mediolani constituta. Cap. 33.

Collegia constituit plura, quæ virtutum essent, quæ Ecclesiæ; immo & reipublicæ ipsius seminaria: vbi vita more cœnobiorum ageretur. probe namque nouerat, quid valeret educatio. diximus de collegio nationum finitimarum. de nobilium adolescentum alio tetigimus; quos literis, christianisque moribus, accuratissime instituendos curabat; vt ex iis probos, literatosque viros reipublicæ subministraret: quò quidem exteri multi, nobilissimique adolescentes cupide mittebantur. quos, quoniam fidei suæ Carolus commendatos sciebat; & spectatissimos sacerdotes eorum gubernationi præficiebat; & ciues optimos rerum familiarium curæ, tum ipse sæpius inuisens, accurate de rebus omnibus percunctabatur; omnia cognoscebat; Eucharistia, verbis diuinis pascebat. Sed de collegiis dicamus cleri sui. In Ecclesiæ suæ seminario propriè appellato, quòd iam vsque ab initio per Ormanetum constituerat; clericos Mediolanenses ad centum quadraginta solebat alere: & Ecclesiastica disciplina; tum litteris, & humanioribus, & philosophicis, & diuinis, pro cuiusque captu instituere. ad tantum numerum sustentandum, paulatim idoneas facultates beneficiorum, quæ simplicia dicuntur, prout possessoribus vacarent, ex variis locis, vbi eæ minime essent necessariæ, variis temporibus attribuit: & aliàs Apostolica in primis auctoritate comparauit, ad aureorum nummum circiter sex millia annua. facilioribus literis domi erudiri; grauiorum vero studiorum causa Braidensis collegij magistros adire constituit: quorum scholas, vel ad hanc rem vnam fundauerat. Quæ ad conformandos mores; ad mentem religione, sanctitatéque imbuendam; sacrorum disciplinam discendam; administrandæ Ecclesiæ facultatem comparandam, valebant; iis exerceri iussit. clerici nihil facultate non impetrata facere; nè abire quidem è conspectu: binos exire domo: ordine, modestéque ire; tum vestitu nulla parte sordido, vel indecoro. probati homines sacri, die noctéque suo quisque muneri, assidere: domo simul exeuntes comitari: Præfectus literarum perpetuo doctrinæ studia, progressionesque vrgere; disputationibus, concertationibusque literariis occupatos habere: Rector loci, grauius presbyter omnia moderari; sacramentorum vsum, frequentiamque curare; frequenti exercitatione, communicationeque rerum spiritualium, diuinarumque, ad solidæ religionis præstantiam, sensusque sanctissimos perducere. Carolus ipse sæpenumero adibat: audiebat pie declamantes: intererat disputationibus: aderat diuinas res inter se conferentibus: sigillatim cognoscebat vniuscuiusque mores, litterarumque progressiones. statis præsertim temporibus erat præsens, cum de eruditione periculum fieri; & vniuscuiusque conditione, moribusque diligenter examinatis; qui Ecclesiæ vsui esse possint, diiudicari solet. Huius disciplinæ instituta fusè descripta, nondum plene recognouerat, probaueratve, cum ex hac vita vita migrauit. Clericos indole atque ingenio ad Ecclesiastica munera, quantum fieri posset, aptissimos recipi curabat, ætate vero annorum circiter XVIII. nè vel propter maiorem

ætatem, ad ſcientiarum integra ſtudia minus apti; vel ob minorem, loco diutius oneri eſſent. facile quoque ex vicis, locisque, vbi litterarum magiſtri ferè non haberentur. quæ ita tenebat, vt iuſta de cauſſa tamen ſententiam ſæpe mutandam putaret. Vt quiſque eiuſve parentes eſſent à facultatibus inſtructi; ita quod in annos ſingulos penderent ſumptus cauſſa, conſtituebat. qui ſumptum integrum non ſoluerent, eos adhibere ſponſorem iubebat; qui quod ob inopiam remiſſum eſſet, ſoluere promitteret; ſi clericus Eccleſiæ Mediolanenſi poſtea noluiſſet inſeruire. exteros fere non admiſit; aut ita, ſi ſumptui integre ſatisfacerent. Hæc primo collegia, clericorum ſocietatis IESV cura, operaque inſtituit. poſteà cum Mediolanenſes clerici multi eis ſuccreuiſſent, alii quoque eadem diſciplina inſtituti eſſent; eos adhibuit. Qui clerici vel ætate iam confirmata, vel hebeti ingenio ad ſtatum diſciplinaru m curſum minime apti videbantur; eos alio loco latinis litteris, doctrina ſacramentorum, & ea facultate, quæ in cognitione peccatorum, caſtaque tuenda conſcientia verſatur, inſtituit erudiri, numero fere ſexaginta. Sed aliud collegium itidem quaſi parochorum ſeminarium habuit; in quo minori numero, homines ætate media, propiori ad parochias adminiſtrandas ſtudio inſtituerentur.

De incrementis cleri. ſtudiiſque eiuſdem literariis. Cap. 34.

His collegiis, adiuncta Oblatorum ſodalitate, magnum ſibi Carolus Eccleſiæ adminiſtrandæ ſubſidium comparauit. Ex eiuſmodi enim ſeminariis, quaſi arbores pubeſcentes, alias, aliò transferens, vt opus eſſe animaduerterat; agrum ſuum bene conſitum, vberéque reddebat. extra collegia quoque, multi Braidenſis gymnaſij bono vtentes, Theologi euaſere. exteri præterea eadem commoditate vſi; optimaque deinde Caroli adminiſtratione, tum auctoritate etiam inuitati, ſeſe Eccleſiæ Mediolanenſi addixerunt. Ex omnibus item partibus ille ſtudioſe homines adducere ſolebat doctrina, moribuſque probatis; quos in Eccleſia ſua varie, pro eo quod opus eſſe videretur, diſponebat: cum in ſuis retinendis contra, vel tenacitatem quãdam adhiberet. Ita fecerat, vt in præcipuis diœceſis locis, aut Eccleſiis inſignioribus, viros graues Theologos, vel iuris canonici peritos plurimos; & in canonicorum ſingulis collegiis Tridentini præſertim canonis auctoritatem ſecutus, Theologos haberet. Regulares quoque homines quamplurimos adiutores quærebat. Societ. IESV conſtituit cœnobia duo, primumad Eccleſiam S. Fidelis, alterum collegium fuit Braidenſe; ea conditione in perpetuũ firmata, vt in eo Logicæ, Theologiæ, Grammaticæ, linguarũ græcæ, & hebraicæ ſcholas apertas haberent, ad totius iuuentutis prouinciæ Mediolanenſis, & clericorum in primis honeſtiſſimum fructum. ad eam rem; loco, vt ſuperius tetigimus, Gregorio Pontifice demum impetrato; ſuam Societati contulit Aronenſem Abbatiam; vt nouitiorum domus Aronæ conſtitueretur; & Mediolani magiſtri, aliique magno numero, pro eo quod opus erat, facilius ſuſtentarentur. Quæ quidem collegia docendo, concionando, ſacris confeſſionibus audiendis virtutum Chriſtianarum exemplis, magnos Eccleſiæ ſuæ videbat eſſe vſus ad ſalutem allatura. Clericos alios regulares à Paulo IV. inſtitutos in vrbem deduxit. quorum vita religioſiſſima; tum aſſiduus in peccatis diiudicandis; viaque ſalutis tradenda labor, gregis fructum valde cumularet. Aliis ordinibus quærebat locum; ſi quid ſaluti ſuorum inde afferri poſſe videret adiumenti. In ea verò, quæ iam erant monaſteria viros doctrina, religioneque probatos mitti curabat; quibus vti poſſet. omnino mirum miniſtrorum, adiutorúmque deſiderium gregis charitas in eum immiſerat: cuius ſalutari progreſſioni quamplurima videbat eſſe neceſſaria. ac reuera, etiam numero multo maiori, nullam reliquiſſet otii facultatem: tanta erat rerum multitudo, quás curari, effici, recognoſci aſſiduè oportebat; tamque in omnibus rebus religioſè cõponendis progrediebatur in dies. Alias litterarias exercitationes ad cleri vſum induxerat, tum proprias quandoque alicuius vrbanæ regionis; tum communes omnium. nam in ſuis ædibus delegerat, qui certis diebus doctrinam de peccatis publicè traderet: quo iubebat Eccleſiaſticos homines, etiam parochos ad audiendum conuenire. Vt autem quæ ſemel didiciſſent, tenerent fir-

mius; congregationes menstruas in vnaquaque vrbis, & agri regione instituerat; quò ex ea regione tota certis diebus illi conuenientes, variis propositis quæstionibus, de sacramentorum administratione, de animarum vinculis soluendis, disputationem haberent. piamque ei rei accessionem fieri iubebat, sacra pro mortuis communiter celebrata. cuius instituti rationem libello fusius comprehensam edidit. Sed propria etiam cura parochos vrbanos ad conciones iuuari curabat: quibus hebdomadis singulis, quod proximo festo legendum ex Euangelio in Ecclesia erat, prius exponi quandoque iussit; & quasi concionum materiam explicatam tradi. quos etiam interdum, vt quid possent, efficerentque, melius cognosceret; scriptas ad se iubebat conciones afferre. Præterea veteres canones à Gratiano collectos, vti diximus. interpretari iussit. quo in studio, quamuis summa fuerit Caroli voluntas, paucis tamen id persuasit: trahuntur enim facile omnes cæterorum exemplo: eaque libenter sequuntur, quæ plurimorum iudicio, & vsum afferunt, & nomen: qualis est vulgaris canonum peritia, scolasticique Theologiæ progressus; at veteris Ecclesiæ ratio bene cognita, solidæ vtilitatis est, arma contra hæreticorum impugnationes suppeditat: & ad Ecclesiam ordinandam, constituendamque magnum præbet adiumentum. His institutis, mutata prorsus Ecclesiæ specie: vbi presbyteri indocti, sæpe etiam sordidi erant; doctos habuit, & religiosos, qui populos salutariter docere, regereque possent, & quæ Carolus in dies ad meliorem rerum omnium conditionem efficiendam præscriberet, diligenter exequerentur. ex quo etiam populi ad debitam sacerdotibus reuerentiam, obedientiamque salutariter excitati, magis in salutis via proficerent. Ac literaria quidem cleri studia, vel ipsa maiora multò, quàm alioqui solerent esse, bibliopolarum quæstus, ostendebant.

De beneficiorum distributione. Cap. 30.

Beneficia omnia sic mandauit, vt amicitiæ, gratiæ, propinquitatisve causa nihil moueretur. Si quempiam alicuius commendatione, gratia ve vti, vel omnino ambitiosè quærere animaduertisset; ea ipsa de causa indignũ iudicabat. ipse verò suos nouerat; omniumque actiones, vitam, studia, per se, ac per ministros obseruabat: & cum locus daretur; nullius officio interposito, vocabat ipse necopinantes, sacerdotiaque mandabat. vnum verò satis esse cuique beneficium, nisi aliter necessariò fieri deberet, omnium maximè volebat. ac illud in Carolo multis admirationi fuit; quòd etiam de facie suos fere omnes vel infimos clericos agnoscere videbatur. optima temporum conditio; ad honores, ceteraque virtutis præmia, gratiæ, audaciæ, ambitioni aditus esse interclusos; probitati vero, doctrinæque sic apertos, vt vltro etiam inuitaretur, nobilitati fauebat libenter, modo cum virtute coniunctæ: sed humiles sæpe probos, doctosque eò vocabat, quo numquam ipsi, vel ambitionis fortasse stimulis incitati, ausi fuissent aspirare. quæ quidem ratio, tum ad virtutum, optimarumque disciplinarum studia; tum ad Ecclesiæ dignitatem, populorumque salutem vehementer valuit. ac licet ob humanæ mentis latebras, pro virtute aliquid sese interdum insinuaret hypocrisis; simulatio tamen non conniuentibus oculis, vel perlucidum est, vel certe minimè diuturnum malitiæ velum. omnino tolerabilius iudicabat, virtutis veste vitium aliquando latere, virtutique seruire, quàm apertum, cognitumque palam recipi. interim sibi cauendum noueçrat; nè cuiquam non plene probato per se aditus esset ad peccandum liber. Eundem sensum præstabat, si de beneficio, honore, facultatibusve Ecclesiasticis alicui impetrandis rogaretur. cum eiusmodi aliquid tentari posse perspiceret; maximè si de Episcopatu ageretur; hominem, si probaret, tantum proponebat; testimonium dabat, quod teste conscientia poterat: rogabat: nisi id se officii Deo, & Ecclesiæ debere, manifestè vidisset. rationem suam quibusdam interdum ita probauit: si nemine vrgente quis dignitatem susciperet; clarius esse diuinæ voluntatis indicium. Federico suo, neque puero ex Ecclesiasticis facultatibus, quidquam vel contulit, vel ad maiorem ætatem reseruauit, neque postea tanta indole adolescenti quæsiuit vmquam. ipsam Aronensem Abbatiam dudum in familia sua retentam, non conquieuit, donec à se, at-

que à familia repelleret; ne quid forte oleret hæreditarium. Nobilis vir, oblata beneficii occasione in Ecclesiasticum ordinem, se dare nomen velle significauit; Caroli que auxilium implorauit. cui negauit ille; minimeque probare respondit, hominem vitæ clericalis alioqui non studiosum, beneficii gratia clericum fieri velle. Si de augendis Præsulis alicuius inopis facultatibus rogaretur; suadebat vt paucis contentus esset. at nihilo secius adiuuabat, vbi animum cognouerat neque auaritia, neque inani splendore captum; sed sacri muneris perfectè administrandi studiosum. Episcopo consulenti, vtrum ob tenues facultates, contraheret æs alienum, an dimisso Episcopatu alio quodam loco viueret, vbi in sumptum plura subministrarentur: neutrum respondit sibi placere. assistere gregi suo sacerdotem debere; nisi aliter qui potest, iuberet. abdicare sese Episcopatu; si quid offerretur difficultatis; eius non esse, qui integre, casteque vocatus iniisset. sumptui pro facultate modum ponendum; veterum maxime Præsulum imitatione, qui & facultatum subsidio, cum suppeteret, sanctè vsi erant; & eo destituti, sanctè tamen Episcopatum administrauerant. Annuam pensionem Carolo soluebat Episcopus, ei vehementer postulanti, vt illud sibi iuris remitteret; & reficiendæ Ecclesiæ necessitatem, tenuesque fructus excusanti; libere respondit; nullo modo ei se velle condonare, qui Episcopatum, etiam adiecta pensionis conditione, quæsierat. facturum tamen, vt ea pecunia quotannis in Ecclesiam illam reficiendam: vel ornandam aliorum opera insumeretur. ita omnino concedendum quod petierat, si modo Ecclesiæ caussa verè postulasset. Fructus suos vnicuique Ecclesiæ, presbyterisque singulis, integros relinqui curauit vehementer, & effecit. eo namque primum Ecclesiam capescente; vel magna ex parte, vel toti, alienis hominibus erant reseruati: ex quo fiebat, vt qui essent aliquo numero presbyteri, sacerdotia recusarent; quorum facultatibus, pro dignitate, vitæ cultum minime possent conseruare. qui vero accipiebant, parui pretij homines, neque doctrina, neque auctoritate satis muneri suo facere valebant: vt præter sacerdotis, vt tempora sunt, ex ea re contemptum; neque sacra suppellex pro decoro parari; neque refici, vel ornari Ecclesiæ; neque sarta tecta haberi possent. Igitur neque pensionis opus vel minimum cuiquam Ecclesiæ imposuit vmquam; & si quis forte per auctoritatem superiorem obtinere vellet, contra totis viribus pugnauit. cum ex satis magnis Præpositutæ facultatibus, ex suis quidam, quo plurimum vtebatur, annuam pensionem sibi fere impetrasset; ea Carolus vt auferretur, statim effecit. neque alius postea vmquam conari aliquid simile ausus est. Sacerdoti tantum pensionem concessam scio. is cum Ecclesiæ diu vtilem sane operam pro doctrina, virtuteque sua nauasset, demum multi laboris parochiam habens, infirmaque valetudine confectus, cum eam relinquere cogeretur; neque aliunde haberet vitæ sumptum; moderatam pensionem ex Ecclesia sua, quæ erat ex locupletioribus, à Carolo accepit. Quoniam vero Ecclesiis, sacerdotiisque plerisque licet integræ, tenues erant tamen facultates, quibus id opus fuit vel parochiæ administrandæ, vel Theologiæ docendæ, vel omnino necessaria de caussa; alias adiunxit, ex iis, quæ simplicia vocant beneficia, quibus nullum fere munus coniunctum est. quod genus alioqui nemini vmquam, vel ipse contulit; vel passus est conferri. ac ex iis beneficiis vnum, cum ex domesticis quidam, cuius opera Carolo valde vtilis erat, sibi, Carolo ipso insciente comparasset; hominem, vt aliis esset exemplo, missum fecit. tum suis omnibus conuocatis, denunciauit; qui ei, vel potius sacræ administrationi suæ inseruire vellet; suo contentus stipendio, nihil eiusmodi vmquam, neque omnino quidquam ex Ecclesiarū suarum fructibus speraret; nisi quis à se idoneus iudicatus, vocatusque, cum adiuncto munere, atque opera beneficium accepisset.

Eius Vicarii ac præfecti. Cap. 36.

Cum totius ipse gubernationis auctor, tanta per se obiret, efficeretque; quanta vnius, modo hominis, viribus tolerabilia non videbantur: multis tamen eguit Vicariis, & administris. Ac ea quidem quæ ad forum, iudiciaque pertinent, fere non attigit; nisi quatenus ad iudices constitutos in officio continendos, corrigendosve necesse

esset; vt non tam iurisconsultorum libris ad iudicandum; quàm prudentia, pietate, animi lumine, sanctorum patrum decretis, exemplisque opus esset, de decreto, spiritualia in primis sibi suscipienda statuerat: quibus administrandis, ob rerum agendarum multitudinem, plures sibi necesse fuit adiutores asciscere. Primò igitur iurisdictionem, gubernationemque Ecclesiæ suæ ita distribuit. Tres constituit præcipuos Vicarios, vnum, qui de rerum controuersiis, litibusque, alium qui de criminibus cognosceret. priuatim vero, ac generalem, qui omnibus iudiciis, totique præesset gubernationi, ac disciplinæ. Auditoris nomine alium delegit; qui ditionis Ecclesiæ res, tum alia quoque cognosceret; & Vicarios alioqui maximè occupatos subleuaret. quos omnes vna cum fisci procuratore, quantum fieri posset, fide, probitate, doctrina spectatos iurisconsultos elegit: Vicarium vero generalem in primis grauem, pietateque, & religione præstantem; tum præterea disciplinæ sacræ studio incensum sacerdotem. Hos adhibere exteros solebat; nè forte amicitia, propinquitate, gratia, aut vero metu adducti, ius aliquo modo quandoque violarent; minusve liberè dicerent. eosdem certo constituto stipendio, domi suæ alebat. cumque honoraria omnia, in caussis quidem suæ diœcesis prohibuisset: in externis exigua constituisset: penitus etiam interdixit, ne vel minimam rem vllam à quodam dono acciperent. nam vel de se ipso affirmabat; si munusculum à quoquam accepisset, aliquam in eum ea de caussa voluntatis inclinationem sentire sibi videri. si forte gratiæ, pecuniæve iudex seruiret, quod attentissimè iubebat obseruari; confestim missum faciebat. suis vero reliquis iusserat, ne caussam, hominemve quemquam iis vmquam commendarent. De litibus est memorabile; notariis, scribisque fori, Caroli tempore accidisse; vt peritiam earum litium, quæ de beneficiis alibi tam frequentes inter clericos esse solent, pene dediscerent. nulla enim eo viuente lis erat eiusmodi. vocatus quisque nihil agitans, nè cogitans fere quidem, beneficium accipiebat; sine controuersia retinebat; sine auctoritate sui Antistitis non dimittebat, aut permutabat. De criminibus; iustam vnumquemque subire delicti pœnam volebat, si res in iudicium deduceretur. si vero quis peccatum dolens, tempestiue, atque ingenuè fateretur; tantopere commoueri se dicebat; vt ipsius misericordiæ modum vix teneret. Aliquos etiam, si res ita ferret, prius semel, atque iterum monebat, antequam in iudicium vocarentur. Mitius egit postremo suæ administrationis tẽpore. ac initio quidem, ob magnam, inueteratamque licentiam, seueritate opus fuit. postea vel disciplina, vel metu facilius in officio clerus retinebatur. Clericorum mores corruptos qui tamen ad crimina legum pœnis digna non peruenirent, ita quandoque puniebat; vt homines non vsitato carcere, sed suarum ædium cubiculo certis diebus contineret; quibus eorum petulantiam ieiunio, custodiaque castigaret; & piorum quoque virorum oratione reuocaret ad sanitatem. Hominem ventri deditum, cum illud quoque nosset committere; vt æstiuo tempore vinum sacrificij caussa paratum aqua gelida iuberet refrigerari; complures dies inclusum ita tenuit; vt aqua illi tantummodo, eaque ad id in sole tepefacta, potus caussa præberetur. Mulctas reis irrogatas in pios vsus, præcipuè verò in pauperum Ecclesiastica Collegia iussit insumi. Qui ex clero iuris essent periti; eos ex forensi quæstu studuit ad religiosiora studia reuocare; quamquam eorum facultate multis alioqui rebus vsus est. ex his, aliisque, quos domi plures semper habuit iurisconsultos, alios aliis muneribus præfecit: Iudices ab Romana Sede dandos iis qui prouocarent, in synodo elegit: pauperum aduocatos; reorum, qui essent in carcere, communem patronum; alium qui pia legata solui curaret; Visitatores, aliosque, de quibus postea dicemus. Cancellarium Ecclesiæ; quo munere laicus antea fungebatur, clericum, eumque maioris templi canonicum, imitatione veterum elegit. Quoniam ex decretis plurima scripto concedi variis de caussis necesse erat; gratis fere dari omnia constituit. si qua de re autem, ad notariorum mercedem, rerumve scribendarum copiam, exigi aliquid oporteret; id modicum aut etiam intra modum constituit. quibus de rebus, aliisque multis in libello

explicatum est, quem hoc de genere forensi conscribi, edique iussit. Vrbis singulas regiones, quæ sex habentur singulis probatis, primariisque sacerdotibus assignauit; qui Visitatorum auctoritate clericorum omnium mores, vitamque specularentur; Ecclesiarum cultum, & diuina munera obseruarent. omnem denique disciplinam, & canonica præscripta custodirent: quæ oporteret, ad Vicarium generalem quotiescumque opus erat referrent: tum certis diebus ad eundem conuenientes, de statu rerum suæ quisque regionis, plenè docerent; & quæ prouidenda, vel ordinanda viderentur, ex eius sententia constituerunt. omnia vero Caroli nutu administrabantur: vel enim intererat; vel de grauioribus saltem rebus, Vicarios, regionum præfectos, alios administros audiebat.

Diœcesis administratio. Cap. 37.

Diœcesis Mediolanensis in certas regiones, quas appellant plebes, diuiditur. in vnaquaque regione, præcipua Ecclesia est: eaque in vico fere, aut castello, quod est, anteave fuit regionis præcipuum. Ecclesiis ipsis presbyteri præsunt, Præpositi dignitate insigniti: & quantum ex antiquis vestigiis perspicitur, collegia canonicorum adiuncta erant; quorum aliqua nunc etiam manent. Ius quoddam Ecclesiæ, Præpositoque fuisse videtur in tota plebe, quæ multarum est parochiarum; non dissimili, quibusdam in rebus, veterum Corepiscoporum instituto. Illud iuris, præcipui, præter nomen, vestigium est: quòd Baptisteria sunt insignia: hoc est sacella satis ampla, separatim fabricata, vbi aqua baptismi stato tempore consecraretur; &, vt puto, totius regionis infantes antiquitus sacro baptismo abluerentur. hanc diuisionem, ordinationemque secutus Carolus; presbyterum, certa mandata iurisdictione, ac potestate, in singulis regionibus constituit; qui Vicarii nomine, aliis presbyteris, clericis, Ecclesiisque præesset. Præpositum quidem ipsum, si videretur idoneus; alioqui alium à quo posset arbitratu suo potestatem in alium transferre. sunt hi Vicarij circiter quinquaginta: & quod in vrbe Præfecti, hoc ij fere sunt in agro. horum ad quemque gubernatio regionis cum referatur; ipsi ad arbitrium Vicariorum vrbis, generalis præsertim reguntur; & ad eum de regionis suæ rebus, singulis mensibus, vel prout opus est, scribere solent. Sed commodioris administrationis gratià duos ex primariis sacerdotibus in Vrbe delegerat, Visitatoresque generales appellauerat, quorum alter rerum Vrbanarum, reliquarum alter, vt generalis Vicarii adiutores, curam gererent. Ita cum diœcesani Vicarii de regionis suæ statu tum aliis viis, tum ex parochorum menstruis congregationibus cognoscant, Mediolanumque scribant: vrbis autem præfecti frequẽter itidem, vt dictum est, de rebus Vrbanis referant: quo modo se res in tota diœcesi habeant, singulis mensibus Archiepiscopus scire potest. At plures etiam, puta sex, siue ex Ecclesiis, siue ex domo sua delegerat; qui diœcesim certis temporibus, in sua suisque assignata parte, peragrarent; omniaque visitarent, ac recognoscerent: vix enim fieri potest, vt perfecte pareatur, nisi sit qui frequenter instet, & quid agatur coram inspiciat. ac ne Visitatorum huiusmodi sumptus presbyteris esset grauis; eos, honestos tamen viros, sine famulis, vno comite notario, iubebat proficisci. Hanc administrationem; cui vir vnus, Archiepiscopo absente, satis antea faciebat; tempusque præterea supererat, quod relaxandi animi gratia consumeret; nunc tam magno numero administri, perpetua Caroli ipsius addita cura, & labore; vix, aut nè vix quidem sustinebant.

Eiusdem visitatio. Cap. 38.

Ipse quoque, cum reliquo tempore, ad vrbanas Ecclesias visendas vteretur, quotannis quibus diebus vbi minus incommoda foret eius absentia, exibat ad reliquias recognoscendas. ij dies erant, à Pentecoste, ad Aduentum: si tamen ad Virginis celebritatem Ecclesiæ maioris præcipuam Mediolanum recurreret, mense Septembri. reliquis anni temporibus, erat manendi caussa maior, vel ex antiquis patrum decretis. nam quæ tempora sanctius colenda piis hominibus Ecclesia proponit: iis adesse populo suo Episcopus maxime debet, ac precibus, concionibus, & exemplo salutariter eum excitare: vt Aduentus, & Quadrages. est. cum adiunctis celeberrimis festis. ante Quadragesimã omni ratione populi petulantia coram est reprimenda. à Paschate, vt temporis celebritatem omittamus,

omittamus, synodis, & confirmationis sacramento debita opera videtur. Igitur vicanas Ecclesias lustrans, celeritate, continentibus laboribus, numero comitum exiguo, magna parsimonia vtebatur, quibus rebus etiam onus hospitii leuabat: quo tamen vti commodè poterat iure suo. ne quis omninò præter necessitatem esset in comitatu; tum sua quemque ad necessitatis normam præscripta: tum necessariã quoque Pontificiam supellectilem, scriptaque ad Ecclesias pertinentia, viritim distributa, suos iubebat, etiam honestos, & iurisconsultos, in equis ferre famulorum more. plura singuli munera obibant; obeuntique Carolo variis rebus inseruiebant. hi sacramentorum loca, omnemque rationem recognoscere: Ecclesiæ sacram suppellectilem, tecta, & parietes inspicere: beneficiorum, altariumque iura, institutiones, conditiones cognoscere: si presbyteri, & clerici munera debita obirent; quæ ratio vitæ, consuetudinis, studiorum; diligenter inquirere: de Christianis scholis, piarum sodalitatum exercitationibus, populi cultu inuestigare. hæc, & eiusmodi alia perficere; simul sacris faciendis in Ecclesia inseruire; cubiculo Caroli assistere; litteras scribere. Carolus ne puncti quidem temporis, sine labore traducti sibi veniam dabat. neque caloris, neque vllius tempestatis habita ratione, Ecclesia recognita, statim adibat aliam. vbique cõcionabatur, sacramentum Eucharistiæ præbebat: cœmeteria, Ecclesias, campanas, vbi opus esset, sacrabat. peruulgata erat, quasi prouerbium quoddam, itineris suscipiendi hora, quam frequenter Carolus, in maximis caloribus eligebat; vt ea ratione tempori magis parceret; ea erat meridiana. præscriptas parsimoniæ leges in victu nemini licebat, vel minima ex parte violare. Cum prompto animo. atque alacriter munera sua obibat semper: tum hoc visitationis extra vrbem libentissime. expressior ea videbatur, vt dicere solebat, Saluatoris imitatio; qui vicos, & castella, magno cum labore, salutaria docens peragrabat, tum ad vrbem quibusdam temporibus, festisque reuertebatur. delectabatur etiam natura hominum simpliciori; tum fructu in primis; quem ex suis laboribus, eorum pietate, animoque ad res salutares propenso, capiebat, sanè multò quàm in ciuitate vberiore. neque verò non gratissima erant incommoda hospitia, perpetuique labores, operis; atque itineris. nullus erat tam desertus locus; nullum tam asperum montis iugum, quo is non peruenirer; nulla tam remota, destitutaque Ecclesia, quam non adiret. læto animo corpus lacte sustentabat, cum opus erat; & castaneis, in foliis cubabat; omnem ferebat inopiam; neque enim ad commoditatem in comitatu portari quidquam patiebatur, quæ postremò tamen inopia, erat eius asperitate perpetua multo minor. Ibi verò siluestres homines; quorum multi numquam Episcopum vidissent; qui tantam in summo viro cernerent mansuetudinem, sanctitatem, patientiam; gaudebant incredibiliter; magnæque se fœlicitati reseruatos putabant. Vt autem ad interrogandum, & consulendum pro eo ac canonica disciplina postulat, esset in visitatione paratior; Concilij Trident. canones, synodorumque suorum omnium decreta, in minuta, breuiaque pronunciata partitus est; eaque ad certa genera redacta composuit in libello; quem muneris huius gratia, tum aliis quoque de causis frequenter in manibus habebat.

Vicario viro graui, spectatæque integritatis sacerdote, ad cœnobiorum muliebrium gubernationem, propriè vsus est. Non mediocris est occupationis, & laboris eiusmodi cura; ob præcipuam, quam in genere Carolus curauit rerum omnium conformationem; quibus de rebus plurima sunt in Conciliis prouincialibus variis locis constituta; quæ quidem in vnum corpus Caroli iussu redacta, & ex latina lingua conuersa sunt; vt ipsæ virgines intelligerent. huiusmodi Caroli studium magnopere valuit; vt Pontificiæ constitutiones hoc de genere variæ sancirentur; quatum magnus ad plurimorum salutem, fructus extitit. Restitutam huius generis disciplinam, decretisque ipsis expressam, longum esset explicare. sed illa præcipua fuerunt; exquisita in iis tantummodo recipiendis, & ad solemnia vota admittendis diligentia; quæ sponte, ac ex animo, perfectiorisque vitæ desiderio vellent. perfecta claustrorum ex omni parte cu-

Cœnobiorum virginalium gubernatio. Cap. 12.

ſtodia: vt nemo ingredi, niſi nominatim probatus, & ex cauſſa neceſſaria poſſet, ac ne adire quidem ſine ſcripta facultate cuiquam liceret. feneſtræ ad collocutionem, rotæ ad aliquid immittendum, emittendumve, ſumma cautione factæ; quibus audire quidem, ſed videre nemo poſſet; niſi quemadmodũ certis de cauſis permiſſum eſt. quæ foribus, rotæve aſſiſterent; quæ collocutionibus omnibus intereſſent, ſpectata fide delectæ. omnia inter virgines communia. ſacramentorum frequentia: regularis, ſpiritualiſque vitæ cognitio: diuinorum officiorum integra diſciplina: ad quæ vel muſica, vel alia re hominum frequentiam minime allici volebat. Ad hæc conſequenda, religioſos, probatoſque ex omnibus presbyteros adhibuit; qui ſacras confeſſiones audirent; & quæ opus eſſet docerent, hortarenturque. Ipſe vero quotannis, niſi alias quoque neceſſe eſſet, improuiſo cum ſpectatiſſimis aliquot ſacerdotibus ſingula monaſteria ingrediens, omnia diligenter perſcrutabatur. id cum ageret, ex ſenioribus aliquot ſemper virgines adeſſe iubebat, & comitari: reliquas omnes in Eccleſiam ſuam ſecedere. atque perſcrutandi diligentiam initio miniſtros exemplo ſuo docuit: qui ſeſe ad omnia demittebat, vt omnia penitus inſpiceret. Foris vero ad crates conſiſtens ipſe, vel per ſacerdotem idoneum ſingillatim omnes audiebat, interrogabatque; vt res omnes, quo pacto ſe intus haberent, perfectè cognoſceret. Quotieſcumque monaſterium adibat, niſi aliud impediret, tum ſanctiſſimam eis Euchariſtiam ſolebat in Miſſa præbere; tum concionem quoque ad eas accommodatam habere. munus tradendi veſtitus, profeſſioniſque recipiendæ foris in Eccleſia conficiebat, vt ingreſſus cauſas nullas admitteret, niſi prorſus neceſſarias. cuidam ex ſuis forte interuenit, cum ille dierum ſingulorum actiones ipſius ſcribens, notauerat, eum in monaſterium quoddam introiſſe; neque cauſſam addiderat. reprehendit hominem, quòd Epiſcopi in monaſterium ingreſſum notaſſet; neque cauſſam adieciſſet, quaſi arbitrio, non neceſſitate id fieri videretur; interdixitque, ne in ea ſcriptione pergeret. Cum eius ſoror, ob inopiam monaſterii, ſæpe egeret; nihil tamen vmquam perpetuum aſſignauit. tantum mittebat, quotieſcumque opus eſſet, qui ad regulæ normam neceſſaria ſuppeditaret. Hanc diſciplinam cum Vicarius curaret; quæ grauiora tamen inciderent, ad congregationem ſacerdotum, quos ad id Carolus elegerat, referebantur.

Congregationes, & conuocationes. Cap. XI.

Multis conſilijs, ſeu congregationibus reliqua continebatur adminiſtratio; quibus pro vario rerum genere, variæ cõditionis homines ex clero adſcribebat, ipſeque, quantum poſſet, intererat: ad catholicam fidem tuendam, ad grauiores fori cauſas rectius cognoſcẽdas; ad iuriſdictionem Eccleſię conſeruandam: ad reſpondendum confeſſionum ſacrarum adminiſtris, qui ex tota diœceſi de rebus ad animas iuuandas pertinentibus conſulebant. tum præterea, de ritibus, & ſacris cæremoniis; deque libris Eccleſiæ emẽdandis, & conformandis; de diſciplina, vt dictum eſt, virginum regularium; de domeſtica familiæ Archiepiſcopalis gubernatione. Mitto congregationes eorum, qui collegiorum curæ, piiſve locis præfecti erant. Certis etiam anni temporibus varia miniſtrorum, aliorumque genera ad ſe conuocabat, nunc regionum vrbis præfectos: nunc ex diœceſi tota Vicarios, qui quidem bis in anno aduenientes, de clero Eccleſiiſque ſibi commiſſis referebant; quæ opus eſſent petebant: ſi quid eſſet cauſæ, reddebant ſuæ rationem adminiſtrationis. ex bono, malove, quod in aliqua parte eſſe comperiebatur, conſulebatur reliquis. quod vnus ad meliorem rerum ſtatum in medium afferret: cæteris omnibus proderat. vt autem Vicarij venirent inſtructiores: iubebat Carolus regionis ſuæ parochorum vnumquemque prius eodem modo conuentum habere. Appropinquante voluptario tempore, conuocabat ex vtroque clero multos, de ſacris exercitationibus ad populum alliciendum, auertendũque à voluptatibus agebat; conciones, ſupplicationes, ſacras quaſdam celebritates in præcipuis Eccleſiis cõſtituebat. Aliàs congregabat concionatores variis Eccleſiis attributos, præcipua populi mala, corruptelaſque commemorabat: eos officij grauiter admonebat. Aliàs cogebat ſacerdotes audiendis confeſſionibus præfectos pluſimorum licentiam; diuturnam in pec-

cato permansionem; libidines; improbatos quæstus; alias permanentes populi pestes, enumerabat: quantum remedii positum esset in eorum auctoritate, diligentia, libertate, constantia demonstrabat: diuinis verbis ad animarum charitatem incensos, ad earũdem salutem verè curandam stimulabat. Parochos tum aliàs, tum appropinquante ieiunii fine, sicuti in historia demonstratum est, ad se adire; de publicis quorundam criminibus, quorum exemplum noceret quamplurimis, docere iubebat; sacerdotem toti negotio præficiebat; qui sacris legibus in eos ageret. Ipse sacerdotẽ, cui flagitiosus quisque soleret peccata confiteri, accersitum reprehendebat: nisi officio suo satisfaceret, auctoritatéque attributa salutariter vteretur, sese adempturum minabatur. Tempus constituit quo parochus quisque, iis, qui in vnaquaque domo primum locum tenerent, in Ecclesiam accersitis, eorum præcipua officia commemoraret; & ex præscripta formula moneret in vniuersum, quæ facere, quæve cauere oporteret. Canonicos solos vocabat interdum. quæ propria essent illius muneris: de publicis: horarum canonicarum supplicationibus, & sacrificiis; de sacrorum stipendiorum distributione; de notatione censoria in choro habenda, vtrum iuste, libere, & omnino ex præscripto fieret, inuestigabat. Presbyteros etiam minores, quos capellanos dicunt congregabat; quæ ad eos pertinerent, percunctabatur, ac monebat. Cœnobitas interdum vocatos, vt sese administrationis eius verè adiutores præstarent, hortabatur; qua ratione id facerent; quibus abstinerẽt; quæ perficerent, ostendebat. Quodam tempore inuitabat magistratus, & verba faciebat, ad eorum munus appositè. alio iurisconsultos; alio notarios; litterarum magistros; artifices: & vnumquemque ordinem, diuersis diebus, & Ecclesiis iuuabat separatim; Eucharistia sanctissima præbenda; concionéque ad vnumquodque genus accommodata.

Virginum, & aliarum fœminarũ instituta, piaque collegia. Cap. XLI.

Virgines, quæ domi cum suis viuentes, in beatæ Vrsulæ tutela Deo dicatæ, absque solemni voto castitatem profitentur; maximo numero tum in vrbe, atque in agro prouenere. Multi etiam laudabiles cœtus imitatione cœnobiorum, non solum in B. Vrsulæ, sed aliarum quoque sanctarum in fide, clientelaque sunt cõsociati. tanta enim vis est illius vnguenti mystici, quod sacerdotis capiti diuinitus infusum, in reliqua membra sensim fluit: vt vnius Præsulis sanctitate constituta; multa passim piè sanctéque fiant; quibus etiam nihil is, vt fierent, contulisse videatur. Atque has quidem interdum in suis Ecclesiis, vt occasio ferebat: illas vero certo tempore in vnam Ecclesiam collectas, cibo duplici, Christi Domini corporis, & eiusdem diuini verbi, pascebat. omnibus vero licet præesset cœnobiorum præfectus; spectatæ tamen etiam integritatis, religionisque sacerdos earum propriè curam gessit; qui voluntatem cuiusque, moresque ante probaret; quàm ad institutum admitteretur; vestitum traderet; vouentem reciperet, tum vitæ quoque omnium rationem, specularetur; si castitatis, religionisque professioni responderet. Ex his autem societatibus duo conflata sunt monasteria. alteriùs institutio sic se habuit. Cum vulgatum iam esset, Romæ, Perusij, & aliis quibusdam locis virginum cœnobia nuper esse instituta, quæ Capucinorum institutum imitarentur: puellis quibusdam ex iis, quæ Patrum sancti Barnabæ præcepta secutæ, virginitatem colebant; vitamque religiosè agebant, eam Deus mentem dedit; vt Patris eorum cohortatione accedente, eiusmodi suscipere vellent disciplinam. quæ cum in insigni vitæ duritie diu perseuerassent; vestitus asperitate tamen in publico occultata: ad Ecclesiam prodeuntes sacramentorum gratia diu ventitassent. actum est denique de clauso cœnobio in sanctæ Claræ tutela ritè constituendo: quod negotium Carolus, qua opus erat auctoritate vsus, cito confecit. Quatuor eiusdem ordinis virgines Perusio accersiuit; quarum in primis ductu tota disciplinæ ratio, animi virtutibus, asperitateque excellens, rectè institueretur. vestitum iis numero circiter viginti, in Ecclesiam maiorem per nobilissimas matronas deductis, ritè tradidit VI. Calend. Maij. M. D. LXXX. quam actionem, Pontificia Missæ solemnia, Caroli concio, cleri totius conuentus celeberrimam reddidere. mox congruo tempore solemnem

earum professionem accepit. atque amplificato spatio Ecclesiam sanctæ Praxedis nomine, ædesque ad institutum accommodatas ædificauit sumptu sane quidem magno, ex piorum hominũ fere liberalitate suppeditato. atque mira omnino frequentia locum sibi virgines Mediolanenses in eo cœnobio postea quæsiere: vt circiter ducentas quandoque numeraremus; quæ omni diligentia cõquirentes, qui apud Carolum, aut Vicarios commendatione valerent; omni ratione, suffragationeque sese inferebant; studio profecto non minori, quàm in petendis honoribus ambitiosi homines vti consueuerint. Alterum monasterium itidem S. Claræ disciplina institutum est. cum enim Ioanna Vistarina Mediolanensis puellas inopes secum in domo piæ liberalitatis gratia sustentaret; piis, & religiosis moribus, eorundem Patrum S. Barnabæ ductu, præceptisque instituere cœpisset; quorum ad Ecclesiam erat ob sacramenta frequens; auxit paulatim numerum. tum Carolo consulto, viro consentiente, domum iis coëmit, Ecclesiam, & Monasterium ædificauit; & S. Barbaræ nomine locum dedicauit. hoc item cœnobium Carolo propter exquisitam animorum Deo penitus deditorum religionem; victus ac disciplinæ omnis duritiem, valdè probatum fuit. Alia fœminarum pia collegia, vel cœpta iam confirmauit, multumque auxit; vel instituit ipse. Viduarum societas in sanctæ Annæ tutela, eius est auctoritate constituta: nempe earum, quæ post vnius viri mortem, castitatem conseruare; & præcipua diligentia pie viuere vellent. Honestæ mulieri multum fauit, quæ eo se munere occuparet; vt virgines earum sumptu religiosa simul educaret disciplina; ferèque ad regularem vitam suscipiendam institueret. Locum, qui Succursus appellatur, cœptum illum quidem antea Hispanæ cuiusdam insignis mulieris opera; fabrica, cæterisque rebus constituit: vbi fœminæ interim seruarentur, dum vel pudicitiæ consuleretur; vel cum viris componerentur lites. sanctæ Valeriæ domum, quæ Conuersarum dicitur, auxit: vbi magno numero mulieres ad perpetuo, religioseque conuiuendum ex impudica fere vita recipi solent. Aliud fundauit, Depositumque S. Mariæ Magdalenæ nominauit, ad Ecclesiam. S. Zenonis; vbi eæ reponantur, quæ subito de cœno turpitudinis in quo iacent, extrahendæ sunt; vt interim, quid iis faciendum sit, consulatur. At marium quoque cœtus, præter ea quæ diximus seminaria nonnullos instituit. Qui pestilentia demũ extincta mendici ad Victoriã reliqui fuere, eos in vrbanas ædes Stellæ nomine appellatas deduxit; vnde virginu collegium eduxerat: piumque opus augens, vagos homines, qui victum ostiatim mendicant; quorum vitam, ob incertas sedes speculatur nemo: qui sæpe ad turpem inertiam, desidiamque, piorum hominum abutuntur misericordia; in eundem locum compelli; certa disciplina, certisque faciendis operibus contineri curauit. Sodalitia quoque hominum eorum, qui alioqui laici ordinis, certis piæ vitæ legibus continentur: Ecclesiæ sibi assignatæ cultum procurant; festis diebus ad simul precandum in eam conueniunt; habitu ad mundi contemptum, pœnitentiamque accommodato, publicæ supplicationis gratia exeunt: hæc inquam, & quæ multa iam erant, auxit, & alia instituit. qua ratione quamplurimos ad meliorem vitam adduxit; ab otio, vitiosisque factis, die festo, traduxit ad res salutares. eorum tamen insignia quædam priuilegia benignitate Pontificum impetrata; quibus abuti multos sic animaduertebat, vt Ecclesiastica disciplina corrumperetur; ipse qui rerum veritatem inspiciebat præsens; rebus Romam relatis, temperari, ac imminui curabat. Religiosius vero sodalitium in sancti Mauritij tutela constituit eorum: qui matrimonij expertes, in posterum quoque sibi vitæ castitatem proponerent; & viuendi rationem à vulgaris consuetudinis vanitate seiunctam amplecterentur. quorum opera Carolus, cum in aliis piis officiis, tum in Christianis scholis habendis præcipuè vsus est: licet multò plures ea res requirat operarios. Hæ scholæ ad tradenda maribus, fœminisque separatim Christianæ doctrinæ rudimenta, per Ecclesias, foris, & in vrbe passim habentur. Vnaquæque schola, & regio suos habet administros, qui festis diebus, suo quisque loco, & munere, ei operi vacant: vniuersis sacerdos est

præfectus, visitatoresque constituti, quibus cæteri ministri frequenter de religiosæ exercitationis progressu, statuque omni referant, qui certis temporibus communicent inter se, locaque perlustrent, & quemadmodum se res habeat, vbique diligenter inspiciant. Hæc exercitatio ante Caroli aduentum boni viri laici studio incœpta, non solum ignorantiæ malo in iis quæ salutis sunt, medetur, sed in maxima, & prope infinita multitudine bonos mores, religiosumque cultum conseruat. Ac de huiusmodi, institutis, societatibusque singulis leges, præceptave conscripta, & ex maiori parte edita sunt.

De eius synodis, ac decretis. Cap. xliii.

Hæc disciplinæ, gubernationisque ratio, quæ vt per nos fieri potuit, breuiter adumbrata est, synodorum prouinciæ, diœcesisque decretis continetur: tum magna quoque ex parte edictis, præscriptionibus, monitis, litteris publicis, quas pastorales dicunt, explicatur: quorum magnum volumen edidit Petrus Galesinus, inscripsitque, Acta Ecclesiæ Mediolanensis, incredibili studio nunc ab omnibus orbis christiani partibus expetitum, Episcoporum concilia sex cum celebrauerit, vt suis locis in historia tetigimus, sex etiam edidit decretorum volumina, iisdem rerũ fere generibus, titulisque distincta. quæ omnia in vnum corpus, sub iisdem capitibus componere, ad faciliorem vsum cupiebat, eumque opus ipse propemodum absoluerat, cum ex hac vita decessit. Tanti hanc synodorum actionem faciebat, vt episcoporum excusationes difficiliter acciperet, ne conuenirent. quin etiã Cardinalem episcopum prouinciæ, sub concilii tempus, nulla necessaria caussa Mediolano abiturum, cum precibus non posset, auctoritate Pontificia, iureque suo tenuit, vt concilio interesset, Diœcesis synodos, ad sacrorum canonum præscriptum, vel habuit quotannis, vel si distulit, à summo Pontifice dilationis impetrauit facultatem. ibi præter decreta populo suo proprie accommodata, quorum libelli quatuor habentur, multa efficiebat ad recognoscendam, conseruandamque cleri disciplinam, de quibus superius commemoratum est. Hæc omnia decreta, vel ex eo faciebat, quòd vsus, ac assidua speculatio in clero, populove, corrigendum, meliusve reddendum docuerat, vel ex eo, quòd antiqua disciplina suppeditabat, ad perfectiorem ecclesiæ conformationem. ex his alia prius in decreto erant, quàm in vsu, alia vsus ante probauerat, quàm in decretum venirent. quædam in sua diœcesi constituta prius, & perfecta, ad vniuersæ prouinciæ vsum deducebat.

Alia Caroli officia; eiusque existimatio. Cap. xliiii.

Ad hoc tantum, tamque multiplex gregis vniuersi curandi studium, ac laborem, quotidiana possunt addi paternæ charitatis officia, quæ singulis ille petentibus, viduis præsertim, ac pupillis negauit numquam, siue consilio quis, siue gratia, siue re iuuandus esset. quæ quidem benignitas fecerat, vt qui calamitate aliqua premeretur, qui graue aliquod munus, opusve ad pietatem pertinens, esset aggressurus, aut de summa rerum suarum deliberaturus, ad eum tanquam ad patrem confugeret: priuatis publicisque rebus suis homines etiam exteri salutare auxilium ab eo quærerent. Itaque damnatis à Principibus repetitis acriter officiis, vitam impetrauit, miseris studiose subuenit, si misericordia digni visi sunt. Romæ cum esset, infælix vidua magistratus sententia capite damnatur, illa ad Carolum mittit, testatur sese vi cruciatuum coactam, confessam esse, quæ vere non fecerat. Carolus Pontificem adit: vt caussæ cognitio repeteretur obtinet, mulieris patrocinium suscipit, ea demum innocens cognita absoluta est. Homines perditos, qui conscientiæ stimulis agitati, suæque miseriæ ac officii diuinitus admoniti, extremo interdum consilio supplices adiere: consilio, auctoritate, idoneorumque sacerdotum opera, iuuit peramanter, & in rectam viuendi viam reduxit. Principes, ac militiæ duces etiam ex longinquis prouinciis in suis difficultatibus, obsidionibus, ac bellis, pia quadam fiducia, precum eius subsidium, consilium etiam, atque operam petiere. Ciuitatem vero suam non iis solum rebus, quæ ad animæ salutem pertinent, sed aliis quoque iuuit amantissime, quotiescũque fuit opus. multa sunt, quæ ad patriæ cõmodum, ac ornamentũ curauit, Pio præsertim auunculo viuente. Annonæ inopiã frumẽto ab exteris impetrando, profusis dandis eleemosy-

nis, omni denique ratione subleuare conatus est: quamquam eo viuo modica, præ tempore quod sequutum est, illa fuit. His rebus incredibilem sibi conciliauerat omnium ordinum amorem, atque obseruantiam. vel aspectu ipso videbantur homines ad bene viuendum incitari cum exiret fere quotidie ad varias sui muneris functiones; quacumque tamen transibat, cupide accurrebant ad eum, ex ædibus inter se vocabant, vt viderent, & signi salutaris fructum perciperent, quod manu modo ad hanc, modo ad illam partem versus, incedens perpetuo faciebat. atque cũ ita accurrissent, vtrũque genu humi ponebant omnes: ex equo plerique descendebant, quæ quidem abundantia quadam pietatis, & amoris, sponte sua facere instituerunt. ac solebant fœminæ, magnam partem, cum is transiret, sibi velum, vt in ecclesia iubebantur, imponere, & non ex edito, sed plano loco se venienti offerre: ea quoque de caussa, quòd ab eo doctæ erant, contra christianum officium videri, ex fenestris, & omnino ex editiore loco sacros ordines, resque sacras prætereuntes, spectare. Qui cacodæmonum vexatione laborabant, ij adducebantur dum præteriret: ac clamabant illi quidem, agitabanturque vehementer: sed ad vllum expellendum numquam sese Carolus conuertit. tantum, cruci extra portam Tonsam erectæ, quod pestis caussa factum erat omnibus compitis, solemni ritu benedicens, eorum procaciam repressit. nam eo concionante, cum mulieres duæ, seu dæmones in eis, adeo magnos ederent clamores, vt verba minime possent exaudiri, nemoquo efficere potuisset, vt tacerent: tandem ad eas Carolus conuersus, cum manu tantum benedixisset, tacito iussu ita paruerunt, vt nihil amplius auderent mutire, cum ibi tamen vsque ad finem permansissent. quod cum attenderent astantes, sese mutuo præ admiratione intuebantur. Ac non reuerentia solum erga Pastorem suum, sed re ipsa, moribusque christianis mirum in modum profecere Mediolanenses. nam vt alia hic non repetam huius rei indicia, à Caroli tempore, sicuti ab ipsis magistratibus accepi, criminũ iudicia multò pauciora fiunt. qua ex re quæstores regii mulctarum, bonorumque publicatorum dimidio fere minus habent, quòd in fiscum referant, quàm antea consueuissent. Non est tamen negandum, quòd ad nobilitatem magis excitandam valere velim, solitum fuisse Carolum queri, quòd reliquam multitudinem satis facile flectens, patritios tamen, quos semper, & initio præsertim iuuare studuisset, inuenerit in salutis negotio plerumque duriores. Cum se totum in vnam gregis sui curam concludere videretur: eius nihilominus nomẽ vt frequenter auditum est, Deus apud omnes nationes summa cum laude virtutis admirabilis, celeberrimum reddidit. In Lusitaniæ finibus cum essem, & ex incolis quidam Mediolanensem esse me audirent. Itane, aiebant, ex ea ciuitate, vbi sanctus ille Cardinalis est Episcopus? Verum haud ita subito Deus tantam ei conciliauit opinionem. plurimi enim, primis annis variis nominibus obtrectabant, simulationem, quidquid egregie conaretur, dicebant: ipsam honorum, facultatumque amplissimarum contemptionem multi cauillabantur. cum vero diuturnitas, & constantia, in primis vero vitæ pericula, pestis tempore adita, simulationis crimen satis refellissent, bonam mentem fatebantur: sed iudicium, prudentiamque requirebant. tantis rebus demum tam præclare gestis, talique rerum omnium exitu, sensus eiusmodi, non ille quidem omnino extinctus erat, sed tamen, quantum humana consuetudo, miseriaque patitur, imminutus. quod de ipso euenit: id cæteris prædicare solebat antequam eueniret: non deterreri Episcopũ debere, aliumve Dei seruum, si primò quæ faceret multis displicere, si etiam obtrectari sibi videret, nam si recta via pergeret, fore tandem, vt aliud plerique sentirent. Integram autem Episcopo in primis dicebat propositam esse debere virtutis disciplinam: nam si qua parte deficeret, ibi obtrectandi, calumniandique reliqua, maleuolis, ac infirmis aditum dari: & ex ea parte rem totam facile corrumpi. Magnum igitur erat eius apud omnes pondus auctoritatis. verebantur illum etiam summi viri, summisque locis collocati: si quid peccati esset, studiose cauebant, ne ad eum referretur: eo adueniente remouebant, si quid non optime se habere apud se aduerterent.

Quiduis illis recte committi posse putabatur. in eius fidem nihil suspicionis ab vlla parte cadere: sua quisque eius arbitrio libentissime permittere, tutum, sanctumque existimare, quod eius fidei commendatum esset. Ipsi hæretici si forte viderunt, aut de eo audierunt, virtutis eximiæ vi coacti, magno sunt cum honore prosecuti. Qui ex transalpinis ecclesiis in Italiam venirent, iis quantum ex multorum facto cognouimus, propositum in primis videbatur, Mediolanum ad eum visendum diuertere. Italiæ, aliarumque prouinciarum Episcopi ecclesiasticæ disciplinæ, ecclesiæque benè gerendæ studiosi, ab eo præcepta, auxiliumque petebant. designati curabant, vt ab eo sibi manus imponerentur. eius acta, præscriptaque: totius denique gubernationis, atque adeo vitæ rationem, postulabant. quòd idem amplissimi Cardinales multi fecere: quibus Carolus neque optimo consilio, auxilioque deerat, & pari modestia tamen respondebat. Episcoporum porro non magister solum, sed perfugium quoque habebatur: qui si difficultate aliqua premerentur, magna ad eum fiducia confugiebant, eiusque commendatione, ac patrocinio, apud summum Pontificem, sacrumque orbis christiani Senatum, tum etiam apud Reges, Regulosque vtebantur. Ex eis multi ad eum veniebant, nonnulli diu morabantur, vt omnia plenius cognoscerent. præceptis, scriptisque variis locupletati discederent. quandoque etiã clericos eius gubernationis peritos impetrabãt; quos ille, si videret ita reip. christianæ conducere, parcus alioqui, tenaxque in suis sibi conseruandis, ad tempus non negauit. concessit Vincentium Albanum Theologum Alexandro Archiepiscopo Aquarum Sextiarum in Gallia: qui disciplinæ caussa plures Mediolani moratus menses, magno accensus imitandi Caroli desiderio, demum in patriam reuersus, non pauca restituit, aliaque grauia conatus est ad animarũ fructum, disciplinæque sacræ instaurationem. concessit Dominicũ Ferrium Theologum, & canonicum Mediolanensem Andreæ Battorio, quem fratris filium Stephanus Poloniæ Rex Romã mittens, primo iussit ad Carolum diuertere, eiusque præcepta diligenter audire. Carolus autem optimæ indolis adolescentem omni humanitate complexus, ita iuuit, vt ab eo patris nominè mira obseruantia appellaretur, & mirũ in modum coleretur. potuit Andreas in ea erga Carolum obseruantia, quam semper conseruauit, Regem ipsum imitari: cum is mirifice Carolum obseruaret, ex animo se bellorumque suorum euentus precibus illius commendaret, consilia sua interdum communicaret. Alii Reges, Reginæ, principes, populi, eius nomen, sanctitatemque magna pietatis, ac venerationis significatione coluerunt: eius consilia, monitaque cum vsu venit plurimi fecerunt. imaginem quoque adhuc viuentis studiose multi quæsiere: ipseque Philippus Rex Catholicus eam in cubiculo suo iussit asseruari. In his Italiæ Regulos omnes numerare possumus, sed Emanuelem Sabaudiæ Ducem memini frequentes ad eum litteras sua manu scriptas mittere, summissioneque incredibili, supplicem, & orationis, & monitionis auxilium postulare; testari vero aperte, ab eo sese monita tãquam ab ipso Deo accipere. cuius pietatis studiosum imitatorem filium reliquit. Alexandri Parmensis Ducis venit in mentem, qui ad Carolum scribens affirmabat, in difficili illa Belgica administratione aditurũ se fidenter omnia pericula, modo sciret eius se quotidianis precibus Deo commendari. ex aliarum vero prouinciarum Regulis, Gulielmus Dux Bauariæ pro suo summo in pietatem, christianæque vitæ sanctitatem studio, nemini concessit, qui Carolum singulari amore, atque obseruantia prosequeretur: quod iis officiis omnibus semper ostendit, quæ Antistiti, patrique optimo tribui maxima potuerunt. Post mortem quænam eius sit existimatio, declarat eorum fiducia, nobis antè commemorata, qui passim in calamitatibus suis eum inuocant adiutorem. prudentia vero, animique lumen in administranda ecclesia tanti æstimatur, vt huc plerique deueniant, qui rebus ecclesiasticis ordinandis student scripta conquirant, instituta discant: auferant quidquid possunt. præterea si quid apud eos qui cæteris præsunt in dubium vocatur, eos etiam ipso qui ab eo viuente dissenserunt, illud sufficere videtur ad confirmandum, si Carolus ita fecisse demonstretur.

FINIS.

INDEX CAPITVM.

